This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD
DIVINITY
SCHOOL
Andover-Harvard
Theological Library

4.

COMPENDIUM

THEOLOGIÆ MORALIS

AUCTORE

P. JOANNE PETRO GURY S. J.,
IN SEMINARIO VALSENSI PROPE ANICIUM QUONDAM PROFESSORE.

Ars artium regimen animarum.
S. Greg. M., Reg. pastor. offic. c. 1.

Editio in Germania quarta,
ad editionum romanarum fidem impressa, emendata et permultis additamentis aucta.

RATISBONAE.
TYPIS ET SUMPTIBUS GEORGII JOSEPHI MANZ.
1868.

S.C.R.
BJ
1249
.G87
1868

APPROBATIONES.

Compendium theologiae moralis, auctore P. Joanne Petro Gury S. J. perlegimus. Hoc opus eximium pro Nostra dioecesi approbamus et in votis habemus, ut in universi cleri Nostri manibus versetur.

Lugduni, die 20. Octobris 1857.

† L. J. M. Card. de Bonald, archiep. Lugdun.

Compendium theologiae moralis, a reverendo patre Joanne Petro Gury e Societate Jesu elucubratum et ab ipso recognitum et auctum, vidimus. Quod opus, cum doctrinae securitatem methodi perspicuitati conjungat, cumque nimiae laxitatis gurgitem et nimiae severitatis scopulum aeque feliciter devitet planamque ac tutam ad difficilem regiminis animarum artem acquirendam viam sternat, unanimi doctorum virorum suffragio, nec privatorum modo, sed et scholarum plurimarum usu jam probatum, Nostra etiam auctoritate libenter probamus et animarum pastoribus enixe commendamus.

Datum Anicii, die 3. Septembris 1857.

† Aug., episcopus Aniciensis.

Sacerdotibus sacro ministerio addictis raro per tempus licet, scripta theologorum fusiora passim perlustrare et quaestiones in utramque partem a viris peritis agitatas singillatim evolvere. Quapropter iisdem utilissime contingit, si principia theologiae moralis, praecipuas conclusiones practicas ejusdem et totam agendi rationem pii, prudentis ac timorati confessarii paucis paginis delineatas veluti uno intuitu conspicere ac complecti possint. Huic eorum commodo apprime consuluit doctissimus et Nobis a pueris dilectus P. Joannes Petrus Gury, Soc. Jesu presbyter, qui Compendium theologiae moralis, infra octennium multoties praelo commissum, edidit, in quo,

praetermissis iis, quae minoris frugis sunt, quaestionibus, ea doctrinae capita sedulo elucidavit, quae ad hodiernum usum maxime spectant, ita ut a nimio rigore aeque ac a nimia laxitate declinaret et media via, duce prudentia, continuo incederet. Ideo Compendium theologiae moralis a R. P. J. P. Gury concinnatum dignum arbitror, quod omnium sacerdotum manibus teratur.

Brugis, 25. Januarii 1858.

† J. B., episc. Brugen.

Theologiae morali, a P. Gury S. J. compositae et a pluribus ordinariis jam probatae, Ratisbonensis editor notas explanationesque adjecit; quas, quantum per censorem a Nobis deputatum constat, non solum fidei doctrinaeque catholicae consentaneas, sed etiam plurima laude dignas habemus.

Ratisbonae, die 24. Aprilis 1868.

† Ignatius, episcopus Ratisbonensis.

EDITOR RATISBONENSIS LECTORI.

Theologiam moralem R. P. Gury iterum prelo subjicientes, verba clarissimi auctoris praesertim juxta editionem Romae 1862. evulgatam lectori praebemus. Cum tamen 1866. recentior romana editio, notis amplis *P. Antonii Ballerini S. J.,* in collegio romano professoris, illustrata prodierit, etiam hujus, statim ac ad nostras manus pervenerat, in secunda operis parte, rationem habuimus. Adnotationes auctoris vero et illas editoris romani, quas adjungere opportunum duximus, a nostris per appositionem *Not. auct.* vel *Not. edit. rom.* sedulo distinximus.

Additamenta porro nostra ex libris probatissimis deprompsimus, praesertim vero ex theologia morali *S. Alphonsi de Ligorio* (edit. Ratisb. 1846.) ad mentem auctoris ipsius. Libenter etiam theologia morali *Petri Scavini* (edit. 7ª. Mediol. 1857—1858. et edit. 10ª. ib. 1865.) usi sumus ob similitudinem operis auctoritatemque, qua gaudet. Insuper curae nobis fuit, recentiores maxime decisiones S. Sedis suo loco inserere vel opera, in quibus prostant, indicare.

Principia juris austriaci, quae jam in secunda editione germanica habentur, juxta multorum votum etiam notis hujus quartae inseruimus, sperantes, ea, sicuti principia juris gallici ab auctore proposita, si non omnibus, prouti jacent, inservire possunt, saltem uti exempla quaedam non prorsus superflua fore: in permultis enim jura recentiora concordant. Longe autem fines hujus libri excederet, jura particularia, non dico omnia, sed vel plura inserere; labor etiam ex magna parte inutilis, cum coaevos nostros passim intentos videamus, codicibus vetustioribus recentiores substituere. De reliquo lector adnotationes, quae principia juris austriaci continent, per asteriscum appositum facile a ceteris discernet.

Quoad modum citandi auctores haec pauca: Paragraphis ex opere *S. Alphonsi de Ligorio* titulus tractatus, non numerus libri subnectitur, cum ordo librorum in editionibus diversus sit; in citationibus vero ex libro *Scavini* raro locum specialius designavimus, cum citationes ex vetustioribus editionibus dicti operis prolixiores esse deberent, editiones inter

se discrepent et, quae investigantur, sine labore vel in tractatu ejusdem tituli, vel saltem in indice inveniri queant. Pro citatione catechismi romani editio Vindobonensis anni 1850. prae manibus fuit. Si tandem paragraphos ex auctore nostro attulimus et numerum partis non addidimus, eam ipsam partem subintellige, in qua dictus numerus profertur.

Speramus, etiam hanc quartam editionem, uti tertiam, clero et theologiae studiosis gratam fore. Quam si utilem sibi repererint, auctoris quoque adeo bene meriti, qui interea mortem cum vita commutavit, animo christiano recordentur.

Ratisbonae, 1868.

INDEX PARTIS PRIMAE
COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS.

Pag.
Praefatio XIX
Responsum S. Poenitentiariae circa doctrinam S. Alphonsi de Ligorio . XXI
Adnotanda XXII
Prooemium XXIII

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Cap. I. De notione actuum humanorum 1
Cap. II. De principiis actuum humanorum 2
Art. I. De voluntario . . . . *ib.*
§. I. De voluntario in genere . *ib.*
§ II. De voluntario in specie . 4
De voluntario indirecto . . *ib.*
Art. II. De libero 7
Art. III. De oppositis voluntario et libero 8
§. I. De ignorantia . . . *ib.*
§. II. De concupiscentia . . 9
§. III. De metu 10
§. IV. De vi seu violentia . . 11
Cap. III. De moralitate actuum humanorum 12
Art. I. De essentia moralitatis . *ib.*
Art. II. De fontibus moralitatis . 14
§. I. De objecto . . . . . *ib.*
§. II. De circumstantiis . . 15
§. III. De fine . . . . . *ib.*
Appendix de actibus meritoriis seu de merito actuum humanorum 18

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

Cap. I. De conscientia recta et erronea 19
Cap. II. De conscientia certa et dubia 20
Art. I. De conscientia certa . . *ib.*
Art. II. De conscientia dubia . . 21
Cap. III. De conscientia scrupulosa et laxa 22
Art. I. De conscientia scrupulosa . *ib.*
I. Signa praecipua scrupulorum . *ib.*
II. Remedia scrupulorum . . *ib.*
III. Regulae pro scrupulosis . 23
IV. Regulae pro confessariis . *ib.*
Art. II. De conscientia laxa . . 23
Cap. IV. De conscientia probabili et improbabili 24
Art. I. De natura probabilitatis . 24
Art. II. De efficacia probabilitatis ad conscientiam efformandam 26
Art. III. De regulis et usu probabilitatis seu de regulis specialibus ad conscientiam in dubiis efformandam 33

TRACTATUS DE LEGIBUS.

Pars I. — De legibus in genere. 38
Cap. I. De natura et proprietatibus legis . . . . . *ib.*
Cap. II. De auctore legis seu de legislatore 39
Cap. III. De objecto et subjecto legis 42

Pag.
Art. I. De objecto legis . . . 42
Art. II. De subjecto legis . . 43
Cap. IV. De promulgatione et acceptatione legis 45
Art. I. De promulgatione legis . . ib.
Art. II. De acceptatione legis . 46
Cap. V. De obligatione legis . . 47
Art. I. De vi obligationis . . ib.
Art. II. De modo satisfaciendi obligationi legis 48
Art. III. De causis a lege excusantibus 50
§. I. De natura eorum, quae deobligant . . . . . ib.
§. II. De appositione voluntaria causarum deobligantium . . 51
Cap. VI. De interpretatione legis et epikeia 52
I. De interpretatione legis . . ib.
Regulae interpretationis . . ib.
II. De epikeia . . . . . ib.
Cap. VII. De dispensatione legis . 53
Art. I. De potestate dispensandi . ib.
Art. II. De causis ad dispensandum requisitis 55
Art. III. De cessatione dispensationis 56
Cap. VIII. De cessatione legis . . 57
Pars II. — De speciebus praecipuis legum . . . . ib.
Cap. I. De lege naturali et divina . ib.
Art. I. De lege naturali . . ib.
Art. II. De lege divina positiva . 58
Cap. II. De lege ecclesiastica et civili 59
Art. I. De lege ecclesiastica . . ib.
Art. II. De lege civili . . . 64
Cap. III. De lege poenali et irritante ib.
Art. I. De lege poenali . . . ib.
Art. II. De lege irritante . . 65
Cap. IV. De lege non scripta seu de consuetudine 66
Cap. V. De lege favorabili seu de privilegio 69

TRACTATUS DE PECCATIS.

Pars I. — De peccatis in genere *seu* de natura, gravitate et distinctione peccatorum . 70
Cap. I. De natura peccati . . ib.
Cap. II. De gravitate peccati, praesertim de peccato mortali et veniali 71
Cap. III. De distinctione peccatorum 75
Art. I. De distinctione specifica . ib.
Art. II. De distinctione numerica . 77
Pars II. — De peccatis in specie 80
Cap. I. De peccatis internis . . 80
Cap. II. De peccatis capitalibus . 82
I. De superbia . . . . . ib.
II. De avaritia . . . . . ib.
III. De luxuria 83
IV. De invidia . . . . . ib.
V. De ira . . . . . ib.
VI. De acedia . . . . . ib.
VII. De gula . . . . . ib.
Appendix de ebrietate . . . 84

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

Cap. I. De fide 86
Art. I. De necessitate fidei . . ib.
I. Quoad actum internum . . ib.
II. Quoad actum externum . . 87
Art. II. De objecto fidei . . 88
§. I. De necessario sciendis et credendis necessitate medii . . ib.
§. II. De necessario sciendis et credendis necessitate praecepti . 89
Punctum I. De sciendis ad recte credendum seu de symbolo apostolorum . . . . . ib.
Explicatio brevis singulorum symboli articulorum . . . 90
Punctum II. De sciendis ad recte agendum 91
I. De praeceptis decalogi et Ecclesiae ib.
II. De sacramentis . . . ib.
III. De oratione dominica . . 92
Art. III. De vitiis fidei oppositis . ib.
§. I. De infidelitate . . . ib.
§. II. De haeresi . . . 93
Cap. II. De spe 94
Cap. III. De caritate 96
Art. I. De amore Dei . . . ib.
Art. II. De amore proximi . . 97
§. I. De praecepto amoris proximi in se 97
Punctum I. De praecepto caritatis erga omnes in genere . . ib.
Regulae speciales ordinis caritatis ib.
Punctum II. De praecepto erga inimicos in particulari . . . 99
§. II. De operibus misericordiae . 100
Punctum I. De eleemosyna . . ib.
Punctum II. De correctione fraterna 102
§. III. De vitiis caritati proximi oppositis 104
Punctum I. De scandalo . . ib.
Sect. I. De scandalo in genere . ib.
Sect. II. De scandalo in particulari 106
I. Circa luxuriam . . . ib.
II. Circa pravos libros . . 107
III. De choreis 108
IV. De spectaculis . . . 109

Pag.
Punctum II. De cooperatione . 110
Sect. I. De cooperatione in genere ib.
Sect. II. De cooperatione in particulari 111
I. Quoad famulos 111
II. Quoad operarios 112
III. Quoad mercatores . . . 113
IV. Quoad caupones . . . . ib.

TRACTATUS DE PRAECEPTIS DECALOGI.

De I. decalogi praecepto . 114
Cap. I. De actibus virtutis religionis ib.
Art. I. De adoratione . . . . ib.
Adnotanda de cultu et reliquiis sanctorum 115
Art. II. De oratione 116
Cap. II. De vitiis religioni oppositis 117
Art. I. De superstitione . . . . ib.
§. I. De idololatria . . . . ib.
§. II. De vana observantia . . . ib.
§. III. De divinatione 118
§. IV. De magia et maleficio . 120
Appendix I. De tabulis votantibus . 121
Appendix II. De magnetismo animali 123
Postulatum episcopi Lausanensis circa magnetismum 125
Art. II. De irreligiositate . . . 127
§. I. De tentatione Dei . . . ib.
§. II. De sacrilegio . . . . ib.
§. III. De simonia 130
De II. decalogi praecepto . 134
Cap. I. De vana usurpatione nominis Dei et blasphemia . . . . ib.
Art. I. De vana sanctissimi nominis Dei usurpatione . . . . ib.
Art. II. De blasphemia 135
Cap. II. De juramento 138
Art. I. De conditionibus juramenti . ib.
I. De requisitis ad essentiam juramenti . . . . . ib.
II. De requisitis ad liceitatem juramenti 139
Art. II. De obligatione juramenti promissorii 140
Appendix de adjuratione . . . 142
Cap. III De voto . . . . . ib.
Art. I. De conditionibus ad votum requisitis 143
§. I. De intentione ad votum requisita . . . . . ib.
§. II. De materia voti 144
Art. II. De obligatione voti . . 145
Art. III. De cessatione voti . . 147
§ I. De irritatione votorum . ib.
§ II. De dispensatione votorum . 148
§ III. De commutatione votorum 149
De III. decalogi praecepto . 151
Cap. I. De iis, quae diebus festis praecipiuntur . . . . . ib.
Art. I. In genere de iis, quae diebus festis servanda sunt . . ib.
Art. II. De auditione missae in particulari 152
§. I. De iis, quae ad missam rite audiendam requiruntur . . ib.
Punctum I. Praesentia corporis . 152
Punctum II. Attentio mentis . 154
Punctum III. Locus debitus . 156
I. Quoad oratoria privata . . ib.
II. Quoad missam parochialem . 157
§. II. De causis a missa excusantibus 158
Cap. II. De iis, quae diebus dominicis et festis prohibentur . . 159
Art. I. De operibus, quae diebus festis prohibentur . . . . ib.
Art. II. De causis, ob quas opera servilia aliquando permitti possunt 161
De IV. decalogi praecepto . 163
Cap. I. De obligationibus filiorum erga parentes . . . . . ib.
I. Amor . . . . . ib.
II. Reverentia 164
III. Obedientia 165
Cap. II. De obligationibus parentum erga filios 166
I. Amor . . . . . ib.
II. Educatio 167
I. Educatio corporalis . . . . ib.
II. Educatio spiritualis . . . 168
Cap. III. De obligationibus conjugum 169
Cap. IV. De obligationibus aliorum superiorum et inferiorum . . 171
Art. I. De obligationibus dominorum et famulorum . . . . . ib.
§. I. De obligationibus dominorum ib.
§. II. De obligationibus famulorum 172
Art. II. De obligationibus magistrorum et discipulorum . . . . ib.
Art. III. De obedientia et reverentia civium erga temporalem auctoritatem 173
De V. decalogi praecepto . 174
Cap. I. De occisione sui seu de suicidio ib.
Cap. II. De occisione proximi . . 176
Art. I. De occisione rei seu malefactoris ib.
Art. II. De occisione injusti aggressoris 177
Art. III. De occisione innocentis . 179
§. I. De occisione innocentis in genere ib.
§. II. De procuratione abortus . 180
Cap. III. De duello 181
Cap. IV. De bello 182
De VI. et IX. decalogi praecepto 185
Cap. I. De peccatis luxuriae non consummatis 186
Art. I. De osculis et tactibus impudicis ib.
Art. II. De adspectibus obscoenis . 188
Art. III. De sermonibus et lectionibus impudicis 189
Cap. II. De peccatis luxuriae consummatis 190

Pag.
Art. I. De peccatis consummatis intra naturam 190
§. I. de fornicatione . . . ib.
§. II. De adulterio . . . 191
§. III. De incestu . . . ib.
§. IV. De sacrilegio . . . ib.
§. V. De stupro 192
§. VI. De raptu 193
Art. II. De peccatis consummatis contra naturam . . . . ib.
§. I. De pollutione . . . ib.
§. II. De sodomia . . . 196
§. III. De bestialitate. . . . ib.
De VII. et X. decalogi praecepto 197
De VIII. decalogi praecepto . ib.
Cap. I. De mendacio . . . ib.
Art I. De mendacio in genere . ib.
Art. II. De restrictione mentali . 198
Cap. II. De detractione . . . 200
Art. I. De vitio detractionis . . ib.
Art. II. De restitutione famae . 205
Cap. III. De contumelia . . . 208
Cap. IV. De judicio temerario, suspicione et dubitatione temeraria . . 209
Appendix de violatione secreti . 210

TRACTATUS DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

De I. et II. Ecclesiae praecepto seu de observatione festorum 212
De III. Ecclesiae praecepto seu de annua confessione . . . 214
De IV. Ecclesiae praecepto seu de communione paschali . . 215
De V. Ecclesiae praecepto seu de abstinentia a carnibus extra jejunium 217
De VI. Ecclesiae praecepto seu de jejunio ecclesiastico . . 219
Cap. I. De essentia et obligatione jejunii 219
Art. I. De unica refectione et refectiuncula . . . . . ib.
§. I. De unica refectione . . ib.
§. II. De collatione serotina . 222
Art. II. De abstinentia a carnibus in jejunio 223
Art. III. De hora refectionis . . 224
Cap. II. De causis a jejunio excusantibus 225
Responsa varia circa jejunium . 229

TRACTATUS DE JUSTITIA ET JURE.

Pars I. — De natura et principiis justitiae et juris . 231
Cap. I. De notionibus generalibus justitiae et juris . . . . ib.
Art. I. De natura justitiae . . ib.
Art. II. De natura juris . . . 232
Art. III. De principiis generalibus juris et justitiae 233
§. I. De principiis generalibus juris ib.
§. II. De principiis generalibus justitiae 236
Cap. II. De praecipuis juris speciebus 237
Art. I. De dominio . . . ib.
§. I. De objecto dominii . . ib.
§. II. De subjecto dominii . . 239
Punctum I. De dominio filiorum familias . . . . . ib.
I. Principia ex jure romano . . 240
II. Principia ex jure gallico . . ib.
Punctum II. De dominio uxorum . 242
I. Dispositiones juris romani . ib.
II. Dispositiones juris gallici. . ib.
Punctum III. De dominio clericorum 245
Punctum IV. De dominio auctorum 248
§. III. De acquisitione dominii . 249
Punctum I. De occupatione . . ib.
Punctum II. De inventione . . 252
Punctum III. De praescriptione . 254
I. Res praescriptibilis . . . 255
II. Possessio . . . . ib.
III. Titulus 255
IV. Tempus requisitum . . 256
V. Bona fides 259
Punctum IV. De accessione . . 260
Art. II. De usu et usufructu . . 262
Art. III. De servitute . . . 265
Pars II. De violatione juris seu de injuria 266
Cap. I. De injuria in genere . . ib.
Cap. II. De injuria in specie seu de peccatis contra justitiam . . 268
Art. I. De natura furti . . . ib.
Art. II. De causis a furto excusantibus 273
§. I. De necessitate a furto excusante ib.
§. II. De occulta compensatione . 274
Pars III. — De restitutione . 277
Sectio I. — De restitutione in genere ib.
Cap. I. De obligatione restitutionis . ib.
Cap. II. De radicibus restitutionis . 280
Art. I. De acceptione rei alienae . ib.
§. I. De possessore bonae fidei . 281
§. II. De possessore malae fidei . 286
§. III. De possessore dubiae fidei . 290
Art. II. De injusta damnificatione . 292
Art. III. De injusta cooperatione . 299
§. I. De jubente 300
§. II. De consulente . . . 301
§. III. De consentiente . . 303
§. IV. De palpone . . . 304

Pag.
§. V. De recursu seu de receptante vel recursum praebente . . 304
§. VI. De participante . . . 305
§. VII. De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis 306
Cap. III. De circumstantiis restitutionis 308
Art. I. Quantum sit restituendum . ib.
De solidaritate 309
Art. II. Cui sit restituendum . . 310
Art. III. Quo ordine sit restituendum 311
§. I. De ordine restitutionis inter cooperatores 312
§. II. De ordine restitutionis quoad creditores . . . . . ib.
Art. IV. Quomodo sit restituendum . 315
Art. V. Quando sit restituendum . 317
Cap. IV. De causis a restitutione excusantibus 318
Sectio II. De restitutione in specie . 322
Pag.
Cap. I. De restitutione ob damnum in bonis animi 322
Cap. II. De restitutione ob damnum in bonis corporis . . . ib.
Art. I. De restitutione ob homicidium ib.
Art. II. De restitutione propter stuprum et fornicationem . . 324
Art. III. De restitutione propter adulterium 326
Cap. III. De restitutione ob damnum in bonis fortunae in casibus particularibus 327
Art. I. De tributis . . . . . ib.
Art. II. De damno occasione militiae illato 332
Art. III. De direptione bonorum tempore perturbationis Galliae . 334
§. I. De bonis ecclesiasticis . . ib.
§. II. De bonis privatorum . . 335

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

Pars I. De contractibus in genere 336
Cap. I. De requisitis ad contrahendum 337
Art. I. De materia contractus . . ib.
Art. II. De causa contractus . . 339
Art. III. De subjecto contractus . 340
§. I. De minoribus . . . ib.
I. Ex jure romano . . . 341
II. Ex jure gallico . . . ib.
§. II. De uxoribus . . . 342
I. Ex jure communi . . . ib.
II. Ex jure gallico . . . ib.
§. III. De civiliter mortuis . . 343
§. IV. De interdictis et prodigis . ib.
Art. IV. De consensu requisito . 344
§. I. De dotibus legitimi consensus ib.
§. II. De vitiis consensui oppositis 345
Punctum I. De errore . . . ib.
Punctum II. De metu . . . 347
Cap. II. De obligatione contractus . 349
Cap. III. De contractuum modificationibus 353
Art. I. De juramento contractui adjecto . . . . . ib.
Art. II. De modis contractui praefinitis 354
Art. III. De conditionibus contractui appositis 355
Pars II. — De contractibus in specie 357
Sectio I. — De contractibus gratuitis . ib.
Cap. I. De promissione . . . ib.
Cap. II. De donationibus . . . 359
Art. I. De donationibus in genere . ib.
§. I. De conditionibus donationis . ib.
§. II. De casibus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum 360
Art. II. De variis donationum speciebus 361
§. I. De donatione inter vivos . 361
§. II. De testamento . . . 363
Punctum I. De natura, divisione et forma testamentorum . . . ib.
I. Ex jure communi . . . ib.
II. Ex jure gallico . . . 364
Conditiones testamentorum . . ib.
Punctum II. De testatoribus et haeredibus 366
Punctum III. De dispositionibus testamentariis seu de codicillo et legato 370
Punctum IV. De revocatione testamentorum 372
Punctum V. De exsecutore testamenti ib.
Principia juris austriaci: a) De jure haereditatis . . . . . ib.
b) De declaratione ultimae voluntatis in genere, ac de testamentis in specie 373
c) De substitutione haeredum . 374
d) De legatis 375
e) De restrictione et revocatione ultimae voluntatis . . . 376
f) De successione ab intestato . ib.
g) De portione legitima, de collatione ac de haeredibus necessariis 377
h) De aditione haereditatis . . ib.
§. III. De donatione mortis causa ib.
§. IV. De fideicommissis et substitutione 378
Cap. III. De commodato et precario . 380
Obligationes commodarii . . ib.
Obligationes commodantis . . ib.
Cap. IV. De deposito et sequestro . 381
I. De deposito . . . . ib.
Obligationes depositarii . . ib.
Obligationes deponentis . . ib.
II. De sequestro . . . . ib.

Pag.
Cap. V. De mandato et negotiorum gestione 382
I. De mandato . . . . . ib.
Obligationes mandantis . . ib.
Obligationes mandatarii . . ib.
II. De negotiorum gestione . . ib.
Cap. VI. De mutuo 383
Art. I. De natura contractus mutui . ib.
Art. II. De usura seu de lucro ex mutuo percepto 385
Art. III. De titulis ab-usura excusantibus 386
I. De damno emergente . . ib.
II. De lucro cessante . . . 387
III. De periculo sortis . . . ib.
IV. De poena conventionali . . 388
V. De titulo legis civilis . . ib.
Decisiones variae Sanctae Sedis circa usuram 395
Appendicula de montibus pietatis . 396
Sectio II. — De contractibus onerosis ib.
Cap. I. De venditione et emptione . ib.
Art. I. De natura venditionis et emptionis. . . . . ib.
Art. II. De justo pretio . . . 401
Art. III. De praecipuis venditionum speciebus 406
§. I. De retrovenditione et mohatra 406
§. II. De venditione sub hasta seu per licitationem. 407
§. III. De monopolio 408
§. IV. De venditione per proxenetas. 409
Cap. II. De societate et trino contractu 410
Art. I. De societate . . . . ib.
Art. II. De trino contractu . . ib.
Cap. III. De locatione 411
I. Regulae locationis generales . 412
II. Obligationes locatoris . . ib.
III. Obligationes locatarii . . ib.
Cap. IV. De cambio 413
Cap. V. De censu 415
Cap. VI. de contractibus subsidiariis seu de fidejussione, pignore et hypotheca 416
Art. I. De fidejussione . . . ib.
Art. II. De pignore. . . . . ib.
Art. III. De hypotheca 417
Cap. VII. De contractibus aleatoriis . 418
Art. I. De assecuratione . . . ib.
Art. II. De sponsione . . . ib.
Art. III. De loteria 419
Art. IV. De ludo . . . . . ib.

INDEX PARTIS SECUNDAE.

TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

Pag.
Pars I. — De statu laicorum . 422
Cap. I. De obligationibus judicum . ib.
Appendix I. De juratis 424
Appendix II. De arbitris . . . ib.
Cap. II. De obligationibus advocati et procuratoris 425
Cap. III. De obligationibus apparitoris 427
Cap. IV. De obligationibus scribarum et notariorum 428
I. De scribis seu secretariis . . ib.
II. De notariis 429
Cap. V. De obligationibus accusatoris et rei 430
I. De accusatore . . . . . ib.
II. De reo 431
Cap. VI. De obligationibus testium . 432
Cap. VII. De obligationibus medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum 434
Cap. VIII. De obligationibus custodum 435
Cap. IX. De statu artificum et opificum 436
Pag.
Pars II. De statu clericorum . 437
Cap. I. De obligationibus communibus clericorum . . . . . ib.
Art. I. De obligationibus positivis clericorum . . . . . ib.
§. I. De vitae sanctitate et aedificatione . . . . . ib.
§. II. De caelibatu 438
§. III. De gestatione habitus et tonsurae 440
§. IV. De recitatione horarum canonicarum seu divini officii . 441
Punctum I. De obligationibus recitandi . . . . . ib.
Decretum S. Congreg. Rit. circa hodiernam Cenomanensis ecclesiae liturgiam. (10. Jan. 1852.). 444
Punctum II. De tempore, loco et situ debito ad horas recitandas . 445
I. Quoad tempus . . . . ib.

Pag.
II. Quoad locum et situm . . 448
Punctum III. De modo horas recitandi 449
I. Quoad ordinem. . . . ib.
II. Quoad pronuntiationem . . 451
III. Quoad attentionem et devotionem 454
Punctum IV. De causis excusantibus a recitatione horarum . . 455
Art. II. De obligationibus negativis clericorum, seu de iis, quae clericis prohibentur 458
§. I. De habitatione cum mulieribus ib.
§. II. De ludo alearum . . . 459
§. III. De gestatione armorum et venatione . . . . . ib.
§. IV. De negotiatione . . . 460
Cap. II. De obligationibus particularibus clericorum 461
Art. I. De obligationibus episcoporum ib.
Art. II. De obligationibus parochorum 462
Art. III. De obligationibus canonicorum 464
I. Quoad residentiam . . . 465
II. Quoad officium chori . . ib.
III. Quoad missam conventualem . 466
IV. Quoad adsistentiam episcopi etc. ib.
V. Quoad munera canonicorum sede vacante 467
Appendix I. De privilegiis clericorum 468
I. De privilegiis clericorum in communi . , ... ib.
II. De privilegiis episcoporum . 468
Appendix II. De beneficiis clericorum 469
I. De natura beneficiorum . . 470
II. De acquisitione beneficiorum . ib.
III. De amissione beneficiorum . 471
Pars III. De statu religioso. . 472
Cap. I. De natura status religiosi . ib.
Cap. II. De vocatione religiosa . . 478
Cap. III. De obligationibus religiosorum vi votorum . . . 480
Art. I. De voto paupertatis . . ib.
Art. II. De voto castitatis . . 485
Art. III. De voto obedientiae . . 486
Cap. IV. De privilegiis regularium . 488
I. Circa exemptionem a jurisdictione episcopali . . . . . ib.
II. Circa sacramentum poenitentiae 489
Postulatum episcopi Hildesheimensis ib.
III. Circa casus reservatos . . 490
IV. Circa irregularitates et impedimenta . . . . . ib.
V. Circa missam, communionem et ultima sacramenta . . . ib.
VI. Circa casus particulares . . 491
Appendix. De statu actuali regularium in Gallia . . . . . ib.
Postulatum DD. Bouvier, episcopi Cenomanensis 493
Postulatum episcopi Petrocorensis circa obligationem recitandi breviarii pro monialibus in Gallia 494

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Cap. I. De definitione, numero et divisione sacramentorum . . 497
Cap. II. De materia et forma sacramentorum 500
I. De natura et unione materiae et formae . . . . . ib.
II. De mutatione materiae et formae ib.
III. De iteratione sacramentorum in dubio de valida applicatione materiae et formae . . . 501
Cap. III. De ministro sacramentorum 502
Art. I. De requisitis ad sacramentorum administrationem seu de attentione, intentione, fide et probitate ministri . . . . . ib.
§. I. De attentione ministri . . ib.
§. II. De intentione ministri . 502
§. III. De fide et probitate ministri 504
Art. II. De officio ministri . . 506
§. I. De obligatione ministrandi sacramenta . . . . . ib.
§. II. De obligatione aliquando denegandi sacramenta, nempe indignis petentibus . . . 508
§. III. De modo sacramenta conferendi 511
Cap. IV. De subjecto sacramentorum 512
Art. I. De requisitis ad validam sacramentorum receptionem . ib.
Art. II. De requisitis ad licitam sacramentorum receptionem . 514

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Cap. I. De natura, proprietatibus et necessitate baptismi . . . 516
Cap. II. De materia et forma baptismi 517
Art. I. De materia tum remota, tum proxima baptismi . . . ib.
§. I. De materia remota baptismi ib.
§. II. De materia proxima baptismi 518
Art. II. De forma baptismi . . 519
Cap. III. De ministro baptismi . . 520
Cap. IV. De subjecto baptismi . . 522
Cap. V. De solemnitatibus accessoriis baptismi, nempe de patrinis et caeremoniis 524
Art. I. De patrinis . . . . . ib.
Art. II. De caeremoniis baptismi . 525
Appendix de operatione caesarea in ordine ad baptizandum infantem nondum natum 526

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Pag.
Cap. I. De materia et forma confirmationis 529
Art. I. De materia confirmationis . *ib.*
Art. II. De forma confirmationis . 530
Cap. II. De ministro confirmationis . *ib.*
Cap. III. De subjecto confirmationis . 531

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Pars I. — De eucharistia ut sacramento 533
Cap. I. De natura et efficacia eucharistiae . . . . . *ib.*
Cap. II. De materia et forma eucharistiae 535
Art. I. De materia eucharistiae . *ib.*
I. De materia remota . . . . *ib.*
II. De materia proxima seu de usu materiae requisitae in ipsa consecratione 537
Art. II. De forma eucharistiae . 538
Cap. III. De ministro eucharistiae . 540
Art. I. De potestate ministri eucharistiae . . . . . *ib.*
Art. II. De obligatione eucharistiam dispensandi 541
Art. III. De requisitis ad licitam sanctae eucharistiae dispensationem 542
Art. IV. De modo eucharistiam infirmis ministrandi 547
Art. V. De modo s. eucharistiam asservandi 550
Cap. IV. De subjecto eucharistiae . 553
Art. I. De obligatione suscipiendi eucharistiam . . . . . *ib.*
Art. II. De dispositionibus requisitis in subjecto eucharistiae . . 556
§. I. De dispositionibus animae . *ib.*
§. II. De dispositionibus corporis . 558
Punctum I. De jejunio ad communionem requisito . . . . *ib.*
Punctum II. De corporis decentia 561
Appendix I. De communione frequenti 562
Appendix II. De communione spirituali 564
Pars II. — De eucharistia ut sacrificio 565
Cap. I. De natura et virtute sacrificii missae . . . . . *ib.*
Cap. II. De applicatione sacrificii missae 568
Cap. III. De obligatione celebrandi 570
Art. I. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii . . . . *ib.*
Art. II. De obligatione celebrandi ratione officii 571
Consultatio circa obligationem celebrandi missam pro populo festis a Pio VII. in Gallia suppressis 574
Responsum ad archiepiscopum Tolosanum circa eamdem obligationem, die 6. Aug. 1842. . 575
Art. III. De obligatione celebrandi ratione stipendii . . . . *ib.*
Appendix pro patribus societatis Jesu 580
Cap. IV. De tempore et loco celebrationis 583
Art. I. De tempore celebrationis . *ib.*
Art. II. De loco celebrationis . 586
Cap. V. De modo celebrandi . . 589
Art. I. De requisitis ad missam . *ib.*
Art. II. De rubricis 592

TRACTATUS DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Pars. I. — De essentia sacramenti poenitentiae seu de ejus natura, materia et forma . 597
Cap. I. De natura poenitentiae . . *ib.*
Cap. II. De materia sacramenti poenitentiae 599
Cap. III. De forma sacramenti poenitentiae 603
Appendix. De forma conditionata 605
Pars II. — De subjecto sacramenti poenitentiae seu de actibus poenitentis 610
Cap. I. De contritione . . . . *ib.*
Art. I. De contritione proprie dicta *ib.*
§. I. De necessitate contritionis . *ib.*
§. II. De dotibus contritionis . 613
§. III. De efficacia contritionis . 616
Art. II. De proposito 617
Cap. II. De confessione 620
Art. I. De necessitate confessionis . *ib.*
Art. II. De dotibus confessionis . 621
De integritate confessionis . . 622
§. I. De necessitate integritatis . *ib.*
Punctum I. De necessitate integritatis in genere . . . . . *ib.*
Punctum II. De peccatis dubiis . 625
Punctum III. De circumstantiis peccatorum 627
Punctum IV. De peccatis oblitis . 632
§. II. De causis ab integritate excusantibus 633
Punctum I. De causis ab integritate excusantibus in genere . . *ib.*
Punctum II. De confessione et absolutione moribundorum . . 637
Appendix de examine conscientiae 638
Art. III. De iteratione confessionis 640
Appendix I. De confessione generali 643
I. De necessitate vel opportunitate confessionis generalis . . *ib.*

Pag.
II. De modo peragendi confessionem generalem 644
Appendix II. Norma confessionis generalis per interrogationes instituendae 645
Cap. III. De satisfactione . . 647
Art. I. De impositione poenitentiae . . . . . ib.
Art. II. De impletione poenitentiae . 649
Appendix. De poenitentiis utilius imponendis 652
I. Opera pietatis . . . ib.
II. Opera mortificationis . . 653
III. Poenitentiae medicinales . 654
Pars III. De ministro poenitentiae 655
Cap. I. De potestate ministri . . ib.
Art. I. De approbatione . . ib.
Art. II. De jurisdictione . . 658
Appendix I. De jurisdictione et approbatione regularium . . 664
Appendix II. De jurisdictione respectu monialium . . . 670
Art. III. De casibus reservatis . 673
§. I. De reservatione casuum seu de principio et natura reservationis . . . . . ib.
Notanda circa reservationem ab episcopis faciendam ex Bened. XIV. (de syn. dioec. l. 5. c. 5. n. 4.) 674
§. II. De absolutione reservatorum 676
Appendix I. De absolutione proprii complicis in peccato turpi . 681
Appendix II. De sollicitatione in confessione 684
Cap. II. De officio ministri . . 691
Art. I. De officio ministri in confessione . . . . . ib.
Pag.
§. I. De muneribus confessarii . 691
Punctum I. De officio patris . ib.
Punctum II. De officio medici . 694
Punctum III. De officio doctoris . 695
Sectio I. De scientia confessarii . ib.
Sectio II. De obligatione docendi poenitentes 698
Punctum IV. De officio judicis . 700
Sectio I. De causa instruenda seu de obligatione interrogandi poenitentes . . . . . ib.
Regulae speciales circa praxim interrogandi 701
Sectio II. De sententia ferenda seu de absolutione concedenda, differenda aut deneganda . . 703
§. II. De agendi ratione cum variis poenitentium generibus . 705
Punctum I. De iis, qui versantur in occasione peccati . . ib.
Punctum II. De consuetudinariis et recidivis 707
Appendix. I. De negatione et dilatione absolutionis . . . 711
II. De consuetudinariis et recidivis 713
III. De occasionariis . . . 715
Punctum III. De poenitentibus piis 717
Regulae generales directionis . ib.
Art. II. De officio ministri post confessionem 718
§. I. De obligatione corrigendi defectus in confessione commissos ib.
§. II. De sigillo confessionis . 720
Punctum I. De obligatione sigilli ib.
Punctum II. De subjecto sigilli . 722
Punctum III. De objecto sigilli . 723
Punctum IV. De variis modis sigillum violandi. . . . 727

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

Cap. I. De natura et effectibus extremae unctionis . . . 731
Cap. II. De materia et forma extremae unctionis . . . . . ib.
Art. I. De materia hujus sacramenti ib.
Art. II. De forma extremae unctionis 734
Cap. III. De ministro extremae unctionis 735
Cap. IV. De subjecto extremae unctionis 737

TRACTATUS DE ORDINE.

Cap. I. De natura et divisione ordinis 740
Cap. II. De materia et forma ordinis 742
Cap. III. De ministro sacramenti ordinis 743
Cap. IV. De subjecto sacramenti ordinis 745
Appendix. De vocatione clericali . 749

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Cap. I. De sponsalibus . . . 751
Art. I. De natura sponsalium . ib.
Art. II. De obligatione et effectibus sponsalium . . . 753
Art. III. De dissolutione sponsalium 755
Cap. II. De bannorum proclamatione 758
Art. I. De necessitate bannorum . 758
Art. II. De circumstantiis bannorum 759
I. Circumstantia temporis . . ib.
II. Circumstantia loci . . . 760
III. Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, vagorum et famulorum . . . . ib.

Pag.
Art. III. De dispensatione bannorum 761
Art. IV. De revelatione impedimentorum 762
Cap. III. De natura et proprietatibus matrimonii 763
Art. I. De natura matrimonii . *ib.*
Art. II. De proprietatibus matrimonii, scilicet de ejus unitate et firmitate 769
§. I. De unitate matrimonii . . *ib.*
§. II. De firmitate matrimonii . 770
Punctum I. De firmitate matrimonii, quatenus spectat vinculum . *ib.*
Punctum II. De firmitate matrimonii, quatenus spectat torum, et de divortio a toro . . . 771
Cap. IV. De materia et forma matrimonii 774
Cap. V. De ministro et subjecto matrimonii . . . . . *ib.*
Art. I. De ministro . . . *ib.*
Art. II. De subjecto matrimonii . 778
Cap. VI. De impedimentis matrimonii 779
Art. I. De impedimentis matrimonii impedientibus . . . *ib.*
I. Ecclesiae vetitum . . . *ib.*
II. Tempus 780
III. Sponsalia 781
IV. Votum . . . . . *ib.*
Art. II. De impedimentis dirimentibus 783
§. I. De impedimentis dirimentibus in genere . . . . . *ib.*
Errores a Pio IX. damnati circa matrimonium ejusque impedimenta 786
§. II. De impedimentis dirimentibus in specie 787
Punctum I. De impedimento erroris et conditionis . . . . . *ib.*
Punctum II. De impedimento voti et ordinis 788
Punctum III. De impedimento cognationis 789
Sectio I. De cognatione naturali . *ib.*
Regulae ad gradus consanguinitatis computandos 790
Gradus consanguinitatis . . 792
Sectio II. De cognatione spirituali . 793
Sectio III. De cognatione legali . 795
Punctum IV. De impedimento affinitatis 797
Gradus affinitatis 798
Punctum V. De impedimento honestatis publicae 801
Punctum VI. De impedimento criminis 802
I. Adulterium solum . . . *ib.*
II. Homicidium solum . . . *ib.*
III. Utrumque simul . . . 803

Pag.
Punctum VII. De impedimento disparitatis cultus 804
Punctum VIII. De impedimento vis seu metus 808
Punctum IX. De impedimento ligaminis 809
Punctum X. De impedimento aetatis *ib.*
Punctum XI. De impedimento clandestinitatis 810
Sectio I. — De vi decreti concilii Tridentini . . . . . *ib.*
Sectio II. — De adsistentia parochi . 815
I. Qualis parochus adsistere debeat *ib.*
II. Quomodo parochus adsistere debeat 819
Punctum XII. De impedimento impotentiae 820
Punctum XIII. De impedimento raptus 822
§. III. De dispensatione ab impedimentis matrimonii dirimentibus . 824
Punctum I. De potestate dispensandi . . . . . *ib.*
Punctum II. De causis dispensationis 826
Punctum III. De modo dispensationem petendi 833
Formulae ad postulandas dispensationes 839
I. A Dataria. . . . . *ib.*
II. A Poenitentiaria . . . *ib.*
Cap. VII. De revalidatione matrimonii 840
Art. I. De revalidatione matrimonii irriti ob defectum consensus . 841
Art. II. De revalidatione matrimonii irriti ob defectum formae praescriptae 842
Art. III. De revalidatione matrimonii irriti ob inhabilitatem partium . 843
§. I. De revalidatione matrimonii modo ordinario . . . . . *ib.*
§. II. De revalidatione matrimonii cum dispensatione in radice . 846
Cap. VIII. De debito conjugali . . 848
Art. I. De liceitate actus conjugalis *ib*
§. I. De liceitate actus conjugalis in se spectati . . . . . *ib*
§. II. De liceitate actus conjugalis quoad circumstantias. . . 8
I. De circumstantiis personae . 8
II. De circumstantiis modi vel situs 8
III. De circumstantiis temporis . 8
Art. II. De obligatione actus conjugalis 8
Art. III. De peccatis conjugum . 8
§. I. De peccatis conjugum per excessum . . . . . .
§. II. De onanismo in particulari .
Decisiones Sacrarum Congregationum circa onanismum . .

TRACTATUS DE CENSURIS.

Pag.
Cap. I. De censuris in genere . . 863
Art. I. De natura, divisione et conditionibus censurarum . . ib.
I. Natura censurae . . . ib.
II. Divisio censurarum . . . 864
III. Conditiones censurarum . . 865
Art. II. De principio seu auctore censurarum 868
Art. III. De subjecto censurarum . 871
Art. IV. De absolutione a censuris . 874
Cap. II. De censuris in specie . . 880
Art. I. De excommunicatione . . ib.
§. I. De natura et divisione excommunicationis . . . . . ib.
§. II. De effectibus excommunicationis 882
I. Privatio sacramentorum . . 883
II. Privatio divinorum officiorum . 884
III. Privatio suffragiorum communium Ecclesiae 885
IV. Privatio sepulturae ecclesiasticae 886
V. Privatio jurisdictionis ecclesiasticae 887
VI. Privatio beneficiorum . . 888
VII. Privatio communicationis forensis . . . . . ib.
VIII. Privatio societatis civilis . 889
§. III. De praecipuis excommunicationibus in particulari . . ib.
Punctum I. Excommunicationes Papae reservatae . . . . ib.
I. Contra omnes . . . . ib.
II. Contra clericos et religiosos . 893
Punctum II. Excommunicationes jure episcopis reservatae . . . 894
Punctum III. Excommunicationes non reservatae 894
Punctum IV. Excommunicationes ferendae sententiae . . . 895
Appendix I. De crimine haeresis, lectione pravorum librorum et indice 896
I. De crimine haeresis . . . ib.
Principia circa absolutionem ab haeresi . . . . . ib.
II. De lectione pravorum librorum 897
III. De indice librorum prohibitorum 898
Regulae indicis praecipuae, Tridentini jussu editae . . . 899
App. II. De clausura monasteriorum 901
I. Quoad ingressum in monasteria. ib.
II. Quoad egressum e monasteriis. 903
I. Ex parte monialium . . ib.
II. Ex parte religiosorum . . ib.
III. Quoad collocutionem ad crates cum monialibus. . . . ib.
Art. II. De suspensione . . . 904
Suspensiones Papae reservatae . 907
I. Contra episcopos . . . ib.
II. Contra regulares . . . 908
III. Contra clericos . . . ib.
Suspensiones episcopis reservatae . ib.
Appendicula. De depositione et degradatione. 909
Art. III. De interdicto . . . 910
Interdicta personalia generalia . 911
Interdicta personalia specialia . 912
Interdicta localia . . . . ib.
Appendix I. De cessatione a divinis ib.
Appendix II. De privatione sepulturae ecclesiasticae 913

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

Cap. I. De irregularitatibus in genere 916
Cap. II. De irregularitatibus in particulari 919
Art. I. De irregularitatibus ex defectu ib.
I. Ex defectu animi . . . ib.
II. Ex defectu corporis. . . 920
III. Ex defectu natalium . . 921
IV. Ex defectu aetatis . . . ib.
V. Ex defectu libertatis . . 922
VI. Ex defectu sacramenti . . ib.
VII. Ex defectu lenitatis . . 923
VIII. Ex defectu famae . . . 924
Art. II. De irregularitatibus ex delicto 925
I. Baptismi iteratio atque mala susceptio . . . . . ib.
II. Ordinum usurpatio aut illicita susceptio 926
III. Violatio censurae . . . ib.
IV. Crimina enormia . . . 927
V. Homicidium et mutilatio . . ib.

APPENDIX DE INDULGENTIIS ET JUBILAEO.

Cap. I. De indulgentiis . . . 930
Cap. II. De jubilaeo 943
Conditiones ad jubilaeum requisitae 945
Decisiones praesertim recentiores curiae romanae circa indulgentias . . 950
Postulatum circa confessionem ad lucrandas indulgentias requisitam . ib.
Postulatum de tabellis s. viae crucis exercitio inservientibus . . . 951
Postulatum de requisitis ad indulgentias pro exercitio viae crucis lucrandas ib.
Responsum S. Congr. Indulg. circa varias indulgentias 952
Decreta quoad erectionem et aggregationem confraternitatum . . . ib.
Decisiones confraternitatem B. Mariae de Carmelo concernentes . . 953
Translatio indulgentiarum alicui festo adnexarum, quando transfertur ipsum festum 956
Varia quaesita circa indulgentias . ib.

Pag.
Postulatum relate ad coronas in speciem annuli confectas 957
Postulata de interventu ordinarii quoad indulgentias a Sede Apostolica concessas . . . . . *ib.*
Postulatum de communione pro indulgentia visitationis pastoralis, missionis, benedictionis papalis et jubilaei 958
Postulata de indulgentia in articulo mortis 959
Postulata de altari privilegiato . . 962
Postulatum de indulgentia Portiunculae 966
Postulata de rosario et corona S. Birgittae . . . . . *ib.*
Indulgentiae concessae pro festis Domini Nostri, B. V. Mariae etc. . 968
De extensione indulgentiarum . . 969

APPENDIX. PROPOSITIONES DAMNATAE.

Propositiones damnatae ab Alexandro Papa VII. 970
Propositiones damnatae ab Innocentio Papa XI. 972
Propositiones duae damnatae diversis temporibus 975
Propositiones duae ab Alexandro Papa VIII. damnatae . . . *ib.*
Propositiones ab eodem pontifice damnatae 976

Tabella auctorum plerorumque in opere relatorum 978
Index alphabeticus 982

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Habes, humanissime lector, in hoc exiguo libello brevem illam quidem, at integram, nisi fallor, rei moralis theologicae tractationem, ex probatissimorum doctorum tum veterum, tum recentiorum doctrina concinnatam. Cum autem proximis hisce temporibus praeclaram huic scientiae lucem affuderit ex supremo S. Sedis judicio S. Alphonsus de Ligorio, nil potius certiusque visum mihi est, quam ut egregium hunc ducem sequerer ejusque doctrinam nova quadam forma ac ordine digestam exhiberem.

Quoad methodum vero, quae planior visa est, hanc libentissime secutus sum. Itaque in ipsis cujusvis tractationis exordiis rei definitionem ac circumscriptionem habebis, utque ea accuratissima esset ac bene in rem quadraret, omnem operam collocavi. Hinc varias reperies subjectae materiae divisiones seu diversas veluti facies, quas variis ex partibus spectata res offert. Re ita in medio constituta et in lumine collocata, gradus fiet ad principia, quibus tamquam totidem cardinibus tota versatur variarum quaestionum solutio. Haec non multa quidem erunt, sed ea tamen, quae totam in se vim contineant quaeque a gravioribus theologis prolata communi suffragio sanciri meruerint. His constitutis, facilis erit et disputatio, et ad consectaria descensus seu ad solutionem quaestionum, quod in re morali theologica finis immediatus est. At, quoniam in hisce disciplinis vix ullum reperias punctum, in quo et ipsi inter se doctores consentientes sint, locus erit opportunus controversiis dirimendis, quod ad modum quaestionum praestabo, oppositas inter se sententias committens, quamque praestabiliorem aut vere probabilem arbitror, subindicans. Haec via, hic ordo totius propemodum tractationis. Desiderabis aliquando uberiorem rationum copiam, majorem auctoritatum numerum, pleniorem etiam alicubi explicationem. Tunc vero non abs re fuerit, si hoc nil aliud, quam compendium esse memineris, in quo, si quid desit ex iis, quae suis rem numeris absolutam redderent, desiderabitur profecto illud, quod compendio deesse omnino debet.

Ad locutionem quod attinet, in ea brevitatem pro rerum natura

invenies, siccitatem non raro procul dubio reprehendes. Ad brevitatem quod spectat, ut hujuscemodi opus postulabat, eam quam maxime sectatus sum: ita tamen, ut ne, dum *brevis esse laboro, obscurus* fiam. Itaque nec vi verborum obrueris, nec in tenebris umquam, ut spero, versaberis. Ad siccitatem vero quod pertinet, illud mihi semper certum persuasumque fuit, lepores veneresque dictionum ab hisce rebus, quas tracto, esse vehementer alienas. Igitur, dummodo res perspicua sit, sin minus venusta ac compta appareat, non admodum sollicitus sum. Clavem thesauro hujus scientiae recludendo parem tibi praebere, mens mea est. At tua, inquies, clavis ferrea est. Esto; modo aperiat, satis erit. Experire usum et, si thesaurum moralium disciplinarum reserare valeat, nihil aliud mihi in votis est. Amplam laboris mei mercedem recipiam, si hoc opusculum in majorem Dei gloriam tuamque utilitatem cedat. — Unum restat, ut te orem, humanissime lector, benevolo sis animo et, si quando venia aliqua danda sit, benignius impertias rogo. Vale.

DECLARATIO

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS

quoad opera S. Alphonsi de Ligorio ad effectum canonizationis, probata a S. P. Pio VII. die 15. Maji 1802: „Nihil censura dignum fuit repertum et procedi potest ad ulteriora."

RESPONSUM

SACRAE POENITENTIARIAE

Illustrissimo domino card. de Rohan, archiepiscopo Vesuntionensi, datum circa doctrinam S. Alphonsi de Ligorio.

POSTULATUM

ad Em. Card. de Gregorio, Majorem Poenitentiarium.

Eminentissime!

Ludovicus Franc. Augustus Card. de Rohan-Chabot, archiepisc. Vesuntionensis, doctrinae sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes dioecesis suae, qui curam gerunt animarum; quorum nonnullis impugnantibus ac prohibentibus theologiam moralem *B. Alph. M. a Ligorio* tamquam laxam nimis, periculosam saluti et sanae morali contrariam, S. Poenitentiariae oraculum requirit suppliciter, ac ipsi unius theologiae professoris sequentia dubia proponit solvenda:

1° Utrum sacrae theologiae professor opiniones, quas in sua theologia morali profitetur *B. Alphonsus a Ligorio,* tuto sequi ac profiteri possit?

2° An sit inquietandus confessarius, qui omnes *B. Alph. a Ligorio* sequitur opiniones in praxi s. poenitentiae tribunalis hac sola ratione, quod a Sede Apostolica nihil in operibus illius censura dignum repertum fuerit?

Confessarius, de quo in dubio, non legit opera b. doctoris, nisi ad cognoscendam accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve, quibus variae nituntur opiniones; sed existimat, se tuto agere eo ipso, quod doctrinam, quae nihil censura dignum continet, prudenter judicare queat sanam esse, tutam nec ullatenus sanctitati evangelicae contrariam.

S. Poenitentiaria, perpensis expositis, rvdmo in Christo patri S. R. E. Card. Arch. Vesunt. *respondendum* censuit:

Ad 1um Quaesitum: ***Affirmative, quin tamen reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.***

Ad 2um Quaesitum: ***Negative, habita ratione mentis S. Sedis circa approbationem scriptorum servorum Dei ad effectum canonizationis.***

Datum Romae in S. Poenitentiaria, 5. Julii 1831.

A. F. De Retz, S. Poenit. Reg.

Nota. Ex hisce decretis sequitur:

1° nihil in operibus s. episcopi reperiri, quod rectae fidei et bonis moribus contrarium sit;

2° s. doctorem inter sententias, quae *vere* controversae sunt, nonnisi eas sibi adpropriasse, quae probabiles haberi debent.

Hinc unusquisque catholicus, qui non valet ulterius de veritate opinionum inquirere, potest prudenter sequi magistrum et doctorem illum, qui nihil scripsit censura dignum, quae obstaret canonizationis actis, quique ob heroicas suas virtutes judicio Ecclesiae inter coelites publice adnumerari meritus est, cui proinde cum doctrina non defuit heroica prudentia et subjectio legi Dei et Ecclesiae ejus. Neque ille, cui scientia praesto est, ut ipse inquirat, reprehendi potest, si sententias *S. Alphonsi* in sensu supra indicato et ipse profiteatur. — Cf. *Act. vol. 1. fasc. 8. p. 497. et seq.* Idem hisce verbis exponit *Scavini* (*tom. 1. n. 114. not. 3.* edit. 10a.): „Theologi triplicem distinguunt approbationem. Alia est *definitiva,* si nempe Ecclesia aliquam doctrinam certam ac sequendam ab omnibus declaret, adeo ut, qui contra sentiat, contra Ecclesiam sentiat. Alia est *electiva* seu *positiva,* si doctrina ab Ecclesia extollatur et commendetur, uti quae tuto in praxi teneri potest, quin

tamen sint reprehendendi, qui contrariam sequuntur. Alia *permissiva*, si Ecclesia doctrinam ab omni censura immunem declaret, quin tamen ideo de ipsa aliquid positive decernat vel eam laudet. — Porro *tertiam* approbationem convenire operibus *S. Alphonsi*, constat ex istorum operum revisione, in qua *ab omni censura* dicta sunt immunia. *Secundam* vero convenire, patet tum ex decreto de ejus virtutibus, tum ex bulla beatificationis et canonizationis, ubi illius scripta quam maxime laudantur. Prima autem approbatio utique non convenit." — (*Editor Ratisbon.*)

ADNOTANDA.

I. CIRCA MODUM CITANDI AUCTORES.

1. Nonnulla nomina, quae frequentius in hoc opere occurrent, brevitatis causa per syncopen scribentur. Praecipua sunt:

Trid. (Concilium Tridentinum.)

Catech. Trid. (Catechismus concilii Tridentini.)

Act. (Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem geruntur. — Romae.)

S. Thom. v. g. *2. 2. q. 55. art. 1.* (S. Thomas in summa, parte secunda secundae, quaestione 55., articulo 1.)

S. Lig. (S. Ligorius in opere majori theologiae moralis.) — *S. Lig., Hom. apost.* (S. Ligorius in compendio ab ipso s. auctore confecto, cui titulus: *Homo apostolicus.*)

Anal. J. P. (Analecta juris Pontificii. — Romae.)

Salm. vel *Salmant.* (Theologia moralis Salmanticensium, religiosorum nimirum carmelitarum in collegio Salmanticensi professorum.)

Coll. Andegav. (Collationes Andegavenses, *Conférences d'Angers.*)

Lug. vel *Lugo* (Cardinalis de Lugo); *Ronc., Busemb., Bonac., Tambur., Scav.* (Roncaglia, Busembaum, Bonacina, Tamburini, Scavini.)

C. A. 174. (Codex austriacus seu Bürgerliches Gesetzbuch für Oesterreich §. 174.)

Adde alias non paucas usu communi receptas abbreviationes, quas inutiliter referremus.

2. Quoties aliquis numerus ex variis auctoribus indicabitur, is ad tractatum ejusdem rei, de qua agitur, apud illos auctores referendus erit; sic v. g., si in tractatu de legibus reperias: *S. Lig. n. 40.*, intelligas: *S. Lig. n. 40. in tractatu de legibus.* Quodsi quando locus citatus ad diversum tractatum spectet, id expresse a nobis indicabitur.

3. Auctores varios ad confirmandam nostram doctrinam adductos ad majorem tractationis perspicuitatem post expositas rei rationes retulimus. Non ideo igitur rationes, saltem omnes, iisdem auctoribus indiscriminatim adscribendae sunt: eorum testimonium ad doctrinae potius, quam ad rationum confirmationem adducitur.

II. CIRCA MODUM RESPONDENDI SS. CONGREGATIONUM.

Occurrunt nonnumquam in responsionibus SS. CC. termini non ita facilis intelligentiae, qui explicandi sunt.

Dilata seu: differtur responsio, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficiliis solutionis.

Affirmative et amplius, negative et amplius seu: cum res fuerit in S. C. plus aequo discussa et plenis votis, prout jacet, decisa, non amplius admittitur tale quaesitum.

Nihil seu: non admittitur petitio, utpote incongrua.

Relatum vel *lectum* seu: cum relatum vel lectum fuerit in S. C. postulatum, non fuit admissum.

Reponatur seu: non datur responsio, sed petitio reponitur in archiviis S. Congregationis.

Spectare ad episcopum, ut ipse scil. provideat juxta canonicas sanctiones.

Qui modi haud contemnendi sunt, cum inducti sint ad evitandas longiores verborum circumlocutiones et quaelibet scientia et ars habeat suos.

PROOEMIUM.

Antequam ea pertractare incipiamus, quae nostrae huic scientiae bjiciuntur, operae pretium esse videtur, in ipso aditu aliquantulum nistere et ea, quae ad nostram doctrinam spectant, universim conlerare. Ac primo quidem *scientiae theologicae* est, non solum de iis putare divinae revelationis mysteriis, quae fidei dogmata appellantur, l etiam ad ea omnia se porrigere, quae ad hominum mores rite efgendos a Deo revelata et cum integro revelationis deposito Ecclesiae gisterio concredita sunt. Verum, cum humani mores non solum ta rectae rationis leges, sed etiam juxta revelatae voluntatis Dei mam exigendi sint, ut per supernaturalium virtutum actus ad supernaralem vitam et beatitatem dirigantur, manifestum est, prima nostrae entiae elementa non aliunde, quam ex fidei dogmatibus, esse accinda. Serviat igitur huic nostrae disciplinae humana ratio; fides o et judicium magisteriumque Ecclesiae praeeant in omni nostra disatione, necesse est. Jure igitur huic scientiae *theologiae moralis* nen factum est. Atque ex hoc ipso, quanta sit ejus laus ac digni. planum fit. Haec enim, immotis fidei catholicae dogmatibus innixa divinis ornata virtutibus, ad ipsum sanctitatis omnimodae culmen tingit. Haec scientia est, quae praecipuam hominis partem, cor uam, scrutatur, ejus morbis medetur, sordes abstergit eique tutam Deum viam inter tot humanae vitae scopulos, fide praelucente, comnstrat. Hinc facile apparet, quanti illa scientia habenda sit, quae ses Dei cooperatores, animarum rectores, efformat, ut suum ipsi offiam cognoscant et ad alios regendos subsidia, ad sanandos remedia, l benigne excipiendos paterna viscera habeant. Quae cum ita sint, mo est, qui non videat, quanta sit hujus scientiae non utilitas modo, l etiam necessitas. Idcirco *Gregorius Magnus* in libro *de pastoli officio* exclamat: ars artium regimen animarum. Quod post um alii doctores ac prima hujusce disciplinae lumina iisdem propemodum rbis ingeminare non dubitarunt. Quodsi viri scientia ac usu peritissimi n de hac re senserunt, si salebrosissimum inter omnia hoc officium

asserere non inficiati sunt, quid de iis sentiendum est, qui, vix dum aliquid de hac arte summis labiis degustarunt, ad formidandum hoc munus accedunt? Utinam rarius illud esset malum deplorandum, ut *caecus caeco ducatum praestans, uterque in foveam* collabatur! Ii igitur, qui ad hoc munus vocari se sentiunt, secum ipsi reputent alteque animo reponant, rem esse summi momenti studium illud, quod se suosque subjectos a tanto periculo eripere potest.

Hactenus de scientia moralis theologiae universim: nunc breviter de ejus partibus in suum ordinem distribuendis. Ac primo quidem *de natura actuum humanorum,* prout bonitatem et pravitatem moralem spectat, prima nobis erit disputatio, quae veluti fundamentum erit aliarum disputationum. Hinc duplex statuenda regula morum, altera quidem *interna,* quae est *ipsa conscientia,* altera *externa,* seu *humanae ac divinae leges.* Subinde de humanis actibus loquemur, prouti huic duplici normae consentiunt aut dissentiunt, seu *de peccatis* et *virtutibus.* Huc usque omnia generatim. Dein variae leges ac praecepta erunt in medium afferenda, ac praecipue *decalogi* atque *Ecclesiae,* ut exinde varia jura ac officia definiri queant. At, quoniam septimum decalogi praeceptum amplissimam quaestionem implicat *de justitia et jure* necnon *de contractibus,* tota haec disceptatio speciali loco tractabitur. — Venient deinde *varii hominum status* considerandi suaque unicuique propria officia inquirenda. Posthinc de subsidiis, quae Deus ad hominum salutem suppeditat, agemus, scilicet *de sacramentis.* Denique *de poenis ecclesiasticis* seu *de censuris et irregularitatibus* sermonem habebimus, quo totum hoc opus concludemus. Nunc tempus est, ut ad singula haec pertractanda ad majorem Dei gloriam accedamus.

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS.

PARS I.

TRACTATUS
DE ACTIBUS HUMANIS.

Cum theologia moralis tota versatur circa actus humanos efformandos, dirigendos atque perficiendos, exordium tractationis nostrae ab ipsis *humanis actibus* merito ducendum est.

Agendum igitur imprimis nobis est: 1° de notione, 2° de principiis, 3° de moralitate actuum humanorum.

CAPUT I.
DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

1. — Definitio: Actus *in genere* est determinatio potentiae, seu est facultas agendi in exercitio posita, vel etiam est exercitium facultatis agendi. — Ipsa potentia dicitur *actus primus*, et ejus determinatio *actus secundus*.

Actus vero *humanus* ille est, qui procedit a deliberata hominis voluntate, seu est actus procedens a voluntate libera cum advertentia ad bonitatem vel malitiam actus. Actus igitur humanus idem sonat, ac actus moralis.

Etenim ille solus potest dici *humanus* actus, qui procedit ab homine, in quantum homo est et differt a creaturis irrationabilibus. Porro homo ut *talis* tantum agit, quando in agendo utitur facultatibus sibi essentialibus, scilicet cognoscendi, volendi et libere se determinandi; ergo non datur actus *proprie* humanus, quin a deliberata hominis voluntate procedat. — *S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1.*

Hinc differt ab actu hominis, qui fit in homine vel ab homine absque ulla deliberatione, ut sunt actus indeliberati concupiscentiae seu motus *primo-primi*, vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii aut usu rationis quocumque modo destituti.

2. — Divisio: Actus humanus multiplex est:

1° *Elicitus* vel *imperatus*. *Elicitus* dicitur, si perficiatur a voluntate seipsam determinante *immediate*, absque ope alterius potentiae, ut in actu amoris, odii, desiderii. *Imperatus* vero est, si voluntas eum producat ope alterius potentiae, v. g. intellectus, ut in actu cogitandi, vel potentiae externae, ut in actu ambulandi, scribendi.

2° *Internus* vel *externus*. Actus *internus* ille est, qui internis animae potentiis tantum perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi. Actus vero *externus* seu *mixtus* ille est, quem voluntas per corporis organa producit. Actus internus specialius *actus* dicitur, et actus externus potius *actio* nuncupatur.

3° *Bonus, malus, indifferens*. Actus *bonus* dicitur ille, qui conformis est legi, sive naturali, sive positivae; *malus*, qui non est legi vel praecepto consentaneus; *indifferens*, qui nulla lege praescribitur vel prohibetur. — Actus bonus aut indifferens dicitur etiam *licitus*, actus vero malus *illicitus*.

4° *Naturalis* vel *supernaturalis*. *Prior* ille est, qui solis naturae viribus producitur; *posterior* vero, qui auxilio divinae gratiae perficitur.

5° *Validus* vel *invalidus*. Actus *validus* ille est, qui gaudet omnibus conditionibus ad effectum proprium producendum essentialibus. *Invalidus* autem ille est, qui aliqua conditione

essentiali caret. Sic est validus contractus, in quo requisita sive lege naturali, sive lege positiva ad ejus valorem reperiuntur. Secus invalidus est habendus.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM.

Tria numerantur: 1° cognitio, 2° voluntas, 3° libertas.

3. — Haec enim sunt constitutiva actuum humanorum seu ad quemlibet actum proprie humanum requisita, ut ex definitione actus humani patet. Voluntas cognitionem praeviam necessario supponit; nihil enim potest esse objectum voluntatis, quin prius ab ea ope intellectus apprehensum fuerit.

Hinc axioma: *Nihil volitum, quin praecognitum.* Utrumque autem supponit libertas. Etenim libertas est facultas eligendi seu ad actum aliquem sese determinandi; electio autem fieri nequit, nisi voluntate se ipsam in hanc vel in alteram partem praecognitam movente.

Cognitio idem est, ac conscientia, de qua in tractatu sequenti. Hic igitur tantum de voluntate seu de voluntario et de libero, nec non de utrique oppositis dicemus.

ARTICULUS I.
DE VOLUNTARIO.
§. I.
De voluntario in genere.

4. — Definitio: Voluntarium est actus procedens a voluntate cum cognitione finis, i. e. ex praevia cognitione intellectus. Ratio hujus definitionis patet ex modo dictis, seu ex necessitate praeviae cognitionis, ut voluntas ad actum determinari possit.

Hinc differt: 1° a *volito,* quod est tantum objectum actus voluntatis inefficacis, non vero effectus proprius voluntatis; sic pluvia in terram aridam effunditur juxta volitum seu votum agricolae, non autem ex ejus voluntate procedit; 2° a *spontaneo,* quod fit cum cognitione mere sensitiva, ut in brutis, aut mere materiali, ut in infantibus, amentibus, in hominibus distractis etc.

Nota. Spontaneum dicitur a nonnullis theologis convenire tantum brutis. Inclinatio autem agentis rationalis, qui rationis compos non est aut ad moralitatem actus non attendit, ab iisdem dicitur *voluntarium imperfectum;* sed quaestio haec nominis tantum est. Quoties igitur de voluntario agemus, de eo voluntario, quod ad ordinem moralem spectat, seu de voluntario, cui convenit definitio mox tradita, sermo erit.

5. — Divisio: Multiplex est voluntarium, scilicet:

1° *Perfectum* vel *imperfectum. Prius* est illud, quod fit cum plena cognitione et pleno voluntatis consensu. *Posterius* vero illud est, quod ex subobscura cognitione aut imperfecto consensu procedit.

2° *Voluntarium simpliciter* vel *secundum quid. Prius* est, quod fit ex plena voluntatis *determinatione,* non obstante etiam ejusdem repugnantia. *Posterius* vero illud est, quod fit cum aliqua repugnantia seu inclinatione voluntatis in oppositum. Proinde idem actus potest esse voluntarius *simpliciter* seu *vere* et *absolute* voluntarius, et involuntarius *secundum quid,* qualis est actus nautae, qui metu procellae adactus merces in mare projicit. (1) Hinc voluntarium *simpliciter,* voluntarium est proprie *perfectum,* cum voluntatis repugnantia, si adsit, perfectae cognitioni absolutoque consensui minime obstet.

3° *Directum* vel *indirectum. Prius* est illud, quod in se ipso seu *per se* intenditur, i. e. quod immediatum est objectum voluntatis, ut furtum a furo patratum vel occisio a malevolo homi-

(1) Alii aliter definiunt voluntarium simpliciter et illud reponunt in plena voluntatis *inclinatione.* Sed quaestio haec ad praxim parvi facit. — Alii vocant imperfectum voluntarium id omne, quod repugnante aliquatenus voluntate habetur; sed rectius ut perfectum habendum est, quotiens procedit ex perfecta cognitione mentis perfectoque consensu voluntatis: sufficit enim ad mortale peccatum in materia gravis prohibita. (Nota auctoris.)

cida intenta. *Posterius* illud dicitur, quod non est volitum *in se*, sed *in alio* directe volito, sive ut effectus in causa, sive ut aliquid ipsi connexum, v. g. ebrietas in potatione excessiva, vel homicidium ex temeraria lapidis projectione. (1)

4° *Positivum* vel *negativum*. *Prius* est actus procedens a voluntate per realem ejus influxum; seu illud est, quod actionem positivam requirit, puta lectionem, locutionem. *Posterius* illud est, quod procedit ex omissione actus a voluntate dependentis. Unde negative a voluntate procedens dicitur. Talis est omissio missae in eo, qui instantem ejus celebrationem advertens studio vacat.

5° *Expressum* vel *tacitum*. Dicitur quidem *expressum*, si verbis aut signis manifestetur; *tacitum* vero, si facto aliquo aut etiam omissione palam fiat. Sic peccata subditorum sunt superiori voluntaria et imputabilia, si iis se non opponat, *licet possit ac debeat*. Hinc regula 43. juris: *Qui tacet, consentire videtur*.

6° *Actuale, virtuale, habituale* et *interpretativum*. Dicitur 1° *Actuale*, si a voluntate actualiter influente procedat, ut v. g. contritio in eo, qui hic et nunc poenitentiae actum elicit. 2° *Virtuale*, si vi actus prius positi et in agentem moraliter influere pergentis proveniat, ut contritio in poenitente, qui dispositus quidem ad confitendum accedit, sed ad animi dolorem, dum absolvitur, non attendit. 3° *Habituale*, si olim fuerit quidem habitum nec retractatum, sed nunc neque directe, neque reflexe in voluntate perseveret aut in actum influat, nisi ex quodam influxu mere materiali et physico, ut contritio a poenitente jamdudum elicita et sub actu confessionis non renovata. 4° *Interpretativum*, si neque physice, neque moraliter est habitum, sed prudenter praesumi potest, quod haberetur, si de eo cogitaretur aut cogitari posset. Sic infirmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, recte praesumitur extremam unctionem velle suscipere.

Resolves:

6. — 1° In eodem actu haberi potest voluntarium directum, voluntarium indirectum et involuntarium. Exemplum: *Titius*, quaerens *Cajum* inimicum ad mortem, eum aggreditur cum periculo laedendi etiam ejus socium, quem cernit, comitantem; sed praeter utrumque glande ferit quoque *Sempronium*, quem neque videbat, neque hic adesse suspicari poterat. *Cajus* percutitur ex voluntario directo *Titii*, *socius* ex voluntario indirecto, et *Sempronius* praeter omne voluntarium.

2° Ubi nulla est advertentia ad praeceptum seu ad ordinem moralem, nullum est voluntarium *proprie* dictum i. e. rationem habens moralitatis, et proinde nullum peccatum. — *S. Lig. n. 8.*

3° Ubi est semiplena mentis advertentia, adest tantum semivoluntarium, quod non excedit peccatum veniale in violatione praecepti etiam gravis, ut evenit in semisopitis aut ad alia distractis. — Idem de imperfecto voluntatis consensu teneto. — *S. Lig. ibid.*

4° Aliquis actus potest esse voluntarius sub uno respectu, non vero sub alio, prout taliter vel aliter cognoscitur: sic qui occidit aliquem ignorans, illum esse sacerdotem, committit solum homicidium, non vero sacrilegium. — *S. Lig. ibid.*

5° Qui violat praeceptum, inductus timore humano aut minis sociorum, ponit actum *simpliciter voluntarium*, et quidem graviter peccaminosum in materia gravi, quia agit cum tota voluntatis determinatione, etsi aegre agat et libentius hoc non egisset; sed actus ille est etiam involuntarius *secundum quid*, et proinde minus culpabilis evadit. — *S. Lig. n. 13.*

6° Voluntarium non solum actuale,

(1) Voluntarium indirectum potest esse perfectum, seu fieri ex plena rei cognitione et proinde ex pleno consensu in volitione causae seu rei directe volitae; proinde *per se* a peccato mortali excusare non valet. (Nota auctoris.)

sed etiam virtuale in actus moralitatem aut validitatem efficaciter influit, ita ut ille actus sit bonus vel malus, validus aut invalidus; secus vero dicendum de voluntario habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione atque ex exemplis ibidem adductis manifestum fit.

7° Omissio potest esse voluntaria, sicut actus positivus voluntatis. Non tamen, secluso praecepto, potest esse ad culpam imputabilis. Sic omittens missam die feriali non peccat.

8° Ut omissio sit voluntaria et simul ad culpam imputabilis, requiritur 1° ut actus omissioni oppositus sit in potestate voluntatis; 2° ut adsit obligatio illum ponendi. — *S. Lig. n. 11.*

§. II.

De voluntario in specie.

Cum in ceteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

De voluntario indirecto.

Praenotanda:

7. — Voluntarium indirectum, ut dictum est, non intenditur *in se,* sed ex alio directe volito, velut effectus ex causa, cernitur secuturum. Est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex ea sequentem, si effectum hunc praevideat. Hinc effatum: *Qui est causa causae, est causa causati.* Sic, quando quis peccat coram aliis, scandalum ex ejus peccato proveniens rätione voluntarii indirecti ipsi imputatur.

Causa autem multiplex distinguitur, scilicet:

1° *Physica* vel *moralis. Prior* ea est, quae physice agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior* ea est, quae aliam causam libere agentem ad agendum determinat. Sic homicidium jubens, causa moralis est occisionis.

2° *Immediata* vel *mediata. Prior* ea est, quae effectum producit nulla alia intercedente causa; v. g. si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata ejus mortis. *Posterior* ea est, quae effectum non producit, nisi alia causa interposita. Hinc causa moralis est semper causa mediata.

3° *Proxima* vel *remota.* Dicitur *proxima,* si habeat connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu. *Remota* vero est, quae, licet effectum producere valeat, vim tamen magnam non habet et in illum non influit notabiliter, vel ea est, ex qua effectus ut plurimum non provenit.

4° *Causa per se* vel *per accidens. Prior* ea est, quae ex natura sua tendit et ordinatur ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* est ea, quae non est ex natura sua ordinata ad effectum, attamen aliquando, intercedente aliqua circumstantia, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. Plerumque haec ultima divisio in praecedentem recidit.

Nota. Effectus malus, sequens ex voluntario indirecto seu ex directa volitione causae, non semper est ad culpam agentis imputandus, sed ad sequentia principia attendendum est.

Principia
de voluntario indirecto.

8. — I. *Principium.* Triplex conditio requiritur, ut effectus agenti seu ponenti causam imputari queat, scilicet:

1° Ut agens effectum *saltem in confuso* praeviderit. Ratio est, quia effectus nullo modo praevisus nullatenus potest esse voluntarius; *nihil enim volitum, quin fuerit praecognitum.* Hinc ebrietas voluntaria non est ei, qui inebriatur ex modico vino, cujus vim ignorabat. (¹)

2° Ut agens potuerit non ponere causam; secus enim, deficiente libertate, necessario deficeret voluntarium. Aliun-

(¹) Plures theologi contendunt, sufficere ad culpam, ut malus effectus *potuerit* aut *debuerit praevideri.* Sed negandum est suppositum, scilicet posse praevideri effectum, si de facto non praevideatur, *saltem in confuso:* prima enim idea alicujus rei non est in hominis potestate. (Nota auctoris.)

de obligatio dari nequit, quando adimpleri non potest. Hinc axioma: *Nemo ad impossibile tenetur.* Hinc etiam *Aug., de lib. arb. II. cap. 18.: Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?*

3° Ut agens teneatur tollere causam aut eam non ponere. Si enim non detur obligatio vitandi causam, effectus ex illa sequens imputari nequit, quia agens jure suo utitur et se habet tantum permissive quoad effectum. Hinc motus inordinati non imputantur medico vel chirurgo in exercitio artis suae ut voluntarii, quia isti artem suam ad hunc effectum praecavendum omittere non tenentur, sed econtra justam habent rationem eam exercendi, ut ex principio sequenti magis declarabitur. — *S. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5.* — *Billuart diss. 1. art. 1.*

9. — II. *Principium.* Licet ponere causam bonam aut indifferentem, ex qua immediate sequitur duplex effectus, unus bonus, alter vero malus, dummodo bonus malum saltem compenset et finis agentis sit honestus. — *S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7.* — *Billuart diss. 1. art. 1.* et *de justitia diss. 8. art. 13.* — *Carrière, de just.,* ubi de participante, *n. 1197.*

Ratio hujus principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret vel ex intentione pravi effectus, vel ex positione causae, vel ex praevisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest.

Etenim 1° hoc illicitum esse non potest ratione finis, quippe qui supponitur honestus; 2° neque ratione appositionis causae, siquidem supponitur bona vel saltem indifferens; 3° neque ex praevisione pravi effectus; nam in hypothesi malus effectus saltem per bonum compensatur. Porro quisque jus habet ad bonum finem obtinendum ex causa honesta, ubi malo bonum non superatur; jus autem ad finem creat jus ad media etc.

Quatuor autem conditiones in hoc principio enuntiatae omnino requiruntur, scilicet ut honestus sit finis agentis, ut causa sit bona vel saltem indifferens, ut effectus uterque sit immediatus, et bonus malum compenset.(1)

Etenim: 1° Requiritur finis bonus, seu agens malum effectum intendere non debet, quia secus quid inordinatum intenderet et proinde peccaret. Ergo in pravo effectu nullo modo sibi complacere debet; imo necesse est, ut hujusmodi effectum cum displicentia cernat et cupiat, illum non produci, si fieri posset.

2° Requiritur causa bona vel saltem indifferens. Ratio evidens est. Etenim, si causa in se intrinsece mala foret, Deus ipse hanc permittere non potest, siquidem ejus perfectionibus opponeretur.

3° Requiritur, ut duplex effectus aeque immediate ex causa sequatur. Ratio est, quia, si causa directe et immediate pravum haberet effectum et nonnisi mediante illo pravo effectu bonus effectus proveniret, tunc bonum a malo oriretur; porro numquam fas est, malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcumque procurandum; nam juxta pervulgatum axioma ex apostolo depromptum *(Rom. 3. 8.) numquam sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam.

4° Requiritur, ut effectus bonus malum saltem compenset. Etenim ad recte agendum requiritur ratio ipsi actioni proportionata. Atqui deesset hujusmodi ratio, si bonus effectus malum non aequaret; bonus enim effectus nonnisi ex parte malum elideret. Ergo remaneret excessus mali effectus ab agente volitus *per se;* ergo relate ad excessum illum idem prorsus foret, ac si causa illius absque ulla ratione seu ullo bono poneretur; hoc autem evidenter illicitum est. Ergo praedicta compensatio necessario requiritur.

Nota. Eo major ratio requiritur ad agendum in tali casu, quo propinquius causa malum effectum attingit, quo probabilior

(1) Adde: ut adsit judicium prudens, agentem effectui illicito non consensurum. — Cf. *S. Lig., de peccatis n. 63.* et infra *n. 154. Q. 7.*

est malus effectus, vel quo minus jus ad actionem in se spectatam habetur.

Resolves:

10. — 1° Effectus malus, qui sequitur *per accidens* ex causa voluntaria, non est ad culpam imputabilis. Ratio est, quia talis effectus non est proprie voluntarius, nisi sit intentus. Etenim effectus ille non continetur in causa per necessariam connexionem, cum ad hujusmodi effectum causa non ordinetur. Ergo ponens causam in effectum efficaciter non influit; ergo effectus non est imputandus. — *Reuter n. 15.*

2° Voluntariae saepe sunt blasphemiae, impudicitiae, rixae aut injustitiae, quae in ebrietate fiunt, quia saepe praevideri possunt a bibulo et de facto sufficienter praevidentur ex consuetudine talia in hoc statu peragendi, et proinde sunt indirecte voluntariae et ad peccatum imputabiles in causa.

3° Non peccat belli dux, si tempore obsidionis ad arcendum hostem incendat agros etc., etsi per accidens patiantur incolae innocentes. Item, si incendat turrim, in qua cum hostibus casu peregrini bello extranei includuntur: quia causa damni hujus est in se honesta, et malum innocentium mere *per accidens* sequitur, nec intenditur, sed tantum permittitur.

4° Non peccat sacerdos, qui porrigit communionem peccatori occulto publice petenti, quia, quamvis sacrilegium sit malum ingens, tamen damnum publicum ex denegatione secuturum magis vitandum est.

5° Non peccat, qui pecunia eget nec aliunde habere potest, si mutuum petat ab usurario lucrum injustum exacturo, quia petitio pecuniae non est causa per se voluntatis percipiendi usuras, et usurario soli pravus suus animus est imputandus.

6° Peccat graviter puella ex delicto gravida, quae abortum procurat ad vitandam infamiam, quia ponit causam intrinsece malam, et in tali casu effectus bonus ex malo sequitur.

7° Advocatus non debet necessario omittere justam defensionem, ex qua secutura est mors injusti invasoris. Ratio est, quia vita innocentis praeponderat aut saltem aequivalet vitae nocentis. Non est igitur attendenda damnatio, quam subire debet malefactor, quia haec non sequitur ex justa invasi defensione, sed ex invadentis malitia, quae ipsi voluntaria ac libera erat.

8° „Si causa remote et leviter influat in effectum malum et ex ea etiam „sequatur aliquis bonus effectus, quamvis non praeponderet aut non aequivalcat malo, non est obligatio auferendi causam, quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter „tantum et remote influentem in malum, „quam si graviter et proxime influeret. „Hinc non teneris abstinere a colloquio „honesto et utili propter motus inde „exsurgentes.“ — Sic expresse *Billuart diss. 1. art. 1.*

9° „Si vero causa remote et leviter „influens sit in se venialiter mala aut „ex ea nullus sequatur bonus effectus, „erit tum obligatio eam auferendi, sed „levis et sub veniali tantum, nisi agatur de gravi damno proximi: quia „ista obligatio aestimanda est juxta „quantitatem influxus causae. Cum enim „effectus non sit voluntarius, nisi in „causa, et leviter ac remote contineatur in causa, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et ulterius levis obligatio „auferendi causam ob illum effectum. „Hinc teneris sub veniali abstinere a „conversatione honesta, sed inutili, vel „a lectione curiosa, sed qua praevides „secuturos motus inordinatos.“ — *Billuart ibid.*(1)

10° Omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, non potest esse, ne

(1) Quamvis causa aliqua sit graviter mala, effectus tamen ex illa praevisus etiam in materia alias notabili peccatum veniale tantum constituere potest, si scilicet causa illa est solummodo remota dispositio ad effectum et effectus ipse sub his circumstantiis malum grave dici nequit. — Cf. *Lessium, de just. l. 4. c. 3. n. 99. et seq.* — V. infra *n. 429. II.* cum *nota.*

indirecte quidem, voluntaria, quia illi actus sunt impossibiles, cum sint penitus ignoti. Attamen talis omissio potest esse *indirecte* voluntaria et imputabilis, si oblivio ex praecedenti negligentia *virtualiter* proveniat.

11° Qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti ipsius malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur, eamque ut volitam confiteri tenetur.

Nota. Innumerae aliae casuum solutiones fient passim ex iisdem principiis de voluntario indirecto, praesertim ubi de scandalo, necnon de cooperatione in peccatum alterius et in damnum proximi.

ARTICULUS II.
DE LIBERO.

11. — Definitio: Liberum est illud, quod procedit a voluntate seipsam determinante cum potentia ad oppositum vel aliud diversum. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi, seu facultas unum eligendi prae alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa.

Nota. Licet liberum et voluntarium in se distinguantur, ut patet ex definitione utriusque, practice tamen loquendo in homine *viatore* reapse non distinguuntur; quoties enim actus aliquis est vere liber seu libere positus, est etiam voluntarius, et vice versa.

Divisio: Variae speciei libertas datur:

1° Libertas a *necessitate,* i. e. libertas indifferentiae seu electionis, quae est immunitas ab omni necessitate intrinseca antecedente, et est libertas proprie et stricte dicta.

2° Libertas a *coactione* seu libertas *spontaneitatis,* quae est immunitas ab omni violentia extrinseca.

3° Libertas *contradictionis* vel *contrarietatis,* prout est facultas se ferendi ad contradictoria, v. g. studendi aut non studendi; vel est libertas se ferendi ad contraria, v. g. amandi aut odio habendi.

4° Libertas *specificationis,* quae est facultas se ferendi ad diversa, v. g. ambulare, ludere etc.

His praemissis catholicae doctrinae praecipua fundamenta paucis subjicienda sunt.

PROPOSITIO I°.

12. — *Homo in statu naturae lapsae liber est ab omni necessitate intrinseca.*

Constat 1° *ex scriptura sacra.* Sic enim *Eccli. 31. 10.: Erit illi gloria aeterna, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit.* Et *Eccli. 15. 14.: Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris servare mandata, conservabunt te .... ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Eadem doctrina ex sexcentis aliis s. scripturae locis confirmatur.

2° *Ex ratione.* Homo potest mereri et demereri, seu elicere actus meritorios et demeritorios juxta omnes. Atqui ad hoc requiritur libertas a necessitate; etenim, nisi homo esset liber, non esset dominus actus sui, cum non posset eum ponere vel ab eo abstinere; ergo actus ille non posset ipsi imputari neque ad meritum, neque ad poenam. Et vero ad quid praecepta homini imponerentur? Ad quid prodessent adhortationes? Ad quid praemia, minae et poenae, nisi homo libertate potiretur? Praeterea constat ex sensu intimo, cum homo se sentiat liberum, et aliunde sensus intimus fallere nequeat.

3° *Ex definitione Ecclesiae.* Sic enim sancitum fuit in *concilio Trid. sess. 6. can. 5.: Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo . . . anathema sit.*

Confirmatur ex damnatione *prop. seq.* Jansenii ab Innocentio X. facta: *Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

PROPOSITIO II^a.

Homo viator non tantum est liber libertate contradictionis, sed etiam libertate contrarietatis, qua ad malum ferri potest.

Constat ex omnibus rationibus et testimoniis mox relatis, v. g. ex illis verbis: *Potuit transgredi . . . facere mala etc.*

Tota autem essentia liberi arbitrii sita est in libertate contradictionis; tota enim ejus essentia praecise consistit in eo, quod sit facultas agendi vel non agendi, seu eligendi hoc vel illud, aut neutrum volendi; atqui hoc praestat libertas contradictionis, ut patet. Ergo. Hinc potentia peccandi non est de ratione liberi arbitrii. — *Antoine c. 2. art. 1. Vide plura de libertate in theologia dogmatica.*

ARTICULUS III.

DE OPPOSITIS VOLUNTARIO ET LIBERO.

Quatuor dantur, scilicet: ignorantia, concupiscentia, metus et vis seu violentia.

§. I.

De ignorantia.

13. — Definitio: Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiae.

Divisio: Distinguitur ignorantia

1° *Positiva* vel *negativa,* prout est carentia scientiaé debitae, et tunc est potius inscientia; vel carentia scientiae indebitae, v. g. ignorantia juris canonici in rustico.

2° *Juris* vel *facti,* prout versatur circa legis, vel facti particularis exsistentiam.

3° *Vincibilis* vel *invincibilis,* prout, adhibita diligentia, vinci potest, vel non. — Est autem *physice* invincibilis, si nullo modo vinci possit; *moraliter* vero invincibilis, si adhibita morali diligentia tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes in re gravis momenti adhibere solent. Non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem in *confuso,* obligatio ulterius inquirendi, quia prima idea non est in hominis potestate, juxta dicta supra *n. 8.*

4° Ignorantia *antecedens* ea est, quae praecedit omnem mentis cogitationem, *consequens* vero, quae eam aliquo modo praehabitam subsequitur.(1)

Ignorantia vincibilis subdividitur in *facile* vel *difficile* vincibilem, prout facile aut difficilius superari potest. — Iterum ignorantia *facile* vincibilis triplex distinguitur, scilicet: 1° *simpliciter talis;* 2° *crassa* seu *supina,* quae ita facile vinci potest, ut nonnisi ex maxima negligentia perseveret; 3° *affectata,* quae habetur, quando quis media ignorantiam deponendi voluntarie excludit ad liberius peccandum. — *S. Lig. n. 26. et seq.*

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta et inadvertentia plena. Hae autem, si non sint perfectae et ex negligentia procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

Principia

14. — I. Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium, quia nullum esse potest voluntarium, ubi nulla est cognitio; voluntas enim in objectum totaliter incognitum ferri nequit, juxta axioma: *Nihil volitum, quin fuerit praecognitum.* Nullus igitur actus ex ignorantia invincibili procedens agenti imputari potest.

Sic pariter de oblivione et inadvertentia perfecta statuendum, cum eadem ratio recurrat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia est vere voluntaria, sive directe, sive indirecte. Attamen voluntarium minuit ratione difficultatis eam vincendi, seu prout illa difficultas major vel minor est. — Idem quoque de oblivione et inadvertentia imperfecta dicito ob rationis paritatem.

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata nullatenus minuunt voluntaria-

(1) Hic mentio quoque facienda ignorantiae concomitantis, ejus scilicet, qua quis ignorat, quid agat, sed adhuc ageret, licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit, ideoque nec voluntarium, nec involuntarium causat. — *Scav.*

rium nec liberum, nec proinde peccatum. Ratio est, quia prior ex tanta oritur negligentia, ut excusare nullo modo queat; posterior vero de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves:

1° Conjux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suae. reus est adulterii, non tamen incestus. utpote invincibiliter ignorati.

2° Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiae vel suspicione malitiae, reipsa formaliter non peccarunt, etsi jam usum rationis adepti fuerint, et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum esse illicita intelligunt. cum peccata materialia non sint materia confessionis.

3° Si confessarius vel judex advertat. sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum officio suo, ut oportet, et negligat scientiam acquirere aut, antequam illam acquirat, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus ex ignorantia commissis, quos praevidit saltem aliquo modo, quia sunt ipsi voluntarii saltem in causa.

4° Si negligentia in deponenda ignorantia sit tantum venialiter culpabilis, error ex ea sequens erit tantum imputabilis ad culpam venialem, quia culpam in ea negligentia ex cognitione, quam quis habuit, dimetimur. — *S. Lig. n. 26.; de consc. n. 3. et seq.; de leg. n. 168.*

Vide plura alia de ignorantia alibi passim, imprimis in tractatu de conscientia, de legibus, de peccatis et de contractibus in genere, ubi de errore.

§. II.

De concupiscentia.

15. — Definitio: Concupiscentia est motus (1) appetitus sensitivi, quo voluntas fertur ad bonum sensibile.

(1) inordinatus — *S. Lig. n. 23.* — Principia vero, quae in concupiscentiam quadrant, etiam ad habitus malos extendenda sunt. — *Scav.*

Divisio: Duplex distinguitur: alia *antecedens* et alia *consequens*. *Prior* ea est, quae omnino antecedit advertentiam mentis, ut fit in motibus *primo-primis* concupiscentiae. *Posterior* autem ea est, quae praevium voluntatis consensum subsequitur.

Concupiscentia vero *antecedens* potest esse omnino talis, vel ex parte tantum mentis advertentiam praecedere, et tunc, si voluntas nullatenus ei consentiat, habetur motus *primo-primus;* si vero imperfecte consentiat, motus *secundo-primus* dicitur.

Principia:

I. Actus procedens ex concupiscentia omnino antecedenti est quidem plane spontaneus seu ex materiali voluntate, sed non est ullo modo formaliter voluntarius et liber; sublata enim penitus mentis advertentia, deficiat totaliter libertas et voluntas necesse est.

II. Actus autem procedens ex concupiscentia ex parte tantum seu *secundum quid* antecedenti, erit imperfecte voluntarius et liber, et proinde imputandus quidem erit ad culpam, sed veniale peccatum non excedet.

III. Concupiscentia mere *consequens*, cum sit ipsa voluntaria, non tollit nec minuit rationem voluntarii nec liberi, imo actum reddit magis voluntarium ratione intensitatis et spontaneitatis majoris. — *S. Thom. 1. 2. q. 77. art. 6.* — *S. Lig. n. 23.*

Resolves:

16. — 1° Saepe motus concupiscentiae omni culpa vacant, quia sunt *primo-primi* seu praecedunt omnem mentis advertentiam, ut sequitur ex I. principio.

2° Saepe etiam in materia gravi sunt tantum culpa levis, scilicet quando sunt *secundo-primi* seu cum levi advertentia habentur, ut ex II. principio patet.

3° Diligenter compescendi sunt motus concupiscentiae valde periculosi, maxime in re venerea, in qua praeser-

tim non possunt retineri ad luctam nec ad virtutis exercitium.

4° Motus concupiscentiae rejiciendi sunt saltem per simplicem voluntatis denegationem seu displicentiam, nec sufficit, se habere neutraliter tantummodo (¹), quod facile posset esse mortale in materia luxuriae. Ante omnia conandum est animum ad alia divertere. — Ita *communiter theologi.* — *S. Lig., de peccatis n. 6.*

5° Non est tamen obligatio positive resistendi *motibus carnalibus,* si talis resistentia magis ac magis illos excitet. Nec a fortiori resistentia corporalis requiritur. — *S. Lig. ibid. n. 9.*

6° Si tentatio diu protrahatur, non est necesse continuo ei positive obsistere, quia hoc nimis molestum foret et scrupulis innumeris obnoxium. — Ita *Billuart diss. 1. art. 8. et alii communiter.*

7° Non requiritur resistentia directa motibus concupiscentiae; imo in tentationibus contra fidem, caritatem et praesertim contra castitatem resistentia mere indirecta potius consulenda est. — *S. Lig. ibid. n. 8.*

Quaeres: *Quaenam sunt remedia contra motus concupiscentiae adhibenda?*

Resp. Generatim ea, quae eorum causis opponuntur. Hinc, si proveniant ex phantasia, haec compescenda est aut ad alia convertenda; si ex objectis externis aut occasionibus, haec fugienda, nisi justae rationes contra militent aut ab omnibus objectis quis moveatur; si ex complexione vel humorum abundantia, mortificatio colenda est; si ex timore, ille vincendus est, seu spernendi sunt motus.

(¹) Negative se habere in tali casu, si motus attingat objectum sub gravi prohibitum nec adsit causa a positiva resistentia excusans, juxta veriorem sententiam veniale tantum est, nisi timendum periculum consensus. — *S. Lig., de peccatis n. 6.* Cf. etiam *n. 7. et sequentes.*

§. III.

De metu.

17. — Definitio: Metus et trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum.

Divisio: Metus sic communiter dividitur, scilicet:

1° Metus *gravis* vel *levis,* prout timetur grave malum, ut mors, mutilatio, dura carceratio, notabile famae detrimentum, magna bonorum jactura etc.; vel leve econtra et mediocre incommodum, ut amissio rei levis momenti, exiguum famae detrimentum etc. (¹)

Metus autem gravis est vel *absolute,* vel *relative* talis. Metus dicitur *absolute gravis,* cum mala in se vere gravia timentur; *relative gravis,* quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad varias personas; sic pueri, mulieres, senes timore majori, ceteris paribus, affici solent, quam viri aetate maturi.

2° Metus ab *intrinseco* vel ab *extrinseco,* prout provenit a causa intrinseca, v. g. a morbo, ab infirmitate mentis etc., vel a causa extrinseca sive libera, nempe ab homine, sive necessaria seu naturali, ut ex elementis, contagione etc.

3° Metus *juste* vel *injuste* incussus, prout causa *justa,* metu videlicet poenarum justarum, vel *injusta,* hoc est per injuriam, causatur.

Distinguitur etiam metus reverentialis, qui habetur, quando quis timet, ne parentes suos aut superiores offendat. Ad metum levem *per se* refertur. Fit tamen gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur.

Principia:

18. — I. Actus ex metu quantumvis gravi positus est *simpliciter* et *absolute voluntarius et liber,* quamdiu rationis usum non adimit. Ratio est, quia illud, quod procedit ex metu, *per se* absolute et efficaciter procedit a vo-

(¹) Merito addit *Scavini:* vel incommodum etiam grave, sed ex levi causa aut quod facile averti possit.

luntate. Etenim vi metus non tollitur cognitio ex parte mentis, nisi penitus mens perturbetur, neque electio ex parte voluntatis, quae semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. — *S. Lig. n. 21.*

Hinc habiti semper sunt ut apostatae ii, qui metu tormentorum victi fidem negarunt. — Est tamen *secundum quid* involuntarius, et sic minuit culpae gravitatem.

II. Si metus rationis usum auferat, actus voluntarius nullo modo esse potest, quia nulla est rei peragendae cognitio. — Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter minuat, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

III. Metus sub omni respectu levis non censetur actum agentis determinare; unde pro nihilo reputandus est, saltem *per se* et communiter loquendo, juxta receptum axioma: *Parum pro nihilo reputatur.*

Resolves:

19. — 1° Metus levis numquam a peccato gravi excusare potest, ubi materia praecepti violati gravis est.

2° Metus etiam gravis non excusat *per se* a peccato mortali, nec de mortali veniale facere potest, quoties lex non cessat propter grave aliquod incommodum, ut infra dicetur in *tract. de leg. n. 108.*

3° Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut dictum est supra n. *18. II.* et *de concupiscentia n. 15.*

4° Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens non impedit, quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius et possit esse validus; sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio aut in gravi morbo emissum. — *Reuter n. 20.* — *Billuart diss. 1. art 7.* — *Elbel n. 48.*

Nota. Metus gravis excusat a lege humana, secluso societatis aut religionis damno, quia non censetur legislator velle obligationem legis urgere cum tanto incommodo, ut dicetur infra *de leg. n. 108.*

§. IV.

De vi seu violentia.

20. — Definitio: Vis seu violentia est coactio, quae a causa extrinseca et libera alicui infertur, repugnante ejus voluntate.

Divisio: Duplex distinguitur violentia, scilicet *absoluta* vel *secundum quid,* prout coactio alicui omnimode(¹) vel aliquatenus tantum repugnanti infertur. — *S. Lig. n. 15. 16.*

Principia:

I. Actus interni et voluntatis omnino proprii nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit. „Invitus nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle.“ — *S. Anselmus, de libero arbitrio c. 6.* — „Contra rationem ipsius actus voluntatis est, quod sit coactus vel violentus.“ — *S. Thom. 1. 2. q. 6. art. 4.*

II. Actus externi ex violentia absoluta positi nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut meritorii; actus autem externi, qui ex violentia *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro majori vel minori coactione, et consequenter majori vel minori bonitate aut malitia gaudent. — *S. Lig. n. 17. 18.*

Resolves:

21. — 1° Mulier, quae omnimode resistit violentiae, quae ipsi infertur ad eam opprimendam, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patiatur; nemo enim peccat omnino invitus.

2° Facile peccare possunt graviter foeminae vim patientes, si pusillanimitate aut vano timore, v. g. offendendi aggressorem etc., non resistant, quantum possunt, etiam secluso periculo consensus, quia in tali casu facile aderit voluntarium *simpliciter* in actum pravum, quamvis adsit involuntarium *secundum quid.* — An vero peccet mortaliter mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, *contro-*

(¹) i. e. omni conatu —

vertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensus periculo. Imo valde probabiliter non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cujuslibet notabilis damni, sive infamiae vel nimiae verecundiae; quia tunc, si aliter jam resistat, quantum potest, non tenetur cum tanto suo incommodo vim repellere, modo absit periculum proximum consentiendi. Sic expresse *S. Lig., de 6⁰ praec. dec. n. 430.* In praxi tamen suadenda est contraria sententia, quia hac in re facile adest consensus periculum. — *S. Lig., de 5⁰ praec. n. 368.*

3⁰ Aliquando tamen non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatae coactioni, scilicet ubi ex una parte inutilis foret, et ex altera agitur de materia minus periculosa. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est, quantum requiritur ad periculum scandali vel injuriae religionis avertendum.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

Scilicet: 1° de essentia moralitatis; 2° de ejusdem fontibus.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

22. — Theologi non pauci in varias sententias et in intricatissimas quaestiones abeunt ad explicandam determinandamque moralitatis actuum humanorum essentiam. Juxta communem autem doctrinam sequentia videntur statuenda:

I. Essentia moralitatis primario consistit in conformitate actus humani cum lege aeterna, quae est ratio divina seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex aeterna potest esse primaria morum regula. Etenim hujuscemodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis et valens obligare in conscientia; atqui talis est sola lex aeterna, cum ceterae leges vim obligandi ab ea sola accipiant; ergo lex aeterna est prima et essentialis morum regula. Sic ex *S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6.*

II. Essentia moralitatis secundario consistit in conformitate actus humani cum recta ratione; etenim sola recta ratio potest homini manifestare legem aeternam seu primariam morum regulam.(¹) Voluntas enim amplecti non potest objectum consonum regulae primariae per seipsam, quia est potentia caeca; ergo necesse est, ut illud recta ratione mediante accipiat. Ergo rectae rationis est, regulam primariam ostendere et actus voluntatis ad Deum tamquam ad finem ultimum dirigere. Ergo recta ratio est regula subjectiva, primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate actus humani cum recta ratione. — *S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 4.*

Resolves:

23. — 1⁰ Ens igitur morale est omne et solum illud, quod substat regulae morum seu legi Dei praecipienti aut vetanti vel permittenti. Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur. Ergo, ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo modo conformes voluntati divinae, cum sit summa et primaria morum regula.

2⁰ Libertas praeexigitur ad fundamentum moralitatis. Actus enim humanus, ut moralis, debet procedere a ratione deliberata; ergo debet esse liber: secus enim omnia peccata et merita de medio tollerentur.

3⁰ Falsum est autem, essentiam moralitatis reponendam esse in sola libertate. Etenim moralitas actus humani est (²) ipsius imputabilitas ad laudem vel vi-

---

(¹) Id intellige de disputatione hac philosophice spectata (cf. infra *n. 24. R. 2.*); unde nec legem Dei revelatam, nec magisterium Ecclesiae a notione moralitatis in sensu christiano excludere auctoris mens est.

(²) seu rectius: complectitur ipsius imputabilitatem ad laudem etc.

tuperium, ad praemium vel poenam; atqui actus non est tantum dignus laude aut vituperio, quia liber est, sed etiam et maxime, quia conformis est regulis morum seu divinae voluntati et rationi. Ergo etc.

4° Falsum est a fortiori, moralitatem consistere in solo voluntario. Voluntarium enim sine libertate non est laude neque vituperio dignum, cum homo sine libertate non sit actus sui dominus; et aliunde actus voluntarius non potest esse moralis, nisi sit conformis regulae morum.

Quaesita:

24. — Quaer. 1° *An dentur actus proprie indifferentes seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Resp. 1° Certum est, dari actus indifferentes *in specie* seu actus, qui in sua specie non sunt capaces moralitatis. Sunt enim actus, qui in se spectati, abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege aut recta ratione convenientiam aut repugnantiam, seu nec boni nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, studere, ludere, scribere et innumera similia sunt actus *per se* indifferentes.

Resp. 2° Controvertitur autem quoad actus *in individuo* seu in agente spectatos.

I. *Sententia communior et probabilior negat cum Thomistis.* Ratio est. quia homo deliberate agens necessario aliquem finem sibi proponit; debet enim agere ut homo. Porro finis, quem sibi proponit, est necessario bonus vel malus, seu conformis rationi vel non conformis; ergo in nullo casu actus proprie indifferens *in individuo* dabitur.

II. *Sententia affirmat cum Scotistis.* Ratio autem eorum est, quia non constat de lege intendendi finem positive bonum in omnibus, siquidem talis lex a multis doctoribus ignoratur. Numquid enim dictat recta ratio, hominem male agere ponendo actionem a Deo permissam nec eam ad finem positive honestum referendo?

Ceterum utraque sententia, licet omnino opposita in speculatione, non videtur in praxi adeo differre. Etenim juxta omnes pravus finis debet semper excludi: secus actus, quantumvis indifferens in se, malus evaderet.

Bonus finis saepe dicitur a Thomistis idem, qui ut indifferens ab adversariis habetur. Agitur enim de fine naturaliter bono, *cum non adhuc agitetur quaestio de necessitate finis supernaturalis.*(1) Porro ille bono fine ducitur, qui, secluso pravo fine, agit propter bonum ipsum naturale operi intrinsecum seu propter id, ad quod opus naturaliter refertur.

25. — Quaer. 2° *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Resp. 1° *Per se* actus internus nullam moralitatem addit actui interno, i. e. neque auget, neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni.(2) — Ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco seu a voluntate desumitur. Etenim actus externus nullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actus interni, cum omnis imputabilitas a voluntate libera repetenda sit. Actus igitur externus non est formaliter, sed tantum materialiter honestus vel inhonestus.

Constat etiam ex scriptura sacra, quae saepe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic *Gen. 22. 16.* Deus dixit Abrahae, qui filium immolare tantum voluit: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo . . . . benedicam tibi.* Et *Matth. 5. 28.* dixit ipse Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est*

(1) Cf. infra *n. 32.*

(2) Accuratius tamen dicendum videtur, actum internum compleri per externum. Cum vero moralitas actus interni sine dubio extendatur ad actum externum, etiam moralitas actus interni in aliquo sensu per actum externum completur, scil. non per modum additamenti diversi, sed per modum expressioris formae.

eam in corde suo. — Nec obstat obligatio declarandi actum externum in confessione; declarari enim debet, quia constituit unum eumdemque actum cum interno, et quia id exigit praeceptum divinum, ut dicetur, ubi de confessionis integritate.

Resp. 2° *Per accidens* tamen plerumque actus externus auget moralitatem, et proinde moralitate accidentali gaudet; saepissime est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, v. g. ut protrahatur aut multiplicetur etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis externi vel delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam.

Aliunde saepe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut e contra bona aedificatio, ex quibus adaugetur etiam actus interni moralitas. — *Ita communiter theologi contra Scotistas.*

ARTICULUS II.
DE FONTIBUS MORALITATIS.

Fontes moralitatis nuncupantur ea principia, quae actibus humanis speciem aut speciei modificationem(¹) tribuunt.

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet: 1° objectum actus; 2° circumstantiae ejusdem; 3° finis agentis. Tria haec omnino ad actum bonum requiruntur; si vero unum tollas(²), malus evadet. Hinc pervulgatum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.*

§. I.
De objecto.

26. — Objectum illud est, circa quod actus moralis versatur et in quo proxime et per se terminatur voluntas agentis.

Objectum est *bonum* vel *malum*, aut *indifferens*, prout rationi, legi aut recto ordini consentit vel non, aut praeter legem aut rectum ordinem habetur. Item potest esse intrinsece bonum vel malum i. e. ratione sui ex exigentia recti ordinis, aut non intrinsece seu ratione praecepti positivi tantum.

Objectum potest esse etiam de consilio, si spectet ad ea, quae conducunt ad rectum ordinem, nec tamen praecipiuntur. Item potest esse de imperfectione, si res minus conveniant, licet non prohibeantur.

Dico: Ex objecto moraliter considerato desumitur prima et essentialis moralitas actus humani; moralitas enim, quam objectum actioni tribuit, concipitur ante omnem aliam, quae sive ex fine, sive ex circumstantiis proveniat, siquidem haec sine illa concipi nequit.(¹)

Moralitas, quae ex objecto desumitur, moralitas, seu bonitas vel malitia *objectiva* appellatur. — Si objectum fuerit in se indifferens, ex fine vel ex circumstantiis moralitatem suam accipiet.

Objecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet: 1° Quaedam talia sunt *absolute* et independenter ab omni circumstantia, quia ex se necessariam involvunt repugnantiam cum recto ordine, ut est odium Dei, blasphemia etc. — 2° Alia sunt *intrinsece* mala, non praecise in se, sed ratione adjuncti aut conditionis alicujus, quae pendet a dominativa potestate Dei aut hominis; talia sunt ablatio rei alienae, laesio corporis vel famae et similia, quae aliquando licita evadunt. — 3° Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod ordinarie adjunctum habent, ut aspectus objecti turpis, lectio pravi libri etc. Haec, data rationabili causa, licita fiunt, etsi non

(¹) in genere moris —
(²) i. e. si vel unum malum sit —

(¹) Ut vero actus bonus evadat ex objecto, ejus bonitas non solum cognita, sed etiam directe et explicite volita esse debet, non quidem in actu signato seu reflexe, tamen in actu exercito, scil. necesse est, ut velimus actum, qua ratione bonus est, non tamen, ut interius dicamus: volo id agere, quia bonum est. — Ad contrahendam autem malitiam ex objecto sat est, si malitia sit cognita ideoque volita implicite. — *Scav.*

tiva prohibeantur, sed
e naturali.

§. II.
ircumstantiis.

cumstantiae sunt deter-
identales actus, sine qui-
io eadem quoad substan-
, ex quibus tamen deter-
esse individuo. — Hinc
non sunt objectum actus,
o tantum a voluntate at-

merantur circumstantia-
hoc versiculo expressae:
bi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.
uis, seu qualis sit agens
ionis. — *Quid,* seu quae
ut quantitas objecti. —
onam in loco, in sacro
tc. — *Quibus auxiliis,*
m mediis, instrumentis
rit agens. — *Cur,* seu
). — *Quomodo,* nempe
vel bona fide, an modo
misso, an advertenter nec-
do, i. e. quali vel quanto

us humanus veram mora-
it ex circumstantiis. Ra-
cum circumstantiae actum
illum etiam determinant
nimirum ut habentem re-
venientiae aut disconve-
ratione et recto ordine;
convenientiam aut dis-
n inducere aliquando pos-
in actibus ex natura sua
s.
Circumstantiae aliae sunt,
ralitatem actus attinent;
quae ad eam nihil con-
proinde prorsus indiffe-
dae sunt; — 3° aliae in
objectum relinquunt, aliae
m mutant. Ex prioribus
m aggravant, aliae vero
c autem vel graviter vel
nt. — *S. Lig. n. 39.*

im extrinseco —

Quaer. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actus boni, hac non obstante circumstantia, illaesa remanet. Ergo actus ille nonnisi ex parte inficitur. Sic v. g. agens non amittit totum meritum boni operis, nec praecipuam ejus partem, licet alicui tentationi vanae gloriae incidenti consensum praestiterit. — *Billuart diss. 4. art. 4.* — *Vide dicenda infra de fine n. 30.*

§. III.
De fine.

28. — Finis in genere est id, cujus gratia aliquid fit.

Duplex est, scilicet *finis operis,* i. e. finis ipsi operi intrinsecus quique ab opere ipso non distinguitur; et *finis operantis,* i. e. extrinsecus operi et ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit et terminat, seu quem agens praeter ipsum opus sibi praestituit. De hoc tantum posteriori fine dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Est autem finis ille: 1° *intermedius* vel *ultimus,* prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit. — 2° *Positive* ultimus vel *negative* ultimus, prout intenditur vel non intenditur cum exclusione alterius finis. — 3° *Primarius* vel *secundarius,* prout causa est totaliter motiva actus, aut partialiter tantum impulsiva. Iterum finis ultimus potest esse *explicite* vel *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum hujusmodi fine impellitur.

Dico: 1° Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Etenim finis potest dicere ordinem conformitatis et deformitatis ad rectam rationem. Sic rectae rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectae rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico: 2° Peccat, qui agit propter

solam delectationem. Ratio est, quia ille agit inordinate, pervertens ordinem rerum ab auctore naturae institutum. Etenim juxta ordinem ab auctore naturae institutum delectatio est propter operationem, et non vice versa; scilicet delectatio est velut sal et condimentum quoddam, quod non quaereretur propter se ab agente rationali, sed quod inservit ad alliciendum ad actiones vitae necessarias vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis actionis. Sic enim *S. Thomas: Divinus intellectus, qui est institutor naturae, delectationes apposuit propter operationes. (1. 2. q. 4. art. 2.)*

Confirmatur ex prop. 8ª ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic sonat: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* — Attamen haec deordinatio *per se* non est gravis, et proinde peccatum veniale non excedit, quia *ordinarie* finis ultimus non excluditur, ne implicite quidem, nisi agatur de iis, de quibus ait apostolus *Philipp. 3. 19. Quorum Deus venter.*

Resolves:

29. — 1° Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est positive bona. Sic nemo laudatur ex eo, quod abstineat a potu ex avaritia: reus autem habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam.

2° Qui eligit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis, si utraque honestas sit intenta. Item duplicis malitiae reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3° Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. g. si quis mentiatur ad proximum e periculo liberandum. Item, vice versa, qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4° Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic v. g., si studeas, ut alium ab errore retrahere valeas, habes tantum meritum finis. Pariter si iter peragas, ut jejunii praecepti incapax fias, solam malitiam legis violatae contrahis. In confessione autem peccati necesse non est tale medium declarare, ut patet.

Quaesita:

30. — Quaer. 1° *An finis quilibet malus totam actus bonitatem corrumpat?*

Resp. 1° Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit objectum in se. Actus enim ille nulla ex parte bonus esse potest, siquidem agens peccando mortaliter a Deo totaliter recedit.

Resp. 2° Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis* vel saltem *primarius* agentis. Etenim, si sit *totalis,* totum objectum complectitur, et proinde totum inficit, quia „agens malo fine vult bonum sub ratione mali et ideo, prout volitum est ab eo, malum est.“ — *S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 7.* Constat etiam ex verbis Christi *Matth. 6. 23.: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hinc Deo displicuerunt dona Cain, licet in se bona, utpote a malo fine provenientia.

Si vero duplex habeatur finis, et malus sit primarius, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur. Hinc apostolus *1. Cor. 5. 6.: Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Resp. 3° Si autem finis leviter malus sit mere *secundarius, probabilius* non corrumpit totum actum. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam pro majori parte ex objecto retinet. Tunc

enim, licet bonitas objecti tantisper imminuatur, non tamen tollitur *substantialiter*, quia finis malus se habet tantum *concomitanter*, quin in ipsam actionis substantiam influat. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. — *Billuart diss. 4. art. 4.* — *Gerdil, de act. hum.* et *alii communiter.*

Contradicunt tamen plures cum *Antoine c. 3. art. 4.* — Ratio eorum est, quia non potest dari duplex finis oppositus circa unum eumdemque actum, quin malus bonum inficiat, juxta effatum: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* — Sed respondetur, finem principalem non posse destrui per finem accidentalem. Axioma autem theologicum, quod objicitur, semper verum est, quoties objectum est malum, vel circumstantiae aut finis *substantialiter* illud inficiunt. Hoc autem in nostro casu locum nullatenus habet.

31. — Quaer. 2° *An omnes actiones nostrae ad Deum necessario referri debeant?*

Resp. Affirmandum videtur, saltem si agatur de relatione naturali et actiones nostrae deliberate fiant. Sic tenendum est, si admittatur cum sententia communi, non dari actus indifferentes *in individuo* juxta dicta superius *n. 24.* Sed facilis est haec relatio actionum ad Deum: etenim eo ipso, quod quis a pravo fine abstinet, non obstante naturae in malum proclivitate, actum suum ad Deum tamquam principium omnis recti ordinis implicite referre censetur.

Quaer. 3° *An omnes actiones motivo caritatis informari debeant?*

Resp. Neg. Actus enim ex motivo aliarum virtutum eliciti sunt boni, ut sunt actus fidei, spei etc. Constat enim ex *concilio Trid. sess. 14. c. 4.*, ubi declaravit, attritionem esse donum Dei et disponere poenitentem ad justificationem. Et *sess. 6. can. 31.* sic decrevit:

Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.(1)

32. — Quaer. 4° *An omnes actiones nostrae ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali*(2)*?*

Resp. Dantur variae sententiae inter theologos.

Alii affirmant, dari verum praeceptum omnes actiones ad Deum referendi, non *actualiter,* quod est impossibile, siquidem in hac terra impossibile est, de Deo semper cogitare, sed *virtualiter*, i. e. vi intentionis prius elicitae et interdum renovatae. Innituntur praesertim verbis apostoli *1. Cor. 10. 31.*, dicentis: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite;* et *epist. ad Coloss. 3. 17.*: *Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Ita *S. Lig. n. 44.*, ubi relato textu apostoli ad Corinth. ait: „Scio, adversarios dicere, in verbis apostoli contineri consilium et non praeceptum; sed falso: Patres enim agnoverunt praeceptum, non consilium.“

Alii nihilominus contendunt, praeceptum non sufficienter in praefatis apostoli verbis manifestari, et satis esse, si homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, ad Deum supernaturaliter apprehensum saepe et per actus suos praecipuos tendat.

Alii demum melius sic distinguunt: duplex hic datur praeceptum, negativum alterum, alterum positivum. Praeceptum negativum prohibet, ne quid faciamus ex pravo fine; positivum vero non urget continuo: praecepta siquidem positiva non urgent singulis momentis; sed sufficit ad illud implendum, ut praecipuae actiones ad finem super-

(1) Constat iterum ex propositione 8ª ab *Alexandro VIII.* damnata, quae sic jacet: *Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* (Nota auctoris.) Cf. etiam infra *n. 218.*

(2) scil. ex motivo, quod per fidem apprehenditur.

naturalem referantur.(¹) Haec interpretatio consonat omnino cum doctrina *S. Thomae in epist. ad Coloss. c. 3. lect. 3.*, ubi, loquendo de verbis supra relatis apostoli, dicit: *Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum . . . sed dicendum est, quod non est necessarium, quod omnia referantur ad Deum actu, sed habitu. Qui enim facit contra gloriam Dei et praecepta ejus, facit contra hoc praeceptum.* Nihilominus in praxi audiendus omnino est *S. Ligorius*, qui sic ait *loco citato n. 44.: Oportet saepius in die, saltem semel mane, generaliter offerre Deo omnes actus suos, ut sic adimpleatur praeceptum apostoli, saltem intentione virtuali omnia faciendi in gloriam Dei.* Hoc modo omnis actus etiam indifferens in *specie* fit bonus et supernaturaliter meritorius in individuo.

APPENDIX.
DE ACTIBUS MERITORIIS seu DE MERITO ACTUUM HUMANORUM.

33. — Actus supernaturaliter *meritorius* est opus in obsequium Dei positum et praemio seu retributione (²) dignum.

Meritum duplex distinguitur: 1° Meritum de *condigno*, cui merces ex justitia, i. e. ex Dei promissione debetur. 2° Meritum de *congruo*, cui merces non debetur ex justitia, sed ex quadam decentia et Dei liberalitate.

Dico: 1° Homo justus per gratiam operans vere et proprie mereri potest de *condigno*. Constat ex *Matth. 5. 12.: Merces vestra copiosa in coelis.* — Et *2. Tim. 4. 8.: Reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* — Constat etiam ex *Trident. sess. 6. c. 16.*, ubi declaratur, vitam aeternam esse mercedem ex Dei promissione bene operantium meritis reddendam.

Dico: 2° Homo etiam peccator et infidelis quaedam dona supernaturalia mereri potest de *congruo*. — Constat ex variis s. scripturae locis, in quibus referuntur exempla peccatorum et gentilium, quibus copiosas gratias, intuitu ipsorum bonorum operum, largitus est Deus. Sic *Act. Apost. 10.* perhibetur Cornelius suis eleemosynis et precibus conversionem ad veram fidem obtinuisse.

Quaesita:

34. — Quaer. 1° *Quid requiratur ad meritum de condigno?*

Resp. Requiritur: 1° ut actus sit liber et voluntarius: secus enim non esset actus humanus; 2° ut sit honestus: secus praemio dignus non esset; 3° ut ponatur ex motivo supernaturali seu in obsequium Dei(¹): alioquin ad vitam supernaturalem referri non posset; 4° ut agens sit in statu gratiae: quia peccatori vita aeterna non debetur.

Quaer. 2° *Quid homo mereri possit de condigno?*

Resp. 1° Potest mereri *augmentum* gratiae sanctificantis, et gloriae aeternae, quae illam consequitur. — Constat ex *conc. Trident. sess. 6. c. 16.*, ut supra et ibid.

Resp. 2° Homo justus non potest de *condigno* mereri perseverantiam finalem neque gratias efficaces, quia haec sunt dona omnino gratuita, quae Deus non promisit.

Quaer. 3° *Quid possit homo mereri de congruo?*

Resp. 1° Peccator per bona opera, v. g. per jejunia, eleemosynas, orationes, mereri potest de *congruo* gratiae auxilium, ut peccatum vitet et ad justificationem perveniat per contritionem perfectam.

Resp. 2. Justus mereri potest de *congruo:* 1° *sibi* gratias efficaces et

(¹) Aliqua tamen relatio ad finem supernaturalem actibus christianorum *bonis* de facto numquam deerit, cum talia opera sine ulla relatione ad Deum cogitari nequeant, Deus autem a christianis supernaturaliter cognoscatur.

(²) supernaturali —

(¹) V. *notas* ad *n. 32.*

perseverantiam finalem; 2° *aliis* gratiam primam et ulterioris gratiae auxilia.

Quaer. 4° *An opus, ut sit meritorium de* condigno, *debeat esse supererogationis seu non praeceptum?*

Resp. Neg. Constat enim ex *Trident. ibid. can. 26.*, omnia opera, quae in Deo sunt facta, vitam aeternam promereri. Opera autem, quae sunt praecepti, sunt etiam in Deo facta. Ergo etiam per ea homo vitam aeternam promeretur.

35. — Quaer. 5° *An ad meritum de* condigno *requiratur actus elicitus ex caritate?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, quia actus aliarum virtutum non sunt sat perfecti, ut augmentum caritatis mereantur. — Alii dicunt, sufficere, si opus in finem supernaturalem referatur, sive ex caritate, sive ex alia quacumque virtute imperatum sit. Ratio est, quia probari non potest neque ex rei natura, neque ex lege divina, ad meritum requiri, ut opus ex caritate eliciatur. Haec sententia probabilior videtur. — Alii tandem asserunt, omne opus bonum hominis justi, etiam in ordine naturali et sine relatione(¹) actuali aut virtuali ad Deum, esse vere de condigno meritorium; sed non satis liquet. Quidquid sit, in praxi inducendi sunt fideles, ut actus suos frequenter ad Deum referant ex motivo amoris et divinae gloriae, illud videlicet frequentius inter agendum dictitando: *Ad majorem Dei gloriam.*

Nota: Bona opera ex motivo supernaturali facta triplicis sunt generis, ut sequitur ex dictis, scilicet: 1° *Opera viva,* seu opera bona propter Deum facta in statu gratiae sanctificantis. — 2° *Opera mortificata,* seu opera bona, quae quidem in statu gratiae peracta sunt, sed meritum omne per subsequens peccatum mortale amiserunt, recuperata autem gratia sanctificante reviviscunt. — 3° *Opera mortua,* quae fiunt in statu peccati mortalis. Haec nullius sunt valoris ad vitam aeternam; attamen ad meritum de *congruo* prodesse possunt, ut supra dictum est.

TRACTATUS
DE CONSCIENTIA.

36. — Definitio: Conscientia est dictamen practicum rationis seu judicium practicum, quo judicamus, aliquid faciendum, quia bonum, vel omittendum, quia malum. Hinc differt a *synteresi,* quae principia tantum generalia dictat.

Divisio: Distinguitur conscientia

1° *Recta* vel *erronea,* prout verum vel falsum dictat.

2° *Certa* vel *dubia,* prout firmiter judicat, aliquid esse bonum vel malum, aut e contra suspensa haeret circa actionis honestatem.

3° *Scrupulosa* vel *laxa,* prout inani ratione apprehendit peccatum, ubi non est, vel e contra leviori de causa peccatum abesse praesumit.

4° *Probabilis* vel *improbabilis,* prout ex motivo gravi aut infirmo judicium efformat. — De singulis seorsim.

CAPUT I.
DE CONSCIENTIA RECTA ET ERRONEA.

37. — Definitio: Conscientia *recta* ea est, quae repraesentat vere objectum, sicut in se est; secus *erronea* est dicenda.

Divisio: Conscientia erronea duplex est: *vincibilis* alia, et alia *invincibilis.*

Invincibiliter erronea iterum duplex distinguitur, scilicet *physice* vel *moraliter,* prout vel nullo modo, vel magna tantum difficultate vinci potest. Recole dicta superius *de ignorantia n. 13.*

(¹) supernaturali —

Principia:

I. Conscientia *recta* praecipiens semper sequenda est, quia conscientia est regula proxima voluntatis, derivata a prima et summa regula omnium actionum humanarum. — *S. Lig. n. 3.*

II. Conscientia *invincibiliter erronea* praecipiens pariter in omni casu sequenda est, quia omnino aequiparanda est subjective conscientiae rectae, et quia juxta apostolum „omne, quod non est ex fide (seu juxta conscientiam), peccatum est.“ — *S. Lig. n. 5.*

III. Conscientia *invincibiliter erronea* permittens eximit ab omni peccato, quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. — *S. Lig. ibid.*

IV. Non licet sequi conscientiam *vincibiliter erroneam* permittentem, quia agens cum tali conscientia errat voluntarie, cum ex hypothesi error sit vincibilis.(1) Nec licet agere contra eam praecipientem, quia agens tunc faceret id, quod judicaret prohibitum, ideoque peccaret. Proinde ante actionem illa conscientia, inquisitione facta veritatis, omnino deponenda est. — *S. Lig. n. 4.*

Resolves:

38. — 1° Qui putat, esse jejunium, quando non est, peccat contra praeceptum, si non jejunet, ob erroneam conscientiam.

2° Si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitae, putans, se ex misericordia ad id teneri, actum bonum facit; et si non mentiatur, contra misericordiam peccat.

3° Scrupulosus, licet putet, involuntarias distractiones esse peccata, non tamen peccat, quia non sunt liberae.

4° Qui putat, graviter tamen dubitat, sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi, nec contra eam facere, sed debet, si possit, inquirere, eam deponere et postea operari; talis enim error est vincibilis et culpabilis.

Quaer. *Quibus signis confessarius cognoscere possit, errorem esse vincibilem aut invincibilem in poenitente?*

Resp. Interroget: 1° An aliquam indecentiam in hoc actu adverterit. 2° An ipsi sua conscientia dictaverit, esse saltem interrogandum confessarium vel alium prudentem virum. 3° An occasionem interrogandi ex verecundia aut metu neglexerit. Si respondeat affirmative poenitens ad unum vel alterum ex his, censendus est in culpabili errore versari; secus, si ad omnia neget.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTIA CERTA.

39. — Definitio: Conscientia certa ea est, qua quis certe seu absque errandi formidine judicat, aliquid esse bonum vel malum.

Divisio: Certitudo triplex distingui solet:

1° *Metaphysica,* quae competit iis propositionibus, in quibus attributum subjecto essentialiter convenit. Immutabilis est.

2° *Physica,* quae fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur. Remanebit, quamdiu leges physicae constantes stabunt.

3° *Moralis,* quae nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam. Prior* est ea, quae ita fundatur legibus moralibus, ut clare percipiatur, non posse falsam esse propositionem. Haec ad certitudinem metaphysicam mediate refertur. *Posterior* ea est, quae competit iis propositionibus, in quibus errorem esse absolute non repugnat, quamvis rarissime evenire possit. Haec varios gradus admittit.

Item: certitudo alia est *directa,* quae obtinetur per probationem certam ipsius propositionis, de qua agitur; alia re-

(1) De vincibilitate erroris cf. tamen *n. 13. versus finem, n. 144. II.* et *n. 145. 4°.*

flexa, quae habetur ex principio aliquo extrinseco, ex quo certo arguitur, licitum esse illud, quod in se et directe non demonstratur illicitum.(¹)

Principia:

I. Sola conscientia *certa* est recta regula morum. Ratio est: 1° Quia *omne, quod non est ex fide, peccatum est. (Rom. 14. 23.)* — 2° Quia agens cum conscientia non certa se exponit periculo peccandi formaliter, et proinde peccatum vere admittit.

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. Ratio est: 1° Quia agens cum tali conscientia vere ex fide agit. — 2° Quia certitudo absoluta plerumque haberi nequit. — 3° Quia constat ex sententia communi doctorum et ex praxi universali.

ARTICULUS II.
DE CONSCIENTIA DUBIA.

40. — Definitio: Conscientia dubia ea est, quae haeret suspensa circa actionis honestatem. Dubium enim est suspensio mentis inter opposita.

Divisio: Multiplex dubium distinguitur, scilicet:

1° *Positivum* vel *negativum,* prout adsunt rationes graves dubitandi, vel leves tantum, aut etiam nullae.(²)

2° *Juris* vel *facti,* prout versatur circa legis exsistentiam ejusve obligationem, aut circa factum aliquod particulare.

3° *Speculativum* vel *practicum,* prout versatur circa veritatem in *abstracto,* vel circa actionis honestatem.

Dubium autem *speculativum* potest etiam dividi in *speculativum simpliciter,* cum dubitatur de re ad mores non pertinente, et in *speculativo-practicum,* quando dubitatur de principio generali morum aut de bonitate actionis in se sumptae, a praesentibus circumstantiis abstrahendo. Si versetur circa actionem hic et nunc ponendam, dicitur *practice-practicum.*

Principia:

41. — I. Numquam licet operari cum conscientia *practice dubia,* sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis *de conscientia certa in principio I.* — Licet autem quandoque operari cum conscientia *speculative dubia,* cum scilicet, deposito dubio practico ex dictamine practice certo seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de probabilismo dicemus.

II. Dubium mere negativum(¹) pro nullo habendum est, quia ratione prorsus nulla aut valde levi fundatur; proinde, etsi maneat, urget obligatio vel stat libertas, prout antea exsistebat. Ejusmodi enim dubium exsistere potest, quin moralis certitudo in oppositum subvertatur. Verum, si prudens suspicio de errore tibi oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque, cum posthac pluries plurimi casus dubii negativi objiciantur, eos, eadem regula semel statuta, facile dilues. Ad solum igitur dubium positivum attendemus, cum negativum ut verum dubium non sit habendum. — *S. Lig. n. 24.*

Resolves:

42. — 1° Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est positurus, sit licitus necne, diligentiam veritati inquirendae debitam, pro rei gravitate, personae locique conditione possibilem, adhibere tenetur; probos et peritos consulat, eorum praxim investiget rationesque utrimque solo veritatis studio perpendat: secus enim periculo peccandi se exponit, et eo ipso peccat.

2° Si inquirere non possit nec per se rationes utriusque partis perpendere

(¹) Talia principia extrinseca habes infra n. *75. et 76.*

(²) Definit *S. Lig. n. 20.:* Dubium „*negativum* est, quando ex neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed tantum leves. *Positivum* est, quando pro utraque parte vel saltem pro una adest grave motivum, sufficiens ad formandam conscientiam probabilem, licet cum formidine de opposito."

(¹) Intellige: dubium *inane* —

valeat, tutiorem partem amplectatur, quia secus ageret in dubio *practice-practico,* i. e. cum conscientia vere dubia.

3° Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peracta adhuc dubitat, an adsit lex praecipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur, quia efformare potest conscientiam ex principio *reflexo,* scilicet: non posse obligare legem, quae inveniri non potest, ut infra de probabilismo dicetur.

4° Inepte agunt, qui post actum nuper commissum vel omissum apud auctores vel a confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum praeteritum non pendet a judicio auctoris aut confessarii, sed a dictamine practico, quod operans habuit agendo. Prudenter tamen facit, qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quidnam scilicet in futurum in simili casu agere possit.

Quaesita:

43. — Quaer. 1° *An graviter peccet operans cum dubio practico circa peccati gravitatem?*

Resp. Affirmative, quia totam peccati gravis malitiam inducit, cum sciens et volens manifesto periculo graviter peccandi se exponat. — *S. Lig. n. 22. et alii communiter.*

Quaer. 2° *An peccet graviter sciens, actionem suam esse malam, sed ad ejus gravitatem non attendens?*

Resp. Alii censent, hunc peccare graviter vel leviter, prout objectum peccati est in se grave vel leve; alii vero, semper esse grave; sed probabilius venialiter tantum peccare videtur, modo malitiam gravem, saltem in confuso, non apprehendat. Supponi autem nequit defectus ille advertentiae, etiam *in confuso,* ubi agitur de re vel quantitate notabiliter gravi. — *S. Lig. n. 23.*

44. — Quaer. 3° *Quid agendum sit in casu conscientiae perplexae, i. e. quando quis inter duo praecepta constitutus haeret dubius, quodnam e duobus eligere debeat?*

Resp. Sequentes regulas in perplexitate teneto:

1° Consule, si possis, v. g. confessarium vel alios prudentes, quia in eo casu ignorantia vincibilis est.

2° Si consulere nequeas (1), elige, quod tibi minus malum videtur, non tamen ut malum facias, sed ut magis a malo recedas. Scito autem, legem *inferioris ordinis* debere legi *superioris ordinis* cedere.

3° Si utrumque praeceptum aeque tibi grave videatur, elige quodvis, nec peccabis; non enim peccandi datur necessitas. — *S. Lig. n. 10.*

Nota. Regulae speciales ad conscientiam in dubiis efformandam tradentur infra, ubi *de probabilismo* dicemus, *n. 75.*

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA.

ARTICULUS I.
DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

45. — Conscientia scrupulosa ea est, quae ex levi formidine dubitat de alicujus actionis honestate ideoque formidat de peccato, ubi non est. Scrupulus autem est inanis apprehensio seu levis suspicio, qua quis judicat falso, ibi adesse peccatum.

I. Signa praecipua scrupulorum.

Sunt sequentia: 1° judicii pertinacia; 2° timor peccandi in omnibus; 3° mutatio frequens judicii ob leves rationes; 4° anxietas circa confessiones (2); 5° inquisitio perfectae certitudinis in omnibus; 6° obstinatio idem semper peccatum repetendi. — *S. Lig. n. 11.*

II. Remedia scrupulorum.

46. — Versantur frequenter scrupuli 1° circa actiones quotidianas; 2° circa pravas cogitationes; 3° circa confessiones.

I. Scrupulosis, qui in omnibus actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scru-

(1) et adsit necessitas agendi —
(2) continuata sine solida ratione —

ıgant ab iisque confitendis abs-
, nisi certissimi sint, ibi adesse
ım. Quamvis enim sic agendo
m peccent materialiter, non pec-
tamen formaliter ratione obe-
e, quam confessario praestare
. — *S. Lig. n. 17.*

Scrupulosis, qui pavent assensum
re vel praebuisse cuilibet pravae
ioni contra castitatem, fidem aut
ım, imponendum est, ut has co-
nes velut mera phantasmata de-
t et abstineant ab hujusmodi
ionum confessione, nisi jurare
, se eisdem vere consensisse. —
. *n. 15.*

Scrupulosis, qui semper anxii
circa confessiones, praesertim
itas, prohibendum est, ne am-
ogitent de culpis vitae anteactae;
iis verbum faciant in confes-
nisi jurare possint 1° peccata
a se perpetrasse; 2° numquam
confessos esse, praesertim si
ionem generalem jam comple-
— *S. Lig. n. 16.*

. Scrupulosi et timorati, de prae-
confessionibus anxii, sic interro-
ınt: 1° Celastine de proposito pec-
rave? — 2° Proponebasne peccata
Si negative utrique postulationi
leant, valida judicanda est confessio.

I. Regulae pro scrupulosis.

— 1° In rebus moralibus non
ıue perfecta certitudo quaerenda.
o omnibus valet; sed scrupuloso
ıue applicandum est.

Obedientia summa et caeca con-
ı praestanda est, et cum magna
ate et fiducia in omnibus pro-
ım.

Dubium, quod in aliis rationa-
ret, in scrupuloso omnino sper-
ı est.

Scrupulosus, bona fide agens,
ri diligentia adhibita errare non

Licitum est, imo saepe obliga-
, et interdum sub gravi, adversus
los decertare. — *S. Lig. n. 17.*

Numquam iteranda confessio, nisi
certo sacrilega fuerit; nec postremae confessionis examen umquam innovandum est, etiamsi grave dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

7° Scrupuli contemnendi sunt, nec umquam secum de his disputandum est.

IV. Regulae pro confessariis.

48. — 1° Scrutetur confessarius, an poenitens sit vere scrupulosus, — an in omnibus, — et quaenam sit scrupulorum origo.

2° Sit patiens, benignus et fortis. Ad ipsum spectant haec apostoli (*2. Tim. 4. 2.*): *Insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

3° Postulanti absque haesitatione cum imperio respondeat; responsis non facile adjiciat rationes, nec jam confessa peccata pluries repeti sinat.

4° Commendet scrupuloso magnam in bonitate Dei fiduciam, frequentem orationem, otii fugam, examinis brevitatem, cordis humilitatem.

5° Cum scrupuloso generalibus, non peculiaribus utatur regulis; his enim scrupulosus dirigi non potest, quia eas applicare nequit.

ARTICULUS II.
DE CONSCIENTIA LAXA.

49. — Conscientia *laxa* ea dicitur, quae ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere judicat, vel veniale tantum peccatum, ubi mortale est, deprehendit: ea videlicet est, quae absque sufficienti ratione judicium in favorem libertatis inflectit vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpae gravitatem.

Quam maxime periculosa est hujusmodi conscientia, ut attendenti facile patet, proindeque innumeras animas injicit in *viam latam, quae ducit ad perditionem!*

Tripliciter distingui potest, scilicet: 1° conscientia *laxa simpliciter,* quae tendit ad libertatem plus aequo extendendam; 2° conscientia *cauteriata,* quae ex diuturno peccandi habitu pec-

cata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3° conscientia *pharisaica,* quae magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex pharisaeis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducantes inanesve traditiones praetereuntes se magni peccati reos existimarent.

50. — Quae ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complectimur:

I. Graviter ille peccat, qui, scienter laxae conscientiae obsequens, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane, hujusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest: ergo ipsius ignorantiae praetextu a peccato lethali in materia gravi excusari nequit.

II. Imo graviter etiam peccaret, qui legem, etsi in re levi, infringens, discrimini tamen graviter peccandi sese objiceret. Confer quae diximus supra *de conscientia dubia n. 43. Quaer. 1°.*

Quaer. *Quaenam sint conscientiae laxae causae, effectus et remedia?*

Resp. ad primum. Causae sunt: omissio orationis, animi tepor, sollicitudo nimia temporalium atque peccandi consuetudo, quae peccati horrorem tollit,(1) vita mollis, quae cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt: caecitas mentis, durities cordis, quae nullis mediis moveri solet, obduratio in malo, quae summum salutis periculum inducit juxta illud apostoli *(Rom. 2. 5.): Secundum duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae.*

Resp. ad tertium. Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio,(2) pia novissimorum meditatio juxta illud *Eccli. 7. 40.: Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis,* frequens piorum librorum lectio, quotidiana conscientiae discussio, recursus frequens ad poenitentiae sacramentum(1).

(1) familiaritas cum hominibus vitiosis —

(2) sacra exercitia —

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI.

Agemus: 1° de natura, 2° de efficacia, 3° de usu probabilitatis.

ARTICULUS I.
DE NATURA PROBABILITATIS.

51. — *Opinio* in genere est judicium incertum, fundatum motivo fallibili cum formidine de opposito, seu: est apprehensio unius e duobus contradictoriis cum formidine alterius.

Opinio vero *probabilis* seu *sententia probabilis* est judicium nitens motivo vere gravi, licet cum formidine de opposito. — *Opinio* vero *improbabilis* est judicium, quod omni motivo solido destituitur.

52. — Divisio probabilitatis: Distinguitur probabilitas

1° *Intrinseca* vel *extrinseca,* prout in rationibus ex natura vel proprietatibus rei deductis fundatur, vel ex auctoritate virorum gravium oritur. Utraque major vel minor esse potest.

2° *Juris* vel *facti,* prout circa juris exsistentiam, ejus applicationem, vel circa aliquod factum versatur.

3° *Speculativa* vel *practica,* prout rem in genere, abstrahendo a circumstantiis, vel actum proxime ponendum respicit.

4° *Absoluta* vel *relativa,* prout talis apparet omnibus vel plerisque, uni vel paucis tantum.

5° *Solitaria* vel *comparativa,* prout talis apparet in se sola spectata, vel comparatione instituta cum contradictoriae propositionis probabilitate.

6° *Certa,* vel *dubia* seu *tenuis,* prout innititur motivis solidis et certo gravibus, vel dubie tantum probabilibus.

Probabilitas *comparativa* dividitur per gradus in triplicem, scilicet 1° in *probabilitatem majorem;* — 2° mi-

(1) malorum fuga et conversatio cum bonis.

norem; — 3° *aequalem.* Quaevis enim propositio potest esse probabilior, vel aeque, vel minus probabilis, quam opposita, prout nititur motivis solidioribus, vel aeque minusve solidis. — Opinio autem probabilior varios etiam gradus admittit: est enim paulo vel notabiliter probabilior, prout ejus motiva paulo vel notabiliter majora sunt, si oppositae opinioni comparentur. *Probabilissima* etiam dicitur, si gravissimo motivo gaudeat. *„Probabilissima est,"* ait *S. Lig. n. 40., „quae nititur fundamento gravissimo: quapropter opposita censetur* tenuiter vel dubie *probabilis.*

Opinio item est *tuta,* vel *tutior* aut *minus tuta,* prout simpliciter favet legi, vel eidem plus minusve favet. Opinio igitur probabilior non est semper tutior, siquidem probabilitas major pro libertate stare potest.

Varia systemata circa probabilitatem.

53. — 1° *Tutiorismus absolutus seu rigorismus,* juxta quem pars tutior, i. e. legi favens, semper eligenda est.

2° *Tutiorismus mitigatus,* juxta quem licet tantum sequi probabilissimam partem libertati faventem.

3° *Probabiliorismus,* juxta quem semper tenenda est opinio legi favens, nisi opposita sit notabiliter probabilior.

4° *Aequiprobabilismus,* juxta quem licitum est sequi opinionem minus tutam, modo sit aeque probabilis, ac opposita, vel fere aeque probabilis.

5° *Probabilismus (moderatus),* juxta quem licet sequi opinionem minus tutam et paulo minus probabilem, modo vera et solida probabilitate gaudeat. Probabilismus autem sic restrictus non valde differt ab aequiprobabilismo in sensu paulo latiori seu morali accepto. (1)

6° *Laxismus,* ex quo fas est, sequi opiniones etiam tenuiter probabiles. Hoc systema fuit damnatum, ut infra patebit.

Hinc pro variis circa valorem probabilitatis opinionibus theologi varia sortiuntur nomina, et vocantur rigoristae vel tutioristae mitigati, — probabilioristae, — aequiprobabilistae, — probabilistae, — laxistae.

Concludes ex dictis:

54. — 1° Essentia probabilitatis necessario requirit, ut certitudinem (1) excludat; per hoc enim solum a certitudine discrepare potest.

2° Hinc omnis probabilitas, quantacumque fuerit, adveniente certitudine propositionis contradictoriae omnino perimitur.

3° Certo probabilis habenda est opinio, quae tolerante Ecclesia communis est theologorum, vel docetur a S. Thoma ejusque schola, vel a plerisque theologis ut probabilis asseritur; vel etiam, quam absolute tenent ut veram quinque aut sex theologi probitate, judicio et scientia praestantes (2), nisi ratio certa contra istam opinionem appareat.

4° Illa opinio est viro docto et probo certe probabilis, quam ipse scit, se diligenter excussisse, et experitur, se absque inordinato affectu ob rationes graves ut veram tueri.

5° De probabilitate intrinseca juris communiter possunt judicare soli doctissimi et in re morali versatissimi, cum soli possint scire, nihil certi ipsis opponi.

6° Vir mediocriter doctus judicare potest de extrinseca opinionis probabilitate, si, statum quaestionis rite intelligens, hanc inveniat assertam ab auctoribus hujus temporis omni exceptione majoribus, i. e. inter theologos omnino probatis.

---

(1) Theologi non pauci tamen limites probabilismi non adeo coarctant et contendunt, opinionem aliquam posse solida probabilitate gaudere, licet sententia opposita multo probabilior appareat. — Alii regulam generalem ab auctore propositam restringunt per legem, quam vocant *possessionis.* Cf. infra *n. 79. Q. 5°.*

(1) etiam moralem —

(2) Cf. *prop. 27. Alex. VII.* — V. etiam *n. 78. Q. 3°.*

7° Unicus auctor, si sit omni exceptione major afferatque rationem, quam alii non examinaverunt vel non satis solverunt, ipse autem aliorum rationes commode solvat, potest opinionem suam certo probabilem efficere, quamvis contra communem doceat.

8° Homo rudis audiens a viro, quem ipse existimat probum, prudentem et doctum, opinionem aliquam esse certo probabilem, potest eam ut talem habere: non enim per se rem expendere valet, nec aliud medium ipsi suppetit probabilitatem extrinsecam cognoscendi.(1) — *Lacroix* etc.

ARTICULUS II.
DE EFFICACIA PROBABILITATIS AD CONSCIENTIAM EFFORMANDAM.

55. — *Efficacia probabilitatis* sita est in ipsius vi ad ultimum conscientiae dictamen practice certum efformandum. Jam vero ex iis, quae asseruimus *n. 39.*, sola conscientia certa est recta morum regula; quo igitur modo fieri potest, ut ex majori etiam probabilitate liceat interdum agere? Id sane vi solius probabilitatis non licet. Ergo ad principium aliquod moraliter certum confugiendum est, ut certitudo habeatur. Itaque disserendum nunc venit, quid ad hunc finem valeat probabilitas, utrum scilicet aliquando, solidis rationibus tum legi, tum libertati faventibus, ab ipso legis vinculo solvi possimus.

Has quaestiones, ut discutiamus resolvamusque, sequentes statuimus theses.

I. THESIS.

Non licet sequi opinionem probabilem, *nec* probabiliorem, *relicta tutiore, quoties adest obligatio absoluta alicujus finis determinati obtinendi, quem usus medii probabiliter inepti in periculum adduceret; tunc enim pars tutior est sequenda.*

56. — *Prob.* Quisquis finem absolute obtinere adigitur, is ea tenetur eligere media, quibus procul dubio finem assequatur. Atqui per solam tutiorem partem certo obtineri potest finis: etenim ex hypothesi medium probabiliter tantum aptum in discrimen adducit finem absolute consequendum; ergo non est medium fini consequendo idoneum; aptiora igitur media eademque tutiora eligenda sunt. Ergo extra probabilitatem sunt quaerenda; ergo adhibenda sunt media certa et absolute tuta: tunc igitur pars tutior sequenda est.

Hinc resolves:

57. — 1° In his, quae saluti necessaria sunt necessitate medii, tutius sectari cogeris; tantus enim finis prae ceteris absoluta prorsus necessitate procurandus est, et proinde media absolute tuta et certa sunt adhibenda. In rebus igitur ad fidem seu ad veram religionem pertinentibus, probabilitate rejecta, opinio tutior necessario sequenda est. Hinc ab *Innocentio XI.* damnata est sequens propositio sub *n. 4.: Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Imo, in tali casu ne probabiliori quidem opinione, tutiore posthabita, uti liceret. — *S. Lig. n. 43.*

2° Venator timens, ne plumbum in feram ejaculando aliquem hominem forte laedat, explodere non potest, etiamsi probabilius existimaret, abesse periculum; nam si forte illud adsit, probabilitate contraria, etiam majori, removeri non potest.

3° Medicus et chirurgus tenentur ad medicamenta et media tutiora, quae hic et nunc haberi possunt, adhibenda, quia tacito contractu ad finem obtinendum, in quantum fieri potest, se obligarunt. Idem pariter dicendum de omnibus aliis, qui erga proximum aliquam obligationem contraxerunt. — *S. Lig. n. 44.*

(1) Ex iisdem rationibus homines plerosque saltem in casibus difficilioribus talis auctoritas dirigit, utique sine laesione conscientiae, cum haec sit unica tuta via pro ipsis.

4° Minister sacramenti, ubi de ejus valore agitur, nisi defectus suppleatur ab Ecclesia vel urgeat casus necessitatis, tenetur sequi tutiorem partem, in quantum moraliter potest, relicta minus tuta probabili vel etiam probabiliori, quia aliter exponeret sacramentum periculo nullitatis, et proximum periculo damni spiritualis. Hinc merito damnata est sequens propositio ab *Innocentio XI.* sub *n. 1.*: *Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore etc.* — *S. Lig. n. 48.*

Dixi 1°: nisi defectus suppleatur ab Ecclesia. Aliquando enim Ecclesia potest et censetur supplere id, quod desideratur ad valorem sacramenti; hoc autem in duobus sacramentis fieri potest: 1° quidem in sacramento poenitentiae, si ex gravi ratione cum jurisdictione dubia conferatur; 2° in sacramento matrimonii, nempe si adsit impedimentum ecclesiasticum dubium, aut etiam sit dubia delegatio sacerdotis assistentis. Sed de his suo loco. — *S. Lig. n. 50.*

Dixi 2°: nisi urgeat casus necessitatis; quia, cum sacramenta sint propter homines, homini in gravi periculo vitae versanti ministranda sunt, quo meliori modo fieri potest, etiam cum mera probabilitate, imo cum probabilitate tenui et tenuissima de eorum valore. — *S. Lig. n. 49. et alii communiter.*

II. THESIS.

Non licet sequi opinionem tenuiter probabilem relicta tutiori.

58. — *Prob.* Etenim opinio tenuiter probabilis, ut dictum est, levibus innititur motivis; motiva autem levia assensum viri prudentis mereri nequeunt, cum ex iis convinci non possit, legis exsistentiam esse omnino incertam. Nam illicitum est, sequi opinionem aliquam relicta tutiore, nisi autem lex certo dici possit invincibiliter ignorata. Porro ignorata censeri non debet lex, nisi id saltem solidis rationibus probetur; hoc autem cum probabilitate tenui pugnat.

Constat etiam ex prop. 3ª ab *Innocentio XI.* damnata: *Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca,* quantumvis tenui, *modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Merito enim damnata est illa propositio, cum probabilitas tenuis non nitatur solida, sed *tenui* tantum ratione, nec prae se ferat, nisi dubiam probabilitatem, quae ad conscientiam efformandam minime sufficit. Aliunde haec propositio damnata fuit in sensu auctoris, qui de *tenui* tantum probabilitate sermonem habebat.

III. THESIS.

Licet sequi opinionem probabilissimam, et etiam probabiliorem, tutiore relicta, ubi de solo licito vel illicito agitur.

59. — *Prob.* 1° *quoad probabilissimam.* Constat 1° ex damnatione propositionis *Sinnichii* ab *Alexandro VIII.* sub *n. 3.* proscriptae, quae sic jacet: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Ergo licet sequi opinionem saltem *probabilissimam.* Ex alia parte in hac propositione damnata agitur de probabilissima *minus tuta,* cum nemo umquam negaverit, licere sequi probabilissimam *tutiorem.* — Constat 2° ex eo, quod, ubi datur opinio *probabilissima,* opposita propositio *tenuiter probabilis* evadat juxta *S. Lig.*, ut dictum est supra *n. 52.* in definitione opinionis probabilissimae, et alios contra plures. Non concipitur enim, quomodo stare possit solida ratio ex una parte, si ex altera gravissimum appareat fundamentum aliter prorsus sentiendi. Stante igitur opinione *probabilissima* errandi formido levissima superest, et proinde, si non adsit certitudo absoluta, habetur saltem aliqua certitudo moralis *lata* de legis non exsistentia.

Prob. 2° *quoad probabiliorem.* Illud ut verum admittendum est, in quo omnes theologi conveniunt; non potest enim supponi, omnes unanimi consensu in errorem incidisse. Porro, si rigoristas paucissimos excipias, omnes turmatim in hanc doctrinam admittendam conveniunt, saltem si agatur de opinione vere probabiliori. Verum, si rationem intrinsecam exquirere velis, alia solida non videtur posse dari, nisi ea, ex qua probanda est sequens propositio de liceitate usus *moderati probabilismi,* scilicet legem, si adsit, esse prorsus ignoratam et proinde obligare non posse.

IV. THESIS.

Licet sequi opinionem vere et solide probabilem, relicta tutiori aeque probabili vel etiam probabiliori, ubi de solo licito vel illicito agitur.

Nostra autem propositio triplici genere argumentorum demonstrari potest: scilicet 1°. ex ratione; 2° ex auctoritate; 3° ex consectariis, quae ex opposita sententia sequerentur.

I. Argumentum ex ratione.

60. — Sic statuendum videtur:

Nulla est obligatio, nisi de ea certo constet. Atqui non certo constat de obligatione servandae legis, contra quam militat *vera* et *solida probabilitas* in sensu supra explicato. Ergo nulla est obligatio sequendi partem *tutiorem,* relicta opinione *vere probabili;* ergo contradictoria est vera, i. e. licet sequi opinionem *vere probabilem, relicta tutiori etiam probabiliori.*

I. Major probatur 1° ex necessitate cognitionis ad obligationem. Etenim ille non est obligatus, qui invincibiliter ignorat, se esse obligatum, siquidem agitur de obligatione *subjectiva* seu in agente spectata; evidens enim est, me obligari non posse, nisi obligatio mihi innotescat. Atqui in hypothesi nostra invincibiliter ignoro, me esse obligatum, cum non possim ullo modo percipere hanc obligationem. Non enim eam percipere possum, quin sim certo obligatus, quod sic probo: Non possum me scire obligatum, nisi per judicium, quo illud mihi affirmem, dicendo: *Ego sum obligatus.* Sed tale judicium non possum efformare, nisi *certa* sit obligatio, i. e. *certo cognita.* Nam non datur judicium prudens, imo non datur judicium proprie dictum, nisi ex perspecta convenientia inter subjectum et attributum. Porro, quando obligatio est *incerta* seu *non certo cognita,* non est simpliciter perceptio obligationis. Ergo non possum vere et proprie judicare me obligatione adstrictum; ergo non possum me obligatum conscire; ergo revera non sum obligatus.

61. — 2° Ex contradictione, quae daretur in opposita assertione, sic: Illud ut verum admittendum est, cujus negatio immediatam involvit contradictionem. Porro negatio hujus propositionis: *Nulla est obligatio, nisi certa sit* (seu certo cognita, cum agatur de obligatione *subjectiva)* immediatam involvit contradictionem; etenim, qui hanc propositionem negat simpliciter, hoc ipso affirmat simpliciter contradictoriam, nempe dari aliquam obligationem, quin *certa* sit seu *certo cognita.* Porro hoc repugnat: omnis enim legitima affirmatio est verum judicium, perspectam supponens affirmandi rationem, seu perspectum ac proinde certum rei affirmatae motivum; ergo supponit, exsistere *certo* seu percipi *certo* obligationem, quin haec *certa* sit seu quin *certo* percipiatur; ergo ille, qui negat nostram propositionem, ait: *certa est obligatio, quae certa non est,* seu: *certam percipio obligationem incertam,* quod est aperta contradictio.

Nec objiciant probabilioristae, argumentum istud posse in nos retorqueri, cum affirmamus tamquam certum, non dari obligationem in proposito casu, quin certi simus. Nam maximum discrimen intercedit inter nos et adversarios, siquidem onus probandi incumbit iis, qui obligationem imponunt;

debent igitur probare, dari talem obligationem; id autem probare nequeunt, quin sibimetipsis contradicant. Nos vero tantum asserimus, eam probari non posse: seu non affirmamus directe, obligationem non exsistere, sed indirecte tantum, ex eo quod illa probari non possit. Adversariis enim onus probandi incumbit, cum ipsi obligationem urgeant.

Propositio nostra confirmatur doctrina *S. Thomae.* Sic enim ait in *opusculo de veritate quaest. 17. art. 3.: „Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti... Eadem virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia, cum praeceptum non liget, nisi per virtutem scientiae.“* Unde sic: Nemo ligatur, nisi virtute *scientiae;* atqui, teste *S. Thoma,* qui ligatur virtute *scientiae,* certam hoc ipso habet obligationem. Sic enim habet *2. 2. quaest. 1. art. 5.: „Respondeo dicendum, quod omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota et per consequens visa; et ideo oportet, quaecumque sunt scita, aliquo modo esse visa.“* Ergo nemo ligatur, nisi ipsi certa sit sua obligatio. — Huic scientiae definitioni plane adhaeret *S. Lig., mor. system. §. II.* (in editione Ratisbonensi *n. 63. 75. et seq.)*

62. — II. Minor probatur, nempe: *certa non est obligatio servandae legis probabiliter non exsistentis.* Etenim lex est incerta ex hypothesi, cum supponatur contra eam vera et solida probabilitas; ergo etiam obligatio ex ea subsequens est incerta. Nam non potest dari major gradus certitudinis in obligatione, quam in lege, ex qua procedit; secus enim certum oriretur ab incerto, quod est absurdum.

Confirmatur. Obligatio certa, utpote effectus legis, supponit causam seu legem certam. Etenim si effectus posset esse certus, quin causa esset certa, effectus exsistere posset sine causa; cum effectus, si certus sit, supponi nequit non exsistere; ergo effectus posset supponi exsistens sine causa, quod repugnat. Ergo non est *certa* obligatio, ubi lex est *incerta* seu probabiliter non exsistens. Ergo stat *Minor.*

63. — Nec dicas, quod, deficiente lege *directa certa,* exsistat alia lex *indirecta certa,* i. e. *certo cognita,* pariens obligationem *certam.* Nam si talis lex fingi posset, vel esset lex vitandi periculum peccandi, vel lex tutius sequendi; porro neutrum fingi potest.

1° Non lex *vitandi periculum peccandi.* Etenim 1° retorqueri potest objectio in probabilioristas ipsos, siquidem, supposita hujusmodi lege, jam ne liceret quidem sequi solide probabiliorem, relicta tutiore, quia tunc etiam adesset tale periculum, ut constat ex supra dictis. — 2° Illa lex non posset *certo* exsistere et proinde me *certo* obligare, nisi inquantum esset revera periculum peccandi formaliter in omissione legis directae, quae probabiliter non exsistit. Porro nullum est periculum peccandi formaliter, siquidem illa lex *directa,* utpote *incerta,* nullam parit obligationem *certam,* ut ex dictis patet. Ergo si forte exsistit lex illa prorsus *incerta,* dabitur tantum violatio materialis legis: ergo nullum aderit peccatum. Actio enim posita, si fortassis sit *materialiter* contra legem, *certo* non erit contra eam *formaliter,* i. e. *certo* non erit contra conscientiam.

2° Neque lex *tutius sequendi.* Etenim 1° si fingeretur talis lex, valeret etiam contra adversarios, et nos deduceret in errorem, siquidem tutiorismus est proscriptus in damnatione propositionis *Sinnichii: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* 2° Illa lex tutius sequendi supponeret, non esse *simpliciter tutum,* negligere legem probabiliter non exsistentem. Porro hoc falsum est, ubi agitur de solo licito vel illicito; nam *tutum* est vitare peccatum et peccati periculum: porro vitatur peccatum et periculum peccati non

adimplendo legem *directam, probabiliter non exsistentem*, ut supra dictum est.

II. Argumentum ex auctoritate.

64. — Ex variis capitibus constat, scilicet:

1° Ex consensu communiori auctorum plurium saeculorum. Etenim ex quo exorta est disputatio de probabilismo, nempe a medio saeculo decimo sexto, ingens prodiit turma ejus patronorum ex omni natione, statu, conditione, et ex omnibus religiosorum ordinibus, ita ut pro hac sententia pene innumeri auctores adduci possint, quorum non pauci maximum nomen theologicum sibi promeruere, ut *Suarez, Cardinalis de Lugo, Lessius, Eusebius Amort, Bonacina,* et recentioribus temporibus *S. Alphonsus de Ligorio.* Verum plures in tanta doctorum caterva, qui probabilismum propugnarunt, forte plus aequo in benignam partem propensi illius limites nimis extenderunt et in laxismi abyssum prolapsi sunt. Ut autem hujuscemodi periculum praecaveamus, limites veri et moderati probabilismi conscripsimus, scilicet non admittendo opinionem ut probabilem, nisi vere solido fundamento innitatur seu nisi solidae omnino rationes pro ea militent. Auctores sane multi, etiam ante *S. Ligorium,* taliter et ipsi probabilismum intellexerunt.

65. — 2° Ex doctrina hujusce temporis communiter tradita. Etenim, si inspiciantur scholae per totum orbem diffusae, in plerisque invenietur tradita et propugnata *probabilismi moderati* doctrina, praesertim Romae, quae merito haberi debet ut centrum scientiarum theologicarum, et ubi doctrina falsa publice, tacente Ecclesia, doceri nequit. Sic etiam in tota Italia, Hispania, Germania etc. — In ipsa Gallia unanimi fere plausu in dies nunc excipitur *S. Ligorii* doctrina, quae sane probabiliorismo adversatur, licet ad aequiprobabilismum theoretice magis accedat.

3° Ex approbatione Ecclesiae saltem implicita in approbatione operum *S. Ligorii.* Etenim solemniter declaravit sacra Rituum Congregatio, nihil esse censura dignum in operibus s. doctoris. Iterum ex decreto *S. Poenitentiariae (5. Jul. 1831),* a *S. P. Gregorio XVI.* approbato, professor quivis theologiae sequi et docere potest omnes opiniones, quas in sua theologia morali profitetur *S. Ligorius,* nec inquietandus est confessarius, qui easdem in praxi sacri tribunalis poenitentiae sequitur.

III. Argumentum ex consectariis.

66. — I. Sequeretur in systemate probabilioristarum nimia difficultas pro confessariis. Etenim confessarius saepe exponeretur periculo peccandi ob defectum sufficientis diligentiae in perpendendis variis gradibus probabilitatis, praesertim in materia restitutionis, quando ex duabus opinionibus aeque probabilibus unam sequeretur. Si enim sententiam benigniorem assumeret, peccaret illud permittendo, in quo deformitatem probabiliter exsistentem apprehenderet. Si juxta sententiam rigidiorem ageret, peccaret jugum incertum poenitenti imponendo. Insuper, licet sententia rigidior ipsi appareat probabilior, quandonam certus erit, eam revera talem esse, nec alteri confessario oppositam probabiliorem videri? Neque quisquam munus confessarii subire posset, nisi forte ita versatus in theologia morali, ut sciat distinguere inter opiniones probabiliores et minus probabiles; onus enim faciendi includit onus sciendi: paucissimi autem hoc praestare valerent.

Hinc sequitur etiam contradictio confessariorum, qui haud raro dictitant, se non posse principia probabiliorismi *rigorose* in administratione sacramenti poenitentiae applicare, et ideo aliud in speculatione, aliud vero omnino oppositum in praxi tenent. Nec desunt, qui in angustiis constituti facile id probabilius judicent, quod alias minus probabile haberent. Nonne praestaret,

principia mitiora statuere et admittere cum tot et tantis doctoribus eaque *exactius* in praxim deducere?

67. — II. Sequeretur nimia difficultas pro fidelibus. Etenim ipsis imponeretur obligatio inquirendi in dubiis, quaenam opinio sit probabilior; obligatio enim operandi secundum probabiliorem includit obligationem sciendi. Porro plerumque datur impossibilitas moralis distinguendi inter probabiliorem et minus probabilem, et hoc etiam doctis valde difficile est. Quaero enim, an tenear ad probabilius *in se* seu *absolute*, vel *quoad me* seu *relative*? Si *prius*, unde sciam? Si *posterius*, iterum vel agitur de probabilitate *intrinseca* vel *extrinseca*. Si de *posteriori*, qualis schola sequenda? . . . Quales doctores interrogandi? . . . Si de *priori*, crescit difficultas: unde sciam, an sim satis instructus? an in ignorantia invincibili vel non? Anceps, dubius, quid agam? Recurram ad magistros? At est extra suppositum: meum enim est judicare. Hinc quantae sint angustiae pro fidelibus ex illa necessitate probabilius tutiusve sequendi, manifestum fit. — *Segneri, Opusc. de probab.*

68. — III. Sequeretur fluctuatio perpetua doctrinae. Etenim ex probabiliorismo sequitur perpetua fluctuatio doctrinae inter ipsos probabilioristas. Factum comprobat quotidiana experientia. Sed ex ipsa natura probabiliorismi oritur illa discrepantia: impossibile est enim, ut in praxi conveniant. Nam, posita obligatione sequendi opinionem, quae cuique probabilior apparet, necessario alii pro affirmativa parte, alii pro negativa resolvent. Ligabit unus, solvet alter: siquidem, quod tibi probabilius apparebit, facillime alteri aeque vel minus probabile videbitur. Hinc sequetur confusio decisionum, perplexitas fidelium et angustiae ipsorummet confessariorum, qui ex excessu aliquo probabilitatis existimato gravissimas obligationes imponent. Probabilismus vero bene intellectus hujusmodi incommodis, saltem plerumque, caret. Duo enim tantum sunt probabilistis perpendenda, scilicet obligationes certae et obligationes vere probabiles. Quamvis vero non facile semper constet de vera probabilitate, nemo tamen non videt, multo facilius esse, ordinarie loquendo, discernere, an solida ratio contra legem habeatur, quam de excessu aliquo probabilitatis judicium proferre.

Objectiones: (1)

69. — *Obj.* 1° *Ex scriptura sacra. Eccli. 3. 27.: Qui amat periculum, peribit in illo.* Atqui probabilistae *amant periculum*, sequendo opinionem aeque vel minus probabilem. — *Eccli. 37. 20.: Ante omnia opera tua verbum verax praecedat te.* Atqui in probabilismo non est verbum *verax*. — *1. Thess. 5. 22.: Ab omni specie mala abstinete vos.* Atqui probabilistae permittunt sequi *speciem* mali.

Resp. 1° Quid ad rem? Inanis et vacua applicatio!

Resp. 2° *Retorqueo.* Haec enim objecta scripturae loca sic intellecta ne permitterent quidem sequi probabiliorismum. Nam in opinione probabiliori contra legem adesset *periculum peccati . . . verbum non verax . . . species mali.*

---

(1) Observa in genere quoad has probabilioristarum objectiones:

a. Objectiones contra probabilismum fere omnes in ipsos probabilioristas retorqueri possunt.

b. Nequit dici: sententia probabilior veritati propior est, quam solide probabilis. Ut enim hoc dijudicetur, jam sententia *vera* cognita esse deberet, quod est contra hypothesin.

c. Opinio probabilis in sensu auctoris semper conjuncta est cum formidine *speculativa* quoad oppositum, sed non cum formidine et dubio *practico*. Hoc vero sufficit ad omne periculum formalis peccati avertendum, cum in tali casu utique dubia sit adhuc aliqua sententia, sed non liceitas actionis; cum praeterea principium reflexum „lex dubia non obligat," sane certum, opinionem speculative dubiam non excludat, sed necessario supponat.

Resp. 3° *directe. Ad primum:* Agitur ibi de impoenitentia finali, ut patet ex contextu: *Cor durum habebit male in novissimo et, qui amat periculum, in illo peribit.* Insuper nullum adest periculum, ubi nullum deprehenditur peccatum.

Ad secundum: Verbum *verax* apud nos est ipsum principium reflexum, quod parit certitudinem practicam, et proinde actus ex eo positus veritati conformis est.

Ad tertium: Abstinet a specie mala, qui hoc peragit, in quo nullum videt peccatum; tunc enim nec *peccati speciem* cernit.

70. — *Obj.* 2° *Ex jure canonico.* In jure canonico haec regula passim traditur: *In dubiis pars tutior eligenda est.* Sic in *cap.* Illud Dominus (5.) *de clerico excomm. (V. 27.)*

Resp. 1° *Retorqueo.* Si res ita sit, jam tibi non licet sequi opinionem etiam probabiliorem contra legem, quia non est *via tutior.* Consequenter tibi confugiendum erit ad tutiorismum. Sed systema illud est damnatum. Quid igitur facies? Tu videris.

Resp. 2° *directe.* Agitur in praefata regula de dubio practico, non vero de dubio speculativo, in quo ope solidi motivi conscientia efformari potest; vel etiam agitur de casibus, in quibus finis est necessario obtinendus. Ita *S. Lig.* ad *obj. IV. coroll. 2d. n. 79.* (1)

Obj. 3° *Ex patribus.* Proferuntur multa patrum testimonia, quae probabiliorismo patrocinari videntur, apud *Collet, Concina, Billuart* etc.

Resp. 1° Eadem sit responsio generalis, ac in objectione praecedenti. Plerumque enim patres loquuntur de casibus particularibus dubii practici, vel ubi finis necessario obtinendus est.

Resp. 2° Non desunt patrum alia testimonia probabilismo evidenter faventia. Satis sit pauca referre. — *S. Aug. in epist. 54.* (alias *118.*) *c. 2.* ait: *Quod neque contra fidem, neque contra mores esse convincitur, indifferenter habendum est. S. Greg. Naz. orat. 39.* dicit: *Quod si dubia res est, vincat humanitas et fragilitas.*

71. — *Obj.* 4° Opinio probabilis non remanet probabilis in concursu probabilioris; minor enim probabilitas a majori eliditur et destruitur.

Resp. Nego. Etenim, si elideretur minor probabilitas, jam major probabilitas evaderet certitudo seu dubium prudens excluderet. Hoc autem esse falsum, manifestum est. — Insuper rationes ex principiis disparatis et non subordinatis petitae se invicem elidere nequeunt. Rationes enim meae, non obstante opposita probabilitate, in toto suo robore stabunt, usque dum eas esse falsas probaveris.

Obj. 5° Probabilistae non agunt ex *morali certitudine,* ne ex principio quidem reflexo, cum opinionem suae oppositam improbabilem dicere nequeant. Ita *Billuart art. 2.; Gerdil c. 6.*

Resp. 1° *Retorqueo* ex paritate rationis. Difficultas igitur tibi prius solvenda est.

Resp. 2° *directe.* Principium nostrum reflexum istud est: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* seu *lex incerta certam obligationem imponere nequit.* Porro principium hoc inconcussum est, cum non possit negari, quin sibi contradicant negantes. Imo adversarii in nullo alio principio reflexo prudenter inniti possunt.

72. — *Obj.* 6° Imprudenter agit probabilista non sequendo opinionem verisimiliorem, et agit contra conscientiam faciendo id, quod probabiliter vel etiam probabilius est peccatum.

Resp. 1° *Retorqueo.* Nonne tu pariter agendo id, quod est probabiliter contra legem, imprudenter te geris?

Resp. 2° *directe.* Non agit imprudenter ille, qui nullam cernit obligationem in oppositum, nec proinde agit contra conscientiam, cum nullam de-

(1) Exstant praeterea in jure etiam regulae contrariae. Cf. *n. 75.* et *76.*

ɜm in sua actione depre-

7° Probabilista vult objectum, rit probabilius materialiter ma-go vult etiam malum formale, materiali cognito separari

. 1° *Retorqueo.* Tu vero nonne aboras incommodo? Etenim, probabiliorem opinionem secontra legem, nonne vis defor- materialem saltem probabilem ɜquenter formalem? Numquid itas, quae paulo major tibi ap-ericulum violandae legis tollere

. 2° *directe. Nego ant.* Pro- non vult deformitatem ullam, rialem quidem. Etenim, cum as objectiva sit dubia, actus sse bonus. Ergo si potest esse potest non intendi et reapse nditur ut malus. Siquidem sim-ignoratur ut malus, et defor-gnota objectum voluntatis esse

— *Obj.* 8° Adhibenda est cura nimae quam corporis. Porro grotans eligit remedium minus et relinquit probabilius efficax, saniat? Sic *Collet* cum aliis ncis.

. 1° *Retorqueo.* Quis aegro-nae mentis sumit remedium liter nocivum, relicto reme-to? Nonne tutius potius se-m est?

. 2° *directe.* Quid ad rem? In-avillatio! Quis non videt, usum litatis hac in re esse prorsus n? Numquid probabilitas major ior in causis physicis avertere periculum pravi effectus, qui ? Ergo negandum suppositum ıritate.

— *Obj.* 9° Judex in ferenda ia debet sequi opinionem pro-em, ut patet ex damnatione se-propositionis sub *n.* 2. ab *In-o XI.* facta: *Probabiliter exi-judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem.

Resp. Exemplum nihil facit ad rem. *Neg. conseq.* Ratio damnationis hujus propositionis est, quia judex ab auctoritate constituitur, ut unicuique jus suum tribuat; porro jus majus habet ille, cui major favet probabilitas. — *S. Lig., de praec. partic. n. 210.* Ut exemplum esset ad rem, proferri deberet casus, ubi de solo licito vel illicito agitur.

ARTICULUS III.
DE REGULIS ET USU PROBABILITATIS
seu de regulis specialibus ad conscientiam in dubiis efformandam.

75. — Praeter regulas generales, vi quarum efficacia probabilismi determinata est in articulo praecedenti, scilicet: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet,* vel *lex dubia non obligat,* recensentur etiam nonnullae regulae speciales, quibus priores confirmantur vel in particularibus casibus applicantur. Sunt autem sequentes:

I. *In dubio vel in probabilitate standum est pro eo, pro quo stat praesumptio.* Ratio est, quia praesumptio plerumque efficit certitudinem moralem saltem latam. Hinc, si soleas *tali tempore diligenter* recitare breviarium et dubites, an aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet et te ab obligatione recitandi eximit. Item si dubites, utrum superior juste praecipiat vel dispenset, pro illo stat praesumptio, quia rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter judicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur. — *Ita communiter theologi.*

II. *In dubio judicandum est ex ordinarie contingentibus.* Axioma communiter receptum. — *S. Lig.* passim. — Recidit regula haec magna ex parte in praecedentem, cum in utraque praesumptio sit ratio judicandi. Sed prior latius patet, siquidem praesumptio pot-

est non tantum erui *ex ordinarie contingentibus*, sed etiam ex particularibus circumstantiis. — *S. Lig.*

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula juris civilis, etiam rebus theologicis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito; v. g. si dubites, an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. — *S. Lig., de consc. n. 26.* etc. Principium istud videtur etiam intelligendum 1° in *favorem libertatis*, modo non obstet contraria praesumptio aut bonum commune reipublicae vel religionis. — 2° *Contra libertatem* in foro externo, et etiam in foro interno, cum agitur de bono publico, v. g. *de contractibus*, praesertim de *matrimonio*. Ratio autem, cur non sit applicandum in omni casu illud principium contra libertatem, est, quia obstat aliud principium supra enumeratum, scilicet: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Porro non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua ratio evidens justitiae, religionis, boni publici vel alterius finis necessario obtinendi. — *S. Lig., de consc. n. 26.; de poenit. n. 505.* — *Voit. I. n. 38.*

76. — IV. *In dubio favores sunt ampliandi et odia restringenda (Reg. jur. 15. in 6°.)* seu: *in dubio benigniora sunt praeferenda (Reg. jur. civ.).* Unde sic statuendum videtur, tum secundum hoc principium, tum secundum communiorem interpretationem: 1° Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2° Si odia et favores sint indivisibilia, tunc judicandum de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subjecta materia aut ex annexis circumstantiis. 3° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. (1) — *S. Lig., de leg. n. 99.*

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum (Reg. 30. de reg. juris in 6°).* Sic intelligenda est haec regula: Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti et, inquisitione praemissa, determinari non potest nec ex natura rei, nec contextu verborum, nec loci consuetudine aliave circumstantia, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admittenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle obligare praeter id, quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate poenae infligendae, minima eligenda est. Item, si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata seu regulae juris civilis apud omnes receptae, scilicet: 1° *In dubio factum non praesumitur, sed demonstrari debet.* Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem; v. g. si dubium sit, an aliquis alium percusserit, hoc factum praesumi non debet, sed, qui affirmat, debet illud positive probare. — 2° *In dubio praesumitur factum seu recte factum, quod de jure faciendum erat.* Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; tunc, si hoc de jure faciendum esset, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, praesumitur factum esse. — 3° *In dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur.* Hoc valet, quoties agitur de dubio alicujus delicti. Illud imputari non debet, nisi de eo certo constet. Delicta enim non praesumuntur; nec malus quisquam praesumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio pars tutior est se-*

(1) Per odia vel odiosa intelligitur, quidquid tendit ad poenam, vel laedit jus tertii, aut juri communi opponitur. — Per favores autem seu favorabilia intelligitur quidquid libertati indulget vel gratiam concedit sine detrimento privatorum, nec communitatis, nec juris ipsius. (Nota auct.

quenda (*Regula juris canonici*). Haec regula restringenda est ad casus *dubii practici* vel ad eos, in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod est reformidandum, ut v. g. in sacramentis conficiendis, juxta superius dicta *n. 56*. Ex omnibus hucusque expositis compertum est.

Resolves:

77. — 1° Non licet sequi opinionem tantum *probabiliter* probabilem contra legem, quia illa opinio non est proprie et solide probabilis, et proinde nequit haberi ut *dictamen* conscientiae certum, cum ratio dubitandi remaneat.

2° Non tibi licet sequi sententiam aliis probabilem et tibi actu absolute falsam. Ratio est, quia si judicas, actu aliquid esse absolute illicitum, et illud facias, operando habes conscientiam peccati in praesenti actu, ideoque agis contra conscientiam tuam. Hinc, ut licite sequaris sententiam alienam, debes eam prius facere tuam, i. e. judicare, eam esse probabiliter veram, vel objectum ejus esse probabiliter licitum. — *Reuter n. 105.*

3° Non licet semper sequi quamlibet opinionem speculative probabilem, quia quandoque opinio speculative probabilis non est practice probabilis; potest enim dari actio in se quidem licita, quae tamen in praxi fieri nequit ob periculum scandali, irreverentiae, injustitiae etc.

4° Non licet sequi opinionem probabilem, quando opposita apparet probabilissima, quia non videtur posse stare motivum grave in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio habenda est ut dubie vel tenuiter probabilis. Cf. supra *n. 52.*(1)

Quaesita:

78. — Quaer. 1° *An licitum sit ut probabilitate non tantum in materia juris positivi, sed etiam juris divini et naturalis?*

(1) et *n. 59.*

Resp. Affirmative, quia non constat de legis exsistentia, quoties contra eam militat vera et solida probabilitas; proinde datur ignorantia vere invincibilis de tali lege. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare in casu ignorantiae invincibilis. — *Lacroix* etc.

Quaer. 2° *An confessarius possit vel debeat absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem quidem probabilem, sed oppositam sententiae, quam ipse tenet?*

Resp. Affirmative, si poenitens adhaereat opinioni vere probabili cum conscientia efformata. Ratio est, quia poenitens habet jus sequendi opinionem vere et solide probabilem, nec confessarius jus habet ipsi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores essent. Confessarius enim non est *judex opinionum,* quas poenitens sequi tenetur, sed est tantum *judex dispositionis* sui poenitentis, ut patet ex *Trident. sess. 14. c. 5.* — *Ita S. Lig., de poenit. n. 604.* et *alii communiter.*(1)

Quaer. 3° *An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem?*

Resp. Affirmative, saltem generatim loquendo(2). Nam difficile est, aliquid esse *extrinsece* probabile, quin pro eo sit ratio vere gravis. Rationabiliter autem praesumi debet, adesse talem rationem, quando multi et graves auctores tenent, aliquam opinionem esse probabilem. Etenim, quando doctores aliquam opinionem tradiderunt ut probabilem, rei veritatem penitus perspexerunt et solidis motivis inniti debuerunt. — Hinc *S. Thom.: Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo, quod sibi*

(1) V. etiam *p. 2. n. 627. Q. 7°.*

(2) Imo, in quaestionibus, quarum solutio magnopere pendet a prudentum aestimatione, major auctoritas majorem constituit probabilitatem. — *Scav.*

secundum suam rationem videtur. 2. 2. *q.* 4. *art.* 8. — Accedit etiam auctoritas *S. Poenitentiariae.* Etenim S. Congr. interrogata, utrum esset inquietandus confessarius sequens doctrinam *S. Ligorii,* quin rationes ejus perpendat, sed tantum propter ejus auctoritatem, respondit *negative;* et hoc responsum fuit a S. Pontifice *Gregorio XVI.* approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsecam supponit.

79. — Quaer. 4° *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo:* Qui probabiliter agit, prudenter agit?

Resp. Principium istud sic enuntiatum falsum est, si habeatur ut principium primarium et *per se* vim habens. Ratio est, quia actio nequit esse prudens *directe* ex probabilitate, sed ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum ut consequentia alterius principii primarii, quod sit per se regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Non est obligatio, nisi de ea certo constet.*

Quaer. 5° *Quomodo intelligendum sit axioma:* Melior est conditio possidentis? *(Regula jur. 65. in 6°).*

Resp. 1° Axioma istud certo valet in materia justitiae, *saltem ordinarie,* i. e. supposita bona fide et vera possessione. Ratio autem fundamentalis assertionis hujus est praesumptio, quae in favorem possessoris militat. Etenim, cum ex una parte homines, generatim loquendo, non sint rerum suarum ita incurii, ut eas ad alios transire et apud eos manere sinant, et ex altera vir probus possessionem sine titulo acquirere non soleat, in dubio *conditio possidentis* potior praesumenda est. Hinc ex aequitate naturali et sensu communi ea recepta est regula: *In dubio melior est conditio possidentis.*

Resp. 2° Probabiliter autem non valet principium istud in aliis materiis extra justitiam. Etenim ex dictis superius non valet in materia justitiae, nisi ex generali praesumptione, quod res pacifice possessa ad possessorem pertineat. Unde possessio in societate civili est factum mere materiale, quod *per se* ex natura sua nullum jus constituere potest. Non enim ex eo, quod agrum possideam, concludi potest, eum titulo legitimo a me possideri. Cum autem agitur de aliis materiis, nulla possessio invocari potest, cum nulla sit praesumptio, quae libertati jus quodpiam creet. *Dices:* Possidet libertas contra legem, vel possidet lex contra libertatem... Sed quid sibi vult, quaeso, talis possessio?... Quanam auctoritate huic facto possessionis jus creatur? Quid possidet lex?... quid libertas? Possidetne lex jus imperandi? Sed nonne dubium evadit jus illud, cum ipsa lex sit dubia?... Quid etiam possidet libertas?... Jus agendi?... Sed eo ipso, quod lex dubia sit, nonne etiam jus libertatis dubium efficitur?

Exemplum. Potes, ais, carnes edere media nocte elapso die Jovis, si probabiliter aut saltem probabilius judicas, non adhuc effluxisse horam duodecimam. Quare? Quia possidet libertas. Sed eadem praecise hora, nocte Sabbati, nequis carnibus vesci, licet probabiliter aut probabilius hora duodecima effluxerit. Quare? Quia possidet lex carnes vetans. At quid facit, quaeso, ista possessio libertatis vel legis ad cognitionem datae vel non datae horae duodecimae noctis? Dicis: Certa erat libertas in primo casu, et lex in secundo, tempore immediate praecedenti; ergo possidet libertas in priori casu et lex in posteriori. — Sed repono: Quod fuit prius certum, nunc prorsus incertum est; quod autem incertum est, certo possidere non potest: prius est enim certo exsistere, quam certo possidere.

Ceterum haec quaestio quam maxime inter theologos agitatur. *S. Lig.* cum aliis non paucis principium possessionis non solum in justitiae materia, sed etiam in alia qualibet morali obligatione adstruit. — *De consc. n.* 27. 28. Oppositum autem tenent alii doctores etiam valde graves, licet

numero pauciores. Sic *Billuart diss. 6. art. 2. et alii, infra ad quaest. seq. referendi.*

Attamen omnes admittunt legis possessionem in dubio *practico* de ejus cessatione vel de cessatione ejus obligationis.(1) — Ratio est, quia, quando lex fuit semel certa, debet supponi eam manere certam, usquedum non fuerit probatum solidis in oppositum rationibus, eam evasisse incertam.

80. — Quaer. 6° *Si dubites, utrum alicui obligationi jam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

Resp. 1° *Affirmative* prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto seu de *dubio practico.* Ratio est, quia in tali dubio numquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis *n. 39. 41.* et *70.*

Resp. 2° Si autem agatur de *dubio speculativo* seu de vera et solida probabilitate, *controvertitur.*

I^a *Sententia communior affirmat.* Ratio deducitur ex hoc principio communiter admisso: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam.* Etenim lex semel exsistens et imperans, jus habet exigendi rigorosam obedientiam seu indubiam obligationis impletionem. Porro, quando dubitas vel tantum probabiliter aut etiam probabilius existimas, te legem adimplevisse, ipsi rigorose minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usque dum certo satisfeceris. — *S. Lig., de consc. n. 28. 29.* — *Concina, de voto.* — *Collet, de consc. c. 4.* — *Antoine, de relig. seu de voto c. 3. Q. V. etc.* — *Voit, de voto n. 587.*

II^a *Sententia negat* cum theologis non paucis et minime obscuris. Etenim, ajunt, non est imponenda obligatio, nisi de ea *certo constet,* ut supra de probabilismo dictum est. Porro non constat de obligatione, cui jam *probabilius* aut *probabiliter* satisfactum est. Praeterea ex illo principio: *Non est imponenda obligatio* etc. duplex conclusio deducitur: 1° Quoties lex non probaverit suam exsistentiam, nulla est pro voluntate humana; et sic omnis lex dubia, lex nulla. 2° Ergo etiam, quoties lex cessat probare suam exsistentiam, cessat quoque lex illa exsistere pro humana voluntate; et sic omnis lex, quae, aliquando certa, fit lapsu temporis dubia, eo ipso amittit vim obligandi atque ut nulla habenda est. Haec autem secunda conclusio est complementum logicum prioris; quemadmodum enim obligatio pendet a notitia certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione notitiae certae ejusdem.

Quoad axioma, quod objicitur: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam,* respondetur, verum esse, quoties sermo est de dubio practico, non vero, si libertati faveat vera et solida probabilitas. Hanc sententiam tenent *Suarez in 3^am part. S. Thom. ad q. 90. disp. 22. sect. 9. n. 6.*(1) — *Roncaglia, de voto c. 2. q. 4.* — *Tamburinus, Meth. conf. t. 2. c. 1. n. 10.* — *Lugo, de poenit. diss. 16. n. 59. 60.* — *Bonacina, de integrit. conf. diss. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3.* — *Lacroix, lib. 1. n. 272. 599. 600.* — *Salmanticenses, de voto c. 1. n. 145. etc. etc.*

Adde ex castris probabilioristarum *Billuart, de integrit. conf. §. 4.* — *Vernier, de integrit. confess. n. 66. et alios,* qui dicunt, satis esse, si legi probabilius fuerit satisfactum.

Negari nequit, sententiam hanc probabilitate *extrinseca* gaudere, cum non pauci nec minoris notae theologi ei patrocinentur. — Aliunde motiva, in quibus innititur, minime spernenda videntur.

Ceterum in praxi priorem opinionem enixe commendandam censeo, imprimis ob periculum agendi cum conscientia practice dubia.(2)

---

(1) Cf. *notam 2. ad n. 80.*

(1) qui tamen in dubio de legis cessatione legem „possidere" adstruit. — *De leg. l. 6. c. 8. n. 13.*

(2) Theoria probabilismi innititur, ut ex

TRACTATUS
DE LEGIBUS.

Lex est regula externa et remota actuum humanorum, sicut conscientia seu dictamen practicum rationis est eorumdem regula interna et proxima.

Agendum: 1° De legibus in genere; — 2° de praecipuis legum speciebus.

PARS I.
DE LEGIBUS IN GENERE.

Dicemus de legis natura, — auctore, — objecto et subjecto, — promulgatione et acceptatione, — obligatione, — interpretatione, — dispensatione et cessatione.

CAPUT I.
DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS.

81. — Definitio: Lex est ordinatio superioris stabilis ad bonum commune societatis imposita. Hinc differt a praecepto. Lex enim essentialiter fertur a persona publica et pro bono publico, dum praeceptum proprie dictum a persona privata emanare potest, et subditos privatos respicere. Tale est imperium patris in filium aut principis in aliquem subditum. Saepe tamen leges etiam praecepta dicuntur. Sic leges divinae Moysi in monte traditae praecepta decalogi nuncupantur. Ceterum leges inter et praecepta parvum intercedit discrimen(1), cum plerumque tum principia ipsa, tum eorum applicationes praeceptis aeque ac legibus conveniant. Idcirco in posterum a distinctione illa abstinebimus.

Divisio: Lex multiplici modo distinguitur:

1° *Divina* vel *humana,* prout Deum aut hominem auctorem immediatum habet.

2° *Naturalis* vel *positiva,* prout natura ipsa rationali, vel actu positivo legislatoris intimatur.

3° *Ecclesiastica* vel *civilis,* prout a potestate spirituali vel temporali fertur.

4° *Moralis,* aut *poenalis,* vel *mixta,* prout sub sola culpa, vel sub sola poena, vel sub utraque simul obligat.

---

contextu hujus tractatus abunde patet, praesertim principio: *lex dubia non obligat.* Hoc principium porro merito applicatur dubio de legis exsistentia et de ejusdem extensione. Num vero etiam dubio de legis vel obligationis cessatione? Auctor noster hac in re anceps haerere videtur. Plane vero consultum erit, talem extensionem non admittere, cum principium reflexum supra notatum *quoad hunc sensum* ne inter probabilistas quidem sit moraliter certum, sed valde dubium, uti constat ex duabus ultimis hujus tractatus paragraphis. Hinc affirmandum, in dubio (et quidem non solum practico, ut minus accurate ait auctor *n. 79.* in fine; in dubio practico enim contra legem agere semper nefas est!) de cessatione legis antea validae legi obediendum esse, donec cessatio per rationes moraliter certas innotescat; in dubio autem, utrum quis obligationi per se certae jam satisfecerit, adhuc onus satisfactionis subsistere, nisi forte alio adjuncto principio reflexo (v. gr. *n. 75. I.)* ab eodem liberetur, eo vel magis, cum dubium hoc legem objectivam non directe attingat, sed tantum effectum legis, ejusdem vim scilicet obligatoriam, ideoque minus proprie tantum principium fundamentale applicari possit: lex dubia non obligat. Ipse auctor huic sententiae favet, si agitur de materia justitiae. V. *n. 721.*

(1) Differt lex a praecepto *stricte sumpto* quadruplici modo: 1) lex fertur a persona publica in totam communitatem, praeceptum vero a persona quidem superiore, sed *vel* privata in personas privatas, *vel* etiam publica, sed agente cum persona privata et singulari; 2) lex etiam ad futuros extenditur, praeceptum ad solos praesentes: adhaeret scilicet personae singulariter determinatae; 3) lex per se perpetua est et vivit etiam legislatore suo defuncto, praeceptum vero exspirat morte praecipientis; 4) lex immediate afficit territorium, in quo promulgatur, mediate vero personas in eo degentes; praeceptum autem afficit immediate ipsas personas iisque firmiter inhaeret. — *Scav.*

5° *Affirmativa* vel *negativa,* prout praecipit actus positionem, vel illam prohibet. Hinc dicitur etiam *praeceptiva* vel *prohibitiva.*

6° *Prohibens* simpliciter, vel *irritans,* aut *permittens,* prout actum illicitum tantum, aut invalidum reddit, vel agentem prohibet inquietari.

7° *Favorabilis* vel *odiosa,* prout ampliat vel restringit libertatem.

8° *Scripta* vel *usu servata,* prout mandato scripto fertur, vel sola consuetudine introducitur et servatur.

Nota: 1° Omnes leges humanae referuntur ad legem divinam seu aeternam, tamquam regulae secundariae et subordinatae ad primam regulam; nec illae vim obligandi in conscientia aliunde repetunt, quam a lege Dei jubentis obedientiam legibus humanis.

Lex autem aeterna juxta S. Aug. *est ratio divina seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans.* Lex vero naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna homini per rationem suam manifestata.

Nota: 2° Omnis lex est aliquo modo praeceptiva, quia omnis lex aliquid injungit seu praecipit agendum vel omittendum. Lex enim de natura sua necessario obligat; non autem potest obligare, nisi praecipiendo actus alicujus positionem vel omissionem. Hinc lex permittens est etiam praeceptiva, saltem virtualiter; etenim permittendo, ut aliquid fiat, prohibet, ne illud fieri impediatur.

82. — Quaer. *Quales sint proprietates seu conditiones legis humanae?*

Resp. Sunt sequentes, quae in ipsa legis definitione includuntur, scilicet: debet esse *possibilis, honesta, utilis, justa, permanens* seu *stabilis* et *promulgata.* — *Ita ex prima parte Decreti D. 4. can. 2.* — *Consonat S. Thom. 1. 2. q. 90. art. 2. 4.* et *q. 95. art. 2.*

1° *Possibilis* seu de materia possibili; nemo enim ad impossibile obligari potest.

2° *Honesta,* i. e. statuens aliquid honestum; nam finis legis est homines facere bonos; nec homo bonus evadere potest per actus in se malos, ad quos obstringi non potest, cum ipsi lege naturali prohibeantur.

3° *Utilis* bono communi: 1° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2° quia lex est actus publicae potestatis, quae in solum bonum commune instituta est; 3° quia, cum toti societati vel ejusdem parti imponatur, debet quoque ad ejus bonum referri.

4° *Justa;* lex enim injusta non est lex, sed abusus potestatis. „Si lex humanitus posita in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio.“ — *S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 2.*

5° *Permanens* seu *stabilis,* i. e. statuta sine tempore definito, ita ut semel lata, nisi abrogetur vel noxia evadat aut inutilis, tamdiu duret, quamdiu stat communitas, cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiae, in quibus lata est.(1)

6° *Promulgata;* quia lex est regula generalis et publica actionum, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, nisi sit ei applicata et nota.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS *seu* DE LEGISLATORE.

83. — Legislator est superior legitimus, qui potitur auctoritate suprema, publica et independente supra communitatem ad ipsius regimen.

Principia:

I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario ceteri

(1) Nec tamen quaevis mutatio circumstantiarum legis cessationem inducit. Cf. *n. 121.* — Nota praeterea, legis stabilitatem non per hoc deficere, quod alligata sit definito tempori, sed per hanc proprietatem significari, legem suam vim non amittere, nisi per causas legitimas; item stabilitatem legum summopere conferre ad bonum publicum; differentia tandem aliqua inter legem et praeceptum innuitur. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 5. n. 2.* — *Suarez, l. 1. de legibus cap. 10.*

legislatores, quicumque sint, omnem suam potestatem accipiunt sive *immediate*, sive *mediate*. Deus enim est regula summa et essentialis cujuslibet ordinis, cum ipse solus gaudeat supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. — Constat etiam ex scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Prov. 8. 15. et 16.* — *Non est potestas, nisi a Deo. Rom. 13. 1.*

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quae ad res spirituales spectant.

Constat 1° ex scriptura sacra. Sic enim Christus Petro *Matth. 16. 19.: Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis etc.* — Et *Luc. 10. 16.: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* — Item *Act. 15. 28.: Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato.* Porro verba: *Quodcumque ligaveris . . . qui vos audit, me audit . . . imponere vobis . . .* significant potestatem ligandi seu leges statuendi Ecclesiae collatam.

Constat 2° ex ratione. Ecclesia enim est societas perfecta in suo genere. Ergo gaudere debet potestate expedita ad proprium regimen necessaria. Atqui Ecclesia suo regimini providere non posset, nisi facultatem condendi leges haberet; multi enim sunt abusus reprimendi inter fideles, multaque ad Dei cultum promovendum aut servandum et ad animarum salutem procurandam constituenda sunt.

Constat 3° ex traditione et constanti Ecclesiae praxi, seu ex variis constitutionibus apostolicis et conciliis, quibus statuta disciplinaria condita sunt.

84. — III. Principes saeculares leges circa temporalia condere possunt.

Constat 1° ex scriptura sacra. *Prov. 8. 15.: Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt . . .* ut supra *in I. princ.* — Et *1. Petr. 2. 13.: Subditi estote sive regi, quasi praecellenti, sive ducibus, tamquam ab eo missis.* (1)

Constat 2° ex ratione. Etenim principes a Deo tenent potestatem regendi subditos, ut supra dictum est; atqui hanc potestatem exercere non valerent, nisi facultate leges statuendi gauderent. Ergo etc.

IV. Semper obtemperandum est legitimis superioribus aliquid justa lege praecipientibus, sive immediate a Deo, sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt aeque a Deo societati gubernandae praepositi, ac propterea ipsius pollent auctoritate. Hinc nullius momenti est in praxi celebris controversia, utrum principes saeculares *mediate* vel *immediate* potestatem habeant.

Censenda autem est justa lex, quoties de ejus injustitia apud viros doctos et probos communiter non constat, quia rectus ordo requirit, ut in dubio praesumptio superiori faveat.

Quaesita:

85. — Quaer. 1° *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

Resp. Papa, concilium generale, episcopi et concilia particularia.

1° *Papa* seu Pontifex Romanus *pro tota Ecclesia.* Ipsi enim dictum est in persona Petri: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* — *Joan. 21. 15.* et *16.* Vox autem *pascere* idem significat, ac gubernare et regere. — Adde verba *Matth. 16. 19.* supra relata: *Quodcumque ligaveris* etc. Papa enim est verus successor Petri in cathedra Romana, est proinde *Summus Pontifex, Summus Claviger, Pastor Pastorum, Primarius* Christi *Vicarius in terris.*

2° *Concilium generale*, etiam *pro*

(1) V. etiam *n. 386.*

tota Ecclesia. Concilium enim illud repraesentat totam Ecclesiam; ergo potest, quidquid potest tota Ecclesia generatim sumpta; ergo leges condere potest pro tota Ecclesia. Sed nihil valet concilium generale, nisi Summus Pontifex ipsi praesit, sive per se, sive per legatos. Ecclesia enim, absente capite seu Papa, repraesentari non potest.

3° *Episcopi pro dioecesi.* Hoc enim necessarium est ad rectam dioecesis administrationem. Constat etiam ex illo *Act. 20. 28.: Vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Jus illud accipit episcopus in sua canonica institutione. Nihil autem potest episcopus in lege Summi Pontificis, cum inferior in superiorem jurisdictionem non habeat. Nec proinde quidquam statuere potest, quod legi communi opponatur vel illam infirmet.(¹) — Sed archiepiscopi et patriarchae leges ferre nequeunt pro dioecesibus suffraganeorum, quia non sunt superiores proprie dicti, quamvis earum lites ad se delatas componere possint.

4° *Concilia particularia pro provincia.* Etenim, si episcopi seorsim sumpti leges pro dioecesibus statuere valeant, similiter et in concilio, sive nationali, sive provinciali, leges pro natione aut provincia instituere possunt. Sed horum conciliorum decreta ad S. Congr. concilii Trid. mitti debent, ut recognoscantur. Sic ex antiquo jure a *Sixto V.* confirmato in Bulla *Immensa aeterni,* ubi dicitur de S. Congr. Concilii: *Provincialium vero* (conciliorum), *ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet.* Constat etiam ex *Bened. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 3. n. III.,* ubi haec habet: *Ea* (decreta), *antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V. ad Sacram Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit, provincialia concilia non solum a Sacra Congregatione Concilii recognosci et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus metropolitanis a quibus sunt celebrata, per apostolicas literas confirmari.*(¹)

86. — Quaer. 2° *An leges condere possint capitulum cathedrale Sede vacante, praelati regularium et abbatissae seu monialium superiorissae?*

Resp. 1° *Capitulum,* sede vacante, nihil innovare aut abrogare potest; sed dioecesim juxta leges exsistentes gubernare debet. Attamen statuta, quae pro circumstantiis necessaria forent, instituere posset. — *S. Lig. n. 104.* — *Gousset n. 129.*(²)

Resp. 2° *Praelati regularium* veras leges condere valent sive in congregatione generali ordinis, sive alio modo intra limites suae jurisdictionis seu juxta proprias ordinis constitutiones. Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, a quibus facultatem subditos gubernandi accipiunt.

Resp. 3° *Abbatissae* vel *superiorissae monialium* non possunt leges

(¹) Statuta episcopi etiam extra synodum, audito tamen consilio capituli (*v. p. 2. n. 121. 2°*), facta et promulgata juxta veriorem sententiam eamdem perpetuitatem habent, ac constitutiones synodales. Ita *Ben. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 5. n. 1.*

(¹) Confirmatio illarum synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis, sedulo distinguendis, fieri potest, in forma communi vel in forma specifica. Cf. *Bened. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 5. n. 11.* et *l. 12. c. 5. n. 13.* Nec tamen transmissio ad S. Congr. Conc. et multo minus confirmatio per Sedem Apostolicam necessariae sunt pro statutis synodi *dioecesanae.* — *Ben. XIV., ibid. l. 13. c. 3. n. 6.*

(²) Cf. *Bouix, tract. de capitulis p. 622. et seq.* — V. etiam *conc. Rom.* sub *Benedicto XIII. tit. 18.*

proprie dictas ferre, cum jurisdictionis ecclesiasticae non sint capaces. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res praeceptas vel circa ea, quae ad profectum monialium juxta regulas conducunt. Habent enim jus praecipiendi tum ex voto obedientiae a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinae, quae in communitate servari debet.

87. — Quaer. 3° *Quinam principes saeculares potestatem condendi leges habeant?*

Resp. Omnes ii, qui suprema gaudent auctoritate, seu ii, qui non sunt alterius delegati, ut ipsius nomine agant, quales sunt imperatores, reges, principes in principatu, magistratus reipublicae legitime constitutae etc.; non vero duces militum nec praefecti provinciarum, quia proprio nomine agere nequeunt.

Nota: Aliquando fieri potest, ut quis, nomine proprio agens, superiorem habeat. In eo casu ejus leges a primario superiore irritari aut reformari possunt. Sic Summus Pontifex reformare potest leges ab episcopo aut a concilio provinciali, vel a praelatis regularibus latas. Pariter princeps primarius in ordine civili leges principis feudatarii corrigere valet.

CAPUT III.

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO LEGIS.

88. — Objectum legis est generatim, quidquid lex praecipere vel prohibere potest.

Principia:

I. Objectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest. Ex dictis sequitur.

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti objectum legis esse possunt; nam ad bonum commune aliquando expedit, ut actus mere indifferentes a lege praecipiantur vel vetentur.

Quaesita:

89. — Quaer. 1° *An actus heroici sub lege cadant?*

Resp. Generatim sub lege cadere non videntur, quia plerumque vires humanas excedere moraliter censentur. Attamen aliquando, requirente bono communi, praecipi possunt, quia tunc bonum privatum publico cedere debet. Sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitae, si detrimentum inde respublica captura sit.

Quaer. 2° *An lex humana possit praecipere actus mere internos?*

Resp. 1° Lex civilis certo non potest, quia sine his actibus legislator finem suum obtinet; aliunde de internis judicare nequit. — 2° Lex ecclesiastica probabilius etiam non potest, quia hujusmodi leges ad externam tantum ovilis Christi gubernationem pertinent. — *S. Lig. n. 100.* — *S. Thom., Suarez, Bened. XIV.* etc. contra alios, qui probabiliter etiam affirmant, quia Ecclesia illimitatam potestatem a Christo accepit. — Quidquid sit, Ecclesia numquam tali potestate usa est.

90. — Quaer. 3° *An vero lex humana possit praecipere actus mixtos, seu partim internos et partim externos?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia actus mixti constituunt simul unum *morale indivisum.* Sic Ecclesia praecipit dolorem in confessione ad satisfaciendum praecepto confessionis annuae. — *Ita omnes.*

Quaer. 4° *An lex humana praecipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm., quia potestatem habet dirigendi, quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt, et per accidens evenit, quod puniri nequeant. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 5° *An confessarius actus mere internos injungere possit?*

Resp. Affirm., quia confessarius, cum ipsum Christum in tribunali poenitentiae repraesentet, divinae ejus

potestatis in poenitentem fit particeps.(¹) Hinc pias meditationes poenitentibus injungere potest. — *Voit n. 163.*

ARTICULUS II.
DE SUBJECTO LEGIS.

Principia:

91. — I. Omnis homo nascitur et remanet subjectus legi naturali. Etenim lex naturalis, cum sit ipsamet divina voluntas, rectae rationi consentanea praescribens, in mente cujusvis hominis indelebili charactere imprimitur. Igitur per accidens fit, ut, obvoluta ratione, non statim agnoscatur, vel aliquando cognosci desinat.

II. *Omnes* et *soli subditi* rationis habitualiter compotes sunt legi humanae subjecti. — Ratio *primi* est, quia lex ferri nequit, nisi in subditos; secus enim legitima auctoritas deficeret. Ratio *secundi* est, quia homines habitualiter usu rationis carentes legibus dirigi non possunt.

III. Soli homines actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare, quia deficiente cognitione nemo peccare potest juxta dicta in *tract. de act. hum. n. 4.* — Hinc, qui ad breve tempus ratione carent, dicuntur *excusati* ab impletione legis, licet ejusdem sint subditi.

Resolves:

92. — 1° Infantes et perpetuo amentes non sunt legis humanae subditi, ut patet ex *principio II.* Licet igitur eis dare carnes edendas diebus, quibus illae ab Ecclesia prohibentur etc.

2° Non licet provocare infantes et amentes ad rem intrinsece malam, v. g. ad blasphemias, ad turpitudinem etc., quia illi lege naturali obligantur *in actu primo* seu radicaliter, eo quod naturam rationalem habeant: ideoque formaliter peccant, qui eos ad actus intrinsece malos provocant. — *Reuter n. 167.*

(¹) Adde, ejus potestatem directe ad liberationem internam conscientiarum in individuo esse collatam.

3° Infideles, nimirum quicumque baptismo non sunt expiati, legibus ecclesiasticis non obligantur, quamvis teneantur Ecclesiam ingredi(¹); Ecclesiae jurisdictioni enim nondum subjiciuntur.

4° Amentes ad breve tempus vel qui multa lucida habent intervalla, ebrii et dormientes sunt quidem legi subjecti, quia sunt in statu habituali usus rationis, licet per accidens sint ab ea excusati, si non sint actualiter rationis compotes; proinde lex in eos vim suam retinet. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis. — *S. Lig. n. 155.* etc.

5° Haeretici, schismatici et quicumque alii baptizati, etsi non catholici, legibus ecclesiasticis *rigorose per se* tenentur, quia, quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiae subditi. Attamen *per accidens* in praxi non videntur *peccare,* quia, licet sint haeretici formales et ideo graviter peccent per rebellionem generalem, nihilominus in his casibus particularibus peccare non putant(²).

6° Excommunicati pariter legibus Ecclesiae adstringuntur, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent.

Quaesita:

93. — Quaer. 1° *An clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. 1° Certo non obligantur legibus, quae repugnant immunitati ecclesiasticae adhuc vigenti et eorum statui vel sacris canonibus. *Ita communiter.*(³) — 2° Certo obligantur ad omnes leges, quae bonum commune immediate spectant. — 3° Quoad alias leges videntur teneri, sicut et ceteri, quia sunt pars communitatis, et censetur Ecclesia consentire. Ita

(¹) si ejusdem divina institutio ipsis sufficienter proposita sit —

(²) dummodo per invincibilem errorem id putent; etiam per voluntarium in causa quandoque forte peccabunt.

(³) V. *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 9.*

communius.(1) — *Suarez.* — *Reuter n. 168.*

Quaer. 2° *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum attigerint?*

Resp. Affirm. probabilius, quia omnis homo ratione utens est eo ipso legi subditus, ut constat ex *princ. II.* — *S. Lig. n. 155. (ut probabilius).* — *Collet, de leg. c. 5. etc.* — Attamen probabiliter negant non pauci, quia, ajunt, Ecclesia censetur attendere ad ea, quae communiter contingunt. Sic *Lacroix n. 676. (ut probabile).* — *Reuter n. 167.* — *S. Lig. (ut probabile), de 3° praec. dec. n. 270.* — *Elbel n. 369.*

94. — Quaer. 3° *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

Resp. 1° *Neg.,* si non exeant e territorio *directa intentione* vitandi legem, quia lex, quae respicit communitatem, est *territorialis,* nec afficit personas, nisi mediante territorio. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si abeant animo se obligationi legis subducendi, *controvertitur.*

Ia *Sententia probabilior negat,* quia non agunt in fraudem legis, sed jure suo utuntur. — *S. Lig. n. 156.* — *Elbel n. 370.* — *Lacroix n. 683.* etc.(2)

IIa *Sententia probabilis affirmat,* quia sua fraus nemini patrocinari debet. — *Concina.* — *Collet.* — *Antoine* etc.

Quaer. 4° *An peregrini teneantur legibus loci, in quo versantur?*

Resp. 1° *Affirm.,* si habeant ibi *quasi-domicilium,* quod acquiritur habitatione vel intentione habitandi alicubi per majorem anni partem. Ratio est, quia per *quasi-domicilium* fiunt vere subditi loci illius. *Ita fere omnes.* — *S. Lig. n. 156.*

(1) In plerisque regionibus nullam immunitatem ecclesiasticam agnoscit potestas civilis, sed jure communi clerici, sicut et laici, reguntur. (Nota auctoris.)

(2) Cf. *n. 110. I.*

Resp. 2° Omnes peregrini et vagi tenentur ad leges speciales loci, in quo versantur 1° quoad contractus; 2° quoad necessaria ad bonum commune. — *Ita omnes.*

Resp. 3° Quoad alias leges triplex est sententia probabilis.

Ia *Sententia probabilior* illos excusat, secluso scandalo(1), quia lex non obligat nisi subditos. Ita *S. Lig. n. 156.* etc.

IIa *Sententia* eos obligat ad omnes leges, quia *qui sentit commodum, et onus sentire debet.* — *Collet.* — *Antoine.*

IIIa *Sententia sic distinguit:* tenentur ad omnes leges, si pervenerint ad terminum itineris; si vero non pervenerint, tantum ad leges negativas tenentur. — *Suarez* et *alii.*

Resolves ex dictis circa peregrinos:

95. — 1° Si in tuo territorio vel parochia sit jejunium, et eodem die pergas ad locum, ubi non est jejunium, potes vespere coenare. — *Ita communiter.*

2° Non tamen potes mane exiens sumere jentaculum, nisi ex alia causa a jejunio excuseris, quia in tuo loco exsistens lege teneris, nec excusat privilegium loci, in quo nondum exsistis. — Ita *Reuter* et *alii* contra *Busemb.*

3° Potes mane exsistens in loco, ubi non est jejunium, vesci carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est jejunium. Domi certo teneris abstinere a carnibus. — *S. Lig. n. 157.* An vero tunc debeas etiam a coena abstinere, affirmandum est, si unicam sumpseris refectionem, quia jejunium adhuc non fregisti. Imo idem videtur tenendum, saltem *probabilius,* etiamsi duplicem sumpsisses refectionem, quia redeundo in territorium legis statim ea ligaris, et juberis conformari aliis subditis jejunantibus.

(1) Attendendum enim diligenter in his et similibus casibus ad praeceptum divinum scandali vitandi, de quo suo loco.

Sed hac de re, ubi de jejunio dicemus, n. *495*.

4° Si in tuo territorio vel parochia sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneris audire sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget praeceptum, antequam hic sacrum fiat, vel antequam ultimum celebretur, si plura fieri debeant. Ratio est, quia praeceptum non obligat, ut exspectes. Secus, si non perventurus sis extra territorium ante urgentem obligationem. — *S. Lig.* n. *157*. — *Salm. n. 66*. contra *Antoine* etc.

5° Tenentur peregrini omnibus legibus *communibus* eo loco vigentibus, etsi in suo territorio essent abrogatae vel per dispensationem hic et nunc non obligarent, quia subsunt legislatori communi et privilegio loci sui non gaudent absentes. Sic Gallus extra patriam tenetur ad missam die Epiphaniae etc., Hispanus ad abstinentiam die sabbati (¹) etc. — *S. Lig., Hom. apost. n. 39*.

6° Probabilius non tenentur peregrini ad legem particularem illius loci servandam, *etiamsi eadem lex particularis in suo territorio vigeret*. Etenim non tenentur legibus patriae, quia absunt; nec legibus loci, in quo versantur, quia, utpote peregrini, illis non subjiciuntur. — *Reuter n. 179*. — *Lacroix n. 686*. contra *S. Lig.* n. *156*., qui in hoc casu dicit, peregrinum lege locali obligari, quia eadem lex viget in sua patria.

7° Si quis legi communi jam in sua patria vel in suo territorio satisfecerit, probabilius non iterum satisfacere tenetur adveniens in locum, ubi serius urget. Sic Italus vel Hispanus, qui in patria jejunavit die vigiliae festi S. Petri, non tenetur iterum jejunare in Gallia, ubi reperitur, quando fit jejunium ad sabbatum sequens translatum, quia non datur obligatio bis idem praeceptum adimplendi; ubi enim jam est solutum debitum determinatum, non est iterum solvendum.

(¹) V. n. *485. II. not.*

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.
DE PROMULGATIONE LEGIS.

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate ad obligationem in subditos inducendam.

Principia:

96. — I. Promulgatio publica legis necessario requiritur, ut lex obliget, nec sufficit ejus notitia, quia secus praeceptum non esset sufficienter communitati propositum et manifestum. — *S. Lig. n. 95*.

II. Promulgatio sufficit sine notitia legis ad obligandum in foro externo, quia lex rite promulgata suam notitiam praesumere debet. In foro autem interno notitia legis insuper requiritur, quia nemo peccare potest sine obligationis cognitione juxta dicta in *tract. de act. hum. n. 4.* et *seq.*

III. Ex natura rei sufficit, ut lex promulgetur in aliqua praecipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat, ac promulgata est. Attende tamen ad consuetudinem receptam, vel ad statuta particularia variorum locorum. (¹)

Quaesita:

97. — Quaer. 1° *An obliget lex dubie promulgata?*

Resp. Negative, quia non est sufficienter manifestata et intimata, et proinde dubia est; lex autem dubia non obligat. — *S. Lig. n. 97*.

(¹) Haec proxime ad legem humanam spectant. Quoad promulgationem legis naturalis cf. *n. 123.* et *S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 4. ad 1.*, divinae autem *n. 124. circa finem.*

Quaer. 2° *An leges Pontificiae obligent statim, ac promulgatae sunt?*

Resp. Probabilius non obligant ante duos menses a promulgatione, ut leges civiles de jure communi, quia hoc tempus requiritur circiter, ut ad communitatis christianae notitiam perveniant. — *S. Lig. n. 96.*(1)

Quaer. 3° *An sufficiat, leges episcopales promulgari in civitate episcopali — et papales Romae?*

Resp. Ad Ium *Affirm.*, quia sic facile manifestari possunt.

Resp. Ad IIum 1° *Affirm.* pariter, si spectent ad fidem et mores, quia tunc non sunt tam leges, quam legis divinae declarationes. — 2° *Controvertitur* quoad alias leges. Sed probabilius etiam affirmandum est cum sententia valde communiori, cui adhaeret *S. Lig.* post *Suarez, l. 3. de leg. c. 16.* Ceterum in praxi ordinarie Papa ex benignitate curat, bullas suas in provinciis promulgari. (2)

ARTICULUS II.
DE ACCEPTATIONE LEGIS.

98. — Acceptatio legis est submissio, qua subditi, saltem quoad majorem et saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

Principia:

I. *Per se* lex nullo modo pendet ab acceptatione populi quoad vim obligandi, quia ex denegatione acceptationis sequeretur subversio omnis ordinis socialis; corrueret enim omnis legum auctoritas et superioris potestas. Constat etiam ex propositione *28. ab Alexandro VII.* damnata, quae sic jacet: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* — *Ita omnes.*

II. *Per accidens* quandoque non obligat lex(1) non acceptata, ratione taciti(2) vel expressi consensus superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratae. Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum. — *S. Lig. n. 138.*

Quaesita:

99. — Quaer. 1° *An obliget lex in dubio, an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia praesumi debet acceptata, nisi de contrario constet. *Praesumitur enim factum, quod de jure faciendum erat. (n. 76.)* — *S. Lig. n. 97.*

Quaer. 2° *An obliget lex, si non sit acceptata a majori et saniori parte populi?*

Resp. Negative, si princeps non urgeat; quamvis enim peccaverint prio-

---

(1) Sed cf. *Ben. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 4. n. 2. Pro foro interno* autem sine dubio aliquando talis lex obligabit statim, ac sufficienter cognita est, si nempe quid *in se* praeceptum vel *in se* malum esse definit; aliquando nec post bimestre obligationem inducet, si quis scilicet ignorantia inculpabili legis laborat.

Quoad concilium Tridentinum certum est, decreta ejusdem ad fidem et mores spectantia obligare etiam in iis locis, ubi specialiter non sunt promulgata; item decretum circa matrimonia clandestina non obligare, nisi in parochiis, ubi promulgatio praecessit. Quoad alia decreta, quae reformationem respiciunt, praeferenda est sententia, ipsa ubique obligare, cum Romae debito modo promulgata sint. — *Scav.* et *Anal. Juris Pont. ser. 2. col. 2308.*

(2) Decreta, quae spectant particulare aliquod institutum, solummodo ad ejusdem superiores dirigi solent. *Bouix, tract. de principiis juris can. p. 2. s. 2. c. 6. §. 5.* — Cf. etiam infra *n. 112. not. 1.*

(1) humana — Legem enim naturalem et divinam acceptatione numquam indigere, ut obligent, per se patet.

(2) Consensus tacitus tamen, qui etiam consuetudine non intercedente legi vim obligatoriam adimat, non nimis facile praesumendus. Requiritur enim ad hunc effectum, superiorem scire, legem non observari. Silet praeterea aliquando superior, *non quia consentit,* sed ut majora damna vitentur, tempus opportunius prudenter exspectans (silentium oeconomicum; cf. *Bouix, tract. de princ. j. c. p. 2. sect. 6. c. 2. §. 3. punct. 5.),* vel quia praevidet, inutiliter legem urgeri. Consensus, qui omnibus consideratis *dubius* manet, ad obligationem auferendam non sufficit. — Cf. *n. 137. II.*

res legem non acceptantes, alii tamen culpa vacant ob praesumptum superioris consensum. — *S. Lig. n. 137. 139.*

Quaer. 3° *An obliget lex Ecclesiae, quae, aliquo gubernio civili prohibente, acceptata non fuit?*

Resp. Affirm. per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili, et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim a Christo dictum est: *Quodcumque ligaveris . . . erit ligatum etc. (Matth. 16. 19.)* — Cf. *S. Lig. n. 138.*

Quaer. 4° *An episcopi possint leges Pontificias non acceptare?*

Resp. Negandum est. Etenim licet episcopi principes sint in suis ecclesiis, Romano Pontifici, immediato Christi in terris vicario totiusque Ecclesiae capiti et gubernatori, subjiciuntur. Erga eum igitur exemplum obedientiae propriis subditis praebere debent, legem Pontificiam promulgando et ejus observantiam in dioecesi sua procurando. Excipe tamen: si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent episcopi has rationes S. Sedi exponere, et ejus definitioni acquiescere tenebuntur. *Vide Bened. XIV., de synod. l. 9. c. 8.* (1)

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Agendum: 1° de vi obligationis; 2° de modo obligationi satisfaciendi; 3° de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I.
DE VI OBLIGATIONIS.

Principia:

100. — I. Lex quaelibet veram inducit obligationem vel ad culpam, vel ad poenam. Ratio est, quia secus deesset sanctio, quae omni legi essentialis est. — *Ita omnes.*

II. Lex humana quaelibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest. Ratio est, quia superiores a Deo constituti sunt cum potestate praecipiendi. Hinc apostolus *Rom. 13. 2.: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* — Lex autem ecclesiastica non potest non obligare sub culpa, quia secus sanctio ipsi penitus deesset. — *Ita omnes.*

III. Lex obligat *sub gravi* aut *sub levi* pro gravitate materiae aut circumstantiarum vel finis a superiore specialiter intenti. Lex autem affirmativa obligat *semper,* sed non *pro semper;* lex negativa vero obligat tum *semper,* tum *pro semper,* i. e. pro singulis momentis. — *Consentiunt omnes.*

IV. Lex divina *positiva* et humana non obligant *generatim* cum incommodo *valde gravi* seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis conjunctum est. Constat ex jure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiae et consensu omnium.

Quaesita:

101. — Quaer. 1° *An legislator possit praecipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. Ad 1um *Affirmative,* saltem probabilius, quia obligatio pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 143.*

Resp. Ad 2um *Negative,* quia deest proportio inter poenam et materiam praecepti. Excipe: si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine etc. — *S. Lig. ibid.* — *Antoine* et *alii communiter.*

Quaer. 2° *Quaenam materia censenda sit gravis vel levis in lege?*

Resp. Colligitur 1° ex verbis ipsis legis; 2° ex ejus objecto, fine et circumstantiis; 3° ex gravitate poenae inflictae; 4° ex interpretatione consuetudinis. — Sed in genere materia gravis est, quando finis legis proprius est magni momenti, et illa ad hunc finem multum conducit aut valde ob-

(1) Late de hac quaestione disserit Bouix, *tract. de princ. juris can. p. 2. sect. 2. c. 5.* Censet vero *(ib. §. 3. propos. 3. et 4.),* toto supplicationis tempore, i. e. dum a Sancta Sede rescribatur, ipso facto obligationem legis suspendi.

est, etsi *de se* sit quid leve; secus levis erit. — Sic grave est pro celebrante missam, si omittat infundere in calicem aliquot guttulas aquae. Non autem erit grave, si die jejunii unciam panis manduces extra refectionem. — *S. Lig. n. 144.* — *Lacroix n. 663.* et *communiter.*

Quaer. 3° *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia aliquando bonum commune exigit, ut leges irritantes condi possint; nec prohibet lex naturalis apponere conditiones, quibus invalidentur actus secus validi.

Quaer. 4° *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1° *Affirm.,* si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent.

Resp. 2° *Neg.,* si contemptus respiciat tantum materiam ut levem *in se,* aut si peccans legem transgrediatur ex incuria, ira aut alia animi affectione. Ratio est, quia tunc non ipsa auctoritas contemni videtur. — *S. Lig. n. 142.*

102. — Quaer. 5° *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia, quae fundatur in falsa facti praesumptione?*

Resp. 1° *Negative,* si applicatio legis fundetur tantum in praesumptione facti particularis, culpae, fraudis vel damnificationis, non subsistente facti veritate, quia deficit fundamentum obligationis. Hinc, si condemneris ad pecuniam solvendam pro damno asini tui falso praesumpto, non obligaris ad solvendum, nisi *per accidens,* ratione scandali; sed tunc potes te compensare, etiam post latam sententiam. — *S. Lig. n. 100. 150.* — *Suarez.* — *Roncaglia* et *alii communiter.*

Resp. 2° Si lex fundetur in praesumptione periculi universalis, culpae, fraudum etc., ejus applicatio semper obligat in conscientia, etiam seclusa omni culpa, quia bonum commune requirit omnes stabiliter obligari; secus mala non impedirentur efficaciter, et lex intendit praecavere periculum hallucinationis, nec non reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vero animalis tui, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit. — *S. Lig. n. 100.* — *Vide dicenda in tr. de restitutione, ubi de injusto damnificatore.*

ARTICULUS II.
DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS.

Principia:

103. — I. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet requiritur intentio faciendi id, quod praeceptum est, si lex sit *affirmativa,* ut est v. g. lex praecipiens missae auditionem die festo. Ratio est, quia secus actus modo humano non ponitur. — Minime vero, si *negativa* sit, ut est lex prohibens opera servilia eodem festo die. Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem. — *Ita omnes.*

II. Non autem requiritur intentio implendi praeceptum seu agendi ex motivo formalis obedientiae, quia legislator praecipit tantum operis positionem vel omissionem. — *S. Lig. n. 163.* — *Sanchez* et *alii communiter.*

III. Non requiritur, ut lex impleatur ex motivo caritatis, nec in statu gratiae, nisi caritatis actus vel status gratiae pertineat ad essentiam illius praecepti, ut in praecepto communionis; opus enim praecipitur, non vero motivum, nisi exprimatur. Constat etiam ex propositione *16. Baji* a *Pio V.* damnata, quae sic se habet: *Non est vera legis obedientia, quae fit sine caritate.*

IV. Non requiritur intentio implendi finem praecepti extrinsecum seu finem specialem superioris, nisi finis ille

praecise *per se* praecipiatur, quia ordinarie legislator finem istum non praecipit nec praecipere intendit, sed solam actus positionem. Hinc axioma: *Finis praecepti non cadit sub praecepto.* — *S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 9. etc.* et *alii.*

Resolves:

104. — 1° Satisfacit, qui audit missam ignorans, illam hac die esse de praecepto; vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere cum proposito, aliam missam audiendi. — *S. Lig. n. 163.*

2° Non vero satisfacit, qui opus voti vel juramenti ponit intendendo *expresse* non satisfacere, quia talis obligatio oritur et pendet a voluntate promittentis. — *S. Lig. ibidem.*

3° Non satisfacit, qui omnino coactus sacro interest; talis enim actus non est humanus, defectu voluntatis. Secus, si metu tantum inducatur, ut v. g. famulus metu domini, puer metu magistri etc.

Quaesita:

105. — Quaer. 1° *An satisfaciat obligationi legis, qui in actu ejus impletionis peccat?*

Resp. Affirmative, modo actus sit honestus *in se,* et tantum malus ex circumstantia extrinseca, sicque substantia rei praeceptae ponatur. Ratio est, quia praeceptum tantum imperat substantiam actus, non autem modum. Hinc satisfacit, qui missam audiendo alicui cogitationi vanae gloriae vel luxuriae adhaeret, vel qui audiens missam intentionem habet furandi. Secus vero, si notabili parte sacri confabulatur. Nec satisfit praecepto confessionis vel communionis per confessionem vel communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus praecepti peccato afficitur. Constat etiam ex *prop. 14.* damnata ab *Alexandro VII.* — *S. Lig. n. 162.* et *alii communiter* contra *paucos.*

Quaer. 2° *An diversa praecepta unico actu adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si praecepta haec diversa cadant in eamdem materiam ob idem motivum, ut jejunium vigiliae incidens in quatuor tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejunium ex poenitentia, et ex lege ecclesiastica. — *S. Lig. n. 166.*

106. — Quaer. 3° *An diversa praecepta diversis actibus simul adimpleri possint?*

Resp. Affirm., si actus isti sint composibiles, i. e. si tales poni possint, quales exiguntur, quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes, audiendo sacrum, recitare horas canonicas vel exsolvere injunctam poenitentiam etc. — *S. Lig. n. 166.* et *alii communiter.*

Quaer. 4° *Quid agendum in concursu duorum praeceptorum incomposibilium?*

Resp. Servandum est majus prae minori, quod tunc obligare desinit. Praeceptum autem naturale praecepto mere positivo praevalet. — Praeceptum divinum praevalet humano, ecclesiasticum(¹) civili etc.

Quaer. 5° *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1° *Affirm.,* si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic v. g., si non jejunasti die vigiliae, peccasti, sed a lege liberaris, quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. 2° *Neg.,* si tempus non fuerit determinatum, nisi ad sollicitandam seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali legi non satisfecit. — *S. Lig., de 2° praec. dec. n. 220.*

Resolves:

107. — 1° Si debeas 100 nummos

(¹) ceteris paribus — V. de hisce *Ben. XIV., de syn. diocc. l. 9. c. 9. et se*

Titio, tuque voveas restituere et confessarius tibi injungat restitutionem, uno actu satisfacis tribus obligationibus, scilicet justitiae, voti et praecepti confessarii. Item sacerdos beneficiatus, vovens fideliter recitare horas, triplici obligationi unica recitatione satisfacit.

2° Econtra, si Cajo debeas 100 francos ex mutuo et 100 ex censu, non satisfacis solvendo semel 100, quia obligationes in diversam materiam cadunt. — Similiter, si ex voto et ex praecepto confessarii tenearis audire sacrum, non satisfacis his duabus obligationibus, si unico sacro die dominica intersis. — *Voit n. 202.* — *S. Lig. n. 166.*

3° Nec potes plures missas tibi a confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur, quia talis non praesumenda est intentio confessarii. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 16. n. 57.* contra *Busembaum.*

4° Qui tenetur audire missam singulis diebus ex poenitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die dominica, quia rationabiliter praesumitur, confessarium noluisse poenitentem obligare ad duas missas eodem die audiendas, nisi id expresserit. *Ita communiter.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 2. n. 31.*

ARTICULUS III.
DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS.

1. De natura eorum, quae deobligant. — 2. De appositione voluntaria causarum deobligantium.

§. I.
De natura eorum, quae deobligant.

108. — Causae deobligantes sunt *eximentes* vel *impedientes.* Priores eae sunt, quae aliquem totaliter subtrahunt dominio legis, puta si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eae sunt, quae aliquem, subditum legi remanentem, ab ejus impletione impediunt. Hae autem causae impedientes ad ignorantiam ex parte intellectus, et ad impotentiam ex rte voluntatis referuntur.

Principia:

I. Causae eximentes totaliter excusant a legis observatione; nemo enim praeceptum imponere potest alteri non sibi subjecto. Quamobrem, ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subjectus erat, cessat esse talis respectu ejusdem, v. g. limites territorii, quod lex afficit, praetergrediendo: ergo legis obligatione attingi nequit; ergo a lege totaliter excusatur. Recole dicta supra de *peregrinis n. 94.*

II. Ignorantia invincibilis ab observatione legis excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum, nec malitia ulla contrahi potest, nisi cognita et volita sit. — Ignorantia autem vincibilis non excusat a lege, cum possit et debeat seria diligentia deponi. — *S. Lig., Hom. ap. n. 43.* — Recole dicta *de act. hum. n. 13.* et *de consc. n. 37.*

III. Impotentia physica semper excusat ab obligatione legis, ut patet, juxta pervulgatum axioma: *Nemo ad impossibile tenetur.* Impotentia vero moralis excusat etiam a lege, quia legislator non censetur urgere obligationem cum tanto incommodo, juxta communem doctorum interpretationem et juxta dicta supra de *obligatione legis n. 100. IV.*(1)

Hinc: Metus gravis excusat a lege humana, secluso damno societatis aut religionis, quia lex humana non obligat cum gravi nocumento, ut dictum est supra *n. 100.* Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a praecepto divino positivo, v. g. ab integritate confessionis; imo et a praecepto naturali affirmativo, v. g. servandi depositum, ad quod non teneris vitae periculo. Numquam excusat a praecepto naturali negativo, quia illius objectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate; tunc enim cessat furtum esse. — *S. Lig. n. 175.; Hom. apost. n. 44.*

---

(1) quae confer.

109. — Quaer. *An teneatur ad partem, qui ad totum est impotens?*

Resp. Affirmative, quando materia legis est divisibilis, quia in singulis partibus invenitur ratio praecepti. Constat aliunde ex *propositione* sequenti sub *n. 54.* ab *Innocentio XI.* damnata: *Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Excipe casum, in quo pars possibilis esset adeo parva, ut nullo modo ad finem praecepti conduceret. — *Ita communiter.*

Hinc: 1° Qui non potest jejunare in quadragesima, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus jejunare, tenetur diebus, quibus potest sine gravi incommodo.

2° Si quis carens breviario pauca ex horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus, si partem notabilem, v. g. vesperas vel completorium, memoria teneat.

3° Qui vovit piam peregrinationem peragendam nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia nec finis, nec ratio praecepti obtineri potest. — *S. Lig., Hom. ap. n. 45.*

Nota: Dicit tamen recte *S. Lig., de praec. partic. n. 154.*, sacerdotem infirmum, non valentem totum officium legere et dubitantem, an possit partem, nec ad partem teneri, ne periculum anxietatis aut detrimenti notabilis sanitatis subeat.

§. II.

De appositione voluntaria causarum deobligantium.

110. — Causae deobligantes apponi possunt impletioni legis vel *directe,* vel *indirecte,* prout agens eo fine dirigitur, ut legi se subtrahat, vel alia de causa, praeviso tamen obice, movetur.

Insuper causae possunt esse *remotae* vel *proximae,* prout lex proxime urget, aut nonnisi posito notabili temporis intervallo urgebit.

Principia:

I. Licet semper apponere causas eximentes, etiam *probabilius directe* et *proxime*(1). Ratio est, quia cuique licet se subtrahere dominio legis, v. g. petendo locum, ubi non viget lex. — *S. Lig. n. 156.*

II. Non autem licet *directe* apponere causas *impedientes,* etiam remotas, quia, dum quis adhuc subjacet jurisdictioni legis, non potest velle eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio. — *Reuter n. 198.*

III. Non licet etiam *indirecte* apponere causas *proxime impedientes* sine gravi causa. Ratio est, quia lex *proxime* urgens ligat *proxime* voluntatem et eam adstringit ad adhibenda media necessaria, ut ejus observatio obtineatur.

IV. Licet autem *probabilius* apponere, etiam sine ratione, causas *remotas* et *indirecte impedientes.* Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque multo ante obligationem legis ad omnia opera cum illa obligatione incomposibilia derelinquenda tempusque obligationis exspectandum adstringeretur. — *Lacroix.* — *Billuart.*

Nota: Regula generalis assignari nequit ad determinandum in omni casu, quandonam causa aliqua *proxime* vel *remote impediens* censenda sit. Ordinarie causa remota dicitur ea, quae pluribus diebus exsistit, antequam obligatio urgeat. Sed attende ad mentem legislatoris, ad materiam majoris vel minoris momenti, ad judicium, prudentiam praximque proborum. — *S. Lig. n. 152.*

Resolves:

111. — 1° Peccat, qui die jejunii sine justa causa aliquem laborem assumit, quo impotens fit ad jejunandum, quia lex *proxime urgens* exposcit, ne sine justa causa obex ad ejus impletionem ponatur. — *S. Lig., Hom. ap. n. 20.*

(1) Excipe casus specialiter a lege designatos.

2° Certum est autem, carceratos et excommunicatos teneri procurare, ut liberentur, ad satisfaciendum praecepto divino(¹) communionis paschalis. Ratio est, quia praecepta divina strictius urgent, quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem. — *S. Lig., Hom. ap. n. 21.* Eadem ratione incepto tempore paschali non potes, urgente necessitate, abire in locum, ubi communicare non poteris, quin prius praecepto satisfeceris. — *Lacroix n. 791.*

3° Non peccat contra praeceptum audiendi sacrum, qui iter ingreditur die Lunae, Martis, Mercurii, et probabiliter die Jovis, praevidens fore ut die dominico proximo sacrum audire non possit. — Qui vero die Veneris esset profecturus, valde a tali consilio dimovendus est, quamvis de mortali non sit certo damnandus. Nullo autem modo excusabis die sabbati sine gravi causa abeuntem cum praevisione missae omittendae. — Ita *communius* contra *Suarez, Lacroix* et *alios,* qui in hoc plus aequo benigniores videntur.

4° Peccant sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, cum id possint sine nimio incommodo, et deinde die festo ea parare coguntur. — *Reuter n. 199.*

CAPUT VI.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA.

I. De interpretatione legis.

112. — Definitio: Interpretatio legis est genuina ejus explicatio juxta mentem legislatoris.

Divisio: Est 1° *Authentica, doctrinalis* et *usualis,* prout fit ab ipso superiore(²), vel a viris doctis, vel ex consuetudine.

2° *Stricta* vel *lata,* prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem.

3° *Simplex* vel *extensiva,* cum verba vel ut sonant, vel ultra eorum sensum naturalem accipiuntur.

Regulae interpretationis:

I. Accipienda sunt verba legis juxta eorum propriam et usitatam acceptionem, nisi sequatur inde quid absurdum aut injustum.

II. In dubio de vero sensu attendendum est ad mentem legislatoris seu ad finem legis et ad circumstantias vel antecedentes, vel consequentes.

III. Lex poenalis et odiosa in dubio est strictae interpretationis; lex vero favorabilis est amplae interpretationis. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi, et odia restringenda.* — *S. Lig. n. 200.* et *alii omnes.*

Quaer. *An lex extendi debeat a casu ad casum ob identitatem rationis?*

Resp. Affirm., quoties alias accusari posset legislator injustitiae vel imprudentiae. Hoc autem habetur in sequentibus: 1° in correlativis, v. g. inter sponsum et sponsam, ut puta: si sponsa liberatur a sponsalibus ob longam absentiam sponsi, pariter hic ob sponsae absentiam liberatur; 2° in aequiparatis, ut sunt electio et praesentatio ad beneficium, ova et lacticinia ratione abstinentiae; 3° in connexis, ut sunt diaconus et subdiaconus; item 4° in contentis. Sic ille, qui potest testari, etiam legata facere potest. — *S. Lig. n. 200.*

II. De epikeia (ἐπιεικεια).

113. — *Epikeia* est benigna, aequa legis interpretatio, si nempe judicatur non se extendere ad tal

(¹) *divino* scil. in thesi sive quoad substantiam — cf. infra *n. 480.*

(²) Authentica interpretatio nova promulgatione non indiget, si sit pura legis declaratio, i. e. si explicetur sensus, qui ab initio jam in lege continebatur. Secus, si sit mera legis interpretatio, scil. si [illegible] sensus addatur, quem per se non continebat. — Cf. *Bouix, tract. de princ. juris canon. p. 2. sect. 5. c. 2. III* et *5°.* — *Scav.*

casum particularem, quamvis in verbis legis clare comprehensum, ob circumstantias particulares, quae a legislatore vel non praevisae, vel exceptae sunt. Si v. g. lex prohibeat gestare arma noctu, gestare possum, si exire debeam et in inimicum meum ad mortem me quaerentem sim offensurus.

Quaer. *An epikeia locum habeat, si superior facile interrogari possit?*

Resp. Affirm., si observantia legis sit nociva; secus in aliis casibus. — *S. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1.* — *Billuart.*

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

114. — Definitio: Dispensatio est relaxatio legis in casu particulari.

Divisio: Dispensatio esse potest:

1° *Licita* vel *illicita,* prout fit juxta vel contra conscientiam.

2° *Valida* vel *invalida,* prout vel eximit vere a legis observatione, vel ab eadem eximere non potest.

3° *Absoluta* vel *conditionata,* prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur.

4° *Subreptitia* vel *obreptitia,* prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contra aliquid falsum asseritur.

Agendum: 1° de potestate dispensandi; 2° de causis ad dispensandum requisitis; 3° de cessatione dispensationis.

ARTICULUS I.
DE POTESTATE DISPENSANDI.

Principia:

I. Omnis superior primarius dispensare potest: 1° In legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2° in legibus praedecessorum suorum, quia ipsi gaudet potestate, atque ipsi legislatores; 3° in legibus suorum inferiorum, quia hi ab ipso potestatem habent.

II. Superior secundarius certo non potest dispensare in legibus superioris sui, nisi ex potestate delegata et in quantum ipsi concessum est ab ipso superiore primario, vel a jure aut consuetudine, quia inferior derogare nequit in statutis superioris sui. — *Ita omnes.*

Quaesita:

115. — Quaer. 1° *An Papa dispensare possit in praeceptis divinis?*

Resp. Potest dispensare ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in juramentis. In ceteris *controvertitur,* an vere dispensare possit ex gravissima causa, vel tantum declarare, jus divinum tunc cessare. In praxi parvi refert. — *S. Lig., Hom. apost. n. 56.*

Quaer. 2° *In quibusnam legibus dispensare possit episcopus?*

Resp. 1° *De jure ordinario* in omnibus statutis episcopalibus et synodalibus(1), et in legibus communibus, quod attinet ad casus, qui saepe accidunt(2), ut in plerisque votis, jejuniis, abstinentia cum privatis, observantia festorum, officio divino in casibus particularibus etc. — *S. Lig. n. 190.*

Resp. 2° *De jure extraordinario*

---

(1) Nemo ambigit, dispensare posse episcopum a legibus in synodo dioecesana latis, et quidem quin teneatur exquirere consensum aut consilium capituli. Nequit tamen jure ordinario derogare legi latae in synodo provinciali vel ab ea dispensare, cum sit illo concilio inferior, quod etiam de archiepiscopo valet. Imo, tales constitutiones neque ab alia synodo provinciali abrogari possunt, si a S. Sede *in forma specifica* (i. e. nulla adjecta conditione cum clausula „motu proprio et ex certa scientia") confirmatae sint, cum induerint naturam legis Pontificiae. — V. *Ben. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 5. n. 7. et seq.*

(2) et minoris momenti sunt, de quibus uberius suo loco. Dispensat praeterea, si materia sit levis; item si potestas dispensandi in lege superioris ipsi per jus concedatur vel si dubium sit, an casus indigeat dispensatione. (Cf. *n. 118.* Q. 4°). — Ita *Reiffenstuel, jus can. l. 1. tit. 2. n. 466. et seq.* Magis specialia v. suo loco et praesertim apud canonistas.

in ceteris legibus Pontificiis ratione necessitatis(¹), privilegii aut consuetudinis legitimae.

Quaer. 3° *An episcopus dispensare possit cum peregrinis in votis, juramentis et communibus Ecclesiae praeceptis?*

Resp. 1° *Affirmative,* si isti intentionem habeant commorandi in dioecesi per majorem anni partem, quia tunc fiunt aliquo modo subditi ex eo, quod ibi quasi-domicilium acquirant. — Ita *communissime,* ait *S. Lig. n. 158.* et *Lacroix n. 799.*

Resp. 2° Si vero tantum transeant, *controvertitur.* — *Probabiliter* affirmandum videtur, quia per illum accessum fiunt sufficienter subditi superioris loci ratione privilegiorum. *S. Lig. (ibid.)* dicit, hanc sententiam merito probabilem haberi. — Contradicunt tamen non pauci, quia non sunt vere subditi; secus enim ad leges loci adstringi deberent. — Alii tandem distinguunt; *affirmant* quidem pro legibus Ecclesiae, *negant* vero pro votis et juramentis. Sed non satis fundata apparet haec distinctio.

116. — Quaer. 4° *An parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. Possunt *de jure ordinario,* ratione consuetudinis(²), dispensare cum subditis pro casibus tantum particularibus in jejuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis et in aliis similibus. — *Ita communiter.* — *S. Lig., Hom. apost. n. 59.*

Quaer. 5° *An superior dispensare possit cum semetipso?*

Resp. Affirmative, si sit primarius; imo et secundarius, si habeat facultatem generalem dispensandi cum aliis. — *Ita communiter.* — *S. Lig., Hom. apost. n. 64.*

Quaer. 6° *An delegatus subdelegare possit?*

Resp. Negative, generatim loquendo, quia haec facultas *per se* non includitur in concessione superioris, nisi expressa fuerit. Excipe tamen casum, in quo quis delegatus fuerit ad dispensandum in universitate causarum, per modum officii(¹); quia tunc ex interpretatione communi adest tacita superioris facultas ad subdelegandum. — *Ita S. Lig. n. 193.* et *de poenitentia n. 566.*(²)

(¹) Episcopus ex magna causa utilitatis et necessitatis potest dispensare contra canones, etiam concilii, supposito tamen, quod sit causa de novo emergens, periculum in mora et quod non de facili ad Sanctam Sedem recurri possit. — *Reiffenstuel l. c. n. 470.* — *Thesaurus, de poenis eccles. p. 1. c. 23. Dico V.* Quoad impedimenta matrimonii dirimentia autem cf infra *p. 2. n. 861. not. 2.*

(²) in quantum in aliquo loco viget — Cf. v. gr. *Analecta J. P. ser. 2. col. 2313.*

(¹) item, saltem in genere, si sit delegatus *principis* — *Reiffenstuel, jus can. l. 1. tit. 29. n. 57. et seq.*

(²) *An potestas delegata exspiret morte delegantis?*

Resp. Sanchez, de matrim. l. 8. disp. 28. n. 30. et seq.: Potestas delegata in materia *justitiae* seu ad jurisdictionem *contentiosam* exercendam exspirat morte concedentis vel finito ejus officio, si res sit integra, quamvis agatur de delegatione principis vel de delegatione ad universitatem causarum. Unius exceptionis mentionem facimus, scil. si potestas illa sit commissa a principe nomine dignitatis committentis. Alias exceptiones v. apud *Sanchez ib.* — Secus vero, si res non sit integra (v. tamen *n. 54. ib.*). Dicitur autem res non integra, quando judex legitime jussit partes citari.

Quoad potestatem delegatam in materia *gratiae* vel ad jurisdictionem *non contentiosam* exercendam audiamus ipsum *Sanchez ib. n. 94.:* „Aut ea gratia cum limi„tatione conceditur, aut absolute. Si *cum* „*limitatione,* aut ad beneplacitum et vo„luntatem personae concedentis, et tunc „cessat concedentis morte, quamvis res „non sit integra; secus si concedens dicat: „donec revocavero vel talem rem fecero; „si enim ante mortem non revocet con„cedens vel non faciat illam rem, gratia „est perpetua. Atque eadem perpetuitate „gaudebit, si ad beneplacitum *Sedis* (i. e. „nomine dignitatis ejus, qui delegat) con„cessa sit. Quodsi *absolute* concedatur „gratia, aut est facta, quia nempe respectu „ejus, in cujus favorem conceditur, a nul„lius exsecutione pendet, aut pendet ab „exsecutione commissarii necessarii, utpote „cui imponitur praeceptum exsequendi, ut

ARTICULUS II.
DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS.

Principia:

117. — I. *Ad liceitatem* dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus superior imprudenter ageret.

II. *Ad validitatem* vero nulla causa requiritur *ex parte concedentis*, si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia omnino independens est: secus autem, si in lege sui superioris dispenset, quia non praesumitur accepisse potestatem temere dispensandi. — *Ita communiter.*

III. *Ad validitatem* ex *parte petentis* requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio *essentialis*, seu quae cadat in causam motivam; quia superior non dispensat, nisi sub tacita conditione, scilicet *„si preces veritate nitantur.“* (¹) — *S. Lig. n. 185.*

Quaesita:

118. — Quaer. 1° *An peccet graviter superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1° *Negative,* probabiliter *per se* quoad superiorem primarium, quia, cum sit independens, non apparet in hoc tanta deordinatio, praeciso scandalo vel aliorum damno. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 178.* contra *plures.*

Resp. 2° *Affirmative,* quoad superiorem secundarium seu delegatum, quia delegatus esse non censetur, nisi ad dispensandum justa de causa. Quod si aliter faciat, graviter videtur abuti concessa sibi potestate. — *S. Lig. ib.*

Quaer. 2° *An liceat uti dispensatione tacita vel praesumpta?*

Resp. ad 1um *Affirmative,* modo ex signis certa colligi possit. — *Ita communiter.*

Resp. ad 2um *Negative,* quia scire debet superior id, de quo agitur: attamen licentia facile praesumi potest, cum versatur circa res minoris momenti, et est juxta, non vero contra legem. — *S. Lig. n. 187.*

Quaer. 3° *An liceat petere vel concedere dispensationem ex causa dubia?*

Resp. ad 1um *Affirmative,* quia non pertinet ad subditos de sufficientia causae judicare, sed tantum rem sincere superiori exponere. — *S. Lig. n. 178.*

Ad 2um *Affirmative* pariter. Ratio est, quia secus esset onus nimium superioribus impositum. (¹) — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 4° *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

„*contingit in dispensationibus matri-*
„*monialibus,* et non perit gratia morte
„concedentis, quantumvis res sit integra.
„Aut est gratia facienda, quae scilicet re-
„spectu ejus, cui fit, non est perfecte con-
„cessa, sed pendet ab exsecutione com-
„missarii voluntarii, utpote cui non prae-
„cipitur exsequi, sed sola exsequendae
„gratiae licentia datur, et perit morte con-
„cedentis re integra: secus re non integra.
„Dicitur autem res non integra in his
„rebus, in quibus non est citatio partis,
„quando commissarius primum actum ex-
„ercere coepit correspondentem citationi
„partis in jurisdictione contentiosa, ut si
„coepit vocare partem ad cognoscendum
„de precum veritate.“

Hinc jurisdictio delegata ad audiendas confessiones vel ad dispensandum, quin personae determinentur, non exspirat morte aut amotione concedentis, v. g. episcopi, etiamsi res sit integra, cum reputetur potius gratia facta ipsismet delegatis. Idem tenendum de similibus delegationibus gratiae quoad personas indeterminatas. Secus, si jurisdictio concessa sit unice in favorem personae determinatae. — V. etiam *Layman l. 5. tr. 6. c. 10. Q. 4.* — *Bönninghausen, tract. de irregular. p. 1. c. 6. n. 6. Annot.*

(¹) Etiamsi causa sit solum impulsiva, de jure impetratio a S. Sede erit nulla, si obreptio aut subreptio contingat non per simplicitatem vel ignorantiam, sed per fraudem vel malitiam postulantis. — *C.* Super literis (20.) *de rescriptis* (I. 3.).

In dubio autem, an causa non recte allegata sit finalis an impulsiva, vera an falsa, cum bona vel mala fide, dicunt *Salmanticenses, Sanchez* et *alii,* censendam esse validam dispensationem, quia in dubio standum est pro valore actus. — *Scav.* — *S. Lig. n. 185.*

(¹) Secus esset, si dubitaret, an adsit causa. — *S. Lig. ib.*

Resp. 1° Non requiritur dispensatio in dubio *positivo* seu in vera *probabilitate,* an casus comprehendatur in lege, ut patet ex dictis de probabilismo; ignoratur enim simpliciter extensio legis ad illum casum.

2° In dubio vero, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, *controvertitur.* Communior sententia dicit, requiri dispensationem. — Alii tamen negant probabiliter ex dictis, ubi de probabilismo. *Ita fere S. Lig. multis in locis ejus collatis.*

Quaer. 5° *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. Affirmative, modo exsistat causa dispensandi nec constet, in superiore omnino defuisse animum dispensandi, et aliunde nulla exsistat causa nullitatis. — *S. Lig. n. 184.*

Resolves:

119. — 1° Invalida est dispensatio, quoties in postulato irrepsit error circa causam motivam aut circa objectum ipsum dispensationis, sive culpa oratoris aut alterius, sive etiam ex mera inadvertentia advenerit; v. g. si ponas in petitione impedimentum affinitatis loco impedimenti consanguinitatis, vel 3um gradum pro 2°; secus tamen, si ponas 2um pro 3°, quia minor gratia in majori ejusdem generis continetur.

2° Valet dispensatio, si error irrepserit in rescripto superioris(¹), v. g. incuria secretarii, quia concessioni jam factae supervenit et superior sic concedit: *Fiat ut petitur.*

3° Valet dispensatio ex justa causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit superior, etsi cognita improbitate non fuisset dispensaturus; quia probitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. — Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa.

4° Valet dispensatio, licet plures causae falsae, etiam motivae *per se,* cum causis veris et sufficientibus expositae sint; quia habetur fundamentum sufficiens dispensationis, quando adest aliqua vera causa motiva.

5° Valet dispensatio concessa a primario superiore, licet ab alio jam fuerit negata, etiamsi de negata mentio non fiat. — Imo etiam probabiliter valet, si a primario superiore negata, a secundario concedatur, quia potestas inferioris non est restricta per negationem superioris, nisi hic expresse eam restringat. — *Suarez, de leg. c. 22.* — *Lacroix n. 811.*

6° Valet dispensatio obtenta pro aliquo inscio vel etiam invito, si necessitas exigat. — *S. Lig. n. 186.*

ARTICULUS III.
DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

Cessat dispensatio: 1° cessatione causae; 2° revocatione; 3° renuntiatione.

Hinc resolves:

120. — 1° Cessat dispensatio cessante causa motiva totali ante illius exsecutionem; non enim tunc preces veritate nituntur. — Secus, si cesset tantum causa motiva partialiter, quia adhuc remanet causa dispensationis. Hinc cessat dispensatio concessa ob infirmitatem in jejunio quadragesimae, ubi plene convaluisti; secus, si infirmitas partialiter remaneat. — *S. Lig. n. 196.* — *Billuart* et *alii communiter.*

2° Cessat etiam dispensatio cessante causa motiva post sententiae exsecutionem, sed ante effectum seu usum gratiae inchoatum, nisi superior gratiam absolute(¹) concessisse censeatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

(¹) non tamen in omni casu. Sed de his et aliis ad hanc materiam spectantibus consule canonistas.

(¹) i. e. conditione „si causa perdurat" neque expresse, nec tacite subsistente. Censetur vero *absolute* concessa, si causa finalis judicatur perpetua sive si dispensatio uno veluti actu tota consummatur; *sub conditione tacita durationis causae,* si causa judicatur tantum pro tempore duratura sive dispensatio per se habet tractum successivum, uti v. gr. dispensatio in jejunio, quae pro singulis diebus je-

3° Cessat omnino dispensatio revocatione expressa superioris primarii, quia obligatio vel deobligatio a superioris voluntate pendet. Attamen revocatio sine justa causa illicita foret. — Non vero cessat revocatione superioris secundarii sine justa causa facta, quia obligandi facultas in ejus potestate non est, siquidem ipsi facultas non conceditur ad male agendum. — *S. Lig. n. 179.* — *Salm.* — *Roncaglia* etc.

4° Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio superioris, quia solus superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. — *S. Lig. ibid.* — *Billuart* et *alii communiter.*

CAPUT VIII.

DE CESSATIONE LEGIS.

121. — Lex variis modis cessare potest:

1° Per *abrogationem* vel *derogationem*, prout est abolitio legis totalis, vel partialis tantum; quemadmodum enim superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest.

2° *Per cessationem causae motivae adaequatae* seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; quia cessante ipsa legis ratione legislator legem rationabiliter urgere nequit (¹).

3° *Per desuetudinem,* seu per *consuetudinem contrariam* debitis vestitam conditionibus; quia in illo casu praesumitur superior nolle, ut lex obligare pergat. — *Ita communissime.*

Quaer. 1° *An cesset lex cessante causa finali in casu particulari tantum, i. e. respectu aliquot personarum?*

Resp. Negative, nisi servari nequeat sine magno incommodo (¹); quia finis legis adaequatus non potest cessare in particulari, cum respiciat ea, quae communiter contingunt, non vero casus particulares. Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi certo sciant, nullum subesse matrimonio impedimentum. — *Suarez.* — *Layman* et *S. Lig. n. 199.*

Quaer. 2° *An possit quis libros prohibitos legere, si nullum ex iis sibi periculum pertimescat?*

Resp. Neg. ob rationem modo allatam et ob periculum hallucinationis. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 199.*

PARS II.

DE SPECIEBUS PRAECIPUIS LEGUM.

Agendum: 1° de lege naturali et divina; 2° de lege ecclesiastica et civili; 3° de lege poenali et irritante; 4° de lege non scripta seu de consuetudine; 5° de lege favorabili.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI ET DIVINA.

ARTICULUS I.

DE LEGE NATURALI.

122. — Lex naturalis est divina voluntas naturali lumine manifestata, praecipiens ea, quae rectae rationi consentanea sunt.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex aeterna naturae rationali per lumen naturale intimata sive habitua-

---

...mii quasi renovatur. — Dispensatio autem absolute data non cessat per unum actum, nisi fuerit concessa pro speciali casu. Perdurat ergo v. gr. etiam post mortem conjugis dispensatio in voto castitatis ad contrahendum matrimonium, non vero concessa ad ducendam virginem a potente defloratam. — *S. Lig. n. 196.*; *Homo ap. tr. 2. n. 66.* — *Scav.*

(¹) Si autem ex pluribus causis aliqua tantum cessat, viget legis obligatio, supposito, quod causa remanens adhuc sufficiens sit. — Cf. *n. 80. not. 2.* Cessat quoque lex, si propter aliquam mutationem fit injusta vel inutilis bono communi. — *Scav.* — *Suarez, de leg. l. 6. c. 9.*

(¹) melius *Scavini:* nisi lex reddatur nociva eo in casu aut saltem valde difficilis. — Cf. *n. 108. III.* „secluso damno etc."; *n. 113.*; *n. 136. Q. 3°* et *Suarez l. 6. c. 7. n. 11—13.* Quo majoris momenti vero lex, eo major difficultas ad hunc effectum necessaria erit.

liter per rectam rationem, sive actualiter per dictamen rectae rationis.

Objectum legis naturalis id omne est, quod rationali naturae ita vel convenit vel disconvenit, ut ab ipsius naturae conditore praecipi vel interdici necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur, quae legi aeternae sunt conformia. — Hinc versatur lex naturalis 1° circa prima morum principia, v. g. *bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis;* 2° circa principia secundaria morum sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque praecepta decalogi; 3° circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

Quaesita:

123. — Quaer. 1° *An objectum legis naturae interdum ignorari possit?*

Resp. 1° Primaria morum principia a nemine ignorari possunt. — 2° Item conclusiones proximae, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi vel raro, vel ad breve tempus in rudibus et pueris. *Ita communiter.* — 3° Ignorari autem potest et saepe ignoratur quoad conclusiones remotas. Hinc circa eas tot controversiae inter doctores etiam exagitantur. — *S. Lig. n. 170. et seq.;* item *de consc. n. 8.*

Quaer. 2° *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo, qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Negative. Ratio est, quia velle, quod malum est formaliter seu quatenus tale, est ipse actus malus, siquidem est velle, quod Deo displicet, et proinde velle ipsi displicere. — *S. Lig., de consc. n. 9. etc.* contra *plures.*

Quaer. 3° *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Negative. Etenim cum id jubeat vel prohibeat, quod natura sua bonum vel malum est, plane consequitur, non modo a creaturis, sed ne ab auctore quidem naturae legem naturalem immutari posse.

Nec dicas, 1° Deum pluries immutasse legem naturalem, v. g. permittendo polygamiam patriarchis; furtum, divortium Hebraeis etc. Nam non est mutata lex naturalis in praefatis exemplis, sed tantum, mutata circumstantia materiae, evenit, ut id, quod adversabatur recto ordini, positis novis circumstantiis jam non adversaretur.

Nec dicas, 2° dari materiam, v. g. copulam carnalem, quae adversatur juri naturali inter solutos, non vero inter conjunctos legitimo matrimonio, et proinde mutari; nam jus naturale prohibet copulam extra matrimonium ex eo, quod ejus finis legitimus tunc deficiat.

Aliqui tamen distinguunt legem naturalem *strictam* seu omnino immutabilem, ut est v. g. ea, quae prohibet blasphemiam, et aliam *latam*, quae potest mutari mutatis circumstantiis, ut est occisio proximi etc. — Ita *Voit n. 534.* Alii autem hanc distinctionem rejiciunt. Quidquid sit, certum est, distinctionem illam cadere saltem in materiam legis naturalis, quae aliquando pro variis circumstantiis mutabilis est.

ARTICULUS II.
DE LEGE DIVINA POSITIVA.

124. — Lex divina positiva duplex constituta est, scilicet *vetus* et *nova.*

I. Lex *vetus* seu veteris testamenti continebat praecepta triplicis generis:

1° *Moralia,* quae spectabant rectitudinem moralem seu statuebant id, quod lege naturali jam praescriptum erat ut bonis moribus conforme vel oppositum. Talia sunt decalogi praecepta.

2° *Caeremonialia,* quae referebantur ad Dei cultum, seu spectabant caeremonias, sacrificia, quarumdam escarum prohibitionem.

3° *Judicialia,* quae ad politicam et oeconomicam administrationem seu ad rectam gubernationem populi referebantur.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote *posita, donec veniret semen, cui promiserat,* ut ait apostolus *Galat. 3. 19.* Sola igitur pars legis veteris, quae ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex *nova* seu evangelica, quae dicitur lex gratiae vel libertatis vel novum testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet: 1° *praecepta moralia* circa virtutes, praesertim theologicas; 2° *praecepta caeremonialia* circa sacramenta et missae sacrificium; 3° *mera consilia,* sed magno praemio digna.

Lex nova differt a lege veteri praesertim in sequentibus, scilicet: 1° Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas. — 2° Vetus lex timoris erat, nova vero lex gratiae et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet et Deus per illam attingeret scopum, quem sibi praefixerat.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, *quibus nota est*(r). Sic enim Christus *Matth. 28. 19.* et *20.: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.*

CAPUT II.

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI.

ARTICULUS I.

DE LEGE ECCLESIASTICA.

125. — Lex ecclesiastica est lex ab Ecclesia lata, qua societas christiana ad commune bonum spirituale et beatitudinem aeternam dirigitur.

Collectio et notio variarum legum ecclesiasticarum jus canonicum constituit.

Corpus juris canonici sex constat partibus, tria volumina in folio constituentibus(1). Sunt: *Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinae, Extravagantes Joannis XXII.* et *Extravagantes communes.*

I^um^ *volumen* continet decretum a Gratiano, monacho benedictino, collectum et anno 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium canonum.* Opus distribuit in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma judiciorum, et tertia de rebus sacris.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quae subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: *Cap.* Jejunium *dist. 76.,* vel brevius et melius: *dist. 76. cap. 7.*

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas; causae autem dividuntur in quaestiones et quaestiones in capita. Citatur modo sequenti: *Cap.* Qui viderit *quaest. 5. causa 32.* vel: *caus. 32. q. 5. c. 13.* — *Quaestio 3. causae 33. tract. de poenitentia* septem habet distinctiones; sic citatur v. g.: *cap.* Mensuram *dist. 1. de poenitentia,* vel: *de poenitentia dist. 1. c. 86.*

Tertia pars constat quinque distinctionibus, quae in varia capita dividuntur. Citantur: *Cap.* Est unitas *dist. 4. de consecrat.* vel: *de consecrat. dist. 4. c. 49.* Haec enim pars de consecratione ecclesiarum, altarium etc. tractat.

II^um^ *volumen* continet Decretales a Gratiano omissas vel post ipsum editas a *S. Raymundo de Pennafort,* Ordinis Praedicatorum, jussu Gregorii IX. collectas et anno 1230 publicatas. In quinque dividuntur libros, qui habent titulos et capita. Hoc modo citantur: *cap.* Pervenit *de appella-*

(r) Hinc Judaeos coepit obligare saltem die Pentecostes, quo eis solemniter promulgata est; alios autem nonnisi pedetentim ac successive, ut docet *Dens,* prout scilicet promulgatio illa ad varias nationes humano modo potuit pervenire. — *Scav.*

(1) Variant tamen editiones.

tionibus, vel *decretal. lib. 2. tit. 28. c. 28.*(1) Locus hoc posteriori modo indicatus multo facilius invenitur.

III^um^ *volumen* continet Sextum, Clementinas et Extravagantes tum Joannis XXII., tum communes.

Sextus vel liber sextus Decretalium sic dicitur, quia quinque libris Decretalium Gregorii IX. adjicitur, et Decretales a Gregorio IX. ad Bonifacium VIII. editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII. Dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur: *in Sexto* (6°) vel: *apud Bonifacium.*

Clementinae, sic dictae a Clemente V., qui eas colligi jussit post Concilium Viennense, cui anno 1311 praefuit, sunt constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editae. Eas Joannes XXII. promulgavit anno 1317 in quinque libris, qui sicut Decretales et Sextus, titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur: *in Clementinis.*

Extravagantes Joannis XXII. sunt constitutiones, quas ille Pontifex prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra corpus juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: *Extravag. Joannis XXII. tit. 4. c. 1.*

Extravagantes communes, ita vocatae, quia a Joanne XXII. et a pluribus aliis Pontificibus editae sunt. In quinque etiam dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis(2). Sic ordinarie citantur: *cap.* Vas electionis *de haereticis*, *Extravag. commun.* seu: *Extrav. comm. lib. 5. de haereticis c. 2.*

Aliae conciliorum Constantiensis, Basileensis et Tridentini, ac Pontificum Romanorum constitutiones postea editae sunt, sed in corpus juris nondum fuerunt collectae.

(1) vel *cap.* Pervenit (28.) de appell. (II. 28.)

(2) In recentioribus editionibus numerantur.

Quaesita:

126. — Quaer. 1° *Quaenam sint romanae Congregationes earumque officia varia?*

Resp. Distinguuntur sequentes: Congregatio Concilii, Congregatio Episcoporum et Regularium, Congregatio de Propaganda Fide, Congregatio sacrorum Rituum, Congregatio Indicis, Congregatio S. Officii, Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, Congregatio Immunitatis.

1° *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium.* Tota constat ex cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo *Praefecti Congregationis* insignitur. *Pius IV.* pro concilii Tridentini observantia hanc primum instituerat: postea vero, rerum exigentiis motus, *Sixtus V.* decreta concilii in iis, quae ad morum aut disciplinae reformationem pertinent et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2° *Congregatio Episcoporum et Regularium.* Tota etiam ex cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda, ea nempe, quae respiciunt bonam dioeceseon totius orbis catholici administrationem, necnon et regularium utriusque sexus controversias litesve secundum sacros canones cognoscendas et dirimendas.

3° *Congregatio de Propaganda Fide.* Ex solis cardinalibus conflatur. Tota est in procuranda propagatione fidei per orbem terrarum. Collegium dictum *de propaganda fide*, pro efformandis missionariis ab *Urbano VIII.* Romae fundatum, ad eam pertinet.

4° *Congregatio sacrorum Rituum.* Praeter cardinales etiam consultoribus, praelatis vel regularibus, constat. Liturgiam sacram et quae ad eam pertinent, definit et ordinat. *Beatificatio* et *canonizatio Sanctorum* etiam inter ejus officia commemorantur.

5° *Congregatio Indicis* a *S. Pio V.* instituta. In ea locum habent cardinales et alii docti viri plures. Unicum

munus, magni autem momenti pro bono societatis tam ecclesiasticae, quam civilis exercet: curam nempe gerit librorum, qui in lucem eduntur, ne quid per eos contra religionem et bonos mores inter christianos valeat propagari; quos existimat fidelibus noxios, hos omnes accurate notat ac vetat; illos refert in *indicem,* qui ideo dicitur *Index librorum prohibitorum,* ut ab eorum lectione tamquam a venenatis pascuis fideles abstineant. Aliquando tamen libri tum a Congr. S. Off., tum ab ipso Pontifice peculiaribus *brevibus* ac *dogmaticis constitutionibus* prohibentur, praesertim si haeresim sapiant.

6° *Congregatio S. Officii* seu *sacrae universalis Inquisitionis. Suprema* dicitur, et constat tum cardinalibus, tum praelatis atque theologis regularibus. Illius est cognoscere de haeresi, necnon de haeresis suspicione aut de aliis factis irreligiositatis. A *Paulo III.* instituta et a *Sixto V.* confirmata fuit.

7° *Congregatio Indulgentiarum* et *Reliquiarum.* Habet facultatem et munus dirimendi omnes difficultates ac dubitationes circa ss. reliquias et indulgentias. Constat ex numero cardinalium, a S. Pontifice determinando, et ex aliis praelatis.

8° *Congregatio Immunitatis,* quae cardinalibus paucisque aliis coalescit. Causas varias de immunitate ecclesiastica sive reali, sive personali, sive locali occurrentes inspicit et cognoscit.

127. — Quaer. 2° *Quid de sacris tribunalibus gratiosis et contentiosis?*

Resp. 1° Tribunalia *gratiosa* tria numerantur, scilicet: *Sacra Poenitentiaria, Dataria* et *Cancellaria romana.*

1° *Poenitentiaria* est tribunal institutum ad gratias quasdam in foro interno elargiendas. Illius munus est, concedere absolutiones a peccatis et casuris Papae reservatis, dispensationes in votis et irregularitatibus, necnon generatim in impedimentis matrimonii occultis, ut suo loco fusius dicetur. Pertinet etiam ad sacram Poenitentiariam, solvere dubia practica seu dirimere difficultates, quae ipsi proponuntur.

Constat *S. Poenitentiaria* ex uno *poenitentiario majori* de collegio cardinalium et *poenitentiariis minoribus* ex diversis religionibus assumptis. Hanc s. congregationem reformavit *Pius IV.* an. 1562 et reformationem *S. Pius V.* absolvit.

2° *Dataria,* sic appellata ex stylo in cancellariis consueto ex eo, quod *datam* seu epocham gratiae concessae notat. Est amplissimum tribunal ratione negotiorum, quae ad illud referuntur, et gratiarum, quae ab eo expediuntur. Procedunt enim exinde ecclesiarum cathedralium erectiones, uniones, divisiones, suppressiones, novorum canonicatuum vel dignitatum creationes, beneficiorum reservatorum collationes et impedimentorum matrimonii publicae dispensationes.

Dataria constituitur ex *datario,* qui *prodatarius* nuncupatur, si cardinalis sit, ut fere semper occurrit, *subdatario* et pluribus subalternis officialibus.

3° *Cancellaria* inter *gratiosa* tribunalia omnino eminet. Est Pontificis tribunal, per quod literae apostolicae conficiuntur, scribuntur et expediuntur. Origo illius officii non est certa. Officium illud primariae dignitatis est, et cancellarius ceteros aulae romanae ministros praecedit. Plures sub se officiales habet cancellarius, quorum aliqui sunt *praelati majores.*

Resp. 2° Inter tribunalia *contentiosa* primum tenet locum *Rota Romana,* de qua sola admodum pauca referemus. De ejus origine et nominis ratione non satis constat. Est autem *Rota Romana* tribunal pontificium institutum ad cognoscendas et decidendas causas contentiosas ex toto orbe catholico ad curiam Pontificis delatas. Judices, ex quibus constituitur tribunal illud, sunt duodecim ex

diversis Ecclesiae partibus assumpti. Hos inter octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus et alter Germanus. Sic ex constitutione *Sixti IV.* Hi omnes *auditores Rotae Romanae* dicuntur ex eo, quod, ut ajunt, olim fuerint meri causarum auditores et relatores, non autem proprie judices.

128. — Quaer. 3° *Quid de bullis, brevibus et rescriptis pontificiis?* (1)

Resp. 1° *Bullae* sunt quaedam Romanorum Pontificum constitutiones, quae graviora ut plurimum negotia respiciunt, et in Cancellaria Apostolica membranis subfuscis et crassioribus, charactere longobardico seu teutonico exaratae expediuntur. *Bullae* dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhaeret funiculo serico vel canabis.

Varia nomina ex variis objectis sortiuntur. Aliae sunt *gratiosae,* quae *gratiae* collationem continent; — aliae *justitiae,* quae *justitiae* administrationem respiciunt; — aliae *consistoriales,* quae in *consistorio* expediuntur; — aliae *dimidiae,* quae a Pontifice nondum consecrato feruntur et in sigillo non exhibent ejusdem nomen.

Bullae citantur vocabulis, quibus incipiunt.

Bullaria dicuntur bullarum collectiones.

2° *Brevia* dicuntur quaedam Romanorum Pontificum constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus. Per *secretarium brevium* in membranis albis atque subtilibus, latino eoque nitido charactere conscriptae expediuntur. Sigillum habent cerae rubrae, in quo impressa est imago S. Petri piscationem agentis, et ideo dicuntur expediri sub *annulo piscatoris.*

3° *Rescripta* vocantur rogatorum

(1) Ut dicenda magis pateant, pauca ex *tract. de principiis juris can.,* a *D. Bouix* edito, *p. 2. sect. 2. c. 7.* decerpta addimus: Scripta, quibus Romanus Pontifex aliquid decernit circa res ecclesiasticas, generali nomine *literae Apostolicae* vel etiam *decreta* et *constitutiones* nuncupantur. Sed eaedem hae voces etiam strictiorem sensum sibi vindicant. Dividi enim possunt literae Apostolicae *in ordinationes communes,* quae aliquid pro tota Ecclesia vel saltem pro tota aliqua Ecclesiae parte statuunt, et in *ordinationes particulares,* quae pro aliqua privata persona tantum aut pro casu transitorio aliquid determinant. Ordinationibus communibus porro accensentur 1° *Constitutiones* proprie dictae, literae scil. Apostolicae, quatenus permanenter pro communitate (Ecclesia) aut parte communitatis aliquid statuunt. — 2° *Decreta.* Sunt juxta hodiernum stylum constitutiones, quatenus eduntur a Romano Pontifice non ad aliorum relationem aut consultationem, sed motu proprio, adhibito vel non adhibito cardinalium consilio. Vocantur etiam *motus proprii.* — 3° *Decretales epistolae.* Differunt a decretis, in quantum eduntur ex relatione, consultatione aut postulatione sive episcoporum, sive aliorum. Ad distinctionem a motibus propriis dicuntur etiam *responsa.* Quamvis pleraeque decretales propter privatas causas scriptae sint, quum tamen ea mente compositae sint, ut ad similes casus decidendos inserviant, vim canonis generalis habent. — *C.* In causis (9.) *de sentent. et re jud.* (II. 27.). — 4° *Encyclicae* i. e. constitutiones praedictae aut decretales, quatenus diriguntur ad episcopos totius orbis vel alicujus regionis, quando scil. de aliquo puncto doctrinae, vel de aliquo tollendo abusu, vel de aliqua disciplina ab Ecclesia uniformiter servanda decernunt.

Ordinationes particulares fiunt per *rescripta* vel *diplomata* (sic dicta, quod membranae, quibus inscribuntur, in duas plicas contrahi soleant). Sic appellantur epistolae illae, quibus Romani Pontifices respondent aut supplicantibus pro aliqua gratia, aut referentibus de aliquo particulari negotio, aut dispositionem aliquam pro re transitoria aut pro privata persona postulantibus.

Quoad formam vero omnes Romanorum Pontificum literae de rebus ecclesiasticis statuentes duplici classe comprehenduntur, *bullarum* scil. et *brevium.*

Sunt porro constitutiones Apostolicae fons praecipuus juris ecclesiastici. Ast inter decreta Pontificia, quae jus constituunt, accenseri non debent literae illae, quae *rescripta* dicuntur quaeque pro privata aliqua persona aut negotio aliquo transitorio decernunt, uti exponit *Bened. XIV., de syn. dioec. l. 9. c. 8. n. 8.*

Pontificum responsa. Duplex illorum genus. Alia instar *epistolarum familiarium* feruntur, quae dare solent summi Pontifices sive cum rogantur ab iis, quibuscum habent peculiarem amicitiae relationem, sive cum de consilio tamquam viri docti et pii rogantur, nec iis ulla vis obligandi inest, utpote quae magis ex animi comitate, quam ex vera auctoritate procedant. — Alia instar *decretorum* a Pontificibus tamquam S. Petri successoribus et Ecclesiae universalis pastoribus atque magistris feruntur, ac proinde illis vis inest maxima, cum per ea jus Pontificium et suprema jurisdictio exerceatur.

129. — Quaer. 4° *An vim legis habeant epistolae Pontificiae, responsa in corpore juris non inserta* (¹)?

Resp. Affirmative, si de earum authenticitate constet et sufficienter promulgatae sint, scilicet si eo modo publicentur, quo leges publicari solent; vel si ex usu et consensu Ecclesiae universalis jam a pluribus saeculis habentur pro authenticis et sufficienter promulgatis. — *S. Lig. n. 106.; Hom. apost. n. 34.*(²)

130. — Quaer. 5° *Utrum vero vim legis habeant Sacrarum Congregationum declarationes?*

Resp. 1° Decreta S. Congr. Rituum ut oracula ipsius Pontificis habenda sunt; sic ex bulla 74. *Sixti V.* — Declarationes vero ejusdem Congregationis, licet habendae sint tantum ut responsa sapientissimorum virorum, attamen aliorum doctorum opinionibus praeferendae sunt.

Resp. 2° Quoad declarationes aliarum Congregationum: obligant ut leges in casibus particularibus, pro quibus fiunt. In similibus autem casibus controvertitur. Multi doctores affirmant, eas stricte obligare, modo munitae sint sigillo et subscriptione Cardinalis Praefecti, et Pontifex consultus fuerit. Multi autem alii etiam probabiliter negant et censent, declarationes, licet sint maximae auctoritatis, nihilominus non obligare, nisi de mandato Pontificis fuerint emanatae et pro tota Ecclesia editae sint, ita ut Papa declaret, se velle eas ab omnibus fidelibus servandas esse. Etenim, quoties fiunt declarationes ab aliis, quam a proprio legislatore, sunt novae leges, quae nova indigent promulgatione; promulgatio autem non intervenit solis SS. Congregationum declarationibus.(¹) — *S. Lig., Hom. apost. n. 34.* Haec autem promulgatio fieri potest tum de speciali mandato Pontificis, tum per usum plurium annorum, vel relatione auctorum eas communiter referentium.

(¹) Non exsistit enim pro constitutionibus Pontificiis post clausum corpus juris canonici editis collectio *publica auctoritate facta.* (Cf. *n. 125.*) Excipiendum tamen bullarium *Benedicti XIV.*, promulgatione authentica munitum.

(²) Cf. tamen *notam* ad *n. 112.*

(¹) Sedes Apostolica sententias suas declarat voce Congregationum, quae itaque auctoritate Apostolica funguntur, et quidem ordinaria in omnibus, quae ipsis modo permanente et stabili demandata sunt. Hinc omnino tenendum, *earum decreta naturam induere decretorum Pontificiorum,* ideoque novas Congregationum sanctiones eodem modo obligare, quo leges Pontificiae, si proprietatibus gaudent, quibus leges insignitae esse debent, ideoque etiam debita promulgatione; purae vero legum praeexsistentium declarationes nec nova indigent promulgatione *(n. 112. in nota).* Excipienda esse decreta, quae ex natura sua ad alios casus extendi nequeunt, v. gr. indulta, per se patet. — Cf. *Analecta J. P. ser. 2. col. 2364. et seq.* et *col. 2309.* In praxi vero supponendum, *in authenticis* decisionibus Congregationum omnia observata esse, quae constitutiones Pontificiae ad earum validitatem requirunt; quaevis enim curia gaudet plena fide publica. Decreta autem generalia rite Romae promulgari, sat notum est. — Imo, concesso etiam, tales *declarationes* Congregationum non habere vim strictae legis, sed solum eminentem aliquam auctoritatem, tamen propter hanc ipsam proprietatem in praxi legitime deseri nequeunt extra casum extraordinariae et urgentis causae, ut probat *Bouix* in *tract. de princ. juris can.*

— *S. Lig., Elenchus quaest. reformat. Ser. 2. Q. II.* — *Scav. disp. 1. c. 4. q. 14.*(1)

ARTICULUS II.
DE LEGE CIVILI.

131. — Lex civilis est collectio legum vel decretorum principum temporalium, quibus ad bonum commune temporale societas dirigitur.

Singulae nationes seu communitates politicae proprias habent leges, quibus reguntur. Sed jus duplex praesertim distinguimus, scilicet *romanum* seu *commune*, et *gallicum novum*, quod etiam nonnullis aliis guberniis magna ex parte proprium est.

I. *Jus romanum.* — Jus romanum dicitur commune, quia vim fere ubique habuit usque ad nostra tempora. Magno semper in honore habitum est, tamquam exquisitum et *quasi ratio scripta.*

Continetur in celeberrimo codice seu corpore juris civilis, Justiniani jussu edito. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1ª *parte* sunt *institutiones Justiniani*, quae 4 libris editae sunt quasi rudimenta et elementa pro tironibus juris civilis.

In 2ª *parte* sunt *digesta* seu *pandectae,* quae in 50 libros distribuuntur.

In 3ª *parte* est codex vocatus *repetitae praelectionis,* in 12 libros divisus.

In 4ª *parte* continentur *authenticae* seu *novellae* in 68 numeris.

Nota: Pleraque regna et imperia Europae saeculo 18. et praecedentibus jus romanum saltem magna ex parte sequebantur.

132. — II. *Jus gallicum.* — Jus gallicum novum a paucis annis exsistit; Gallia enim ex maxima parte jure communi ante Napoleonis tempora regebatur. Jus novum continetur in codice vulgo dicto *code Napoléon.*

Quinque sunt illius partes seu codices particulares: 1° codex *civilis;* 2° codex *processus civilis* (de procédure civile); 3° codex *commercii;* 4° codex *instructionis criminalis;* 5° codex *poenalis.* His accesserunt plures alii codices minores minorisque momenti, nempe: codex *sylvarum* (code forestier), — codex *agrorum* (code rural), — codex *municipii* (code municipal) etc. Res singulae in singulis codicibus contentae in breves et claros articulos distribuuntur numerisque arabicis indicantur, ideoque facillime inveniuntur. Insuper multae sunt leges, quae in tabulis vulgo dictis *bulletin des lois* inscribuntur et asservantur.

CAPUT III.
DE LEGE POENALI ET IRRITANTE.

ARTICULUS I.
DE LEGE POENALI.

133. — Lex poenalis ea est, quae non obligat ad actum vel ad omissionem, nisi sub poena temporali, i. e. ad acceptandam poenam ut justam.

Principia:

I. Nequit dari lex *pure poenalis,* ita ut nullo modo in conscientia obliget, quia omne praeceptum superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum praeceptum. — *Ita omnes.*

II. Potest autem dari lex *mere poenalis* obligans in conscientia solummodo ad poenam subeundam, si lex violata fuerit. Ratio est: 1° quia ad legis essentiam sufficit, ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est, ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2° quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris: legislator autem ad solam poenam obligare potest, si communi bono procurando sufficiat. — *Ita communissime theologi cum S. Lig. n. 145.* — *Suarez.* — *Salmant. etc.*

An vero dentur aliquae leges mere poenales, non potest speculative resolvi,

(1) al. *c. 3. q. 8.*

cum vari possint alicubi, et non in aliis locis. Soli igitur in sua regione aut natione docti et periti de hoc judicare valent. Generatim paucae et in rebus minoris momenti admitti possunt. Contendunt autem non pauci theologi, esse mere poenales leges, quae respiciunt quaedam tributa in merces, qua etransvehuntur, et quae *vectigalia* nuncupantur. *De his dicemus in tract. de restitutione versus finem.*(1)

Quaesita.

134. — Quaer. 1° *Quomodo dignosci possint leges mere poenales?*

Resp. Praecipue ex communi sensu doctorum et persuasione praxique subditorum, praesertim timoratorum.

Quaer. 2° *An ignorantia excuset a poena per legem lata?*

Resp. 1° *Affirmative* pro foro interno, si ignorantia excuset ab omni culpa: in foro autem externo non excusat eo sensu, quod non liceat umquam auctoritati resistere.

Resp. 2° *Negative,* si ignorantia non excuset a culpa seu si vincibilis sit, aut circa solam poenam versetur.(2) — *S. Lig. n. 169.*

Quaer. 3° *An sint leges aliquae Ecclesiae mere poenales?*

Resp. Negative, si excipiantur regulae multorum ordinum religiosorum. Omnes enim poenae a jure canonico inflictae culpam, et plerumque gravem, supponunt. Ratio est, quia leges poenales debent saltem esse obligatoriae disjunctive, seu saltem ad poenam subeundam; sed cum Ecclesia careat mediis ad coercendum, quibus gaudent principes, necesse est, ut semper in conscientia obliget. Nec dicas, Ecclesiam habere censuras ad poenam christianis infligendam; nam ex usu Ecclesiae censura non nisi in maximos peccatores et in contumaces feruntur, quia censurae sunt poenae extraordinariae, quas Ecclesia, pia mater, nonnisi necessitate extrema compulsa infligit. — *Reuter n. 216.*

ARTICULUS II.
DE LEGE IRRITANTE.

135. — Lex irritans ea est, quae statuit, aliquem actum a principio invalidum esse vel post judicis sententiam invalidandum. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, vel post sententiam tantum. Sunt etiam aliae irritantes absolute, et aliae conditionate seu si deficiant requisitae conditiones. Aliae etiam immediate irritant actum ipsum, ut in impedimento matrimonii ratione clandestinitatis; et aliae mediate, personas ipsas inhabiles reddendo, ut in impedimento consanguinitatis.

Principia:

I. Omnis legislator leges irritantes condere potest, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanae propulsari nequirent. — *Suarez.* — *Antoine.*

II. Leges, quae statuunt actus rescindi *posse,* eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, nec proinde ante ejusdem sententiam obligant(1).

(1) *Obligatne lex, quae poenam imponit, ad eamdem subeundam ante judicis sententiam?* — *R.* Si sermo sit de poenis *stricte sumptis,* videtur in genere negandum de iis, quas statuit lex civilis; affirmari vero debet de poenis ecclesiasticis, quae non sunt ferendae, sed latae sententiae. Privationes autem *jurium legitime jam acquisitorum,* quae positivam actionem, praesertim difficiliorem, a parte culpabilis expostulant, in genere praerequirunt saltem sententiam declarativam judicis, licet lex dicat: *nulla alia declaratione secuta, ipso facto etc.* — *Cf. Scav.*

(2) Excipe pro ultimo casu: si poena sit improportionata, vel si sit censura, vel si superior ad poenam incurrendam expresse scientiam requirat. Ignorantia affectata tamen scientiae acquiparatur. — *Ita communiter.*

(1) Sortitur enim lex humana, inhabilitans aliquem actum, suum effectum ante sententiam judicis, saltem pro foro externo, nisi obstent vel verba legis, (cf., proportione tamen servata, *p. 2. n. 936.* — *Reiffenst., in l. 1. decret. tit. 2. n. 242.*)

III. Sententiae autem judicis irritantis standum est in iis omnibus, quae intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati praecipienti obtemperandum est. — *Suarez.*

Quaesita:

136. — Quaer. 1° *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirmative, si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus. — *Reuter n. 232.*

Quaer. 2° *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

Resp. Negative per se, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitae, nec tollit gravia incommoda, quae sequerentur, si lex in omni casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito invalide nubit cum ejusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis.

Excipe tamen: si lex irritet unice praecise in poenam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet. — *Suarez.* — *Lacroix etc.*

Quaer. 3° *An lex irritans non obstante incommodo valde gravi irritet?*

Resp. Affirmative, nisi agatur de damno communi, quia lex irritans actum potius, quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiae, sed de bono communi; secus enim homines facilius sibi fingerent incommoda et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis initum, sine dispensatione. — *Lacroix.*

vel peculiaris consuetudo. Idem dicendum pro foro conscientiae, si agatur de lege ecclesiastica; si de civili, contrariae sententiae obtinent. In genere negativa pro praxi videtur praeferenda. — Lex vero naturalis irritans immediate semper suam vim exercet. — *Scav.*

CAPUT IV.

DE LEGE NON SCRIPTA seu DE CONSUETUDINE

137. — Consuetudo est agendi mos, ex frequentibus communitatis totius vel majoris ejusdem partis actibus inductus.

Principia:

I. Consuetudo, doctis vestita conditionibus, potest novam legem inducere, veterem abrogare(1), modificare vel interpretari.(2) Constat ex variis juris tum canonici, tum romani locis, quibus indubie fruitur, consuetudinem pro lege habendam esse. Constat pariter ex communi sententia theologorum et legisperitorum. Hinc axioma: *Consuetudo optima legum interpres.*

II. Conditiones ad legem inducendam vel abrogandam sunt: 1° Ut consuetudo sit *honesta* et *utilis* communitati. Ad hanc autem *honestatem* requiritur, ut nervum ecclesiasticae disciplinae non disrumpat(3). — 2° Ut sit a communitate(4) inducta per actus repetitos(5), voluntarios(6), publicos,

(1) Potest vero hoc modo lex abrogari quoad poenam tantum, remanente obligatione quoad culpam; item vice versa, si tamen poena necessario culpam non praesupponat, ut eam supponunt v. gr. censurae ecclesiasticae. — *Bouix, tract. de princ. juris can. p. 2. sect. 6. c. 3. IV.*

(2) Hinc dividitur in consuetudinem praeter jus, contra jus et secundum jus.

(3) ut praeterea non sit fomes et occasio peccatorum, nec bono communi perniciosa etc. — *Bouix, ib. c. 2. §. 2.* — *Reiffenstuel, in l. 1. decr. t. 4. n. 34. et seq.* Nequeunt tamen assignari regulae generales, quae pro singulis casibus sufficiant.

(4) et quidem a majore ejusdem parte, habili ad condendam legem — *Bouix, ib. c. 2. §. 1. II.*

(5) et non interruptos usque ad completam consuetudinem — *Reiffenstuel, ib. n. 133. et seq.*

(6) i. e. non vi aut metu inductos. —

im animo saltem implicito se obligandi (1). — 3° Ut adsit consensus legislatoris, a quo solo vis legis consuetudini accedere potest.

Ubi adest consensus *expressus* principis, consuetudo(2) vim legis habet, modo praedictis vestiatur conditionibus. — Si princeps sciens consuetudinem aceat, cum facile reclamare posset, nnc consuetudo *diuturna* et *continuata* valebit (3). — Imo, licet ignorata principe, ex ejus consensu *legali*(4) im legis accipit, modo sit rationabilis, onesta ac legitime praescripta. — *Lib. 1. decretal., tit. de consuetud.*

Quaesita:

138. — Quaer. 1° *Quodnam tempus requiratur ad praescribendum contra legem?*

Resp. Controvertitur. Nec conveniunt inter se theologi, nec jurisperiti, ex eo quod nihil clare in jure positivo determinetur(1).

Non pauci dicunt, decennium sufficere et requiri ad legem civilem praescribendam. Idem etiam affirmant multi pro lege ecclesiastica, licet plures cum *Billuart* 40 annos requirant. — Ita *S. Lig. n. 107.; Hom. apost. n. 11.* — Verum id videtur pendere non tam a temporis diuturnitate, quam a ceteris circumstantiis morali aestimatione spectatis, habita praesertim ratione ad sensum communem, utrum nempe major et sanior pars communitatis legem ut abrogatam habeat.(2)

139. — Quaer. 2° *Quandonam consuetudo censeatur inducta cum animo se obligandi?*

Resp. 1° Si id colligatur ex sensu doctorum; 2° si consuetudo sit de re gravi et difficili, et tamen dici possit constanter et communiter servata; 3° si superiores graviter reprehendant consuetudinis violatores. — *S. Lig. n. 107.*

Quaer. 3° *Quid in dubio, an consuetudo legis vim habeat?*

Resp. In dubio, facta inquisitione, valet principium: *Lex dubia non obligat.*(3) Haec autem inquisitio consistit in interrogando principe, ubi dubia est ipsius consensus exsistentia.(4)

Insuper requiritur ad consuetudinem praeter aut contra legem, ut inducatur *ex certa scientia*, i. e. non per errorem quoad legem vel cum ignorantia ejusdem. Hinc, si communitas erronee putet, se per legem ad aliquid teneri ideoque constanter legi putativae obediat, vel si agat contra legem, nesciens hanc exsistere, consuetudo in primo casu nullam obligationem parit, in secundo legem contrariam non abrogat, cum in utroque voluntarium desit. — *Bouix ib. III. — Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 5. n. 5.*

(1) si agatur de consuetudine praeter legem.

(2) statim —

(3) Consensus tacitus superioris, *merito* praesumptus, per se sufficit ad legem statim infirmandam. Merito vero praesumitur, quoties superior noscens consuetudinem tacet, cum tamen facile reclamare possit (cf. *notam 2. ad n. 98. II.*), eo magis, si diuturnitas temporis adsit. Idem, ait *Bouix* (*de princ. j. c. p. 2. s. 6. c. 2. §. 4. punct. 1.*), videtur dicendum, quando princeps non habet facilitatem reclamandi, si consuetudo sit tantum praeter jus, rationabilis tamen. In ipsa etiam consuetudine *contra jus* aliquando forte in tali casu merito praesumi poterit superioris consensus, ita ut saltem *suspendatur* obligatio legis, donec mentem suam libere manifestare possit.

(4) si scilicet superior consuetudinem non novit, sed ejus consensus supponitur ex voluntatem generalem, qua propter bonum publicum intendit, omnes consuetudines rationabiles et *legitime praescriptas* firmas esse — *Bouix, ib. §. 3. punct. 6.*

(1) Satis tamen concordes sunt, ad consuetudinem rationabilem praeter legem sufficere spatium decem annorum. Hinc sequentia intellige praesertim de praescriptione contra jus.

(2) In Gallia ex usu, qui invaluit post magnam rerum perturbationem sub finem ultimi saeculi exortam, non videtur amplius admittenda legum civilium cessatio, nisi legitima abrogatio interveniat. *(Nota auctoris.)*

(3) Cf. *n. 80. not. 2.*

(4) Cum ex una parte indubium sit, consuetudinibus legalem vim inesse posse, ex altera parte autem illegitima extensio juris consuetudinarii moribus nimis infesta esse debeat, optimae doctrinae auctoris

140. — Quaer. 4° *Quid tenendum de variis consuetudinibus ecclesiasticis Galliae propriis?*

---

aliqua adhuc ex *Bouix, tract. de princ. j. c. p. 2. sect. 6.* adjungemus.

Consuetudo *numquam* vim obtinere potest contra legem naturalem aut divinam positivam; esset enim corruptela. Item nullum robur acquiret vel acquisitum amittet, si legislator contradicat; deesset enim tunc consuetudini legalitas. Contradictio haec vero tripliciter fieri potest: abrogatione, prohibitione vel reprobatione. De singulis disserendum.

a) *Abrogatio* tollit consuetudinem, sed eam non eo ipso declarat simpliciter malam, nec irritat, si forte postea iterum exsurgat. Innuitur per clausulas hujusmodi: „non obstante quacumque consuetudine" etc. Abrogat autem haec vel similis clausula specialiter *consuetudines particulares non immemoriales;* ad consuetudines generales abrogandas enim jam lex aliqua generalis sine expressa mentione consuetudinis sufficit (addit *Scavini:* etiam ad eliminandas particulares, si recte praesumitur, superiorem eas nosse saltem confuse et voluisse eas abrogare). Ut vero consuetudo particularis immemorialis per istam clausulam abrogetur, ipsi addi debet: „etiam immemoriali"; excipe tamen a) si lex irrationabiles declarat sive *reprobat* quaslibet consuetudines contrarias; b) si ratio, ob quam legislator declarat se legem ferre, aeque militet contra consuetudines immemoriales, ac contra alias; c) quando legislator abrogat omnia contraria, excepto uno casu.

b) *Prohibitio* differt ab abrogatione in eo, quod insuper eidem consuetudini in posterum iterum inducendae obsistit, quin tamen eam simpliciter malam declaret. Huc faciunt clausulae: „Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere"; a fortiori clausula: „ne *in futurum* praetextu consuetudinis cujusvis lex infringatur" et similes.

Hinc exoritur quaestio, *utrum nulla consuetudo in posterum praevalere possit contra legem easdem expresse prohibentem.* Oppositas plane sententias, et probabiles quidem, auctores tenent. *Suarez (de leg. l. 7. c. 19. n. 19.)* ambas exponit et negantem probabiliorem existimat, juxta quam praedictae clausulae validitatem novarum consuetudinum contra legem difficiliorem tantum reddunt.

Quid vero speciatim de consuetudinibus contra decreta reformatoria concilii Tridentini introducendis, quas generatim Pius IV. invalidas declarat?

Resp. Hac de re sic propriis verbis *Bouvier (editio juxta animadversiones a nonnullis theologis romanis propositas emendata), c. 2. art. 5.*

„Certum est quoad Galliam, Summos Pontifices consuetudines omnes „juri communi contrarias non admittere . . . Licet enim Summi Pontifices contra hasce consuetudines non „semper potuerint reclamare ob gravia „incommoda sive publica, sive personalia sibi aut aliis, hoc tamen silentio easdem consuetudines ratas non „habuisse credendum est. Jam Sancta „Sedes mentem suam aperuit tum in „specie circa obligationem bullae S. „Pii V. de liturgia romana, tum in „genere circa pontificias constitutiones „disciplinam generalem spectantes, quas „admitti jussit a concilio provinciae „Parisiensis anni 1849, ut videre est „in actis ejusdem concilii."

„Certum est tamen, mentem Sanctae „Sedis non fuisse, omnes consuetudines dioecesibus Galliae proprias penitus destruere."

„Quaenam vero juris communis aut „conciliorum generalium decreta, quaenam apostolicae constitutiones vim „legis habeant et quaenam consuetudines supremi legislatoris consensu

---

Auctor noster, stante discrepantia inter doctores quoad hanc etiam quaestionem, inspecta praesertim praxi SS. Congregationum et tribunalium romanorum haec statuit: Tamquam certum asseri posse videtur, saltem quoad *plura* Tridentina decreta contrarias consuetudines pro nullis constanter haberi; utrum etiam quoad *omnia,* sat perspectum nondum est. Hinc in praxi nullum licet violare Tridentinum decretum ex *solo* titulo contrariae consuetudinis (i. e. non accedente indulto Pontificio etc.), sed recurrendum est ad S. Sedem.

c) *Reprobatio* non solum abrogat consuetudinem praeexsistentem et futuram prohibet, sed insuper malam et irrationabilem declarat. Innuitur per clausulas: „reprobamus — penitus improbamus — cum haec non tam consuetudo, quam corruptela merito sit censenda." — Tali porro judicio omnino standum esse, recte asserit *Reiffenstuel, in l. 1. decret. tit. 4. §. 2. n. 37.*

„in dioecesibus ratae habendae sint, „in dubio ad Sanctam Sedem recur„rendum est.“ (1)

CAPUT V.

DE LEGE FAVORABILI *seu* DE PRIVILEGIO.

141. — Privilegium est gratia constans et permanens certis personis vel certis dignitatibus *contra* vel *praeter* legem communem a superiore concessa.

Distinguitur privilegium:

1° *Personale, locale* vel *reale,* prout conceditur certae personae, aut incolis certi loci, aut alicui rei, v. g. certae ecclesiae.

2° *Contra legem* vel *praeter legem,* prout per illud alicui legi derogatur, vel secus.

3° *Favorabile* vel *odiosum,* prout privilegiato prodest secluso aliorum gravamine; aut dum uni favet, alios aggravat.

Principia:

I. Privilegium *contra legem* tantum concedi potest ab illis, qui a lege valide dispensare queunt, et quidem solis subditis(2), non secus, ac si de dispensatione ageretur, quia genus quoddam dispensationis est.

II. Privilegium autem *praeter legem* seu privilegium improprie dictum potest etiam concedi non-subditis, quia non est actus jurisdictionis, sed actus merae facultatis et quasi-donatio. Sic princeps potest concedere extraneo privilegium venandi in suo territorio.

III. Privilegium *favorabile* large interpretandum est. Econtra privilegium *odiosum,* seu aliis non privilegiatis onerosum, strictae interpretationis esse debet. Evincitur ex jure, et consonat communis doctorum consensus. — *S. Lig., append. de priv. in fine tract. de legibus n. 7.*

IV. Nemo tenetur *per se* uti privilegio, quia unusquisque juri suo renuntiare potest; aliquando tamen *per accidens* privilegiatus obligatur ad usum privilegii, v. g. ratione caritatis. Hinc peccaret, qui, habens facultatem absolvendi a reservatis, peccatorem in gravi necessitate positum audire nollet etc. — *S. Lig. ibid. n. 3.*

Quaesita:

142. — Quaer. 1° *Quomodo cesset privilegium?*

Resp. 1° Morte personae vel interitu rei, prout est personale vel reale; 2° lapsu temporis praescripti, vel revocatione; 3° cessatione causae finalis; 4° renuntiatione acceptata ab eo, qui illam acceptare potest.

Quaer. 2° *An peregrini possint gaudere privilegiis locorum, quae peragrant, etsi sint contra legem communem?*

Resp. Affirmative. Constat ex consuetudine generali. Sic Galli transeuntes per Hispaniam carnibus die

---

(1) *Multa, quae respiciebant beneficia, privilegia fori externi, formas judiciorum, nunc sunt absque re in Gallia. Unde maxima pars difficultatum juris ecclesiastici evanuit.*

Consuetudinibus apud nos certe et sine injuria auctoritatis Ecclesiae receptis omnes sacerdotes tuta conscientia uti possunt: imo ab illis in praxi recedere nequeunt, quia ordo perturbaretur, v. g. si jurisdictionem ab episcopo acceptam insufficientem judicarent, dispensationes concessas aestimarent nullas etc. Episcoporum, et non simplicium sacerdotum est, de regulis disciplinae judicare. — Bouvier (editio juxta animadversiones a nonnullis Romanis propositas emendata), c. 3. art. 1. §. 2. (Nota auctoris.)

(2) saltem aliquo modo — *Ferraris, Pr. Bibl.* ad *V. Privilegium art. I. n. 15.* Etiam extranei enim legibus territorii in multis subsunt. Hinc *Reiffenstuel,* in l. 5. *decr. tit. 33. n. 27.:* Privilegium non solum iis, qui vere et absolute subditi sunt, sed etiam extraneis concedi potest, dummodo materia privilegii sit sub privilegiantis jurisdictione.

sabbati vesci possunt. Sic etiam Itali in Gallia exsistentes ab obligatione missae audiendae in festo Epiphaniae Domini et aliis festis ibi suppressis solvuntur.

Nota: De privilegiis in particulari dicemus in loco singulis rebus proprio, et praesertim de privilegiis *clericorum, regularium, episcoporum* in tract. *de statibus particularibus in princ. partis 2ae.*

TRACTATUS
DE PECCATIS.

Agendum: 1° de peccatis in genere; 2° in specie.

PARS I.
DE PECCATIS IN GENERE
seu
DE NATURA, GRAVITATE ET DISTINCTIONE PECCATORUM.

CAPUT I.
DE NATURA PECCATI.

143. — Definitio: Peccatum communiter definitur libera transgressio legis divinae, i. e. cujuslibet legis in conscientia obligantis. — *S. Lig. n. 1.* — Vel: „est voluntarius recessus a lege Dei." — *Ita S. Thom. 1. 2. q. 72. art. 1.* — Vel: „est dictum, factum vel concupitum contra legem Dei aeternam." — *S. Aug., lib. 22. contra Faustum c. 27.*

Divisio: Peccatum multipliciter distinguitur, scilicet

1° *actuale* vel *habituale,* prout est vel actus seu omissio legi difformis, vel status peccati nondum deleti;

2° *mortale* vel *veniale,* prout vel solvit amicitiam divinam, vel est levis tantum Dei offensa, quae veniam facile mereri potest;

3° peccatum *commissionis* vel *omissionis,* prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus praecepti;

4° peccatum contra *Deum, proximum* et *seipsum,* prout specialiter et immediate Deo repugnat, vel justitiae et caritati proximo debitae adversatur, aut speciatim temperantiam et passionum moderationem respicit;

5° peccatum *malitiae* vel *ignorantiae* vel *infirmitatis,* prout vel ex mera malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel mera fragilitate committitur.

Nota: Peccatum dicitur *formale,* quando lex violatur *formaliter* ut talis. — Dicitur autem *materiale,* quando transgressio legis est prorsus ignorata vel involuntaria.

Nihil dicemus de peccato originali, quod in nostra definitione non continetur et cujus tractatio ad solam theologiam dogmaticam pertinet.

Principia:

144. — I. Ad peccatum formale praeter malitiam objectivam actus requiritur advertentia mentis ad illam malitiam et consensus voluntatis. Etenim 1° requiritur advertentia mentis ad malitiam, siquidem malitia peccati non potest esse objectum voluntatis, nisi ipsa voluntas ope intellectus eam aliquo modo cognoscat: *ignoti* enim *nulla cupido*(1); 2° requiritur consensus ex parte voluntatis; peccatum enim voluntate perficitur juxta illud *Matth. 15. 19.: De corde enim exeunt cogitationes malae, adulteria etc.* — *Recole dicta de act. hum. n. 3. et seq.*

II. Ad peccatum actuale requiritur necessario advertentia actualis. Repugnat enim, hominem peccare, quin aliquo modo advertat hic et nunc ad peccatum vel *directe,* vel *indirecte* seu in causa, saltem *in confuso,* siquidem repugnat, committi peccatum absque

(1) Sufficit vero, malitiam aliquam objectivam adverti, *licet erronea.*

ulla cognitione peccati. *Nihil* enim *volitum, quin fuerit praecognitum.* — *Ita communiter cum S. Lig. n. 3.* — *Suarez etc.*

Contradicunt quidem plures asserendo, sufficere ad peccatum advertentiam *virtualem* seu *interpretativam,* quae in eo consistit, quod homo *debeat* et *possit* advertere, quamvis *actualiter* non advertat. — *Ita Collet* — *Concina etc.* Sed haec sententia omnino rejicienda est. Etenim nihil potest esse volitum, nisi eo modo et tempore, quo est cognitum. Unde effectus causae voluntariae non sunt determinate voluntarii, nisi quando determinate cognoscuntur. Peccatum igitur absque actuali cognitione commissum est mere materiale. Nec dicant, illud esse forsitan voluntarium *in causa:* nam, si fuit vere voluntarium in causa, fuit patratum in hac causa; sed quaestio est, utrum sit voluntarium hic et nunc in effectu, et hoc sensu dicendum est prorsus involuntarium.(1)

Resolves:

145. — 1° Ignorantia vincibilis(2) circa praeceptum aliquod est peccatum, et grave quidem in re gravi; nam omnis lex obligat primo ad sui notitiam, et proinde violatur praeceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam ejus ignorantiam.

2° Actus mali eam habent malitiam, quae apprehenditur. Unde, si incidat dubitatio vel gravis suspicio de malitia tali vel tali, seu taliter specifica, haec vere ab actu voluntatis contrahitur. — *Ita communiter.*

3° Si actus mali in causa praevisi fuerint et cum aliqua advertentia ponantur, dupliciter erunt peccaminosi: 1° in causa voluntaria; 2° in seipsis. Proinde duplex erit peccatum.

4° Si ignorantia culpabilis in principio invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius cogitatio occurrat de negligentia praeterita vel de actuali ignorantia, quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depellendam.

5° Obcaecati et consuetudinarii, quamvis ratione habita defectus cognitionis clarioris forte peccent quandoque minus graviter, quam alii, absolute tamen ordinarie peccant gravius, quia actus ponunt intensiores suntque voluntatis in malo magis obfirmatae.

6° Difficile valde admittenda est inadvertentia perfecta in consuetudinariis, quia, cum ex affectu habituali sint generaliter ad peccatum dispositi, sciunt, se prava consuetudine laborare, et proinde peccando saltem *in confuso* ad peccati malitiam attendunt. Si quando tamen actus malos omnino inadvertenter ex consuetudine peragant, hi actus peccata actualia dici nequeunt, quia hic et nunc non sunt voluntarii; sed etiam tunc ut voluntarii in causa semper ipsis imputantur, quia stricta obligatio pravae consuetudinis corrigendae semper urget(1).

CAPUT II.

DE GRAVITATE PECCATI, PRAESERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

146. — Definitiones: *Gravitas peccati* est quantitas seu mensura malitiae, qua peccatum est magis vel minus Deo offensivum, et proinde majori vel minori poena dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens aeterna poena dignum.

Peccatum veniale est transgressio legis leviter obligantis, seu levis offensa Dei, quae nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde

(1) V. etiam *n. 8. 1° not.*

(2) quae scil. deponi potuit et debuit — cf. *n. 8. etc.*

(1) Cf. n. *300. 3°* et *notam* appositam.

ab aeterna beatitudine excludit. His positis sint sequentes propositiones:

PROPOSITIO I.

Non omnia peccata sunt aequalia, sed sunt alia aliis graviora.

147. — *Prob.* 1° *ex scriptura sacra. Jeremias* ait de Israelitis *c. 7.: Pejus operati sunt, quam patres eorum.* — Sic Christus Pilato *Joan. 19. 11.: Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.*

Prob. 2° *ex ratione.* Dicendum, data proportione, de injuriis hominum in Deum, quod dicitur de injuriis filiorum in parentes vel subditorum in principes; atqui istae sane inter se differunt *ratione gravitatis:* ergo etiam illae. — Insuper peccata sunt oppositio ad virtutes et praecepta; atqui sunt virtutes aliae aliis excellentiores, et praecepta alia aliis graviora: ergo oppositio ad haec erit gravior, vel minus gravis. Aliunde intentio prava delinquentis potest etiam varios malitiae gradus admittere, ut patet. Ergo etc.

Quaeres: *Undenam repetenda sit maxime peccatorum gravitas?*

Resp. Repetenda est generatim: 1° ex objecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturae rationali vel legi repugnant; 2° ex duratione actus mali vel ex ejus intensitate; 3° ex advertentia majori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo praestiti; 4° ex praestantia virtutum vel praeceptorum, quibus peccata opponuntur; 5° ex variis modis, quibus virtutes aut leges violantur.

PROPOSITIO II.

Dantur peccata mortalia.

148. — *Prob.* 1° *ex scriptura sacra. 1. Cor. 6. 9. et seq.* dicitur: *Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* — Et *Rom. 1. 32.: Qui talia agunt, digni sunt morte.* — Et *1. Joan. 3. 14.: Qui non diligit, manet in morte.* — Adde innumera alia s. scripturae testimonia, ex quibus luculenter constat, multos homines propter peccata sua a Deo fore rejiciendos et poenis aeternis cruciandos.

Prob. 2° *ex Ecclesiae auctoritate.* Ecclesia enim docet, dari peccata mortalia. Sic *Trid. sess. 6. can. 27.: Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti, anathema sit.* — *Idem conc. sess. 14. c. 5.* ait, *oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia . . . in confessione recenseri.* Ergo dantur peccata mortalia.

PROPOSITIO III.

Dantur peccata mere venialia.

149. — *Prob.* 1° *ex scriptura sacra. Prov. 24. 16.* dicitur: *Septies cadet justus, et resurget.* Ergo, qui cadit seu peccat, dum justus est, non peccat mortaliter, siquidem non privatur justitia: ergo tantum venialiter. — Item *Jacob. 3. 2.: In multis offendimus omnes:* atqui non peccamus omnes mortaliter, cum multi sint justi ante Deum; ut constat ex multis locis veteris et novi testamenti, v. g. ut dicitur de Zacharia et Elisabeth *Luc. 1. 6.;* de S. Joseph *Matth. 1. 19.* etc. Ergo sunt justi, non immunes a peccato: ergo dantur peccata venialia.

Prob. 2° *ex definitione Ecclesiae.* In *Trid.*, loco supra citato, dicitur: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, multis aliis remediis* (praeter sacramentum poenitentiae) *expiari possunt.* Constat etiam ex *prop. 20. Baji* a *Pio V.* et aliis SS. Pontificibus damnata, quae sic sonat: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.*

Prob. 3° *ex ratione.* Etenim inter amicos dantur offensae leves, quae non solvunt amicitiam; ergo similiter erga Deum dari debent.

Nota: Peccata mortalia talia sunt: 1° *Ex toto genere suo,* quando eorum objectum seu materia, quaecumque ea demum sit, gravem continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, perjurio, haeresi etc. — 2° *Ex genere suo non toto* seu simpliciter ex genere suo, quando eorum materia in eadem specie manens plerumque gravis est, quamvis etiam levis esse possit, ut sunt peccata contra justitiam. — 3° *Per accidens,* i. e. quando mortalia sunt non ex objecto suo, sed ex aliqua circumstantia, v. g. ex conscientia erronea etc. — *S. Lig. n. 52.*

Quaesita:

150. — Quaer. 1° *In quo consistat differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale?*

Resp. Differentia inter peccatum mortale et veniale sita est in hoc, quod is, qui peccat mortaliter, a Deo fine suo ultimo recedit, ut ad creaturam se convertat atque in ea tamquam in fine suo quiescat, dum ille, qui peccat venialiter, non recedit quidem a Deo, sed in ipsum non tendit illa amoris intentione ac puritate, ad quam rigorose teneretur. — *Ita communiter cum S. Thom. 1. 2. q. 72. art. 5.*

Quaer. 2° *Quaenam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. Tria necessario requiruntur, scilicet: 1° materia gravis in se vel ob circumstantias; — 2° advertentia plena ad malitiam actus; — 3° consensus plenus voluntatis in praevaricationem.

Etenim 1° requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali in se seu ratione materiae, quod tamen admittendum est, cum materia levis per se non possit hominem dissolvere ab amicitia divina. — 2° Requiritur etiam plena advertentia plenusque consensus, quia, cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis omnino adhaereat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate objectum peccati Deo praeferat et absolute velit in eo suum finem ultimum constituere.

Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem aeternae damnationi addicere sive per transgressionem levem, sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. — *Ita omnes. — S. Lig. n. 53. 56.*

Nota: Advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa vel saltem dubitatio positiva de malitia mortali consensum vel actum peccaminosum praecedat. Hoc tamen unico instanti fieri potest per simplex judicium malitiae, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; sed semper vera et plena mentis deliberatio et objecto pravo plena adhaesio requiritur.

Quaer. 3° *Quaenam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis parva, ad malitiam, et aliquis consensus, quantumvis imperfectus, voluntatis: requiruntur quidem, quia illis sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest; sufficiunt vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quae ad peccatum constituendum necessariae sunt, aliqua ratione habentur.

151. — Quaer. 4° *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiae?*

Resp. Triplex regula assignatur.

I. Regula. Recurrendum est *ad scripturam sacram.* Quae enim sint gravia vel quae levia, non humano, sed divino sunt pensanda judicio, ait *S. Aug., ench. c. 77.* Porro ea sunt mortalia existimanda, quae in s. scriptura declarantur digna morte aut excludere a regno coelorum: vel quae enuntiantur cum particula *vae,* quae sane deformitatem vere gravem denotat. Sic apostolus de operibus carnis *Galat. 5. 19.* ait: *Quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . . praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Recole etiam longam enumerationem pec-

catorum mortalium, quam recenset apostolus *1. Cor. 6. 9. et seq.*, ut supra prop. II.

II. Regula. Recurrendum est *ad Ecclesiam* seu ad definitiones SS. Pontificum, ad decreta conciliorum generalium . . . , in quibus plura declarantur mortalia vel tantum venialia. Ecclesia enim est columna veritatis, et proinde ab ejus doctrina regula et mensura morum repetenda est.

III. Regula. Recurrendum est *ad ss. patres, ad Ecclesiae doctores,* nec non ad theologos doctrina et pietate insignes. Etenim ss. patres et doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiae positi tamquam lucernae ardentes ad depellendas erroris tenebras et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, ac ceteri, scripturae ac patrum testimonia et Ecclesiae decreta interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, necnon ex similitudine quadam eamdem deducere conclusionem. Quae igitur ab ipsis unanimiter tamquam mortalia habentur, ut talia aestimanda sunt; doctorum enim consensus veritatis indicium est.

152. — Praeter illas regulas valde difficile est determinare, quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim autem gravia censentur

1° omnia peccata, quae sunt directe contra Deum vel aliquam ejus perfectionem; item omnia peccata, quae vergunt in grave praejudicium generis humani, ut sunt variae luxuriae species;

2° omnia peccata, quae committuntur circa praeceptum, cujus transgressio graviter repugnat fini valde gravi legislatoris, ut omissio jejunii, missae, confessionis annuae, communionis paschalis etc.;

3° omnia peccata, quibus graviter laeditur proximus in bonis vitae, fortunae, famae etc., ut homicidium, detractio valde proximo noxia, furtum notabile etc.

Ceterum limites inter peccatum mortale et veniale saepe saepius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris doctorum controversiis hac de re in theologia agitatis.

153. — Quaer. 5° *Quomodo peccatum mortale ex genere suo fiat veniale, et vice versa?*

Resp. 1° Peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale quadruplici modo, scilicet ratione 1° parvitatis materiae; — 2° imperfectae advertentiae; — 3° imperfecti consensus; — 4° conscientiae erroneae. — *Ita S. Thom. 1. 2. q. 88. art. 1. 2. et 6.* — *S. Lig. n. 54.*

Resp. 2° Peccatum autem veniale ex genere suo fieri potest grave 1° ratione conscientiae erroneae; — 2° ratione scandali; — 3° ratione pravi finis graviter mali; — 4° ratione contemptus *formalis* legis seu auctoritatis praecipientis; — 5° ratione pravi affectus, quo res leviter mala ipsi Deo anteponitur; — 6° ratione periculi proximi in peccatum mortale labendi. — *Ita omnes.*

154. — Quaer. 6° *An graviter peccaret, qui sola mortalia vitare vellet et de omittendis venialibus minime curaret?*

Resp. Negative probabilius per se et speculative loquendo, secluso contemptu et periculo proximo labendi in mortale. Ratio est, quia animus taliter comparatus non conducit proxime in mortale. — Ast in praxi est res difficilis et ardua valde, cum facilitas peccandi venialiter causa sit, cur anima debilitetur et possit facilius gravibus tentationibus superari juxta illud *Eccli. 19. 1.: Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Quaer. 7° *An sit peccatum grave, se exponere sine causa periculo labendi probabiliter in mortale?*

Resp. Affirmative, quia non licet uti probabilitate cum periculo animae suae. — *Ita communiter cum S. Lig. n. 63.* contra *plures.*

155. — Quaer. 8° *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti pon-*

actionem, ex qua turpes motus passurus sit?

Resp. Non peccat graviter, si actio non sit *per se* graviter influens in pravos effectus, modo eos non intendat et aegre patiatur. Secus, si actio *per se* graviter in motus influat, ut sunt aspectus et tactus vere turpes etc. — *Billuart, de act. hum., ubi de voluntario indirecto.* — *Reuter, neoconfessarius, de luxuria.*

Quaer. 9° *An peccet graviter, qui deliberat de praestando consensu objecto graviter malo, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quaestionis pendet a qualitate deliberationis. Etenim si haec sit imperfecta, i. e. si non sit, nisi quaedam haesitatio vel omissio resistentiae ex torpore, pigritia vel negligentia, peccatum veniale non excedet.(¹) — *Lacroix n. 226.* — Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas sic deliberate haerens reipsa Dei meritum cum merito peccati comparat et expendit, quod sane Deo summam infert injuriam. — *Lacroix n. 229.* — *Sanchez, Decal. l. 1. n. 16.*

Quaer. 10° *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficere possint?*

Resp. Peccata venialia, quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis numquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque tamen ratione materiae coalescentis ad mortale deveniunt, ut in materia justitiae praesertim accidit.

Resolves:

156. — 1° In praxi ad distinguendum peccatum veniale a mortali sedulo attendendum est 1° ad naturam actus; 2° ad ejus gravitatem ex parte objecti, finis et circumstantiarum; 3° ad gradum deliberationis, malitiae, infirmitatis et ignorantiae, in quantum fieri potest.

(¹) Cf. *notam* ad *n. 16. 4°.*

2° Ubi clarum non est, aliquod peccatum esse mortale, non debet esse praeceps confessarius in judicando, illud esse reapse grave tum objective, tum subjective, quia in dubio pro minima parte standum est, vel saltem res divino judicio relinquenda est. — *S. Lig. n. 52.* — *S. Thomas* — *S. Antoninus etc.*

3° In dubio de perfecto consensu judicabis in favorem poenitentis 1° si sit timoratae conscientiae et habitualiter dispositus mori potius, quam Deum offendere; 2° si advertens plenius ad tentationem, territus fuerit eamque statim repulerit; 3° si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui compos vel impos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — *Antoine c. 2.* — *Elbel n. 578.* — *Collet.* — *S. Lig., de poenit. n. 476.*(¹)

4° Confessarius non satisfacit muneri suo, si non curet, ut poenitentem removeat a frequentia peccatorum venialium, maxime cum plena advertentia commissorum, cum poenitens, qui non satagit, ut venialia vitet, cito plerumque in mortalia labatur. — *Roncaglia c. 1.*

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

Agendum: 1° de distinctione specifica; 2° de distinctione numerica.

ARTICULUS I.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

Distinctio *specifica* peccati oritur ex speciali malitia seu ex diversa deformitate, qua unum peccatum ab alio essentialiter differt. Malitia enim peccatorum varia est pro varietate creaturarum, ad quas se convertit peccator. Sic homicidium, furtum, luxuria specie differunt.

Regulae:

157. — *1. Regula.* Desumitur distinctio specifica peccatorum ex oppositione ad diversas virtutes, necnon ex deformitate moraliter diversa contra eamdem virtutem.

(¹) V. etiam infra *p. 2. n. 478. Q. 2.*

Ratio 1mi patet. Etenim singulae virtutes certo habent suam bonitatem specialem et omnino distinctam; ergo etiam peccata ipsis opposita specialem turpitudinem necessario contrahere debent. Sic negatio veritatis revelatae, desperatio, odium Dei inter se specie differunt. Quare? Quia tribus virtutibus specie diversis opponuntur, scilicet fidei, spei et caritati.

Ratio 2di est, quia, cum malitia est moraliter diversa contra aliquam virtutem, eidem specialiter repugnat et novam classem deformitatis constituit. Est autem moraliter diversa malitia haec, quando opponitur variis officiis ejusdem virtutis, vel modo omnino disparato et opposito hanc virtutem laedit. Sic homicidium, furtum, detractio specie inter se differunt, licet eidem virtuti, justitiae scilicet, adversentur. Quare? Quia opponuntur diversis officiis hujus virtutis, quae jubet, ut nemo laedatur neque in bonis vitae, neque in bonis fortunae, neque in bonis famae. — *S. Lig. n. 31.*

158. — *II. Regula.* Desumitur etiam distinctio specifica ex violatione praeceptorum *moraliter* diversorum. Etenim peccatum est transgressio legis seu praecepti; ergo, ubi praecepta specie morali inter se differunt, etiam peccata ipsis opposita specie differre debent. Sic omissio missae die festo, omissio jejunii praecepti, omissio confessionis annuae vel communionis paschalis specie inter se differunt. Dicuntur autem praecepta moraliter diversa, quoties diversum habent objectum, ut jejunium, auditio missae, abstinentia a carnibus; vel quoties motivum praecepti est diversum, licet objectum idem sit. Sic furtum unicum est peccatum, licet duplici lege, divina et humana, vetetur, quia eadem est ratio prohibitionis. — *S. Lig. n. 33.*

Econtra duplex peccatum specie diversum patrat, qui omittit jejunium in quadragesima, cui aliunde ratione poenitentiae sacramentalis adtringitur.

Nota: Aliqui addunt tertiam regulam ex objectis repetitam; hinc sequentes versiculi:

Virtus, praeceptum, diversa objecta modusque
Dant speciem peccatis diversumque reatum.

Resolves:

159. — 1° Quatuor diversa peccata committit, qui ligatus voto castitatis peccat cum consanguinea conjugata, quia violat quatuor virtutes diversas, nempe castitatem, religionem, pietatem et justitiam.

2° Tripliciter peccat, qui occidit sacerdotem vel religiosum in ecclesia, quia violat justitiam occidendo, et religionem duplici modo notabiliter diverso, violando scilicet personam sacram et locum sacrum.

3° Non committit peccata specie diversa, qui omittit missam die dominica, in quam festum de praecepto incidit; nec qui violat jejunium vigiliae aut quatuor temporum in quadragesima incidentium, quia praecepta illa non sunt formaliter diversa.

4° Econtra tria peccata specie diversa unico actu patrat, qui omittit jejunium, ad quod obligatur ex praecepto Ecclesiae, ex voto et ex poenitentia sacramentali, et in confessione haec tria aperire debet.

5° Specie differunt haeresis et omissio actus fidei, qui ex praecepto fieri debet; item desperatio et omissio actus spei, vel odium Dei et omissio actus amoris debiti, sicut pleraque commissionis et omissionis peccata, quorum unum repugnat praecepto affirmativo, alterum negativo.

6° Specie differunt detractio, judicium temerarium et contumelia, quia modo notabiliter diverso justitiam laedunt. Furta vero specie non differunt ob diversa bona fortunae, quia haec, cum referantur ad idem commercium eumdemque usum hominum, moraliter eadem reputantur.

7° Specie differt violatio jejunii per esum carnis et per multiplicem reactionem, quia praeceptum virtuali

duplex violatur, quatenus scilicet cibi qualitatem et quantitatem temperat.

ARTICULUS II.
DE DISTINCTIONE NUMERICA.

Regulae:

160. — *I. Regula.* Desumitur distinctio numerica peccatorum ex *diversitate objectorum totalium* seu *moraliter diversorum.* — *Ita omnes.*

Nota: Objectum totale dicitur illud, quod ab aliis objectis omnino distinguitur et in se completur, ita ut per se solum *totum morale* efficiat et proinde non sit pars alterius, nec ad aliud ex natura sua referatur. Sic in homicidio unicum habetur objectum *totale*, licet homicida varios actus praevios praemiserit, v. g. quaerendo arma, struendo insidias et pluries percutiendo, quia omnes isti actus praevii habendi sunt ut partes actus principalis et ad illum sunt ordinati. Si vero homicida primum intenderit tantum percussionem, et postea, mutata voluntate, occiderit, duplex erit objectum *totale,* quia duplex erit distinctus voluntatis actus.

Ratio assertionis evidens est. Etenim, ubi sunt objecta *totalia* distincta, sunt etiam ibi plures actus voluntatis distincti, in se terminati et completi, et proinde plures malitiae *distinctae*, et consequenter plura peccata. Secus vero, ubi unicum datur objectum totale, ut patet ex exemplis modo allatis. Hinc plura etiam peccata committit, qui plures occidit homines, licet unico actu, quia plura jura totaliter diversa violat et proinde plures malitias diversas admittit. Ille enim unicus actus *virtualiter* et *moraliter* multiplex habendus est.

161. — *II. Regula.* Desumitur etiam distinctio numerica peccatorum *ex multiplicitate actuum moraliter interruptorum.* — *S. Lig. n. 36.* et alii *communissime.*

Etenim, quando actus voluntatis moraliter interrumpuntur, fiunt numero completi et singuli in propria malitia constituuntur, siquidem actus sequens non potest dici continuatio praecedentis; ergo actus illi interruptione moraliter evadunt diversi; ergo iteratione multiplicantur. Sic, qui pluribus vicibus interruptis alium percutit vel furatur, tot peccata committit, quot sunt illae percussiones vel illa furta, quia haec tot actus diversos constituunt.

Actus autem voluntatis triplici modo interrumpuntur, scilicet 1° *per retractationem* seu revocationem expressam voluntatis, quia haec impedit, quominus actus posterior cum priore conjungatur: v. g. si quis retractet pravam voluntatem male agendi, et postea eam resumat; — 2° *per cessationem voluntariam ab actu* seu per mentis applicationem ad diversa objecta, v. g. si quis libere cesset a proposito malo, et dein ad illud redeat; — 3° *per moram sat notabilem,* ratione habita ad actus naturam, ita ut judicio prudentum actus voluntatis cessare communiter censeatur.

162. — *Quaenam autem mora est sufficiens ad actuum multiplicitatem?*

Resp. Traduntur communiter sequentes regulae speciales:

1° Actus *mere interni,* seu qui interne omnino perficiuntur, complentur statim, ac interrumpuntur, et proinde toties multiplicantur, quoties interrumpuntur, quia tunc tot sunt actus voluntatis completi et distincti. Etenim tales actus moraliter continuari non possunt, cum unus ab alio non pendeat, neque possunt simul conjungi, cum nihil habeant in se, per quod sibi invicem uniantur. Hinc poenitens debet in confessione exprimere, si possit, quot vicibus internae tentationi adhaeserit; quod si nequeat, dicat *circiter,* vel saltem, an valde frequenter decurrente die consensum dederit.

2° Actus interni, *juncti cum proposito externam actionem ponendi,* multiplicantur toties, quoties pravum propositum *formaliter* (1) innovatur. Ratio est, quia tunc novus voluntatis actus formaliter distinctus intercedit. Si vero propositum non renovetur, non

(1) ita scil., ut moraliter censeri nequeat continuatio prioris —

fit novum peccatum, quia tunc prior actus voluntatis in ipso effectu vel opere externo intento perseverare censetur. Propositum autem idem sine innovatione perdurat majori vel minori tempore pro varia intensitate, necnon pro variis circumstantiis personarum, aetatis, sexus, indolis etc. In praxi autem, si ultra biduum vel triduum perduraverit, de temporis duratione confessario inquirendum erit, ut numerum actuum internorum moraliter intelligere possit. — *S. Lig. n. 39.*

3° Actus *externi* seu *externe consummati* multiplicantur toties, quoties objectum est disparatum vel in se terminatum; non autem multiplicantur, etiam interposito notabili temporis intervallo, quando sunt velut partes actus principalioris seu ad finem unicum tendunt, quia quid unum morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic, qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum saepius renovaverit, ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quaesierit etc.; tunc enim actus prior voluntatis in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur.

Resolves ex dictis:

163. — 1° Unicum peccatum committit, qui intendens fornicationem mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis et tandem fornicatur, quia omnes actus praevii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum, ideoque non satis erit, si copulam confiteatur. — *S. Lig. n. 43.*

2° Unicum(¹) facit peccatum sacerdos, qui integrum officium vult una die omittere, quia singulae horae ordinantur ad complendum unum officium. Duo autem peccata faceret, qui voluisset tantum omittere matutinum, et postea reliquas horas recitare nollet, quia duplex foret actus malae voluntatis in eo distinctus.

3° Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. g. qui pluries se vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione, qui pluries inimicum percutit vel ei plurima mala imprecatur etc., quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 50.*

4° Unicum peccatum facit, qui(¹) plures fidei articulos negat, quia unicum est fidei motivum: proinde aeque infidelis est, qui unum articulum, ac qui omnes negat. — *Ita communiter.* — Item *probabiliter* unicum facit peccatum, qui eodem actu in duodecim apostolos blasphemat, quia omnes blasphemiae in sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. Oppositum tamen etiam probabile est, quia honor uniuscujusque apostoli laedi videtur. — *S. Lig. n. 47.*

5° Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui suam completam malitiam in ultimo furto sortitur. Econtra plura patrat peccata, qui pluribus vicibus de eadem pecunia furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta objectum totale efficiunt. Plura etiam committit peccata, qui rapit crumenam ad plures socios pertinentem, quia plura jura violat.

6° Plura peccata facit, qui unico actu plures foeminas turpiter desiderat, quia actus ille plures distinctas malitias involvit. A fortiori pluries peccat, qui cum eadem pluries successive fornicatur; quaelibet enim fornicatio

(¹) gravius tamen!

(¹) simul —

in se terminatur seu objectum totale constituit. — *S. Lig. n. 46.*

7° Plura peccata committit, qui jejunium praescriptum per plures dies omittere statuit. — *S. Lig. n. 46. Probabiliter* tamen unicum peccatum faceret, sed quadraginta aequivalens, qui totam quadragesimam omittere sibi proponeret, quia jejunium quadragesimale per modum unius tunc spectaretur. Si autem postea de facto singulis diebus jejunium omittat, toties quoties novum peccatum patrabit, quia singulis diebus affixa est obligatio propria. — *Elbel n. 563.*

Quaesita:

164. — Quaer. 1° *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

Resp. Affirmative, etiam si media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum etc. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illae, licet indifferentes sint *in se,* malae tamen ex fine malo evadunt. Quando autem media sunt *in se indifferentia,* necesse non est, ea singillatim explicare; nihil enim ad mores refert, num tale medium an tale aliud fuerit praeassumum. Si vero sint *mala in se,* indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus, oscula turpia, verba obscoena in ordine ad sollicitationem in peccatum adhibita.

165. — Quaer. 2° *An plura peccata faciat, qui unico actu pluribus detrahit, vel uni tantum coram pluribus?*

Resp. ad 1um Affirmative. Ratio patet ex dictis. Plures enim injurias distinctas facit, cum singuli injuriam patientes jus suum proprium ad famam habeant. Hoc autem valet, etiamsi detractio fiat erga communitatem, quia singula communitatis membra jus proprium servant ad famam, licet forte jus proprietatis ad bona fortunae per vitam paupertatis amiserint. — *S. Lig. n. 46.* et *alii communiter* contra *plures.*

Resp. ad 2um Controvertitur. Probabiliter unicum tantum facit peccatum, quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans; jus enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter non est obligatio explicandi in confessione numerum personarum, coram quibus facta est detractio, sed sufficit dicere: *Detraxi coram pluribus.* — *S. Lig. (ut probabile) n. 49.* — *Lugo* — *Azor etc.* contra *Lacroix* et *alios,* qui diversa jura violari et proinde plura dari peccata contendunt.

Quaer. 3° *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

Resp. 1° *Affirmative per se,* si attendat ad illa mala diversa, v. g. ad morbum, infamiam, mortem, quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicetur *n. 167.* — *S. Lig. n. 50.*, et clarius *Hom. apost. n. 65.* et *alii communiter* contra *plures.*

Resp. 2° *Negative per accidens,* scilicet quando haec mala diversa apprehenduntur sub ratione generali mali ut media ad perniciem, quod fieri solet, quando imprecationes ex impetu passionis fiunt. — *S. Lig. ibid.*

166. — Quaer. 4° *An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?*

Resp. Negative, si perseveret habitualiter in prava voluntate rem alienam retinendi, quia haec eadem mala voluntas *per modum continui* cum ea re injuste retenta perseverat. Attamen, si injustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum admittet, quia in eo casu mala ejus voluntas moraliter interrupta censetur. — *S. Lig. n. 40.* et *alii communiter* contra *plures,* qui dicunt, injustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit.

PARS II.

DE PECCATIS IN SPECIE.

Scilicet: 1° de peccatis internis; 2° de peccatis capitalibus.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS.

167. — Triplex eorum classis distinguitur, scilicet:

1° *Delectatio morosa* seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, sine desiderio.

2° *Gaudium* seu deliberata complacentia rei malae praeteritae vel operis mali peracti sive a se, sive ab alio.

3° *Desiderium* seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur efficax, si adsit intentio id exsequendi; secus inefficax vocatur. — *S. Lig. n. 15.*

Quaenam autem sit horum malitia, et quaenam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax* est vere peccatum et induit species objecti sui ejusque circumstantiarum.

Etenim 1° est *vere peccatum.* Constat ex praecepto *Non concupisces.* Illud enim praeceptum generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cujuslibet affectus pravi. Insuper omne desiderium rei prohibitae rectae rationi repugnat; turpe enim et inhonestum est desiderare id, quod facere non licet.

2° *Induit speciem objecti sui.* Quodlibet enim desiderium, etiam inefficax, in objectum suum tendit et proinde est volitio *malitiae specialis* istius objecti, ideoque ejus specificam malitiam contrahit. — Constat etiam ex verbis Christi *Matth. 5. 28.: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde suo.* Moechari autem in scriptura sacra ubique pro adulterio intelligitur.

3° *Induit etiam species circumstantiarum objecti.* Nam desiderium, cum tendat in objectum, illud attingit, uti est in se. Ergo contrahit totam malitiam, quae in objecto adesse cognoscitur. Ergo contrahit malitiam specificam etiam circumstantiarum objecti. Hinc in confessione v. g. desiderii fornicandi declarandae sunt circumstantiae consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis aut voti castitatis, quae personam desideratam afficiunt. — *S. Lig. n. 12.*

168. — II. *Gaudium* est etiam peccatum, et quidem ejusdem speciei, quam actio mala, circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, haud secus ac ipsum desiderium. Etenim *gaudium,* ut supra fuit definitum, est approbatio mali praeteriti. Haec igitur approbatio afficit actum peccaminosum peractum cum tota sua malitia; voluntas enim de malo praeterito delectando amplectitur totum objectum malum suis circumstantiis malis vestitum. Ergo totam malitiam specificam tum illius, tum circumstantiarum induit.

Hinc, qui in peccatorum praeteritorum recordatione sibi complacet, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiae atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est jactantia de peccato commisso, displicentia de malo data occasione non patrato, necnon tristitia de bono peracto.

169. — III. *Delectatio morosa* 1° est certo peccatum; 2° certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate objectorum menti exhibitorum.

Ratio primi est, quia naturae rationali et legi divinae repugnat, voluntatem gratum habere id, quod rectae rationi dissentaneum est et Deo displicet. Delectatio enim deliberata de objecto malo affectum in illud arguit; atqui affectus in objectum malum est affectus malus, ut patet: ergo ... Hinc *Osee 9. 10.: Facti sunt abominabiles, sicut ea, quae dilexerunt.* Et *Prov. 15. 26.: Abominatio Domini cogitationes malae.*

Ratio secundi est, quia ille, qui delectatur de objecto in se malo, illud approbat, ei suum affectum uniendo

erium et gaudium?

Controvertitur. *Negative pro-*
. Ratio est, quia simplex de-
non tendit in objectum ut po-
sed in eo quiescit ut reprae-
per intellectum. Porro intel-
aescindit ab aliis proprietati-
cti praeter illam, quae dele-
movet. — *Lugo* — *Lay-*
Reuter — *Bonac.* etc. con-
s, qui contendunt, simplicem
nem omnes objecti species in-
ut ipsum desiderium. Utram-
ntiam probabilem dicit *S. Lig.*
sed in praxi huic secundae
e adhaeret.

— Quaer. 2° *An liceat de-*
malum sub conditione: si
it?

Dist. *Affirmative per se,* si
apposita totam operis mali-
at, quia tunc affectus nullam
deordinationem neque in se,
objecto, a quo per conditio-
litia omnino excluditur.

ive vero in alia hypothesi,
s affectus tendit in objectum
et quidem absolute, cum con-
a tollat malitiam ab objecto,

alia desideria conditionata circa res solo jure positivo prohibitas, quia prorsus otiosa sunt et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt.

172. — Quaer. 3° *An liceat delectari de omissione inculpabili alicujus praecepti ex oblivione relicti?*

Resp. Negative. Ratio est, quia hujusmodi omissio, licet fuerit omnino inculpabilis, est tamen objective mala, nec proinde potest affectu voluntatis approbari. — *Ita S. Lig. n. 27. post Roncaglia, Azor* etc.

Nota: 1° Aliud est delectari de re mala, et aliud delectari de modo v. g. artificioso operandi malum; hoc enim posterius culpa *per se* vacat, quamvis timendum sit in materia lubrica, ne delectatio a modo in rem ipsam transeat. — *S. Lig. n. 18.* — *Reuter n. 389.*

Nota: 2° Aliud est sensus delectationis et aliud consensus in delectationem; sensus enim saepe involuntarius est, dum consensus semper a voluntate pendet. Saepissime angustiis premuntur scrupulosi ex eo, quod haec promiscue apprehendant.

Resolves:

173. — 1° Si poenitens se accuset de aliqua prava cogitatione, interrogandus est, an cognoverit esse pecca-

sumendum est, eum non consensisse vel saltem defuisse in eo plenum consensum vel perfectam advertentiam, maxime si timoratae sit conscientiae.(1) — *Saettler.*

2° Confessarius facile suspicari debet de morosa delectatione in iis, qui frequenter et libenter audiunt quaedam turpia, quae non videntur narrari, nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum; si enim sermo haberetur de actionibus honestis, etiam ingeniosius peractis, plerumque multo minorem delectationem perciperent. Idem dicito de iis, qui avide libros minus honestos lectitant.

3° Mortale non est tristari de obligatione non essentialiter praecepta, quatenus est molesta tantum seu *in sensu diviso* legis, v. g. de molestia jejunii. — *S. Lig.*

4° Non licet delectari de re ipsa mala ob bonum effectum, qui inde provenit, quia objectum delectationis est semper malum. Hinc damnata est sequens *propositio* sub *n. 15.* ab *Innocentio XI.: Licitum est filio gaudere de parricidio patris, a se in ebrietate patrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.*

5° Caute agere debet confessarius cum his, qui gaudent de emolumento sibi proveniente ex peccato suo vel alieno, vel ex damno aut morte alterius; non raro enim hujusmodi delectationes non ex emolumento solo, sed ex gaudio de ipso peccato aut malo proximi oriuntur. Idem timendum est de eo, qui dicit, se gaudere de bono spirituali proximi, sed quod provenit ex ejus infortunio, v. g. ex gravi infirmitate, jactura rerum temporalium etc. Potest enim gaudere potius de malo proximi, quam de bono effectu inde proveniente, praesertim si inimicitiam cum eo antea gerebat; confessarius igitur, quantum potest, mentem poenitentis introspicere debet. — *S. Lig. n. 20.*

(1) Cf. *n. 156. 3°.*

CAPUT II.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius, quam peccata proprie dicta nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum: 1° superbia; — 2° avaritia; — 3° luxuria; — 4° invidia; — 5° ira; — 6° acedia; — 7° gula. — Pauca de singulis.

I. De superbia.

174. — *Superbia* est amor inordinatus propriae excellentiae.

Distinguitur superbia *perfecta* seu in suo genere completa et consummata, et superbia *imperfecta.* — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis superioris obtemperandi. Haec autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In ceteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum producere solet, nisi accedat injuria gravis proximi, v. g. si graviter contemnatur etc. — *S. Lig. n. 66.*

Filiae superbiae sunt: ambitio, vana gloria, praesumptio, jactantia, ostentatio et hypocrisis.

Remedia sunt: consideratio propriae infirmitatis, vanitatis gloriae humanae et humilitatis Christi.

II. De avaritia.

175. — *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur justitiae vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad injustitiam gravem erga proximum impellet. — Si posterius, *per se* venialia tantum pariet, quamvis lethalia etiam peccata ob nimium erga res terrenas affectum progignere facile queat.

Filiae avaritiae sunt: durities erga miseros, inquietudo animi

sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus etc.

Remedia: consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum hujus vitii. — *Vide S. Lig. n. 68. et 69.*

III. De luxuria.

176. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereae. Luxuria gravis est ex toto genere suo; sed hoc intelligendum est, si delectatio in re venerea sit *deliberata* et *directe volita.* — *Billuart diss. 5. art. 2.*

Filiae: caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei etc.

Remedia: oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, sacramentorum frequentatio. — *Vide S. Lig. n. 71.*

IV. De invidia.

177. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus aestimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum(1). Ad eam revocatur gaudium de alterius malo(2). Ex genere suo gravis est.

Filiae: detractio, calumnia, susurratio, contumelia etc.

Remedia: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia caritatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium. — *Vide S. Lig. n. 72.*

V. De ira.

178. — *Ira* est excandescentia animi motusque inordinatus in aliquem vel aliquid, vel: est inordinatus appetitus vindictae. Iracundia est habitus irae. Ira mortalis est ex genere suo, si sit appetitus vindictae; secus, si sit [illegible]tum motus animi inordinatus.

(1) Si quis autem tristatur de bono al[illegible], eo quod alteri bonum sit, vel gau[illegible] de malo proximi, eo quod proximo [illegible], peccatum odii committit.

(2) accuratius: gaudium, eo quod alter [illegible] quoddam non possideat, quatenus [illegible]ur se aestimatur ut bonum proprium.

Filiae: indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemiae etc.

Remedia: consideratio malorum irae et mansuetudinis Christi. — *Vide S. Lig. n. 79. et seq.*

VI. De acedia.

179. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adjunctam profluit. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est aestimanda. — *Ita communiter.*

Filiae: torpor, evagatio mentis, nausea in oratione etc.

Remedia: consideratio laborum Christi, mercedis aeternae et periculorum acediae, pia lectio, frequens confessio etc.

VII. De gula.

180. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque praecipue modis ipsi indulgetur: 1° si edas ante tempus; 2° si nimis exquisita; 3° si plus aequo; 4° si voraciter; 5° si majori industria praeparata. Haec in sequenti versu continentur:

Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, si quem ad officia ineptum reddat, si venter pro Deo habeatur, v. g. in continuis epulis etc. Peccat, qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob solam voluptatem, ut constat ex *prop. 8.* ab *Innocentio XI.* damnata; attamen per se veniale non excedit.(1) — *Ita communiter.*

Filiae gulae sunt: ebrietas (de qua mox fusius), hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium et immunditia cujuslibet generis.

(1) Licet tamen uti delectatione ad cibum percipiendum pro corporis salute. — *S. Lig. ib.*

Remedia: considerare pessimos gulae effectus quoad corpus et animam; — mortificare carnem praesertim in refectione corporis; — recordari frequenter mortis seu corruptionis corporis mox futurae. — *Vide S. Lig. n. 73.*

APPENDIX
DE EBRIETATE.

181. — *Ebrietas* est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 75.*

Ebrietas perfecta, i. e. usque ad rationis privationem pertingens, peccatum grave est. Constat 1° ex ratione: voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, graviter naturae rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se dejicit Deique imaginem in se deturpat. — *S. Lig. n. 75.* et *alii omnes.*

Constat 2° ex scriptura sacra. *1. Cor. 6. 10.: Neque ebriosi . . . regnum Dei possidebunt.* — Et *Isaiae 5. 11.: Vae, qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. . .* Porro particula *vae* in scriptura sacra gravissimum denotat malum.

Probabilius autem est peccatum veniale tantum *per se,* si ebrietas sit imperfecta, secluso scandalo aut pravo fine etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Quaesita:

182. — Quaer. 1° *Quaenam sint signa ebrietatis perfectae?*

Resp. Perhibentur sequentia, scilicet: 1° nescire distinguere bonum a malo; 2° non recordari de dictis aut factis in ebrietate; 3° agere omnino insolita etc. — Non autem sunt signa certa: haesitatio linguae, titubatio pedum, visus objectorum ut duplicium aut in gyrum se vertentium. — *S. Lig. n. 78.*

Quaer. 2° *An liceat se inebriare ad vitandam mortem?*

Resp. 1° *Negative,* si ebrietas sit medium aut conditio ad id necessaria, quia tunc ebrietas directe intenderetur. Hinc, si quis tibi dicat: Inebriare aut morere, voluntarie inebriari non potes. — *S. Lig. n. 76.*

Resp. 2° *Affirm. probabilius,* si ebrietas non sequatur, nisi velut effectus medii per se liciti; v. g. si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum depellendum. Constat ex dictis *de act. hum. n. 9.* — *S. Lig. n. 76.* et *alii communiter.*

Quaer. 3° *An licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam faciendam?*

Resp. Negative, quia directe intenderetur ebrietas, et bonus effectus ex malo sequeretur. Porro *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* Recole iterum dicta *de act. hum. n. 9.* — *Ita communiter cum S. Lig.* contra *Busembaum.* Non est tamen damnanda praxis medicorum, qui opium adhibent sensus sopiendi gratia, cum virtus ipsius primaria sit soporifera; idem de aethere per aspirationem hausto dicendum videtur.

183. — Quaer. 4° *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo majori avertatur?*

Resp. 1° *Affirmative,* si ebrietas sit ipsi materialis tantum, quia malum materiale permitti potest gravi de causa. — *Ita communiter* contra *Collet* — *Concina etc.*

Resp. 2° *Negative,* si ebrietas sit formalis, quia *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* — *Ita communiter.* Attamen *S. Lig. n. 77.* oppositam sententiam ut probabilem admittit cum pluribus aliis. Ejusmodi sententia hoc sensu admitti potest, quatenus ebrietas formalis tantum permittitur, v. g. vini subministratione etc. (1)

Quaer. 5° *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta?*

---

(1) Cf. *n. 237. Q. 5° et 6°;* item *n. 238. Q. 7°.*

Resp. 1° *Negative,* si praevisa non fuerint, ne *in confuso* quidem, quia ea, quae praevisa non fuerunt, ut prorsus involuntaria sunt habenda.

Resp. 2° *Affirmative,* si praevisa fuerint, saltem quoad mala operis sive commissionis, sive omissionis, ob rationem oppositam.

Dixi: *saltem quoad mala operis;* nam quoad mala oris seu verba contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si homines respiciant, quia nullam contumeliam ipsis irrogant(¹). Sic enim ex communi aestimatione apprehenditur. Secus tamen, si in Deum proferantur, ut blasphemiae etc., quia haec intrinsece mala sunt et proinde in contumeliam honoris divini vergunt, cum in ipsa causa voluntaria fuerint. — *S. Lig. n. 78.*

Resolves:

184. — 1° Peccant graviter, qui diu noctuque potantes ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios jussu consiliove inducunt ad ebrietatem, vel qui ad aequales haustus provocant cum praeviso ebrietatis periculo.

2° Peccant graviter, qui per experientiam scientes, se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum ad periculum probabile ebrietatis advertentes adhuc bibere pergunt.

3° Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt, ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant, antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4° Nec excusantur a peccato gravi, qui praetextu patrii moris aut boni affectus vel urbanitatis convivas urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur vel saepius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5° Non peccant graviter *per se,* qui adeo validi vinoque assueti sunt, ut numquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitati graviter noceant. Dixi: *per se;* non enim excusandi sunt a peccato mortali bibuli, qui finem suum ultimum in cibo et potu reponere videntur. Hujusmodi sunt ii, qui comessationes et potationes saepius iterant, nec raro in seram diem, imo et in multam noctem protrahunt. Ad eos spectat illud divi Pauli *Phil. 3. 19.: Quorum Deus venter est.*

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS.

185. — Virtus est habitus agendi honeste seu juxta rectum ordinem.

Virtutes variae speciei distinguuntur, scilicet:

1° *Naturales* vel *supernaturales,* prout viribus naturalibus, vel gratiae divinae auxilio acquiruntur et conservantur.

2° *Infusae* vel *acquisitae,* prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3° *Theologicae* vel *morales,* prout Deum immediate respiciunt(¹), vel pro objecto immediato honestatem actionis habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas ceterae referuntur, sci-

(¹) Sic *ordinarie;* aliter tamen, si forte [illegible] reapse laedant. — *Scav.*

(¹) quatenus scil. per eas immediate in Deum tendimus ut auctorem gratiae et gloriae. — Virtutes porro theologicae ex natura sua *infusis* annumerandae sunt. — Cf. *S. Thom. 1. 2. q. 63. a. 2.*

licet *prudentia, justitia, fortitudo* et *temperantia.* Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *fide, spe* et *caritate* erga Deum, et etiam de *caritate* erga proximum, ob intimam ejus cum caritate Dei connexionem.

CAPUT I.

DE FIDE.

186. — Fides in genere est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram fides, in quantum est virtus, definitur: habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est actus, dicitur assensus firmissimus datus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem.(1) — *S. Lig. n. 1.*

Fides est: 1° *Habitualis* vel *actualis,* prout est habitus vel actus juxta definitiones modo enuntiatas.

2° *Explicita* vel *implicita* ratione objecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut in alio tantum contentum; sic v. g., si dicas: Credo in SS^am^ Trinitatem, elicis actum fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: Credo omnia, quae docet Ecclesia esse credenda, elicis actum fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3° *Formalis* seu *reflexa,* vel *virtualis* ratione actus, prout iste est actualiter elicitus, aut tantum virtualiter in mente perseverat.

4° *Formata* seu *viva,* vel *informis* seu *mortua,* prout habetur cum habitu caritatis et operibus informatur, vel iisdem destituitur.

Peccata fidei opposita sunt: 1° Infidelitas seu carentia fidei in hominibus non baptizatis; 2° Haeresis seu error pertinax in baptizato contra veritatem fidei ab Ecclesia propositam.

(1) Possunt vero tales actus poni vel ante habitum vel ex habitu.

Infidelitas sive haeresis dicitur *negativa* seu *materialis* in eo, qui ignorantia invincibili laborat, seu cui vera fides non fuit sufficienter proposita.

Agendum praecipue 1° de necessitate, 2° de objecto fidei.

ARTICULUS I.
DE NECESSITATE FIDEI.

I. Quoad actum internum.

187. — I. Actus internus fidei necessarius est omnibus adultis *necessitate medii* ad justificationem. Constat ex *epist. ad Hebr. 11. 6.,* ubi dicit apostolus: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* — Et ex *conc. Trid. sess. 6. c. 6.*

II. Necessarius est etiam *necessitate praecepti* quandoque in vita. Constat ex scriptura sacra. Dicitur enim in *epist. 1. Joann. 3. 23.: Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Item ex variis *propositionibus* damnatis ab *Alex. VIII.* et *Innoc. XI.*

Quaesita:

188. — Quaer. 1° *Quandonam urgeat praeceptum fidei eliciendae?*

Resp. 1° Urget *per se:* 1° post usum rationis completum, ad incipiendam vitam christianam(1); 2° in articulo mortis, ad proximius tendendum ad Deum; 3° saepius in vita, saltem semel in anno, et juxta plures singulis mensibus. Ceterum, qui christiane vivit, sufficienter hoc praeceptum adimplet exercendo alios actus religionis. — *S. Lig. n. 7.; Hom. apost. n. 13.*

Resp. 2° Urget *per accidens:* 1° urgente gravi tentatione, quae aliter vinci nequit; 2° quando adimplendum est praeceptum, quod fidem requirit, v. g. confessionis; 3° post lapsum in haeresim aut fidem negatam. — *Ita omnes.*

(1) Item quando infideli adulto fidei nostrae veritas sufficienter proposita est. — *Scav.*

Quaer. 2° *An explicite eliciendi sint actus fidei?*

Resp. Sufficiunt generatim actus impliciti in illis, qui scientiam sufficientem veritatum credendarum habent. Hinc praecepto satisfacit, qui devote audit missam, adorat Crucifixum, orat, crucem format, sacramenta recipit etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

II. Quoad actum externum.

189. — I. Datur praeceptum *negativum*, prohibens fidem umquam negare falsamve profiteri. Negare enim fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus *Matth. 10. 33.* ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.*

II. Datur etiam praeceptum *affirmativum*, obligans aliquando ad fidem etiam cum vitae periculo confitendam. Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles vitam spernant ad ipsum confitendum. Constat ex verbis Christi ipsius *Matth. 10. 32.: Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Et *Luc. 9. 26.: Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua.* Item apostolus *Rom. 10. 10.: Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

III. Praeceptum autem exterius fidem confitendi jure naturali obligat, quando honor Deo debitus vel utilitas spiritualis proximi modo notabili minuerentur aut etiam cessarent: puta, si Deus afficeretur magna injuria et proximus magno malo spirituali; vel si ex omissione confessionis sequeretur contemptus religionis, scandalum, aliorum perversio; vel etiam si cessaret magnus honor in Deum vel magna utilitas in proximum. Ratio est, quia actus virtutis videtur tunc praeceptus, quando est necessarius ad finem praecepti; id hic contingit, quia finis praecepti caritas est. — *S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2.* — *S. Lig. n. 11.*

Quaesita:

190. — Quaer. 1° *An liceat quandoque dissimulare fidem?*

Resp. 1° Numquam licet simulare falsam, quia esset veram negare externe, quod intrinsece malum est. — Aperte constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2° Licet ex gravi causa dissimulare fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget praeceptum fidei confitendae. — *S. Lig. n. 11. 12. et alii communiter.*

Quaer. 2° *An interrogatus de fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1° *Negative*, si interrogetur in odium fidei, sive a publica, sive a privata potestate interrogatio fiat. Ratio est, quia tunc adest obligatio fidem confitendi; verificantur enim conditiones supra in *principio III.* expositae. Confirmatur ex constanti Ecclesiae praxi et communi Patrum doctrina. — Constat insuper ex *propositione* damnata ab *Innoc. XI.* sub *n. 18.*, quae sic jacet: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.* — *S. Lig. n. 13.*

Resp. 2° *Affirmative* in iis circumstantiis, in quibus nullum praesentibus creatur scandalum, seu nulla apparet fidei negatio: quia tunc nulla adest obligatio fidem confitendi. — *S. Lig. ibid.*

191. — Quaer. 3° *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1°. *Affirmative*, si sint vestes aut signa propria alicujus *regionis*, licet regio haec tota sit infidelis, quia haec ad religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2° Si vero sint vestes et signa *religionis*, subdistinguendum est: *probabilius* adhuc *affirmo*, gravi de causa, dummodo vestes non sint tantum distinctivae sectae a secta; quia

tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. — Secus autem, si vestes aut signa sint unice aut primario instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta, quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur. — *Salm., tract. 21. c. 2. n. 110.*

Resolves:

192. — 1° Graviter quis peccat contra fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo aliave signa religionis falsae exhibeat, v. g. frequentando coenam haereticam etc.

2° Non peccat contra fidem, qui templa haereticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat vel praedicationi eorum assistit, secluso scandalo, perversionis periculo aut mandato, quod hoc prohibeat. — Item: qui interest convivio nuptiali aut sepulturae haereticorum, quia haec proprie ad fidem non spectant, et praefatae adunationes ut mere civiles sunt habendae(¹). — *S. Lig. n. 16.*

Secus autem dicendum de assistentia baptismo acatholicorum, quia ceremonia religiosa est. Constat enim ex brevi *Pii VI.*, qui declaravit illicitam assistentiam baptismo ab intrusis collato propter cooperationem.

3° Non peccat contra fidem, qui per loca haereticorum transiens timore periculi gravis carnes comedit die vetito, ne catholicus agnoscatur, quia hoc per se non est signum haereseos; secus autem, si carnes manducaret etiam metu mortis, ad id in odium fidei impulsus.

4° Nec peccat contra fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo praecepta, ut patet ex verbis Christi *Matth. 10. 23.: Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Hoc vero praesertim valet, si quis ad utilitatem fidelium sit necessarius, aut lapsum timeat. — *Ita omnes.*

(¹) vel saltem iis interesse ex communi aestimatione non censetur per se communicatio in sacris. — Disputationes autem cum haereticis ad defendenda catholica dogmata, etiam privatae, in genere vitandae, praesertim a laicis, nisi sit casus urgens et simul aliqua utilitas cum fundamento inde speranda. Publicae vero nequeunt fieri sine expressa Romani Pontificis licentia. — Cf. *Scav.*

ARTICULUS II.
DE OBJECTO FIDEI.

193. — Objectum *formale* fidei seu ratio, propter quam creditur, est auctoritas summa Dei loquentis, in ejus summa veracitate fundata. — *Ita communius.*

Objectum vero *materiale*, de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de necessario sciendis et credendis tum ratione medii, tum ratione praecepti.

§. I.
De necessario sciendis et credendis necessitate medii.

194. — Certum est, duo(¹) scienda et credenda esse necessitate medii: 1° Deus unus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est. Hebr. 11. 6.* — 2° Deus remunerator: *Credere . . . oportet, quia est, et inquirentibus se remunerator sit. Ibid.*(²) — An autem plura alia sint etiam credenda explicite de necessitate rigorosa medii ad salutem, controvertitur: hinc de iis modo in quaesitis.

Quaesita:

195. — Quaer. 1° *An requiratur fides* explicita *mysterii SS. Trinitatis et incarnationis de necessitate medii?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

1ª *Sententia* omnino *affirmat.* Ratio est

(¹) praeter fidem, qua implicite omnia a Deo revelata credimus, etiam explicite ab iis, qui incapaces non sunt —

(²) Cf. *prop. 22.* damn. ab *Innoc. XI.* Item *n. 200. XII. art.*

1° *quoad incarnationem*, quia non datur salus, nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2° *quoad SS. Trinitatem*, quia fides hujus mysterii est fundamentum salutis nostrae; nam baptismus, qui est sacramentum fidei, conferri debet *in nomine Patris etc.* Porro, quod est salutis fundamentum, debet esse objectum primarium fidei et proin *secundum se et explicite* credendum. — Ita *Collet, decal. c. 1. art. 1.* — *Antoine c. 1.* Hanc sententiam probabiliorem dicit *S. Lig. n. 2.*(1)

II^a *Sententia*, quae videtur probabilior, *negat.* Ratio est, quia ante Christum sufficiebat fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet. Christus enim media non mutavit. — Ita *Suarez disp. 12. sect. 4.* — *Lugo disp. 12. n. 91.*

Quaer. 2° *An possit absolvi, qui ignorat, quae sunt certo de necessitate medii?*

Resp. Negative, nec licite, nec valide. Ita omnes. Ratio est, quia ille ex defectu medii necessarii simpliciter est incapax justificationis; ergo etiam est incapax absolutionis. — Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum *remuneratorem* credat.

196. — Quaer. 3° *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et incarnationis?*

Resp. 1° Non potest *licite* extra *casum necessitatis*, v. g. periculum mortis, quia confessarius talem absolvendo sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret, ut patet ex controversia, in quaesito primo exposita. Idem constat ex *propos. 64.* damn. ab *Innoc. XI.*, quae sic jacet: *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis et incarnationis domini nostri Jesu Christi.* — Hinc confessarius debet vel prius instruere poenitentem, vel illum dimittere, donec sufficienter sit instructus.(1) — *S. Lig. n. 3.*

Resp. 2° *Probabilius* potest absolvi *valide*, si versatur in ignorantia invincibili. Ratio deducitur ex dictis in II^a sententia *quaesiti primi.*

(1) Sententiae *affirmanti* etiam adhaeret *Congregatio S. Officii*, v. gr. in duobus responsis datis die 10. Maji 1703. — Cf. *Analecta J. P. ser. 2. col. 1804.* 1805. Hinc vix contraria *probabilior* dici poterit.

§. II.

De necessario sciendis et credendis necessitate praecepti.

Haec sunt: symbolum apostolorum, decalogus, praecepta Ecclesiae, sacramenta, oratio dominica. — Symbolum requiritur ad recte credendum, cetera ad recte agendum.

PUNCTUM I.

De sciendis ad recte credendum seu de symbolo apostolorum.

197. — Dogma triplex in symbolo contentum credendum est, nempe

1° de Deo; — 2° de Christo; — 3° de Ecclesia.

I. De *Deo* quatuor tibi scienda et credenda sunt, scilicet quod sit 1° unus seu unicus in essentia; — 2° trinus in personis aequalibus et realiter inter se distinctis; — 3° creator seu principium omnium creaturarum; — 4° remunerator et vindex actionum nostrarum, saltem in alia vita.

II. De *Christo* sex explicite scito et credito, nempe quod sit 1° filius Dei naturalis, et ideo verus Deus; — 2° de Spiritu Sancto ex Maria virgine conceptus et natus; — 3° pro nobis passus et mortuus; — 4° a mortuis propria virtute redivivus; — 5° in coelum reversus et rex gloriae in aeternum futurus; — 6° rediturus ad homines in fine saeculorum judicandos.

III. De *Ecclesia* tria haec scire et credere debes, scil. quod sit 1° unica in terris sub uno capite visibili; —

(1) Cf. etiam *p. 2. n. 247. 4° nota.*

2° gubernata et conservata Spiritus Sancti assistentia; — 3° infallibilis in rebus fidei et morum, et ab omnibus audienda.

EXPLICATIO BREVIS SINGULORUM SYMBOLI ARTICULORUM.

198. — I. Art. — „Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae:“ — 1° *Credo in Deum* — i. e. Credo Deum exsistentem unum in essentia et trinum in personis . . . Deum finem ultimum . . . credo Deo loquenti. — 2° *Patrem* — Primam personam SS. Trinitatis et omnium rerum principium. — 3° *Omnipotentem* — Principale ejus attributum, in sequentibus verbis etiam inclusum. — 4° *Creatorem coeli et terrae* — i. e. omnium rerum, quae extra Deum exsistunt.

II. Art. — „Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum“: — 1° *Et in Jesum Christum* — Eodem modo et eodem sensu, ac credo in Patrem. — 2° *Filium ejus unicum* — Creditur explicite, Christum esse filium Dei naturalem . . . secundam personam SS. Trinitatis . . . et proinde Deum. — 3° *Dominum nostrum* — Credendum, Christum esse omnium Dominum.

III. Art. — „Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine“: — 1° *Conceptus est de Spiritu Sancto* — Explicite credendum, Christum ut hominem miraculose conceptum esse Spiritus Sancti operatione. — 2° *Natus ex Maria Virgine* — Explicite credenda nativitas ex Maria, virgine *ante partum* et *in partu.*

199. — IV. Art. — „Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus“: — 1° *Passus* — Passio Christi explicite credenda est sub gravi. — 2° *Sub Pontio Pilato* — Circumstantia illa ad fidem non pertinet. *Ita omnes.* — 3° *Crucifixus* — Probabilius crucifixio, genus mortis exprimens, explicite est credenda; sic enim apostolus *1. Cor. 1. 23.: Praedicamus Christum crucifixum.* — 4° *Mortuus* — Mors Christi explicite credenda est. — *1. Cor. 15. 3.: Tradidi vobis imprimis . . . quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris.* — 5° *Sepultus* — Sepultura Christi explicite credenda est, sed probabilius sub levi tantum, quia est circumstantia levis. — Ita circa haec omnia *Lugo ibid.*

V. Art. — „Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis“: — 1° *Descendit ad inferos.* — Probabilius hoc non est explicite credendum sub gravi, imo nec sub levi juxta *Suarez ibid.,* quia a fidelibus non facile intelligitur. Sed contradicit *Lugo ibid.* — 2° *Resurrexit a mortuis.* — Sub gravi explicite credendum, quia est religionis fundamentum. — 3° *Tertia die.* — Illa temporis circumstantia non est explicite credenda. — *Ita communiter.*

VI. Art. — „Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Dei, Patris omnipotentis“: — 1° *Ascendit in coelum* — Secundum humanitatem, explicite et sub gravi credendum. — 2° *Sedet ad dexteram Patris* — Probabiliter juxta plures hoc non est credendum explicite, quia a fidelibus difficile intelligitur; alii autem affirmant, esse credendum quoad honorem, potestatem dominiumque supremum. — Ita *Suarez ibid.* — 3° *Omnipotentis* — Idem, ac in art. I. — Significatur etiam indirecte potestas Christi, qui ad dexteram Omnipotentis sedet.

200. — VII. Art. — „Inde venturus est judicare vivos et mortuos“: — 1° *Inde venturus est judicare* — Explicite credendum, iterum Christum venturum ad homines judicandos. — 2° *Vivos et mortuos,* — i. e. Omnes homines mortuos ab origine mundi, et vivos, qui in ultima flagratione morientur. — *Ita communius.* Sed haec verba *vivos et mortuos* juxta *Lugo* non sunt explicite credenda ob varietatem explicationum.

VIII. Art. — „Credo in Spiritum Sanctum“: — 1° *Credo* — Eodem

n Patrem et Filium, ut su-
' *In Spiritum Sanctum* —
explicite, quod sit tertia
. Trinitatis, aequalis Patri
proinde Deus. — 3° Pro-
atre Filioque non est cre-
licite necessitate praecepti
fidelibus, etsi de fide sit.
a de fide non ab omnibus
t. — *Lugo* — *Suarez* et
uniter.
. — „Sanctam Ecclesiam
, sanctorum communionem“:
clesiam — Credendum ex-
od sit una vera Ecclesia etc.
— 2° *Sanctam* — Sufficit
redere, esse sanctam ob ca-
inam, sacramenta sua et san-
nizatos, quia de ceteris di-
rse sentiunt. — 3° *Catholi-*
Sufficit illi profiteri obedien-
persona capitis sui visibilis.
mmunionem sanctorum. —
nda explicite et quoad ali-
mmunicationem orationum tan-
. An tantum implicite in uni-
lesiae? . . . An sub gravi vel
' . . . Non conveniunt Docto-
dquid sit, in praxi omnes vi-
ufficienter illam cognoscere,
e dicant: *Ora pro me,* san-
requenter invocent.
't. — „Remissionem peccato-
— 1° Credendum explicite,
us remittat peccata omnibus
tritis. — 2° Credendum etiam,
m peccata remittendi in Ec-
se. — 3° Credendum pariter,
xtra Ecclesiam esse peccato-
issionem.
rt. — „Carnis resurrectio-
— 1° *Resurrectionem* — Ex-
redenda omnium mortuorum
io. — 2° *Carnis* — Non vero
ut ostendatur, solum corpus
, dum anima remanet incor-
; et immortalis.
Art. — „Vitam aeternam“:
xplicite credenda de necessitate
atitudo aeterna justorum. —
a aeterna damnatorum, quam
indirecte profitemur, credendo vitam aeternam justis concedendam.

PUNCTUM II.

De sciendis ad recte agendum.

I. De praeceptis decalogi et Ecclesiae.

201. — I. Praecepta decalogi.

1° *Certo* notitia decalogi explicita ex praecepto omnibus fidelibus necessaria est. — *Ita omnes.*

2° *Etiam* decalogus credendus est, quia praecepta decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur. Quod enim revelatum est, fide divina est credendum; at quod revelatum est ad dirigendos actus singulorum, est ab omnibus explicite credendum. Contradicunt tamen plures, quia alio modo sciri potest decalogus, ac per revelationem.

3° Non necessario memoriter et ordine solito sunt retinenda praecepta, quamvis suadendum sit.

202. — II. Praecepta Ecclesiae.

1° Non sunt credenda fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus praecepta Ecclesiae. Illud tantum credendum est, quod Ecclesia praecepta condendi ex auctoritate divina jus habeat.

2° Debent sciri ab omnibus praecipua Ecclesiae praecepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet, nempe praeceptum festa colendi missamque in iis audiendi, praecepta confessionis annuae, communionis paschalis, jejunii et abstinentiae, quae suo loco explicabuntur.

Nota: Ad hanc obligationem de praeceptis sciendis venit obligatio pro singulis ea sciendi, quae ad proprium statum pertinent.

II. De sacramentis.

203. — Omnes scire et credere debent:

1° *Baptismum,* ejus efficaciam et necessitatem absolutam ad salutem consequendam;

2° *Poenitentiam* et ejus efficaciam quoad peccatorum remissionem;

3° *Eucharistiam* et in ea realem

praesentiam Christi, veri Dei et hominis. Item explicite credendum est juxta communem sententiam, quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant missae sacrificio assistere. Non vero probabilius explicite credenda transsubstantiatio. — *Ita communiter.* — *Lugo disp. 13. sect. 5. n. 121.*

4° *Cetera sacramenta,* quando proxime recipienda sunt. Non vero necessario nosci et intelligi debent, quae non sunt recipienda, juxta communem sententiam.

III. De oratione dominica.

204. — 1° Datur obligatio *sub gravi* illam sciendi quoad substantiam, i. e. scire, Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animae, tum corporis, et gratias ad animae mala effugienda. — Creditur in ea Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

2° Datur obligatio saltem *sub levi,* illam memoriter sciendi et aliquando recitandi, juxta *communem sententiam* cum *Lugo disp. 13. sect. 5. n. 133.* — *Suarez disp. 13. sect. 4. n. 12.*

3° Probabiliter obligatio haec, memoriter eam tenendi, non urget *sub gravi.* Ita *Lugo ibid.* — *Suarez ibid.* — *Busembaum* apud *S. Lig. n. 3.* contra *plures,* qui gravem obligationem eruunt ex verbis Christi: *Sic orabitis.* Sed verba illa quoad substantiam intelligi possunt.

Orationi dominicae ex usu Ecclesiae praxique fidelium semper adjungitur salutatio angelica, quae non est *sub gravi* scienda et recitanda, sed tamen *sub levi,* quia non potest a culpa vacare, qui negligit patrocinium B. Virginis, ob quamdam prodigalitatem spiritualem ex omissione medii utilissimi a Deo praeparati et cultus ipsi debiti. — *S. Lig. n. 3.*

ARTICULUS III.
DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

Duplex distinguitur, scilicet 1° Infidelitas: 2° Haeresis, cui adjungitur apostasia.

§. I.
De infidelitate.

205. — Definitio: Infidelitas generatim sumpta est carentia fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur illi, qui per baptismum habitum fidei non susceperunt.

Divisio: Triplex distinguitur infidelitas, scilicet positiva, negativa et privativa.

1° Infidelitas *positiva* seu *formalis* est carentia fidei in eo, cui sufficienter proposita est, et qui eam respuit.

2° Infidelitas *negativa* seu *materialis* est carentia fidei in eo, qui numquam de vera religione quidquam audivit.

3° Infidelitas *privativa* est carentia fidei in eo, qui notitiam fidei, data occasione, comparare neglexit.

Praecipuae infidelitatis species sunt *paganismus, judaismus, mahumetismus* et aliae variae sectae, quibus adjungi possunt *deismus, atheismus, pantheismus* et *rationalismus,* qui nostris temporibus tam late grassatur.

Principia:

206. — I. *Infidelitas positiva,* seu *formalis,* et *privativa* sunt gravissima peccata. Ratio est, quia continent gravem injuriam et contemptum primae veritatis seu auctoritatis Dei revelantis.

II. *Infidelitas* autem *negativa,* seu pure *materialis,* in se non est peccatum, sed tantum poena peccati. Ratio est, quia non potest esse peccatum, ubi est ignorantia invincibilis. — Insuper constat ex damnatione *propositionis 68. Baji* a *Pio V.* et *Gregorio XIII.* facta, quae sic jacet: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, cum a via salutis longe aberrent.

III. Ritus infidelium a principibus christianis numquam approbari aut foveri possunt. Eos tamen aliquando tolerare licet, si nempe per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. — Facilius autem tolerantur judaei, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiae provenit, nempe fidei nostrae testimonium.

207. — Quaer. *An infideles opera bona facere possint in statu infidelitatis?*

Resp. Affirm. (naturaliter). Constat 1° ex scriptura sacra *Rom. 2. 14.: Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt;* — 2° ex variis propositionibus damnatis, scil. ex *prop. 25. Baji* a *Pio V.* damnata: *Omnia opera infidelium sunt peccata . . .;* item ex *prop. 8.* damn. ab *Alexandro VIII.: Necesse est, infidelem in omni opere peccare.* — Ratio damnationis est, quia non est peccatum, ubi non est violatio legis nec finis vitiosus; porro haec a multis operibus infidelium possunt abesse; ergo etc.

§. II.
De haeresi.

208. — Definitio: Haeresis *proprie in stricto sensu* est error voluntarius ac pertinax contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam in eo, qui fidem recepit. In lato sensu est error etiam involuntarius contra aliquam fidei veritatem.

Divisio: Distinguitur haeresis

1° *formalis,* quae est haeresis proprie dicta seu in stricto sensu, vel *materialis,* qua quis adhaeret errori bona fide sine pertinacia;

2° *interna,* vel *externa* seu *externata,* aut pure *externa,* prout *interne,* aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur.

3° *occulta,* vel *notoria,* prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

Nota: Ad haeresim refertur apostasia, quae est totalis defectio a fide christiana. De ea igitur sicut de haeresi formali statuendum.

Principia:

209. — I. Haeresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est: 1° quia virtus fidei, utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi oppositum unum est ex gravissimis. 2° Fides est fundamentum justitiae, sine qua *impossibile est placere Deo;* ergo haeresis, expellendo fidem, privat hominem omni justitia. 3° Haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis, et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Haeresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex ejus definitione: supponitur enim, versantem in tali haeresi esse hic et nunc in ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo etc.

Quaesita:

210. — Quaer. 1° *Quaenam sint signa haeresis materialis et formalis?*

Resp. ad 1um. Censendus haereticus materialis tantum: 1° qui paratus est, se submittere judicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit; — 2° qui de vera fide nihil cognovit et de sua religione numquam dubitavit; — 3° qui dubitans studuit cognoscere veritatem, quantum potuit.

Resp. ad 2um. Haereticus formalis reputandus est: 1° qui dubitat, nec vult ulterius inquirere ex odio et contemptu Ecclesiae; — 2° qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis ad motiva suae sectae; — 3° qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae ex odio Papae.(1)

---

(1) De obligatione denuntiandi haereticos cf. *Ferraris, Prompta Bibl. ad v.* Denuntiatio quoad delicta. — Ceterum etiam praescindendo a legibus positivis haec obligatio urgere poterit ex lege naturali, et quidem etiam in locis, ubi haeretici passim catholicis permixti sunt, v. g. si agatur

Quaer. 2° *An sit haereticus formalis, qui* dubitat *de aliquo fidei articulo?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia ille, qui dubitat deliberate, suspendit voluntarie assensum intellectus circa veritatem a Deo revelatam seu judicat, esse incertum, quod Deus jubet credere certum; ergo deficit a fide, negando summam Dei veritatem et Ecclesiae infallibilitatem.

Quaer. 3° *An sit haereticus formalis, qui fidem externe tantum negat?*

Resp. Negative. Nullo enim modo est haereticus, quia in eo non est assensus pertinax errori, et proinde haereticorum poenas non incurrit, quamvis graviter peccet contra fidem.

Vide plura de haeresi in tract. de censuris, ubi etiam dicetur de prohibitione librorum, nec non de Indice.

CAPUT II.

DE SPE.

211. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione exspectamus futuram beatitudinem et media ad illam consequendam, divina adjuvante gratia.

Objectum *materiale* spei primarium est Deus possidendus, juxta illud *Gen. 15. 1.: Ego . . . merces tua magna nimis.* Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi etc.

Objectum autem *formale* spei est bonitas et fidelitas Dei in ejus omnipotentia fundata.

Actus autem in spe inclusi sunt: desiderium beatitudinis aeternae, firma fiducia ad illam perveniendi et erectus animus contra occurrentes difficultates. — Peccata vero spei opposita sunt desperatio et praesumptio. Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem et media ad eam assequendam necessaria. Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendae mediis a Deo non ordinatis.

Principia:

212. — I. Spes requiritur de *necessitate medii* ad justificationem. Homo enim ad Deum, finem suum ultimum, consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat; hoc autem sine spe fieri non potest. Constat etiam ex scriptura sacra. Sic *Rom. 8. 24.: Spe salvi facti sumus.* Item ex *concilio Trid. sess. 6. c. 6.*

II. Spes necessaria quoque est *necessitate praecepti*, siquidem datur verum praeceptum eliciendi actus spei aliquoties in vita. Constat ex scriptura sacra. Sic *1. Tim. 6. 17.: Praecipe . . . neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo . . .* Item ex *propositione 1.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic sonat: *Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*(1).

Quaesita:

213. — Quaer. 1° *Quot modis committatur peccatum praesumptionis?*

Resp. Praecipue 1° praesumendo obtinere vitam aeternam propriis viribus; 2° eam exspectando sine labore, ex sola Dei misericordia; 3° peccando ob spem veniae facile a Deo obtinen-

---

de periculo insolito, quod catholicae religioni per eos imminet inscio superiore et cui superior aliquo saltem modo providere potest.

(1) Obligat praeterea praeceptum eliciendae spei *per se* initio usus rationis et in periculo mortis; *per accidens* autem, quando ex praecepto eliciendus est actus alterius virtutis, qui sine praevio actu spei exerceri nequit; quando urget tentatio, quae aliter vinci nequit; quando quis versatur in periculo desperationis et quando christianus in mortale peccatum incidit et ad justificationem tendere tenetur. — *Scav.*

dae; 4° perseverando in peccato ob spem conversionis in morte. — *S. Lig.* n. *21.*

Quaer. 2° *An possit dari materiae parvitas in peccatis contra spem?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad praesumptionem, etsi gravis sit ex genere suo. Sic levis est praesumptio illius, qui ob spem veniae venialia peccata committit etc.

Resp. 2° *Dist.* quoad desperationem: *Neg.,* si sit perfecta et proprie dicta; *secus,* si sit imperfecta, ut saepe in tristitia et impatientia accidit.(1)

214. — Quaer. 3° *An sit grave peccatum contra spem, cupere perpetuo in hoc mundo vivere, aut econtra ex taedio mortem exoptare?*

Resp. ad 1um. Affirmative, quia, qui illud cupit, sistit in vita temporali tamquam in fine ultimo. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 20.*

Resp. ad 2um. 1° Non est contra spem *per se,* quia non est recedere a fine ultimo; 2° nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinae providentiae.

Quaer. 4° *An sit praesumptio, committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries, quam semel, accusatur?*

Resp. Negative, quia poenitens movetur ad facilius peccandum non ex facilitate veniae obtinendae, sed ex minori difficultate confitendi, quamvis haec sit prava dispositio, Deo maxime injuriosa. Esset autem peccatum praesumptionis, si quis facilius peccaret ex eo, quod tam facile remittantur plura peccata, quam unicum. — *S. Lig.* n. *21.*

215. — Quaer. 5° *Quaenam sint remedia desperationi opposita?*

Resp. Praecipua sunt sequentia: 1° consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei; — 2° frequens recordatio maximorum peccatorum, qui veniam consecuti sunt; — 3° meditatio parabolarum sancti evangelii, praesertim *ovis perditae;* — 4° devotio specialis ad B. Virginem, refugium peccatorum; — 5° fiducia in Christum pro nobis cruci affixum etc.

Regulae practicae:

216. — I. Dispiciat confessarius, ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa origine applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certae damnationis, remote vero 1° ex *acedia,* qua quis media salutis graviora judicat, et proinde ab illis adhibendis deterretur; 2° ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quae mentem a coelestibus avertunt et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3° ex *melancholia,* quae inclinat ad tristitiam et avertit a fiducia, quae gaudium animi generare solet; 4° ex *scrupulis,* quibus anima dejicitur et opprimitur.

II. Poenitentes desperationi dediti a confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi juxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt, qui ex malitia vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt, quam qui ex pusillanimitate vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

III. Non statim prima fronte judicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae quasi continuo tentationibus desperationis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse, praesertim graviter, quamvis putent, se illis consensum praebuisse. Nec timor nimius de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est. — *Elbel* etc.

(1) Peccata contra spem saepius haerent sibi junctam habent.

CAPUT III.
DE CARITATE.

217. — Caritas est virtus theologica, qua diligimus Deum tamquam summum bonum propter seipsum, nosque et proximum propter Deum. — Caritas est omnium virtutum praestantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc *1. Cor. 13. 13.: Nunc manent fides, spes, caritas, tria haec; major autem horum est caritas.*

Objectum *formale* caritatis est bonitas divina; *materiale* vero primarium Deus, secundarium nos et proximus. — *S. Lig. n. 22. et seq.*

Distinguitur: 1° amor Dei *intensive* vel *appretiative* summus; 2° amor *benevolentiae*, qui proprium bonum amati respicit; amor *amicitiae*, qui est amor benevolentiae mutuus; et amor *concupiscentiae*, qui intendit primario bonum proprium amantis.

Agendum: 1° de amore Dei; 2° de amore proximi.

ARTICULUS I.
DE AMORE DEI.

1° Datur praeceptum speciale diligendi Deum super omnia tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum affectu externo seu per mandatorum observationem. — Constat ex verbis Christi *Matth. 22. 37.: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . Hoc est maximum et primum mandatum.*

2° Praeceptum hoc, ut affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut patet ex lege naturali, non autem necessario *intensive*, quia essentia caritatis in gradibus non consistit. — *Ita communiter.*

Quaesita:

218. — Quaer. 1° *An teneamur ad agendum semper ex motivo caritatis?*

Resp. Negative, juxta dicta *de act. hum. n. 31.* Sufficit enim, ut operemur ex motivo supernaturali, siquidem actus aliarum virtutum sunt boni et meritorii. Constat etiam ex *propositione 8.* ab *Alex. VIII.* damnata et sub eodem *n. 31.* relata.

Quaer. 2° *Quandonam urgeat praeceptum caritatis?*

Resp. Obligat tum *per se*, tum *per accidens*, sicut praeceptum fidei. Recole dicta superius *de praecepto fidei n. 188.* Constat etiam ex *propositionibus 5. et 6.* ab *Innocentio XI.* damnatis, quarum prior sic jacet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Posterior vero sic sonat: *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum. S. Ligorio* magis arridet sententia eorum, qui actum caritatis semel in mense requirunt. — *Hom. apost. n. 13.*

Quaer. 3° *An satisfiat praecepto caritatis per attritionem in susceptione sacramenti poenitentiae?*

Resp. Negative, quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed sui, et proinde in ea deest motivum principale caritatis.

Resolves:

219. — 1° Praecepto caritatis facile satisfaciunt fideles timorati, quia saepius actus caritatis eliciunt, gaudendo de perfectionibus divinis; optando, ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant atque ejus mandata observent; orando devote, ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat ejus voluntas; vitando peccatum, quia ipsi displicet etc.

2° Fideles igitur non debent esse anxii de hac obligatione, si vitae christianae studeant et constanter promptam voluntatem gravia peccata vitandi retineant. Suadendum tamen est fidelibus, ut saepe explicitos caritatis actus eliciant in vita ad majorem cum Deo conjunctionem, atque ut animus paratus sit ad similes actus in morte facile eliciendos.

3° Satisfacit praecepto caritatis, qui

peccato gravi inquinatus et copia confessarii destitutus elicit actum perfectae contritionis, etiamsi hic actus esset aliunde necessarius, v. g. ad celebrandam missam. Ratio est, quia praeceptum caritatis simul cum alio praecepto bene impleri potest. — *Elbel etc.*

ARTICULUS II.
DE AMORE PROXIMI.

Agendum: 1° de praecepto amoris proximi in se; 2° de operibus misericordiae ex illo implendis; 3° de vitiis caritati erga proximum oppositis.

§. I.
De praecepto amoris proximi in se.

1° Erga omnes in genere; 2° erga inimicos in particulari.

PUNCTUM I.
De praecepto caritatis erga omnes in genere.

220. — I. Datur praeceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat 1° ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet bonitas Dei participata: omnes enim homines sunt Dei creaturae, ad ejus imaginem conditi atque amicitiae Dei et aeternae beatitudinis capaces; ergo sicut Deum amare, ita et nosmetipsos et proximum diligere propter Deum debemus. — 2° Constat ex scriptura sacra *Matth. 22. 39.: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* — 3° Constat etiam ex damnatione *propositionis 10.* per *Innocentium XI.*, quae sic jacet: *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.*(1)

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic praecepto quoad actum internum, orando pro proximo vel recitando orationem dominicam. — Quoad actus vero externos satisfacit, proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus succurrendo juxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis caritatis servandus est in proximi dilectione. Ratio est, quia et personae diligendae sunt magis vel minus perfectae, aut magis vel minus nobis conjunctae, et bona ipsis desideranda vel procuranda sunt magis vel minus utilia.

Item diversae sunt necessitates, in quibus proximo succurrendum est. Necessitas enim sive temporalis, sive spiritualis triplex distinguitur, scilicet:

1° *extrema,* cum periculum damnationis aut mortis alteriusve mali morti fere aequalis ita proximo imminet, ut, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit;

2° *gravis,* cum quis magnum patitur periculum salutis animae, aut vitae corporis alteriusve mali temporalis valde gravis, quod sine magna difficultate effugere nequit;

3° *communis* seu *mediocris,* in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur in ordine spirituali vulgares peccatores, qui, si vellent conatum aliquem adhibere, e pravo statu resurgerent. In ordine vero temporali in ea sunt generatim pauperes mendicantes, quibus, attenta eorum conditione, vita non nimis molesta ac misera est. — *S. Lig. n. 27.; Hom. apost. tr. 4. n. 18.*

Regulae speciales ordinis caritatis.

221. — I. Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter* et *absolute,* quam proximum. Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est, quam alius quilibet. Hinc dilectio sui proponitur a Christo ut regula amoris proximi: *Diliges proximum, sicut teipsum.* Id clarum est insuper ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum, quam proximum; unde vulgare axioma: *Caritas bene ordinata incipit a semetipso.*

II. Debemus tamen succurrere pro-

(1) Obligat autem hoc praeceptum *per se,* quando obligat per se praeceptum caritatis in Deum; illud enim simile est huic: — *per accidens,* 1° si odium proximi somnodo per actum amoris vinci potest; 2° si proximus versatur in aliqua necessitate, juxta statim exponenda. — *Scav.*

ximo, nostris etiam commodis posthabitis, in ordine sequenti:

1° In *extrema necessitate spirituali,* succurrendum est *per se* proximo etiam cum periculo vitae, quia vita aeterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. — *S. Lig. n. 27.*

2° In *extrema necessitate temporali* succurrendum est proximo *ordinarie* cum magno quidem incommodo, non tamen cum maximo. Ratio est, quia ex una parte vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono, et ex alia parte, cum amor nostri sit prioris ordinis, obligari non possumus ad tantum incommodum pro proximo subeundum. — *S. Lig. n. 31.*

3° In *gravi necessitate utriusque ordinis* succurrendum est proximo cum mediocri tantum incommodo, secluso tamen justitiae, pietatis vel officii titulo. Ex dictis enim sequitur, nos teneri ad aliquod juvamen praestandum, non tamen cum tanta proprii boni jactura. — *S. Lig. ibid.*

4° In *communi necessitate utriusque ordinis* succurrendum proximo est cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit, sed levi tantum, quia proximus sat facile ab illa necessitate sese eripere potest, vel quia non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari. Hoc enim impossibile est et, si fieri posset, jam non leve incommodum foret. — *S. Lig. n. 32.*(1)

III. Inter varias personas diligendas praeferendae sunt, ceteris paribus, eae, quae nobis sunt magis conjunctae sanguine, amicitia, officio, religione, convictu etc., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxerit.

Hinc praeferendi sunt 1° parentes ceteris; 2° conjux filiis, filii fratribus, fratres cognatis; 3° amici, benefactores, superiores et personae bono publico utiliores ceteris. Attamen in ordinaria(1) necessitate, juxta communem sententiam, conjux et filii parentibus praeferri debent.(2) — *S. Lig., Hom. apost. tr. 4. n. 15.*

Resolves:

222. — 1° Praeceptum amandi proximum sicut nos ipsos non est intelligendum de *aequalitate,* ut constat ex prima regula, sed de *similitudine.*

2° Peccat contra caritatem erga seipsum graviter vel leviter pro rei gravitate, qui curam animae vel corporis sine justa causa negligit. — Licet tamen se privare bonis spiritualibus non necessariis ad bonum sive temporale, sive spirituale proximi, v. g. omittere auditionem missae die feriali etc. Imo, potest quis majora bona spiritualia non necessaria optare et procurare potius proximo, quam sibi, secluso eorum contemptu.

3° Nemo tenetur cum periculo vitae aut bonorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per sacramentum poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versentur; secus autem *per se* dicendum est, si judicari nequeat, posse illos actum contritionis facile elicere, ut sunt rudes aut peccatis assueti. — *S. Lig.* et *alii communiter.*

4° Non licet tibi subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, nisi periculum istud possis facere remotum, ita ut merito confidas, te non lapsurum esse. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 4. n. 14.*

5° *Probabilius* in iis, quae neces-

(1) Cf. etiam infra *n. 227.*

(1) vel gravi — *S. Lig. ibid.*

(2) Attendendum tamen ad bona, de quibus agitur *(n. 220. II.).* Variat enim ordo hic descriptus juxta aliam regulam generalem, scil.: *Dilectione ea, qua alteri optamus bonum nondum possessum, cum beneficentia magis diligendi sunt ii, qui nobis sunt conjunctiores quoad ea bona, quae sunt debita tali conjunctioni et in quibus haec fundatur.* Hinc v. g. in rebus pertinentibus ad civilem conjunctionem praeferendi sunt ceteris concives etc. — Cf. *S. Lig. n. 27.*

saria sunt vitae, sibi praeferre licet aequalem aut inferiorem; imo est actus heroicus caritatis, modo ob Deum fiat. Excipe casum, in quo ille, qui se exponit, necessarius sit reipublicae aut familiae suae. — *Ita Suarez — Layman etc.* contra *alios.*

Quaesita:

223. — Quaer. 1° *An sit contra caritatem, sibi mortem optare ob vitae infortunia?*

Resp. 1° *Negative,* si fiat ex desiderio vitae melioris seu aeternae felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2° *Affirmative,* si fiat ex taedio vitae vel ex animi dejectione. Non tamen peccant, saltem graviter, qui mortem cupiunt in casu, quo vita tam molesta esset, ut ipsa morte durior aestimaretur. — *S. Lig. n. 30.*

Quaer. 2° *An vero sit contra caritatem, malum temporale proximo desiderare vel de eo gaudere ob bonum finem?*

Resp. 1° *Negative,* si debitus ordo caritatis servetur, i. e. si fiat ob majus bonum vel ad minus malum. Hinc id licitum est 1° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2° ob bonum commune, sive spirituale, sive temporale; 3° ob bonum etiam plurium multo majoris momenti, v. g. familiae, communitatis etc. — *S. Lig. n. 30.* — Ceterum talia desideria sunt satis superflua, et alia meliora potius essent efformanda.

Resp. 2° *Affirmative* autem in ceteris casibus. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti ex eo, quod ab eo male tractetur, nec filiae suae, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit. Constat ex damnatione *propositionum 13., 14. et 15.* per *Innocentium XI.* — *S. Lig. n. 30.*

PUNCTUM II.

De praecepto caritatis erga inimicos in particulari.

Datur praeceptum particulare inimicos diligendi. Constat ex verbis Christi *Matth. 5. 44.: Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros;* et *ibid. 6. 15.: Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

Regulae:

224. — I. Debentur *per se* inimicis eadem signa dilectionis, quae aliis ejusdem status praestari solent, quia eorum denegatio esset actus vindictae et manifestatio odii, quod caritati adversatur.

Dixi: *per se;* quia quandoque adest rationabilis causa ea ad tempus denegandi, v. g. ratione debitae correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, scandali vitandi, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici etc. Item ob expressionem justi doloris ex injuria concepti etc.

II. Non debentur *per se* inimicis signa specialia caritatis prius inusitata, v. g. eos aegrotos visitare, moestos consolari, hospitio vel convivio recipere, seclusa ratione scandali vel spei, hoc medio inimicum sibi vel Deo reconciliandi etc.

III. Generatim loquendo continuanda sunt specialia signa caritatis, quae prius dabantur; secus enim non videretur perfecta reconciliatio. Nulla tamen est obligatio dandi, sicut antea, signa specialissima dilectionis, v. g. signa familiaritatis vel amicitiae particularis, quia caritas non praecise in tali amicitia consistit. — *Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 9.* — *S. Lig. n. 28.* — *Ebbel n. 234.*

Quaesita:

225. — Quaer. 1° *An liceat poenam publicam optare inimico?*

Resp. Affirmative per se, si absit omnis vindictae affectus; sed in praxi hoc valde periculosum est et hallucinationis omnino plenum. — *S. Lig. n. 29.* — *Antoine c. 2.*

Quaer. 2° *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. 1° Qui alium offendit, debet

per se prior media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis aequitas.

2° Si offensio sit mutua et aequalis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inaequalis, praeeat, qui gravius offendit. Ceterum absolutae regulae assignari nequeunt, sed circumstantiae spectandae sunt. — *Concina* et *alii communiter.*

Quaer. 3° *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Negative per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita. — Secus tamen dicendum est in circumstantiis vel in locis, ubi mos est, ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel si antea intercesserit mutua salutatio, ut fieri solet praesertim inter cognatos et sodales. — *S. Lig. n. 28.* — *Sporer etc.*

Quaer. 4° *An offensor a laeso veniam petere debeat?*

Resp. Affirmative per se, si aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens non suppetat, v. g. varia officia aut beneficia praestando, et nisi spes fructus absit. Excipiunt etiam casum, quo offensor offenso longe superior sit; sed alia non desunt media offensum placandi. — *Ita communiter.* — *Lacroix lib. 2. n. 188. 189.* — *Tambur.* etc.

Quaer. 5° *An debeas signa dilectionis offensori pacem non petenti?*

Resp. Affirmative per se post aliquod tempus pro variis circumstantiis, praesertim si inde notabilis spes reconciliationis appareat. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 28.* — *Concina.*

Resolves:

226. — 1° Non licet inimicos ab orationibus communibus excludere, v. g. ab oratione dominica; imo, ut contendunt plures, speciatim pro ipsis orandum est, si periculum sit, ne odium perseveret, et saepe tamquam remedium efficax pro poenitentia a confessariis injungendum est. — *Antoine etc.*

2° Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione, quia haec sunt signa communia dilectionis. — *Ita communiter.*

3° Peccant ordinarie graviter, qui inimicum declinant, eo praesertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum aut novi rancoris, vel alia justa causa excusentur. Item, qui veniam recusant, satisfactionem convenientem non acceptant, majorem aequo exigunt, vel qui rem in judicium quidem deferunt, sed ex odio et vindicta; qui grave damnum inimici non impediunt, cum facile possent, et a fortiori, qui de tali malo laetantur.

4° Non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui, quamvis dicant, se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, licet facile possint et debeant; a fortiori, qui asserunt, se numquam verbum illi dicturos esse, quia tales malam animi dispositionem in corde servant.

5° Non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, omnes poenitentes, qui de odio se accusant: saepe enim confundunt odium *proprie dictum* cum odio *qualitatis* seu *defectus,* aut etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant. Cavendum tamen est, ne odium *qualitatis* seu *indolis* etc. ad personam ipsam paulatim sese extendat. — *S. Lig. n. 30.* — *Voit n. 703.*

§. II.

De operibus misericordiae.

Opera misericordiae sunt alia *corporalia,* ut cibum pauperi praestare, nudos operire etc., et alia *spiritualia,* ut peccantes corrigere, ignorantes docere, moestos consolari etc. Speciatim de duobus tantum dicemus: 1° de eleemosyna; 2° de correctione fraterna.

PUNCTUM I.

De eleemosyna.

227. — Datur verum praeceptum eleemosynam indigentibus erogandi.

Constat 1° ex lege naturali, scilicet ex lege generali caritatis, qua obligamur ad proximum diligendum et consequenter ad illi succurrendum. Recole dicta supra *de caritate n. 221.* — Constat 2° ex scriptura sacra. Sic enim *Eccli. 4. 1.: Eleemosynam pauperis ne defraudes;* et *Matth. 25. 41.: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum . . . esurivi enim, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum.*

Regulae:

I. *In extrema necessitate* proximo succurrendum est etiam ex bonis *statui simpliciter necessariis;* sic enim exigit rectus caritatis ordo, cum vita proximi praevalere debeat bono nostro longe inferiori.

II. *In gravi necessitate* succurrendum est proximo ex *bonis aliquo modo statui necessariis* seu cum modico status detrimento, ex eadem ratione.

III. *In communi necessitate* proximo succurrendum est ex *bonis statui superfluis,* etiam cum aliqua voluptatum privatione(¹); quia, sublata obligatione in divitibus, jam pauperes vivere non possent. — *Ita communiter.* — *Vide S. Lig. n. 31. 32.*

Quaesita:

228. — Quaer. 1° *An sub gravi obliget praeceptum eleemosynae?*

Resp. 1° *Affirmative* in gravi necessitate, ut patet. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Etiam *affirmative* in communi necessitate, quia praeceptum eleemosynae est in se grave et praecipue respicit necessitatem communem, cum casus necessitatis gravis raro eveniant. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 32.* contra *Busemb.* et *plures alios*(²).

(¹) Cf. *prop. 12. Innoc. XI.*

(²) Non tamen subsistit per se, praetendendo scil. a scandalo forte reparando, obligatio restituendi summam aequivalentem pro eleemosyna omissa, cum non debeatur ex justitia. — *Scav.*

Quaer. 2° *Quaenam bona censeantur statui necessaria?*

Resp. Ea, quae requiruntur ad filios educandos, famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, convivia de more instaurandaetc.(¹) — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 3° *Quaenam quantitas bonorum sit pauperibus danda?*

Resp. 1° In necessitate gravi vel extrema dandum est, quantum sufficit hic et nunc ad levandam hanc necessitatem, nisi sint alii, qui ipsis subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniae summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia magni pretii ei procuranda. — *S. Lig. n. 31.*

Resp. 2° In necessitate communi quantitas determinata assignari nequit. *Probabilius* tamen sufficere videtur erogare quinquagesimam partem redituum annuorum, qui supersunt, solutis expensis ad mercedem operariorum etc. (sed non in eadem proportione, si divitiae multum excedant). Ratio est, quia, si singuli divites illam quantitatem in pauperes erogarent, jam satis esset ad occurrendum communibus necessitatibus. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 32.; Hom. apost. tr. 4. n. 19.* Plures tamen vigesimam aut etiam decimam partem redituum esse pauperibus erogandam contendunt. Sic *Concina etc.*

Quaer. 4° *Quinam debeant aut possint eleemosynam facere?*

Resp. 1° Illi soli generatim, qui sat commode vivunt et sunt veri domini vel bonorum suorum administratores.

Resp. 2° Uxor tamen eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest juxta morem conditionis suae, non autem extraordinarias sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis. — *S. Lig. n. 33.*(²)

(¹) Praesertim posteriora in genere ad *decentiam* status magis pertinebunt. — V. *S. Lig. ib.*

(²) Cf. *n. 555.*

Resp. 3° Filii nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus; famuli vero nihil sine consensu expresso vel tacito aut prudenter praesumpto dominorum suorum. — *S. Lig. ibid.*

Resolves:

229. — 1° Peccant graviter contra praeceptum eleemosynae non tantum divites, qui pauperes a se dure semper repellunt, sed etiam qui reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum: secus enim nemo umquam inveniretur, qui superfluum haberet, sub praetextu rem familiarem adaugendi. Ceterum tam modica eleemosyna, quae supra recensita est, ascensum ad statum superiorem impedire non potest.

2° Eleemosyna facienda est omnibus vere indigentibus, etiam alienigenis et infidelibus, juxta rectum caritatis ordinem, nisi obtinuerit alicubi mos vel statutum, ut pauperes a suis concivibus alantur.

3° Nulla tamen est obligatio eleemosynam faciendi pauperibus laborare nolentibus; imo illicitum foret, utpote illis nocivum.

4° Tenentur medici, advocati et alii similes publici homines operam pauperibus gratis impendere, quia sunt in vera necessitate nec ab aliis adjuvari possunt. — *S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 1. (quoad advocatos).* — *Antoine c. 4. etc.*

5° Non eximuntur a praecepto eleemosynae, qui degunt in civitatibus, ubi prohibetur eleemosynae petitio, quia non desunt alia media praecepto satisfaciendi, v. g. erogando pecuniam collectoribus in ecclesiis etc. vel parochis aut aliis curae indigentium praepositis.

6° Qui non sunt certo sufficienter divites, ad aliquas eleemosynas faciendas potius inducendi sunt, quam obligandi, cum de obligatione non constet.

PUNCTUM II.
De correctione fraterna.

Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex caritate alium a peccato revocare conatur.

Principia:

230. — I. Datur verum praeceptum fraternae correctionis. Constat 1° ex lege naturali caritatis, qua ad proximi mala sublevanda obligamur; — 2° ex scriptura sacra: *Eccli. 19. 14.: Corripe proximum . . ., ne forte iteret.* Et *Matth. 18. 15.: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*

II. Ad obligationem strictam hujus praecepti requiritur: 1° ut certo constet de peccato proximi, aut de proximo peccandi periculo; — 2° ut affulgeat vera spes, imo major probabilitas emendationis(¹); — 3° ut non sit alius aeque idoneus, qui correpturus credatur; — 4° ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis; — 5° ut necessaria judicetur ad rei emendationem. — *S. Lig. n. 38. et seq. aliique communiter.*

Quaesita:

231. — Quaer. 1° *An sub gravi obliget praeceptum fraternae correctionis?*

Resp. Affirmative per se, si adsint requisitae conditiones et agatur de materia gravi. Hinc peccat graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat, illam esse vere profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pusillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum. — *S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2.* — *S. Lig. n. 37.*

(¹) In dubio de utilitate correctionis hoc praeceptum adhuc obligat, si certum simul sit, eam non nocituram; secus, si hoc quoque dubium sit, excepto casu, quo proximus correctione omissa moriturus est in peccato mortali. — *Scav.*

Quaer. 2° *An corrigi debeat, qui ex ignorantia peccat?*

Resp. 1° *Affirmative,* si agatur de ignorantia vincibili, quia haec non excusat a peccato *juxta dicta n. 14.*

Resp. 2° Si agatur de ignorantia invincibili — 1° peccator corrigi debet, si haec respiciat jus naturale aut divinum positivum, ob reverentiam maximam ei debitam, modo tamen correctio profutura videatur.(¹) — *Ita communiter.* — 2° Si autem ignorantia invincibilis respiciat jus humanum, *controvertitur.* Juxta communiorem sententiam est adhuc facienda correctio, quia transgressio legis, licet mere materialis, posita lege tamen mala est, et ideo tenemur per correctionem eam impedire, si profectus praevideatur subsecuturus. — *Ita communius.* — *Probabiliter* tamen non urget tunc obligatio correctionis, saltem sub gravi, pro iis, qui superiores non sunt. Ratio est, quia agens non peccat nec quidquam intrinsece malum agit. — *Ita quoad utramque sententiam S. Lig. n. 36.* et in *retr. Qu. 5.,* licet priori sententiae veluti probabiliori magis accedat.

232. — Quaer. 3° *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiae aliud suadeant. — Hinc 1° corripe secreto: *Corripe eum inter te et ipsum solum;* — 2° coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: *Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos;* — 3° rem deferas ad superiorem: *Dic Ecclesiae. Matth. 18. 15. et seq.*

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet: 1° si peccatum sit publicum vel mox publicandum; — 2° si sit graviter alteri noxium; — 3° si secreta admonitio non judicetur profutura; — 4° si praestet rem statim superiori manifestare; — 5° si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis ordinibus religiosis. — *S. Lig. n. 41. etc.*

Resolves:

233. — 1° Correctio fraterna cum vera caritate etiam quoad modum facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter aequales et reverentialis erga superiores.

2° Privati inter se raro ad correctionem tenentur, *saltem sub gravi,* nisi sint familiariter inter se conjuncti, quia raro omnes requisitae conditiones reperiuntur; rarius adhuc erga superiores, propter ineptitudinem.

3° Plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum ingenium est penitus ignotum, ne pejores fiant.

4° Scrupulosi ordinarie excusantur a fraterna correctione facienda, quia aut nimium defatigantur, aut inepti sunt; scrupulis enim et anxietatibus perturbati, necessaria discretione ad corrigendum carent et ad causas excusantes attendere non valent.

5° Praelati, episcopi, pastores, magistratus tenentur etiam cum magno suo incommodo impedire peccata tum publica, tum occulta subditorum suorum, quia ex justitia ad procurandum tuendumque bonum commune obligantur.

6° Tenentur ex officio superiores invigilare in subditos et inquirere eorum peccata, non tamen multum de aliquo in particulari absque dubio positivo aut ratione speciali; sed non facile admittere debent spontaneos accusatores, et multo minus fidem statim illis praebere, quia saepe isti specie boni communis seipsos quaerunt.

7° In communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis etc. plerumque expedit, ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem; nec pos-

(¹) Etsi fructus non speretur et ignorantia invincibilis sit, tamen monitio adhuc fieri debet, si agatur de necessariis necessitate medii vel de iis, quae publicum scandalum praebent, ne scilicet alii putent, id licere, quod non corrigitur. — *Scav.*

sunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt vel illaturi sunt. — *Ita communiter.*

§. III.

De vitiis caritati erga proximum oppositis.

Praecipua sunt odium, invidia, rixae, scandalum et cooperatio ad peccata aliena.

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit alio loco, vel in quinto decalogi praecepto sit dicendum.

PUNCTUM I.

De scandalo.

SECTIO I.

De scandalo in genere.

234. — Definitio: Scandalum est dictum vel factum minus rectum, praebens alicui occasionem ruinae spiritualis.

Divisio: Distinguitur scandalum *directum* vel *indirectum,* prout peccatum proximi intenditur ab agente, vel tantum praevidetur, saltem in confuso.

Scandalum directum dicitur etiam *diabolicum,* quando intenditur proprie ruina spiritualis proximi. Si vero intenditur peccatum alterius ob proprium commodum, dicitur *simpliciter directum.*

Theologi communiter distinguunt scandalum *activum* et *passivum.* Scandalum *activum* illud est, cui convenit data definitio. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis proximi, atque ideo improprie vocatur scandalum et melius dici debet effectus scandali.

Scandalum autem potest esse *activum* seu *datum,* quin sit *passivum* seu *acceptum,* quia poni potest actio apta de se ad scandalum, quin subsequatur effectus. Et vice versa potest esse *acceptum,* quin sit *datum;* sed tunc scandalum *acceptum* non proprie tribuendum est actioni alicui proximi, sed potius ignorantiae, imaginationi aut etiam malitiae illius, qui scandalum patitur vel sine fundamento admittit. Hoc autem dicitur scandalum *pusillorum,* si ex infirmitate vel ignorantia proximi suscipiatur; vocatur vero *pharisaicum,* si ex mera subjecti malitia proveniat. — *S. Lig. n. 43.*

Principia:

235. — I. Scandalum, etiam indirectum, est non solum peccatum grave in materia gravi, sed peccatum malitiae specificae maximum et horrendum, cum in gehennam detrudat animas a Christo redemptas. Atque hinc est, ut exclamet Christus Dominus *Matth. 18. 7.: Vae mundo a scandalis . . . vae homini illi, per quem scandalum venit.* Maxima igitur cura scandalum etiam indirectum fugiendum est.

II. Scandalum *pusillorum* seu *infirmorum* vitandum est, quoties fieri potest sine gravi incommodo, tum omissione operis indifferentis, tum etiam operis boni non praecepti, quia ex caritate ruinam pusillorum impedire tenemur, cum facile possumus, v. g. abstinendo ab actione non valde utili aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo etc.

III. Scandalum *pharisaicum* seu *malitiosum* non est necessario vitandum, nec omissione operis boni, nec omissione operis indifferentis speciem mali non habentis, saltem *ordinarie* (1); quia tale scandalum oritur a sola malitia illius, qui scandalum accipit, ac propterea non est ullo pacto *datum,* sed pure *acceptum.*

Quaesita:

236. — Quaer. 1° *An praecepta sint quandoque omittenda propter scandalum pusillorum?*

---

(1) Differenda enim sunt talia opera, si non adsit rationabilis causa, illa statim exsequendi; imo omittenda, si malum, quod timetur, longe majus sit bono, quod per ea obtinetur. — *Scav.*

Resp. 1° *Negative* quoad praecepta juris naturalis, saltem negativa, quia numquam licet aliquid admittere intrinsece malum. Juxta plures licet affirmativa praecepta omittere, v. g. praeceptum corrigendi peccatores; at potius dicendum est, tunc ipsam legem cessare. — *S. Lig. n. 51.*

Resp. 2° Quoad praecepta positiva(¹) *controvertitur. Sententia probabilior affirmat,* secluso incommodo gravi, quia praeceptum vitandi scandalum proximi, ut naturale, positivis praeceptis praeferendum est. Hinc mulier sciens, se turpiter esse concupiscendam ab aliquo, si ad missam praeceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum; non tamen saepius, ob incommodum grave, quod inde consequeretur. — *S. Lig. ibid.* — *Suarez* — *Layman etc.* — *Negant* tamen plures, neque *improbabiliter,* juxta ipsum *S. Lig. ibid.*

Quaer. 2° *An bona temporalia tenearis dimittere ad scandalum evitandum?*

Resp. Negative ordinarie loquendo, quia caritas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc non teneris solvere plus aequo operario vel rhedario, licet praevideas, illum secus esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se, saepius occurrere potest, et sic grave in complexu fit; quinimo ad blasphemandum incitamentum saepius id esset. — *S. Lig. n. 52.*

Quaer. 3° *An in scandalo detur non solum peccatum contra caritatem, sed etiam contra virtutem, ad quam violandam proximus inducitur?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad scandalum *directum.* Quaelibet enim virtus specialiter vetat non solum, ne violetur, sed etiam, ne quis alium inducat ad eam *directe* violandam. — *Ita fere omnes.*

Resp. 2° Etiam affirmandum videtur quoad scandalum *indirectum,* quia in eo non tantum laeditur caritas erga patientem scandalum, sed etiam laeditur ipsa virtus, ad quam violandam proximus inducitur, licet indirecte tantum; virtus enim vetat etiam, ne aliis ejus violandae praebeatur occasio. — *S. Lig. n. 45.*

237. — Quaer. 4° *An sit accusanda circumstantia sollicitationis in confessione peccati cum complice commissi?*

Resp. Probabilius negative, quia, posito alterius consensu, sollicitatio non est, nisi circumstantia mere aggravans, siquidem complex per consensum fit etiam ipse scandali reus; proinde peccatum scandali sufficienter accusatur confitendo peccatum tale cum aliis commissum. — *S. Lig. n. 46.* — *Lugo.* — *Affirmant* tamen *probabiliter Salm. et alii,* quia ajunt, inductionem esse peccatum distinctum et speciale.

Quaer. 5° *An liceat suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

Resp. Affirmative(¹), si minus malum contineatur aliquo modo in majori, ut percussio loco occisionis etc. Secus non videtur licere, etsi oppositam sententiam ut probabiliorem teneat *S. Lig. n. 57.*

Quaer. 6° *An liceat occasionem peccandi permittere, ut reus corrigatur?*

Resp. Affirmative, quia permissio non est inductio, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. — Hinc a peccato sunt excusandi *per se* 1° parentes et domini, qui filios vel famulos peccare sinunt, ut eos corrigendi occasionem inveniant; — 2° custodes agrorum, vinearum etc., qui se abscondunt, ut damnificantes capiant et ab eis poenam exigant. — *Ita com-*

(¹) vel melius: humana; quoad divina in stricto sensu enim potius regulae pro jure naturali expositae applicandae erunt.

(¹) scil. licet flectere voluntatem alterius ad eligendum minus malum pro majori. Sic non suadetur malum, sed *diminutio* mali operis.

muniter. — *S. Lig. n. 58.* — *Antoine c. 6. §. 4. Q. 6.* — *Layman etc.*

238. — Quaer. 7° *An liceat etiam occasionem peccati ponere?*

Resp. Controvertitur. — *Affirmative probabiliter*, quia peccans non inducitur in peccatum, sicut non inducitur usurarius, a quo mutuum petitur; ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti. Hinc *probabiliter* non peccat dominus, qui de industria relinquit appositam clavem arcae, in qua pecunia reconditur, ut fidelitatem famuli dubiam experiatur. — *S. Lig. n. 58.* — *Layman* — *Collet* contra *plures*, qui etiam *probabiliter negant*, quia hoc videtur positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando et ad illud inducendo. — *Antoine ibid.* — *Cuniliati c. 9. §. 6. n. 21. etc.*

Quaer. 8° *Quid de fidelium communicatione cum judaeis?*

Resp. Tum ad tuendam christianae religionis dignitatem, tum ad vitandum quodcumque perversionis periculum statutum est ab Ecclesia: 1° ne christiani cum judaeis habitent; 2° ne eorum conviviis intersint; 3° ne eisdem famulentur; 4° ne eorum azymis vescantur; 5° ne mulieres christianae lactent judaeorum infantes tam in eorum domo, quam etiam in domo propria (*c.* Nullus (13.); *c.* Omnes (14.) *caus. 28. q. 1.*; *c.* Judaei (5.) de judaeis (V. 6.) etc. et *S. Lig. n. 18.* — *Pius IV. Const.* Cum enim *et S. Cong. Inquisit. die 15. Mart. 1612.*)

Attamen excluso quocumque scandali et perversionis periculo probabiliter non est lethale, imo nulla est culpa, si id fiat ex rationabili causa. — *S. Lig. n. 18.*

SECTIO II.

De scandalo in particulari.

1° Circa luxuriam; 2° circa pravos libros; 3° circa choreas et spectacula.

I. Circa luxuriam.

239. — Gravissimum scandalum est, facere, repraesentare aut prae se ferre ea, quae ad libidinem notabiliter provocant, quia nullum venenum subtilius animae propinari potest.

Hinc gravissimi scandali rei sunt: — 1° qui turpia in comoediis aliisve coetibus repraesentant; — 2° qui cantilenas aut carmina turpia componunt vel canunt; — 3° qui statuas aut imagines obscoenas faciunt vel exponunt; — 4° qui discipulos sibi commissos pravo suo exemplo seducunt. — *S. Lig. n. 56.*

Quaesita:

Quaer. 1° *An peccet graviter foemina nudo pectore incedens?*

Resp. Affirm., si nudatio sit valde notabilis, non obstante quacumque contraria consuetudine. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit. Consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiae minuit, cum assueta minus phantasiam excitent. — *S. Lig. n. 55.*

Quaer. 2° *An graviter peccet mulier ornatum gerens superfluum aut fuco vultum pingens?*

Resp. ad 1um Negative per se, quia ornatus non graviter ex natura sua ad libidinem provocat, imo etiam ad status decorem saepe exigitur.

Resp. ad 2um Negative etiam *per se.* Id enim venialem labem minime excedit, si ob vanam gloriolam captandam fiat; omni vero peccato carebit, si justa causa interveniat, v. g. defectus naturalis tegendus etc.

Quaer. 3° *An graviter peccet mulier viriles vestes induens?*

Resp, Negative per se. Id enim, si justam ob causam fiat, omni culpa carere potest: si ob levitatem vel jocum, veniale non excedit, praeciso tamen scandalo aut libidinis periculo. — *S. Lig. n. 52.*

Quaer. 4° *An graviter peccent ii, qui larvis aliisve personis utuntur?*

Resp. Negative per se, modo scilicet eos congressus non adeant, in quibus proxima plerumque peccandi occasio occurrit.

— Quaer. 5° *An liceat me-*
ıs vel concubinariis famulari?
ad 1um *Negative* tum ob
m, tum etiam ob maximum
ericulum. Si qui vero casus
li fortasse forent, hi ex per-
adjunctis vel necessitatis gradu
ıdi erunt.
ad 2um Facilius quidem per-
est, si domi non servetur con-
Secus vero difficilius, ob grave
ıis periculum, nisi graves vi-
tiones ejusmodi domino inser-
'el nisi famuli famulaeque pie-
ınnis provectiores existimentur.
speculativa solutio in his vix
test, sed ex variis rerum ad-
n praxi repetenda est. — *Ita*
iter contra *Concina*, qui nul-
ittit exceptionem.
r. 6° *An liceat puellae acci-*
nuscula ab amasio(1)?
Negative, quia munera mu-
ıorem maxime excitant ac fo-
linc, quoad fieri potest, im-
n puellae, ut ejusmodi munus-
ituat vel pauperibus distribuat
nis comburenda tradat. — *S.*
76. — *Lacroix l. 2. n. 264.*

I. Circa pravos libros.

ıni scandalorum genere nullum
; abhorrendum et exsecrandum,
andalum ex impiis et obscoe-
; procreatum. Haec est dia-
ıventio omnium efficacissima
as turmatim in gehennae ba-
detrudendas; haec est pestis
maxime dira et immanis, quae
m tantum regionem aut aeta-
:it, sed ad universa loca et
diffunditur omniaque innumeris
stragibus. Quis autem edicere
ɔrrenda mala, quae religioni
us ex scandalo pravorum li-
velut ex lethali fonte exorta
quidem usque ad finem mundi
ıda atque multiplicanda?

dit *S. Lig. ib.: qui turpiter*
:upiscit —

Satagant igitur et animo mactent ministri Dei, concionatores scilicet et confessarii, ut totis viribus huic torrenti iniquitatis se opponant et pereuntes animas e faucibus infernalis abyssi eripiant!

Numquam igitur permittenda est lectio, impressio et divulgatio librorum fidei et moribus omnino adversantium, ut patet.

Quaesita:

241. — Quaer. 1° *An typis committi possint libri, qui partim boni, partim mali sunt?*

Resp. Negative generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint; secus tamen, si damnum ex iis reformidandum non adeo grave sit et maximae utilitati ex eis capiendae comparari nequeat. Typographi vero sedulo a doctis peritisque viris, ab ecclesiasticis praesertim superioribus exquirant, quid in dubiis casibus agendum sit.

Quaer. 2° *An pravi libri interdum vendi possint?*

Resp. Nullo modo indiscriminatim vendi possunt, cuilibet scilicet emptori, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus ac doctis, qui hujusmodi libros utiliter legere possunt, v. g. ad eos confutandos etc. Excipe libros prorsus obscoenos, qui radicitus sunt exstirpandi.

Quaer. 3° *Quid de donatione aut locatione pravorum librorum?*

Resp. Idem generatim dicendum, debita proportione servata, ac de ipsa eorum venditione, quia omnia haec corruptelarum plena sunt. — *Gousset t. 1. n. 392.*

Quaer. 4° *An ejusmodi libri domino reddi possint?*

Resp. Negative, nisi absque gravi incommodo denegari nequeant. Hoc ex principiis, quae tradidimus, sua sponte defluit. Grave autem incommodum censendum est, si graves rixas, blasphemias, odia aliaque ejusmodi a domino pertimescas. — Levis contristatio vel etiam timor dissolvendae

amicitiae non censeretur sane ratio, saltem plerumque, pravos libros amico reddendi.

De prohibitione librorum dicemus in tract. de censuris.

III. De choreis.

242. — Choreae vel saltationes, prout vulgo fiunt, periculi et scandali plenae sunt, innumerasque animas diaboli laqueis irretiunt. In hoc ludendi genus unanimiter invehuntur sancti patres. Attamen choreae non sunt omnes aeque infestae.

Principia:

I. Choreae *per se,* etiam inter diversi sexus personas, non sunt illicitae, si fiant honesto modo, i. e. remoto omni tactu, gestu aut actu impudico. Ratio est, quia choreae sunt per se indifferentes nec ulla lege prohibentur. — *Ita communiter.* — *S. Lig., de 6. praec. dec. n. 429.*

II. Choreae inhonestae ratione nuditatum, modi saltandi, verborum, gestuum, cantuum sunt semper graviter illicitae, ut patet. Inter illas autem a pluribus recensentur saltationes recentiores, quae gallice dicuntur: *la Walse, la Polka, le Galop,* et aliae istis similes.(1)

III. In praxi generatim choreae quaelibet inter personas diversi sexus impediendae sunt, quantum fieri potest, quia, prout haberi solent, plerumque valde periculosae sunt. Hinc parochi et confessarii subditos et poenitentes ab illis, quantum fieri potest, avertere debent. — Ita *communiter* nostrae aetatis doctores et animarum directores.

Resolves:

243. — 1° Qui ita infirmi sunt, ut grave periculum libidinis subeant in saltationibus, ab iis sub peccato mortali abstinere debent, nisi forte aliquando quaedam necessitas urgeat et saltem probabiliter absit consensus periculum.(1)

2° Modeste saltare vel choreis honestis adesse ex quadam necessitate vel ex status sui decentia sine probabili libidinis periculo nullum est peccatum, quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quae sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, decenter saltando, puellae matrimonio destinatae, quae a choreis in domo paterna vel apud vicinos aut cognatos ductis abesse non possunt, vel saltationem recusare nequeunt, quin derideantur vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant.

3° Imo interesse choreis honestis absque necessitate, secluso gravi periculo ac notabili scandalo, et in eis decenter saltare, non est mortale et facile etiam ab omni peccato vacare potest. Inveniuntur enim aliquando viri, et non raro mulieres, quibus in choreis, etiam inter personas diversi sexus, nullum aut valde remotum periculum creatur. A talibus autem, quamvis enixe a saltationibus arcendi sint, tamen saepe imprudenter promissio vitandi choreas sub denegatione absolutionis exigeretur. — *Bouvier ib.*

Quaesita:

244. — Quaer. 1° *An tolerari possint choreae cum larvis?*

Resp. Negative, saltem generatim loquendo. Experientia enim constat, hujusmodi ludos illecebras esse ad libidinem et causam efficacem impudicitiae. — *Ita omnes.*

Quaer. 2° *An possint absolvi, qui nolunt promittere, se choreas derelicturos esse?*

Resp. 1° *Negative,* si ordinarie in eis peccent graviter vel frequenter, et indiscriminatim intersint choreis publicis, sive honestis, sive inhonestis.

(1) Cum choreas illas esse periculosissimas, negari nequeat, confessarii erit, judicare de particularibus casibus ex modo, circumstantiis, gravitate motivi etc.

(1) In similibus casibus tamen sedulo adhibeantur media opportuna ad periculum consensus amovendum. V. *n. 246. not.*

Ratio est, quia versantur in proximo salutis periculo. Impossibile enim est generatim, ut quis tam saepe versetur in istis consortiis levissimae et corruptissimae juventutis utriusque sexus, quin impura contagione inficiatur et pereat. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Affirmative* generatim, si interdum tantum choreis honestis intersint, v. g. in extraordinariis oblectationibus auctoritate publica celebratis, vel in nuptiis cognatorum aut amicorum, vel etiam in die festo patroni loci; saltem a confessario prudenter dissimulandum erit in hujusmodi casibus, qui impediri nequeunt. Nec ideo tales poenitentes a sacramentis tempore paschali removendi sunt. — *Ita Bouvier, de 6. praecept. c. 4. art. 3.* et *alii.*

Quaer. 3° *An possint absolvi facile, qui ducunt choreas interdum inter cognatos et amicos?*

Resp. Affirmative, saltem generatim loquendo, si choreae fiant sub oculis parentum piorum aut aliorum aetate et moribus conspicuorum. Tales enim ludi non videntur per se graviter periculosi; aliunde vix aut ne vix quidem impediri possunt, ex eo praesertim, quod nullam mali speciem prae se ferant. Attende tamen sedulo ad varias personarum et locorum circumstantias, ex quibus abusus speciales oriri possunt; nec non ad fragilitatem particularem poenitentis, qui forte multo vehementius ad libidinem commovebitur in istis coetibus privatis et familiaribus, saltando cum personis notissimis, quam si cum extraneis ageret.

Quaer. 4° *An et quaenam sit culpa, apprehendere manum mulieris in choreis?*

Resp. Si apprehendatur leviter, de more, in choreis honestis, nulla est per se culpa aut ad summum venialis tut, quia in hoc generatim nullum vel leve periculum libidinis adest. — *Ita S. Lig. cum aliis, de 6. praec. n. 429.* Si autem affectu inordinato manus mulieris apprehenderetur aut perstringeretur, culpa levis aut gravis pro ratione periculi(¹) foret.

245. — Quaer. 5° *Quid agendum sit parocho circa choreas?*

Resp. 1° Si prudenter judicet, se severius agendo choreas in sua parochia penitus esse destructurum, absolutionem saltantibus differre aut negare debet, quia generatim multa peccata in his coetibus fiunt et, qui non peccant, aliis occasionem peccandi facile praebent.

Resp. 2° Si vero nulla datur spes choreas de medio tollendi, suadet prudentia, ut mitius agat, precibus et suasione poenitentes ab hujusmodi periculo avertendo et salutaria monita eis praebendo, ut salutis periculum fugiant: sed tandem ad sacramenta, saltem in paschate, eos admittat. Sic enim efficacius eorum saluti consulet et ad bonum religionis cedet; secus enim poenitentes nullo fraeno retenti a sacramentis recedent, in omnia vitia proruent et in peccatis pravisque consuetudinibus tabescent, ut experientia nimis lugenda constat.

Quaer. 6° *An publice in praedicatione choreas reprehendere expediat?*

Resp. Negative generatim in iis locis, ubi sunt in usu et reputantur quid indifferens, quia nihil proficeret concionator, et saltantes a concionibus simul et a sacramentis averteret. Expedit igitur, ut concionatores, praesertim parochi, agant *indirecte* tantum in choreas, et *directe* in peccata, quae in eis committi solent. Caveant autem, notis infamiae afficere tum saltantes, tum alios choreis concurrentes, nec declarent tales tempore paschali non fore admittendos.

IV. De spectaculis.

246. — De spectaculis seu ludis, quae per mimos sive per histriones repraesentari solent, idem fere dicendum erit, ac de choreis. Quare haec pauca subjicere sufficiat.

(¹) et affectus ipsius —

Principia:

I. Spectacula *per se* non sunt mala nec proinde illicita; nulli enim legi, nec naturali, nec positivae sive divinae, sive humanae adversantur. Unde, si res turpes in eis non repraesentarentur et aliunde abessent circumstantiae libidinis fomentum praebentes, nullatenus reprobanda forent. — *Ita communiter.* — *S. Thom. 2. 2. q. 168. art. 3.*

II. Spectacula, in quibus repraesentantur res notabiliter turpes, vel in quibus apparent personae diversi sexus notabiliter indecentes, graviter illicita sunt tum actoribus, tum spectatoribus, ut patet, saltem generatim loquendo (1). — *S. Lig., de 6. praec. n. 427.*

Resolves:

247. — 1° Non peccat mortaliter, qui praeciso scandalo interest comoediae non graviter turpi, nisi propriam fragilitatem expertus sit, seu nisi experientia sciat, se hujusmodi ludis vehementer in libidinem commoveri cum periculo proximo consensus. — *S. Lig. ibid.*

2° Si in comoediis repraesentarentur res notabiliter turpes aut turpi modo, mortale quidem esset, illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem, ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem *(S. Lig. ibid.)*, quod facile aderit in adolescentibus vel in aliis parum timoratae conscientiae; aut nisi adsit scandalum. Ideo merito docet *Benedictus XIV.*, clericos et religiosos non posse comoediis turpibus interesse sine scandalo gravi. — *Hom. apost. tract. 9. n. 10.*

3° Merito *Holzman* et *Lacroix* propter scandalum aliorum damnant de mortali eos, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes, eosque, qui eas impedire tenentur aut commode possunt, et non impediunt; et *a fortiori* eos, qui illas repraesentant. — *Hom. apost. ibid.* — *S. Lig. ibid.* (1)

(1) Justa enim et proportionata exstante causa periculosa actio poni potest, salutaribus praesidiis peccandi periculum avertendo. Excusari ergo possunt milites, qui adesse tenentur ad invigilandum; servi, qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent etc. — *Scav.*

PUNCTUM II.
De cooperatione.

SECTIO I.
De cooperatione in genere.

248. — Definitio: Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. — Prout autem caritati adversari potest, est participatio quaedam ad actionem pravam alterius.

Divisio: Distinguitur cooperatio:

1° *immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones ad peccatum relationem aliquam habentes;

2° *proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius ad pravam alterius actionem refertur;

3° *positiva* vel *negativa*, prout cooperans ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. g. eum adjuvando, vel omittit actum debitum, v. g. si non obstet, dum obstare deberet.

4° *formalis* vel *materialis*, prout actio cooperantis fit cum cognitione et volitione mali, saltem implicita, vel non. (2)

Datur etiam cooperatio *directa* vel

(1) Olim de jure particulari in nonnullis Galliae locis comoedi excommunicationem incurrebant; sed hujusmodi censura non amplius agnoscitur, ut declaravit *concilium Remense* anni 1850 *tit. 7. c. 2.* (Nota auctoris.)

(2) Alii aliter definiunt, v. g.: cooperatio *formalis* adest, si quis vel directe cooperatur in aliquo actu criminoso, vel influit in pravam voluntatem proximi volentis peccare; — *materialis* autem, actio est indifferens et proximus ea potest etiam sine peccato, licet ex malitia ea abutatur. — Ita *Scav.* ad mentem *S. Lig. n. 63.*

indirecta, physica vel *moralis,* ut dictum est de voluntario in se vel in causa *de act. hum. n. 5.* et *7.*

Cooperatio fit praecipue novem modis, scilicet: jubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Vide dicenda in *tractatu de justitia.*

Principia:

I. Certum est, numquam licere cooperationem formalem, cum talis cooperatio moraliter influat in peccatum alterius et proinde sit illius causa moralis.(1) — *S. Lig. n. 63.*

II. Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona vel saltem indifferens adsitque causa justa et proportionata ad gravitatem peccati alterius et ad proximitatem concursus, qui praestatur in peccati exsecutione. Ratio est, quia, cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exsequendum, non teneris, nisi ex caritate, illud impedire; quia vero caritas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — *S. Lig. ibid.* — *Vide de actibus humanis n. 9.*

Resolves:

249. — 1° Numquam peti potest, quod sine peccato concedi nequit, ut violatio obligationis alicujus, v. g. a notario aliquid officio suo oppositum.

2° Non licet pingere picturas obscenas; nec licet furi terga servare vel ei annuntiare horam ad furandum opportunam, quia est influere in pravam furis voluntatem. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 571.*

3° Licet petere mutuum ab usurario, sacramenta ab indigno ministro, juramentum ab eo, qui forte pejeraturus est, modo adsit gravis causa. — *S. Lig. n. 77. 79.*

4° Eo major requiritur ratio ad cooperandum, quo propinquior et major est cooperatio, — quo probabilior et pejor est effectus secuturus, — quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, — quo magis peccatum justitiae vel caritati repugnat(1).

(1) Cf. etiam infra *n. 687.*

(1) et quo minus juris habet quis ad tale opus.

(2) Mitius *Gousset n. 304.*, qui ait, excusari membra familiae et famulas, si apponant cibos illicitos, cum caput familiae id absolute exigit, propter inconvenientia, quae negatio obedientiae facile affert.

(3) Cf. *prop. 51. Innocentii XI.*

SECTIO II.

De cooperatione in particulari.

Scilicet praecipue: 1° quoad famulos; 2° quoad operarios; 3° quoad mercatores; 4° quoad caupones.

Ex principiis supra positis plerumque colligi potest, quandonam famuli et alii modo subindicati peccatis dominorum, sociorum aut aliorum cooperari possint vel non. Plura tamen dubia ad majorem rerum perspicuitatem solvenda sunt. Hinc:

I. Quoad famulos.

250. — Quaer. 1° *An liceat famulo, ministrare carnes die vetito?*

Resp. Non licet sola ratione famulatus; licet tamen ex aliqua causa gravi, v. g. si secus esset famulus domo expellendus cum notabili detrimento suo temporali vel spirituali. — *S. Lig. n. 68. 69.*(2)

Quaer. 2° *An possit famulus metu mortis aut mutilationis subjicere humeros hero ad fornicandum ascendenti*(3)?

Resp. Affirmative probabilius, quia

non ponit actionem intrinsece malam. — *S. Lig. n. 66. 68.*(1)

Quaer. 3° *An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?*

Resp. Communius *affirmant,* modo ipso non aperiente adsit alius, qui aperiat(2). — *S. Lig. n. 66.*

Plures tamen contendunt, prohibitum esse in omni casu ostium meretrici aperire, et innituntur in *propositione* sequenti *51.* ab *Innocentio XI.* damnata: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* — Sed evidenter haec verba *aperiendo januam* intelligi debent de apertione violenta domus alienae, ut ex contextu patet.(3)

251. — Quaer. 4° *An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

Resp. Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici. Sed ei non permittendum foret comitari herum ad locum, ubi peccatum est patrandum, sine ratione gravis damni subeundi, quia propior est cooperatio. — *S. Lig. n. 64. et in retract. Q. 10.*

Merito autem advertit s. auctor, numquam licere famulo herum euntem ad peccandum comitari, si hic ex comitatu animosior redderetur. — Excusandus autem est famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. — *Vogler* etc.

Quaer. 5° *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Resp. Negative, saltem sine causa valde gravi, quia est cooperatio proxima, cum haec munera apta sint ad libidinem fovendam. — *Ita communiter.* — Imo hoc intrinsece malum reputat *S. Lig. n. 65.,* quia per se turpem amorem fovent. Sed probabilius contradicit *Viva* cum *aliis.*

Quaer. 6° *An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?*

Resp. Negative, nisi adsit ratio valde gravis. Imo, juxta *S. Lig. n. 67.* numquam licet, etiam posita gravissima causa, quia hoc, ait, intrinsece malum est; oppositum tamen docet *Vogler* cum aliis, et fortasse rectius, nisi famulus censeatur formaliter ad peccatum invitare. Si vero, ait *S. Lig. ibid.,* literae contineant sola signa urbanitatis, etiam requiritur ad excusandum famulum causa justa ultra obsequium famulatus.

Nota: Quae de famulis dicta sunt, plerumque aliis inferioribus aut subditis, v. g. filiis, uxoribus etc. applicanda sunt.

II. Quoad operarios.

252. — Quaer. 1° *An liceat operariis theatra aedificare, ornare etc.?*

Resp. 1° Quoad aedificationem videtur licere generatim absque gravi ratione, quia saepe licitum est principibus spectacula tolerare.

Resp. 2° Quoad ornamenta et alias actiones ab operariis praestandas pariter licitum videtur, si haec in se honesta sint, quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa.

Quaer. 2° *An liceat operariis aedificare templa haereticorum?*

Resp. 1° *Negative* absolute, si hoc

(1) Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si aliud simile timeat. — *Scav.* Idem resolve in similibus.

(2) Haec circumstantia enim cooperationem satis remotam facit. — Cf. *Layman l. 2. tr. 3. c. 13. 5. 6°.*

(3) In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est, usurarios vel meretrices ibi degere, licet domum hisce locare, maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter noceant vicinis honestis vel ob situm domicilii ansam majorem dent ad peccandum. — *S. Lig. n. 70.*

postuletur ab haereticis in odium religionis.

Resp. 2° *Affirmative* in alia hypothesi, si gravissima causa urgeat, v. g. ad mortem vel aliud malum durissimum vitandum. (1) — *Ita communiter.*

Quaer. 3° *An liceat conficere statuas falsorum deorum?*

Resp. 1° *Affirmative,* si haec non debeant adhiberi ad falsum cultum, sed ad ornamentum platearum, aedificiorum etc.

Resp. 2° *Negative* omnino, si sint pagano tradendae etc. — *S. Lig.*

253. — Quaer. 4° *An liceat captivis christianis ex gravi metu remigare in triremibus infidelium contra catholicos?*

Resp. Affirmative; nam non faciunt quid intrinsece malum, nec christianis valde perniciosum: aliunde ex gravissima causa ad remigandum impelluntur, ut patet. — *S. Lig. n. 73. etc.*

Quaer. 5° *An liceat aliquando pravis libris edendis cooperari?*

Resp. 1° Non videtur umquam licitum esse, immediate cooperari impressioni talium librorum, v. g. typos ordinare, chartam typis apponere, impressionem dirigere etc., quia hoc intrinsece malum est.

Resp. 2° Licet autem gravi de causa cooperari mediate seu remote, v. g. atramentum vel chartam praeparare aut libros impressos ordinare. Difficilius autem liceret, libros pravos compingere vel libros venditos ad emptores deferre. — *Ita communiter.*

III. Quoad mercatores.

Regulae:

254. — I. Licet vendere res indifferentes aut quae bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est praesumendum.

II. Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur, emptorem illis male usurum esse, nisi absque gravi incommodo denegari non possint.

III. Non licet vendere res, quae ex institutione sua vel usu sint destinatae ad malum, nisi in casu particulari constet, abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata ratio excuset. — *Vogler n. 315. etc.*

Resolves:

1° Licet artificibus vel mercatoribus vendere aleas, gladios, fucos etc., etsi plurimi his abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt. — *S. Lig. n. 71.*

2° Licet vendere ornamenta honesta puellae, quibus forte sit abusura, praesertim si ab aliis aeque emeret; secus tamen, si ipsi venditori constaret de abusu futuro, nisi alioquin notabile damnum pateretur. — *S. Lig. n. 71.* et *retr. Q. 14.*

3° Licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium judicare nequit nec pertinet ad ipsum, de illis inquirere. — *Lacroix n. 258.*

4° Non licet vendere venenum, nisi moraliter constet, emptorem illo bene usurum, v. g. ad confectionem colorum, medicinae etc., quia maxima sequeretur pernicies generis humani, si hoc promiscue liceret. — *Vogler n. 316.*

IV. Quoad caupones.

255. — Quaer. 1° *An liceat cauponibus dare vinum iis, qui praevidentur se inebriaturi?*

Resp. Non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum cujuscumque gravis damni, v. g. saevitiarum, rixarum etc., quia caritas non obligat, alterum a peccato avertere cum gravi incommodo; item ad praecavendas blasphemias, quae sunt gra-

(1) Addit *Scavini:* Verum hac in re ratio habenda est locorum ac circumstantiarum.

viora mala. — *S. Lig. n. 69.* — *Billuart, de scandalo art. 6.*

Quaer. 2° *An liceat cauponibus, dare carnes diebus prohibitis?*

Resp. 1° Non licet proprio motu sine ratione sufficienti, seu nisi metus damni gravis urgeat.

2° Licet vero communiter, quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum religionis, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis. — *Bouvier, de praec. ecclesiae c. 3. art. 5.* — *Gousset n. 305.*

3° Imo licet generatim cauponibus, apud quos divertunt rhedae publicae, mensam cibis licitis et illicitis struere, quia, cum constet, plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium, a singulis petere, quid velint. — *Gousset ibid.*

256. — Quaer. 3° *Quomodo agendum cum cauponibus, qui choreas in aedibus admittunt, ut plures alliciant hospites?*

Resp. Generatim ab hoc avertendi sunt caupones, in quantum fieri potest, quia plerumque choreae, praesertim quae in cauponis habentur, minus honeste fiunt et multis peccatis occasionem praebent. Attamen non semper iis neganda esset absolutio, sed spectandae sunt circumstantiae et modus ordinarius, quo istae choreae fiunt.

Quaer. 4° *An liceat dominis hospitiorum, quae vulgo* Cafés *dicuntur, quaevis folia publica hospitibus legenda proponere?*

Resp. 1° Non possunt admittere ea, quae evidenter et ordinarie sunt religioni et moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant.

Resp. 2° Possunt admittere ea omnia, quae de rebus mere politicis tractant. Nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod ex eo, quod interdum aliquid minus rectum ratione fidei contineat, modo generatim religioni non adversetur.

TRACTATUS
DE PRAECEPTIS DECALOGI.

Sicut symbolum epitome est credendorum, sic decalogus agendorum. Comprehendit enim decem praecepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quae lege naturali illi imponuntur, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, cetera ad proximum referuntur.

DE I. DECALOGI PRAECEPTO.

„Ego sum Dominus Deus tuus . . . non habebis Deos alienos." *Exod. 20. 2.*

Hoc praeceptum, qua *affirmativum*, praecipit praecipue actus virtutis religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuendus est; qua *negativum*, prohibet vitia religioni opposita.

CAPUT I.
DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS.

Actus praecipui religionis sunt: adoratio, oratio, sacrificium, votum, juramentum et sanctificatio quorumdam dierum. De tribus ultimis dicetur in 2° *et* 3° *praecepto;* de sacrificio in *tract. de eucharistia.* Hic igitur tantum de adoratione et oratione.

ARTICULUS I.
DE ADORATIONE.

257. — Adoratio *latius* sumpta est cultus alicui exhibitus ob ejus dignitatem, seu est actus, quo quis primam subjectionem alteri exhibet, testificationem ipsius excellentiae.

dicuntur aliquo modo adorari principes et alii in honoribus constituti; item ii, qui ab aliis specialiter diliguntur.

Adoratio vero *strictius* sumpta est honor Deo exhibitus propter summam ejus excellentiam supremumque dominium.

Hinc distinguitur cultus

1° *Latriae,* qui soli Deo exhiberi potest ob supremum ejus dominium in omnes creaturas.

2° *Hyperduliae,* qui B. Mariae Virgini tribuitur.

3° *Duliae,* qui angelis et aliis sanctis convenit.

Cultus latriae Deo debetur 1° de jure naturali ob summam ejus majestatem supremumque in creaturas dominium; 2° de jure divino positivo, ut evincitur ex innumeris sacrae scripturae textibus, v. g. *Matth. 4. 10.: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.*

Adoratio est directa vel relativa, prout Deus vel sancti adorantur in se, vel in imaginibus aut in iis, quae cum ipsis specialem habent relationem.

Adnotanda
de cultu et reliquiis sanctorum.

258. — 1° Homines, qui e vita cesserunt cum magna sanctitatis fama, cultu solemni et publico honorari nequeunt, nisi in album sanctorum vel beatorum a Summo Pontifice adnumerati fuerint. Est autem *cultus publicus* ille, qui nomine Ecclesiae vel tamquam ab ea institutus exhibetur; *privatus* vero, qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fit. — Hinc non licet, ecclesias aut altaria in ecclesiis erigere in honorem sanctorum non canonizatorum, vel saltem non beatificatorum. Nec licet eos publice invocare in litaniis, neque eorum reliquias sive imagines publice venerandas exponere vel in processionibus circumferre. Licet tamen, has imagines vel reliquias asservare privatim, eas reverenter osculari etc., quia talis cultus est omnino privatus. (1)

2° Reliquiae sanctorum novae non sunt publicae venerationi exhibendae, nisi episcopus eas recognoverit et approbaverit. — *Ita concilium Trid. sess. 25. de invocatione, veneratione et reliquiis sanctorum.* (2)

3° Non possunt apponi aureolae seu radii imaginibus defunctorum, licet ut sancti communiter habeantur, nisi ab Ecclesia beatificati fuerint; neque lampades ad eorum sepulchra appendere licet.

Nota: Reliquiae ex vera cruce D. N. reponi non debent promiscue cum aliis sanctorum reliquiis, sed in thecis separatis collocandae sunt. Constat ex responso *S. Congr. de Indulgentiis Sacrisque Reliquiis* ad Illustriss. D. *Bouvier,* episc. Cenomanensem, die *22. Febr. 1847.* — *Vide folium: l'Ami de la Religion, 21. Sept. 1847.* (3)

---

(1) Reliquiae parvae sanctorum ac thecis inclusae etiam privatis hodie usu concedi solent licetque, eas decenter e collo pendulas gestare. — *Scav.* — Cf. *n. 286. Q. 6°.*

(2) In genere sanctorum reliquiae, de quarum identitate et authenticitate certo non constat, publicae venerationi exponi ac processionaliter deferri nequeunt. — *Decr. S. Congr. Rit. 27. Sept. 1817.*

(3) et *Decreta authentica* ejusdem S. Congr. *n. 589.*

Si loco principe reliquia ss. crucis super altari fuerit *exposita,* tunc transeuntes ante illam, uti decretum fuit in una Varsav. Nonis Maji 1746, unico genu usque ad terram flexo venerari debent; diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata reliquia *recondita* sit in custodia. — *S. Congr. Rit. 18. Febr. 1843 in Cenomanen.*

Tamquam abusus eliminanda est consuetudo, superimponendi sanctorum reliquias pictasque imagines tabernaculo, in quo augustissimum sacramentum asservatur, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat *(S. R. C. in decr. generali 31. Mart. 1821),* quod etiam valet pro reliquiis ss. crucis vel alterius instrumenti dominicae passionis publicae venerationi expositi *(S. R. C. 12. Mart. 1836 in Trident.).* Nec licet *ante* ejusdem tabernaculi ostiolum collocare alicujus sancti reliquiam die, qua ejusdem festum recolitur. — *(S. R. C. 6. Sept. 1845 in S. Angeli in Vado.).* — Cf. *Gardellini.*

ARTICULUS II.
DE ORATIONE.

259. — Definitio: Oratio *latius* sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animae affectus in Deum et in supernaturalia. In sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. — *S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1.* — *S. Lig., in princ. tract. de 1. praec. dec.*

Divisio: Est 1° *mentalis* vel *vocalis,* prout sola mente revolvitur, vel mentis conceptus ore etiam exprimuntur; 2° *privata* vel *publica,* prout fit a persona privata et privato nomine, vel in communitate, aut auctoritate et nomine Ecclesiae.

Principia:

I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate praecepti, imo probabilius necessitate medii. — Primum evincitur ex innumeris sacrae scripturae locis, v. g. *Matth. 26. 41.: Vigilate et orate.* — *Luc. 18. 1.: Oportet semper orare et non deficere.* — Ratio secundi est, quia oratio est medium ordinarium a Deo stabilitum ad gratias necessarias obtinendas. *Petite, et accipietis. (Joann. 16. 24.)* — *S. Lig. ib.*

II. Praeceptum orandi obligat frequenter, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanae imbecillitati impossibile est. — Verba igitur: *Oportet semper orare* significant ex communi doctorum interpretatione, frequenter orandum esse, tempore opportuno, et numquam cessandum ex taedio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio debitis peracta conditionibus efficaciam habet infallibilem ex Christi promissione. — *Luc. 11. 10.: Omnis, qui petit, accipit etc.* — *Joan. 16. 23.: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Conditiones autem requisitae sunt, ut fiat 1° pie, devote et attente; — 2° cum perseverantia; — 3° cum humilitate et fiducia; — 4° de rebus(¹) necessariis vel utilibus.

Nota: Temporalia non debent postulari, nisi conditionate, nempe quatenus ad animae salutem conferre possunt.

Quaesita:

260. — Quaer. 1° *Quandonam urgeat praeceptum orationis?*

Resp. 1° Urget *per se* frequenter, ita ut non possit omitti per notabile tempus sine peccato gravi; communius tempus mensis unius notabile reputatur. — *Suarez* — *Lessius* etc. Rigidiores dicunt, sufficere hebdomadam ad gravem culpam; laxiores vero annum integrum requirunt. — Ceterum, ut recte ait *Concina,* confessarius magis sollicitus esse debet in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omissae orationis gravitate.

Resp. 2° Urget *per accidens:* 1° in gravi tentatione, quae alio modo facile repelli non possit; 2° in manifesto mortis periculo; 3° in publicis calamitatibus; 4° quoties aliud praeceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. g. si sacramenta sint recipienda; 5° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

261. — Quaer. 2° *An peccet, qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Negative praecise *per se,* [illegible] interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla est lex, quae determinat [illegible] preces singulis diebus et certis hor[illegible] praecipiat.

Plures tamen dicunt, esse veni[illegible] ratione consuetudinis generalis fideli[illegible] Ceterum in praxi excusari non po[illegible] sunt, qui illas saepius omittunt, tu[illegible] quia vix orant alio tempore ali[illegible] modo, et sic frequenter orationis p[illegible] cepto desunt; tum quia ob perio[illegible] quae quotidie occurrunt, neglecta o[illegible] tione in plura peccata labuntur.

(¹) vere —

3° *Quomodo peccet volun-*
ractus in oratione?
Per se peccat venialiter, quo-
:arie sine justa ratione dis-
:tiamsi oratio fiat absque ob-
quia aliquam irreverentiam
at. — *Elbel n. 419.*
- Quaer. 4° *Pro quibus*
sm?
1° Pro nobismetipsis (juxta
ritatis regulam); — 2° pro
ıominibus viatoribus, etiam
; — 3° pro animabus in
detentis. Eruitur 1° ex
ali caritatis; — 2° ex ver-
uli 1. Tim. 2. 1. 2.: Ob-
ur primum omnium fieri
nes, orationes, postulatio-
arum actiones pro omnibus
, pro regibus etc. Nec ex-
ıt inimici, ut patet ex ver-
i *Matth. 5. 44.: Orate pro*
tibus et calumniantibus vos.
5° *Quosnam praeter Deum*
lebeamus?
Beatam V. Mariam, ut me-
nostram; angelos, ut custo-
um; omnes sanctos et ami-
t intercessores nostros apud
vocatio autem sanctorum est
, non vero de praecepto
cum *Trid. sess. 25.* dicat
esse bonum et utile, eos in-
Non videtur tamen a pec-
sandus, qui numquam B. V.
nvocaret, cum peculiari ac
ıovidentia mediatrix nostra
sit. (1)
nfantes baptizati et ante usum
:functi invocari possunt priva-
probabilius dicendum de ani-
ıurgatorio detentis, juxta *Less.*,
Bonac., Elbel ... contra plures.

d attinet ad meditationem, ea
implicis rerum divinarum con-
s, abstrahendo a quacumque
forma et methodo, adultis pror-
ıaria est ad salutem, quia est
nicum ad peccata vitanda, ad
divini amoris accendendam, sine
veluti alveo anima nostra in
iorum genus prolaberetur. Si
o sit de oratione mentali in sensu

magis stricto, absque ea vix anima in amore divino progredi poterit. — *Scavini.* — *S. Lig., Hom. ap. tom. 4. app. 1. §. 1.; app. 4. §. 3.*

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Vitia religioni opposita sunt: 1° superstitio per excessum; 2° irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I.
DE SUPERSTITIONE.

Superstitio est vitium, quo divinus cultus exhibetur ei, cui non debetur, vel eo modo, quo exhiberi non debet. Fit praecipue: 1° idololatria, 2° vana observantia, 3° divinatione, 4° magia et maleficio.

§. I.
De idololatria.

263. — Idololatria est actio, qua cultus soli Deo debitus creaturae tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis honoris signo, quo quis creaturae tamquam Deo se submittere intendit, v. g. genuflexione. — *S. Lig. n. 12.*

Idololatria duplex distinguitur, scilicet:

1° *materialis* sive *simulata,* cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam materialis, si procederet ex errore invincibili, v. g. si quis putans falso, hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1° casu esset peccatum mortale, in 2° nullum, ut patet.

2° *formalis* et *propria,* quae fit 1° adorando creaturam tamquam Deum; 2° exhibendo cultum daemoni vel alteri creaturae quasi Deo seu ex animo, aliquid a tali creatura obtinendi, quod a solo Deo postulari potest. Est perfecta in 1° casu, imperfecta in 2°; sed in utroque casu gravissimum peccatum est. — *S. Lig. n. 13.*

§. II.
De vana observantia.

264. — Vana observantia est superstitio, qua vana et improportionata

media adhibentur ad certum effectum obtinendum.

Triplicis est generis, scilicet:

1° *Ars notoria* seu ars acquirendi scientiam sine labore. — 2° *Ars sanitatum* seu ars sanandi variis signis vel(¹) rebus sacris. — 3° *Observantia eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicitur, quid faustum vel infaustum futurum sit. — *S. Lig. n. 14.*

Principia:

I. Vana observantia est peccatum grave ex genere suo, quia honorem divinum creaturae tribuit ab ea exspectando, quod a solo Deo exspectari debet, et quia in pacto implicito cum daemone nititur. Veniale tamen saepe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate, ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit praesertim inter rudes in observantia eventuum. — *S. Lig. n. 15.*

II. Vana observantia praesertim dignoscitur 1° ex insufficientia causae ad effectum naturaliter producendum; 2° ex adjunctione vanae vel falsae circumstantiae ut necessario requisitae; 3° ex infallibilitate, quae tribuitur mediis nullo modo infallibilibus. — *S. Lig. n. 16.*

III. In dubio, an effectus proveniant a causa naturali vel a daemone, tribui possunt viribus naturae(²) et proinde licitum est, illos procurare, modo praemittatur protestatio, quod vis omnis diabolica abhorreatur; quia non constat, rem esse malam. — In dubio autem, an effectus a daemone vel a Deo producantur, si certo constet, eos a causa naturali provenire non posse, daemoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus nec ne. — *S. Lig. n. 20.* — *S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 1.* et *alii communiter.*

Resolves:

265. — 1° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucum, orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos etc. — *S. Lig. n. 17.*

2° Item, qui gestant quasdam orationes ad *S. Brigittam* aut alias preces, effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes. — Non autem vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut venerandas reliquias sanctorum gestant cum fide ac fiducia, auxilium divinum specialiter se impetraturos esse. — *S. Lig. ibid.*

3° Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tamquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas inde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas etc. — *S. Lig. ibid.*

4° Non vero superstitiosum est, observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis, caedendis arboribus etc.; nec, res sacras aut verba s. scripturae gestare ad honorem Dei vel sanctorum vel ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quae devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur. — *S. Lig. ibid.*

5° Nec ullatenus superstitiosum, imo valde religiosum ac pium est, recitare preces novemdiales, aut toties preces iterare in cultum Domini Nostri vel B. Virginis alicujusve sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certo diei aut fixo tempori non adnectatur. — *S. Lig. ibid.*

§. III.

De divinatione.

266. — Definitio: Divinatio est inquisitio occultorum ope daemonis.

(¹) inconvenienti modo —

(²) Sane: non judicandum est sine ratione sufficienti, effectum aliquem insolitum esse praeternaturalem, ne erroribus et fraudibus via pandatur.

Divisio: Est 1° *expressa,* si fiat per invocationem expressam daemonis; 2° *tacita,* si illa invocatio sit tantum in mediis improportionatis.

Varia distinguuntur divinationis genera, scilicet praesertim: 1° astrologia judiciaria, ex astris; — 2° augurium, ex garritu avium; — 3° auspicium, ex earum volatu; — 4° haruspicium, ex visceribus animalium; — 5° chiromantia, ex lineis manus; — 6° geomantia, ex signis in terra; — 7° omen, ex fortuito casu; — 8° necromantia, ex invocatione mortui; — 9° oniromantia, ex somniis; — 10° sortilegium, ex sortibus; — 11° oraculum, ex idolis; — 12° vaticinium, ex vatibus aut chartis. — *S. Lig. n. 5. 6.*

Principia:

267. — I. Divinationi tribuendum est, quidquid occulti cognoscitur alio modo, quam per revelationem aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem, utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur vel non, vel a bono aut a malo spiritu, applicandae sunt regulae supra de vana observantia expositae.

II. Divinatio expressa numquam a mortali excusari potest, nequidem per ignorantiam, quia patet omnibus, pactum cum daemone esse quid horrendum.

Imo divinatio expressa non tantum est peccatum grave, sed etiam gravissimum. Constat aperte ex scriptura sacra. Sic enim *Deut. 18. 10.: Nec inveniatur in te, . . qui ariolos scisitetur, et observet somnia atque auguria, . . nec (sit) incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem: omnia haec abominatur Dominus.* — Et *Levit. 20. 6.: Anima, quae declinaverit ad magos et fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam et interficiam de medio populi mei.*

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, ob defectum fidei *certae* medio improportionato adhibitae. — *S. Lig. n. 7.* — *Voit n. 416.*

Resolves:

268. — 1° Non vacat culpa gravi, qui, utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur, se nullum cum daemone commercium intendere, quia agit contra suam protestationem et daemonem implicite invocat, cum nec Deus, nec angeli talibus se immisceant. — Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est. — *S. Lig. n. 8.* — *Lacroix* — *Bonacina etc.*

2° Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis: priores enim saepe conjici possunt, ut ex aliquo cantu et volatu avium et siderum adspectu conjicitur tempestas, pluvia vel coeli serenitas etc., quia ex experientia constat, inter haec naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum ob rationem oppositam.

3° Indoles aut animi status interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis externis conjici potest, etsi in praxi plerumque a talibus conjecturis sit abstinendum ob judicii temerarii periculum; actus vero liberi, sive praeteriti, sive futuri, numquam certo cognosci possunt.

4° Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a fatibus inquirunt (gallice: *faire dire sa bonne fortune ou sa bonne aventure*; *faire tirer les cartes),* nisi ex simplicitate, joco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant. — *S. Lig. n. 10.* — *Sanchez etc.* — Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt. — *Ita Reuter n. 43.*

Quaesita:

269. — Quaer. 1° *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1° Sortes *divisoriae,* quibus

decernitur, quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis vel rebus distribuendis, certo licitae sunt, siquidem omni prorsus superstitione vacant.

Resp. 2° Sortes *consultoriae,* quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur, quid sit agendum, non sunt licitae, nisi fiant speciali Dei impulsu aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium deest. Ratio est, quia ex stabilita providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes vel superiores ecclesiasticos recurrendum est.

Resp. 3° Sortes *divinatoriae,* quibus rei occultae manifestatio inquiritur, v. g. ex jactu taxillorum etc., sunt semper graviter illicitae, utpote tacitam saltem daemonis invocationem continentes. Hujusmodi superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt. — *S. Lig. n. 11.*

270. — Quaer. 2° *An liceat futura ex somniis conjicere?*

Resp. Negative ordinarie, quia somnia fere omnia ex causis naturalibus proveniunt, v. g. ex humorum commotione etc. Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, nostris praesertim temporibus, et conjunguntur signis, per quae a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint. — *S. Lig. n. 9.* — *Tamburinus* etc.

Quaer. 3° *An licitus sit usus virgae divinatoriae?*

Resp. 1° Certo est damnandus, quoties virga movetur vel non movetur ad merum nutum et intentionem ejus, qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei ejusdem naturae non quaesitae. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quaerendum vel ad lapidem, agri limitem, detegendum.

Resp. 2° Non videtur certo damnandus usus virgae ad detegendas aquas vel metalla, si virga super haec in omni casu aeque moveatur, sive quaerantur, sive non quaerantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quae forte adesse potest, excludaturque omnis animus superstitiosus. — *Ita communius recentiores* contra *S. Lig. n. 4.,* ubi usum virgae divinatoriae in omni casu reprobat.

§. IV.

De magia et maleficio.

271. — I. Magia *late* sumpta, seu magia *naturalis* vel *artificialis,* quae magia *alba* vocatur, est ars mira faciendi, saltem apparenter, per causas naturales aut hominis industriam absque ullo daemonis ministerio.

Magia *stricte* dicta est ars mira faciendi, quae, licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius daemonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

II. Maleficium est ars nocendi daemonis interventu.

Duplex distinguitur, scilicet *amatorium* et *veneficum.* Maleficium *amatorium* seu *philtrum* est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur. — Maleficium *veneficum* est praecise ars nocendi proximo variis modis ope daemonis, v. g. morbis, hebetudine etc. — *S. Lig. n. 23.*

Maleficium vulgo vocatur *sortilegium* ex eo, quod per illud sors mala injiciatur iis, contra quos vindicta operatione diabolica exercetur. Hinc in jure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagae *sortiarii* et *sortiariae* vocantur.

Resolves:

272. — 1° Magia non differt a vana observantia nisi in eo, quod ejus effectus sint magis miri, v. g. immutatio corporum etc. Differt autem specie morali nec a vana observantia, nec a divinatione, quia parvi refert, utrum a daemone occultorum notitia, aut effectus mirandi petantur.

2° Maleficium autem differt specie ab aliis superstitionibus ex eo, quod

: peccatum religioni oppositum
m proximi inducat.
Maleficium *amatorium* non in-
necessario ad patrandum luxu-
eccatum; non enim tollit liber-
sed tantum vehementer ad libi-
excitat erga aliquam personam
inatam, phantasiam immutando
dius excitando, pulchriores spe-
hibendo, humores libidinosos
vendo. — *Reuter* — *S. Lig.*

er. *An peti possit a mago,*
leficium tollat?
o. *Negative,* nisi rationabiliter
ni possit, ipsum illud mediis
ibus sublaturum esse. — *Ita*
niter theologi. — *S. Lig.*
25.
: 1° Magi et malefici incurrunt ex-
nicationem ex *bulla Coenae,* si in
ijungatur haeresis formalis, quod
venit, v. g. quando miscent res
diabolum adorant vel consulunt
quae ipse cognoscere nequit etc.
rrunt etiam excommunicationem,
haeresi. Constat ex *c.* Si quis
(1.) caus. 26. q. 5. Sed proba-
st tantum ferendae sententiae. In
testamento malefici morte plecte-
Exod. 22. 18.: Maleficos non
s vivere.
: 2° Parochi, concionatores et ca-
e cavere sedulo debent, ne fideles
ntur de variis sortilegiis et super-
bus ipsis incognitis, sed brevem
: sermonem tantum de iis, quae in
ione nota sunt, ne potius ea edo-
quam ab iis avertant.

APPENDIX I.

DE TABULIS ROTANTIBUS.

. — Paucis abhinc annis[1] in
a primum, subinde in Europa
ecnon in orbe terrarum universo
uere *tabularum rotantium* stu-
ima portenta. In principio vi-
it tabulae aut etiam res aliae
quaecumque in gyrum versari,
xtremo circumstantium digito
o tangerentur. Mox autem ta-
uno vel altero pede in altum
—

nnis praesertim 1852-53-54. (Nota
.)

sublato, terram percutientes et datis signis interrogantibus responsa exhibentes apparuere. Nec multo post variis postulatis de rebus prorsus incognitis vel futuris aut etiam extra praesentem vitam peractis in subjecto papyro, cum aptato calamo scribendo, satisfecere.

Tunc attoniti viri pii, qui primum forte in tabulis rotantibus phaenomenon mere physicum inesse existimaverant, diabolicum opus infernalemque divinationem indubie agnoverunt. Nec interjecta mora praxis ista tabulas interrogandi a pluribus episcopis ut superstitionibus et periculis plena damnata fuit.

274. — Re quidem vera, quidquid sit de motu simplici tabularum, qui forte physicus esse potest rigorose loquendo, modo imperio voluntatis non fiat, ceteri effectus adeo stupendi nonnisi causae intelligenti, minime vero naturae viribus tribuendi sunt. Numquid enim ipsi tabulae ligneae aut marmoreae quaestiones proponunt et ab eadem responsa exspectant? Minime gentium. Nullus est, qui adeo insaniat; invaluit enim persuasio communis, rem agi cum spiritibus, a quibus ipsae tabulae moventur quique ideo *spiritus percutientes* nuncupati sunt. Porro spiritus illi nequeunt esse spiritus boni; blasphemum sane foret asserere, angelos aut sanctos aeterna fruentes felicitate intervenire puerilibus hominum ludis, eorum vanae voluntati obtemperare et stultissimae curiositati satisfacere. Impium etiam prorsus esset dicere, Deum, qui *divinationem abominatur* eamque adeo severe prohibuit, permittere, ut coelites ei inverviant. Spiritus igitur hujusmodi dicendi sunt spiritus mali, a Deo in aeternum maledicti, qui jugiter hominibus insidiantur. Nonne autem horrendum est, tale consortium cum immundis spiritibus habere, eos enixis invocare precibus et hac ratione ipsis verum cultum exhibere? Nonne istud est divinationis crimen, quod a Deo

tamquam ingens abominatio prohibitum fuit?

275. — Insuper quot animi terrores, quot detractiones et calumniae de proximo, quot familiarum dissensiones et opprobria, quot errores et apostasiae a vera fide, quot aeternae salutis pericula ex hac impia et pestifera divinatione exorta sunt! Fatendum tamen est, non omnia, quae tabulis tribuuntur, esse vera. Non raro, ajunt, irrepsit humana fraus ad simplices decipiendos. Ast in tanta hujusmodi portentorum numero non pauca sunt prorsus indubia, quippe quae a testibus probatissimis et omni fide dignis comprobata fuerunt.

Neque fas est, tabulas aliasve res hujusmodi interrogare experimenti aut joci gratia. Etenim non licet in re evidenter mala experimentum tentare, nec de ea recreari. Ad hoc enim spectat illud praeclarum s. Petri Chrysologi effatum: *Qui jocari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo.*

Vide inter cetera hac de re scripta opus *D. de Mirville,* cui titulus: *Des esprits et de leurs manifestations fluidiques.* — Referre autem juvat nonnulla excerpta ex epistola pastorali Illust. *DD. Turgeon,* archiepiscopi Kebecensis (in Canada) (¹).

„Munus pastorale, carissimi fratres, nobis officium injungit, palam hodie loquendi, ut vos muniamus contra novum seductionis genus, quod spiritus tenebrarum introducere inter vos conatur ad seducendas et in peccatum conjiciendas animas debiles. Loquimur de abusu criminoso, qui fit per tabulas rotantes. . . .

„Adnituntur interrogare tabulas rotantes et responsum ab iis recipere; volunt illis uti ad cognoscenda futura et res secretissimas, ad evocandas animas mortuorum, ad illas obligandas, ut respondeant ad quaestiones, quas illis proponere placet, ad revelanda mysteria alterius mundi, ad omnia tandem enuntianda, quae ab ipsis enuntiari volunt. Sic viam sternunt illusionibus periculosissimis et superstitioni se tradunt, cujus consecu-

(¹) quae ex idiomate gallico in latinum vertimus.

„tiones sunt terribiles. En abusum, q
„volumus reprobare; en malum, quod
„demnare festinamus et contra quod
„praemunire cupimus!

„Et sane videtis, fratres carissimi, q
„hoc modo interrogantes ligna et spi
„alterius mundi operam dant, ut ins
„rent in sinu Ecclesiae Dei errores n
struosos et superstitiones damnab
„quae semper dedecus erant et infeli
„nationum paganarum.

„Quid quaeritis, dum verba dirigiti
„tabulam aliquam rotantem et cur res
„sum ab ea requiritis? . Estisne
„suasi, eam vos audituram, intellectu
„et, sapientiorem quam vos, vel co
„tiones vestras nosciturum, vel ea r
„laturam, quae ignoratis? Sane non;
„tis enim, eam sensu carere et intelli
„tia esse destitutam. Praesumitis i
„evocare hoc modo animas mortuor
„Sed quaenam sunt hae animae, quas
„bis jungi desideratis et quas cogere
„detis, ut veniant et respondeant ad q
„sita vestra inconvenientia? Forte ani
„reprobatorum Sed nonne Deus i
„has animas infelices et vos firmavit cl
„immensum, quod eas impedit, quom
„vos audiant nonne illas reservat
„pondere catenarum aeternarum justi
„suae in tenebris profundis, quo eas p
„cipitavit cum angelis praevaricator
„ad magnum diem judicii? *(Jud. v.*

„Suntne animae electorum Dei?
„quid? Eritisne tam impii, ut cred
„vos posse imperare hisce animabus
„ctis, ipsas a sinu Dei ubi requiesc
„avellere, ut fian medium vestrae cu
„bilis curiositatis? . . . Nullo modo; el
„Dei in manu ejus sunt *(Sap. 3. 1.*
„nemo eos psi eripere potest *(Jo. 10. 2*
„Intime juncti cum Deo, omnia in
„vident, omnia in Deo intelligunt; n
„agunt, nisi juxta voluntatem Dei. S
„fratres nostri, utique; et Deus in
„misericordia disposuit pro nostra co
„latione et nostra felicitate, ut sancta c
„municatio intercedat inter nos et ip
„Sed has relationes hanc communica
„nem cum animabus justis nec possu
„incipere, nec conservare, nisi per reli
„nem, quae nos docet, laudare Deum
„sanctis suis per humiles et ferventes
„tiones pro consolatione eorum, qui
„huc in loco purgationis degunt, aut
„invocationem assistentiae eorum, qui
„traverunt ad gloriam.

„Quales spiritus ergo praesto erunt
„vobis respondeant per tabulas, qui se
„vent et pulsant, ut significent prae
„tiam suam et interpretentur cogitatio
„suas? Suntne forte spiritus immu
„angeli satanae?

„.... Sed communicare cum daemone, „recurrere ad hunc Dei et hominum inimicum, nonne idem est, ac exhibere ipsi „speciem cultus? Haec idea vos perterret et horrore afficit. Utique, id sane „non ignoramus. Et tamen, c. f., tale est „crimen eorum, qui per qualecumque medium tentant interrogare spiritus, ut cognoscant ea, quae Deo placuit nos celare, quia nullus alius spiritus, quam satanas se praesentem exhibebit, ut ipsis „respondeat...

„Concludite ergo nobiscum, c. f., quod „usus harum tabularum aut alius objecti „se moventis sub influxu secreto ignotae „causae, ut sic consulantur animae mortuorum aut nescimus qui alii spiritus, „debeat accenseri actibus superstitiosis ex „natura sua, et quod hisce nequaquam „serio operam dare possitis, quin culpabiles vos reddatis peccati gravissimi in „se et in suis consecutionibus....

„Nobis cordi est, f. c., vobis ante oculos ponere omne, quod superstitionis et „sacrilegii inest tentamini, utendi serio „tabulis rotantibus ad evocandos mortuos „et consulendos spiritus; desideramus, ut „perspiciatis, quidquid absurdi, temerarii „et impii continet propositum cognoscendi „hoc modo secreta vitae praesentis et indagare mysteria vitae futurae; optamus „tandem, vobis aperire oculos quoad consecutiones funestas hujus culpabilis usus.

„Jamjam utique produxit fructus mortis et dignos inferno. Quot errores, quot „stultitias, quot crimina, quot miserias „genuit inter nostros vicinos in Rebus-publicis Confoederatis (Americae septentrionalis), ubi primum in lucem prodiit! „Jam ortum dedit sectae visionariorum „impiorum, quorum religio tota consistere „videtur in cultu sacrilego spiritibus exhibito, quibuscum juxta illusiones suas vanas familiariter conversari putant. Jamjam hae communicationes et revelationes, „quae spiritibus adscribuntur, produxerunt „penes illum populum motus in societate, „dissolutionem in rebus domesticis, perturbationem et dedecus in familiis; multitudinem personarum tandem demerserunt „in asyla amentium.

„Quapropter . . . 1° renovamus prohibitiones Ecclesiae contra usus superstitiosos;

„2° prohibemus ut superstitiosum, procurare motum vel pulsum tabularum aut „alterius objecti ad invocandos mortuos „aut spiritus, eorum consultationem aut „quamcunque cum iis communicationem. . . .“

† P. F., archiepiscopus Kebec.

Vide folium: l'Ami de la Religion, 16. Martii 1854.

APPENDIX II.

DE MAGNETISMO ANIMALI.

276. — *Magnetismi animalis* inventor perhibetur *Antonius Mesmer,* medicus germanus, qui novos quaerens curandi modos putavit, se mirum invenisse remedium variorum morborum in fluxu quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili, quem ideo magnetismum animalem nuncupavit.

Fluxus magneticus meare supponitur e corpore *magnetizantis* in corpus *magnetizati* ope variorum gestuum et attrectationum alterius in alterum, imo actu solius praesentiae vel solius voluntatis agentis; nec raro, ajunt, pro prima vice praesertim, expressa patientis voluntas requiritur.

Triplex praecipuus magnetismi effectus seu gradus exhibetur: 1° status *somni,* quo sensus consopiuntur, ut in somno naturali; 2° status *somnambulismi*, in quo quis, usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur et respondet ad omnia, quae ab ipso postulantur; 3° mira sui status cognitio et remediorum suis morbis convenientium, necnon visio actionum aliorum hominum etiam longe distantium et eorum omnium, quae tum prope, tum procul peraguntur.

Theologi et medici in tres abierunt sententias, quas breviter referemus cum praecipuis earum rationibus.

277. — I^a Sententia in omni casu rejicit et exsecratur magnetismum velut opus diabolicum; miri enim illius effectus, ajunt, neque ex Deo, neque ex natura repeti possunt.

1° *Non ex Deo.* Quis enim umquam sanae mentis dixerit, Deum ad hominis, etiam impii, nutum obtemperare, ita ut eo requirente ad res adeo prodigiosas immediate concurrat; sapientiam aeternam leges a se statutas immutare, quoties homini libuerit! Numquid Deus praeter rerum ordinem in iis infinitam suam virtutem manifestare voluntate humana cogi poterit? Hujusmodi assertio blasphema foret.

2° *Neque ex natura.* Etenim ad effectus magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice. Nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas; physica enim semper agunt eodem modo debitis conditionibus positis, independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet. Ergo, deficiente proportione inter effectum et causam, jam ea causa naturalis censeri nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. — Insuper miri effectus magnetismi videntur omnino naturae nostrae vires superare; non intelligitur enim, quomodo magnetizatus etiam rudis, usu rationis et sensuum privatus, possit tam multas praeclaras scientias extemplo sibi comparare, linguas penitus ignotas scire, videre res remotissimas, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, necnon proprias aliorumque infirmitates et eis congrua cognoscere remedia, quae aliunde prorsus ignorat et quorum, in statum naturalem restitutus, non recordatur. Haec sententia solido sane fundamento innititur.

278. — IIª Sententia tenet, omnes magnetismi effectus a naturae viribus procedere posse. Ita non pauci celebres medici. Ratio est: 1° quia inesse possunt quibusdam humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quae in aliorum corpora, et mediantibus organis in ipsam animam agant; non enim omnes naturae vires cognoscimus innumerique sunt earum effectus, quorum rationem reddere nobismetipsis non possumus; — 2° quia effectus similes in naturali somnambulismo producuntur; somnambuli enim vident, audiunt et stupenda faciunt, quae ab ipsis in statu vigiliae fieri nequeunt nec viribus ordinariis naturae competunt. — 3° Nec obstat, quod requiratur aliquando vel ordinarie voluntas patientis; non enim requiritur, quatenus voluntas seu quatenus facultas mere interna animae et a corpore independens, sed quatenus medium ad phantasiam excitandam et spiritus subtiles corporis commovendos, sicque ad vim in statum moralem hominis exercendam.

Verum rationes istae non patefaciunt, quomodo homo rudis rerum verborumque plane inscius infusa scientia gaudeat; quomodo res a se valde dissitas cernere necnon de iis disserere queat; quomodo connexio naturalis animae et corporis in visione rerum longe distantium non dissolvatur. Nescio igitur, qua de causa haec praxis a crimine *divinationis* excusaretur. Edisserant etiam nobis hujus doctrinae fautores, qua ratione vera miracula a magnetismi praestigiis discerni possint! Plura enim mira, quae a magnetizatis patrantur, ut miraculosa in viris sanctis ab Ecclesia agnita sunt(¹). Haec igitur sententia ob doctrinae generalitatem ut falsa et periculis plena rejicienda est.

279. — IIIª Sententia distinguit inter varios effectus a magnetismo productos. Juxta ejus patronos admittendum quidem est, saepe-saepius daemonem in magnetismo operari, idque cum effectus productus pendet tantum aut saltem praecipue a voluntate agentis, — vel quando magnetizatus addiscit per scientiam infusam scripturam, literas vel etiam linguas, quarum notitia penitus antea carebat, — vel quando novit aut videt ea, quae in magna distantia fiunt. Hoc enim videtur omnino vires naturae excedere nec talia ab ipso somnambulismo efficiuntur. Nihilominus non repugnat, magnetismum alios miros effectus naturaliter operari; mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis. — Huic sententiae adhaerent inter alios *Bouvier, Vernier et alii plures,* quorum sententia spernenda non videtur. Etenim difficile probari posset, nullos

(¹) Notandum tamen, similes effectus a sanctis *alio plane modo* productos esse. Etiam medicus infirmos sanat: sed non jam hoc ipso miracula operatur.

ex effectibus magnetismi ab ipsa natura provenire posse, licet plures ejus virtutem superent. Non raro enim diabolus rebus ipsis naturalibus immiscetur, ut hominibus illudat. Hinc juxta illam sententiam probabiliter admitti possunt ut naturales effectus magnetismi in primo et forte in secundo gradu, scilicet in *somno* et in *somnambulismo*, non vero(1) in tertio gradu seu in *statu visionis*.

Curia Romana, interrogata circa usum magnetismi in genere, respondit in *Congregatione S. Officii die 21. Aprilis 1841: Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Hoc responsum confirmavit iisdem verbis *sacra Poenitentiaria* in responsione ad episcopum Lausanensem *die 1. Julii ejusdem anni.* Exponebatur autem quaestio cum variis effectibus et circumstantiis, quae in magnetismo ordinarie evenire solent, ut sequitur:

POSTULATUM

Episcopi Lausanensis circa magnetismum.

Eminentissime Domine!

289. — Cum hactenus responsa circa magnetismum animalem minime sufficere videantur sitque magnopere optandum, ut tutius magisque uniformiter solvi queant casus non raro incidentes, infra signatus Eminentiae vestrae humiliter sequentia exponit.

Persona magnetizata, quae plerumque sexus est foeminei, in eum statum soporis ingreditur, dictum *somnambulismum magneticum*, tam alte, ut nec maximus fragor ad ejus aures nec ferri ignisve ulla vehementia illam suscitare valeant. A solo magnetizatore, cui consensum suum dedit (consensus enim est necessarius), ad illud ecstasis genus adducitur sive variis palpationibus gesticulationibusve, quando ille adest, sive simplici mandato eodemque interno, cum vel pluribus leucis distat.

Tunc viva voce seu mentaliter de suo absentiumque penitus ignotorum sibi morbo interrogata, haec persona evidenter indocta illico medicos scientia longe superat; res anatomicas accuratissime enuntiat; morborum internorum in humano corpore, qui cognitu definituque peritis difficillimi sunt, causam, sedem, naturam indigitat eorumque progressus, variationes et complicationes evolvit, idque propriis terminis; saepe etiam dictorum morborum diuturnitatem exacte praenuntiat remediaque simplicissima et efficacissima praecipit.

Si adest persona, de qua magnetizata mulier consulitur, relationem inter utramque per contactum instituit magnetizator; cum vero abest, cincinnus ex ejus caesarie eam supplet ac sufficit. Hoc enim cincinno tantum ad palmam magnetizatae admoto, confestim haec declarare, quid sit (quin adspiciat oculis), cujus sint capilli, ubinam versetur nunc persona, ad quam pertinent, quid rerum agat circaque ejus morbum omnia supradicta documenta ministrare, haud aliter, atque si medicorum more corpus ipsa introspiceret.

Postremo magnetizata non oculis cernit. Ipsis velatis, quidquid erit, illud leget legendi nescia, seu librum, seu manuscriptum, vel apertum vel clausum, seu capiti vel ventri impositum. Etiam ex hac regione ejus verba egredi videntur. Hoc autem statu educta vel ad jussum etiam internum magnetizantis, vel quasi sponte sua ipso temporis puncto a se praenuntiato, nihil omnino de rebus in paroxismo peractis sibi conscire videtur, quantumvis ille duraverit: quaenam ab ipsa petita fuerint, quae vero responderit, quae pertulerit, haec omnia nullam in ejus intellectu ideam nec minimum in memoria vestigium reliquerunt.

Itaque orator infra scriptus, tam validas cernens rationes dubitandi, an simpliciter naturales sint tales effectus, quorum occasionalis causa tam parum cum eis proportionata demonstratur, enixe vehementissimeque vestram Eminentiam rogat, ut ipsa pro sua sapientia ad majorem Omnipotentis gloriam, necnon ad majus animarum bonum, quae a Domino redemptae tanti constiterunt, decernere velit, an, posita praefatorum veritate, confessarius parochusve tuto possit poenitentibus aut parochianis suis permittere:

1° ut magnetismum animalem illis caracteribus aliisque similibus praeditum exerceant tamquam artem medicinae auxiliatricem atque suppletoriam;

2° ut sese illum in statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant;

3° ut vel de se, vel de aliis personas consulant illo modo magnetizatas;

4° ut unum de tribus praedictis suscipiant, habita prius cautela formaliter ex animo renuntiandi cuilibet diabolico pacto explicito, omni etiam satanicae interventioni, quoniam, hac non obstante cautione, a nonnullis ex magnetismo hujus-

(1) saltem sine limite —

modi vel iidem vel aliquot effectus obtenti jam fuerunt.

Eminentissimi DD. Eminentiae vestrae

De mandato Reverendissimi episcopi Lausanensis et Genevensis humillimus obsequentissimusque servus Jac. Xaverius Fontana, Can. Cancell. Episc.

Friburgi Helvetiae ex aedibus episc., die 19. Maii 1841.

RESPONSIO.

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censet, prout respondet: *usum magnetismi, prout in casu exponitur, non licere.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 1. Julii 1841.

Card. CASTRACANE M. P.
PH. POMELIA, *S. P. secretarius.*

(Ami de la Religion, 7. Aug. 1841.)

281. — Omissis pluribus aliis eadem de re S. Sedis responsionibus referre juvat recentem *S. Officii* decisionem.

Epistola encyclica *S. Rom. Inquisitionis ad omnes episcopos adversus magnetismi abusus.*

Feria IV., die 30. Julii 1856.

In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis, habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac Rev. D. D. Cardinales in tota Republica christiana adversus haereticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis, quae circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt, edi praesentes literas encyclicas ad omnes episcopos *ad magnetismi abusus compescendos.*

Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel praestigio, praesertim ope mulierculorum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent.

Nonnullae jam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus, quibus reprobantur tamquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur; unde in similibus casibus decretum est feria IV. 21. Apr. 1841: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit feria IV. 28. Julii 1847: *Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita daemonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodolibet pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physice explicentur, non est, nisi deceptio omnino illicita et haereticalis.*

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu *magnetismi,* tamen adeo crevit hominum malitia, ut, neglecto licito studio scientiae potius curiosa sectantes, magna cum animarum jactura ipsiusque civilis societatis detrimento ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et clarae intuitionis, uti vocant, praestigiis mulierculae illae, gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et haereticalis, et scandalum contra honestatem morum.

Igitur ad tantum nefas et religioni, et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus episcoporum omnium. Quapropter, quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum ordinarii, qua paternae caritatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjunctis expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

Datum Romae in cancellaria S. Officii apud Vaticanum, die 4. Augusti 1856.

V. Card. Macchi.

(L'Univers, 31. Dec. 1856 et *Analecta J. P. ser. 2. col. 2681.*

Nota: Licet *magnetismi* usus non in omni casu prohibeatur praefata decisione, attamen illius usus non est permittendus, nisi praescripta modestiae christianae serventur et quaelibet daemonis interventio respuatur. Numquam autem a confessariis vel sacerdotibus suadendus est, neque positive approbandus (¹). — *Gousset n. 425.*

ARTICULUS II.
DE IRRELIGIOSITATE.

Irreligiositas est irreverentia specialis, quae Deo vel immediate in se, vel mediate in personis vel rebus sacris irrogatur. Praecipuae ejus species sunt: tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et perjurium. De duobus ultimis in 2° praecepto dicetur.

§. I.
De tentatione Dei.

282. — Tentatio Dei est petitio et exspectatio a Deo alicujus effectus insoliti et praeter rerum ordinem positi (²).

Certum est, tentationem Dei formalem et expressam semper esse peccatum mortale contra religionem. — *Ita omnes.* — Si autem sit implicita tantum, saepe esse potest peccatum veniale tantum ob ignorantiam, inadvertentiam aut materiae parvitatem. — *S. Lig. n. 29. etc.*

Resolves:

1° Graviter peccat contra religionem, qui innocentiam suam probare postulat duello, ferro candenti etc., vel qui ad martyrium ultro se offert, nisi bona fide aut divina inspiratione excusetur. (³)

2° Item qui magno mortis periculo se exponit sine justa causa, auxilio divino fretus. Si vero temeritate tantum agat, quin divinae providentiae confidat, non peccat contra religionem, sed tantum contra 5um decalogi praeceptum.

3° Leviter tantum peccat, qui in morbo levi rejectis remediis sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret, se naturaliter Deo juvante a tali levi morbo liberatum iri. — *S. Lig. n. 30.*

4° Item peccat venialiter *per se,* qui ex negligentia imparatus accedit ad praedicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

§. II.
De sacrilegio.

283. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacrae. Triplex distinguitur: 1° personale; 2° locale; 3° reale.

Principia:

I. Sacrum reputandum est id omne, quod ad divinum cultum ordinatur, quia per illam ordinationem, specialem habet connexionem cum divino cultu ideoque specialem reverentiam meretur. — *S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1.*

Hinc 1° *Personae sacrae* sunt eae,

(¹) maxime, si inter personas diversi sexus exerceatur. — *Gousset ib.*

(²) sine justa causa —

(³) Licet a Deo *petere miraculum* (sub conditione: si ei placuerit), quoties adest causa gravis ad nostram aut aliorum salutem vel ad divinam implendam voluntatem (sive, ut ait *S. Thomas 2. 2. q. 97. a. 2.:* cum subsit justa necessitas seu pia utilitas et alia, quae ad hoc concurrere debent); nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore opportuno. Peccaret tamen, qui absolute peteret vel offerret miraculum ad conversionem haereticorum aut peccatorum, cum sufficiant fidei nostrae testimonia ac ordinaria auxilia: excipe casum particularis inspirationis (sine qua miraculum sive directe, sive indirecte *offerre,* praesertim absolute, vix umquam licebit).

Licet se *martyrio offerre,* si adest legitima causa, v. gr. ad vitandas blasphemias, ad procurandam Dei et fidei gloriam, ad eliminandum in proximo periculum incredulitatis, cum tunc martyrium sit opus maximae caritatis. Secus non licet, cum nemo sit vitae suae dominus. Unde graviter tunc peccat, quem non excusat bona fides aut divina inspiratio, quam in sanctis compluribus adfuisse scimus. — Cf. *S. Thom. 2. 2. q. 124. a. 3.* — *Scav.* — *S. Lig., de 1. praec. decal. n. 31. 32.* — *Layman l. 4. tr. 10. c. 5.*

quae cultui divino sunt deputatae per clericaturam aut per vota religiosa.

2° *Loca sacra* sunt ea, quae auctoritate publica Ecclesiae cultui divino dedicantur, ut ecclesiae, coemeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta; non vero sacella privata.

3° *Res sacrae* sunt eae, quae ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut sacramenta, vasa consecrata, sacra scriptura, caeremoniae Ecclesiae, reliquiae vel imagines sanctorum, ea quae pertinent ad ornatum ecclesiae vel ministrorum, bona denique ecclesiastica etiam mobilia. — *S. Lig. ibid. a. 3.*

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo,* quia excellentissimae virtuti, nempe religioni, adversatur et plerumque materiam gravem respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatis materiae vel imperfectionis actus. — *S. Lig. n. 33. etc.*

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum aut rem sacram afficit; unde in confessione variae illae circumstantiae explicandae sunt, quia modo diverso et omnino speciali violatur reverentia debita iis, quae ad cultum divinum referuntur. — *S. Lig. n. 34.* — *S. Thom. ibid.* etc.

Resolves:

284. — 1° Sacrilegium *personale* committitur: 1° inferendo manus violentas in clericum vel religiosum (1); 2° luxuriose violando personas Deo dicatas(2), etiam solis tactibus(3); 3° personas ecclesiasticas(4) subjiciendo judicio fori, ubi viget privilegium. — Non autem fit sacrilegium detrahendo sacerdoti, quia ejus persona tantum est sacra, non vero ipsius fama. — *S. Lig. n. 35.*

2° Sacrilegium *locale* committitur: 1° peccatis omnibus, quibus ecclesia polluitur de jure canonico, scilicet: effusione sanguinis et seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati et infidelis in ecclesia (1); 2° peccatis omnibus, quae fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixae et similia. 3° actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum, nisi gravis causa excuset. — *S. Lig. n. 36.*

3° Sacrilegium *reale* committitur: 1° indigna administratione aut susceptione sacramentorum; 2° indigna tractatione sacrarum reliquiarum, imaginum etc.; 3° profanatione vasorum, instrumentorum et ornamentorum sacrorum; 4° furto rei ad cultum divinum vel ad ecclesiam pertinentis; 5° abusu scripturae sacrae, v. g. verba ejus detorquendo ad vana etc.; 6° incuria quoad vasa sacra, corporalia etc. in iis, qui haec religiose curare debent. — *S. Lig. n. 40. 48.*(2)

Quaesita:

285. — Quaer. 1° *An sit sacrilegium violatio personae voto simplici castitatis ligatae extra religionem?*

Resp. Controvertitur. Ia Sententia *probabilior affirmat*, quia per votum castitatis quodcumque homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus proprios Deo consecrandos sufficit, dum ad consecrationem publicam publica requiritur auctoritas. — *Billuart diss. 10.* — *S. Lig. n. 47. ut probabilius.*

IIa Sententia *negat,* quia per votum

(1) V. *p. 2. n. 123.*

(2) i. e. ligatas voto castitatis. Cf. tamen *n. 285. Q. 1.* V. etiam *n. 424. 1°—3°.*

(3) Cf. *p. 2. n. 165.*

(4) eas scilicet, quae gaudent privilegio fori. De his cf. *jus can.*

(1) Cf. *p. 2. n. 388.*

(2) Committitur praeterea sacrilegium reale per omnem actum luxuriosum interiorem vel exteriorem, qui Christum Dominum laedat sub aliqua re specialiter exhibitum, v. gr. si quis eucharistiam stans vel sacram communionem distribuat vel sacris vestibus indutus actu ejusmodi luxurioso se inquinet; item si quis se pollut infra mediam horam circiter post communionem. — *Scav.* — *Lig. n. 40.*

simplex castitatis persona non fit sacra; deputatio enim Ecclesiae ad aliquem consecrandum requiritur. — *Elbel n. 584.*

Ceterum quisque ligatus voto simplici castitatis, si hoc violet, certo duplex committit peccatum, contra castitatem nempe et contra religionem.(1) — *Lacroix l. 3. p. 1. n. 55.*

Quaer. 2° *An omnia peccata luxuriae in ecclesia*(2) *commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1° Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro.(3) — *Ita communiter.* — *S. Lig., de 6° praec. dec. n. 462.*

Resp. 2° Quoad peccata *externa* certum est, committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem etc. Ex jure canonico aperte patet. An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. g. per tactus graviter turpes, *controvertitur. Probabilius affirmant S. Lig., de 6° praec. dec. n. 459. 461.; Collet* etc. — *Negant* autem *non improbabiliter Sanchez, Tamb., Bonac.* etc.(4)

Quaer. 3° *An omne furtum in ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1° Constat, esse sacrilegium omne furtum rei sacrae et etiam rei non sacrae, loci sacri custodiae commissae, ut patet ex jure can. c. Quisquis (21.) *quaest. 4. causa 17.*, ubi legitur: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

Resp. 2° Quoad res, quae casu aut per accidens in ecclesia reperiuntur, ut crumenae, horologium etc., controvertitur. — *Probabilius neg.* cum *Lugo, Azor, Less.* etc. contra *Layman* et alios affirmantes, quorum sententiam probabiliorem dicit *S. Lig. n. 39.*

286. — Quaer. 4° *An laesio quorumcumque bonorum ecclesiasticorum sacrilegium constituat?*

Resp. Negative, sed tantum laesio bonorum, quae clerici possident non suo, sed Ecclesiae nomine, et de quibus disponere nequeunt; quia haec tantum sunt sacra. — *S. Lig. n. 42.* et *alii communiter.*

Quaer. 5° *An vasa et vestes sacrae converti possint in usum profanum?*

Resp. Affirmative, si res totaliter immutetur, ita ut ad communem materiam reducatur, v. g. si calix igne aut ferro communis argenti massa fiat.(1) Secus autem, si totaliter non immutetur. Hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta sacerdotum ad usus profanos applicare. Secus autem de iis, quae non benedicuntur, ut tapetes, candelabra. — *S. Lig. n. 41.*

Quaer. 6° *Quibusnam licitum sit, vasa sacra tangere?*

Resp. Omnibus et solis clericis absque licentia speciali. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis ex privilegio *Sixti IV.*, necnon monialibus sacristis ex communicatione pri-

(1) V. etiam *p. 2. n. 492. Q. 13.*

(2) i. e. in loco ab episcopo benedicto et deputato ad officia divina aut ad mortuos sepeliendos, et quidem a tecto (exclusive) usque ad pavimentum; exclusis ergo cellis, sacristia, atrio, turri campanarum, si ab ecclesia et coemeterio sit sejuncta etc.; item oratoriis mere privatis, quamvis ibi missam celebrari concessum sit. — *S. Lig., de 6° praec. n. 460.* — *Scav.* — V. *n. 283. I. 2°.*

(3) Sacrilegium est desiderium peccandi in loco sacro, etiam habitum extra ipsum locum; non vero desiderium conceptum in loco sacro, peccandi extra eumdem. — *S. Lig. ib. n. 462.*

(4) dummodo tamen absit periculum pollutionis. — *S. Lig. ib.* — Cf. etiam infra *n. 424. 5°.*

(1) An calices aliaque vasa sacra unctione consecrata, sive adhuc consecrationem retineant, sive non, antequam tradantur artifici reficienda, debeant a sacerdote exsecrari? Resp. *S. R. C. 20. Apr. 1822: Negative.* — V. *p. 2. n. 394. Q. 6° Nota.*

vilegiorum. — *S. Lig. n. 48.* — *Salmant.* et *alii communiter.*

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, ut sunt *Agnus Dei,* saltem ex hodierna consuetudine, reliquiae sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis, quae sanctam eucharistiam immediate tangunt. — *S. Lig. ibid.*

§. III.
De simonia.

287. — Definitio: Simonia, a Simone Mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale aut spirituali adnexum. Dicitur voluntas *studiosa,* id est *deliberata.*

Pretium temporale triplicis generis in jure canonico distinguitur: 1° *munus a manu* seu donatio rei pretio aestimabilis; 2° *munus a lingua* seu patrocinium; 3° *munus ab obsequio* seu officia alteri praestita.

Triplex pariter est temporale spirituali adnexum: 1° *antecedenter,* cui scilicet accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhaerens; 2° *consequenter,* quod ex spirituali pendet, ut jus decimas percipiendi; 3° *concomitanter,* ut labor in functionibus sacris. Hoc autem est vel intrinsece, vel extrinsece adnexum. Est quidem adnexum *intrinsece,* si a re ipsa non sit facile separabile; secus adnexum *extrinsece* dicitur. Sic celebratio missae est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum et alia similia ad laborem extrinsece adnexum pertinent.

Divisio: Simonia distinguitur

1° *mentalis,* si fiat mere interne vel absque pacto;

2° *conventionalis,* si pactum quidem intercedat, sed nullo modo exsecutioni mandatum (¹);

3° *realis,* si pactum ex utraque parte adimpleatur.

Accedit simonia *confidentialis,* quae fit quolibet pacto seu confidentia circa electionem vel praesentationem ad beneficia, ad munera ecclesiastica etc. — *S. Lig. n. 49. 56. etc.*

Distinguitur etiam simonia *juris divini* seu *naturalis* et *juris ecclesiastici.* Prior habetur, si res simoniace permutata sit spiritualis ex natura sua, ut sunt indulgentiae, sacramenta etc. Posterior vero, si res spiritualis sit ex sola Ecclesiae institutione, ut sunt beneficia (¹).

Principia:

288. — I. Ad simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter,* sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali et in ejus commutationem, ita ut fiat aequiparatio rei spiritualis cum temporali seu commutatio ex motivo primario unum pro altero habendi. Ratio ex ipsa simoniae definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cujus temporale et vicissim spirituale daretur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva, nec proinde simonia foret.

Dixi 1° *formaliter,* i. e. ut quis directe intendat loco temporalis et propter ejus aestimationem accipere spirituale.

Dixi 2° *virtualiter,* si quis nempe per temporale *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, quin aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio, unum cum alio commutandi. — *Ita Suarez* etc.

II. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter* et *consequenter comitanter extrinsece,* modo pretium

(¹) Definit auctor simoniam *pure* conventionalem. Si vero pactum jam ex una parte exsecutioni datum sit, dicitur conventionalis *mixta.*

(¹) Simonia juris humani est v. g. permutatio beneficiorum sine competente auctoritate et in genere omne pactum beneficio superadditum, etsi sit solum de spirituali, nisi intercedat auctoritas legitimi superioris.

spiritualis adnexi non augea-
on autem licet dare pro pretio
n spirituali *concomitanter in-*
seu *inseparabiliter*, neque ad-
consequenter.

1mi: quia res et labor actio-
t vere in se pretio aestimabi-
rohibetur tamen jure canonico
balsami, quod in chrismate
ur, licet consecrationi prae-
quia, cum sit modici pretii,
s vendere sacramenta videre-
— *S. Lig. n. 72.*

2di: quia, quod est intrinsece
a spirituali, ab ipso insepara-
unde res ipsa vel actio vendi
ur. Potest tamen aliquid ac-
ministerio sacro, etiam secluso
xtrinseco, ratione scilicet sti-
eu sustentationis, ut ex praxi
e constat.(2) Postulat enim
naturalis, ut honesta susten-
ncedatur iis, qui aliorum uti-
cumbunt. Hinc Christus *Luc.*
Dignus est operarius mercede
Et apostolus *1. Cor. 9. 13.:*
, *quoniam, qui in sacrario*
ur, *quae de sacrario sunt,*
et qui altari deserviunt, cum
articipant? Ita et Dominus
it iis, qui evangelium annun-
e evangelio vivere.

3ii: quia illud *consequenter*
spirituale vel spirituali alli-
Eruitur etiam ex speciali ju-
nici dispositione.(3)
imonia est peccatum gravissi-
uod materiae parvitatem non

c. Dictum (105.) *caus. 1. quaest.*
a quae (16.) *de sim.* (V. 3.) —
tamen *Scavini* quoad oleum be-
et sacrum chrisma: „Usus . . .
ibus ecclesiis cathedralibus inva-
aliquid ab ecclesiis particularibus
ur pro compensandis sumptibus
materia comparanda."
o sacramentorum administratione
accipiendum *hoc titulo*, etiam a
dantibus; quod autem offertur
pro eleemosyna accipi potest. —
gr. Conc. 1. Febr. 1593.
etiam infra *n. 758.*

admittit.(1) Ratio est, quia res spiritualis quaelibet ex comparatione cum re temporali vilipenditur cum magna injuria in ipsum Deum, siquidem ordinatur ad rem ordine longe inferiorem. Constat etiam ex verbis s. Petri ad Simonem Magum *Act. 8. 20.: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

Quaesita:

289. — Quaer. 1° *An sit simonia, dare quidem principaliter temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia revera fit comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim, quod adjicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi malitiam et impietatem non destruit. — Constat etiam ex *prop. 45.* et *46.* ab *Innocentio XI.* damnatis.(2) — *S. Lig. n. 54.*

Quaer. 2° *An sit simonia, dare temporale ad sibi conciliandum superiorem intuitu beneficii?*

Resp. Negative, si finis primarius sit dandi gratis temporale, quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe cum benevolentia superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi. — *S. Lig. n. 51.*

Quaer. 3° *An sit simonia, obire functiones sacras* principaliter *ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sacra?*

Resp. ad 1um Negative, saltem *probabilius,* quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacrae, sed tamquam debitum personae, quae in proximi gratiam occupatur. — *S. Lig. n. 55.* — *Lacroix n. 62.* et *alii communiter* contra *plures.* Quantum autem hujusmodi mens sit in sacerdote

(1) Quoad simoniam vero, quae est mere juris humani, parvitas materiae utique admittenda est. — *S. Lig. n. 50.*

(2) Cf. tamen *Q. 3°, n. 288. I.* et *n. 295. 6°.*

sordida et ab ejus sacris muneribus aliena, perspicuum est.(1)

Resp. ad 2um Affirmative, si instructio tendat ad bonum spirituale aliorum, quia est res spiritualis, nisi accipiatur titulo sustentationis. — *Negative* vero, si instructio tendat ad bonum temporale, ut fit v. g. quoad explicationem sacrae scripturae(2). — *S. Lig. n. 94.*

290. — Quaer. 4° *An simonia sit, pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficia aut aliud bonum spirituale, v. g. sacramenta etc.?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* quia liberatio a vexatione, quae sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo conanti etiam sine vi et fraude, sed solis precibus impedire electores, ne tibi faveant, ut ab istis precibus aut mediis tibi nocivis abstineat. — *S. Lig. n. 101.* et *alii communiter.* — Non autem potes dare pecuniam iis, qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel praesentando ad beneficium; etenim offerre illis pecuniam, ne obsint, idem foret, ac offerre, ut prosint, consensum non denegando. — *S. Lig. n. 100.* — Nec tibi licet pecuniam dare competitori tuo, ut desistat ad beneficium concurrere, quia tibi nulla est injusta vexatio redimenda et viam directe ad beneficium sic parares, quod simoniacum foret. — *Ita communiter.*

291. — Quaer. 5° *An simonia sit, dare vel accipere aliquid pro ingressu in religionem?*

Resp. 1° Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro ingressu solo, quia hoc esset commutatio religionis, quae est res sacra, cum re temporali. — *Ita omnes.*

2° Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali et postulat aequitas, ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat.

3° Certum est pariter, licere omni monasterio aliquid exigere pro sustentatione novitiorum, quia, cum non adhuc pertineant ad religionem, pro libitu discedere possint et saepe discedant, non est justum, ut pro ipsis monasterium tanta onera subeat.

4° Controvertitur autem, si agatur de monasterio opulento. *Negat S. Lig. n. 92.*, nisi recipiendus sit senex vel infirmus. *Affirmant* autem alii non pauci, modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed recipiatur aut postuletur tantum ratione sustentationis seu dotis. — Ceterum nunc evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Nulla enim inveniuntur monasteria adeo opulenta et certo fundata, ut auxilio alieno pro praesenti et futuro nullatenus indigeant.

292. — Quaer. 6° *An simoniam committat sacerdos, qui ludens cum laico in ludo missam exponit, dum socius pretium temporale praestabit?*

Resp. Negative per se, quia hac ratione res spiritualis non aequiparatur proprie temporali, sicut non aequiparatur, quando missa dicitur pro stipendio, sed tantum offertur exsecutio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendae. Non enim peccat, qui offert creditori 100 missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum 100 francorum; ergo a pari nec peccat exponens missam in ludo, dum alter 20 asses exponit. — *Ita Voit n. 506.* contra *plures.* — Ceterum talis ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.(1)

Quaer. 7° *An simoniam committat sacerdos, qui pro missa stipen-*

(1) Hinc talis intentio erit peccaminosa (et quidem per se venialiter), quin tamen committatur peccatum simoniae. — *S. Lig. ibid.* — V. etiam *p. 2. n. 373.*

(2) scientificam etc.

(1) Certo non est illicitum, ludere precibus sacris applicandis pro victore; secus, si unus luderet pecunia, alter precibus. — *S. Lig., de 7° praec. dec. n. 882. in fine.*

dium supra taxam consuetam aut ab episcopo statutam exigit?

Resp. Negative, nisi mente simoniaca agat; quia, cum habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel justitiam plus aequo exigendo, minime vero contra religionem. Contradicit tamen *Voit n. 497.*, quia, ait, quoad excessum deest omnis justus titulus exigendi temporale.

293. — Quaer. 8° *Quaenam sint poenae in simoniacos latae?*

Resp. 1° Sola simonia externa et completa(¹) in ordine, beneficio et ingressu in religionem poenis ecclesiasticis subjacet; nam *Paulus II.*, renovans omnes poenas antea in simoniacos latas, loquitur tantum de praedictis simoniae speciebus. Imo juxta multos poenae pro ingressu simoniaco religionis abierunt in desuetudinem; saltem nunc casus earumdem incurrendarum rarissimus est.

Resp. 2° Poenae in ordinatione simoniaca sunt excommunicatio Papae reservata et suspensio, quam incurrunt tam ordinans, quam ordinatus(²). In simonia confidentiali completa incurritur excommunicatio Papae reservata, et inducitur nullitas collationis et inhabilitas ad idem beneficium(³). — *S. Lig. n. 105. et seq.*

Resolves:

294. — 1° Non committit simoniam, qui reliquias cum reliquiis permutat, quia sic non datur spirituale pro temporali. Idem dicendum est de ceteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio propria auctoritate facienda ab Ecclesia prohibita est.

2° Non committit simoniam, qui vendit ceram benedictam, rosaria vel numismata, quibus adnexae sunt indulgentiae, sacras reliquias capsulis pretiosis inclusas vel alia similia, quia haec non venduntur ratione rei sacrae, sed ratione pretii rei temporalis adnexae; secus tamen, si propter rem ipsam sacram majori pretio venderentur.

3° Non committit simoniam erogans pecuniam principi haeretico, ne impediatur ab ingressu ecclesiae vel a coetibus religiosis catholicorum; aut malevolo homini, ne ab ipso injuste diffametur et a beneficio, ad quod jus habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda injuria, quae est quid temporale.

4° Non sunt de simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti servitio serviunt, ut hac occasione suam probitatem vel dexteritatem demonstrent, sub spe aliquando obtinendi quoddam beneficium, quia non exspectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. — *Elbel n. 618.*

295. — 5° Nec sunt simoniae rei, qui *ex gratitudine* praestant temporale ob spirituale acceptum et vice versa. Sic non peccaret capellanus, qui servitia libentius tribueret episcopo, a quo beneficium obtinuit, nec episco-

(¹) Per jus enim sola simonia realis punitur, utique etiam occulta et si pretium nondum integre solutum sit, non vero simonia conventionalis mixta *(saltem probabilius)*. Subjacet vero statutis poenis simonia confidentialis, *etsi ex una tantum parte completa.* Utrum autem ob simoniam, quae mere sit juris ecclesiastici, poenae incurrantur, nisi lex expresse id statuat, controvertitur utrimque probabiliter. — *S. Lig. n. 106. 108.*

(²) Cf. *S. Lig. n. 109.* — Simonia realis in beneficiis plectitur (etiam in cooperantibus) excommunicatione ipso facto, Papae reservata; nullitate electionis, praesentationis et canonicae institutionis, ita ut simoniacus nequeat fructus facere suos; tandem inhabilitate perpetua ad *idem* beneficium. — *S. Lig. n. 111.*

(³) praeterea privatio beneficiorum etiam antea obtentorum, probabiliter tamen non ante sententiam judicis, saltem criminis declaratoriam. — Examinatores vero synodales, qui occasione examinis ad parochiam aliquid recipiunt, privantur ante omnem sententiam beneficiis jam obtentis et nequeunt a simonia absolvi, nisi dimissis beneficiis. *(Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de ref.)* — *Scav.*

pus, qui clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum, quia haec non praestantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est, pro accepto obsequio se gratum exhibere ([1]). Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi spirituale pro temporali vel vice versa.

6° Esset autem simonia, ministeria sacra obire praecise ob pretium percipiendum *tamquam tale*, v. g. accipere pecuniam pro absolutione a peccatis vel a censuris, pro dispensatione in voto, juramento, irregularitate vel impedimentis matrimonii, quia hoc est actus spiritualis tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia occasione dispensationum titulo eleemosynae vel sustentationis onerum Pontificatus, ad subveniendum Ecclesiae necessitatibus, v. g. templorum, missionum etc., vel ad alios pios usus, v. g. ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium, a quibus dispensationes conceduntur etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum est.

DE II. DECALOGI PRAECEPTO.

„Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum." *Exod. 20. 7.*

Hoc praecepto prohibetur quaelibet irreverentia erga sanctissimum nomen Dei per vanam ejus usurpationem, blasphemiam et juramentum aut votum illicitum vel violatum.

([1]) Hinc etiam simoniacum non est, dare pauperi eleemosynam, ut pro largiente oret, nisi intendatur commutatio spiritualis cum temporali. — *S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 2.* Hinc a *Martino V.* et *concilio Constantiensi* damnatur articulus *Joannis Wikleff* sub *n. 25.: Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.*

CAPUT I.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA.

ARTICULUS I.

DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE.

296. — Dicitur in vanum usurpari ss. Dei nomen, cum sine rationabili causa aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem triplici modo praesertim fieri solet, scilicet

1° *ex impatientia* aut *indignatione* in creaturas, etiam inanimatas, aut in seipsum, v. g. *Deus meus! Bone Deus! quam male res ista procedit! Deus meus! quam stultus ego! . . .* vel gallice: *Mon Dieu, est-il possible? Mon Dieu, laissez-moi donc tranquille!*

2° *ex admiratione,* per modum exclamationis. Sic dicitur: *O Deus! Deus meus! Magne Deus! O bone Jesu!*

3° *Superflue,* plerumque ex mera formula, seu ex levitate vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Jesus, Maria! Deus meus! utique . . . ita est* vel *non ita.*

Quaesita:

297. — Quaer. 1° *An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum, et quale?*

Resp. 1° *Per se* peccatum est, quia laedit reverentiam tanto nomini debitam. Constat insuper ex *Eccli. 23. 10.: Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

Resp. 2° *Per se* peccatum est *veniale* tantum, quia reverentia illa non graviter laeditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum aut iram gravem, quia tunc de ratione blasphemiae participare censetur.

Resp. 3° Saepe culpa vacat propter inadvertentiam. Non tamen sunt excusandi, qui ex consuetudine ss. nomen Dei semper in ore habent sine reverentia. — *Bouvier, de 2° praec.* — *Antoine, de virtute religionis c. 5. art. 2.*

Nota: Quando usurpatur ss. Dei nomen cum debita reverentia etiam in rebus in-

differentibus, nullum est peccatum. Facilius ab omni peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interjectionis sa. nomen Dei usurpant, quia tunc facilius aberit irreverentia.

298. — Quaer. 2° *An sit peccatum, usurpare inutiliter nomina sanctorum?*

Resp. Affirmative. Quod enim dicitur de sanctissimo Dei nomine, idem servata proportione etiam de nominibus sanctorum dicendum est, ut constat ex eodem loco *Eccli.* supra citato, ubi additur: *et nominibus sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum sacrae scripturae, quae saepe irreverenter sumuntur.

Quaer. 3° *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis daemonis?*

Resp. Negative per se. Reprobanda tamen est ut minus decens in ore christianorum, praesertim in sacerdotibus, qui ratione scandali a peccato interdum immunes non essent. — *Busemb.* apud *S. Lig. n. 131.* — *Bourier* etc. — Plures autem asserunt esse veniale *per se.* — *Ita Voit n. 514.*

ARTICULUS II.
DE BLASPHEMIA.

299. — Definitio: Blasphemia est locutio Deo injuriosa. — Locutio autem non verbo explicito tantum, sed etiam mente et opere fieri potest.

Divisio: Distinguitur inprimis blasphemia

1° *directa* vel *indirecta,* prout a blasphematore contumelia in Deum *directe* intenditur, vel *implicite* tantum in dictis aut gestis ejus continetur;

2° *immediata* vel *mediata,* prout Deum ipsum immediate afficit, vel indirecte tantum, nempe sanctos inhonorando aut res sacras profanando;

3° *haereticalis, imprecativa* et *mere probrosa,* prout haeresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet.

Principia:

I. Blasphemia quaelibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo,* et quidem maximum. Ratio est, quia quaelibet contumelia in Deum est injuria gravis divinae majestati illata. — Hinc *Lev. 24. 15. 16.: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* — Hinc etiam *S. Hieronymus in Is. l. 7. c. 18.* ait: *Nihil horribilius blasphemia, quae ponit in Excelsum os suum.* — Et ait *S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 3.: Omne peccatum comparatum blasphemiae levius est.* — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiae aut perfecti consensus.

II. Ad blasphemiam perfectam ratione actus necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, scilicet cum quis ea, quae veram Dei contumeliam continent, etiam ex joco aut ira in creaturas cum advertentia profert. Ratio est, quia ex his sequitur gravis Dei inhonoratio, licet indirecta; gravis enim irreverentia in Deum sic committitur, cum verba ei contumeliosa ad jocum vel ad iram exprimendam adhibeantur. — *Reuter, de virtute religionis n. 442.* — *Antoine ibid. c. 5. art. 2.*

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quae ex communi apprehensione, vel usu patriae aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo aliisve circumstantiis Dei inhonorationem continent, ita ut homines etiam mediocriter pii ab illis abhorreant. — *Reuter ibid.*

Resolves:

300. — 1° Blasphemia est dicere: *Perdat te mors* vel *sanguis Dei! Perdant te sacramenta!,* quia haec non ad perniciem, sed ad salutem hominum sunt ordinata. *A fortiori* blasphemia est spuere in coelum, infrendere dentibus in illud, velle aliquid agere Deo invito, et similia.

2° Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus.* — *Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen casum, *si proferatur talis locutio modo loquendi humano, ex levitate, ad ostendendum doloris vel taedii gravitatem,* ut saepius fieri solet. Numquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter dicunt: *Deus est injustus.* — *Deus injuste me tribulationibus gravat.* — *Injuste sinit malos esse felices in mundo.* — *Voit n. 519.*

3° Non peccant graviter, qui, ira vel aliqua passione abrepti, verba blasphemiae proferunt non advertentes ad eorum significationem. Nec illi, qui ex inveterata consuetudine blasphemandi, *quamvis serio retractata*(1), in eadem verba erumpunt.

4° Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; v. g. qui gallice dicit: *Jarnidié, mordié, ventredié, morbleu.* Haec enim rationem blasphemiae jam non amplius habent. — *S. Lig. n. 124.* — *Bouvier, de 2° praec. art. 1.*

Quaesita:

301. — Quaer. 1° *An blasphematoriae sint hae locutiones gallicae:* Nom de Dieu, Dieu de Dieu, Nom de noms, Mille noms, Sacré nom *sine addito etc.?*

Resp. Negative per se, etiamsi prolatae sint in ira, nisi ira in Deum ipsum feratur, seu nisi adsit intentio blasphematoria, quae plerumque abest.(1) Haec enim verba nullam blasphemiam in se continent. Venialia igitur tantum erunt propter vanam nominis Dei usurpationem; si vero nomen Dei in formulis neque *explicite,* neque *implicite* adhibeatur, omni culpa *per se* carebunt. — *Bouvier ib.*

A fortiori blasphemiae non erunt inurbanae illae locutiones inter rusticos nostros tam frequenter usitatae, quae incipiunt literis *B. F. M.* vel *J.-F.* etc., etiamsi verbum *sacré* ipsis praemittatur, v. g. *sacré B., sacré M.,* aut si verbum istud aliis nominibus inurbanis jungatur. Imo haec *per se* culpa vacant, nisi caritati erga proximum adversentur, ut fit, quando hujusmodi verba convicii causa proferuntur. — *Ita communiter.* — *Bouvier ibid.*

302. — Quaer. 2° *An sit blasphemia locutio gallica:* Sacré nom de Dieu?

Resp. Affirmative per se seu ratione acceptionis communis verborum. Etenim hujusmodi voces ex sensu fidelium in Deum contumeliosae sunt. Nullus enim est mediocriter pius, qui haec audiendo non inhorrescat. Re quidem vera: qui hanc locutionem usurpant, agunt ex contemptu ss. nominis Dei, saltem implicite, perinde ac si dicerent: *maledictum nomen Dei,* sicut dixit poëta: *auri sacra fames,* i. e. *maledicta fames.*

Nec dicas, haec verba nullam in se blasphemiam continere ex eo, quod in sensu obvio *benedictum* nomen Dei revera significent. Nam utrumque sensum prae se ferunt, alterum scilicet

(1) Tenentur enim, qui consuetudine blasphemandi laborant, sub gravi operam dare ad illam exstirpandam; alioquin toties peccant, quoties advertenter id omittunt; hinc negligentes non sunt absolvendi. Si vero dent operam et tamen iterum labantur interdum, poterunt a mortali excusari, non vero, saltem ordinarie, a veniali, quia vix non aderit aliqua advertentia saltem confusa ad malitiam verborum. — *Scav.* — *S. Lig. n. 127.*

(1) Idem judicium ex paritate ferendum est de expressione „sacramentum", quae persaepe ex impatientia in aliquibus regionibus adhibetur. Monendi vero sunt consuetudinarii, ut sub gravi obligatione serio deponere studeant hujusmodi consuetudinem ob periculum blasphemandi formaliter et scandali. — A mortali praeterea non excusabitur, qui similia proferat juncta aliis expressionibus, quibus Deus aut sacramenta magna contumelia afficiuntur. — Cf. *Voit n. 516. et seq.*

ex genuina verborum significatione, alterum vero ex generali hominum acceptione. Imo, numquam a piis fidelibus ad Deum honorandum adhibentur, sed ab iis cum horrore et indignatione semper audiuntur, dum e contra ab impiis ad eum exsecrandum jugiter usurpantur.

Hanc locutionem ut blasphematoriam habent *Vernier, de 2° decalogi praecepto; — Rousselot, in additionibus ad theologiam Saettler, ibid.; — Collationes Anicienses (Conférences du Puy), de virtute religionis p. 2. c. 1.; — Illustr. DD. Parisis, episcopus Lingonensis (nunc Atrebat.), in epistola pastorali pro pia sodalitate ad blasphemiae destructionem erigenda.* In hanc quoque sententiam propendit *Bouvier, de 2° praec. decal. c. 1.*

303. — Plures tamen alii rationem blasphemiae in hoc loquendi modo non apprehendunt *per se,* nisi intentio blasphematoria explicite, vel implicite saltem, interveniat. — *Ita Gousset t. 1. n. 460. — D. Valentin, examens raisonnés sur les commandements.*

Dixi supra: *per se.* In praxi enim non sunt de peccato mortali arguendi ii omnes, qui hujusmodi verba proferunt. Certum est enim teste experientia, non paucos, praesertim rudes, malitiam gravem in illis non apprehendere. Attendat igitur confessarius inprimis ad varias poenitentium circumstantias. Quidquid autem sit, cum debita prudentia satagere debet, ut pravam hanc consuetudinem, in quantum fieri poterit, in poenitentibus penitus destruat.

304. — Non abs re est, nonnulla ex laudata Illustr. DD. Parisis epistola(1) hic subjungere.

. . . „Defectus strictae significationis „etymologicae vel grammaticalis in aliqua „blasphemia ejus malitiam non aufert, „quando universaliter agnoscitur, formula „adhibitam esse Deo valde injuriosam. „Neque grammatica, neque etymologia „verbis strictam vim dant, sed usus generalis et praesertim usus, cui suffragantur personae, quae de objecto judicare „aptiores sunt. Nemo vero est, qui timeat „Deum nec dolorem experiatur christianum, si audiat phrasim exsecrabilem, de „qua agimus."

„Si quis ergo eam excusare velit recurrendo ad radicem verbi, si dicat v. g., „usui verbi *sacratum (sacré)* nil inesse „reprehensibile, quia et ipsa Ecclesia utitur expressione *sacrum cor Jesu, Sacra Congregatio Rituum* etc., sane minus sapienter loquetur."

„Quoties Ecclesia et consequenter pii „fideles utuntur verbo *sacratum,* id fit „in sensu profundissimae venerationis et „particularis benedictionis. Quis vero auderet asserere, eos, qui ipsum adhibent „in exsecrationibus, intentionem similem „habere? Si vero non idem, si quid omnino „contrarium intendunt, quae similitudo dicendi generis, quo hi, et quo illi utuntur?"

„Quisque praeterea scit aut debet scire, „idipsum verbum in eodem idiomate habere posse significationes plane diversas, „imo quandoque oppositas." Adducta dein auctoritate Academiae gallicae, quae agnoscit, verbum *sacré* in usu vulgari adjici phrasibus injuriosis ad robur eorum augendum et interdum vim habere etiam blasphemiae, imprecationis, pergit:

„Posito tali testimonio nonne evidens „est, adjungendo hoc verbum ignobile iis, „quibus sanctius coelum et terra non continent, proferri formulam Deo gravissime „injuriosam?"

„Quoad quaestionem vero, in quantum „usus verborum blasphemorum, sine ira, „vindicta, ob simplicem consuetudinem, „quandoque per jocum aut ostentationis „causa prolatorum, in particularibus casibus plus vel minus culpabilis sit, sufficiat in genere addere, eos, qui Deum diligunt, tales consuetudines non contracturos, contractas autem . . . post conversionem eo expeditius deposituros, cum „nulla voluptas, nulla utilitas iis annexa „sit. Quid judicaremus de filio, qui contraheret vel conservaret consuetudinem „immiscendi continuo suis sermonibus „phrasim, cujus vis explicita aut etiam „implicita in sensu plerorumque aequivaleret his verbis: *Maledictus sit pater „meus?* Nonne fons hujus consuetudinis „ab omnibus censeretur affectio plane opposita pietati filiali?"

„Quin ergo quidquam decidamus de casibus specialibus, qui in infinitum variant, affirmare possumus, consuetudinem „utendi formulis, quae accensentur blasphematoriis, si haec consuetudo nec est

„originem plus vel minus longinquam tra-„here ex dispositione interna, quae omnino „directe opponitur dilectioni Dei, scilicet „ex odio." *(Epistola encyclica* DD. Parisis, *episcopi Lingonensis, de sanctificatione diei domin. et exstirpatione blasphemiae.)*

305. — Quaer. 3° *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Dist. Est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. g. pluviae, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei;* item maledicere creaturae, quae de se specialem rationem ad Deum habet, v. g. animae nostrae, fidei catholicae, coelo et similibus: secus autem, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 129.*

Quaer. 4° *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Affirmative, quia, sicut jurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum juramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur. — *S. Lig. ib.*

Quaer. 5° *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Negative, nisi mens specifice feratur in animas purgatorii, quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo. — *S. Lig. n. 130.*

CAPUT II.
DE JURAMENTO.

306. — Definitio: Juramentum est invocatio divini nominis in testimonium veritatis.

Divisio: Distinguendum est juramentum

1° *assertorium* vel *promissorium,* prout eo veritas tantum asseritur, aut promissio seu pactum confirmatur.

2° *solemne* vel *simplex,* prout fit forma jure requisita solemnibusve caeremoniis, aut privatim, iis seclusis;

3° *explicitum* vel *implicitum,* prout Deus expresse ut testis veritatis invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturae, in quibus attributa divina specialiter relucent.

Accedit etiam juramentum *imprecatorium,* quo Deus invocatur simul in testem et in vindicem perjurii.

Juramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum (¹), et, si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi justa causa obstet vel nisi legitime cessaverit. — *Ita omnes.* Et constat ex definitione *concilii Const. sess. 8.* contra *Wicleffum,* ex praxi universali Ecclesiae et populorum, necnon ex variis sacrae scripturae locis, v. g. *Deuter. 6. 13.: Dominum Deum tuum timebis . . . ac per nomen illius jurabis.* — *S. Lig. n. 133. 139. et seq.*

ARTICULUS I.
DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

I. De requisitis ad essentiam juramenti.

307. — Duo requiruntur ad verum juramentum, scilicet 1° intentio jurandi, saltem virtualis, quia sine tali intentione non potest exsistere juramentum formale, ut patet; — 2° formula juratoria, sive *explicite* per Deum, sive *implicite* per creaturas, quia, cum Deus ut testis invocetur, necesse est, ut illud in juramento exprimatur. — *S. Lig. n. 134.*

Resolves:

308. — 1° Non valet juramentum promissorium fictum seu mere externum, ob voluntatis defectum. Peccat vero sic jurans, sed *probabilius* venialiter tantum *per se* loquendo, quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione. — *S. Lig., Hom. ap. n. 17.* Saepe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis.

2° Non valet *probabilius* juramen-

(¹) Urget vero *obligatio jurandi* 1° quoties juramentum necessarium est ad subveniendum proximo, juxta praeceptum caritatis; 2° quoties a superiore legitime exigitur. — *Scav.*

actum cum animo quidem ju- sed non se obligandi, nec vice [1]), quia hoc nugatorium est. autem juramentum factum cum jurandi et se obligandi, sed non di; hoc enim foret perjurium. *Lig. n. 172.*

Est juramentum dicere: „Juro am, per sanctos, templum, cru- ltare, evangelium, fidem catho- Ecclesiam, coelum, terram;" — licere: „Deum attestor . . . sit estis Deus . . . Deum invoco ut ." — Secus, si quis juraret per ras, in quibus non elucet *spe- r* divina bonitas aut potentia, per barbam etc.([2]) — *S. Lig. t. 138.*

Non est juramentum dicere: „No- us . . . Coram Deo loquor etc.", c *narrative* proferantur; secus si *invocative,* quod dignoscitur umstantiis vel intentione loquen- ec est juramentum dicere: „Est rum hoc, quam exsistit Deus . . . exsisto . . . . quam sum in hoc . . .; est verum fide boni viri . . . . lem meam . . . . per conscien- . .; moriar . . . vel diabolus le perdat, nisi ita sit." — Imo : juramentum juxta *S. Ligorium* : „Juro, vel juro ita esse", nisi sserit interrogatio de juramento ndo.([3]) — *S. Lig. n. 135.* et *ulti.*

requisitis ad liceitatem juramenti.

. — Triplex conditio requiritur itatem juramenti juxta illud *Je- 4. 2.: „Jurabis: Vivit Do- in veritate, et in judicio, et titia."*

Veritas, i. e. conformitas asser- tionis cum intentione et cognitione jurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In juramento assertorio veritas respicit exsistentiam facti, in promissorio exsistentiam intentionis.

II. *Judicium,* i. e. discretio seu causa rationabilis jurandi; juramentum enim, cum sit res sanctissima, non debet adhiberi promiscue, sed cum pietate et magna reverentia.

III. *Justitia,* i. e. ut juramentum sit de re licita et honesta; sic contra justitiam juraret, qui juramento se obligaret ad rem proximo noxiam vel aliunde prohibitam, aut qui proximo detraheret. — *S. Lig. n. 144.*

Quaesita:

310. — Quaer. 1° *Quaenam sit causa sufficiens ad jurandum?*

Resp. Quaecumque causa honesta alicujus ponderis, v. g. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus etc. — *S. Lig., Hom. apost. n. 14.*

Quaer. 2° *An liceat jurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Negative, quia Deus nequit invocari, nisi in testimonium rei certae; attamen certitudo moralis sufficit. — *S. Lig., Hom. ap. ibid.*

Quaer. 3° *An liceat jurare cum restrictione mentali?*

Resp. Negative, si sit *pure* mentalis; secus vero, si *late* mentalis sit, ex gravi causa. Vide dicenda *de 8° praecepto n. 442. et seq.*

Quaer. 4° *An liceat praestare juramentum in perturbationibus publicis?*

Resp. Hoc plerumque a solis circumstantiis pendet. Perpende, quid postulet justitia aut bonum commune, et quales sint juramenti requisiti obligationes, utrum positivae an negativae. — Tunc expedit consulere superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet statuere, quid pro variis circumstantiis sit agendum.([1])

---

1 posteriori autem casu potest ob- per modum promissionis etc. — *Lig. n. 172. I.*

x opposita ratione ajunt, esse ve- ramentum, si quis testetur „per suam." — *S. Lig. n. 135.*

e hoc tamen judicandum videtur ensum, quem verbum *juro* in ali- ione obtinet.

([1]) Cf. etiam *n. 387. not.*

311. — Quaer. 5° *Quale sit peccatum jurare sine veritate, judicio et justitia?*

Resp. ad 1um. Est semper mortale, quia Deum adducere in testimonium falsitatis est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex *propositione 24.* ab *Innocentio XI.* damnata.

Resp. ad 2um. Est veniale tantum *per se,* i. e. secluso scandalo et periculo pejerandi, quia est tantum vana usurpatio nominis Dei. — *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3um. Certo mortale est, si de re gravi agatur, ut patet. Secus vero *probabilius,* si res levis sit, quia non videtur inde gravis injuria in Deum redundare. — *Suarez* — *Collet* — *Antoine* contra *alios,* quorum sententia est etiam *probabilis.* — Attamen juxta *S. Lig.* peccat graviter, qui jurat, se facturum esse rem etiam leviter malam, quia gravis irreverentia videtur adesse, si Deus in testem ac fidejussorem mali, quamvis levis, invocetur. Nec excusandus est a peccato mortali ille, qui utitur juramento assertorio ad detractionem firmandam. — *S. Lig. n. 146.; Hom. apost. n. 11.; Retract. qu. 20.*

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

Principia:

312. — I. Omne juramentum promissorium de re licita et honesta inducit obligationem religionis, praeter obligationem justitiae et fidelitatis, quae ex simplici promissione oritur. Ratio est, quia *per se* jam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat juramentum de re illicita aut plane inutili, quia juramentum, utpote actus religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosae.

II. Obligatio juramenti interpretanda est *stricte* et juxta naturam actus vel contractus, cui adjicitur, ita ut omnes ejus conditiones sequatur. Ratio est, quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit, et aliunde juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet.(1)

III. Obligatio juramenti etiam interpretanda est juxta conditiones tacitas in eo inclusas aut subintellectas, quae sunt: 1° si potuero sine gravi damno; 2° si res non fuerit notabiliter mutata; 3° si jura aut voluntas superioris non obstent; 4° si alter fidem reciprocam servaverit; 5° nisi alter de jure suo cedat. — *S. Lig. n. 180.*

Quaesita:

313. — Quaer. 1° *An detur parvitas materiae in transgressione juramenti promissorii?*

Resp. I. Sententia *negat,* quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio jurata. Si igitur violetur in quacumque materia, gravis injuria infertur Deo, cujus testimonium in vanum a jurante invocatum est. — *Bonacina* — *Lessius* — *Toletus* — *Collet.*

II. Sententia *affirmat,* quia in juramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futurae executionis rei promissae, sed tantum actualis promissionis seu verae intentionis promissionem exsequendi. — *Suarez* — *Navarrus* — *Layman etc.* — *S. Lig. n. 173.* dicit utramque sententiam probabilem; sed in *Hom. apost. n. 13.* magis secundae sententiae adhaeret(2) et ait: „Si res promissa non sit gravis, infidelitas ad gravem culpam non pertingit.“

Quaer. 2° *An obliget juramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Negative, si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adjuncta ejus accidentalia

(1) Sed v. *n. 314.*
(2) Etiam in theologia morali l. c. eam „forte probabiliorem“ censet.

tantum afficiat, quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. — *S. Lig. n. 175.*

314. — Quaer. 3° *An obliget juramentum promissorium metu gravi et injusto extortum?*

Resp. Controvertitur. I. Sententia *communior affirmat,* quia, licet contractus simplex forte irritus foret spectato jure naturali, accedente tamen juramento firmus efficitur; juramentum enim servandum est *ex religione,* quoties absque peccato servari potest. — *S. Lig. n. 174. et de 7° praec. dec. n. 716.* — Attamen patroni hujus sententiae tenent cum *S. Ligorio,* quod ille, qui metum passus est, potest juramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si vero jam solverit, potest id, quod dedit, in judicio repetere vel occulte se compensare. — *S. Lig. n. 174. et de 7° praec. n. 717.*

II. Sententia, quae sat probabilis videtur, negat, quia juramentum nequit promissionem de jure naturali irritam confirmare. Juramentum enim sequitur naturam actus. Vide dicenda in *tract. de contract. in genere n. 780. et seq.*(1)

Quaer. 4° *Quomodo cesset obligatio juramenti?*

Resp. 1° Cessat *ab intrinseco,* sicut lex, cessatione causae motivae etc.

Resp. 2° Cessat *ab extrinseco* irritatione, commutatione et dispensatione, sicut votum, de quo in capite sequenti dicemus. Cessat quoque relaxatione seu remissione obligationis facta ab eo, in cujus favorem promissio jurata emissa est, quia juri suo quisque cedere potest.

(1) Certum autem esse asserit *Scavini,* nullum esse juramentum, quod jam a jure ipso sive civili, sive ecclesiastico irritatur utpote metu sic extortum. Hinc non obligat juramentum metu gravi et injusto extortum super professione religiosa, sponsalibus, matrimonio etc. — Cf. *n. 791. et seq.*

Resolves:

315. — 1° Numquam obligatur juramento, qui rem malam juravit; imo dupliciter peccat, si juramentum adimpleat, nempe contra religionem et virtutem, cui opponitur materia juramenti. — *S. Lig. n. 176.*

2° Non obligatur juramento, qui promissionem prodigam jurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — *Ita Suarez — Salmant.* et *alii communiter* cum *S. Lig.,* qui hoc ut *probabilius* admittit *n. 185.*

3° Non obligatur juramento, qui sic promisit nuptias puellae diviti, sanae, virgini, bonae famae, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem, quia promissio simplex tunc non obligat. — *S. Lig. n. 180.*

4° Non peccat contra juramentum, qui urbanitatis causa juravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur, quia plerumque est juramentum nullum defectu intentionis jurandi aut defectu materiae aptae, vel, si valeat, ab altero relaxatur. — *S. Lig. n. 180.*

5° Non peccat, qui secretum juratum detegit, quando non potest illud servare sine gravi suo vel alterius damno, quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub hac conditione: *nisi graviter noceat.* — *S. Lig. n. 183.*(1)

6° Raro peccant parentes non adimplentes juramentum puniendi filios, quia plerumque juramentum est de re inutili aut potius de vindicta inordinata, vel quia delinquentes sunt jam emendati aut emendationem promiserunt. — *S. Lig. n. 186.*

7° Plerumque etiam non videntur mercatores ligari juramento, non vendendi minoris aut pluris non emendi; quia hujusmodi juramenta ut plurimum sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum jurandi. — *Ita communius.*

(1) Cf. *n. 470.*

APPENDIX
DE ADJURATIONE.

316. — Definitio: Adjuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei vel sanctorum aut rei sacrae facta, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

Differt igitur a juramento in eo, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen ejus interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam divinitati vel rebus sacris debitam.

Divisio: Adjuratio distinguitur

1° *solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris et modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur et ab omnibus fieri potest.

2° *deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Haec posterior solis competit superioribus erga subditos et exorcistis erga daemones. — *S. Lig., app. de adjuratione n. 1. (post n. 193.).*

Principia:

317. — I. Adjuratio solemnis licita est solis Ecclesiae ministris, quibus ab episcopo expresse permittitur; ceteris autem in praesenti Ecclesiae disciplina sub gravi prohibetur. Imo, in multis locis *suspensionis* poenam incurrunt clerici, qui sine debita facultate Ecclesiae exorcismos facere praesumunt. — *S. Lig. ibid. n. 4.*

II. Adjuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus juramentum licitum aut prohibitum est; hinc, quae de juramento dicta sunt, etiam adjurationi sunt applicanda.

III. Solae intellectuales creaturae, homines scilicet et daemones, *directe* adjurari possunt; *indirecte* etiam creaturae irrationales, ut sol, aqua, nubes, locustae etc., adjurando scilicet daemones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum vel sanctos, ut iis, qui hujusmodi rebus utentur, assistant. — *S. Lig. ibid n. 3.*

Nota: Adjuratio daemonis fieri debet tantum modo imperativo et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem. — *S. Lig. ibid. n. 5.*

Quaesita:

318. — Quaer. 1° *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Affirmative, si episcopus re plane cognita id approbet; sed a scandalo et Ecclesiae contemptu sedulo cavendum est.

Quaer. 2° *De quibusnam rebus daemon interrogari possit?*

Resp. De omnibus generatim, quae ad ejus expulsionem conducunt, v. g. de tempore et causa possessionis, de signo egressus etc. — *S. Lig. n. 5.*

Quaer. 3° *Quomodo peccet, qui daemonem variis de rebus ex curiositate interrogat?*

Resp. Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum daemone obsidente habeat; *a fortiori,* si cum ipso jocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quaestionem curiosam modo imperativo interponat. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 4° *Quaenam sint signa verae possessionis?*

Resp. Praecipua sunt 1° loqui idiomate ante tempus possessionis prorsus ignoto; — 2° occulta et distantia manifestare, quae captum hominis superant; — 3° parere mandato mere interno sacerdotis etc.; — 4° experiri majorem daemonis vexationem aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum etc.

Nota: Non facile generatim credendum est, aliquem a daemone possideri, quia verae possessiones nostris temporibus rarae sunt et pleraeque ex iis, quae perhibentur, falsae inveniuntur.

CAPUT III.
DE VOTO.

319. — Definitio: Votum est promissio deliberata Deo facta *de bono meliori.*

Divisio: Distinguitur votum

1° *solemne* vel *simplex,* prout fit

solemniter et ab Ecclesia acceptatur, aut seclusa solemnitate et Ecclesiae acceptatione emittitur;

2° *personale* vel *reale,* prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personae separabilis promittitur;

3° *temporarium* vel *perpetuum,* prout ad certum tempus tantum promittitur, aut per totam vitam servandum est. — *S. Lig. n. 194. 195.*

Agendum: 1° de conditionibus ad votum requisitis; 2° de obligatione voti; 3° de ejus cessatione.

ARTICULUS I.
DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Conditiones ad voti validitatem requisitae in ipsa voti definitione continentur. Duae sunt praecipuae: 1° intentio vera; 2° materia apta.

§. I.

De intentione ad votum requisita.

320. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu promissio vera Deo sub peccati poena facta, quia votum est lex quaedam particularis, quam vovens sibi coram Deo imponit.

Sufficit autem voluntas et deliberatio, quae ad peccatum mortale requiruntur.(1)

Hinc votum essentialiter differt a proposito; propositum enim, quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit et illius omissio non est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. g. propter animi inconstantiam, taedium aut negligentiam, nec tunc peccatum veniale excedit. — *S. Lig. n. 196. 199.*

Quaesita:

321. — Quaer. 1° *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem jam cognitam?*

Resp. ad 1um. Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam illud inducit, quia non datur votum sine intentione sese obligandi. Valet autem votum, si in confuso vel implicite saltem obligatio cognita fuerit, quia, qui vult vovere, etsi non clare totam voti obligationem cognoscat, censetur tamen vovere hoc vel illud, prout ceteri vovere solent.

Resp. ad 2um. Valet, si, qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat, quia voti obligationem virtualiter contrahere intendit. — *S. Lig. n. 201.*

Quaer. 2° *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1° *Negative,* si error versetur circa substantiam rei, vel circa circumstantias substantiales seu quae principaliter intenduntur, aut substantiam ingrediuntur vel illam notabiliter mutant, quia tunc res promissa non est satis cognita et volita. — *S. Lig. n. 198. et alii omnes.*

Resp. 2° *Affirmative,* si versetur error circa circumstantias accidentales minoris momenti, quae voto non obstitissent, si secluso errore cognitae fuissent; nam qui vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia, quae in voto adimplendo occurrere possunt. — *Ita S. Lig., Concina, Elbel, Collet.*

322. — Quaer. 3° *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1° *Negative,* si metus sit gravis, injustus et incussus in ordine ad votum. Ratio est, quia Deus non censetur acceptare talem promissionem, quam homo probus non acceptaret. Constat ex jure canonico quoad vota solemnia religionis, et probabilius etiam quoad cetera vota juxta interpretationem communiorem theologorum. — *S. Lig. n. 197.*

Resp. 2° *Affirmative,* si metus

(1) Inde nullum est votum factum in ebrietate, etiamsi fuerit praevisum, dummodo ante ebrietatem consensus ad obligationem non sit praestitus. — *S. Lig. n. 196. 4.* — *Voit n. 571.* — Sufficit vero aliquando *implicita* promissio, ut patet ex voto castitatis suscepto cum ordinibus sacris sine expressa promissione. — *S. Lig. n. 200.* — Cf. tamen infra p. 2. n. *41.*

oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi voventi usum rationis adimat, quia tunc votum illud est simpliciter voluntarium. Item, si metus proveniat ex causa levi, quia metus ille non censetur efficaciter in actum influere et est potius occasio, quam causa voti.(1) — *Ita communiter cum Sanchez, Azor, Salm.*, et *S. Lig.* id dicit *probabilius n. 197.*

Quaer. 4° *An voto teneatur, qui dubitat, utrum votum vel merum propositum emiserit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1um. Negative. Constat ex dictis de probabilismo. Si autem promittendo credidit se peccaturum, si forte rem propositam non exsequeretur, judicandum est, eum vere vovisse. — *S. Lig. n. 201.*(2)

Resp. ad 2um. Negative etiam, si positive et graviter dubitet de sufficienti deliberatione, ex eadem ratione. Plerumque ex solis circumstantiis res dirimenda est. *S. Lig.* affirmat *n. 196.*(3)

§. II.

De materia voti.

Principia:

323. — I. Materia voti debet esse res *moraliter bona,* imo de *bono meliori,* quia Deus non colitur actione indifferenti aut minus bona; nam per votum promittitur Deo specialis cultus, qui haberi nequit, nisi in promissione rei *melioris.* Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad varias circumstantias intelligitur.

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis,* quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile.* Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, pro hac parte valet votum; non valet autem, si sit moraliter indivisibilis. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 202.*(1)

Quaesita:

324. — Quaer. 1° *An valeat votum de materia jam aliunde praecepta?*

Resp. Affirmative, quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde votum hujusmodi est de re bona in se, cum praecepta supponatur, et est de bono meliori, cum novum vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferat. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 213.* — *Salm.*

Quaer. 2° *An valeat votum rei bonae cum fine pravo aut conditione mala?*

Resp. Negative, quia finis malus aut conditio turpis rem bonam inficit.

(1) Valet etiam, prout sub *Resp. 1°* indicatur, si metus sit juste vel non ad extorquendum votum incussus. — *Scav.*

(2) In dubio, utrum quis votum emiserit vel simplex propositum, aderit votum, si vere et directe se obligare voluerit. In dubio de hoc inquiratur, quibus verbis usus sit. Quae si ex communi sensu fidelium etc. votum exprimant (quia v. gr. speciem pacti cum Deo continent, opus pium in ejus honorem exsequendi, si aliquod beneficium nobis praestiturus sit), obligatio praesumenda est, nisi alia sufficiens causa, v. gr. ignorantia dubitantis, illa verba talem vim habere, obstet. Si etiam his consideratis intentio se obligandi dubia maneat, praesumendum, eum non vovisse. Ita *Voit n. 567—569.*

(3) Videtur tamen *ib.* cum *Busembaum* concedere, in dubio de sufficienti deliberatione non obligare votum, si ante septennium emissum fuerit, nisi ex circumstantiis appareat, usum rationis revera adfuisse.

(1) Analoge judicandum est, si votum forte quoad partem impossibile evadit. Attendendum est primo ad intentionem voventis. Si de hac non constat, sequentes regulae nservient: 1) Si partes unum indivisibile, saltem moraliter (vel ex rei natura, ut partes ecclesiae, vel ex hominum aestimatione et usu) constituunt, deficiente parte deficit totum. — 2) Si vero econtra (ut v. gr. summa pecuniae, psalterium B. Virginis recitandum), manet obligatio ad partem superstitem, dummodo haec sit adhuc apta materia voti et de bono meliori. — 3) Ruente principali ruit accessorium, sed non vice versa. — *Scav. cap. 1. art. 2. Q. 6.* — *Voit n. 576.*

Hinc non valet votum eleemosynae vel peregrinationis ad captandam vanam gloriam, ad impetrandum felicem furti successum etc. Nec valet votum, pium aliquod opus praestandi, si successerit criminis intenti exsecutio, quia esset implorare Dei auxilium ad malum patrandum, quod blasphemum est. Secus tamen dicendum juxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, ut si quis vovens ob Dei gloriam ex vana ostentatione libentius *externe* voveat. — *S. Lig. n. 206.*

Quaer. 3° *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1° Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est. — *Conc. Trid. sess. 6. can. 23.*

Resp. 2° Valet autem votum vitandi omnia mortalia vel omnia venialia deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia sine speciali privilegio. Item valet votum non committendi venialia certi generis, v. g. numquam mentiendi, quamvis ob nimiam exsecutionis difficultatem ejusmodi vota multis non expediant. — *Ita S. Lig. n. 203.* — *Bouvier* et *alii non pauci.* (1)

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONE VOTI.

Principia:

325. — I. Votum obligat *per se* sicut lex vel praeceptum Ecclesiae, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quaedam lex privata, quam quis sibi imponit.

II. Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. Ratio est, quia, sicut legislator vel superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam, qui vovet de re gravi, levem tantum obligationem sibi imponere potest. — Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis gravis obligationis capax non est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 211. 213.* (1)

Quaesita:

326. — Quaer. 1° *Quaenam materia censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp. Illa materia gravis est, quae vel aliquando ab Ecclesia praecepta sub gravi obligat, ut jejunium, missa etc., vel comparata cum alio praecepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti aut Dei cultum confert. — *Reuter.*

Quaer. 2° *An plures materiae leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Negative, si materiae leves voveantur separatim, ita ut obligatio sit affixa praecise tempori vel diei, seu in honorem diei ad illum sanctificandum. — Secus, si materiae leves per modum unius voveantur, ita ut diei determinatio non habeatur nisi ad exsecutionem urgendam, *ut fit in votis realibus* (2), nisi tamen aliud ex voventis intentione constet.

---

(1) Non valet votum *non vovendi,* nisi forte addita sit conditio: *sine permissione vel consilio confessarii* ad vitandum votum praeceps. Si tamen non obstante tali voto deliberate quis voveat, hoc secundum votum *per se* obligationem inducit. — V. *S. Lig. n. 210.; de 7° praec. n. 700. §. Prima sententia.*

(1) Pro voti interpretatione *Scavini* cum *Sporer* has statuit regulas: Prima ratio interpretandi voti est ipsa voventis intentio. — Si de hac dubium sit, intelligantur verba secundum communem usum et acceptionem regionis. — Re adhuc ambigua, interpretatio fiat materiae voti, ejus scilicet naturae et necessariis conditionibus, adaptata. — Si nec hoc sufficit, votum observetur eo modo, ac si haberetur lex divina vel ecclesiastica hac de re. — Omnibus tandem deficientibus fiat interpretatio in favorem voventis, ita ut, quod minus, sufficiens tamen est, eligatur. — V. *ex. gr. p. 2. n. 781.*

(2) Cf. supra *n. 106. Q. 5.* Praesumi-

327. — Quaer. 3° *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. Negative, saltem ratione voti, quia votum est onus personale voluntarie susceptum nullusque rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc irrita sunt vota parentum filios devoventium tali religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. g. certis diebus jejunandi. — *S. Lig. n. 213.*

Dixi: *saltem ratione voti;* nam ex justitia haeres vota realia defuncti solvere tenetur. — *S. Lig. ibid.* — *Vide* dicenda in *tract. de contract.,* ubi *de promissione.*

Quaer. 4° *Quaenam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1° Gravis est *per se* quaelibet dilatio voti graviter obligantis, quod tempori determinato affixum est, ut est votum jejunandi in tali vigilia etc., quia elapso tempore cessat voti obligatio, quae compensari nequit.

Resp. 2° Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti exsecutionem praefixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit; qualis autem sit mora notabilis, ex natura rei promissae, ex fine et aliis circumstantiis judicandum est. Generatim loquendo minor mora requiritur ad grave peccatum, ubi adest periculum oblivionis vel impotentiae, aut imminutio notabilis voti, ut in iis, quae pro tota vita fiunt.

Hinc 1° peccat graviter juxta communem sententiam, qui differt ultra duos vel tres annos sine causa quodlibet votum de re gravi, etiam secluso periculo oblivionis, impotentiae etc., quia in hoc est gravior deordinatio, quam si alteri homini rem debitam dare nimis diu differat. — *S. Lig. n. 221. etc.* contra *Tamb.* et *alios,* qui dicunt, nullam dilationem, quantumvis longam, *per se* mortalem esse. — 2° Peccat etiam *probabilius* graviter, qui differt ultra sex menses vota perpetua, ut votum ingrediendi in religionem, quia tunc cultus Dei notabiliter minuitur cum notabili imminutione vitae. — *Ita S. Lig. ibid., Lacroix, Sanchez* et *alii communiter* contra *plures,* qui duos vel tres annos ad moram gravem requirunt, ut in casu praecedenti.

Resolves:

328. — 1° Vota realia de suo solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus sive sponte pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat, quia, quod dat alter, fit ipsius proprium. Excipe: si materia voti realis fuerit determinata; tunc enim ea *in individuo* eroganda est. — *S. Lig. n. 217.*

2° Vota personalia impleri tantum possunt ab ipso vovente, nec ad haeredes transeunt. Hinc, qui vovit peregrinationem, non satisfacit alium ad eam peragendam conducendo.

3° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. g. de rosario diurno aut jejunio singulis sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio, an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est. — *S. Lig. n 221.*

4° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g. eleemosynam, pecuniam etc., satisfacit dando id, quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere. — *S. Lig. n. 222.*

5° Qui vovit audire sacrum per mensem vel annum, *probabilius* non tenetur in festis audire duo sacra, nisi explicite hoc voverit, quia finis voti est, ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur jeju-

---

tur enim *in votis realibus* tempus appositum ad sollicitandam obligationem, nisi votum habeat specialem connexionem cum illo tempore, *in votis personalibus* vero ad finiendam obligationem. — *S. Lig. n. 220.*

nare die dominica, qui per mensem, annum, vel per totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit, quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiae faciendum. — *S. Lig. n. 224.*

6° Qui vovit jejunium pro vigilia alicujus sancti, si haec in diem dominicam incidat, die sabbato juxta morem Ecclesiae votum adimplere potest. — *S. Lig. ibid.*(1)

ARTICULUS III.
DE CESSATIONE VOTI.

329. — Obligatio voti cessare potest 1° ob causas intrinsecas, scilicet: cessatione causae motivae, mutatione substantiali materiae(2) et impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est *n. 121.;*

2° ob causas extrinsecas, scilicet: irritatione, dispensatione et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

§. I.
De irritatione votorum.

Definitio: Irritatio voti est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo, cujus potestati subest voluntas voventis aut materia voti.

Divisio: Est 1° *directa,* si cadat *directe* in personam voventis; 2° *indirecta,* si cadat tantum in voti materiam.

Principia:

330. — I. Omnis superior potestate dominativa in voluntatem alterius praeditus (ut superior regularis vi voti obedientiae) potest omnia subditorum vota *directe* irritare, nec ea irrita reviviscunt umquam. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas vi status sui perfecte superiori subjacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *nisi superior contradixerit.*

Hinc vota particularia(1) regularium et monialium irritari possunt 1° a summo Pontifice; 2° a superioribus ordinis vel domus; 3° ab episcopo proprio, nisi ordines sint exempti ab ejus jurisdictione.(2) — *S. Lig. n. 227.*

---

(1) In voto disjunctivo (in voto nempe praestandi unum e duobus vel pluribus) pars, quae eligitur, praestanda est, etsi *post electionem* altera pars pereat etc. Si vero *ante electionem* una pars totaliter perierit sine culpa voventis, votum ruit; — si adfuerit mora culpabilis in electione, obligatio manet ad partem superstitem. — *S. Lig. n. 224.*

Si vovens verificationem conditionis voto appositae impediat rationibus vel precibus, non peccat; secus, si id fiat vi vel fraude: probabilius autem etiam in hoc casu a voto liber manet, nisi contraria intentio voventis praesumenda sit. — *S. Lig. n. 218.*

(2) Notabilis mutatio in materia voti, cui communiter accensetur et ipsa impossibilitas, contingit 1° si materia fiat illicita vel indifferens vel impeditiva melioris boni; 2° si fiat omnino impossibilis; 3° si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus, v. gr. si quis vovisset aedificationem ecclesiae, sed dein ita pauper fiat, ut nequeat voto satisfacere sine status sui detrimento. — *Scav.* Patet, mutationes sub 1° et 2° vim voto adimere. Quoad mutationes 3ii generis communis sententia est, in omni promissione, ergo etiam in voto, obligationem per mutationem materiae de se notabilem auferri: imo probabilius votum cessat saltem durante hac mutatione, si supervenit circumstantia, qua praevisa quis votum non emisisset. — *S. Lig. n. 226.* Excipe tamen: 1° Si incommodum istud ex natura rei rationabiliter potuit praevideri, cum secus talia vota numquam firma permanerent. — *Veit n. 591.* Hinc votum etiam simplex castitatis vel religionis non cessat carnis, contra quos tunc alia remedia adhibenda sunt. 2° Si bonum publicum firmitatem voti expostulat. Hinc per ejusmodi mutationes non eliminantur vota solemnia emissa in professione religiosa vel in susceptione ordinum; item vota, quae emittuntur a viris aut mulieribus oblatis in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiae. — *S. Lig., de praec. part. n. 50.*

(1) Excipienda enim sunt ea, quae ipsa ordinis institutio flagitat, necnon votum ingrediendi religionem strictiorem. — *Layman, c. 7. n. 6. et communiter.*

(2) De hac episcopi potestate asserunt *Salmant., de voto c. 3. n. 33.* (et consentit *S. Lig. n. 233.*): Episcopi solum possunt irritare vota monialium sibi subiectarum, quia respectu illarum habent

II. Omnis superior vel dominus irritare potest *indirecte* omnia subditorum vota in iis, in quibus laeditur ipsius potestas, quia quisque jus habet, ne in suo dominio laedatur. Sed vota haec reviviscunt, quando sine alterius praejudicio adimpleri possunt.

Hinc 1° Maritus irritare potest vota uxoris, quae juri conjugali, filiorum educationi vel domus gubernationi praejudicant.

2° Uxor irritare potest vota mariti, quae matrimonii jura laedunt, ut votum castitatis, longae peregrinationis, induendi habitum eremitae etc.

3° Herus vota famulorum, quae obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie missam audiendi, irritare potest. — *S. Lig. n. 241. et seq.*

III. Omnia vota impuberum, etiam castitatis et religionis, possunt *directe* irritari a paterna potestate. Constat ex jure canonico c. Puella (2.) *causa 20. quaest.* 2.

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre et in patris defectu ab avo paterno, a tutore; his deficientibus a matre, et *probabiliter* etiam praesente patre. — *S. Lig. n. 229.*(1)

Quaesita:

331. — Quaer. 1° *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* sed tantum potest *indirecte* irritare ea vota, quae juribus suis obstant. Quoad alia enim uxor non est subjecta. — *Ita Voit n. 600.* — *Layman* etc. — *Affirmant* tamen nonnulli cum *S. Lig. n. 234.* (ut *probabilius*).(1)

Quaer. 2° *An pater possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirmative, modo filii pubertatem adepti ea non confirmaverint. Imo *probabiliter*, etiamsi illa ratihabuerint, nescientes irritabilia esse. — *S. Lig. n. 238.* et *alii* contra *alios.*

Quaer. 3° *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. Affirmative quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua; sed *negative* quoad liceitatem, quia irrationabiliter impeditur sic profectus spiritualis subditi etc. Id tamen communiter peccatum veniale non excedit. — *S. Lig.* et *alii communiter.*

Quaer. 4° *An superior irritare possit vota a se ratihabita?*

Resp. Affirmative, quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet. — *S. Lig. n. 239.*(2)

§. II.

De dispensatione votorum.

Dispensatio voti est absoluta ejus condonatio nomine Dei a superiore legitimo facta.

---

aliarum monialium et regularium exemptorum, qui per exemptionem sunt ab eorum potestate liberati; nec vota suorum clericorum aut aliorum saccularium irritare possunt, quia respectu illorum solum habent jurisdictionem, non dominationem. — Ast verius dicendum est, episcopis proprie dictam dominationem quoad religiosos vel moniales, etiam non exemptas, *saltem per se* non competere, ideoque nec directam irritationem votorum. — Cf. *Analecta J. P. ser. 5. col. 147. et seq. §. XVII.* Gaudent vero hac potestate abbatissae seu priorissae in eadem extensione, ac praelati regularium respectu suorum subditorum. — *Salm. l. c. n. 41.*

(1) Nequeunt vero hi, neque indirecte, irritare *vota personalia* (puta castitatis etc.) filiorum puberum, nisi praejudicent notabiliter gubernationi domesticae, quia homo puber est suae potestatis in iis, quae pertinent ad suam personam. (V. *n. 369. Q. 1° not.*) Possunt vero indirecte irritare *vota realia* puberum, in quantum ipsis nondum administratio bonorum suorum competit. — *S. Lig. n. 229.* — *Scav.*

(1) Sed neque ipse *S. Ligorius* asserere audet, maritum posse irritare votum uxoris, si *mutuo consensu* voverint castitatem aut religionem. (Cf. *Q. 4°* cum *nota.*) — *S. Lig. n. 236. 239.*

(2) Haec solutio tamen ad directam irritandi potestatem est restringenda. Peccat praeterea superior, qui sine justa causa vota irritat, si antea positive ea approbaverit. — Cf. *S. Lig. ibid.*

Principia:

332. — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, sicut et in juramentis. Constat ex verbis Christi *Matth. 16. 19.: Quodcumque solveris etc.*, et ex praxi constanti Ecclesiae. — *Antoine, de relig. c. 3.*

II. Soli praelati, quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt, quia haec potestas pertinet ad externam Ecclesiae gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc solus Papa dispensare potest a votis pro tota Ecclesia, episcopi autem vel praelati regulares pro subditis tantum respectivis, exceptis tamen votis Papae reservatis.(1) — *S. Lig. n. 256.*

III. Ad validitatem dispensationis semper justa causa requiritur, quia, cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare, nisi tamquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine ratione sufficiente, ut de legibus dictum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 250.*

Quaesita:

333. — Quaer. 1° *Quaenam sint justae causae hujus dispensationis?*

Resp. Bonum Ecclesiae, societatis, familiae, et ejus etiam, qui voto obstrictus est, v. g. si scrupulis vel gravibus tentationibus voti causa opprimatur, si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur etc. — *S. Lig. n. 252.*

Quaer. 2° *An superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirmative, si votum non fuerit acceptatum a proximo. Secus *negative,* quia tunc intercedit obligatio contractus.(2) — *S. Lig. n. 254.*

Quaer. 3° *Quaenam sint vota Papae reservata?*

Resp. Sunt: 1° Votum castitatis perfectae et perpetuae, non vero votum virginitatis tantum; 2° votum ingrediendi religionem ab Ecclesia approbatam; 3° votum peregrinationis Hierosolymitanae ad sepulchrum Christi; 4° votum peregrinationis Romanae ad limina apostolorum; 5° votum peregrinationis Compostellanae ad S. Jacobum. Haec autem non sunt reservata, nisi sint absoluta, determinata, perfecta ratione materiae et libertatis. Hinc non sunt reservata vota disjunctiva, poenalia, conditionata, *probabilius* etiam adimpleta conditione, quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex solo et perfecto affectu ad rem promissam. — *S. Lig. n. 258. et seq.*

Quaer. 4° *An episcopus possit dispensare conjugem a voto castitatis perpetuae ante matrimonium emisso?*

Resp. Affirmative juxta sententiam communem contra *plures*, quia dispensare potest ab omni impedimento impediente exercitium actus conjugalis. — *S. Lig. n. 258.* et *de matrim. n. 987.*(1)

§. III.

De commutatione votorum.

334. — Commutatio voti est substitutio alicujus operis loco operis promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet: in bonum melius, in aequale, in minus.

Principia:

I. Quicumque habet potestatem, etiam simpliciter delegatam, dispensandi a

(1) Conceditur episcopis in quinquennalibus facultas „dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis."

(2) Id tamen non sine exceptione intelligendum; dispensat v. gr. Papa religiosus, quin requiratur consensus respectivi superioris, qui vota acceptavit et cujus interest, ordini membra conservare. — Cf. *Analecta J. P. ser. 2. col. 2313.* — *Reiffenstuel, in l. 3. decr. tit. 34. n. 52. etc.*

(1) Conceditur per facultates triennales episcopis potestas „dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit."

votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere: — non autem vicissim, quia major potestas in minore non continetur.(1) — *S. Lig. n. 246.*

II. Quisque potest privata auctoritate et sine causa speciali votum suum commutare in opus evidenter melius(2), modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit, quia, dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat, quod promiserat, cum perfectum in perfectiori includatur. Constat aliunde ex jure can. c. Pervenit (3.) *de jurejurando (II. 24.).* Excipe vota Papae reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum.(3) — *S. Lig. n. 243.*

III. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare, quidquid promisit. — *Ita omnes.* Imo, nec potest votum suum mutare in bonum aequale, quia posita promissione merito censetur esse Deo gratius, rem ipsam promissam ex fidelitate praestare, quam aliam aequalem ejus loco pro suo arbitrio substituere. — *Ita probabilius* cum *S. Lig. n. 244.* — *S. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 4. ad 3.* — *Suarez, de votis l. 6. c. 26.*

IV. Sacerdos delegatus ad vota commutanda ea in opus notabiliter minus commutare nequit, quia secus ex magna parte dispensaret et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non est adeo stricte interpretanda, ut ad opus omnino aequale coarctetur, sed in sensu lato accipienda est; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit, aequalitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fieri debet in allevationem ejus, qui sese voto obstrinxit. — *S. Lig. ibid.* et *n. 247.* et *alii communiter.*

Quaesita:

335. — Quaer. 1° *An requiratur causa aliqua ad votum in opus aequale vel paulo minus commutandum?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad *liceitatem,* quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2° *Probabiliter* etiam *affirmative* quoad *validitatem,* quia delegatus sine causa commutans limites suae potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam aeque *probabilem* dicit *S. Lig. n. 245.*(1)

Quaer. 2° *An facta commutatione liceat redire ad primum opus?*

Resp. 1° *Affirmative,* si commutatio facta fuerit in minus vel aequale, quia primum opus est aeque gratum Deo, imo et gratius videtur. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Etiam *affirmative probabilius,* si facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis. — *S. Lig. n. 248.*

336. — Quaer. 3° *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. 1° *Negative,* si mutatio facta

(1) Neque, qui simplicem habet commutandi facultatem, vota reservata commutare potest. — *Scav. art. 4. Q. 4.*

(2) *Melius* vocatur, quod est tale in ordine ad spiritualem utilitatem voventis et Deo gratius. — *S. Lig. n. 243.*

(3) Cessat et exstinguitur enim ipso jure omne votum, etiam reservatum Papae, eo ipso, quod quis in religione approbata solemnem professionem emittit, quamvis vovens nullam habeat intentionem illud commutandi. Excipe tamen vota realia a tertio acceptata. — *Ferraris, ad v.* Votum *art. 3. n. 8. q. 153.*

(1) Minor tamen requiritur causa ad commutandum votum, quam ad dispensandum ab eo. Et minor requiritur ad commutandum in aequale, quam in minus; tunc enim sufficit major subjecti propensio vel minus periculum votum transgrediendi. — *S. Lig. n. 244.* (Nota auctoris.)

Curet insuper commutans, nisi legitimae rationes aliter agendi adsint, substituere opus simile, commutando scil. votum reale in aliud reale, personale in personale, perpetuum in perpetuum etc. — *S. Lig. n. 247.*

sit ab auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret, quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

Resp. 2° *Affirmative,* si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non dissolvitur prior obligatio, sed tantum illi satisfieri potest per impletionem superabundantem. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 249.*

Quaer. 4° *An, commutato voto reservato, materia subrogata sit etiam reservata?*

Resp. Negative probabilius, quia materia illa, quae substituitur, non est *per se* reservata, quamvis idem vinculum voti habeat. — *S. Lig. n. 260.* et *alii communiter.*

Nota: Sedulo adhortandi sunt fideles, praesertim mulieres et adolescentes, ut numquam vota emittant, nisi de consilio vel approbatione confessarii sui, imprimis si de voto castitatis agatur. Confessarius autem facultatem votum *perpetuae* castitatis emittendi non nisi difficillime et personis diu probatis atque maturae aetatis concedere debet.

DE III. DECALOGI PRAECEPTO.

„Memento, ut diem sabbati sanctifices."
Exod. 20. 8.

337. — Tertium decalogi praeceptum naturale est, quatenus praecipit, ut aliquod tempus cultui divino publico dedicetur; quatenus vero determinate designat diem septimum, caeremoniale est et in lege nova abrogatum, siquidem pro die sabbati Ecclesia diem dominicam in memoriam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi substituit. — *S. Lig. n. 263.*

Praeter diem dominicam Ecclesia instituit alios festos dies ad recolenda redemptionis nostrae beneficia vel sanctorum merita et exempla mandatque, ut illi non secus, ac dies dominica, sanctificentur.

Praeceptum illud, quatenus affirmativum est, quaedam opera praecipit, et quatenus negativum, quaedam alia prohibet; hinc caput duplex.

CAPUT I.

DE IIS, QUAE DIEBUS FESTIS PRAECIPIUNTUR.

1° In genere; 2° de auditione missae in particulari.

ARTICULUS I.
IN GENERE DE IIS, QUAE DIEBUS FESTIS SERVANDA SUNT.

Principia:

338. — I. Omnes fideles usum rationis habentes(1) tenentur *sub gravi* singulis dominicis et festis diebus interesse sacro(2), nisi gravi causa excusentur. Constat 1° ex jure can. in variis locis, praesertim ex *c.* Missas (64.) *de consecratione dist. 1.;* item ex *cap. 63. ib.;* — 2° ex omnibus catechismis, in quibus indubium praeceptum de missa his diebus audienda declaratur; — 3° ex damnatione *prop. 53.* ab *Innocentio XI.,* quae sic habet: *Satisfacit praecepto de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Dixi: *sub gravi;* agitur enim de re gravi in se, in existimatione communi fidelium et in unanimi consensu theologorum.(3)

II. Jubentur etiam fideles diebus dominicis et festis abstinere ab operibus servilibus proprie dictis. Constat 1° ex jure can. *decretal. l. 2. tit. 9. c. 1.;* — 2° ex perpetua praxi Ecclesiae, ex omnibus ejus catechismis plurimisque conciliis. — *Antoine, de religione c. 2. q. 1.* — Est autem praeceptum hoc *sub gravi,* quia rem gravem ad cultum Dei pertinentem respicit.

339. — III. Praeter ista duo nihil aliud servare tenentur fideles diebus

(1) Addit *Scavini:* qui moraliter advertere possunt ad missam. Ideo obligantur in genere caeci, surdi vel surdomuti, non autem caeci simul et surdi, cum eorum praesentia esset mere materialis. — Cf. *S. Lig. n. 270.*

(2) Sufficit vero unum sacrum etiam in die nativitatis Domini. — *S. Lig. n. 308.*

(3) Cf. *prop. 52. Innocentii XI.*

festis vi praecepti, saltem *sub gravi*. Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo praeceptum, saltem *sub gravi*. Est doctrina communis theologorum.

Dixi: *saltem sub gravi;* non pauci enim theologi addunt: *nec sub levi per se*. Quamvis enim, ajunt, ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, non tamen quidquam aliud praescribitur. Finis enim praecepti non cadit sub praeceptum. — *Ita Suarez, de relig. tom. 1. l. 2. c. 16. n. 4.* — *Elbel n. 385. et seq.* et *alii* multi, ut fatetur ipse *Concina,* qui hanc sententiam communem vocat.

IV. *Per accidens* tamen tenentur fideles ad aliquid aliud, si consuetudine loci receptum sit, vel si ad peccatum vel scandalum praecavendum aut aliquam obligationem implendam necessarium sit. Tenentur etiam assistere concionibus diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem, quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ad hunc finem necessaria. — *Billuart* et *alii communiter.* — Quam maxime autem inducendi sunt fideles ad alia pia opera praeter missam exercenda, ad fusiores preces fundendas, ad conciones et catecheses frequentandas etc. (1)

Nota: Excusatus die dominica a missa non tenetur ratione praecepti persolvere domi preces, quas tempore sacri recitasset vel recitare solet, quia ad nullas preces determinatas audiendo missam adstringitur. — *Suarez ibid.*

340. — Quaer. *An vel qualis sit obligatio assistendi officio vespertino seu vesperis diebus dominicis et festis?*

Resp. 1° Nulla est obligatio urgens *sub gravi;* agnoscunt enim theologi communiter, non dari aliam obligationem *gravem* praeter missae auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus, ut supra dictum est.

Resp. 2° Nec probabilius *sub levi, per se* et *directe.* Etenim, si exsisteret certa obligatio de lege universali Ecclesiae, non posset ignorari a tot theologis, qui hujusmodi quaestiones perscrutati sunt. Recole auctores modo citatos, scilicet *Suarez, Bonacina* etc.

Attamen vesperis intervenire debent in locis, ubi ita fert consuetudo recepta, quae vigere videtur in variis Galliae et Belgii locis, ajunt *Billuart* et *Bouvier,* qui tamen sub veniali tantum ad id obligant et facile a tali obligatione excusant.

In praxi autem quam maxime inducendi sunt fideles, ut officio vespertino interveniant, nec facile excusandi sunt ab aliqua culpa indirecte, qui absque ulla ratione absunt, siquidem in otio tempus terunt innumerisque tentationibus et peccatis exponuntur. (1)

ARTICULUS II.
DE AUDITIONE MISSAE IN PARTICULARI.

Agendum: 1° de iis, quae ad missam rite audiendam requiruntur; 2° de causis ab ea excusantibus.

§. I.
De iis, quae ad missam rite audiendam requiruntur.

Tria requiruntur: 1° praesentia corporis; 2° attentio mentis; 3° locus debitus.

PUNCTUM I.
Praesentia corporis.

Requiritur praesentia corporis moralis et continua.

341. — I. *Moralis,* scilicet ut quis sit ita praesens in loco, ubi fit sacrum, ut possit dici unus e numero assisten-

(1) Non incongrue forte asseri potest, legem dupliciter ad aliquid inducere posse: 1° per modum obligationis; 2° per modum urgentis adhortationis, quae non minus differt a praecepto, quam a simplici consilio; opera ejusmodi pia porro hoc secundo modo per III. decalogi praeceptum commendari.

(1) Praeterea: qui diebus festis habitualiter negligunt ejusmodi opera pia, quae non praecipiuntur, multo magis ea negligent diebus ferialibus et sic facile aliis obligationibus deerunt.

tium et offerentium sacrificium. Ad hoc autem sufficit, ut sit in loco, unde missam sequi possit quoad partes praecipuas sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.(1)

II. *Continua,* i. e. perseverans ab initio ad finem missae, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem ejus partem, et venialiter, qui partem exiguam omittit, nisi justa causa excusetur.

Resolves:

1° Missae valide assistit, qui, etsi sacerdotem non videat nec audiat verba, sacri partes distinguit sonitu campanulae, cantu chori, motibus assistentium, quibus moraliter jungitur, licet sit extra ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam vel post parietem, modo ad partes praecipuas missae advertat.

2° Item *probabilius,* qui est in cubiculo vel in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare aut assistentes videat, aut partes missae distinguat, dummodo parvum sit spatium inter ecclesiam et locum, in quo est. — Secus autem, si magnum spatium aut platea intercedat, ut *communius* docetur. — *S. Lig. n. 312.*

3° Non assistit sacro, qui e longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter.* Juxta *Lugo* et *alios* spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis sacro adsit. Sed hoc merito non admittit *S. Lig., Hom. apost. tr. 6. n. 35.*

Quaesita:

312. — Quaer. 1° *Quaenam omissio reputanda sit gravis aut levis in missa?*

Resp. Non facile determinari potest; quamvis enim juxta *omnes* tertia pars missae sit notabilis, non tamen constat, quae sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum e diuturnitate, sed maxime e dignitate dijudicari debeat. Haec tamen juxta communem sententiam statui posse videntur:

1° Grave est, omittere omnia usque ad offertorium *inclusive.* Leve autem certo est, omittere omnia usque ad epistolam *exclusive,* et *probabilius* etiam *inclusive;* imo *probabiliter* etiam juxta *S. Lig. n. 310.* usque ad evangelium *inclusive,* licet s. doctor oppositam sententiam ut *probabiliorem* habeat. Ratio horum est, quia, quae praecedunt, proprie ad sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti praeparatio ad illud. — *Lugo* etc.

2° Grave est juxta *omnes,* omittere omnia ante evangelium et simul omnia post communionem; non vero omittere sola illa, quae communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante epistolam et omnia post communionem. — *S. Lig. n. 310.* — *Lacroix n. 666.*

3° Gravis habenda est omissio canonis a consecratione usque ad Pater noster *exclusive,* quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio offertorii; item omissio symboli et praefationis, etiamsi decantentur, quia haec ad essentiam missae non pertinent. — *S. Lig. ibid.* — Evangelium autem S. Joannis in fine *probabiliter* non est proprie pars missae, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

4° Grave est, omittere consecrationem et communionem; imo et solam consecrationem, quia est pars dignissima, in qua saltem praecipue consistit sacrificii ratio. Quinimo *probabilius* grave est, uni tantum consecrationi non adesse, quia essentia sacrificii *probabilius* in utraque consecratione consistit. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 6. n. 33.* Utrum vero solam communionem praeterire sit grave, controvertitur. Affirmativa sententia videtur *pro-*

(1) Assistentia autem moralis eo sensu, quod religiosa sit et pia, in attentionem recidit. — (Nota auctoris.)

babilior; essentia enim sacrificii *probabiliter*, imo juxta *S. Lig. ibid. probabilius* in consecratione simul et in sumptione consistit.

343. — Quaer. 2° *An praecepto satisfaciat audiens duas dimidias missas a diversis sacerdotibus vel* simultanee, *vel* successive?

Resp. 1° *Negative* prorsus, si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quae confirmatur *propositione 53. ab Innocentio XI.* damnata, quae sic sonat: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.*

Resp. 2° Si vero successive, dist.: 1° *Negative,* si consecratio et communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia praecipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto sacrificio. Illud autem non habetur, nisi tum consecratio, tum communio in eadem missa conveniant. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 6. n. 34.* — 2° *Affirmative* autem *probabiliter,* si consecratio et communio in eadem dimidia parte missae reperiantur, quia tunc ratio integra sacrificii in eadem parte habetur. — *S. Lig. n. 311.* — *Lugo* — *Azor* contra *plures.*

Quaer. 3° *An teneatur reliqua audire, qui post consecrationem advenit?*

Resp. Negative probabiliter, quia deficit jam essentia sacrificii et proinde cessat obligatio illi assistendi, cum praeceptum sit de audienda missa, non de audienda ejus parte. — *Mazzotta et alii* contra *Collet.* — Attamen sententia opposita gravi etiam innititur fundamento, quia haberi potest assistentia parti notabili caeremoniae ab Ecclesia praeceptae. Hanc secundam sententiam dicit *S. Lig. n. 310. valde probabilem* et in praxi sequendam; primam tamen *probabilem* appellat.

Quaer. 4° *An, qui omittit levem partem missae, teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirmative probabilius (nisi de parte valde exigua agatur), quia missam integram audire tenetur. — Sic *S. Lig. n. 310.* — *Salm.* contra *alios.* Ceterum ratio sat levis ab illa obligatione supplendi eximere potest.

PUNCTUM II.

Attentio mentis. (1)

344. — Attentio ad missam duplex distinguitur:

1° attentio *interna,* qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quae a sacerdote peraguntur (2);

2° attentio *externa,* quae in eo consistit, quod ille, qui audit sacrum, non ponat actionem externam impedientem mentis applicationem, ut esset v. g. confabulari, pingere etc.

Attentio interna etiam triplex est: 1° alia ad verba et ad actiones sacerdotis; 2° alia ad sensum verborum et mysteriorum; 3° alia ad Deum ipsum per preces piasve meditationes.

Principia:

I. Requiritur omnino attentio saltem externa ad missam valide audiendam, quia nullo modo dici potest sacro interesse, qui ponit actiones cum attentione interna incomposibiles; imo ille impudenter Deo et Ecclesiae illudit. — *Ita omnes.* (3)

II. Sufficit certo attentio interna quaelibet ex tribus modo expositis, scilicet vel ad verba, vel ad sensum, vel ad Deum in genere. Ratio est, quia per quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum, qui

(1) De *intentione* necessaria cf. *n. 103. et seq.* Opus est scil. intentione audiendi missam uti actionem religiosam; sufficit vero *implicita* intentio, quae habetur, si quis templum petit, ut adimpleat officium christiani, vel missae interest tamquam rei sacrae, ad cultum divinum pertinenti. — *Scav.*

(2) dummodo id fiat *animo religioso,* non v. gr. solius curiositatis causa, quae etiam in sequentibus subintellige.

(3) Hinc graviter peccat et praeceptum non satisfacit, qui per notabile tempus *(n. 342.)* attentione necessaria caret.

per sacrificium intenditur, nec a rudibus perfecta applicatio requiri potest.

III. Requiritur certo attentio interna, saltem sub veniali ex religione, secluso Ecclesiae praecepto, quia id postulat reverentia debita Deo et mysteriis, quae peraguntur. — Nulla autem oratio vocalis absolute requiritur, quia assistentia religiosa Deum honorat et nihil aliud praescriptum habetur. — *S. Lig. n. 313.*

In praxi tamen fidelibus, praesertim rudibus, enixe suadendum est, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro missae auditione, vel rosarium beatissimae Virginis, ne nimiis distractionibus exponantur.

Quaesita:

345. — Quaer. 1° *An requiratur necessario attentio interna sub gravi, ratione praecepti missam audiendi?*

Resp. Controvertitur. — I. Sententia *communior et probabilior affirmat.* Etenim ab Ecclesia praecipitur actus, quo Deus colatur. Atqui sola praesentia physica Deus coli nequit. Ecclesia igitur, praecipiendo directe actum exteriorem auditionis missae, videtur praecipere indirecte attentionem saltem aliquam tamquam conditionem, sine qua non consisteret actus externus formalis. — *Ita S. Thomas — Billuart — Elbel — Salm.* et *alii non pauci.*

II. Sententia *negat.* Ratio est, quia assistentia cum attentione mere externa est actus sufficienter religiosus, nec constat, aliud ab Ecclesia praecipi. — *Ita Lugo, Lacroix,* et dicit *probabile S. Lig. n. 313.*, etsi oppositum *probabilius* censeat. Ei assentit *Gousset n. 553.*

Ceterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim juxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in gradu remisso, tempe ad praecipuas missae partes; juxta posteriorem vero requiritur 1° ipse animae motus seu vera intentio laudandi Deum; 2° attentio talis, ut assistens missae rationem sibi reddere possit, quod reapse sacro assistat, et consequenter, ut saltem in confuso ad praecipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in missa, sed potius amanter adhortandi sunt, ut pie et sedulo ad divina mysteria animum intendant.(¹)

346. — Quaer. 2° *An satisfaciat praecepto, qui tempore missae peccata confitetur?*

Resp. Negative, saltem si confessio sit prolixa, i. e. si toto tempore aut majori parte missae perduret, quia deest tum attentio interna, tum etiam externa; qui enim confitetur suas culpas, rei personam agit, non vero offerentis sacrificium cum sacerdote, nec missam audire moraliter censetur. — *Ita S. Lig. n. 314.* — *Lugo — Collet etc.* contra *plures.*

Quaer. 3° *An satisfaciat praecepto Ecclesiae clericus recitans breviarium tempore missae?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia recitatio officii divini non impedit, quominus quis possit interesse sacrificio missae et ad id animum applicare. Aliunde constat, posse plura praecepta adimpleri una eademque actione et eodem tempore, si illa actio ad varios fines dirigi potest. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 309.* — *Vide de leg. n. 106.*

(¹) Pro directione scrupulosorum advertat confessarius:

1° Poenitens non sit anxie sollicitus circa intentionem requisitam. Sufficit enim intentio *implicita,* assistendi missae tamquam rei sacrae. Haec vero in scrupuloso certo non deest.

2° Nec timeat quoad attentionem. De externa patet Ut vero dicatur, quemquam per defectum internae huic praecepto non satisfecisse, non solum opus est, ut *voluntarie* se distrahat per notabile tempus, sed etiam ut plene advertat, se distrahi, et tamen adhuc in mentis divagatione immoretur.

3° Confessarius tandem non permittat scrupuloso aliud sacrum audire in eum finem, ut scrupulo de missa non audita satisfaciat. — Ita fere *Scav.*

Resolves:

347. — 1° Satisfaciunt praecepto ministrantes missae; satis enim attendunt exhibendo suum ministerium, quo actualiter ad sacrificium cooperantur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis etc.; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur nec necessario impediunt attentionem ad ea, quae in altari peraguntur. — *S. Lig. n. 317.*

2° Satisfaciunt, qui eleemosynam colligunt, eulogias distribuunt, modo ad missam simul attendant. — *S. Lig. ibid.* Si autem praevideant, se hanc attentionem praestare non posse, aliam missam prius aut posterius audire debent, si commode possint.

3° Satisfaciunt, qui conscientiam tempore missae discutiunt, ut confiteantur, sacramentalem poenitentiam persolvunt aut etiam orationem debitam faciunt, quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici praecepto simul satisfieri potest, si res praeceptae possint eodem tempore praestari. — *Ita communiter* contra *plures.* — Item, qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias, licet spirituales, animo discendi stylum. — *S. Lig. n. 314.*

4° Satisfaciunt etiam, qui involuntarie distrahuntur, licet toto sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant; tunc enim non magis satisfaciunt, quam involuntarie dormientes per notabilem missae partem, licet a peccato excusentur. — *Ita communiter.* — Dormitans autem interdum inter sacrum satisfacit aut saltem non graviter delinquit, modo advertat ad id, quod fit. — *S. Lig. n. 316.*

5° Satisfaciunt etiam quoad substantiam seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie distrahuntur etiam tempore toto sacri, modo simul attendant; hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non sint adeo vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit. — *Reuter n. 284.*

6° Non autem satisfaciunt, qui de re seria confabulantur per notabilem missae partem, vel imagines attente considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi haec fiant interruptim, ita ut attentionem internam non omnino tollant. — *S. Lig. n. 317.*

PUNCTUM III.
Locus debitus.

Quaestio duplex est circa locum audiendae missae: 1° An praecepto satisfieri possit in oratoriis privatis? — 2° An sit obligatio assistendi missae in parochia seu missae parochiali?

I. Quoad oratoria privata.

348. — Oratoria privata sunt sacella in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concesso, ut ibi peragantur divina mysteria. — Non censentur vero privata, sed ut publica sunt habenda ea oratoria, quae de licentia episcopi erecta sunt in seminariis, monasteriis seu domibus religiosorum vel monialium aliarumve communitatum, ut in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus episcoporum, imo et in domibus ipsis privatorum, si ingressus in viam publicam pateat. — *S. Lig. n. 319.; de euchar. n. 357.; Hom. apost. tr. 6. n. 37.*

Certum est, satisfacere praecepto audiendae missae in oratorio privato omnes, qui in indulto comprehenduntur, nempe dominum oratorii cum suis et familiaribus, qui expensis domini vivunt et ejus servitio addicti sunt. Excipiuntur dies festorum praecipuorum, nempe paschatis, pentecostes, natalis Domini, epiphaniae, ascensionis, assumptionis, festi S. Petri, et omnium sanctorum (¹). — *S. Lig. n. 318. 319.; de euchar. n. 359.*

(¹) item annuntiationis et feriae V. in coena Domini (ex decr. S. C. R. 17. Ma-

Non autem satisfaciunt extranei juxta communem sententiam cum *S. Lig. n. 319.* contra *Busemb.* — Constat enim ex verbis indulti, quod ordinarie sic sonat: *Volumus, ut, qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab obligatione audiendi missam in ecclesia.*

Quaer. *An teneatur dominus uti privilegio, si ecclesiam adire non possit?*

Resp. Affirmative, si sacerdotem commode habere valeat; obligatur enim tunc procurare, ut sacerdos adsit ad celebrandum, ne tum ipse, tum alii familiares et propinqui, qui ad ecclesiam accedere nequeunt, sacrificio missae priventur. — *S. Lig. ibid.* et *alii* contra *plures.* — *Vide plura de oratoriis privatis in tract. de eucharistia, ubi de loco missae celebrandae (n. 386. et seq.).*

II. Quoad missam parochialem.

349. — I. Certum est, exstitisse olim obligationem assistendi missae parochiali, saltem semel *tribus dominicis continuis.* Constat ex antiquissima et universali consuetudine Ecclesiae, innumeris decretis conciliorum particularium confirmata, praesertim conc. *Eliberitani can. 21. (an. 305.). Sardicensis can. 14. et 15. (an. 347.).* Item ex *Benedicto XIV., de syn. lib. 11. c. 14. n. 7.*

II. Certum est, juri antiquo derogatum fuisse partialiter per privilegia regularibus concessa, etiam post concilium Trid. — Constat praesertim ex constitutione *Pii V. Etsi mendicantium (an. 1567.),* quae ait: *Christi fideles audiendo missam et alia divina officia in ecclesiis fratrum hujusmodi* (mendicantium) *diebus dominicis et festis praecepto Ecclesiae satisfecisse censeantur.*

III. Certum est autem, eidem juri antiquo universaliter derogatum esse generali consuetudine contraria legitime praescripta. Constat 1° ex testimonio plerorumque theologorum; 2° praesertim ex *Benedicto XIV., de syn. l. 11. c. 14. n. 8.,* ubi asserit, decretis conciliorum et summorum Pontificum obligationem statuentibus derogatum fuisse contraria consuetudine; imo, episcopum poenis adigere non posse subditos ad missam, neque ad concionem in parochia audiendam, sed tantum illos exhortandos esse, et ideo constitutiones episcopi Midensis hac de re latas ex Sacrae Congregationis Conc. Trid. sententia reformatas fuisse.

350. — Quaer. *An in Gallia urgeat adhuc praedicta obligatio?*

Resp. Negandum videtur[1], saltem *probabilius.* Ratio est, quia jus antiquum penitus abrogatum est consuetudine universali, quae constituit quoddam jus commune, contra quod insurgere nequeunt episcopi, ut declaravit *Bened. XIV. ibid.,* et proinde, si insurgant propria auctoritate, *illicite* et *invalide* agunt, cum potestatem ipsis a canonibus traditam excedant.

---

vemb. 1607) et s. titularis ecclesiae loci (ex decr. *S. C. C. in Derton. 17. Febr. 1685* apud *Monacelli,* cujus tamen *Anal. J. P.,* quae eamdem quaestionem proponunt *ser. 3. col. 647. et seq.,* mentionem non faciunt). Prohibetur praeterea, hisce diebus in tali oratorio celebrare. — Cf. *Ferraris, Prompt. Bibl. ad v.* Oratorium *n. 49.* — *S. Lig., de euch. n. 359.* — *Gardellini.*

Addimus duo responsa, quorum prius datum est a *S. Rituum Congregatione,* alterum a *S. Congregatione Concilii.*

Nonnullis festis, quorum solemnitas differtur in dominicam sequentem, interdicuntur sacra in sacellis domesticis. Quaeritur, an illud interdictum intelligendum sit de die festivitatis, vel de dominica, in qua fit solemnitas?

Resp. In die festi. —

An in oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica concediturut missa die nativitatis Domini celebretur, tres missae ab eodem sacerdote celebrari possint, vel unica tantum missa sit celebranda in casu dt.?

Resp. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — V. *Anal. J. P. l. c.*

(1) Idem valet pro Germania.

— *Ita Gousset, Justification de S. Lig. p. 255.* et in *theolog. mor. n. 555.* — *Bouvier, de 3. praecept. art. 3.* — *Rit. Bellicense etc.* Et sic declaravit concilium *Remense,* anno 1850. celebratum, *tit. 3. c. 6.,* quod plura alia recentiora concilia Galliae in hoc imitata sunt.

In praxi sane fideles valde adhortandi sunt, ut missae parochiali et concionibus frequenter intersint, sed sub obligatione stricta ad id non sunt adigendi. Attamen a gravi culpa excusari nequeunt fideles cujusvis regionis aut nationis, qui, instructione christiana necessaria carentes, semper aut plerumque missae parochiali interesse negligunt, in qua tantum instrui possunt.

§. II.

De causis a missa excusantibus.

351. — Excusat a missa audienda quaevis causa mediocriter gravis, seu quae involvit notabile incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi. Constat et communi interpretatione et consuetudine, quae est optima legum interpres(¹). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 324.*

Resolves:

1° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus obest foras prodire; item qui infirmos custodire debent. — *S. Lig. n. 325.*

2° Excusantur viatores, quibus non occurrit ecclesia, in qua sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere ex eo, quod rhedarii publici vel socii itineris, sibi valde utile iter inceptum prosequentes, sistere abnuunt.

3° Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent aut similia necessaria peragere. Si autem plura fiant sacra, hi omnes missam successive audire debent, quantum fieri potest. — *S. Lig. n. 326.*

4° Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent, cui relinquant parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo conjuges tantum, alternis vicibus circiter sacro interesse debent. — *S. Lig. ibid.*

5° Excusantur saepe, qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere non possint sine magna difficultate, praesertim hiemali tempore.

6° Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur nec alium dominum facile invenire queant.

Sedulo tamen procurare debent, ut impedimenta quam citissime removeant, si possint. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 327.* — *Reuter n. 288.*(¹)

Quaesita:

352. — Quaer. 1° *Quaenam distantia excuset a missa?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinandum est. Sed regulariter excusat distantia trium milliarium seu iter pedestre unius horae cum quadrante, et minus, si plueret aut ningeret aut alia causa adesset. — *S. Lig. n. 329.; Hom. ap. tr. 6. n. 41.*

353. — Quaer. 2° *An excusetur a missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit sufficienter grave ad illum eximendum?*

Resp. In hoc casu standum est con-

(¹) et quandoque per se ab hac obligatione liberare valet. — *S. Lig. n. 330.*

(¹) Excusatur etiam a sacro, qui non habet vestes juxta statum suum decentes, nisi valde mane vel in ecclesia remota missam audire possit; item puella inhoneste praegnans, si metuat, ne id prodeundo animadvertatur etc. Non vero per se puella liberatur, si unica tantum celebretur missa et in hac proclamationes nuptiarum pro ipsa fiant, nisi praesens reapse tali rubore suffunderetur, ut magnum incommodum subiret, quod admodum raro eveniet. Excipe, si alicubi consuetudo vigeat, in tali casu sacrum non frequentandi. — *S. Lig. n. 330.*

silio medici, superioris, parochi, confessarii vel alius cujuslibet viri prudentis. Imo potest etiam infirmus suo judicio proprio acquiescere, si ita prudenter judicet. Quid vero, si petito consilio dubius adhuc remaneat? — Absolute ad missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni judicandum est, matrem Ecclesiam in tali casu non obligare. *Ita valde probabiliter*, ait *S. Lig. n. 325.* — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit.(1)

Quaer. 3° *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirmative probabiliter, quia praecepta Ecclesiae non obligant sub incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in *tract. de leg. n. 100.* Sed hujusmodi lucrum omnino extraordinarium esse debet. — *S. Lig. n. 332.* — *Elbel n. 368.* contra *plures.*

CAPUT II.

DE IIS, QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR.

Agendum: 1° de operibus diebus festis prohibitis; 2° de causis, ob quas aliquando permitti possunt.

ARTICULUS I.

DE OPERIBUS, QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

354. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1° opera *servilia* seu corporis, quae a servis seu mercenariis fieri solent; — 2° opera *liberalia* seu animi, quae a personis liberis ordinarie exercentur; — 3° opera *communia* seu naturalia, quae ab omnibus indiscriminatim fiunt. — Distinguuntur etiam opera *forensia,* quae ad forum judiciale aut mercatum spectant. — *S. Lig. n. 272.*

Principia:

355. — I. Prohibentur sub gravi per se omnibus fidelibus opera servilia propie dicta diebus dominicis et festis integris, i. e. tota die naturali de media nocte ad mediam noctem. Constat ex jure canonico *c.* Omnes (1.) *de feriis* (II. 9.), ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiae.

II. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quae cum apparatu judiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre etc. Ita ex jure can. *ibid.* Excipe tamen casum, in quo causa criminalis jam incepta interrumpi nequeat sine gravi incommodo vel damno multorum. — *S. Lig. n. 284.*

III. Pariter ex eodem jure prohibentur mercatus, nundinae, venditiones publicae et alia similia, quae cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen ob consuetudinem generaliter receptam nundinae ad certum diem constitutae, si in diem festum incidant. — Sic declaravit *Benedictus XIV.,* Const. *Ab eo tempore etc.* — *Vide S. Lig. n. 286.*

IV. Licita sunt opera *liberalia,* opera *communia* et opera aliqua, quae videntur *servilia,* sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum et alia, quae commode differri aut anticipari non possunt aut non solent. Ita ex praxi communi et omnium sensu.

Resolves:

356. — 1° Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere etc. Item opera artium mechanicarum, v. g. artis caementariae, ferrariae, lignariae, sartoriae, sutoriae, tectoriae etc. Item pleraque opera, quae ad artem typographicam concurrunt. Excipiunt *probabiliter* characterum collocationem. — *Elbel n. 401.* — *Layman* — *Sporer* — *Tambur.* — *S. Lig. n. 282.*

2° Non licet etiam ea facere, quae levem laborem exigunt et quae a monialibus confici solent, v. g. rosaria, scapularia, imagines sacras, flores arti-

(1) V. etiam *n. 118. Q. 4°* et *notam*

ficiales etc., quia haec in usu communi inter opera servilia adnumerantur. Attamen, cum isti labores et alii similes leviusculi sint, nec animum valde occupent neque corpus admodum defatigent, juxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem excusant ancillas, quae in familiis occupantur in decerpendis rosis decorticandisve pomis, etiam seclusa ulla urgenti necessitate. — Sic *Elbel n. 408.* — *Bonacina* — *Filliucius etc.* Sed potius dicendum videtur, in his operibus majus temporis spatium requiri, ut adsit culpa lethalis. Ita opinatur *S. Lig. n. 282.* — Non sunt tamen de ulla culpa arguendi, qui talibus occupationibus per exiguum tempus die festo vacant.

3° Licite ex recepta consuetudine venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelae, panni ad vestes conficiendas et alia hujusmodi. Attamen mercatores debent officinas suas claudere, ut ostendant, se diem dominicam ab aliis diebus distinguere.

4° Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves aliaeque merces, sive praesentes, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo haec fiant inter privatos.

5° Tolerantur etiam publicae venditiones sub hasta diebus dominicis, peractis divinis officiis, quia aliis diebus pauciores essent concurrentes etc. Toleratur, ut mercatores rerum parvi momenti ex uno loco in alium merces deferant, ostendant et vendant. — *Bouvier.*

Quaesita:

357. — Quaer. 1° *An liceat scribere vel transscribere die festo?*

Resp. ad 1um *Affirmative,* quia hoc opus omnino liberale est, cum in ea actione praecipue animus agat. — *Ita omnes.*

Resp. ad 2um *Affirmative* etiam *probabilius,* quia transscribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 279.* contra *Billuart* et *alios.*

Hinc 1° licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare, imo et lineas praevias ducere, modo hoc opus immediate transscriptionem notarum praecedat. — *Elbel n. 400.* et *alii.*

2° Pariter fas est, libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superposita charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. — *Elbel n. 401.* etc.

Quaer. 2° *An liceat sculpere vel pingere?*

Resp. ad 1um *Negative per se,* quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur. — *S. Lig. n. 281.; Hom. apost. tr. 6. n. 10.* — *Probabiliter* tamen excipiendi sunt casus, in quibus de sola operis perfectione agitur.

Resp. ad 2um *Controvertitur.*

I. Sententia *affirmat,* quia pictura est ars liberalis vel saltem media inter liberales et serviles: est enim quid scriptioni simillimum, modo tamen pictura fiat sine magno apparatu, qualis habetur colores miscendo, tabulas praeparando etc. — *Ita Layman* — *Azor* — *Sporer etc.*

II. Sententia *negat,* quia dici nequit actio liberalis, cum non dirigatur ad animum excolendum, ut scriptura, et quia pingere fere idem est ac sculpere, quod opus servile est. — *Ita Salmant.* — *Sanchez* — *Suarez etc.* Utramque sententiam merito *probabilem* dicit *S. Lig. n. 280.*

358. — Quaer. 3° *An vero imagines acu pingere liceat?*

Resp. *Controvertitur.* Excusant multi; id enim magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. — *S. Lig. n. 281.* — *Sporer n. 45. etc.*

Quaer. 4° *An liceat venari et piscari?*

Resp. *Affirmative,* quia haec non

sunt opera servilia et consuetudine tolerantur, modo non fiant magno labore, conatu, strepitu vel apparatu. — *S. Lig. n. 283.* et *alii communiter* contra *paucos.*

Quaer. 5° *An liceat iter agere pedibus, equo, curru? — Item an liceat ducere currum vel jumenta onusta?*

Resp. ad 1um Affirmative. Ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait *S. Lig. n. 275.* post *Roncaglia.* Pariter licet uti lectica ab hominibus portata in locis, ubi viget talis consuetudo. — *S. Lig. ibid.*

Resp. ad 2um Controvertitur extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat*, esse licitum non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum. Ratio est, quia in tali opere aurigae tempus notabile non insumunt. Si vero aliquando notabile sit, facile excusantur sive gravis damni vitandi causa, sive publicae utilitatis procurandae, sive consuetudinis, quae in contrarium invaluit. — *S. Lig. n. 276.*

Quaer. 6° *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirmative probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia parvus vel fere nullus labor requiritur. Secus autem, si jumentis agatur, nisi parva sit hominis cooperatio. — *S. Lig. n. 277. — Lacroix n. 578. — Tambur. etc.*

359. — Quaer. 7° *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

Resp. Affirmative. Ratio 1° ex generali consuetudine deducitur; 2° quia plerumque solis diebus festis opifices et rustici praesertim eorum officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantibus operam non praeberent, magno ipsorum detrimento derelinquerentur. — *Ita Viva, Tamburinus, Gousset, Bouvier et alii non pauci.*(1)

(1) Vide *Benedict. XIV. Instr. 43.*

Quaer. 8° *Quaenam materia sit gravis in opere die festo peracto?*

Resp. 1° Si labor sit *valde servilis,* labor *duarum horarum circiter* materia gravis censetur. — *Ita communius theologi.*

Resp. 2° Si sit *leviter servilis,* requirunt multi *saltem tres horas.* — *S. Lig. n. 305.*, pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiae *Lacroix* generaliter concludentis, quod *communior* et *probabilior* nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidia. Et *Hom. apost. tr. 6. n. 25.* addit cum *Mazzotta,* excusari etiam majus temporis spatium ex aliqua necessitate. Observat *n. 307.*, in forensibus et judicialibus materiae quantitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

Quaer. 9° *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Negative probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus, eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. — *S. Lig. n. 306.* et *alii communius* contra *plures.*

Nota: In variis casibus resolvendis in hac materia consuetudini sive generali, sive particulari multum tribuendum est.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS, OB QUAS OPERA SERVILIA ALIQUANDO PERMITTI POSSUNT.

Tres praecipuae numerantur, scilicet caritas, pietas, necessitas.

360. — I. *Caritas erga proximum.* Hinc licet die festo 1° facere, quod est necessarium ad infirmos sublevandos; — 2° fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; — 3° laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret, non tamen pro pauperibus in genere. — *S. Lig. n. 294.; Hom. ap. tr. 6. n. 17.*

II. *Pietas erga Deum.* Licet ob pietatem 1° facere omnia opera proxime ad cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare etc.; — 2° verrere ecclesiam et alia, quae ad ejus munditiem pertinent. Non autem licet ecclesiam aedificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere etc., quia haec remotius ad servitium divinum inserviunt. — *S. Lig. n. 292. 293.; Hom. apost. tr. 6. n. 17.*

361. — III. *Necessitas* sive propria, sive aliena, sive animae, sive corporis. Hinc:

1° Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possunt, modo privatim et secluso scandalo laborent.

2° Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum etc.

3° Excusantur pariter pistores, qui panem recentem habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4° Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se, neque per alios ante festum perficere valent.

5° Item agricolae, qui aut ob praeteritam, aut ob imminentem pluviam foenum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6° Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7° Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios recudunt; necnon ii, qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

8° Excusantur etiam ii, qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. g. si agatur de celebranda victoria, de festo praeparando in principis adventum aut alterius publicae exsultationis gratia.

9° Excusantur quoque probabiliter illi, qui mediocriter divites laborant, emunt, vendunt ob lucri *notabilis* et *extraordinarii* circumstantiam, quia pro istis tale lucrum omittere idem est, ac damnum grave pati. — *S. Lig. quoad omnia n. 295—304.*

10° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui saepius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum protrahunt, etiam praetextu necessitatis, quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum saepissime in ea se constituant, plura opera perficienda assumant ad certam diem, quam explere possunt, vel quia recusant adhibere eum numerum operariorum, quem opus requireret, vel quia intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terunt. Facilius excusares illos, quibus opus perficiendum ad diem festum sequentem traditum die praecedenti fuisset.

362. — Quaer. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Negative communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficiens est ad legem Ecclesiae adeo gravem posthabendam. Excipiunt *Layman, Mazzotta* etc.: si otium proximum peccandi periculum inducat, quia, ajunt, si excuset periculum damni temporalis, *a fortiori* periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc restringendum est ad casum, in quo urgeret tentatio, quae aliter vinci non posset, quod raro accidit. — *Ita S. Lig. n. 302. — Lacroix — Sporer etc.*

Nota: Episcopi (¹), vicarii generales, et etiam parochi ipsi a prohibitione operum servilium dispensare possunt, ut dictum est in *tract. de legibus n. 113. et 116.* Verum, qui rationem aliquam ex enumeratis habent, dispensatione non indigent. Nihilominus valde suadendum est fidelibus, ut ordinarie veniam a parocho petant, ne cupiditate decepti scandalum praebeant,

(¹) Neque tamen vel episcopis ipsis competit jus dispensationis generalis et permanentis pro festis universalibus Ecclesiae, quia talis dispensatio suppressioni eorumdem aequivaleret; sed possunt quoad aliquos actus *pro particularibus personis aut populis* et ad tempus dispensare, in quantum est causa sufficiens. — Cf. *n. 114. Princ. II.; n. 115. Q. 2°* et *Anal. J. P. ser. 2. col. 2314.*

sque vera necessitate laborent.(¹) uter.

V. DECALOGI PRAECEPTO.

nora patrem tuum et matrem tuam." *Exod. 20. 12.*

: praeceptum *primario et directe* it obligationes filiorum erga pa- ; *secundario* autem et *implicite* t obligationes parentum erga filios, n obligationes mutuas aliorum iorum vel inferiorum.

CAPUT I.

LIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES.

. — Filii erga parentes specia- obstringuntur obligatione. Tria officia parentibus a filiis exhi- sunt titulo pietatis, amor vide- reverentia et obedientia. Tri- enim respectum habent paren- filios, nempe ratione causae, e praeeminentiae et ratione re- is. Consequenter filii eos amare t ut suae exsistentiae causam, eri ut superiores, eisque tamquam ribus a Deo legatis obedire.

I. Amor.

ii parentes amare debent amore *nterno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes, tum *externo*, omne malum et injuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon externae benevolentiae signa eis exhibentes iisque in necessitate constitutis pro facultatibus subvenientes. Constat de jure naturali. Quamvis igitur genitores nostri defectus quantumvis graves habeant et quovis modo erga nos egerint, eis tamen debemus vitam et conservationem, quod omnium sane beneficiorum maximum est. Hinc *Eccli. 7. 29. 30.: Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris: memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, et retribue illis, quomodo et illi tibi.*

Resolves:

364. — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis praeter peccatum contra caritatem, si parentes interius odio habeant, aut exterius signa odii ipsis exhibeant, aut nullos amoris sensus ipsis manifestent; si eos aspere tractent vel torvis semper oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° *A fortiori*, si malum eis exoptent et ipsam mortem, ut liberius vivere vel haereditate eorum potiri possint, vel ut a cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo aliisve injustis mediis a condendo testamento illos impediant etc.

3° Item, si eos ad iram provocent et gravem tristitiam absque justa et gravi causa ipsis afferant, praesertim si eos contristent usque ad lacrymas, saltem si ad lacrymandum non sint multum faciles. Sic enim in *Prov. 19. 26.: Qui affligit patrem et fugat matrem, ignominiosus est et infelix.* — Et *Eccli. 3. 18.: Est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.*

4° Si parentibus graviter egenis alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos

---

(¹) Licentia laborandi diebus festis sem- t requirenda, etiamsi necessitas ur- aut pietas suadeat, juxta notabile ptum *S. C. C. 22. Apr. 1599*, am- n a. *S. C. Episc. et Regul. 12. 1601*, in quo haec formalia verba ur: *Ceterum quoniam verendum e privatis affectibus domesticarum aliqui eo perducantur, ut hac rum canonum indulgentia in aliis casibus abutantur, iidem PP. Il- ssimi adjiciunt, ad ordinarii cu- mque judicium et censuram per- , ut dignoscant, num vere ulla usis supradictis subsit, propter liceat diebus festis operibus ser- s vacare, ut nec dierum festorum antia ulla in re violetur, nec opera diebus summa cum ratione per- impediantur.*" — *Ita Ferraris, pt. Bibl. ad v.* Festa *n. 20.* — m c. Licet (3.) *de feriis* (II. 9.)

aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur opemque illis ferre renuant; praesertim vero, si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, negligentes ipsis in articulo mortis sacramenta administrari etc. Tandem si ipsis vita functis non curent, ut exsequiae, sacra et Ecclesiae solemnitates modo eorum conditioni congruo persolvantur. — *S. Lig. n. 333.*

II. Reverentia.

365. — Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum *internam,* quae consistit in eo, quod illos agnoscant tamquam superiores et ideo timorem reverentialem erga eos habeant, tum *externam,* quae in verbis, signis et factis sita est. Hinc *Eccli. 3. 9.: In opere et sermone, et omni patientia honora patrem tuum.* Et *ibid. 8.: Qui timet Dominum, honorat parentes, et quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.* — *Deut. 27. 16.: Maledictus, qui non honorat patrem suum et matrem, et dicet omnis populus: Amen.*

Resolves:

366. — 1° Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed injuriose. Hoc enim crimen adeo visum est atrox praeteritis etiam temporibus, ut olim apud Hebraeos morte plecteretur, quicumque illud admisisset: *Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur. (Exod. 21. 15.)* — Item, si voluntatem percutiendi ostendant, v. g. in eos manum attollendo, vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item, si minas ipsis quovis modo intentent etc.

2° Graviter peccant, si parentibus maledicant, ut patet ex verbis *Exod. 21. 17.: Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur;* — si convicia in eos conjiciant, eosque injuriis aut verbis contumeliosis vel quibus sciunt, graviter eos offendendos esse, afficiant; — si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, adspectu torvo etc., modo tamen haec ex despectu, non vero ex levitate aut simplici rusticitate fiant. Sic enim *Prov. 30. 17.: Oculum, qui subsannat patrem . . ., effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilae.*

3° Graviter peccant *per se loquendo,* si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa moerore eos afficiant, et *a fortiori,* si usque ad iram gravem eos provocent; — si eis signa reverentiae consueta juxta morem patriae aut conditionis suae studiose recusent, v. g. si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4° Item, si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos extraneos habeant.(1) Secus tamen, si fingant eos non agnoscere secluso contemptu et superbia, sed justa de causa, v. g. ad vitandum grave incommodum, quod incurreret filius, si parentes ejus noscerentur etc.

Quaer. *An graviter peccent filii percutientes aut male et irreverenter habentes parentes hebetes, amentes, prae senio delirantes, ebrios etc.?*

Resp. Affirmative, si ex malitia aut contemptu agant, quia jure naturae reverentia in omnibus stricte pa-

(1) Tenentur vero liberi parentibus honorem laesum restituere, veniam ab eis postulando etc., etiam coram iis, in quorum conspectu peccarunt (cf. *n. 462. et seq.*). Caute tamen confessarius hac in re se gerat, ne nimium quid imponat, quod poenitentes dein cum peccato omittant. Saepe satius erit, hanc restitutionem non sub gravi imponere, sed per modum consilii; item curare, ut huic obligationi in posterum ante confessionem satisfiat. — *S. Lig., Praxis confessarii n. 34.* — V. etiam *p. 2. n. 526. 4°.*

rentibus debetur. Patet etiam exemplo infelicis Cham, filii patriarchae Noe, qui maledictus fuit a patre et a Domino ipso ex eo, quod irreverenter erga patrem ebrietate captum egisset. — Secus tamen, si objurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. Obedientia.

367. — Filii parentibus obedientiam praestare debent in omnibus licitis et honestis ad eorum curam pertinentibus, dum sub eorum potestate versantur. Constat ex jure naturali et ex scriptura, v. g. *Ephes. 6. 1.: Filii, obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est.* — *Coloss. 3. 20.: Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino.*

Resolves:

368. — 1° Graviter peccant filii, si in re gravi spectante ad mores, animae salutem et domus gubernationem parentes audire nolint, nisi inconsideratio vel aetatis defectus illos excuset.

2° Graviter peccant, si prava consortia, si aleas aliosve hujusmodi lusus aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra aut alia similia non obstante seria parentum prohibitione frequentent; peccant praesertim filiae, quae cum procis conversantur vel nocte domo egrediuntur, aut solae juvenes alloquuntur.

3° Graviter peccant, si neglecto parentum mandato sacramenta, officia et preces notabiliter omittant; si operam dare nolint literis aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

4° Item, si ea, quae ad bonum reipublicae pacemque familiae multum spectant, exsequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint spreta parentum auctoritate, praesertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam; age negotia tua!* — *Non habes jus mihi praecipiendi!* — *Taedium et fastidium mihi affers etc.*

5° Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam vel ob quamdam negligentiam humanam, et saepissime ob parvitatem materiae. Imo, saepe ab omni culpa immunes censeri debent ob defectum praecepti rigorosi ex parte parentum. Ut enim peccatum, praesertim grave, contra obedientiam committatur, requiritur, ut parentes videantur stricte praecipere, non vero solum suadere, sollicitare aut mentem suam indicare vel exprimere. Dignoscitur autem, praeceptum verum injungi, ex modo serio, quo res praecipitur, et ex aliis adjunctis, v. g. ex necessitate et magnitudine rei praeceptae, ex poena apposita et ex modo severo praecipiendi etc. — *S. Lig. n. 335.*

6° In rebus autem pravis filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex jure naturali. Item ex scriptura sacra. Sic enim *Act. Apost. 5. 29.: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* — *Matth. 10. 37.: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* (1)

---

(1) Confessarius quoad triplicem obligationum seriem, quibus filii erga parentes obstringuntur, caveat, ne nimis laxe procedat. Saepe filii vage se accusant. Cum autem ex una parte difficillimum sit, in hac materia veniale a mortali distinguere, ex altera parte ordinarie talia peccata sint consuetudines, hinc, ne erret, opportune interrogandum erit. — Advertat insuper, gravitatem odii, irreverentiae etc. oriri non solum ex actu in se et intentione agentis, sed etiam ex effectibus exacerbationis, contristationis etc., si sufficienter praevideri poterant (cf. *n. 364. 3°* etc.). Etiam in dubio, an sit justa causa aliquid agendi, quo parentes offenduntur, obligatur filius abstinere; non tamen, si justa causa omnino urgeat et offensio ex mera morositate vel malitia parentum procedat. — *Scav.*

Quaesita:

369. — Quaer. 1° *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Negative per se, quia quilibet homo quoad medium tendendi ad Deum, ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus.(1) Proinde graviter peccant parentes, qui filios invitos etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive conjugalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitae statu eligendo sine justa causa impediant.

Dixi: *per se;* secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicerent, v. g. si in gravi necessitate constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere possit, nisi remanendo cum ipsis. — *S. Lig. n. 335.* — *Elbel.*

Quaer. 2° *An vero possint filii amplecti statum religiosum insciis parentibus?*

Resp. Per se affirmative. Imo, aliquando consultius aget filius, si, se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum atque animadvertens, sibi a parentibus injuste aditum interclusum iri, rem eos celet divinamque voluntatem exsequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus,* cum res non adeo urgeat nec satis constet de vocatione divina.(2) — *S. Lig., de praec. part. n. 68.* In Gallia praesertim et in aliis locis, ubi viget similis dispositio legis, cavendum est a praebendo tali consilio filio et filiae minori, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos retrahere et ad se coacte reducere possint.

370. — Quaer. 3° *An filii possint matrimonium inire inconsultis parentibus?*

Resp. Negative generatim loquendo, ratione *liceitatis.* Vide dicenda in *tract. de matrim. p. 2. n. 754.*(1)

Quaer. 4° *An possit filius minor nomen dare militiae invitis parentibus?*

Resp. Potest *ex codice civili Gall. art. 374.,* modo aetatem duodeviginti annorum attigerit. Sed hoc videtur valere tantum pro foro externo, nisi adsint causae sufficientes, v. g. si filius in domo paterna omnino male tractetur etc.(2) — *Ita communiter.*

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

Filiis a parentibus debentur 1° amor; 2° educatio.

Ratio hujus obligationis in ipsis naturae visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet bruta ipsa, quae foetus suos diligunt iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. AMOR.

371. — Parentes filios prosequi debent amore interno, efficaci et ordi-

(1) „Post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habet quantum ad ea, quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in his, quae sunt divini obsequii: et magis obtemperandum est patri spirituum, ut vivamus, quam parentibus carnis, ut apostolus dixit ad *Hebraeos 12. 9.*" — *S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. in corp.* — Cf. etiam *ib. q. 104. art. 5*, et supra *n. 330. III. not.*

(2) Si insuper facile et tuto possint parentum consensum obtinere, par est, ut non discedant sine parentum benedictione. — *S. Lig., de praec. part. n. 68.* — Cf. etiam *p. 2. n. 150.* — Tenetur vero filius in saeculo remanere, si parentes sint in *gravi* necessitate (cf. *n. 369. Q. 1°*), dummodo eam sublevare possit nec ipsi exinde periculum immineat, labendi de facili in mortale. In *extrema* necessitate parentum autem etiam professus egredi e religione tenetur, ut ipsis subveniat, et interea subditur ordinario loci. — *S. Lig., ib. n. 66. 67.*

(1) et *n. 732.*

(2) Potest enim filius, quamvis post pubertatem liber sit in genere quoad electionem sui status *(n. 330. III. not.; n. 369.)*, tamen ita agendo peccare, v. g. laedendo amorem parentibus debitum eta-

nato, ita ut non tantum omne odium animique malevolentiam exuant, sed illos corde diligant et, quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent atque prospiciant.

Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid sui, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc peccant graviter contra specialem pietatis virtutem parentes:

1° Qui pravo affectu et injusto odio in filios incenduntur eosque suo adspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur et in necessitate positis non succurrunt.

2° Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiae ipsis praebent eosque faciant morosos et contumaces, contra illud apostoli *Ephes. 6. 4.: Vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

3° Qui occulta eorum delicta sine justa causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit saepe, ut utrique nota sint ratione perversionis filiorum praecavendae etc.

4° Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant timentes eos contristari; vel qui bonitate intempestiva utentes remissius erga illos agunt et negligunt sive ob segnitiem, sive ob benignitatem crudelem, eos praecepto rigoroso aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere.

5° Qui uni prae aliis magis favent sine justa ratione ceterosque indifferenter intuentur aut etiam sicut adulterinos habent; haec enim unius prae ceteris dilectio fons est et occasio jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. EDUCATIO.

A parentibus filiis procurari debet educatio tum corporalis, tum spiritualis.

I. Educatio corporalis.

372. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione 1° vitae, 2° victus, 3° status.

I. *Ratione vitae.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia, quae ipsi nociva esse possunt, et invigilare, ne ulli vitae periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter 1° mulieres, quae non cavent, ne foetus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia aut moerore vehementiore; 2° viri, qui praegnantes uxores aspere tractant, gravibus vulneribus afficiunt, aut ipsis majores imponunt labores; 3° conjuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocando, aut non cavent, ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, nimium ploratum etc.

II. *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare ea, quae necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suae congruum.

Hinc peccant graviter parentes: 1° qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt, donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant; 2° qui filios extra domum ejiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis subvenire, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem exercendam ipsorum conditioni non convenientem.

Quaer. *An mater filiolos proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirmative cum sententia communi, quia hoc jus naturale postulare videtur. Attamen haec obligatio non urget sub gravi, quia non apparet in hoc gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas aut consuetudo apud familias nobiles vigens etc.; sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substi-

tuere debet. — *S. Lig. n. 336.* — *Collet etc.* et *alii communiter* contra *plures* laxiores vel rigidiores.

373. — III. *Ratione status.* Tenentur tandem parentes filiis procurare statum, in quo honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc graviter peccant:

1° Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent, ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent et futuro statui eorum provideant, juxta illud apostoli *2. Cor. 12. 14.: Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

2° Qui artem statui congruentem aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3° *A fortiori,* qui pigritia, negligentia, potationibus, comessationibus, lusibus, negotiis graviter imprudentibus rem familiarem dissipant.

4° Qui absque causa legitima dotem filiae convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in religionem obstinate denegant. — *S. Lig. n. 336.*

II. Educatio spiritualis.

374. — Tenentur praecipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Ratio est, quia homo praeter illud esse materiale seu corporale, quod cum ceteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad divinitatis ipsius imaginem creata, et est creatus, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur et ad vitam aeternam praeparetur. Hinc apostolus *1. Tim. 5. 8.: Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* — Ad hanc vero educationem requiritur: 1° doctrina, 2° correctio, 3° exemplum.

I. *Doctrina.* Tenentur parentes per se vel per bonos instructores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos genuerunt propter Deum assequendum, et consequenter illos erudire debent in via, qua ad Deum perveniant. Hinc *Deut. 11. 19.: Docete filios vestros* (verba mea), *ut illa meditentur.* — *Eccli. 7. 25.: Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum.*

Sedulo igitur parentes curare debent: 1° ut filii quamprimum gratia baptismatis regenerentur(¹); 2° ut a tenerrima pueritia eos praecipua doctrinae christianae capita doceant et corda eorum ad Deum inclinent; 3° ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiae officiis et catechismis assuefaciant, nec non a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4° ut eis praeficiant magistros doctrina et praesertim gravitate morum conspicuos; 5° ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis et lectionibus corrumpantur.

375. — II. *Correctio.* Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc *Proverb. 13. 24.: Qui parcit virgae, odit filium suum.* — Et *23. 13.: Noli subtrahere a puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur.* — *Ibid. 23. 14.: Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* — *Ephes. 6. 4.: Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini.*

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse, quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes et quandoque desperatione affectos; imo loco amoris parentibus debiti contemptum vel etiam exitiale odium parere solet.

III. *Exemplum.* Parentes bonum

(¹) Cf. *p. 2. n. 246. not.*

exemplum filiis debent, quia 1° exempla verbis efficaciora ad sequelam quodammodo trahunt, praesertim si a superioribus praebeantur; 2° quia, si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum verbis filios ad bonos mores sectandos movebunt. — Unde *S. Hieronymus (Epist. 7. ad Laetam)* ait: *Mementote vos, parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse, quam voce.* — Heu! quot mali et incauti parentes pravis exemplis a teneris annis diabolo mancipant, quos Deo genuerunt! Si Christus Dominus *vae* dixerit illi cuicumque, *per quem scandalum venit*, quale ingeminandum erit anathema in genitores, qui scandalo quotidiano proprios filios in barathrum gehennale detrudunt!

Resolves:

376. — 1° Graviter peccant parentes, qui, omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant, quae ad salutem assequendam sunt necessaria, et multo minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2° Peccant etiam graviter parentes, qui, ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt. Videant isti, quamnam rationem sint Deo reddituri, qui de manibus eorum animas filiorum repetet.

3° Graviter peccant *per se* parentes, qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando necesse est. Sed non minus peccant, qui gravioribus poenis in filios animadvertunt, v. g. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones et verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas quid detrimenti capiat.

4° Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum filiis praesentibus verba turpia et obscoenos sermones proferunt, maledicta et imprecationes eromunt, juramenta et blasphemias iactant. His enim pravis exemplis causa sunt, ut filii haec omnia addi-

5° Graviter peccant saltem generatim parentes, qui mittunt filios ad scholas haereticas vel impias, aut eos magistro haeretico vel impio moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant. Quot autem incauti et crudeles genitores nostris temporibus tam nefando scelere inficiuntur! Ab eis *animam pro anima* requiret in tremendo judicio justissimus judex!

Quaesita:

377. — Quaer. 1° *Quaenam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendentium?*

Resp. Eaedem sunt generatim, data debita proportione, ac parentum respectu filiorum et vice versa; isti enim omnes ratione generationis aliorum ab aliis stricto pietatis vinculo ligantur, praesertim si parentibus deficientibus ascendentes nepotum causam suscipiant. — *Ita omnes.*

Quaer. 2° *Quaenam sint mutuae fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1° Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut ceteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum.

Resp. 2° Debent etiam sibi invicem succurrere quoad necessaria vitae non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. — *Ita omnes. Vide S. Lig. n. 340.*

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

378. — I. Conjuges tenentur erga se invicem:

1° Ad mutuum amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. — Sic *Ephes. 5. 25.: Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* — *Tit. 2. 4.:* (Uxores) *viros suos ament.*

2° Ad societatem conjugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi *Matth. 19. 5.: Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori*

3° Ad alimenta et ea, quae ad honestam conditionis suae sustentationem pertinent, sibi mutuo praestanda(¹): *jam* (enim) *non sunt duo, sed una caro.* — *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam. (Ephes. 5. 29.)*

4° Ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio nec est causa legitima negandi, quia ad id se obligarunt. Hinc apostolus *1. Cor. 7. 4.: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (nempe in ordine ad generationem).

379. — II. Vir tenetur in particulari:

1° Studiose rem familiarem gerere, et bona tum communia, tum uxoris propria, debita diligentia administraro.

2° Curare, ut uxor munia christianae professionis impleat, ut praecepta legis tum divinae, tum ecclesiasticae exsequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiae, ac proinde ad ipsum spectat tum uxoris, tum aliorum familiae membrorum recta gubernatio.

3° Corrigere uxorem delinquentem, ubi ad ejus emendationem et ad scandalum praecavendum requiritur. Debet autem punitio procedere ex caritate vel amore justitiae aut zelo procurandi rectam familiae gubernationem et esse multo levior, quam culpa meretur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est, ne pax et amor inter eos pereant.

380. — III. Uxor ex parte sua tenetur:

1° Revereri maritum, quia est ipsius superior, ut constat ex dictis et ex verbis *Genes. 3. 16.: Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*

2° Praestare ipsi obedientiam; quia obedientia debetur superiori in iis, quae ad ipsius gubernationem pertinent, et apostolus *ad Coloss. 3. 18.* ait: *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet, in Domino.*

3° Inservire viro in re familiari, quia, etsi non sit serva, sed socia, ipsi incumbit curam domus gerere et proinde familiae servitia obire, ut condire cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire et alia hujusmodi praestare. Nobilis tamen uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet et curet, ut res domestica bene conservetur.

Resolves:

381. — 1° Maritus graviter peccat *per se,* si uxorem conviciis prosequatur, v. g. vocando eam *adulteram, sagam* etc.; si absque justa causa eam impediat ab implendis praeceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. g. a frequentatione discreta sacramentorum; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cum ea non cohabitet; si familiae gubernationem negligat etc. — *S. Lig. n. 356.*

2° Uxor pariter peccat graviter, si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet etc.(¹)

3° Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba suavia et, si haec non juvent, ad graviorem correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, ubi sine peccato potest, nec nimius esse in corrigendo, et aliquando correctionem ad tempus differre, ne, uxore in

(¹) Hoc onus primario incumbit marito, cum sit caput familiae; sed tenetur uxor eum debito modo adjuvare, indigenti vero etiam de suo providere. Cessat vero in marito haec obligatio, si uxor sponte et sine causa discedat; item si in adulterium lapsa sit et aliunde habeat, ut vivat. — Cf. *Scav.* et *infra n. 554.*

(¹) item, si notabiles expensas agat contra voluntatem viri, quae consuetudinem foeminarum similis conditionis excedunt, nisi ex paraphernalibus id fiat. — *S. L. n. 351.*

disposita ad eam recipiendam, fructu careat aut ne ipsa correptio ex passione inordinata procedat.

4° Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, praesertim si uxor in maritum invehat, quia mulieres ordinarie sunt procaces. Quare melius est, re dissimulata ipsi commendare orationem, patientiam, mansuetudinem et majorem sollicitudinem ad obsequia viro praestanda.

5° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius. Si monitio profutura videatur, moneat eum, dum est bene affectus: si irato respondendum sit, respondeat suaviter; responsio enim mollis frangit iram, dura autem furorem suscitat. Si haec non juvent, per parochum aut alium prudentem virum curet maritum admoneri.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM.

Obligationes, quae alios superiores aut inferiores respiciunt, eaedem sunt generatim data proportione et modificatione debita, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicemus: 1° de obligationibus dominorum et famulorum; 2° magistrorum et discipulorum; 3° civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem parochorum et aliorum superiorum ecclesiasticorum in *tractatu de statibus particularibus*, ubi de statu clericali agetur.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

§. I.

De obligationibus dominorum.

382. — Domini tenentur famulos [illegible] 1° benigne tractare; 2° instruere [illegible] corripere; 3° justum pretium eis [illegible]vere.

I. *Benigne tractare,* scilicet decen[illegible] et humane eos alloquendo et eis [illegible]cipiendo, bonaque et sufficientia eos non gravando, infirmos convenienter curando. Constat de jure naturali et ex scriptura sacra *Eccli. 33. 31.: Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta.* — *Ephes. 6. 9.: Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas, scientes, quia et illorum et vester Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum.*

II. *Instruere et corripere*; dominus enim est caput famuli, sicut totius familiae: capiti autem incumbit dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis *D. Pauli 1. Tim. 5. 8.: Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter domesticos reputantur. — *Elbel n. 590.* et *alii communiter.*

III. *Justum pretium solvere;* agitur enim de obligatione justitiae et aequitatis naturalis, unde defraudatio talis mercedis inter peccata in coelum clamantia recensetur.

Resolves:

Graviter peccant domini generatim loquendo:

1° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta fidei christianae, vel eos ad catechismum et concionem non mittant; si non curent, ut tempore debito confiteantur et communicent.

2° Si conducant vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes; si peccantes graviter non moneant et corrigant, aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant et alios invenire non possint.

3° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant; si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant

4° Si stipendium promissum aut justum non solvant(¹), aut nimis differant; si famulos aegrotos non curent, statim expellant vel absque justa causa ante praefixum tempus dimittant(²).

§. II.

De obligationibus famulorum.

383. — Tenentur famuli praestare dominis:

1° *Reverentiam.* Sic enim apostolus *1. Tim. 6. 1.:* (Servi) *dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Contra hanc obligationem peccant, et quidem graviter *per se,* qui dominos irrident, aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2° *Obsequium* et *obedientiam* in iis omnibus, ad quae se obligarunt vi contractus, et in iis, quae spectant ad bonos mores; sic *Ephes. 6. 5.: Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Et *1. Petri 2. 18.: Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Hinc peccant plus minusve ratione materiae, qui obmurmurant, cum aliquid eis praecipitur, insolenter respondent, tempus inutiliter terunt, negligunt praeceptum laborem peragere aut pro se laborant cum damno domini sui, uno verbo: ii omnes, qui obsequium non praestant, quale ordinarie a talibus exigi et praestari solet.

3° *Fidelitatem* juxta verba *S. Pauli* ad *Tit. 2. 9. 10.: . . . Servos dominis suis subditos esse, . . non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.*

Hinc peccant saepe graviter et contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent(¹), qui eas ex culpa sua deteriores fieri sinunt, qui victualia pretiosa aut ipsis non dari solita surripiunt sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum. (²)

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

384. — I. Magistri et praeceptores debent discipulis:

1° Amorem, 2° exemplum, 3° correctionem, 4° doctrinam suam. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur et committi debent a parentibus in ordine ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et literarum.

Debent igitur 1° sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; 2° promovere profectum discipulorum in literis, quantum in ipsis est; 3° eos avertere, quantum possunt, ab aliis, pravis moribus imbutis, quos in scholas suas admittere non debent.

Hinc praeceptores graviter delinquunt, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos injuste vel indiscrete puniunt, et praesertim, si eosdem seducant, inducendo ad peccata v. g. carnalia; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos admittant

(¹) V. infra *n. 924. Q. 2.*

(²) Si famulus ad annum conductus per aliquot menses, puta per trimestre, aegrotet, ipsi juxta veriorem sententiam non debetur salarium pro obsequio non praestito; probabiliter nec dominus obligatur ad expensas infirmitatis, modo non caritas propter necessitatem gravem subsidium exigat; excipe pro utroque casu, si et in quantum aliter fert consuetudo, praesertim pro brevi infirmitate. — *S. Lig., de 7. praec. n. 864.* — *Scav.* (Praevaleat tamen in hisce aequitas stricto juri!) Similiter nec famulus tenetur in tali casu operas suas supplere. — *S. Lig., de 4. praec. n. 346.* Si vero famulus ante tempus fixum sua culpa discedat, ipsi juxta communiorem aliquod stipendium debetur, nisi grave damnum inde domino eveniret vel mutua conventio aliter statueret. — Cf. *S. Lig. l. c. n. 345.*

(¹) Si tamen inculpabiliter domino afferant damnum in exsequendis muneribus sibi commissis, ad restitutionem non tenentur, nisi aliter exigat particularis conventio. — Cf. infra *n. 659.*

(²) V. *n. 608.*

vel servent malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint etc.(1)

385. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris:

1° *Amorem et reverentiam* ob superioritatem et curam eorumdem.

2° *Obedientiam*, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet; hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et praecepta magistrorum.

Hinc graviter delinquere possunt discipuli, si, nedum diligenter studeant, tempus notabile conterant in otio, lusu aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant etc.

ARTICULUS III.
DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA CIVIUM ERGA TEMPORALEM AUCTORITATEM.

386. — De jure naturali et divino positivo tenemur titulo *pietatis* reverentiam et obedientiam superioribus nostris civilibus praestare; vices enim Dei ipsius in ordine temporali erga nos gerunt. Sic enim apostolus *Rom. 13. 1. et seq.: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit,* non est enim potestas nisi a Deo; *quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. . . Dei enim minister est* (potestas), *vindex in iram ei, qui malum agit. — Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Quamobrem catechismus concilii Tridentini de hujusmodi obligatione tractat simul, ac de reverentia erga auctoritatem paternam et ecclesiasticam. Ibidem *part. III. de IV. mandato* Q. 15., postquam docuit, parentes et superiores ecclesiasticos debito honore colendos esse, subdit: „Idem de regibus, de principibus, de magistratibus et reliquis, quorum potestati subjicimur, dicendum est.“ Et *ib.* hunc ponit titulum: *Principes honore divino colendi sunt.*(1) Sic autem id explicat: „Nam, si quem eis cultum tribuimus, is ad Deum refertur; habet „enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinae „potestatis est instar: in quo etiam „Dei providentiam veneramur, qui publici muneris procurationem iis attribuit, eisque utitur tamquam potestatis suae ministris.“ Constat etiam ex scriptura sacra, praesertim *1. Petr. 2. 13.*, ubi dicitur: *Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum: sive regi quasi praecellenti; sive ducibus tamquam ab eo missis . . .* Et *ibid. 17.: Regem honorificate.* Vide etiam *S. Justin., apol. 1. 17. — S. Theophil. Antioch., ad Autol. lib. 1. c. 11. — S. Clem., const. c. 12. — Tertull., ad Scap. c. 2. — S. Greg. Naz., or. 17. — S. Chrys., hom. 6. ad Ant. — S. Iren., adv. haeres. l. 5. c. 24. — S. Aug., in ps. 124. n. 7.* et *de civit. Dei l. 5. c. 19. 21. 24. 25.* Confer etiam *literas encyclicas Gregorii XVI. et Pii IX.*

387. — Quaer. *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?*

Resp. Doctrina s. scripturae, patrum, conciliorum, SS. Pontificum, catechismi concilii Trid., S. Ligorii *(Hom. apost. tr. 8. n. 13.)* et etiam *Encyclicae Gregorii XVI. 15. Aug. 1832,* quae totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quaestionem resumi potest:

Ad 1um Sicut evidens est, numquam obediendum esse auctoritati humanae in iis, quae evidenter contra legem

(1) Hic titulus non in omnibus editioni-

Dei sunt, ita est omnino obediendum principibus *etiam dyscolis* et *qui auctoritate sua abutuntur* in iis, quae *per se* licita sunt. Ex hisce fontibus purissimis (scriptura nempe et traditione), ait *Gregorius XVI.* in *Brevi 9. Jun. 1832,* apertissime edocemur, obedientiam, quam praestare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse praeceptum, cui nemo contraire potest.(1)

Ad 2um Numquam omnino licitum est rebellare. „Nimis perniciosum in „hac re," ait *S. Ligorius,* „fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus „est asserere, quod monarcha potest „legitime a tota natione judicari, si „regnum injuste regat . . . principium „(inquio) non tantum falsum, sed per„niciosissimum . . . At quale remedium „adest, si regimen principis esset ex„cessive tyrannicum? Remedium, quod „suppetit, ait *S. Thomas,* est ad Deum „recurrere, ut auxilium praebeat." — *Hom. apost. tract. 8. n. 13.*

Sed, addit *S. Thom.,* „ut hoc bene„ficium populus a Deo consequi me„reatur, debet a peccatis cessare, quia „in ultionem peccati divina permissione „impii accipiunt potestatem." *(De reg. princ. lib. 1. c. 6.)* — Vide praesertim *epistolam encycl. Gregorii XVI. 15. Aug. 1832.*(1)

(1) Si quis illegitime regno potitus est *et jam pacificus imperii usurpati possessor,* omnes consentiunt, propter gravissima mala secus oritura ejus legibus obediendum esse, quin per hoc, ut patet, juribus principis legitimi derogetur. Si vero usurpator illico obedientiam, fidelitatem etc. exigat, sit pro norma instructio a *Pio VII. 22. Maji 1809* suis subditis data. Declarabat illicita juramenta *illimitata,* cum implicent infidelitatem versus principem legitimum, non vero juramenta, quae obligabant solummodo ad obedientiam passivam quoad agnitionem gubernii actualis. (Cf. *n. 310. Q. 4°*) — Prohibebat acceptare vel administrare officia, ex quibus emergeret agnitio usurpationis; alia vero suscipere concessit, cum dispensatione tamen ordinarii. Episcopis vel aliis pastoribus ecclesiasticis vetuit, se exhibere ad cantum hymni Ambrosiani celebrandum pro inaugurando novo gubernio, cum per circumstantias fuerit potius injuria in Deum, quam actus religiosus. — *Scav., de leg. c. 5. Q. 2.* cum nota *O.*

DE V. DECALOGI PRAECEPTO.

„Non occides." *Exod. 20. 13.*

388. — Prohibetur hoc praecepto directe et explicite homicidium, i. e. omnis injusta et violenta hominis occisio ab homine facta, indirecte autem et implicite quaelibet injusta laesio, vulneratio, aut mutilatio corporis sive proprii, sive alieni. Et consequenter prohibentur etiam ea omnia, quae proxime ad haec disponunt, ut odium, dissensiones etc.

Ea autem, quae de occisione sive licita, sive illicita statuentur, mutilationi vel cuilibet corporis laesioni gravi, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum: 1° de occisione sui; 2° de occisione proximi; 3° de duello; 4° de bello.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUI SEU DE SUICIDIO.

Principia:

389. — I. Nemini umquam licet, se occidere *directe*(2) et propria auctoritate. Constat 1° ex praecepto divino: *Non occides. (Exod. 20. 13.) — Ego occidam, et ego vivere faciam. (Deut. 32. 39.) — Tu enim es, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem (Sap. 16. 13.);* — 2° ex lege naturali. Homo enim dominium directum non habet in corpus suum nec in vitam suam, sed solum dominium utile: siquidem haec non habet a se, sed a Deo accepit et Deo tantum repetenti reddere debet. Ergo suicida laedit Dei supremum dominium destruendo rem non suam. . Laedit

(1) Cf. etiam *n. 394. Q. 2.*

(2) Hinc v. g. venenum haurire etc. absque divina auctoritate omnino numquam licet. — *Scav., de just. disp. 2. c. 1. Q. 2.* — V. etiam *S. Lig., Hom. apostr. 8. n. 2. 6°.*

ıocietatem, cujus est pars, ut
'hom. 2. 2. q. 64. art. 5.
ımquam fas est, ponere privata
te actum externum de se ten-
ıd sui destructionem, nisi actus
at alium effectum saltem aeque
:t immediatum, qui solus in-
, et gravissima ratio effectum
num obtinendi urgeat. Ratio
ı, ubi actus physicus etiam de
'erens non habet alium effe-
ıam suicidium, jam fit malus
ine; ergo in quocumque casu
ır.
.icet concurrere *indirecte* ad
:m sui seu ponere actionem
sıram, modo ex ista actione
aeque immediate bonum sal-
ıale morti isti. Ratio patet
; in *tract. de act. hum. n. 9.*,
ıoluntario indirecto.

ıaesita:

— Quaer. 1° *An liceat in-*
navim aut turrim, ut hostes
amnum patiantur, sed cum
'tae suae jactura?
. *Affirmative*, saltem *probabi-*
ia expedit, damnum publicum
:l bonum procurari etiam cum
rivatorum certissimo. — *Lugo*
ıius etc. — *S. Lig. n. 367.*
r. 2° *An possit virgo se ex-*
mortis periculo ad castitatem
am?
. *Affirmative*, saltem si mors
certo secutura, ob amorem
ı et periculum peccati, quod
in tali occasione habetur. —
nmuniter theologi. — Imo,
lius adhuc affirmandum est,
ırs certo secutura sit nec adsit
ım consensus periculum, quia
rporis integritas etiam magni
tur. — *S. Lig. n. 366.; Hom.*
tr. 8. n. 1. — *Layman* etc.
er. 3° *An virgo teneatur po-*
rmittere se occidi, quam vio-

. *Negative probabiliter*, spe-
loquendo, modo voluntate po-
sitive resistat et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia haec permissio non est cooperatio moralis, sed materialis, et ideo ob periculum mortis sufficienter excusatur. Sed in praxi contraria sententia suadenda est ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest(1). — *S. Lig. n. 368.*

Quaer. 4° *An licitum sit reo, se sistere coram judice, etsi certo morte puniri debeat?*

Resp. Affirmative, quia actio ista *per se* est indifferens et bonum effectum habet, nempe exemplum publicum et justitiae adimpletionem. — *Lugo* — *Lessius* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 8. n. 2.*

Resolves:

391. — 1° Quisque tenetur ad vitam conservandam, cum nemo hujus vitae donum abjicere sine peccato possit, nec detur medium inter vitam tollere et ipsam servare.

2° Numquam licet ponere cum intentione se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit, quia numquam licet velle rem vetitam et hanc voluntatem ad actum redigere.

3° Non tenetur quis servare vitam remediis extraordinariis, quaeque maximum dolorem afferant(2); non datur enim obligatio servandae vitae, nisi mediis ordinariis, quae magna non adducunt incommoda, nec ingentes sumptus pro variis personarum conditionibus exposcunt, neque dolores valde acerbos causant etc. Sic v. g. non teneris vitae servandae causa pati amputationem cruris sive brachii, aut incisionem ventris ad extrahendum calculum. — *S. Lig. n. 372.*

4° Non tenetur virgo operationem probrosam pati per manus medici, licet ejus vita periclitetur, quia amor

---

(1) Cf. *n. 21. 2°.*
(2) nisi ejus vita bono communi sit omnino conducens. — *S. Lig. n. 372.*

verecundiae aequare potest aut etiam superare malum, quod morte pertimescitur. — *S. Lig. ibid.; Hom. ap. tr. 8. n. 2.*

5° Numquam licet macerare corpus ad vitam breviandam immoderatisque et prorsus indiscretis poenitentiis, etiam secluso tali fine, afflictitare. Licet tamen ex virtute poenitentiis ordinarie gravibus uti cum certa vitae abbreviatione, quia meritum vel naturae pravae mortificatio vitae periculum longe superant. — *S. Lig. n. 371.; Hom. apost. tr. 8. n. 2.*

6° Non peccant artifices, qui super aedificiorum tecta ascendunt et variis sese periculis ad artem suam exercendam exponunt, nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt, quia ex causa rationabili agunt. Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in varia discrimina se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo etc.(1)

7° Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum: quidquid enim est, totus a Deo est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet. — *Billuart* — *Lessius* et *alii communiter*. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 8. n. 3.*

8° Non licet se mutilare pro bono spirituali et ad vitandum quodlibet peccatum; etenim ex dictis membrum non est praescindendum, nisi quando aliter toti corpori subveniri non potest, quam per membri abscissionem: peccatum enim non corporis membris subjacet, sed voluntati. — *Ita communiter.*

(1) Utrum peccent, qui ex causa per se licita *nimis fidenter* in occupationibus periculosis versantur, non ita facile definiri potest. Usus, indoles, cautela etc. efficere possunt, ut pro ipsis nullum periculum sit vel solummodo remotum. — *Scav., de restit. in specie cap. 1. art. 1. §. 2. Q. 3.*

9° Licet *probabilius* sibi abscindere manum catena ligatam ad fugiendum incendium, aut ad vitandam mortem a bellua vel tyranno inferendam, quia pars bono totius hominis cedere debet.(1) — *Lugo, de justitia disp. 10. n. 22.* — *Lacroix n. 786.* — *Billuart* contra *alios.*

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

Scilicet: 1° de occisione rei, 2° aggressoris, 3° innocentis.

ARTICULUS I.

DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS.

Principia:

392. — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio est, quia Deus necessario dedit hanc potestatem auctoritati publicae tamquam medium necessarium ad exsistentiam et commune bonum civilis societatis defendendum et procurandum, quod plerumque nonnisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Constat etiam ex praxi cujusvis legislationis, ex sacra scriptura et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata, quia nemo occidere potest sine potestate: at privati nullam potestatem hac in re a Deo acceperunt; haec enim potestas soli totius civilis societatis superiori data est, ne omnia caedibus impleantur.

Resolves:

393. — 1° Nemini licet aliquem potestati suae non subjectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet, v. g. patris in filium, magistri in discipulum: quia verberatio est punitio; haec autem supponit potestatem gubernativam. Excipe: si id necessarium sit ad aver-

(1) Maxime vero culpandi sunt, qui saevitiem in se exercent, ut ab officiis solvantur, v. g. ne adscribantur militiae, vel ut mutilato corpore largiores eleemosynas accipiant etc. — *Scav. l. c. Q. 2.*

actualem injuriam, ut infra di- — *Reuter n. 369.*

'on licet patri proprios filios, nino proprios servos correctio- sa mutilare aut occidere, quia per mutilationem et occisionem, mnum inferunt, quod reparari test, requirit sane potestatem m: quo major enim est coactio, orem exigit potestatem, quam nec pater nec dominus habent. *luart.*

'rater natu major non potest minores verberare, nisi id ipsi atre mandatum, aut nisi mor- t absente patre familiam ipse quia primogenitura ei tale jus nfert. — *Billuart et alii.*

Quaesita:

— Quaer. 1° *An milites mprehendere et custodire ma- rem possint eum aufugientem e?*

. *Negative*, etiamsi jam ad fuerit damnatus, quia vi offi- satellites reum tantum coërcere :, seclusa speciali principis li- — *S. Lig., Hom. apost. tr. 8.*

er. 2° *An liceat tyrannum e?*

. 1° Certum est, non licere e tyrannum *regiminis* seu legi- principem tyrannice populum m et opprimentem; *obedire enim dominis etiam dyscolis. 1. . 18.* — *Ita communiter cum ., Hom. apost. tr. 8. n. 13.*

. 2° Nec licet occidere tyran- *surpationis*, si jam in regni ionem venerit. Sententia autem a dicenda est improbabilis et quia juxta *S. Thomam* usurpa- legitimus haberi debet, saltem ti, si postea subditi illum ut gnoscant. Praeterea bonum pu- requirit, ut obedientia ei prae- ad reipublicae perturbationes nones praecavendas. — *S. Lig.*

Resp. 3° Nec licet occidere tyrannum seu injustum usurpatorem, qui nondum est in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi principis aut ex justa defensione aut in actu belli reipublicae adversus ipsum; numquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. — *Ita communiter*, et certo tenendum est. — *S. Lig. ibid.* — *Recole dicta in fine IV. praec. n. 387.*

ARTICULUS II.
DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS.

Principia:

395. — I. Licitum(1) est unicuique defendere propriam vitam cum occisione *injusti* aggressoris. Quisque enim habet jus conservandi vitam injuste oppugnatam, propriamque vitae injusti aggressoris praeferendi. Ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex jure enim naturali licet vim vi repellere. Constat etiam jure canonico, praesertim c. Si vero (3.) *de sent. excomm.* (V. 39.), ubi dicitur: *Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.* — *Vide S. Lig. n. 380.*

II. In justa defensione contra iniquum aggressorem servari debet moderamen *inculpatae tutelae* seu nihil fieri debet, nisi id, quod absolute necessarium est ad se tuendum, quia, quod necessitas non excusat, est contra justitiam et caritatem.(2)

Quaesita:

396. — Quaer. 1° *An tibi liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem?*

Resp. Affirmative probabilius, nisi tibi constet, eum in statu peccati

(1) non autem debitum, nisi vita ejus, qui aggressionem patitur, sit valde utilis bono communi vel si invasus moriturus esset in peccato mortali. — *S. Lig. n. 380.*

(2) Item cavendum, ne occisio fiat ex odio, propter vindictam etc.

mortalis versari. Ratio est, quia, quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendo. Quod si certo scias, eum in statu peccati lethalis versari, salutem ejus aeternam vitae tuae temporalis conservationi praeferre debes. Secus autem, si sui ipsius compos esset; proprium enim malum ipsi foret imputandum.

Quaer. 2° *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirmative in omni casu, quo licet propriam vitam defendere, idque ratione caritatis. Nemo tamen *privatus* ad hoc tenetur(1). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 389.*

397. — Quaer. 3° *An liceat occidere injustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirmative cum communi sententia contra *paucos.* Ratio est, quia videtur quisque jus habere servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitae alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur. — *S. Lig. n. 380.*

Quaer. 4° *An liceat defendere bona fortunae magni momenti cum occisione furis, si aliter retineri*(2) *non possint?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius.* Ratio deducitur ex dictis in quaesito praecedenti; quisque enim jus habet conservandi bona maximi momenti(3) relate ad statum suum, et adhibendi ad id media absolute necessaria. Aliunde praeceptum caritatis obligat, ut quis praeferat bona proximi superioris ordinis, quando proximus in extrema necessitate versatur, non autem, quando se sponte mortis periculo exponit. — *S. Lig. n. 382.* — Negant tamen *Billuart* — *Antoine* etc.

398. — Quaer. 5° *An mulieri liceat occidere invasorem pudicitiae?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia pudicitia est bonum praestantius divitiis: ergo, si quando licet occidere aggressorem injustum bonorum fortunae, id *a fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. — *S. Lig. n. 386.* et *alii communiter* contra *Billuart* etc.(1)

Quaer. 6° *An vero liceat alium occidere ad conservationem honoris?*

Resp. Negative, saltem *practice* loquendo, quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressione vitae aliorumque bonorum non potest comparari. Innumeris praeterea caedibus aliter pateret aditus.

Attende insuper ad *propositionem 18.* ab *Alexandro VII.* damnatam, in qua asserebatur, licere falsum accusatorem, falsos testes, falsumque judicem, a quo certo imminet injusta sententia, occidere, si alia via non possit innocens damnum vitare; necnon ad alteram *propositionem 30.* ab *Innocentio XI.* damnatam: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec calumnia vitari nequit.* — *Vide S. Lig. n. 381.*

Resolves:

399. — 1° Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti

(1) excipe: si invasus sit necessarius ad bonum publicum; vel si sit pater, filius, uxor aut frater, quos tueri pietas obligat; vel si sit in statu peccati mortalis, quia tunc versatur in extrema necessitate. — Cf. *n. 221. Tenentur* vero *per se* ii, quibus speciale munus incumbit, defendendi cives, non tamen cum periculo propriae vitae, nisi agatur de avertendo malo *publico.* — *Scav. l. c. §. 3. Q. 2.*

(2) scil. defendi aut recuperari —

(3) Cf. *prop. 31. 32. et 33. Innoc. XI.*

(1) Merito (cf. *n. 396. Q. 2°*) etiam ajunt, licere, si alia media non praesto sint, ex caritatis suasione interficere invasorem pudicitiae alienae, dummodo invasa non consentiat aggressui, sed positive resistat; imo, etiamsi consentiat, modo sit defensori valde propinqua. — Nunquam vero id licet *post factum* (cf. *n. 399. 4°*). — *Scav. l. c. Q. 3. in not.*

etiam cum resistentia domini, quia, licet talis ablatio fiat cum speciali ejus injuria ob violentiam, non tamen gravis injuria juxta hominum aestimationem illi infertur. — *S. Lig. n. 383.*

2° Non licet occidere aggressorem injustum aggressionem dumtaxat minitantem (¹), quia aggressio non est actualis et aggressoris voluntas absolute mutari potest. — *S. Lig. n. 387.*

3° Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur casus, in quo aggressio *effective,* ut ajunt, in aggressoris fuga rem furtivam auferentis perduraret. — *Ita communiter.*

4° Non licet puellae occidere aggressorem honoris sui post oppressionem; potest tamen illum percutere, modo non graviter laedat, quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit. — *S. Lig. n. 386.*

5° Non licet, saltem practice loquendo, viro etiam honorato aggressorem infligentem alapam occisione praeoccupare; semper enim fuga aut alia via proprio honori consuli potest: nec fuga *constantem* virum et *christianum* dedecet. — *S. Lig. n. 381.*

ARTICULUS III.
DE OCCISIONE INNOCENTIS.

§. I.
De occisione innocentis in genere.

Principia:

400. — I. Numquam licet *directe* innocentem occidere, sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita *Exod. 23. 7.: Insontem et justum non occides.* — *S. Lig. n. 393.*

(¹) ita, ut nondum moraliter certo sit proxime paratus ad invasionem vel, licet sit proxime paratus, tempus tamen ad defensionem efficacem adhuc suppeditet. Sed tunc his conditionibus verificatis id licet, si aliud medium se salvandi non desit.

II. Licet ob gravem (¹) causam ponere actionem in se bonam, ex qua praeter intentionem sequitur mors innocentis, juxta principium *D. Thomae* supra expositum.

III. Non est homicidii reus, qui sine causa, sed adhibita diligentia ponit actionem, quae mortem *per se* non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur, quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem, quae mortem *per se* inferat seu valde periculosa sit, ex qua scilicet mors saepe sequatur, etiam adhibita quacumque diligentia ad damnum praecavendum. (²) — *S. Lig. n. 398.*

Resolves:

401. — 1° Non licet occidere lethaliter vulneratos nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur, nec rabidos, ne aliis noceant, quia bonum ex malo sequeretur.

2° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno, caput ejus postulanti etiam sub poena urbis subvertendae, imo etiamsi morti suae ille consentiret, cum dominium in propriam vitam non habeat. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet (³). — *S. Lig. n. 393.* — *Antoine etc.*

3° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde multi innocentes mortem passuri sint, quia eorum mors praeter intentionem sequitur. — *S. Lig. ibid.*

4° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint et obsides vel legatos ad eos missos

(¹) tanti nempe momenti, ut vitae innocentis aequiparari possit —

(²) Si tamen aliquod opus, quamvis sat periculosum, sub datis circumstantiis juxta dicta de voluntario in causa licitum sit et diligentia sufficiens adhibeatur, sane homicidium inde forte sequens imputari non poterit. — V. etiam *S. Lig. ib.*

(³) et probabiliter, si nolit, etiam tradi. — *S. Lig. n. 393.*

injuste interfecerint, quia sunt innocentes. — *Busemb. et alii communiter* cum *S. Lig. ibid.*

5° Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem non impediant, aut pariant vel accelerent. Item, si ex ignorantia graviter culpabili aegrotis nociva praebeant.

§. II.
De procuratione abortus.

Abortus est praematura ejectio foetus ex utero matris.

Principia:

402. — I. Numquam licet(1) *directe* procurare abortum, etiamsi foetus supponeretur adhuc inanimatus(2), sub quocumque praetextu mortis vitandae etc. Ratio est, quia, si animatus sit foetus, est homicidium proprie dictum; si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Foetus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum; ergo illius ejectio est homicidium anticipatum. — *S. Lig. n. 394.* — *Lacroix n. 823. et seq.*

II. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare seu permittere, subministrando videlicet matri morbo gravi laboranti remedia foetui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet: 1° ut agatur de morbo lethali; 2° ut remedia foetui nociva sint *per se* ad morbum curandum *directe* et *immediate* efficacia; 3° ut nulla sit spes foetui illi per baptismum vitam aeternam procurandi.(3) Hujusmodi autem spes in duplici casu abesse potest, nempe ubi moraliter certo constat, quod foetus nondum sit animatus, ut in prioribus conceptionis diebus(1); vel quod sit, moriente matre, simul vel ante moriturus. — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix n. 826. et seq.* — *Billuart.*

III. — Licet medicis porrigere mulieri gravidae aegrotanti pleraque remedia pro variis morbis consueta, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat, abortum rarissime sequi ex plerisque remediis ordinariis. — *Ita communiter.*

Resolves:

403. — 1° Non licet puellae gravidae pharmacum sumere ad foetum expellendum, ne famam amittat aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus. Constat etiam ex *propositione 34.* ab *Innocentio XI.* damnata.

2° Non licet medicis vel obstetricibus, cum mulier gravida est, foetum occidere ad matrem a morte liberandam. — *S. Lig. n. 394.*

3° Non licet matri gravidae etiam in certo mortis periculo sumere aut etiam praebere medicinam ex vi sua ordinatam ad ejectionem foetus, quamvis mors utriusque certo futura sit, si non adhibeatur, et econtra certo aut probabiliter sit salvanda, si adhibeatur. Ratio est, quia abortus directe procuraretur.

4° Licet medico praebere remedium de se ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio et matrem morituram, et foetum sine baptismo exstinctum iri, quia

---

(1) sub peccato sane gravissimo —

(2) Licet vero, si esset corruptus, quia non amplius nomen foetus mereretur. Item licet *in ipsa oppressione violenta* conceptionem impedire, non tamen foetum actu jam conceptum expellere. — *S. Lig. n. 394. Quaer. I. versus finem.*

(3) Cf. *n. 403. 4°.*

(1) Cf. *prop. 35. Innoc. XI.* — Ex sententia vetustiorum physicorum et praxi utriusque fori censetur foetus animatus 40. die post conceptionem, si masculus sit, 80. die, si foemina. Omnino vero probabilis hodie sententia, omnem foetum statim post perfectam conceptionem animari. Haec recentior sententia inserviet ad di[illegible] judicandam gravitatem hujus peccati, etiam[illegible] brevi post conceptionem commissi, vel[illegible] stior autem norma erit quoad poenas p[illegible] hoc crimine inflictas. — Cf. *Scav. l.* [illegible] §. 2. Q. 5. *nota I.*

sic tum mater, tum foetus, quo meliori modo possunt, juvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero aequale sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est, quia sine majori periculo foetus vitae matris consulitur. — *S. Lig. n. 394.*(1)

5° Homicidae sunt, qui percutiunt mulierem praegnantem vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidae, quae imprudentia gravi variis modis abortus causam proximam ponunt, v. g. nimiis laboribus operam dando, onera majora asportando, pedes in aqua frigida lavando.

6° *A fortiori* homicidii reae sunt puellae ex fornicatione gravidae, quae repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione etc. Quando hujusmodi foeminae confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandae sunt de abortu desiderato vel attentato nec non de mediis adhibitis. De hoc pariter interrogandi sunt(2) amasii, qui fuerunt fornicati: saepe enim abortum consulunt. Idem de illis dicendum, qui mulieribus venena praebent.

De poenis in procurantes abortum dicetur in tract. de censuris.(3)

(1) Si autem periculum ex medicina fiat majus, utique caute procedendum, cum fas non sit, ad tuendam vitam temporalem proximum positive periculo mortis aeternae exponere. Advertendum tamen, adesse debere, ut haec prohibitio urgeat, veram spem salvandi vitam prolis post mortem matris, non vero sufficere exiguam et remotissimam; rarissime autem proles matri praegnanti supervivit. Hinc medicus conscientiose, non tamen scrupulose circumstantias perpendat. — Videtur praeterea permittendus parienti usus *aetheris*, ne partus dolores sentiat, saltem in casibus extraordinariis, si dolores nimis intensi, partus admodum difficilis etc. — Cf. *Scav. l. c. §. 2. Q. 5.*

(2) pro circumstantiis —

(3) Qui *scienter* procurant abortum foetus animati et quocumque modo in hoc consentiunt vel mulieribus praebent venena sterilitatis, effectu secuto incurrunt, habita ratione [illegible]

CAPUT III.

DE DUELLO.

Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex condicto praecedenti de loco, tempore et armis(1).

Duellum est: 1° *publicum* vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2° *solemne* vel *simplex*, prout fit coram testibus vel iis omissis.

Principia:

404. — I. Duellum auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ad bonum commune, ut bellum terminetur; secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur. Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate privata susceptum in nullo umquam casu licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat 1° *juri naturali*, cum Deus nulli hominum dominium dederit in suam aut alterius vitam nec in membra extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2° *juri canonico*, ut constat ex *Trident. sess. 25. cap. 19.*, ubi duellum dicitur *detestabilis usus, fabricante diabolo introductus.*(2) — *S. Lig. n. 399. 400.*

Resolves:

405. — 1° Non licet acceptare duellum, etiam ad avertendam ignomi-

privilegii clericalis, dignitatum, officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum (in genere post sententiam declaratoriam judicis) et inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda (ipso facto); insuper excommunicationem ipso facto, ordinariis locorum reservatam (cf. *p. 2. n. 978. 2°*), et irregularitatem (cf. *p. 2. n. 1036.*). — Non incurrit autem hanc excommunicationem juxta sententiam valde probabilem, imo probabiliorem, mulier praegnans, quae sibi ipsa abortum procuraret. — Cf. *Thesaurus, de poen. eccles. p. 2.* sub *Abortus.* — *S. Lig., de 5. praec. dec. n. 395.* — *Scav.*

(1) cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris. — *Ferraris, Pr. Bibl. ad v.* Duellum.

niam, quia repugnat rationi, istud medium crudele adhibere cum evidenti suae aut proximi vitae periculo, imo et salutis aeternae, ad finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera aestimatio, laus et decus non sunt posita in vana opinione hujus mundi, cujus sapientia apud Deum stultitia est. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 8. n. 27.*

2° Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi non acceptans cedere debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate numquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatae tutelae;* provocans autem ad duellum non est actualis aggressor. Constat etiam ex *propositione 1.* a *Benedicto XIV.* damnata. Hinc improbabilis evasit sententia *Lessii, Sanchez, Elbel,* qui duellum licere in hoc casu asserebant. — *S. Lig., Hom. apost. ibid.*

3° Non licet duellum suscipere ea lege, ut uno vulnerato aut certo numero ictuum completo pugna cesset: 1° quia etiam in hoc est maximum vulneris lethalis periculum; 2° quia *Clemens VIII.* prohibuit etiam duella non fatalia; 3° quia istud duelli genus scandalum creat et duellis fatalibus occasionem praebet.

4° Non licet duellum suscipere etiam auctoritate publica ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam, nec ad finiendam litem privatam, quia non est medium ad hos fines ordinatum. Nec cogi possunt rei ad duellandum, spe etiam vitae victori futuro data. — *S. Lig., Hom. apost. ibid.*

5° Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia via periculum mortis proximum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, aut indicere ad defensionem aliud tempus determinatum, quia tunc duellum proprie dictum esset.

6° Non ineunt duellum proprie dictum et proinde non incurrunt poenas a concilio Trid. in duellantes inflictas, qui ob injuriam subita ira excandescentes et ad pugnam se provocantes statim congrediuntur, quia est vera rixa, non vero duellum, quod *ex condicto loco et tempore* fieri debet. — *Ita communiter.*

Nota: Duellantes incurrunt excommunicationem Papae reservatam, ut dicetur in *tract. de censuris n. 973. 6°* et *1012.*(1)

406. — Hic referre juvat quinque *propositiones* circa duellum damnatas a *Benedicto XIV. an. 1752* in Bulla *Detestabilem.* Sunt sequentes:

1° Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia militaria ineptus haberetur indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2° Excusari possunt etiam honoris tuendi vel humanae vilipensionis vitandae gratia duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3° Non incurrit ecclesiasticas poenas contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum ex gravi metu amissionis famae vel officii.

4° Licitum est in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

5° Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur.

CAPUT IV.

DE BELLO.

407. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam

---

(1) Cf. *n. 405. 5°. 6°.* Itaque nec incurruntur poenae ob congressum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem rixae impetu ad locum aliquem idoneum ex aequo perrexerint. S. C. C. *5. Oct. 1744.* — *Scav.* — *S. Lig. n. 401.*

reipublicae defendendae aut vindicandae causa.

Hinc differt 1° a *rixa*, quae est pugna paucorum contra paucos; 2° a *seditione*, quae est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem.

Distinguitur bellum: 1° *offensivum*, si fiat ad injuriam vindicandam; 2° *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia:

I. Bellum *per se* licitum est sive ad injuriam repellendam, sive ad jus suum vindicandum. Ratio est, quia societas quaelibet independens ab alia societate habere debet medium se tuendi contra injuriam et jus suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. Etenim, cum altiora desint tribunalia, ad quae nationes seu principes recurrere queant, bellare possunt ad satisfactionem ab alia societate obtinendam. — *S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1.* et *alii omnes.*

II. Ad bellum justum et licitum sequentia necessario requiruntur, scilicet

1° *Auctoritas legitima*, i. e. suprema nullum alium superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia, ubi major auctoritas habetur, haec de lite judicare debet.

2° *Causa justa et gravis*, quae sit praeponderans incommodis ex bello secutaris, v. g. regnum vel provincia recuperanda, aut injuria gravis reipublicae facta propulsanda, vel subditorum rebellio reprimenda etc.

3° *Debitus bellandi modus*, scilicet: ut ante bellum a parte adversa condigna requiratur satisfactio, quae, si offeratur, ex justitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum. *S. Thom. ibid.* — *Billuart etc.*(1)

(1) Peccatur etiam, si deest debita intentio, si v. g. bellum geratur ex odio, cupiditate gloriae, ad dilatandum imperium etc. Ast non laeditur sic justitia, si justa causa praeterea adsit. — *Scav.*

Quaesita:

408. — Quaer. 1° *An liceat bellum gerere cum probabilitate sui juris?*

Resp. Controvertitur. Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece* et *practice.* Ratio est: 1° quia possessor bonae fidei nequit re possessa exspoliari, nisi constet, eum injuste illam retinere; 2° quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut sunt caedes, injustitiae, morum corruptelae et alia hujusmodi, quae bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo juris sui. — *S. Lig. n. 404.* — *Tamburini.* — *Billuart* contra *plures*, quorum *alii* dicunt, tantum *majorem* probabilitatem, *alii, aequalem* probabilitatem sufficere.

Quaer. 2° *An milites belligerare possint cum dubio de justitia belli?*

Resp. 1° Si agatur de milite subdito, tenetur obedire, ubi bellum non est evidenter injustum, quia non ad ipsum pertinet rationes superiorum examinare.

2° Si agatur de milite conducto ante bellum declaratum, potest obedire: ad hoc enim conducitur; unde fere, ac si esset subditus, se gerere debet.

3° Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli justitia(1), nec in dubio de justitia se lo-

(1) „Quod si isti (subditi) prorsus ignari sint, an eorum principes juste vel injuste bellum indicant, tunc omnes fatentur, non opus esse, ut id prius exquirant.... Si vero miles principi bellanti subjectus minime fuerit, negotium haud ita facile dissolvitur. Contendunt aliqui, prius investigandam belli aequitatem, quam miles ejusmodi nomen suum praebeat; id vero alii nequaquam necessarium existimant. Inter ceteros *Diana* hanc sententiam tuetur, eamque nos ipsi plurimum aequitati consentaneam judicamus. Nam belli concitandi causae omnes in medium non proferuntur; plures enim in animis principum conditae et velut obductae tenebris delitescunt. Accedit etiam, quod christiani principes nullum bellum suscipiant, quin

care potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re, quam possidet, nisi sit certus, injuste eam ab illo possideri. — *S. Lig. n. 408.*

Quaer. 3° *An liceat principibus catholicis, in bello justo advocare in auxilium haereticos et infideles?*

Resp. Affirmative per se, saltem *speculative loquendo,* modo absit scandalum et fidei periculum. Sic Judas Machabaeus foedus cum Romanis inivit. *1. Mach. 8.* — Sed, ait *S. Lig. n. 406.,* plerumque *per accidens* est illicitum ob damna religioni imminentia.

Quaer. 4° *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. 1° Occidi aliquando possunt nocentes seu milites, qui pugnaverunt, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut injuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitae servandae se dediderint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2° Innocentes autem, i. e. mulieres, senes, peregrini, clerici, religiosi etc. *directe* occidi non possunt, nisi constet, illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut sine istis reliqua nocentium turba omnino perimenda interimi non possit. — *S. Lig. n. 409.*

Resolves:

409. — 1° Milites in bello injusto nequeunt hostes occidere, nequidem defensionis causa; si fugere nequeant, curare debent, ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt injusti aggressores, et jura contraria in eadem re dari nequeunt. — *Lacroix* et *alii communiter.*

2° Princeps, perspecta belli justitia, eam proponere debet parti adversae, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo, etiam inceptum bellum oblata satisfactione adaequata relinquere tenetur, sin minus ex rigore justitiae, saltem plerumque ex caritate, modo pars altera omnes expensas jam factas compensare velit nec ad bonum publicum necesse sit, ut ea retundatur.

3° Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur et in varia discrimina conjiciantur. Haec enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant; sic licet fingere fugam, uti vexillis hostium etc. Illicitae autem sunt fraudes, quae nulla prudentia possunt praecaveri, v. g. veneno inficere puteos et fontes etc.; haec enim sensu communi contra jura belli pugnant. — *S. Lig. n. 410.*

4° Licet in bello justo urbes et arces obsidere, tormenta omnis generis contra illas explodere, imo aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. g. hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in praedam dare, sed nonnisi ob gravissimas rationes. — *S. Lig. ibid.*

5° Duces exercitus et milites summopere praecavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis; sunt enim legitimae ministri vindictae, non vero latrones et sicarii. Praesertim vitare debent, quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6° Duces et milites laedere nequeunt legatos partis adversae, quia jure gentium ubique sunt inviolabiles. Nec mittere possunt spiculatores, qui principem aut ducem exercitus vel alios

---

ante a viris doctrina ac theologiae scientia praestantibus consilium expetiverint. Quare milites, sive inter subjectos numerentur, sive a principe bellante nullo modo dependeant, ob hanc causam omnem ex anima scrupulum ac solicitudinem deponere queunt, et facere reipsa consueverunt. Postremo principes, cum necessitas postulat, extemplo milites conscribere nequirent, si concedendum prius est militibus, ut serio perpendant, an bellum ejusmodi defensionis sive offensionis cum aequitate conjungatur." — Ita *Benedictus XIV., Instit. 101. §. Quapropter.*

regni primates occulte trucident, quia hoc de consensu omnium perfidia est.(1)

DE VI. ET IX. DECALOGI PRAECEPTO.

„Non moechaberis. — Nec desiderabis uxorem ejus (proximi)." *Exod. 20. 14. 17.*

410. — Juvat inprimis referre ac propria nobis facere verba *S. Ligorii* in principio *tract. de sexto praecepto n. 413.*

„Nunc aegre materiam illam tractan„dam aggredimur, cujus vel solum no„men mentes hominum inficit. . . Uti„nam brevius aut obscurius explicare „me potuissem! Sed cum haec sit „frequentior atque abundantior confes„sionum materia, propter quam major „animarum numerus ad infernum de„labitur, hinc opus mihi fuit ad in„structionem eorum, qui moralem scien„tiam cupiunt addiscere, ut clare (li„cet quo castissime fieri potuit) me „explicarem et plurima particularia „discuterem. Oro tamen studiosos, qui „ad munus audiendarum confessionum „se parant, ut hunc tractatum, quem„admodum et alium de debito conju„gali. . . . legant *ob hunc unice finem,* „omnem prorsus curiositatem abjicien„tes, atque eo tempore saepius men„tem ad Deum elevent, et *Virgini „immaculatae* sese commendent, ne, „dum aliorum animas Deo student ac„quirere, ipsi suarum detrimentum pa„tiantur."

(1) *Bona* immobilia hostibus erepta ex lege belli cedunt principi aut reipublicae, mobilia vero ex usu fiunt primi occupantis, nisi consuetudo vel lex aliter ferat. — Non tamen licet militibus propria auctoritate i. e. sine permissione principis, qui id ex causa gravi concedere potest (cf. *supra 4°*), *praedam* facere ab inimicis, et excipienda sunt semper loca sacra et pia. — *Repressalia* communiter censentur licita, si tamen constet, cives puniendos injuriam intulisse, superiores illorum rogati justitiam administrare culpabiliter recusent et insuper princeps supremus causa cognita id concedat. Non vero licet, majus damnum inferre, quam satisfactio requirit, et eximendae sunt res ecclesiasti-

411. — Sextum decalogi praeceptum prohibet omnem luxuriam externam i. e. opere patratam. — Nonum vero praeceptum prohibet etiam omnem luxuriam mere internam seu cogitationibus et desideriis impudicis habitam.

Luxuria est inordinatus appetitus vel usus rei venereae.

Hinc consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem venerea est delectatio orta ex commotione spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere sensuali, quae oritur ex proportione objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. g. objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum etc. Alia est materia luxuriae, alia materia sensualitatis. Delectatio sensibilis aut culpa vacat, aut veniale saltem plerumque et *per se*(1) non excedit.

Variae sunt luxuriae species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt tactus et adspectus impudici, actus solitarii et actus cum aliis exerciti, actus consummati et non consummati, item actus consummati intra naturam et actus consummati contra naturam.(2) Hae autem et singulae species, alias etiam subordinatas seu inferiores species in se continent, ut ex dicendis patebit.

Luxuria alia est *directe*, alia *indirecte* volita. Prior habetur, quando voluptas carnalis praecise in se intenditur; posterior vero, quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis

(1) In objectis enim quoad hanc materiam periculosis contrarium saltem in praxi tenendum, praesertim si ejusmodi delectatio quaeratur a personis ad copulam aptis et fiat cum mora et affectu. Cf. v. g. *n. 414. III.*

(2) Luxuria est enim *perfecta* sive *consummata*, si fit cum voluntaria humani seminis effusione; secus *imperfecta* sive *non consummata* vocatur. Consummata autem luxuria, in qua servantur conditiones necessariae ad generationem hominis, *naturalis* dicitur, hisce conditionibus deficientibus econtra *non naturalis* sive

nasci solet, ut fit in adspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

Principia generalia:

412. — I. Luxuria cujusvis generis vel speciei est *per se* gravissimum peccatum. Ratio est: 1° Quia gravissime pugnat contra naturam. Usus enim rei venereae ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem ac propagationem convenientem generis humani; non potest igitur extra matrimonium, nec etiam in matrimonio, nisi debito modo, usurpari sine gravissima recti ordinis perturbatione. 2° Quia sub gravi a Deo naturae auctore prohibetur, ut ex innumeris s. scripturae locis constat; sic *Galat. 5. 19.: Opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . ., quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

II. — Luxuria *directe* volita in quovis genere numquam parvitatem materiae admittit. Ratio est, quia, attenta naturae humanae infirmitate, minima delectatione directe admissa sequitur proximum periculum ulterioris consensus, et proinde subversionis ordinis a creatore stabiliti. Constat etiam ex *propositione 40.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic jacet: *Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.* (1)

(1) Hinc solus defectus sufficientis advertentiae et deliberationis in directa luxuria a mortali excusat. — Vix autem in hisce ignorantia invincibilis admittenda est, multo minus penes christianos et quoad actus externos; imo nec pueris talem ignorantiam praetendentibus nimis prompte credendum, praesertim si graviter contra pudorem deliquerunt. Hinc parentes attentissime invigilent ad ipsos, eorum socios etc.; idem onus parochis et magistris incumbit. — *Scav., de vitiis et pecc. in specie c. 2. art. 1. Q. 1.* — *Stapf.*

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiae, quia nullus est consensus tunc in rem veneream ipsam, sed tantum in causam, quae leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit. — *Ita omnes.* (1)

Agendum est de peccatis *externis* tantum; de *internis* enim seu de *morosa delectatione* et *pravo desiderio* jam dictum est in *tract. de peccatis n. 167. et seq.* (2)

Hinc: 1° de peccatis non consummatis; 2° de peccatis consummatis.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIAE NON CONSUMMATIS.

Peccata hujus generis sunt oscula, tactus, adspectus, sermones et lectiones turpes. (3)

ARTICULUS I.
DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS.

Statuenda:

413. — I. Oscula et tactus vere impudici seu habiti sine gravi causa in partibus inhonestis alterius, praesertim diversi sexus, vix umquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob imminens libidinis periculum, quod inducunt. — *S. Lig. n. 419. 420.*

(1) Distingue igitur *agere propter delectationem luxuriosam*, et *agere, etsi exsurgat delectatio naturalis.* Prius numquam licet; posterius vero non est per se illicitum, si scil. adsit justa causa, si quis illam delectationem detestetur et si absit periculum proximum consentiendi. — Cf. *n. 9. et 16.*

(2) Cf. tamen *n. 432. 8°.*

(3) Actus huc pertinentes non sunt per se intrinsece peccaminosi, sed fiunt peccata per periculum luxuriae, quod afferunt. (V. v. g. *n. 155. Q. 8.*) Hinc sequentia principia non sunt, nisi applicatio eorum, quae de *voluntario indirecto* statuimus. Ad liceitatem vel illiceitatem talium actuum dignoscendam attendendum autem est ad objectum, ad actum ipsum, ad finem agentis; item ad periculum libidinis vel consensus.

II. Oscula et tactus in partes honestas vel parum inhonestas constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea fiant; sunt venialia, si fiant ex levitate, joco, curiositate etc.(1); carent vero omni culpa, si fiant juxta morem patriae, urbanitatis aut honestae benevolentiae causa(2). Ratio horum *per se* patet. — *S. Lig. n. 417.*

414. — III. Tactus et oscula etiam in partes honestas non facile a peccato gravi excusanda sunt, si saepius vel morose exerceantur, praesertim a juvenibus diversi sexus, absque ulla necessitate, quamvis ob solam voluptatem organicam. Ratio est, quia ex hujusmodi actibus repetitis vel morosis commotio carnalis et delectatio venerea necessario oritur. — *S. Lig. n. 416. 417.*

IV. Oscula, tactus et amplexus ob delectationem veneream exercita contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis; censentur enim ejusdem naturae, quam actus consummatus, in quem natura sua tendunt. Hinc in confessione explicandum est, an habiti sint cum eodem vel diverso sexu, cum persona conjugata etc. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 416.* — *Lessius etc.*(3)

Resolves:

415. — 1° Culpa vacant oscula patrum et nutricum in infantes suos aut sibi commissos. Item oscula aliorum in infantes tenerae aetatis, etiam diversi sexus, saltem ordinarie.

2° Non statim arguendi sunt de peccato gravi juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis jocis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis a talibus ludis enixe avertendi sint ob periculum eis adnexum.

3° Mortalia vero censentur oscula in partes insolitas corporis, praesertim inter personas diversi sexus, v. g. in pectus, mamillas etc., vel etiam si fiant morose in os, praesertim lingua introducta; item si sint diuturna, repetita etc. — *S. Lig. n. 417.*

416. — 4° Non peccant *per se,* qui se(1) tangunt ad abstergendas corporis sordes vel ad pruritum sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, valde suadendum est, ut a tactibus abstineant. — — *S. Lig., Hom. apost. tr. 9. n. 3.* — Si vero tactus in proprium corpus sine causa fiant, veniale non excedunt secluso affectu venereo, i. e. si obiter tantum ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt adeo incentivi. — *S. Lig. n. 419.*

5° Tactus in verendis ejusdem sexus aut partibus vicinis etiam super vestes ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, joco, levitate absque mora et proposito fiant. — *S. Lig. n. 420.* — Idem fere dicendum de tactibus reciprocis mulierum in mamillas, etiam super vestes, quia ob sympathiam harum partium cum tactu adest proximum delectationis venereae periculum.

6° *A fortiori* excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevissimo tempore habiti, seclusa necessitatis causa, quia maximum pollutionis aut venereae delectationis periculum creant. — *S. Lig. n. 420.* — *Probabiliter* tamen arguendae non sunt de peccato gravi ancillae tangentes pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant.(2) — *Lacroix n. 902.* — *S. Lig. ibid.*

---

(1) et abeit consentiendi periculum, scandalum, mora et ardor. — Cf. *III. etc.*

(2) etsi motus libidinosi exsurgant, dummodo voluntas eos aversetur et omne periculum proximum consentiendi absit. — Cf. notam ante *n. 413.*

(3) Haec eadem principia applicanda sunt pro iis, qui se turpiter tangi permittunt.

(1) etiam in partibus inhonestis —

(2) Plerumque tactus etiam partium pudendarum, qui fiunt ex levitate aut curiositate inter impuberes vel in impuberibus aut in brutis, a mortali excusant, dummodo desit intentio luxuriosa etc. Cf. notam

7° Veniale non excedit *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personae diversi sexus, secluso pravo fine, omni affectu et periculo libidinis, si haec v. g. ex mera levitate fiant nec periculum speciale ratione propriae vel alterius fragilitatis oriatur.

Ceterum, cum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit aut mortale, et aliunde non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis, quae leve peccatum *per se* non excedunt, v. g. si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidinem proclives, quam maxime confessario satagendum est, ut poenitentes, praesertim juniores, a quibusvis tactibus cum diverso sexu sedulo removeat.

ARTICULUS II.
DE ADSPECTIBUS OBSCOENIS.

Statuenda:

417. — I. Adspectus turpes sine causa sufficiente habiti sunt graviter aut leviter peccaminosi juxta intentionem agentis, turpitudinis gradum et consensus venerei periculum. Facilius a gravi reatu excusantur in se, quam in aliis, quia propria minus movent, quam aliena. Item facilius excusantur, si fiant in alterum ejusdem, ac diversi sexus, quia minus ad libidinem provocant.

II. Adspectus graviter impudici sine causa gravi in personas alterius, praesertim diversi sexus habiti a peccato mortali non sunt *per se* excusandi, licet affectus venereus absit, quia proximum libidinis periculum procreant, ut supra de tactibus pravis dictum est. — *S. Lig. n. 421.*

Nota: Generatim facilius a gravi peccato excusantur adspectus, quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt ex eo, quod adspectus sit sensus magis elevatus et minus materialis, adeoque minus ad libidinem movens.

Quaer. *An adspectus induant malitiam variarum circumstantiarum personae, quae turpiter adspicitur, sicut tactus?*

Resp. Negative probabilius, si absque ullo desiderio copulae fiant. Ratio est, quia, cum ii non afficiant *immediate* personam, non censentur proprie ex natura sua in actum consummatum tendere et esse quasi aliqua copulae inchoatio. — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix ibid.* — Hinc adspectus in personam consanguineam vel conjugatam aut sacram non induit malitiam incestus, adulterii aut sacrilegii.

Resolves:

418. — 1° Excusantur *per se* a mortali personae ejusdem sexus, quae se nudas *leviter* adspiciunt simul natantes aut se lavantes, praesertim si impuberes sint. — *Ita communiter.*

2° Adspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas sunt peccata mortalia, nisi forte visio fieret a longinquo et per brevissimum tempus, quia turpis ille adspectus valde ad venerem excitat. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido adspicias, quia talis adspectus libidinem auget, nedum minuat. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 421.* — Excipiunt 1° si adspiciens sit puer vel valde senex, aut valde frigidus, quia isti parum moventur(1); 2° si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillae et nutrices, quae pueros sibi commissos sic adspiciunt, nisi morose vel iteratis vicibus id faciant.

3° Adspectus in partes honestas personae diversi sexus, etiam pulchrae, *per se* non sunt peccata; si autem ex curiositate vel morositate aliqua fiant, peccata venialia *ordinarie* erunt;

---

ante *n. 413.* et *S. Lig. n. 420.* — Nullimode vero concedendum, matrem filios jam grandiusculos in eodem lecto secum dormire permittere. Etiam juniorum pudori parentes in omnibus solerter consulant. — *Scav.*

(1) Sed contradicit *S. Lig. n. 421.*

a mortali vero non excusabuntur adspectus diuturni, si periculum involvant turpis concupiscentiae vel morosae delectationis, praesertim si commotio spirituum insurgat, et *a fortiori*, si persona inordinato amore diligatur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 422.*

4° Adspectus in partes minus honestas, sed non turpes diversi sexus, v. g. in brachia, crura, collum, partem superiorem pectoris, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso pravi consensus periculo. A mortali vero generatim non excusabis eos, qui ubera mulieris pulchrae nuda cum mora notabili sine causa adspiciunt, ob periculum hujusmodi adspectui adnexum. — *S. Lig. n. 423.* — Non tamen graviter peccant, qui secluso speciali periculo matres aut nutrices infantulos lactantes adspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulae aut junioris non adhuc formatae oculos figunt.

5° Adspectus picturarum obscoenarum ex curiositate tantum ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut ejus periculum absit. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir adspiciens pudenda mulieris depictae, quia difficulter se liberare poterit a delectatione turpi, nisi per brevissimum tempus et in magna distantia fiat, aut nisi picturae vetustas artem imminuerit. — *S. Lig. n. 424.* — *Billuart* tamen cum *aliis* excusat a mortali, si adspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturae infantes tantum repraesentent, quia picta non commovent sicut naturalia: et hoc improbabile non videtur.

ARTICULUS III.
DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS.

419. — *Dico* I. Turpia loqui, canere, scribere, audire delectationis venereae causa vel cum probabili periculo consensus in illam(1) est grave peccatum.(2) — Si vero absit prava intentio et periculum libidinosi consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.(1)

Dico II. Libros omnino obscoenos legere est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis causa fiat, quia *per se* tales libri sunt valde libidinis incentivi, et aliunde nulla umquam adest sufficiens ratio ad talem lectionem cohonestandam. Excipe forte, si legentes ex sola curiositate ob aetatem provectam et frigidam complexionem et consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant. — *S. Lig. n. 426.*

Dico III. Libros amatorios et parum obscoenos legere, *per se* non est mortale, quamvis in praxi talis lectio sit valde periculosa, praesertim junioribus. Libros autem partim obscoenos, partim scientiis variis refertos ex solo scientiae vel utilitatis propriae vel alienae intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso consensus venerei periculo, quod pro junioribus raro abest.

Resolves:

420. — 1° Graviter peccant generatim, qui sermonem protrahunt, etiam ex levitate, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem etc., praesertim si inter juvenes diversi sexus id fiat.(2)

2° Graviter peccant, qui unum solum aut alterum verbum turpissimum

(1) quod periculum in genere (cf. *n. 420.* 1°) praesumitur, si sint valde turpia —

(2) Idem de aequivocis valet, si detur grave scandalum, v. g. si clericus talia proferat. — *Scav.* — Cf. *n. 420.* 2°.

(1) Si tandem proferantur ex joco etc. inter personas, in quibus vel nulla vel levis carnis commotio excitari solet, ob periculum remotum venialia communiter censentur.

(2) Veniale censetur per se, si de his obiter sermo sit inter conjugatos, cum propter consuetudinem hisce parum ordinarie moveantur. Attendatur autem semper, ne aliis grave scandalum praebeatur, quod tam facile evenit. — *S. Lig. n. 426.*

jocose proferunt, v. g. nominando verenda diversi sexus aut modum copulandi, maxime coram adolescentibus. Nec a gravi excusantur, qui jocandi praetextu verbis aequivocis, sed ab aliis intellectis, eadem aut similia exprimunt. — *S. Lig. n. 426.*

3° Graviter etiam peccant, qui ob jactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacentiae, scandali et jactantiae de peccato commisso.

4° Non est *per se* mortale, proferre turpia quidem, sed non graviter obscoena, si fiat breviter, per jocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quae proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ludicre ordinarie dicuntur et audiuntur. — *S. Lig. n. 426.*

5° Non sunt semper ut mortalia habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, praesertim si sint diuturna, saepe repetita, aut in locis solitariis fiant. — *S. Lig. n. 422. 426.*(1)

6° Non graviter peccant legentes ex curiositate libros lepidos, qui ad libidinem non graviter excitant nec magno periculo exponunt, ut sunt multae tragoediae, comoediae vel poëmata. — Si vero ob causam legitimam, v. g. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, minime peccant.(2)

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIAE CONSUMMATIS.

1° Intra naturam. 2° Contra naturam.

ARTICULUS I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS INTRA NATURAM.

§. I.

De fornicatione.

421. — Fornicatio est copula *soluti cum soluta* ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita de jure naturali et divino positivo, ita ut in nullo casu a peccato gravi excusari possit. — Constat 1° ex scriptura. *I. Cor. 6. 9.: Neque fornicarii . . . regnum Dei possidebunt.* — *Ephes. 5. 5.: Omnis fornicator aut immundus . . . non habet haereditatem in regno Christi.* — 2° Ex ratione: nam, si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, proles ex fornicatione susceptae absque debita educatione derelinquerentur et hinc subversio ordinis societatis necessario sequeretur.(1)

Ad fornicationem referuntur: 1° concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2° meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutae(2).

---

(1) *Quid ergo judicandum de amoribus, ut vocant, praesertim inter juniores?* — Non sunt indiscriminatim omnes culpae mortalis damnandi, licet ordinarie difficulter occasio proxima lethaliter peccandi aberit, saltem in progressu et accedentibus periculosis circumstantiis, ut si adamantes conveniant omnino soli, praesertim per longius tempus, aut noctu etc. — *S. Lig., Praxis conf. n. 65.; Hom. ap. tr. ult. n. 3.* Difficiliorem vero se praebet s. auctor quoad frequentiores accessus sponsi ad domum sponsae. — *Ib. et de poenit. n. 452. §.* Dicit autem. — Cf. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 696.*

(2) Quod de proferente, in genere quoque dicendum est de eo, qui obscoena ex proposito audit. Si audiens auctoritate gaudeat in proferentem, eum cohibere debet, quantum moraliter potest; si non, saltem admonere aut ad minus tacendo ostendere, haec ipsi displicere. Praesertim caveat mulier, ne hisce assentire videatur, cum id facilius libidinem inflammet. — Paulisper ridere de turpiloquiis graviter peccaminosis non est semper peccatum mortale, cum id fieri possit potius de modo dicendi, quam de re; excipe tamen, si ridens grave praeberet scandalum, si v. gr. esset religiosus vel clericus. — *Scav.* — Cf. etiam *n. 419. I.*

(1) Cf. *prop. 48. Innocentii XI.*

(2) Peccata non solum gravia, sed etiam periculosissima ob perseverantiam in statu peccati mortalis!

Utrum autem in societate permitti possint meretrices? Aliqui *probabiliter* affirmant, ut pejora peccata impediantur, alii *probabilius* negant, quia finis intentus sic non obtinetur. Certo solum in

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in confessione declaranda, cum *per se* speciem peccati non mutet. *Per accidens* autem saepius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque confessario interroganti fatenda est. — *S. Lig. n. 432.*

§. II.
De adulterio.

422. — 1° Adulterium est copula conjugati cum alia persona sive conjugata, sive libera, seu est accessus conjugis ad torum non suum.

2° Adulterium praeter peccatum contra castitatem aliud includit contra justitiam. Patet ex ratione constatque ex variis sanctae scripturae locis.

3° Adulterium committitur, etiamsi alter conjux consentiat, quia in omni casu violantur jura sacramenti et contractus indissolubilis.(1)

4° Adulterium inter duos conjugatos duplex est et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia haec in confessione exponenda est. — *S. Lig. n. 445.*

§. III.
De incestu.

423. — Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

Incestus specie differt ab aliis luxuriae peccatis, quia graviter repugnat reverentiae naturali debitae parentibus et consequenter personis, quae proxima conjunctione sanguinis aut affinitatis ita devinctae sunt. — *S. Lig. n. 448.*(2)

Resolves:

1° Declaranda est specialiter circumstantia incestus commissi cum consanguineis in 1° gradu lineae rectae, scilicet cum patre vel cum matre, quia enormiter distat ab aliis incestibus. — *Vide S. Lig., de poenit. n. 470.*

2° Declaranda est etiam circumstantia incestus cum consanguineis in 1° gradu lineae transversalis, nempe cum fratre vel sorore. Ratio est, quia in hoc deprehenditur specialis deformitas, cum Ecclesia in illo gradu numquam dispenset. — *Ita communiter* contra *plures.* — Sententia opposita non sat probabilis apparet. Attamen eam aeque probabilem vocat *S. Lig. ibid.*

3° Incestus cum ceteris consanguineis, nempe in 2°, 3° et 4° gradu lineae transversalis *probabilius* specie non differt, et proinde in confessione gradus isti varii non necessario declarandi sunt. — *S. Lig. ibid.*

4° Incestus cum affinibus in 1° gradu explicari debet, v. g. inter socerum et nurum, quia assimilandus est incestui cum parentibus. — *Ita communius.* — *S. Lig., de poenit. n. 469.* — Incestus autem cum ceteris affinibus speciem *probabilius* non variat. — *Ita S. Lig. ibid.* et *alii.*

5° Incestus cum consanguineis *probabilius* non differt ab incestu cum affinibus, sed est tantum circumstantia aggravans, quia materialiter se habet, quod conjunctio ex sanguine vel ex matrimonio oriatur. — *S. Lig. ib. etc.*

§. IV.
De sacrilegio.

424. — Sacrilegium, quatenus est luxuriae peccatum, est violatio perso-

---

vestis urbibus tolerari possunt et omnis extensio vitanda est. — Absolvendi vero sunt magistratus, addit *Bouvier,* qui asserunt bona fide, se malum istud tollere non posse; illiceitas enim non in omni casu certa est. — *Scavini.*

(1) Cf. *prop. 50. Innocentii XI.*

(2) Imo omnis concubitus inter cognatos naturam incestus induit ideoque haec circumstantia exprimenda est in confessione cum addito, num fuerit cognatio naturalis, spiritualis vel legalis. Etiam copula inter personas, quae ob impedimentum publicae honestatis matrimonio inter se jungi nequeunt, ad incestum revocatur. — Quae porro de copula dicta sunt, intellige etiam de tactibus impudicis inter hosce conjunctos. Cf. praeterea *n. 167. etc.* — *S. Lig. n. 448—453.* — *Scav.*

nae, loci vel rei sacrae per actum venereum.(1)

Sacrilegium praeter peccatum contra castitatem complectitur etiam peccatum contra religionem seu contra honorem Deo debitum.

Resolves:

1° Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia ejusdem conditionis peccans, quia dupliciter religionem offendit. — *S. Lig. n. 456.*

2° Sacerdos simul et religiosus *probabilius* non committit duplex sacrilegium peccando contra castitatem, quia, quamvis ex duplici praecepto maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem praeceptum formale seu ex eodem motivo tantum peccat. — *S. Lig. n. 455.*

3° Sacrilegus est, qui personam sacram ad peccatum luxuriae consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet, quia ejus peccato cooperatur.(2)

4° Pollutio voluntaria in ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit et quamvis ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5° Tactus leviter turpes in ecclesia non sunt sacrilegia juxta communiorem sententiam, quia ex eis non resultat magna irreverentia in locum sacrum; secus vero, si sint enormiter graves. — Si autem sint simpliciter graves, duplex datur sententia: ut *absolute probabilius* affirmat *S. Lig.*, quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent, quam ipsa copula, et licet his actibus non violetur ecclesia, illi tamen irreverentia irrogatur. Idem dicit de verbis et adspectibus graviter obscoenis *s. auctor n. 495—461.; Hom. apost. tr. 9. n. 22.* — Actus vero interni, seu cogitationes vel desideria prava habita in ecclesia non sunt sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa ecclesia excipias.(1) — *S. Lig. n. 462.; Hom. apost. ibid.*

(1) Cf. *n. 284. et seq.*

(2) Qui autem castitatis voto obstrictus alteri peccatum carnale suadet, *probabilius* votum violat, si id fiat ex positivo affectu ad libidinem; secus, si ex alio pravo fine. — *S. Lig. n. 457.*

§. V.

De stupro.

425. — Stuprum est violatio seu oppressio mulieris ipsa invita. — *Ita communiter.* Juxta plures sub nomine stupri venit defloratio *virginis* non consentientis; sed prior definitio tenenda videtur. Dicitur etiam stuprum in lato sensu quivis concubitus illicitus.

Stuprum praeter peccatum grave contra castitatem involvit etiam culpam gravem contra justitiam, in confessione necessario aperiendam. — *S. Lig. n. 443.*

Resolves:

426. — 1° Stuprum est fornicari cum muliere amente, ebria aut dormiente(2), quia violatur sine ejus consensu et proinde gravis ei infertur injuria.

2° Stuprum est vim inferre etiam mulieri jam corruptae aut viduae; quia consistit in violentia et injuria, quae mulieri infertur, eam invitam opprimendo. Consequenter, si quis mulierem conjugatam opprimat, adulterium et stuprum simul committit.

3° Non est stuprum, fornicari cum virgine plane(3) consentiente, etsi prima vice corrumpatur, quia domina est sui corporis et libere jure suo cedit.

4° Circumstantia *virginitatis* puellae, quae violata est, si ipsa in rem consenserit, non est necessario *per se* in confessione declaranda, quia stuprum *probabilius* consistit tantum in violentia mulieri illata, non vero in violatione signaculi integritatis virginalis.(4)

(1) Cf. *n. 285. Q. 2°. R. 1°.*

(2) nisi ante ebrietatem etc. consenserit —

(3) Censetur enim stuprum, si fraude (v. g. falsa matrimonii promissione etc.) vel gravi metu inducta fuerit. — *Scav.*

(4) Potest vero aliunde haec circumstan-

§. VI.

De raptu.

— Raptus est abductio ali-
sonae libidinis causa e loco
locum *non tutum* per vim aut
ravem ipsi illatum.(1) — *S.*
444.

raptum haec teneto:
ptus est peccatum speciale,
pravus actus libidinis non se-
quia consistit praecipue in in-
uae infertur in violenta ab-
libidinis causa.
post raptum desiderium libi-
leatur, speciem luxuriae di-
onstituit, quae in confessione
la est.
n est censendus raptus(2), si
lene consentiens abducatur,
n sit *minor* et ejus parentes
patiantur. — *S. Lig. n. 444.*

ARTICULUS II.

ATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

orum species datur: 1° pollutio;
sodomia; 3° bestialitas.(3)

Inter peccata contra naturam ad-
us quoque est *onanismus* seu
Onan, quod est copula incepta,
consummata vitandae generatio-
, sive inter conjugatos, sive in-
Sed de horrendo hoc peccato
in tract. de matrim., ubi de
debito.

§. I.

De pollutione.

— Pollutio est seminis effusio
gressu cum alio. Pollutio vo-
de qua sola agimus, est vel
el indirecte admissa. Dicitur
ollities.

1° Pollutio differt a distillatione,
effusio levis alterius humoris
quasi *guttatim* facta. In pol-
men ordinarie cum vehementi

le peccatum constituere, v. gr.
us vel moerorem parentibus in-
c. — *S. Lig. n. 443.*
raptu, prout est impedimentum
ii, suo loco.
fuga —
prop. 24. Alexandri VII.

delectatione magnaque carnis commotione ejaculatur. Distillatio autem cum nulla ordinarie aut parva admodum delectatione et commotione habetur.

Nota: 2° Motus carnales seu motus inordinati sunt quaedam pollutionis inchoatio aut praeparatio, si cum delectatione fiant. Aliquando absque ullo voluptatis sensu et ignota penitus causa habentur.

Principia:

429. — I. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut in nullo casu illam procurare liceat. Ratio est: 1° quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quae seminis effusionem unice ad generationem ordinavit; 2° quia, si in aliquo casu permissa aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime habitus pollutionis contraheretur ob tantam naturae corruptae in luxuriam proclivitatem, et proinde ordo naturae brevi subverteretur; 3° constat ex variis sacrae scripturae textibus, v. g. *1. Cor. 6. 10.: Neque molles . . . regnum Dei possidebunt;* 4° constat etiam ex *prop. 49.* ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic habet: *Mollities jure naturae prohibita non est; unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona . . .* — *Vide S. Lig. n. 476.*(1)

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima(2) sine justa ratione ponitur; est autem veniale, quoties causa, quae ponitur, est remota tantum seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adjungatur.(3) — *Ita communiter.* Ra-

(1) Quaestio, utrum, quando et quomodo semen corruptum expellere liceat, superflua est, cum talis corruptio non videatur contingere. — *Scav.*

(2) i. e. per se, directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. gr. cogitationes morosae de rebus valde libidinosis etc. *Scav.* — *S. Lig. n. 482.*

(3) Veniale etiam communiter censetur, si eveniat ex causa quidem per se gravi, sed non in materia luxuriae, v. gr. ex ebrietate, modo pollutio non intendatur et absit periculum probabile consensus, *quae*

tio utriusque patet. — *S. Lig. n. 482—484.*

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam ejus ponendi, secluso consensu seu affectu voluntatis in voluptatem. Ratio est, quia, ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa indifferenti ex se, unus malus, bonus alter et aequivalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum. Major autem ratio pro majori periculo requiritur. *Recole dicta de act. hum. n. 9.* — *Vide S. Lig. n. 483.*

Resolves:

430. — 1° Pollutio omnino involuntaria nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio, quam pati potest medicus, chirurgus, vel confessarius munera officii sui obeundo, modo pura agat intentione, nec consensum ullum delectationi praebeat.(1)

2° Pollutio nocturna culpa pariter vacat, quia a voluntate libera non oritur nec ullus ei praebetur assensus, ut supponitur, nec animum libidinosum denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. g. ex superfluitate naturae, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum.(1) Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit aliquo modo causata sine justa ratione, pro majori vel minori advertentia et causae influxu. Sic pravae cogitationes voluntariae, prava colloquia et alia ejusmodi somnum praecedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo, vel in potu etc. Pariter venialis est pollutio nocturna, quae fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; judicandum autem est, nullum consensum ei fuisse datum vel ad summum valde imperfectum, cum ordinarie in statu vigiliae displicet, si tunc eveniat, quia ex ordinarie contingentibus judicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

431. — 3° Pollutio, quae subsequitur ex tactu, adspectu, vel lectione graviter turpi, est peccatum mortale etiam secluso actuali consensu, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio voluntaria est, saltem in causa, cum haec *per se* grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si haec leviter turpia sint, modo pollutio praeter agentis intentionem et contra ejus voluntatem saltem directam sequatur, quia tunc in his non datur periculum proximum neque pollutionis, neque venereae delectationis.

---

conditiones semper subintelligendae sunt. Hinc principium tritum: *„pollutio indirecte volita tantum est peccatum, quantum ejus causa“* exceptiones patitur. — Cf. *S. Lig. n. 482. 484.* — V. supra *n. 10. 9° not.* Potest vero aliqua occasio per se remota quibusdam *per accidens* esse proxima. (Cf. *n. 431. 3°.*) Hinc, qui frequenter pollutionem expertus est ex causis per se non graviter culpabilibus, tenetur, nisi justa ratio adsit vel nisi causae sint omnino leves, sub gravi easdem vitare, saltem si sint materia turpis; in materiis enim non turpibus facilius excusabitur, ut patet ex dictis. — *S. Lig. n. 484.*

(1) *Quid vero, si aliquoties consenserit?* — Excusant etiam in hoc casu eum, cui talia *ex officio* incumbunt vel qui *sine gravi damno* opus in se bonum omittere nequit, modo in futurum se muniat specialibus remediis contra hoc peccatum. Si vero quis in similibus occasionibus semper vel fere semper lapsus sit et non appareat nova probabilis spes emendationis, etiam cum jactura vitae officium dimittere tenetur. — *S. Lig., Homo apost. tr. 9. n. 34.*

(1) Nec tamen licet, post somnum de illa delectari vel eam *ut talem* approbare. — *S. Lig., de peccatis in gen. n. 20.* — Si seminis emissio incoeperit in somno, consummetur autem in plena vigilia, non tenetur emissionem illam quis cohibere, modo eam non excitet (v. 4° in textu) nec adsit consensus in delectationem vel proximum ejusdem periculum (de quo ex praeterita experientia facile constabit), quia vix impetus naturae tunc reprimi potest. Mentem tamen ad contraria convertat, sancta nomina invocet etc. — *S. Lig. n. 479.*

Attamen periculum remotum potest *per accidens* alicui ratione propriae infirmitatis proximum evadere. — *S. Lig. n. 482—484.*

4° Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. — *Lacroix, de poenit. n. 1034.* — Item mortale est, acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore; imo, etiam si praeter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. — *S. Lig. n. 480. A fortiori,* si pollutio incepta conatu aliquo excitetur.

5° Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in confessione, an hic sit persona sacra, conjugata, cognata etc., quia malitiam sacrilegii contraxit, vel adulterii, vel incestus etc. — *S. Lig. n. 476.*

6° Peccatum non est *per se,* equitare rationabilis recreationis causa, certo situ in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balnea mittere, artem chirurgicam exercere et similia, quamvis praevideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intendatur, firmum adsit propositum, ei non assentiendi, si accidat, et absit probabile consensus periculum. — *S. Lig. n. 483.*(1)

432. — 7° Distillatio voluntaria etiam *indirecte,* si notabilis sit seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale est(2), quia est gravis deordinatio, quae proximum pollutionis periculum inducit. Si vero parva sit absque notabili commotione, distinguendum est: 1° si *directe* voluntaria sit, nec a mortali potest excusari, quia quaecumque distillatio semper vel ut plurimum secum fert aliquam commotionem et aliquantuli seminis effusionem; 2° si *indirecte* tantum voluntaria sit, facile etiam ab omni peccato excusabitur, quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cujuscumque alterius excrementi, de quo natura se exonerare solet. Ita expresse *S. Lig. n. 477.*

8° Motus inordinati, sive *graves,* sive *leves,* sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte natis adhaeret voluntas, quia tunc adest venerea delectatio in se volita, quae materiae parvitatem numquam admittit. — Si autem a voluntate non pendeant neque in se, neque in causa, ut saepe contingit, nullusque consensus eis praebeatur, ab omni peccato sunt immunes. — Tandem si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria, data tamen debita proportione, dicendum est. Hinc causa levis motuum posita facile excusabit a gravi peccato, cum id asserunt communiter de ipsa pollutione cum *S. Lig. n. 484.* Facilius enim poni potest causa motuum, quam pollutionis, ut patet.(1)

9° Licet alicui, pruritum magnum patienti in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, ut ordinarie(2), proveniat, non vero ex libidinis ardore. Si enim accidat pollutio secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde incul-

(1) Idem ajunt de *honestis* choreis, quae sint ex sufficienti motivo. — *S. Lig., Homo ap. tr. 9. n. 34.*

(2) iisdem tamen conditionibus accedentibus, sub quibus pollutio peccatum grave est —

(1) Motibus ejusmodi, qui a nobis non pendent, positivo vel directo conatu obsistere non semper expedit, quia ipsa contentione phantasia magis excitatur etc. (Cf. *n. 16. 5°—7°.*) — Hinc saepe, nisi nimis excandescat libido, tutius est, Deum et sanctos placide invocare, objecta periculosa fugere, mentem ab imaginibus obscoenis tranquille evocare et serio diversis et praesertim externis negotiis vacare. — *Scavini.*

(2) Hinc in dubio possidet libertas se liberandi ab hujusmodi molestia per tactum de se licitum, dum licite quis potest tactu pruritum corporis abigere. — *S. Lig. n. 483.*

pabiliter accidit. Ceterum adhortandi sunt poenitentes, ut, in quantum fieri potest, ab hujusmodi tactibus abstineant. — *S. Lig. n. 483.*

§. II.
De sodomia.

433. — Horrendum sodomiae crimen est concubitus cum persona ejusdem sexus vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1° *perfecta,* quae est concubitus cum persona ejusdem sexus; 2° *imperfecta,* quae est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale et cum affectu ad vas innaturale.

Sodomia est crimen multo majus pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, et ex inauditis poenis a Deo inflictis Sodomae et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.(¹)

Resolves:

434. — 1° Sodomia perfecta specie differt ab imperfecta, quia per illam homo inordinate se fert in sexum et vas indebitum, dum e contra per istam se fert tantum inordinate in vas indebitum.

2° Sodomia perfecta habetur, quoties congressus fit per applicationem partium genitalium ad quamlibet partem corporis personae ejusdem sexus per modum concubitus et cum affectu ad illum, etiamsi pollutio non subsequatur. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 9. n. 24.*

3° Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie distincta a perfecta. Verum si confessarius intelligat, mulierem cognitam fuisse extra vas naturale aut praeposterum, non debet quaerere, in quonam loco neque quo modo. — *S. Lig. n. 466.*

(¹) Merito jus canonicum sodomiam perfectam, completam et frequentatam acribus poenis in clericis coërcet. — *S. Lig. n. 470. et seq.*

4° Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus. Attamen declaranda foret mens sodomitica, si qua haberetur.

5° *Probabilius per se* non est declarandum, quis fuerit agens aut patiens, quia species peccati eadem est. — *Billuart — Concina.* — Circumstantia tamen pollutionis, si adfuit, quod facilius in agente contingit, omnino aperienda est.(¹) — *S. Lig. n. 468. — Billuart etc.*

§. III.
De bestialitate.

435. — Infandum et exsecrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est luxuriae peccatorum, quia naturae rationali magis repugnat. Morte puniebatur a lege mosaica: *Qui cum jumento aut pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Lev. 20. 15.* — Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia. Illius specialis deformitas in accessu ad speciem diversam consistit. — *S. Lig. n. 474.*

Tactus impudici cum bestiis specialiter sunt declarandi, quia, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, tamen specialem habent deformitatem saltem venialem.(²) Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua jumenti aut alterius bestiae voluptatem veneream aut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in confessione, cujus speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 474.*

Nota: Valde cautus, prudens et parcus

(¹) Videtur potius explicandum, si pollutio *non* adfuit. Confessarius enim in congressu sodomitico ex communiter contingentibus pollutionem praesumet. — V. *S. Lig. n. 466. Infertur II.*

(²) Si solummodo venialem, per se non sunt *necessario* declarandi. — Cf. etiam *notam ad n. 416. 6°.*

sse confessarius in interrogandis ıtibus de luxuriae peccatis, impri- iis, quae magis horrenda et incon- identur. Vide regulas infra tra- *in tract. de poenitentia,* ubi de ırii muneribus.

. — Hanc brevem tractationem :o decalogi praecepto sic con- juvat cum doctissimo *Billuart:* , caste lector, si hucusque tuos offenderimus: ad id nos coëa- xime necessaria tum confessa- n, tum poenitentium instructio materia omnium frequentissima. am hinc et inde excusamus a li, non ut impotenti passioni axentur; absit! sed solius amore et quia lepram a lepra distingui e est. Verum memento et alta repone, viam hanc undequaque ubricam, quam quis semel in- s quot gressus, tot lapsus facit; esse proditorium, cujus minima la saepe, eheu! saepius magnum lium causat. Fuge ergo, dilecte fuge occasiones, non dico pro- , sed remotas et remotissimas; in hac materia leve reputes, si certo cavere cupias: fugere in ›nflictu vincere est! Fuge cra- , fuge otium, fuge somnum pro- :m, fuge cogitationes, adspectus, uia, consortia, quae spirant li- m; mortifica membra tua et fac *hostiam viventem;* ipsum in- r et frequenter ora cum pro- ut creet in te cor mundum, ritum rectum innovet in visce- tuis; sacramenta poenitentiae charistiae religiose frequenta; ıis singularis patrocinium devote ı, ut *te culpis solutum, mitem ! et castum.*" — *Billuart, de ɜntia diss. 6. art. 17.*

I. ET X. DECALOGI PRAECEPTO.

furtum facies. — Non concupisces proximi tui: . . . non servum, non ı, non bovem, non asinum, nec quae illius sunt." *Exod. 20. 15. 17.* imum decalogi praeceptum pro- ɔmnem injustitiam *externam* in bonis fortunae proximi. — Decimum vero peccata etiam *interna* seu concupiscentiae, i. e. desiderii bonorum proximi et actionis injustae vetat. De variis injustitiae peccatis in bonis fortunae proximi dicemus *in tract. particulari de justitia et jure.* Unde hic nihil aliud de his dicendum occurrit.

DE VIII. DECALOGI PRAECEPTO.

„Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium." *Exod. 20. 16.* — „Non falsum testimonium dices." *Matth. 19. 18.*

437. — Hoc praeceptum, quatenus est negativum, prohibet 1° *praecipue* et *primario,* ne dicatur falsum testimonium tum in judicio, tum extra judicium; 2° *indirecte* et *secundario,* ne laedatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, jubet, ut qualibet sublata simulatione et fallacia simplex et nuda veritas dicatur.

Hinc prohibet: 1° perjurium in proximum; 2° mendacium; 3° detractionem; 4° calumniam; 5° judicium temerarium; 6° suspicionem injuriosam. De singulis dicendum, excepto perjurio, de quo satis in secundo praecepto.

CAPUT I.

DE MENDACIO.

ARTICULUS I.

DE MENDACIO IN GENERE.

438. — Mendacium est locutio(1) contra mentem cum voluntate fallendi. — Triplex distinguitur mendacii genus: 1° *damnosum,* quo mediante injustum damnum alicui infertur; 2° *officiosum,* quod utilitatis propriae vel alienae gratia habetur; 3° *jocosum,* quod fit ex joco et sola nugandi causa.

---

(1) vel significatio; potest enim etiam nutibus fieri, imo et facto, in quo casu *simulatio* vocatur. — *Scav., de restit. in specie, in append. c. 1. art. 1. Q. 3°.*

Principia:

439. — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum, ita ut ne vitandae quidem mortis causa licitum esse possit. Ratio est: 1° quia rectae rationi repugnat, vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2° quia, si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis in mutuo hominum commercio positus omnino subverteretur. — Hinc *Exod. 23. 7.: Mendacium fugies.* — Et *Coloss. 3. 9.: Nolite mentiri invicem.* — *S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3.* — *S. Aug., lib. de mendacio et contra mendacium.*

II. Mendacium *damnosum* grave est vel leve pro ratione majoris vel minoris damni, quod proximo per illud infertur, et obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. — *Ita omnes. S. Thom. ibid. art. 4.*

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se,* quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. — *Ita omnes.* — *A fortiori* mendacium *jocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id, quod mendacium jocosum dicitur, omni prorsus culpa vacat, quia non est mendacium *proprie* dictum, sed jocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem tantum admitti potest, quando talia sunt rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint, loquentem solum intendere jocari. — *Ita communiter.*

Resolves:

440. — 1° Non mentiuntur, qui asserunt falsum, quod credunt verum, sed errant tantum. Econtra mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2° Non sunt mendacia locutiones tropicae, ironicae, hyperbolicae etc., quae ut tales facile ab audientibus accipi possunt. Multo minus parabolae, quibus tam frequenter utebatur ipse Christus discipulos suos alloquendo. — Nec sunt mendacia aequivocationes ita clarae, ut facile intentio loquentis pateat.

3° Non mentiuntur, qui fabulas conscribunt vel ex joco dicunt aperte falsa.

4° Ad mendacium referuntur simulatio(1), hypocrisis, adulatio et jactantia, quae sunt variae speciei et peccatum veniale *per se* non excedunt; simulatio tamen et hypocrisis facile peccata mortalia evadere possunt, cum facile in re gravi proximus inique decipi possit.

ARTICULUS II.
DE RESTRICTIONE MENTALI.

441. — Restrictio *mentalis* est actus mentis, verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis.

Restrictio mentalis est 1° *pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nequeat, et haec *proprie mentalis* dicitur; — 2° *late* seu *improprie mentalis,* si sensus propositionis ex adjunctis(2) colligi possit.

Ad restrictionem mentalem revocantur aequivocationes seu amphibologiae, quae sunt locutiones habentes duplicem sensum principalem, sed unum magis et alterum minus obvium,

---

(1) De simulatione idem judicium ferendum est, ac de mendacio. Formalis simulatio, qua scilicet quis intendit, per factum externum aliud significare, quam in animo habet, semper illicita est, quia est verum mendacium. Materialis vero, quando scilicet quis exterius aliquid facit, praevidens quidem, hoc ab alio habendum pro signo alicujus rei, quam tamen ipse non intendit per hoc significare, cum alio fine agat, licita est per modum restrictionis improprie mentalis, si scil. ex circumstantiis colligi possit, ex alio fine sic agi, et justa causa habeatur. De simulatione autem in administratione sacramentorum suo loco. — *S. Lig., de 2. praec. dec. n. 171.* — *Lacroix l. 3. p. 1. n. 296. et seq.* Idem dic cum proportione de similibus.

(2) v. gr. ex modo respondendi, ex usu recepto etc. —

aut etiam unum spiritualem et alterum literalem.

Principia:

442. — I. Numquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali*, nec amphibologia humano modo non perceptibili; nec *a fortiori* licet cum iisdem jurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex *propositionibus 26. 27.* et *28.* ab *Innocentio XI.* damnatis. — *S. Lig., de 2. praec. n. 152.*

II. Licet aliquando *ex gravi causa* uti restrictione *late*, i. e. *improprie mentali* et verbis aequivocis, ex quibus sensus a loquente intentus intelligi facile possit. Ratio est, quia hoc non est malum *in se*, cum proximus non *proprie* decipiatur, sed ex justa causa tantum permittatur ejus deceptio; aliunde ad bonum societatis requiritur, ut medium habeatur licite celandi secretum magni momenti: aliquando autem aliud medium non suppetit praeter aequivocationem aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem.(¹). — Dixi: *ex gravi causa;* quia, si usus talium restrictionum absque *gravi* et *proportionata* causa haberetur, nemo posset aut vellet alteri credere: hoc autem in maximum humanae societatis damnum cederet. — *Ita communissime theologi.* — *S. Lig., de 2. praecepto n. 152.* — *Lacroix lib. 3. p. 1. n. 287.* — *Suarez, Lugo, Layman, Sporer, Elbel et alii innumeri teste S. Lig. ibid.*(²)

443. — Quaer. *Quomodo praecise distinguatur restrictio late mentalis a restrictione stricte mentali seu a mendacio?*

Resp. Ad id duo requiruntur et sufficiunt: 1° videre secundum definitionem mendacii, an in casu dato verba aliter sonent, ac sunt in sensu mentis, et an sit intentio fallendi; 2° videre, an desint circumstantiae, ex quibus clare appareat, quod audiens potest rem ita intelligere, ut est, et non ut sonat. Si desint tales circumstantiae, restrictio non est licita; est enim *pure mentalis* et, ut ait *S. Ligorius*, certissime damnata ut mendacium. In casu vero contrario restrictio est *late mentalis* et in quibusdam occasionibus licita. Dixi: *in quibusdam occasionibus;* nam etiam aequivocationes *per se* licitae ex frequenti usu sinceritati sociali et veracitati damnum afferunt, ideoque non sunt *sine ratione gravi* admittendae, ut supra dictum est.

Resolves:

444. — 1° Mentitur, qui utitur restrictione etiam non pure mentali aut aequivocatione aliquo modo perceptibili: 1° si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2° si interrogans habeat jus inquirendi aut imperandi sub peccato veritatis confessionem, quia juri illi respondet in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate, saltem regulariter loquendo.(¹) — *S. Lig., de 2. praec. n. 154.*

2° Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio,* quia confessarius id nescit scientia communicabili. Imo, etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia sacramentali?* respondere adhuc posset: *Nescio.* Ratio est, quia tyrannus bene scit, se jus de hoc interrogandi non habere, nec confessarius ut homo scit se scire, sed uti vicarius Dei et scientia incommunicabili.

(¹) Licet vero uti restrictione late tali etiam cum juramento (cf. *n. 310. Q. 3°.*); major tamen causa tunc requiritur, cum divinum testimonium non sit nimis facile usurpandum. — *S. Lig. l. c. n. 151. 152.*

(²) Cf. *Jo. 7. 8—10.* — *Matth. 24. 36.* — „Aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere." *S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 2.* — *S. Lig. l. c. n. 152.*

(¹) Adde: 3° si exinde damnum proximi emergeret contra praeceptum caritatis; 4° quando contractus mutui celebrantur, quo in casu justitia omnino postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — *Scav., de actibus relig. externis c. 2. art. 2. Q. 2°.*

3° Reus a judice non *juridice* aut non *legitime*(1) interrogatus potest respondere, se crimen non patrasse, subintelligendo: de quo possit inquiri seu quod fateri teneatur. — *S. Lig., de 2. praec. n. 154.*

4° Possunt uti restrictione *late mentali* omnes personae publicae interrogatae de rebus suae fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices etc. Si enim secreta hujusmodi personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5° Potest famulus jussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit, quia talis locutio generatim est usu recepta ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem. — *S. Lig. n. 165.*

Nota: Falso P. *Escobar* exhibetur a *Pascal* et ab aliis vulgo post ipsum ut restrictionum mentalium inventor; ipse enim tantum communem doctrinam antecedentium theologorum est secutus, nec umquam restrictiones pure mentales admisit. Imo theologi non pauci in hoc multo benigniores ipso fuerunt. Placuit autem auctori *Provincialium,* posthabitis multis aliis nomen P. *Escobar* usurpare, ut ludibrium ei propinaret.

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

1° De vitio detractionis; 2° de restitutione famae.

ARTICULUS I.

DE VITIO DETRACTIONIS.

445. — Detractio est occulta et injusta violatio famae alienae, seu denigratio injusta famae proximi absentis.(2) Fama autem est bona aestimatio, quam alii habent de vita et moribus alicujus.

Detractio dicitur *simpliciter talis,* si fama proximi violetur relatione criminis veri; denominatur autem *calumnia,* si famae violatio ex impositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1° *directe,* si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur; 2° *indirecte,* negando nempe bona opera proximi vel illa minuendo, vel etiam quandoque tacendo aliis laudantibus vel frigide laudando.(1)

Principia:

446. — I. Omnis detractio *directa,* sive sit *calumnia,* sive *detractio simpliciter,* est mortalis ex genere suo contra caritatem et justitiam, quia est peccatum injustitiae majus, quam furtum, quod ex genere suo est mortale contra caritatem et justitiam. Detractio enim majori bono proximum injuste privat, ut constat ex sensu communi et ex scriptura sacra *Prov. 22. 1.,* ubi dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae;* et *ibid. 24. 9.: Abominatio hominum detractor.*(2)

II. Gravitas detractionis desumenda est praecipue ex gravitate damni, quod proximus ex eo praevidetur esse passurus, et non praecise ex gravitate defectus seu criminis, quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1° personae *detrahentis,* scilicet an sit gravis et discreta, aut garrula et levis; 2° personae *laesae,* an sit bonae vel malae famae etc. Ratio est, quia major vel minor fides praestabitur, prout loquens erit majori vel mi-

(1) Cf. *p. 2. n. 25.*

(2) Si enim eo praesente fit, detractioni additur contumelia.

(1) Omnes autem hi modi sunt per se ejusdem speciei, quia omnes idem bonum famae respiciunt. Attamen novam speciem per accidens addere possunt, v. gr. contumeliam, injuriam in bonis fortunae, susurrationem (quae per detractionem intendit dissolutionem amicitiae ideoque specie differt a detractione). — *Scav.* — *Lugo.*

(2) Nec licet in genere revelare alterius crimen occultum, simul narrando poenitentiam actam, quia semper quaedam sinistra opinio remanet. — *Scav., de restit. in specie c. 2. art. 1. Q. 8°.*

nori fide dignus; item majus vel minus sequetur famae detrimentum pro ratione majoris vel minoris aestimationis, qua persona laesa gaudet. — *S. Lig. n. 967.*(1)

447. — III. Numquam licet falsum crimen alteri imponere, ut patet et constat ex *propositione 44.* ab *Innocentio XI.* damnata. Licet autem justa de causa crimen occultum, etiam cum jactura famae proximi, manifestare, quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc jus proximi ad famam conservandam cessat. — *S. Lig. n. 972.*

IV. Causae autem, ex quibus licite crimen alterius revelari potest(2), sunt sequentes: 1° utilitas notabilis revelantis ipsius, v. g. ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem; — 2° utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem etc.; — 3° utilitas publica, uti ad impedienda mala reipublicae vel religioni aut alicui communitati imminentia(3); — 4° utilitas gravis, etiam privata, sive audientium, sive aliorum, v. g. ut a malis, damnis aut incommodis sibi alias certe aut probabiliter eventuris caveant(4).

Ratio horum est, quia tunc manifestans peccatum alterius non laedit justitiam, nec caritatem. Etenim 1° *non laedit justitiam,* quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut obligentur alii ad tegendam veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2° *nec laedit caritatem,* quia caritas non obligat cum tanto detrimento. Sicut enim non teneris impedire damnum proximi tui, etsi majus, cum gravi tuo damno, ita nec teneris eo casu occultum crimen proximi celare. — *S. Lig. n. 968.*(1)

Quaesita: (2)

448. — Quaer. 1° *An peccet graviter, qui revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1° Non est semper peccatum grave, revelare peccatum grave alterius, etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur est ad rerum et personarum adjuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famae jacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2° Si peccatum graviter infamet sive in se, sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties hujusmodi peccatum, licet unicum, pluribus manifestat, quia damnum grave in fama proximo infertur.

Resp. 3° An vero sit mortale, hujusmodi peccatum unico viro prudenti

(1) Gravius item peccatur, si detractio fiat per *libellum infamatorium.* Lex canonica in editores et complices talis libelli infligit in aliquibus casibus excommunicationem latae sententiae et Papae reservatam. — *Scav.* — *S. Lig. n. 978. 995.* — *Thesaurus, de poen. eccles.*

(2) Sub hisce tamen conditionibus: 1° ut non habeatur ejusmodi notitia ex confessione sacramentali, qua, ut patet, *numquam* uti licet; 2° ut damnum alio modo evitari nequeat; 3° ut sit satis proportionatum amissioni famae; 4° ut nec plus, nec pluribus manifestetur, quam ad averteudum damnum necessarium est. — *S. Lig. n. 968.*

(3) In tali casu quisque per se loquendo damnum manifestare tenetur. — *Scav.*

(4) v. gr. certiorem facere potes dominum de infidelitate servi; revelare alteri, qui te ob grave negotium de hoc consulit, defectus alicujus personae: imo aliquando ad hoc obligaberis juxta regulas caritatis. Sic erit revelandus homicida, si aliquis innocens hujus criminis accusaretur; potior est enim conditio innocentis. — *Scav.* — Non vero semper licet ad vitandum tuum grave damnum crimen occultum alterius revelare, si notitia ejusdem acquisita sit per vim aut fraudem, v. gr. aperiendo literas etc. — Cf. *S. Lig. n. 969.*

(1) Dicta de detractione valent etiam, ut patet, de *literis anonymis,* quae communiter ex odio et cupidine vindictae originem ducunt. Ex jure canon c. Inquisitionis (1.) *de accusat.* (V. 1.) *§. 1.* nequit ab iis procedi ad inquisitionem delicti, cum infamiam juridicam non pariant. — *Scav.*

(2) Cf. etiam n. *165. Q. 2°.*

et discreto revelare seclusa speciali malitia, *controvertitur.*

Iª Sententia *communior* et *probabilior* dicit, eum graviter peccare, nisi inadvertentia aut magna levitate excusetur. Ratio est, 1° quia laesio famae etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex judicio temerario, quod *per se* grave est; 2° quia saepe homines aegrius ferunt, se laedi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

IIª Sententia *satis probabilis negat.* Ratio est, quia, cum fama consistat in communi aestimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum tantum suam famam amisit. — *S. Lig. (ut probabile) n. 973.*(¹)

449. — Quaer. 2° *An specie differant detractiones in materiis specie diversis?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

Iª Sententia *affirmat.* Ratio est, quia alia est fama, quam quis possidet v. g. de castitate, et alia, quam habet de justitia, siquidem non est diffamatus in fornicatione, quamvis sit diffamatus in furto. Hoc *probabilius* dicit *S. Lig., de pecc. in gen. n. 48.*

IIª Sententia *negat.* Ratio est, quia, licet tales detractiones materialiter specie distinguantur, moraliter tamen unam famam laedunt ex eo, quod tendant in unicum objectum formale, sicut omnes contumeliae sunt ejusdem speciei propter unitatem honoris, contra quem tendunt. — *Lugo, de poenit. d. 16. n. 265. etc.*(²)

Quaer. 3° *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus*(¹)?

Resp. Affirmative, saltem absque peccato mortali, quia hoc non videtur esse nec contra justitiam, nec contra caritatem, sive sit publicum publicitate juris, sive publicitate facti. — *S. Lig. n. 973.*

450. — Quaer. 4° *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?*

Resp. 1° *Affirm. probabilius per se*, saltem absque peccato gravi(²), si agatur de loco vicino seu de loco, ubi facile et brevi publicandum est. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certae non magnae aestimationis et moraliter loquendo jam amissa est.

Resp. 2° Si agatur de locis, ad quae divulgatio non est perventura, aut nonnisi post diuturnum tempus, *distinguendum est.*

1° *Quoad notorietatem juris* 1° non est contra justitiam, quia judex, quando publice condemnat, intendit reum spoliare fama, ut ceteris ubique sit in exemplum. — *Ita communiter.* — 2° Nec *probabilius* est contra caritatem, saltem graviter, quia magni interest ad bonum commune, ut sententia ubique cognoscatur, ut efficacior sit poena, nec non ut reus cognoscatur, qualis est, ab incolis regionis etiam remotae, qui cum illo varia negotia tractanda habere possunt. — *Ita communius* cum *Lugo* — *Salmant.* — *S. Lig. n. 974.*

2° *Quoad notorietatem facti vel famae controvertitur inter theologos.*

Iª Sententia *valde probabilis*

(¹) Non tamen valet haec secunda sententia, si periculum sit, quod alter aliis crimen manifestaturus sit, donec tandem publicum fiat. Certo praeterea illicitum est, ita agere ex animo nocendi. — *S. Lig. loco cit.*

(²) Negativa sententia certo tenenda, si audientes talibus detractionibus reapse fidem non praestent, ut quandoque contingit, si aperte fiant ex aestu irae. — *S. Lig. l. c.*

Aliqui censent, etiam qualitatem personae laesae speciem addere, si arctissimo nexu cum detrahente conjuncta sit (v. gr. si sit pater), cum tunc etiam pietas laedatur, quod tamen non valet de conjunctis remotioribus. — *Scav.* — V. *p. 2. n. 493.*

(¹) qui degunt in loco, ubi jam est publicum —

(²) secus vero, si ex tali anticipatione sequeretur pro infamato grave damnum.

dicit, non esse illicitum *per se*, quia non est peccatum neque contra justitiam, neque contra caritatem, saltem grave, modo agatur de criminibus, quae reddunt hominem perniciosum. Ratio est, quia conducit bono publico, facinorosos homines cognosci, ut ab eis caveant omnes. — *S. Lig. n. 974; Hom. apost. tr. 11. n. 12.; retr. Q. 12.*(1)

II^a Sententia dicit econtra, esse peccatum tum contra justitiam, tum contra caritatem: 1° quidem *contra justitiam*, quia infamatus in uno loco non amisit jus ad famam in alio loco remoto, ubi fama criminis non est brevi perventura; ergo ei facit injuriam, qui eum ibi diffamat; 2° *contra caritatem*, quia diffamans proximo nocet in re gravi seu in fama, quam in alio loco sine ullius injuria possidet. — *Billuart* — *Antoine.*(2)

451. — Quaer. 5° *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?*

Resp. 1° Dicitur omnino *publicum* seu *famosum*, quando innotuit majori parti communitatis seu civitatis, oppidi, pagi etc.

Resp. 2° Dicitur *simpliciter publicum* seu *notorium*, quando innotuit tot personis, ut nulla tergiversatione celari possit et moraliter sit impossibile, quod in notitiam communitatis non deveniat. Valde autem difficile est determinare, quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censeri debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro numero vario personarum, quae communitatem componunt. Juxta communiorem sententiam dici potest publicum crimen, si quindecim sciant in communitate centum personarum, aut viginti diversarum familiarum in communitate mille personarum, aut quadraginta dispersi in oppido quinque millium personarum. — *Ita S. Lig. n. 975.* Sed melius, inquit *Billuart, de justitia diss. 15. art. 2. §. 5.*, remittitur judicio prudentis, qui attenta communitatis quantitate, hominum garrulitate et aliis circumstantiis judicat, vix possibile esse, ut res secreta maneat.

452. — Quaer. 6° *An peccet graviter referens tantum peccata alterius ut ab aliis audita, v. g. si dicat: fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?*

Resp. 1° Peccat graviter contra caritatem et justitiam, si ita referat, ut alii sint verisimilius et merito credituri, v. g. si asserat, se audivisse a persona fide digna, quia causam sufficientem credendi malum praebet; secus, si non sint probabiliter credituri, quia nulla infamia inde oritura est. Multo autem facilius peccabit graviter, qui refert, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. g. haeresis, sodomiae etc.

Resp. 2° Peccat graviter contra caritatem, si audita referat coram iis, qui probabiliter sunt credituri ex levitate aut malitia propria, quia sub gravi quisque tenetur ex caritate tollere occasionem damni alterius, cum facile potest, praesertim quando malum sequitur ex nostris delictis vel factis. Non tamen videtur peccare contra justitiam, quia non est causa efficax damni. — *S. Lig. n. 977.* — *Billuart ibid. art. 2. §. 4.* et *alii communiter.*

453. — Quaer. 7° *Quomodo peccet audiens detractionem?*

---

(1) Haec responsio etiam pro casu valeret, si crimen alicubi *injuste* publicatum fuisset, dummodo non per laesionem sigilli confessionis. — *Scav.*

(2) *Quid vero, si delictum olim publicum nunc oblivione vel bonis moribus obliteratum sit?* — Licite iterum patefit, si aliquando fuit publicum notorietate juris vel si pertineat ad historiam. — Exceptis his casibus alii asserunt licitum, de novo illud revelare, dummodo simul referatur emendatio, alii vero grave saltem contra caritatem esse ajunt ob moerorem infamati. — *Scav.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 11. n. 13.* posteriorem sententiam amplectitur, quin prioris mentionem faciat. Cf. tamen *s. auctoris theol. mor. de 8. praec. n. 974. 8. Similiter*

Resp. 1° Peccat graviter contra *justitiam,* qui inducit alium ad detrahendum(¹), ut patet.

Resp. 2° Peccat graviter contra *caritatem,* qui gaudet de detractione gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe: si gauderet tantum de auditione rei novae vel curiosae, non vero de ipsa detractione.(²)

Resp. 3° Superior peccat graviter contra *caritatem,* si detractionem non impediat, quantum commode potest, etiamsi de ea non gauderet, quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem aut damno infamati obviandi. *Probabilius* autem non peccat contra *justitiam* 1° nec superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi, nisi sit episcopus aut parochus, qui vi officii subditos corrigere debet; 2° nec superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia, bono temporali subditi attendere. — *S. Lig. n. 980.*

Resp. 4° Persona particularis plerumque a peccato gravi excusatur, si detractionem non impediat sive ex verecundia, aut timore vel etiam negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat nec praeter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia saepe constare nequit, correctionem esse profuturam; imo saepe periculosum est et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. Secus tamen, si facile correctionem efficacem adhibere possit. — *S. Lig. n. 981.*

Excusantur autem etiam a veniali, qui advertentes, fieri detractionem, discedunt, sermonem divertunt, aut faciem avertunt vel tristes se ostendunt juxta illud *Prov. 25. 23.: (Dissipat) facies tristis linguam detrahentem.*

(¹) v. g. excitando, laudando, interrogando —

(²) Addunt aliqui, non peccari graviter, si gaudium de detractione ipsa non proveniat ex odio, sed ex simplici vanitate. — *S. Lig. n. 979.*

454. — Quaer. 8° *An liceat seipsum infamare?*

Resp. Affirmative per se, si recta intentione fiat, secluso scandalo et aliorum damno. Ratio est, quia non est contra justitiam, cum quisque sit famae suae dominus; nec contra caritatem, quia haec non obligat ad bona externa conservanda, nisi in quantum id exigat salus propria vel proximi.

Per accidens autem peccabis, et quidem graviter, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi damnum vitae vel aliis infamiae ex hoc oriri deberet. — *S. Lig. n. 983.*

Resolves:

455. — 1° Grave est peccatum, mortuis detrahere in re gravi; jure enim ad famam non spoliantur, licet e vivis excesserint. Unde historiographi, ignominiae notam memoriae defunctorum sine causa sufficiente inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando aut actam poenitentiam non referendo, graviter peccant. — *S. Lig. n. 978.*

2° Grave est, tot defectus leves de aliquo apud eosdem revelare, ut notabiliter laedatur ejus fama, licet intra longum tempus fiat. Secus, si de diversis levia dicantur, nisi in aliquam communitatem redundet injuria gravis.

3° Grave est, manifestare defectum levem alicujus jam ab aliis pluries leviter diffamati, si ex hoc gravis infamia exsurgat; istud enim causa est, cur famam adhuc simpliciter bonam amittat, haud secus, ac si quis vulnerato multoties leviter vulnus leve adderet, quo accedente laesio lethalis fieret.

4° Grave est, si dicas de aliquo, eum esse adulterum, licet de hoc probabilia haberes indicia, quia ejus famae grave nocumentum affers. Imo idem tenendum, etiamsi diceres probabile, eum esse talem.

5° Grave est dicere de sacerdote, quod duellum commiserit aut sit amator puellarum. Saepe autem grave [illegible]

est, id asserere de milite aut etiam de juvene mediocris famae; vel dicere de puella, quod sit garrula, superba etc. — *S. Lig. n. 967.*

6° Non est mortale, de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. g. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos, quia nemini gravis injuria irrogatur. Item non est grave, crimen aliquod referre de aliquo, quem audientes non noverunt nec umquam agnituri sunt, etiamsi nominaretur. Imo hoc *per se* omni culpa vacat.

Grave tamen est, saltem communiter loquendo, detrahere alicui monasterio in communi, licet nullus religiosus nominetur, v. g. si dicatur, in eo pravam duci vitam, grave peccatum ibi fuisse patratum. Ratio est, quia religiosi ejusdem communitatis adeo inter se conjuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc tota communitas apud imprudentes et simplices maculari solet. — *S. Lig. n. 978.*(1)

456. — 7° Non est mortale, dicere de publico peccatore, v. g. ebrioso, eum hac die inebriatum esse, *etsi occulte fecerit*, et quandoque nullum peccatum, si omnem famam in hoc puncto amiserit, v. g. si dicas de meretrice, quod fornicata fuerit. Nec est mortale, infamem in uno crimine de altero valde affini infamare, v. g. si de adultero dicas, eum literas amatorias misisse, vel de ebrioso, eum cum uxore rixatum esse, quia talis revelatio non est nova infamia, aut saltem non gravis est. De disparato tamen et non connexo crimine aliquem infamare, potest esse mortale, quia ille, qui infamis est in uno genere vitii, non ideo amisit jus famae in aliis virtutibus. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 11. n. 14.* et *alii communiter.*

(1) Item per se grave est, nominare di[illegible] personam, sed defectus ejusdem [illegible]modo indirecte indicare (v. gr. multa [illegible] scio, sed patefacere prohibet cari[illegible], si talia apta sunt ad gravem suspi[illegible]

8° Non peccat, saltem graviter, qui solatii causa tantum, seclusa detrahendi intentione, alicui amico narrat injuriam ab alio sibi factam, etsi inde aliqua infamia auctori proveniat. Hinc probabiliter excusantur saltem a mortali famuli detegentes injurias illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, religiosi a praelato, quia auctor injuriae non potest esse rationabiliter invitus remque tam difficilem exigere, ut laesus solatio vel consilio necessario careat. Cavendum est tamen, ne dicatur pluribus nec apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium. — *S. Lig. n. 973.*

9° Non peccat graviter generatim loquendo, qui revelat defectus naturales animi vel corporis alterius, dicendo v. g., quod sit stupidus, ignarus etc., quia tales defectus non sunt morales nec famam notabiliter minuunt. Excipe: si grave damnum inde secuturum esset.(1) Hoc autem maxime ex circumstantiis pendet. — *S. Lig. n. 967.*

ARTICULUS II.
DE RESTITUTIONE FAMAE.

Principia:

457. — I. Detractor tenetur ex justitia, quantum fieri potest: 1° ad reparandam famam injuste ablatam; 2° ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo praevisa.

Ratio primi est, quia in ablatione famae irrogata est vera injuria damnosa; jus enim, quod quisque habet ad famam, auferri nequit privata auctoritate; ergo injuria illa tolli et resarciri debet. Restitutio enim boni injuste ablati est omnino necessaria, siquidem, ea omissa, perseverat semper injuria. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 991.; de 7. praec. n. 660.*

Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori ut causae eorum

(1) Facile etiam caritas laedi potest, si

efficaci, sive crimen revelatum falsum fuerit, sive verum, cum in utroque casu famam proximi injuste detractor peremerit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 996.*

Obligatio restituendi famam est personalis. Obligatio vero reparandi damna, quae ex diffamatione orta sunt, est realis et proinde ad haeredes transit.(1)

458. — II. Restitutio famae alio modo facienda est a calumniatore, ac a detractore simplici. Hinc:

1° *Calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum jactura propriae famae, si aliter reparatio fieri nequeat, quia melior est conditio innocentis, quam nocentis, et malitiae suae imputare debet, quod onus illud ipse sibi imposuerit. Aliunde, qui est causa injusta damni, tenetur illud resarcire omni modo moraliter possibili.

2° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo v. g. se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant, qui a veritate, sed etiam, qui a rectitudine recedunt, juxta illud *Prov. 14. 22.: Errant, qui operantur malum.* — *S. Lig. n. 992.* — Sed saepe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt, verum esse crimen, quod non aperte asseritur esse falsum. Tunc igitur detractor, tacendo de dictis, data occasione cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit.(2)

(1) Obligatio restitutionis faciendae urget etiam, si quis mortuis injuste detraxerit. Neque haeredes eam condonare possunt, cum famae alienae non sint domini. — *Scav.*

(2) Curet confessarius, ut hujusmodi famae compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 11. n. 18.*

Resolves:

459. — 1° Qui alium injuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integrum damnum inde proveniens reparandum, quia injusta illius revelatio est causa vera et unica damni. — *S. Lig. n. 994.*

2° Qui detraxerit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Item publica esse debet reparatio, si sciatur, diffamationem ad multos pervenisse, sed ignoretur, ad quos pervenerit. — *S. Lig. n. 995.*

3° Ad reparationem famae stricte tenentur cooperatores omnes efficaces in defectu diffamatoris, iique omnes tenentur pariter de damnis fortunae, si quae provenerint.

Diffamator non tenetur ad veniae petitionem, si famam reparare non possit, nisi famam simul et honorem laeserit(1), quia per veniae petitionem fama perdita non restitueretur, nec ille magis urgetur obligatione veniae petendae, quam qui non potest restituere bona fortunae, in quibus aliquem laeserit. — *Ita communiter* contra *plures.*

Quaesita:

460. — Quaer. 1° *Quaenam sint causae a restitutione famae excusantes?*

Resp. Sequentes communiter admittuntur:

1° Si delictum, quod uni vel pluribus revelasti, ex alia via factum fuerit publicum, aut si fama alio modo reparata sit, v. g. per sententiam judicis etc.

2° Si prudenter judicetur, crimen olim publicum oblivione ob longum temporis intervallum deletum esse.(2)

(1) V. *n. 464. 3° not.*

(2) *Quid autem in dubio, an infamatio fuerit oblivioni data?* — *R.* Si crimen est verum, in genere non in memoriam hominum revocetur, nisi sit publicum evidens, ne infamia illa alio modo

3° Si restitutio famae fieri nequeat sine vitae periculo, quia vita est bonum ordinis superioris, ac fama; imo, si restituenda fama sit multo minoris valoris, ac jactura quaelibet, quam pati deberet diffamator, v. g. si esset homo honoratus et praesertim bono publico vel religioni valde utilis.

4° Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quae praesertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur, v. g. si, qui audierunt detrahentem, a praeoccupata opinione revocari non possint.

5° Si judicetur, detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit saepius, quando in irae calore detrahitur.

6° Si infamatus obligationem remiserit(1), modo remittere possit. Eam autem remittere non potest, quando ex ejus infamia sequitur scandalum aut damnum commune vel suorum(2), v. g. si agatur de infamia sacerdotis, magistratus, patris-familias etc. — *S. Lig. n. 997. et seq.*(3)

Quaer. 2° *An detur obligatio restituendi famam sine formali injustitia laesam, v. g. si quis detrahat ex inadvertentia?*

Resp. Affirmative, tum ratione caritatis, ut patet, tum etiam ratione justitiae, quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione proveniens, si commode possit, ut dicemus in *tract. de justitia,* ubi de injusto damnificatore. — *S. Lig. n. 994.*(1)

461. — Quaer. 3° *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperunt?*

Resp. Affirmative probabilius, imo et verius, si famam violavit apud audientes, quos praevidebat facile infamiam evulgaturos, quia tunc est vera causa damni; secus non tenetur. — *S. Lig. n. 991.*

Quaer. 4° *An excuseris a restitutione famae, si laesus tibi tuam propriam famam violaverit nec restituere velit?*

Resp. Affirmative probabilius, quia non cogeris alteri jus suum reddere, si ille recuset, tibi reddere tuum. — *S. Lig. n. 999.* — *Negant* tamen *probabiliter Navarrus* — *Sporer* etc. (2)

Quaer. 5° *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* quia justitia obligat tantum ad reddendum ablatum vel aequivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, nec pecunia est famae aequivalens, cum sit ordinis superioris. — *S. Lig. n. 1000. etc.* contra *plures.*

---

memoriam reditura sit; difficilius enim tunc restitutio effectum desideratum obtinet. Si vero crimen est falsum, revocanda est infamatio. Excipe tamen, si majus bonum ipsius infamati forte aliud suadeat, vel si detractori ex retractatione damnum certum immineat, quin damnum dubium infamati in aliquo casu pluris aestimari debeat. — V. *S. Lig. n. 998.*

(1) sive expresse, sive tacite; imo quandoque sufficit condonatio praesumpta. — *S. Lig. n. 1003.*

(2) *Illicite* condonat, si per hoc solam [illegible]tem erga seipsum vel proximum laedit; *invalide* etiam, si damnum procreat, quod ex justitia avertere tenetur, v. g. si sit superior et ex diffamatione scandalum oriatur cum damno subditorum. — *Scav.* — *S. Lig. n. 1003.* — Cf. supra n. 454.

(3) Qui autem nequit restituere totum, [illegible] quoad partem, quam potest. —

(1) Teneris vero, etsi error sit solum ex parte audientium, qui v. g. nomen falsum intellexerunt, ad restitutionem saltem ex caritate, si commode potes, imo sub eadem conditione etiam ex justitia. — *Scav.* — Cf. infra *n. 662. Q. 3°; n. 672. 4°.*

(2) Haec negans sententia est tenenda, si laeso nocueris detractione multo majore. — Nec licet alium infamare, eo quod ipse prius te infamaverit, nec restitutionem negare, si alter famam restituere velit. —

CAPUT III.
DE CONTUMELIA.

462. — Contumelia est injusta honoris laesio praesenti et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio aestimationis, quae de alicujus excellentia interne habetur.(1) Praesens vero aliquis esse potest vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem aut per quid aliud, in quo aliquatenus repraesentetur.

Contumelia autem fieri potest 1° *negative* per omissionem honoris hic et nunc debiti; 2° *positive* tum verbis, tum factis aut signis contemptus.

Ad contumeliam referuntur: 1° *irrisio,* qua quis verbis et risu contemnitur; — 2° *subsannatio,* qua quis gestibus ridiculis irridetur; — 3° *convicium,* quo alicui ejus defectus naturales objiciuntur; — 4° *improperium,* quo alicui inopia, defectus vel ortus obscuritas exprobratur.

Principia:

463. — I. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractione, quae *per se* est gravis. Constat praeterea ex verbis scripturae *Matth. 5. 22.: Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennae ignis.*(2)

II. Contumelia *per se* strictam inducit obligationem integrae restitutionis honoris et reparationis aliorum damnorum, quae ex ea subsequi potuerunt, si in confuso saltem praevisa fuerint, ut patet ex dictis de restitutione famae. — *S. Lig. n. 966.*

Nota: Tenemur omnes contumelias tolerare animum vindictae abjiciendo. Quandoque tamen expediet contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. g. si praelatus tolerando redderetur contemptibilis et sic subditorum petulantia adaugeretur etc. — *S. Lig. n. 966.*

Resolves:

464. — 1° Honor publice ablatus per contumeliam publice etiam est restituendus coram illis, qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ea ratione, ut satisfactio ad ipsorum notitiam facile pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quae nomine dehonorantis veniam petat. — *S. Lig. n. 984.*

2° Restitui pariter debet occulte honor laesus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum. — *S. Lig. n. 985.*

3° Ea honoris restitutio requiritur, quae censeatur sufficiens ad manifestandam aestimationem juxta personae offensae conditionem. Si enim, qui dehonoravit, fuerit superior, sufficiet, si dehonoratum salutet, domi invisat aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit aequalis vel, *a fortiori,* inferior, major requiritur satisfactio, nempe ut praeveniat in salutando, cedat locum, aut veniam petat, si alio modo sufficienter satisfacere nequeat. — *S. Lig. n. 986.*(1)

4° Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. g. alterum percutiendo, vulnerando etc., plerumque(2) non requiritur ulterior satisfactio pro honore, quia tunc ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam

---

(1) Hinc differunt quidem specie contumelia et detractio, non vero varii modi contumeliae, si excipias derisionem, quae differt ex parte motivi, cum erubescentiam proximi intendat. — *S. Thom. 2. 2. q. 75. a. 1.*

(2) Si quis proximum *diversis* conviciis afficit, applica principia sub *n. 449. Q. 2°.*

(1) Contumelia non resarcitur, ut patet, per communia signa honoris, quae quis offenso debet. Veniae vero petitio non est semper *per se* necessaria, cum jus naturae determinatum modum non praescribat; aliquando vero non sufficit, v. gr. si injuria sit gravissima. — *S. Lig. n. 985—987.*

(2) nisi scilicet sit notabilis differentia inter offensam et vindictam — *S. Lig. l. c.* Probabilissimum vero est, sufficere in genere poenam a judice pro honore ablato inflictam.

et aestimationem de altero. — *S. Lig. n. 989.* Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos facta fuerint aequalia convicia aut improperia, quia statim compensatio datur.

5° In praxi autem sedulo advertendum est, multoties expedire, ut confessarius omittat monere poenitentem in bona fide exsistentem circa satisfactionis obligationem, imprimis si praevideat monitionem non profuturam esse; vel si putet, eum, qui dehonoratus fuit, recusaturum esse reparationem, praesertim publicam, ne memoria injuriae apud alios redeat aut ne ipse rubore magis afficiatur etc. (1) — *S. Lig. n. 988.*

CAPUT IV.

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE ET DUBITATIONE TEMERARIA.

465. — 1° *Judicium temerarium* est verus assensus ex levibus indiciis conceptus de aliquo peccato vel defectu proximi.

2° *Suspicio temeraria* est infirmus assensus de malo proximi, seu assensus de labe alterius cum formidine de opposito conceptus.

3° *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis. (2)

Principia:

466. — I. *Judicium temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale *ex genere suo* contra justitiam. (3) Quisque enim jus habet ad bonam sui existimationem apud singulos et nemo malus praesumi debet, donec probetur; proinde injuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi temere judicat. Saepe tamen veniale est ob materiae parvitatem aut actus imperfectionem.

II. Ad gravitatem judicii temerarii requiritur: 1° ut sit firmum seu citra dubium; — 2° ut sit plene deliberatum et voluntarium; — 3° ut sit in re gravi de persona determinata et cognita; — 4° ut innixum sit indiciis vere levibus. — Ratio horum est, quia alias non esset verum judicium, aut non vere temerarium, vel non graviter proximo injuriosum. Saepe autem leve est ob defectum alicujus ex commemoratis conditionibus. — *S. Lig. n. 962.* (1)

III. *Suspicio temeraria* et *dubitatio de labe proximi* sunt venialia tantum ex genere suo. (2) Ratio est, quia

---

(1) vel si laesus virtualiter condonet (v. gr. sponte signa *specialis* familiaritatis exhibeat), vel si probabiliter timendum sit, ne per restitutionem renovetur odium. — *S. Lig. l. c.*

(2) „Quaeritur . . . hic non de suspicione et judicio prudenti, quod sufficientibus indiciis nititur, sed de imprudenti et temerario, quod iis destituitur. Majora autem indicia requiruntur ad judicium, quam ad suspicionem, et ad hanc, quam ad dubitationem." — *S. Lig.* (resp. *Busembaum*) *n. 962.*

(3) Differt vero specie a detractione. — *Scav.*

(1) *An vero, qui in variis materiis absque rationabili fundamento de proximo sinistre judicat, plura peccata committat; item an qualitas personae mutet speciem?* — Applica responsionem datam *n. 449. Q. 2°.*

(2) Si quis vero ex malevolentia in suspicione vel dubio positivo gravi persistat, mortale vix effugiet. — *S. Lig. n. 963.* — Cf. etiam *n. 467. 5°.*

Ergone omnia dubia positive semper in meliorem partem interpretari tenemur? — *R.* Si sermo sit *de personis*, in genere licitum est, omne judicium de ipsis suspendere; nulla enim necessitas judicandi per se urget. Si tamen non placeat vel non liceat suspendere judicium et agatur de damno aliquo vitando, nequimus quidem dubiis exortis assentiri *definiendo, utique autem supponendo*, scil. actiones nostras ita temperando, ac si revera malum timendum esset (cf. *n. 467. 6°.*); est enim prudentis, mala aptioribus remediis praecavere. — Si vero de damno vitando non agatur, dubium est in meliorem partem interpretandum; nam *in dubio delictum non est praesumendum.*

In dubio econtra *de re* (v. gr. an aliquid sit illicitum) haec aestimanda est ex momentis, quae pro vel contra stant; judicium vero de illiceitate actionis non jam ad personam extendendum est, quae actionem talem ponit, nisi manifesta ratio in contrarium appareat. — *S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 4.*

ob debilem et facile mobilem adhaesionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuant et dubiam reddant. — *S. Lig. n. 963.*

Resolves:

467. — 1° Non peccat graviter, qui de proximo sinistre judicat, si judicium innititur indiciis ad veram probabilitatem constituendam sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria, judicare certum, quod est valde probabile. — *S. Lig. n. 962.*

2° Non peccat graviter, qui judicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat, se male judicare; vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo judicio. — *S. Lig. ibid.; Hom. apost. tr. 11. n. 1.*

3° Non peccat graviter, qui temere judicat de aliquo indeterminato inter plures, v. g. in coetu vel communitate aliqua, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. — *S. Lig. ibid.*

4° Non temere judicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens judicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso vel erga proximum male affecto.

5° Suspicio vel etiam dubitatio peccatum mortale est, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum, quas respicit, quia hujusmodi suspicio aut dubitatio major injuria est, quam judicium etiam firmum circa peccata simpliciter gravia. — *S. Lig. n. 964.*

6° Licet damna praecavere ex justo timore; v. g. potes res tuas in tuto collocare, ne surripiantur a peregrino domo tua commorante, quia, etsi non possis positive judicare, hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere ex eo, quod certo scias, inter homines esse aliquando fures, qui magis a furto alieni existimantur.

APPENDIX

DE VIOLATIONE SECRETI.

468. — Secretum est cognitio rei alicujus, quae ex natura sua aut speciali contractu occulta servari debet.

Triplex distinguitur secretum:

1° *Naturale,* si ab ipsa natura imponatur, v. g. si quid scias, quod manifestare nequeas sine gravi alterius laesione sive in honore, sive in bonis etc.

2° *Promissum,* si quis arcanum ab alio audiens vel casu discens promittat, se id non revelaturum esse.

3° *Commissum,* si quis alteri quidpiam manifestet, eidem silentium circa illud committens.

Principia:

469. — I. Secretum *naturale* seu ex natura rei obligat *per se* sub gravi, et quidem ex justitia, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum grave proximi, qui jus habet, ne sine causa rationabili laedatur. — *S. Lig. n. 970. — Salm. etc.*

II. Secretum *promissum* obligat *per se* graviter vel leviter pro quantitate materiae et suscepta obligatione, sed plerumque ex fidelitate tantum. Ratio est, quia contractus continetur simplici promissione, quae *per se* obligat solum ex fidelitate et juxta intentionem promittentis, ut de voto dictum est.(¹) — *S. Lig. ibid.* et *alii communiter.*

III. Secretum *commissum* seu *communicatum,* quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex justitia, et quidem plerumque strictius ac secretum mere naturale, quia praeter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu suscepta. — *S. Lig. n. 970.*

(¹) Cf. etiam *n. 798.*

ita:

Quaer. 1° *Quaenam sint* *e secretum manifestandi?* Consensus recte praesum- cujus interest secretum oc- 2° Divulgatio rei aliunde ° Damnum ex secreto se- publicae vel privatis. Imo ndo gravis obligatio secre- li, praesertim ratione boni - *S. Lig. n. 971.* — *Lugo etc.*

2° *An possis revelare se- promiseris illud servare vitae jactura?*

Affirmative, si illud ex- commune, quia promissio bonum commune nulla est.

Negative, si agatur de damno simpliciter gravi, at servare secretum hoc tractu promissum. *Nega- probabilius,* si agatur de xtremo, quia juri tuo ex- ntiasti, nec illicitum est ae conservationem, ut pro- es. — *Ita Lugo, Lacroix n. 971.* — Attamen s. au- um satis probabile merito

Quaer. 3° *An peccet gra- revelat secretum uni vel probo sub eodem secreto?* *Negative probabiliter per* n hoc casu gravis injuria committi non videtur. Ex- iodo non detegatur perso- secretum committens spe- uisse celari merito prae- · *S. Lig. n. 971.* et *alii es.*

quoad secretum commissum. promissum? Quando non pro- obligatione servandi secretum o damno, certum est, te posse cum nemo censeatur ad se- ligare cum incommodo gravi." *ib.*

endam puto cum *S. Lig.* sen- ntem, si agatur de bono, pro nservationem omittere hone- · V. *S. Lig. ib.*

Dixi: *per se;* quia ob varias circumstantias facile in praxi revelatio secreti gravis evadet ex eo, quod personae, quibus secretum committitur, nimis facile sat discretae supponantur, ut illud fideliter teneant, praesertim si de mulieribus agatur, ut omnibus notum est. Etenim tibi commissum est secretum, quia discretus putabaris; si vero illud violes, putasne alium, cui confidis, te ipso discretiorem futurum esse?

Quaer. 4° *An graviter peccet aperiens aut legens alterius literas?*

Resp. Affirm. per se.(1) Ratio est, quia jure naturali et jure gentium datur obligatio, secreta literarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — *S. Lig., de peccatis n. 69.* et *alii communiter.*

Excipe casus sequentes: 1° si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius, qui scribit, vel illius, ad quem literae mittuntur; 2° si cognoscatur vel praesumatur, literas continere res minoris momenti; 3° si justa de causa fiat, v. g. ad damnum publicum aut privatum(2) avertendum; 4° si literae ex levitate aut defectu advertentiae perfectae aperiantur. — *S. Lig. ib. n. 70.*

---

(1) Committetur sic in genere peccatum contra justitiam et contra caritatem; mortale vero solum contra caritatem, si existimetur, in literis contineri res parvi momenti, ille autem, ad quem vel a quo mittuntur, graviter sit inde contristandus. — Idem valet pro iis, qui invito domino furtim scripta aliena legunt, et *probabilius* pro illis, qui literas in minutas partes laceratas jungunt et legunt. — Damnum vero contra justitiam forte illatum reparandum est. — *S. Lig., de peccatis n. 70.*

(2) etiam alterius, modo hic habeat jus, ad malum istud propulsandum literas aperiendi, nec plus legatur, quam ad hunc finem necessarium est. Gaudet vero aliquis ob damnum privatum jure aperiendi literas alienas, si auctor literarum tenetur ipsi ex justitia secretum illud revelare ad damnum hoc reparandum vel si ipsum injuste vexat. — *Scavini.* — *S. Lig. n. 969.*

Resolves:

472. — 1° Secretum *promissum* nullo modo obligat in iis casibus, in quibus alias tenebaris rem manifestare, v. g. si interrogeris a superiore vel a judice. — *S. Lig. n. 970.*

2° Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogeris a superiore vel judice etc., et respondere debes, te nihil scire de hoc, quia talis est notitia, ac si eam non haberes. — *S. Lig. n. 970.*

3° Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum,* ac si *expresse* commissum esset. Sic ad secretum stricte obligantur consiliarii principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliquo casu consulti, omnesque universim, quibus vel consilii, vel solatii, vel auxilii causa secreta committuntur.

4° Superior religiosus literas suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex religionis statuto, aut ex consuetudine, aut ex suspicione, quod aliquid minus recti contineant. — *S. Lig., de peccatis n. 70.*

5° Superior tamen aperire et legere nequit literas, quas subditi superioribus majoribus ac vicissim superiores subditis mittunt; recta enim gubernandi ratio postulat, ut supremi moderatores cum omnibus subditis facile communicare possint. — *S. Lig. ib.*

TRACTATUS
DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

473. — Ecclesia gaudet facultate statuendi praecepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit, ut dictum est in *tract. de leg. n. 83.*

Multa exsistunt Ecclesiae praecepta, ut ex variis juris canonici partibus constat; praecipua vero, quae universos respiciunt fideles, cujuscumque sint status aut conditionis, ad sex sequentia reducuntur, scilicet: 1° ut festa auctoritate Ecclesiae instituta fideles colant; — 2° ut saltem diebus dominicis et festis sacro intersint; — 3° ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur; — 4° ut saltem tempore paschatis semel s. eucharistiae sacramentum suscipiant; — 5° ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6° ut jejunia statutis temporibus servent.

Hinc duplex sequens versiculus:

Festa colas praesens sacro; jejunia serves;
Annua sit confessio; sit communio paschae.

Nota: In his versiculis praeceptum abstinentiae a carne in praecepto jejunii continetur. Olim enim unicum erat praeceptum indivisum; in praesenti vero Ecclesiae disciplina haec duo sunt distinguenda, cum saepe urgeat obligatio abstinendi a carnibus absque jejunio.

DE I. ET II. ECCLESIAE PRAECEPTO
seu
de observatione festorum.

474. — Sancta Ecclesia mater gaudet potestate festa instituendi eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus praecipiendi, utpote quae acceperit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter catholicos controversia agitatur.

Praeceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, [illegible] vinum sane ac naturale est; quod [illegible] tem spectat ad tempus diesque [illegible] cultui consecrandos, id in vetere [illegible] per *caeremoniale* praeceptum, in [illegible] per *ecclesiasticum* sancitur. — *Lig., de 3. praec. n. 263.*

Solus Papa universae Ecclesiae festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam summa jurisdictione gaudet. Possunt quoque episcopi festos dies instituere in dioecesi propria; habent enim facultatem, leges in sua dioecesi condendi. Attamen ex praesenti disciplina, ne nimia ordinariorum facilitate ultra modum dies festi multiplicentur, vetantur episcopi clero fidelibusque inconsultis (1) festa statuere (2). *Ita communiter ex c.* Conquestus (5.) *de feriis* (II. 9.). — *S. Lig. n. 266.*

Multa olim instituta sunt festa, quae decursu temporum refrigescente fidelium fervore in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa ecclesiastica abolita sunt.

475. — *Urbanus VIII.* per constitutionem *Universa (13. Sept. 1642)* multa festa suppressit, novumque dierum festorum elenchum statuit, ut sequitur:

„Apostolica auctoritate decernimus „et declaramus, infrascriptos dumtaxat „dies pro festis ex praecepto colendos „esse: . . . . Dominicos scilicet dies „totius anni; — nativitatis D. N. J. „C.; — circumcisionis; — epiphaniae; „— resurrectionis cum duabus sequen„tibus feriis; — ascensionis; — pen„tecostes cum duabus pariter sequen„tibus feriis; — Sanctissimae Trini„tatis; — solemnitatis Corporis Christi „— et inventionis S. Crucis, — nec„non festivitatum purificationis, — an„nuntiationis, — assumptionis — et „nativitatis Deiparae Virginis; — de„dicationis S. Michaelis archangeli; — „nativitatis S. Joannis Baptistae; — „SS. Petri et Pauli, — S. Andreae, „— S. Jacobi, — S. Joannis, — S. „Thomae, — SS. Philippi et Jacobi, „— S. Bartholomaei, — S. Matthaei, „— SS. Simonis et Judae — et S. „Mathiae, Christi Domini apostolorum; „— item S. Stephani, protomartyris; „— ss. innocentium; — S. Laurentii, „martyris; — S. Sylvestri, Papae et „conf., — S. Josephi, etiam conf. — „et S. Annae, Deiparae genitricis; — „solemnitatis omnium sanctorum, — „atque unius ex principalioribus pa„tronis in quocumque regno sive pro„vincia, et alterius pariter principa„lioris in quacumque civitate, oppido „vel pago, ubi hos patronos haberi et „venerari contigerit."

Nota: 1° Huic catalogo addendum est festum *immaculatae conceptionis B. M. V.*, quod de praecepto haberi voluit *Clemens XI.* per constit. *Commissi nobis (6. Dec. 1708.).*

Nota: 2° Nullo modo confundendus patronus cum titulari. Itaque non colendum est de praecepto festum alicujus sancti, titularis utique ecclesiae cujusdam, sed quem non constat canonice in patronum fuisse electum, omnibus *Urbani VIII.* praescriptionibus de hac re adhibitis.

476. — *Pius VI.* propter temporum tempestatem populo condonavit obligationem quaedam festa celebrandi. Haec autem sequentia sunt: festa ss. apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae feriae, quae pascha et pentecosten sequuntur; inventio s. crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, ss. innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis et S. Josephi.

Nota: Solide probavit D. *Dominicus Bouix*, standum esse catalogo *Urbani VIII.* ad dignoscendum festa suppressa, in quibus animarum pastores pro populo celebrare debent. *(Tract. de parocho, part. 5. c. 6.)* Vide dicenda in *tract. de euch.*, ubi de missae celebratione *(n. 361.)*.

Festa igitur, quae adhuc *de jure communi* praeter diem dominicam

(1) illis contradicentibus, ait *S. Lig. ib.*, [illegible] confer. — V. etiam *Barbosa, collect. [illegible] jus pontif. ad c.* Conquestus.

(2) vel de aliquo beato. — *S. Lig. ib.* [illegible]entur insuper per *Urbanum VIII.*, „ab indictione sub praecepto novorum [illegible]orum studeant abstinere." — *Ferra[illegible]is, Pr. Bibl. ad v.* Festa *n. 2.*

Ad quaesitum: An communitas possit [illegible]ere *festa de praecepto,* quae nec de [illegible]etudine servantur, nec ab Ecclesia [illegible] praescribuntur, exigendo mulctam [illegible]ra inobedientes? respondit *S. R. C.* [illegible] 1630: *Non potest.*

[illegible]tam celebrandi nonnulla festa de [illegible]cepto cum vigilia et processione, li[illegible] episcopo confirmatum, non obligat [illegible] volentes. — *S. R. C. 19. Nov. 1650* [illegible] Hipporegien. — *Gardellini.*

servanda sunt et per missae auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus a populo christiano sanctificanda, exhibentur sequentia: nativitas Domini, ejusdem circumcisio, epiphania, ascensio, et ejus Corporis solemnitas; purificatio, annuntiatio, assumptio, nativitas et immaculata conceptio B. M. V.;(1) festa ss. apostolorum Petri et Pauli, omnium sanctorum et patroni dioecesis et paroeciae, praeter solemnitates paschatis, pentecostes et SS. Trinitatis, quae diei dominicae affixae sunt.

In Gallia autem post indultum cardinalis Caprara *9. Apr. 1802* ex concessione S. Pontificis *Pii VII.* quatuor tantum festa de praecepto pro fidelibus supersunt, nempe: 1° *festum nativitatis Domini;* 2° *ascensionis ejusdem;* 3° *assumptionis B. M. Virginis;* 4° *festum omnium sanctorum.* Ex eodem indulto sunt ad dominicam proxime occurrentem transferenda festa *epiphaniae Domini, Sacratissimi Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli* et *ss. patronorum cujuslibet dioecesis et paroeciae.* Reliqua festa olim praecepta celebrantur nunc iisdem ac antea diebus, sed absque fidelium obligatione.

Nota: Quoad requisita ad festorum celebrationem, nempe missae auditionem et abstinentiam ab operibus servilibus, recolenda sunt, quae supra diximus de tertio decalogi praecepto.

DE III. ECCLESIAE PRAECEPTO
seu
de annua confessione.

477. — Praeceptum hoc continetur in concilio Later. IV. sub *Innocentio III.* habito ann. 1215 canone 21.(2), qui sic habet: *Omnis utriusque sexus fidelis*(3), *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter*(4) *saltem semel in anno*(1) *proprio sacerdoti*(2).

Quaesita:

478. — Quaer. 1° *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut praecepto annuae confessionis adstringantur?*

Resp. Quando sunt capaces peccati mortalis, quod non ex aetate solum, sed praecipue ex gradu ingenii vel boni malique discretionis judicandum est. Spiritus autem discretionis inesse censetur in iis, qui apprehendunt, quid sit mendacium, aut qui de impuris quibusdam actionibus erubescunt etc.

Hinc pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad confessiones sensim praeparare et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium(3), absolvere, saltem intra annum, vi concilii Lateran. — *S. Lig., de poenit. n. 432. 666.; de 3. praec. n. 270.*

Graviter igitur errant neque excusari possunt confessarii, qui pueros sibi commissos numquam ante primae communionis aetatem absolvere volunt. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 2° *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia ratione praecepti annuae confessionis?*

---

(1) nativitas S. Joannis Bapt. —

(2) Cf. etiam *Conc. Trid. s. 14. can. 8.*

(3) scil. omnis baptizatus peccator, nisi sit impotens. — *Scav., de sacram. poenit. c. 2. a. 2. §. 2.*

(4) Non sufficit confessio invalida. — *Prop. 14.* damn. ab *Alexandro VII.*

(1) Per se loquendo annus esset computandus a Januario ad Decembrem; tamen spectata universali consuetudine, computatur nunc a paschate ad pascha. — *Conc. Trid. s. 14. cap. 5.* — *S. Lig., de poen. n. 662.* Qui vero v. g. sub initio anni praevidet, se huic praecepto postea per totum annum satisfacere non posse, debet quamprimum satisfacere, si peccavit mortaliter (cf. *n. 111. 2°.*); non oritur tamen obligatio praecepto statim satisfaciendi ex eo, quod quis timet, ne obliviscatur peccati mortalis; nec tenetur in tali casu, illud in scriptis servare (*p. 2. n. 509. Q. 1°.*). — *S. Lig. l. c. n. 671.* — *Scav.*

(2) scil. Papae, episcopo, parocho vel sacerdoti ab episcopo approbato. — *Ben. XIV., de syn. l. 11. c. 14. n. 2—6.*

(3) In dubio de discretione absolvantur sub conditione. — *S. Lig., de poenit. n. 666.*

Resp. Negative, quia Ecclesia annuam confessionem praecipiens eam tantum jubet, quae est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam praecepit confessionem, nisi peccatorum mortalium, ut explicat *conc. Trid. sess. 14. c. 5.* — *S. Lig., de poenit. n. 667.* et *alii communiter.*

Ceterum quaestio haec minimi est momenti, practice loquendo; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus renueret semel saltem in anno confiteri, vel ad sacram synaxim ab anno inconfessus accedere auderet?

Quaer. 3° *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus?*

Resp. Affirmative, quia urget praeceptum determinationi Ecclesiae commissum; terminus enim anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam. — *S. Lig., de poenit. n. 668.* (1)

479. — Quaer. 4° *An ille, qui tempore paschali ob venialia tantum confessionem instituit, confiteri rursum hoc anno teneatur, si in mortalia peccata delabatur?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia praeceptum semel in anno confitendi respicit confessionem peccatorum mortalium, ut dictum est supra. Hinc, quemadmodum non tenetur confiteri is, qui sola venialia habet, ita etiam non censetur satisfecisse praecepto per confessionem venialium, qui postea eodem anno peccatum mortale committit.

(1) Qui vero negligit, peccat probabilius saltem toties, quoties se offert occasio confitendi et ipse positivam voluntatem non satisfaciendi renovat. — *Scav.* Satisfacit vero juxta veriorem sententiam talis confessio praecepto utriusque anni, si poenitens in ipsa manifestet peccata mortalia tam praesentis, quam elapsi anni (ad quod jam per se obligatur); adimplet enim finem praecepti. Si vero in praesenti anno habeat solummodo venialia, quae confiteatur, et postea mortalibus se inquinet, tenetur iterum confiteri. (Cf. n. 479. Q. 4°.) — *S. Lig., de poenit. n. 669.*

— *S. Lig. ibid. n. 669.* et *alii communiter.*

Quaer. 5° *An confessio annua, quae parocho aut alteri ex parochi venia non fit, valida censenda sit?*

Resp. Affirmative. — *Ita communiter;* et hodie, inquit *S. Ligorius,* certum est ex universali consuetudine. — Confer, quae dicenda sunt *de sacram. poenit. p. 3. c. 1.* praesertim *n. 553.*

Vide plura de confessione in tractatu de sacramento poenitentiae.

DE IV. ECCLESIAE PRAECEPTO
seu
de communione paschali.

480. — I. Praeceptum communionis paschalis, non secus ac praeceptum annuae confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc praecepto ex perpetua Ecclesiae praxi, ex innumeris conciliis (1) et constitutionibus papalibus, et praesertim ex *concilio Trid. sess. 13. can. 9.: Si quis negaverit, omnes fideles . . . teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum juxta praeceptum matris Ecclesiae, anathema sit.* (2) — Tempus paschale ex

(1) Cf. *p. 2. n. 317. III.*

(2) Hoc praeceptum obligat sub gravi semel in anno tempore paschali, nisi juxta concilium Later. proprius sacerdos, i. e. parochus vel confessarius, rationabiliter judicaverit, communionem esse differendam; nec ipsi satisfit per communionem sacrilegam *(prop. 55. Innoc. XI.* — V. etiam supra *n. 105. Q. 1°).* Obligat vero per se omnes fideles, cum ad annos discretionis pervenerint, etiam in carcere detentos *(n. 111. 2°.)* vel infirmos, quamvis ante tempus paschale jam communicaverint. — *S. Lig., de euch. n. 299.* — *Scav., de euch. c. 1. art. 3. Q. 4°.* — Communiter vero ajunt, pueros extra mortis periculum non obligari ante annum nonum, nec ultra duodecimum vel ad summum decimumquartum annum (pro capacitate pueri) communionem differri posse. (S. Carolus Borrom. decimum annum assignat.) — *S. Lig. l. c. n. 301.* — *Scav.* Possunt vero pueri admitti, si aliquam devo-

declaratione *Eugenii IV.* incipit dominica palmarum et terminatur dominica in albis. Episcopi tamen ex privilegio vel ex consuetudine possunt hoc tempus anticipare vel etiam prorogare (1). Annus obligationis juxta communem consuetudinem a paschate ad pascha computandus est. — *S. Lig., de euch. n. 295. 296.*

II. Communio paschalis in propria paroecia facienda est, ut evincitur tum ex variis SS. Pontificum constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiae praxi.

Hinc praeceptum eucharistiae suscipiendae triplex est: 1um ad ipsam communionem, 2um ad tempus, 3um ad locum spectat: quare, ubi vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus quidem aliis vel primo obtemperandum est. — *Conc. Remense ann. 1850 tit. 7. c. 1.*

Quaesita:

481. — Quaer. 1° *An, qui tempore praescripto omisit communionem, teneatur quamprimum communicare?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam. Etenim ex dictis praeceptum communicandi est divinum *in se;* ergo, cum Ecclesia praeceptum hoc paschali tempore adimplendum jubet, ab ipso dispensare non censetur. Constat etiam ex ipsa Ecclesiae praxi, quae Romae fideles censuris ad satisfaciendum praecepto, paschali tempore elapso, compellit. — *S. Lig., de euch. n. 297.* et *alii communius.* (2)

Quaer. 2° *An praeceptum communicandi in paroecia obliget sub gravi?*

Resp. Affirmative, saltem *per se.* Ratio est, quia videtur res in se gravis; quorsum enim tot constitutiones et decreta SS. Pontificum ad obligationem levem adstruendam? — *Ita communiter.* — Aliqui tamen asserunt, esse tantum leve, si quis semel vel bis in vita alibi communicaret, quia non videtur gravem injuriam inferre parocho, praesertim si pluries per annum in parochia communicasset. — *Tamburini, meth. comm.*

482. — Quaer. 3° *An urgeat adhuc praeceptum communicandi in parochia, cum tempus paschale elapsum est et praecepto non fuit satisfactum?*

Resp. Affirmative cum sententia communi. Ratio est, quia semper remanet finis legis obtinendus. Aliunde episcopi, legis interpretes, communiter requirunt, ut dispensatio in eo casu petatur, ut communio alio in loco fieri possit.

Quaer. 4° *An peccet graviter, qui differt communionem ad 1am vel 2am diem post elapsum tempus paschale?*

Resp. Affirmative per se. Ratio est, quia licet dilatio sit *in se* parva, ratione tamen temporis est graviter diversa. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi ultima die temporis paschalis, ita ut a confessario ad aliud tempus dimitti debeant. *Per accidens* excusantur, qui bona fide existimant, satis esse, si ad confessarium tunc accedant inchoandae confessionis gratia;

---

tionem concipere queant. — *S. Thom. 3. q. 80. art 9.*

Poenae demum a concilio Lat. statutae sunt ferendae sententiae. — *S. Lig. l. c. n. 295.* — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1808.*

(1) *Analecta J. P. ser. 2. col. 1808 et 2316* asserunt, communem esse praxin, in talibus casibus recurrendi ad S. Sedem. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 45.*

(2) Nondum coepto tempore paschali nemo tenetur huic praecepto parere, etsi praevideat, se postea impeditum fore. Incoepto autem tempore illo tenetur a) quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum praevideat (cf. *n. 477. col. 2. not. 1.*); b) auferre impedimenta etiam gravia, cum sit praeceptum divinum et grave (*n. 111. 2°.*); c) iterum communicare cessante impedimento, etsi s. communionem ob impedimentum praevisum jam anticipaverit, ut satisfaceret praecepto illius anni. — *S. Lig. l. c. 297—299.*

sed de obligatione communicandi intra paschale tempus instruendi sunt.

483. — Quaer. 5° *An satisfaciat praecepto Ecclesiae, qui communicat in ecclesia cathedrali vel de manu episcopi extra parochiam?*

Resp. Neg.(1), quia non communicavit in propria parochia. — *Ita communiter.* — *S. Lig., de euch. n. 300.* — *Salmant.* — *Gousset n. 224.* contra *plures.*

Quaer. 6° *Quis possit dispensare ab hoc praecepto communicandi in parochia?*

Resp. 1° Episcopus cum dioecesanis; 2° vicarii generales pariter pro dioecesi; 3° parochus ipse, cum lex in ipsius favorem lata fuerit et aliunde ex consuetudine constet. — *S. Lig., de euch. n. 300.*(2)

484. — Quaer. 7° *Ubinam peregrini, vagi, milites et famuli praecepto communionis paschalis satisfacere possint?*

Resp. 1° Peregrini et vagi possunt communicare in qualibet ecclesia nec tenentur adire parochiam loci, ubi versantur, quia non habent proprium parochum, qui eos agnoscere debeat. — *S. Lig. ibid.*

2° Milites in statione vel domicilium in civitate habentes communicare debent in parochia, in qua commorantur; secus in quacumque ecclesia praeceptum adimplere possunt.

3° Famuli et alii omnes quasi-domicilium habentes eadem lege ac incolae loci ligantur.(1)

Quaer. 8° *An teneatur iterum communicare in paroecia, qui ibidem sacrilege communicavit?*

Resp. Negative, quia adimplevit finem praecepti quoad circumstantiam loci; sufficit igitur, ut communicet in quocumque loco ad satisfaciendum praecepto communionis paschalis, quod non adimplevit per communionem sacrilegam. Nec tenetur ad communionem paschalem in parochia faciendam is, qui tempore paschali sacrum viaticum suscepit; nam finis legis fuit sufficienter adimpletus.

Vide plura de communione in tractatu de s. eucharistiae sacramento.

DE V. ECCLESIAE PRAECEPTO
seu
de abstinentia a carnibus extra jejunium.

Principia:

485. — I. Datur praeceptum ecclesiasticum(2) abstinendi a carnibus certis diebus, omnibus fidelibus(3) impositum. Constat ex variis SS. Pontificum constitutionibus, ritualibus, catechismis, ex universali consuetudine et omnium theologorum consensu.

---

(1) *non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali* (ut constat ex decisionibus *S. C. C.*). — Nec satisfacit communicans in ecclesia, quae proprio quidem vicario gaudet, quin tamen hic independenter ab ecclesia matrice omnes functiones parochiales exerceat vel in omnibus casibus sacramenta administret. — *Cf. Anal. J. P. ser. 4. col. 2280. et seq.* — V. infra *p. 2. n. 290. Q. 2°.*

(2) Sufficit vero consensus praesumptus, dummodo sit moraliter certus. — *S. Lig. l. c.*

Curatus (vero) non debet dare licentiam generalem, ut quilibet parochianus communicare possit extra ecclesiam parochialem. — *S. C. C. 7. Sept. 1615.*

(1) Regulares tamen ex privilegio suos familiares in propria ecclesia ad communionem paschalem (idem valet de sacramentis in articulo mortis) admittere possunt, dummodo illis actu inserviant, inter septa claustralia (i. e. clausuram in stricto sensu) habitent et sub eorum obedientia vivant.

Sacerdotes, *si celebrent,* ex consuetudine ubique satisfaciunt.

Obligantur vero hac lege communitates cum votis simplicibus, cum sine privilegio Pontificio a jurisdictione parochi exemptae non sint. — Hinc tempore paschali s. communionem vel de manu parochi sumere debent, vel, si per clausuram non impediuntur, in ecclesia parochiali. — *Anal. J. P. l. c.* — *S. Lig., de euch. n. 300.*

(2) Praeceptum jejunii *in genere,* prout aliquam carnis mortificationem dicit, cadit sub praecepto juris naturalis. — *S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 3.*

(3) rationis compotibus. — *S. Ligor. n. 1012.*

frustulum cibi deglutire possunt. Non autem ii, qui currus, equos vel mulos lente ducunt et in cauponis noctu feriantur.(1)

5° Viatores, qui praeter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola autem ratio itineris nullo modo a lege abstinentiae eximit, licet a jejunio ob nimiam defatigationem eximeret. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones aliasque hujus generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6° Milites in castris vel contubernii versantes et expensis gubernii in communi nutriti; non autem duces, qui propriis expensis privatim se reficiunt, nec milites iter agentes aut in domo paterna, licet ad breve tempus, degentes.

DE VI. ECCLESIAE PRAECEPTO
seu
de jejunio ecclesiastico.

488. — Jejunium ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, quae juxta formam ab Ecclesia praescriptam servanda est tempore praesertim quadragesimae, quatuor temporum et quarumdam vigiliarum, uti pentecostes, ss. apostolorum Petri et Pauli, assumptionis B. M. V., omnium sanctorum, nativitatis Domini nostri.(2)

Agendum: 1° de essentia et obligatione jejunii; 2° de causis a jejunio excusantibus.

CAPUT I.
DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE JEJUNII.

489. — I. *Fideles omnes* a vigesimo primo aetatis anno completo tenentur *sub gravi* ad servandum statutis diebus jejunium, nisi legitime excusentur vel a superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio, quae dicitur ab ipsis apostolis tradita, sicut et praeceptum abstinentiae a carnibus certis diebus. Ceterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum constitutionibus et ex omnibus provinciarum ecclesiasticarum catechismis.

Dixi 1° *sub gravi,* quia lex respicit materiam gravem, quae multum ad salutem animarum conducit. Constat insuper ex *propositione 23.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic jacet: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.*

Dixi 2° *a vigesimo primo anno;* quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali et ex omnibus catechismis ab episcopis approbatis.

II. Jejunium ecclesiasticum tribus tamquam partibus constat, scilicet: 1° unica comestione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula adjecta; — 2° abstinentia a carnibus et lacticiniis; — 3° tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadverte tamen, consuetudinem locorum ac temporum maxime interesse ad determinandam in particulari, modificandam vel coarctandam jejunii naturam et obligationem.(1)

ARTICULUS I.
DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIUNCULA.

§. I.
De unica refectione.

Resolves:

490. — I. Refectio unica est primaria jejunii conditio; in hoc enim

(1) V. etiam *notam ad n. 507. 1°.*

(2) Cf. etiam in corpore juris can. tit. *de observ. jejuniorum* (III. 46.).

(1) Hinc, cum auctor in §§. sequentibus praesertim leges *communes* Ecclesiae quoad jejunium exponat, *in praxi nominatim quoad abstinentiam legitimae consuetudinis, quae alicubi viget, ratio habenda est;* item ad mandata episcopi attendendum, si qua hac de re prostant.

praecipue sita est ejus essentia, qua quidem sublata nemo umquam jejunare dicitur, dum econtra jejunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur.

II. Parvae autem comestiones, quae praeterea fierent, venialia peccata forent seorsim sumptae, et saepius repetitae eodem die in gravem materiam coalescere possent, ut constat ex *propositione 29.* damnata ab *Alexandro VII.*, quae sic jacet: *In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Merito autem damnata est haec propositio: secus enim de jejunio actum esset.

III. Jejunium non frangitur haustu aquae, vini aliarumque potionum, quae per se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis juxta primam Ecclesiae disciplinam christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinuerint. Hinc axioma: *Liquidum non frangit jejunium.* Sic *S. Lig. n. 1022.* Per *liquidum* autem id solum intelligitur, quod ex *communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi (ut lac etc.). — *S. Lig. n. 1021.*

Quaesita:

491. — Quaer. 1° *An vinum ad famem sedandam haustum frangat jejunium?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia praecipitur tantum lege jejunii abstinentia a cibo, non a potu, et juxta *S. Thomam* „statutum legis po„sitivae non attendit intentionem ob„servantis, sed ipsum actum, eo quod „modus virtutis non cadat in praece„pto, sed est finis praecepti.“ — *S. Lig. n. 1022.* et *alii communiter.*

Quaer. 2° *An frangat jejunium potus* cafaei *et* theae?

Resp. Negative probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur, quia haec non habent naturam cibi, sed potus vel medicinae. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 1022.*, loquens tantum de thea, dicit, eam, posita restrictione modo allata, *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de cafaeo tenendum esse.(¹)

492. — Quaer. 3° *An frangat jejunium potus aquae saccharo immixtae, vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectae?*

Resp. Negative per se, seu nisi magnam substantiae copiam immisceas, quae rationem cibi habere censetur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.* — Ratio est, quia haec omnia ex communi aestimatione tamquam verae potiones habentur.

Quaer. 4° *An potio chocolati frangat jejunium?*

Resp. Affirmative per se, si videlicet pinguem, uti mos est extra tempus jejunii, tibi praebeat nutritionem. — *Negative* vero, si modica chocolati quantitas sumatur et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur. *Ita S. Lig. n. 1023.* Quaenam autem quantitas sumi possit? — Dicit s. auctor, non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immitti solere. Sic enim ex more recepto, ab Ecclesia tolerato et a piis quidem fidelibus servato mane diebus jejunii communiter fieri solet. Non pauci autem, imminuta chocolati praedicta quantitate, panem pro rata substituunt. At vero totalem cibi illius quantitatem duarum unciarum pondus, praecisa aqua, excedere a nullo permittitur.

493. — Quaer. 5° *An liceat die jejunii degustare aliquid cibi ante potum, ne potus noceat?*

Resp. 1° Id sane non licet *toties quoties*, ut ajunt, quamvis *Diana, Leander aliique* annuant; tunc enim irrisibilis foret lex jejunii. Vix autem permitti potest semel vel iterum in die. — *S. Lig. n. 1018.*

(¹) Similia etiam congelata sumi possunt; congelatio enim non mutat naturam materiae. — *S. Lig. n. 1022.*

Resp. 2° Communiter tamen permittunt theologi frustulum unum in die, vel ad summum alterum. Iis autem, qui sumunt aliquid cibi mane juxta morem fere universalem, non potest aliud frustulum permitti cum potu, ut videtur, nisi forte minimum sit.

Quaer. 6° *An electuaria frangant jejunium?*

Resp. Electuaria dicuntur ea, quae ex electis rebus, v. g. ex saccharo et junipero etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus jejunii, si per modum medicinae, non vero delectationis causa, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quaelibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. g. eadem sumere ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris foetorem tollendum, vocem conservandam et similia. — *S. Thom. 2. 2. q. 147. art. 6.* — *Sporer* — *Elbel* — *S. Lig. n. 1019.*, ubi addit, probabiliter quoque excusari eos, qui aliquid sumunt, ne vires deficiant, quando prandium ultra horam communem differre debent.

494. — Quaer. 7° *Quaenam quantitas cibi censeatur materia gravis, si extra refectionem et coenulam sumatur?*

Resp. Controvertitur. Gravis procul dubio censenda est materia, quae vespertinae coenulae addita alteram efficeret refectionem. Certo autem quantitas duarum unciarum ut materia levis habenda est. Non pauci materiam gravem existimant quantitatem dimidiae coenulae aequivalentem seu quatuor uncias. Requiri ac sufficere ad materiam gravem, ait *Billuart*, quantitatem coenulae seu tertiae refectionis parti aequivalentem.

Quaer. 8° *An, qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Negative, saltem *probabilius.* Ratio est, quia praeceptum jejunii est positivum, et sic urget modo indivisibili, durante die praecepti; proinde, qui semel illud violavit, non peccat saltem graviter, iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per jejunii violationem, tota lex hac die urgens violata est. Ergo etc. — *S. Lig. n. 1030.* — *Mazzotta* — *Roncaglia* et *alii communiter* contra *Billuart.*

Nota: Qui vero frangit jejunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 12. n. 20.*

495. — Quaer. 9° *An vero ille, qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit*, errore detecto aut ablata causa excusante *teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. Affirmandum videtur. Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum, non *formaliter* laesit: quare, cum primum ad legem jejunii advertat vel causam excusantem cessare videat, eidem legi subjicitur eamque ut ceteri servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. — *Ita Billuart* — *Reuter, de leg. n. 176.* — *Azor* — *Navarrus* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 12. n. 20.*

Sunt tamen, qui rem negant *ut probabilius;* nam cum essentia, ajunt, jejunii in unica refectione sita sit, post binam refectionem jejunium impossibile evadit. Sed haec scholasticorum deductio subtilior esse videtur. Quis enim subest vir conscientia delicatus, qui, cum jejunii inculpabiliter oblitus consuetas refectiones sumpserit, vespere domum rediens errore detecto velit in media familia jejunante tertio vel quarto mensae accumbere ex eo, quod pluries jam infeliciter bona fide accubuerit? — *Recole dicta de leg. n. 95. 3°.*

496. — Quaer. 10° *Quid, si die jejunii inadvertenter jentatus fueris?*

Resp. 1° Si parum quid sumpseris, v. g. duas, tres vel quatuor cibi uncias, teneris quidem ex more jejunare, quin refectionem ac coenulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* laesum jejunium.

2° Si quantitatem sumpseris coenulae aequivalentem, transferre debes

prandium ad vespertinum tempus vel a coenula ipsa abstinere.

3° Si ejusmodi quantitas vel duplici fere coenulae vel consuetae refectioni par fuerit, teneris, omisso prandio, vespertinam tantum coenulam sumere, eam tamen maturius, si absque nimia difficultate exspectare nequeas. Hanc insuper coenulam pro necessitatis ratione augere potes.

§, II.

De collatione serotina.

Praeter consuetam refectionem licet ex consuetudine universali a multis saeculis introducta et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, sumere sub vespere refectiunculam ex levioribus cibis(1). — *Ita omnes.*

Quaesita:

497. — Quaer. 1° *Quaenam cibi quantitas in coenula apponi possit?*

Resp. Ex hodierna et communi consuetudine *octo circiter cibi unciae,* ordinarie saltem loquendo, apponi possunt. — *Ita S. Lig. n. 1025.* — Alii vero permittendam ajunt quartam coenae partem. Haec autem doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est; laxior enim vel rigidior esse potest. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda videtur, major autem concedenda iis, quibus haec non sufficeret.(2) — *S. Lig. ibid.* — *Elbel* — *Lacroix.*

498. — Quaer. 2° *Qualis excessus censeatur gravis in coenula?*

Resp. Omnes conveniunt, excessum duarum unciarum esse materiam levem. — *S. Lig. ibid.* — Severiores cum *Concina* gravem esse docent excessum *duas uncias superantem.* Non pauci requirunt excessum supra coenulam alteri dimidiae coenulae aequivalentem. Alii tenent cum *Billuart,* requiri excessum, qui seorsim sumptus coenulae integrae aequivaleat.

Nota: Variis in locis ex inducta consuetudine licet quantitatem duplo majorem apponere in vigilia nativitatis et in coena Domini, ut in Italia et quibusdam Galliae partibus; sed haec consuetudo ubique non viget.

Quaer. 3° *Quaenam ciborum qualitas adhiberi possit in coenula?*

Resp. Panis, fructus quilibet, olera etiam quaelibet et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis dioecesibus vel provinciis, quae alibi interdicuntur; sic v. g. licet generatim in Gallia uti caseo in collatione, dum in Italia est omnino illicitum.

499. — Quaer. 4° *An liceat comedere ova aut butyrum in collatione vespertina?*

Resp. 1° *Negative per se,* quia haec etiam in ipsa refectione prohibentur nec absque dispensatione conceduntur. — *S. Lig. n. 1027.*

Resp. 2° *Negative* etiam generatim, licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut constat ex decreto *Benedicti XIV.* et *Clementis XIII.* — Attamen variis in locis ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri aut casei; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximae substantiae et ideo a consuetudine rejiciuntur, ut ait *S. Lig. ibid.*(1)

Quaer. 5° *An in coenula permittantur pisces?*

Resp. *Affirmative,* si agatur de pisciculis, praesertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus majoribus, modo duarum vel trium unciarum pondus non excedas. — *S. Lig. n. 1028.*

500. — Quaer. 6° *An liceat in collatione uti jusculo ex herbis co-*

(1) etiamsi quis hisce ob debilitatem vel famem non indigeat. — *Bouvier etc.*

(2) Nequit enim statui regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jejunii etc. attendi debeat. Licet in genere sumere, quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quae ipsum impediret, quominus officia sua convenienter obeat. — *Scav.* — *Gousset.*

(1) Cf. *n. 489. II.* cum *nota.*

ctis cum aqua, aceto, oleo aut vino decocto?

Resp. Affirmative, saltem *probabiliter,* nisi certo adversetur consuetudo; tum vero nec aqua, nec vinum in pondus computanda sunt; computandum autem oleum et acetum, quae non habent rationem potus. — *S. Lig. n. 1029.* et *alii.*

Quaer. 7° *An liceat sumere in coenula panem cum aqua et oleo decoctum, sive panem jurulentum* (Gallice: *potage*)?

Resp. Affirmative ex hodierna consuetudine, quam sequuntur etiam timorati approbantque communiter recentiores theologi. — Attamen juxta *S. Lig. n. 1029.* non licet sumere octo uncias panis decocti cum aqua, hac praecisa. Ratio est, quia panis per decoctionem et fermentationem cum aqua aliam naturam acquirit, ita ut fiat quid unum panis cum aqua et evadat una substantia major.

Admitti autem potest, ait *S. Ligorius,* ut quis actu, quo se reficit, infundens panem in aquam aut vinum statim ori admoveat, licet octo uncias panis sic vino madefacti sumat, quia tunc non intervenit fermentatio, et liquor, cum inserviat tantum ad vehiculum, non est computandus.

501. — Quaer. 8° *Quaenam autem hujusmodi panis decocti quantitas permitti possit, aqua praecisa?*

Resp. Dissentiunt theologi; alii enim *severius* negant, licitum esse, octo uncias excedere. *Severius,* inquam; etenim, si una uncia panis in decem aquae unciis cum altera uncia olei decoqueretur, quid scrupuli esset, duodecim has uncias permittere? Alii vero *laxiores* concedunt octo uncias decocti panis, aqua praecisa. Atqui ob hujusmodi decoctionem atque fermentationem habes quid unum cibi magis enutriens, quam solus panis; ergo ab aqua omnino saltem praescindi non potest. Mediam nos sententiam tuemur; permitti scilicet possunt quinque vel sal- [illegible] computata aqua neque oleo. — *Ita probabiliter. — Salmant. c. 2. n. 7.* Dicit autem *S. Lig. n. 1029.,* se hanc sententiam non improbare. Si igitur quantitas panis imminuatur, quantitas aquae crescere potest. Idem pariter dicendum erit de aliis decoctionibus, quae etiam in coenula apponi solent, v. g. ex hordeo, oryza etc.

ARTICULUS II.
DE ABSTINENTIA A CARNIBUS IN JEJUNIO.

Principia:

502. — I. Omnibus fidelibus ratione utentibus praecepto Ecclesiae interdicitur esus carnis(¹) singulis jejunii diebus. Hinc duplex lege jejunii imponitur praeceptum, ut testatur *Benedictus XIV.,* nempe ratione abstinentiae a cibo et a carne; dispensatus igitur vel impotens quoad unum non ideo ab altero excusandus est. — *S. Lig. n. 1005.* contra *Busembaum.*

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut admittunt communiter theologi ex regula a *S. Thoma* tradita; non igitur prohibentur pisces, ranae, limaces, testudines etc.(²) — *S. Lig. n. 1011.*

II. Prohibentur etiam tempore quadragesimali ova et lacticinia, ea scilicet omnia, quae originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Ecclesiae, ex ejus dispensationibus et ex *propositione 32.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic sonat: *Non est evi-*

(¹) De motivo hujus praecepti cf. *S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 8.*

(²) in genere animalia, quae pisces, non carnes usu habentur. Hinc attendendum praesertim, an diu extra aquam vivant, an nutriantur piscibus aut ad instar piscium, an vix habeant sanguinem etc., magis vero ad communem aestimationem fidelium ac peritorum et legitimam consuetudinem. In dubio examinetur, an animal simile sit aut dissimile iis, quorum esus interdictus est, et an validius nutriat. Si dubium adhuc resolvi nequeat, recurratur ad S. Sedem. — *S. Lig. n. 1011. — Ben. XIV., de syn. dioec. l. 11. c.* [illegible]

dens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget. Nunc vero in plerisque locis ab episcopo conceditur fidelibus generalis dispensatio ab hac lege, si pauci dies excipiantur. Imo in multis dioecesibus episcopi, obtenta facultate a summo Pontifice, etiam in esu carnis pro praecipua parte quadragesimae dispensationem concedunt.

Nota: Quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi *per se* excusari non possit juxta communem sententiam, facilius tamen materiae parvitas in his, quam in esu carnis, admittenda est.

Quaesita:

503. — Quaer. 1° *An abstinentia a lacticiniis servari etiam debeat in jejunio extra tempus quadragesimale?*

Resp. Negative(1), quia hujusmodi obligatio nullo jure probari potest. Est sententia communis, ait *S. Lig. n. 1009.*

Quaer. 2° *An abstinentia a lacticiniis servari debeat in dominicis quadragesimae?*

Resp. Affirm., quia dies dominica non excipitur nec lege, nec consuetudine.(2) — *S. Lig. n. 1007.* et *alii communiter* contra *plures*, quorum sententia non est probabilis juxta *S. Lig. ibid.*

504. — Quaer. 3° *An tempore quadragesimae liceat in refectione comedere panes ovis confectos?*

Resp. Negative, nisi ova fuerint permissa, ut patet, quia eorum substantia non deperditur ex eo, quod farinae misceatur. — *S. Lig. n. 1009. etc.*

Quaer. 4° *An dispensati ad lacticinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis?*

Resp. Affirmative, quia haec *ex consuetudine aequiparantur,* nisi distinctio clare in dispensatione exprimatur.

Quaer. 5° *An dispensati ad carnes diebus jejunii possint etiam comedere pisces?*

Resp. Negative. Non possunt comedere pisces in eadem refectione, seu pisces apponi nequeunt in eadem mensa. Constat ex const. *Benedicti XIV. Non ambigimus.*(1)

(1) salva tamen legitima consuetudine, si alicubi exsistit. — *S. Lig. l. c.*

(2) Cf. etiam constitutionem *Libentissime Benedicti XIV.* — Sed hodie ubique, in quantum scimus, dispensatum est pro hisce diebus ad usum carnium.

ARTICULUS III.
DE HORA REFECTIONIS.

Nostris his temporibus *ex universali consuetudine* licite refectio fere sub meridie sumitur. — *S. Lig. n. 1016.; Hom. apost. tr. 12. n. 9.*

Quaesita:

505. — Quaer. 1° *An hora refectionis pertineat ad essentiam je-*

(1) Adde pro dispensatis *ad carnes:*

1. Prohibitio promiscuitatis ciborum pro dispensatis non se extendit ad dies, in quibus solummodo abstinentia praecipitur *(n. 515. 6° et 7°.).* Probabiliter praeterea dispensati, qui unicam comestionem servare non tenentur, legi de non permiscendis epulis non subjacent. — Cf. *n. 514. 5°.* Complectitur tamen praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies dominicos quadragesimae. — *Benedictus XIV.*, const. *Libentissime* in epist. ad archiepisc. Compostellae.

2. Nec simpliciter prohibetur vesci *jure ex carnibus extracto* simul cum piscibus vel lacticiniis in eadem comestione, quia prohibitio promiscuitatis est strictae interpretationis. — Cf. *n. 515. 10°* et *S. Lig. n. 1015.* Etiam usus solummodo laridi liquefacti pro condimento ipsis non absolute interdicitur. — Cf. *n. 515. 11° in nota.*

3. Dispensati ad carnes manent obstricti lege, quae unicam in die comestionem praecipit, nisi sint dispensati ob virium debilitatem, quae iteratas comestiones exigit. — *S. Lig. n. 1015.*

4. Nequeunt uti cibis prohibitis in vespertina refectiuncula. — Const. *Libentissime.* Excipe tamen eos, qui ratione aetatis vel laboris jejunare i. e. servare unicam comestionem non tenentur. — Cf. *n. 514. 4°.*

5. Obligantur per se, servare horam jejunantibus praescriptam. — Const. *Libentissime.*

junii, ita [illegible] graviter peccet, qui notabiliter(1) *eam anticipet?*

Resp. Controvertitur. Duplex est *sententia probabilis.* Affirmat *S. Lig., Hom. apost. tr. 12. n. 21.* et *alii multi.* Negant vero *Layman, Elbel aliique non pauci.* In praxi primae sententiae standum est, nisi legitima locorum consuetudo aliud permittat.

Quaer. 2° *An frangatur jejunium, si collatio meridie, refectio autem vespere fiat?*

Resp. Non essentialiter frangitur et proinde, si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Excusat autem etiam a veniali causa rationabilis(2) et loci aut conditionis consuetudo. Imo ex consuetudine hodierna fieri potest coenula hora decima matutina, et refectio vespere.(3)

Quaer. 3° *Quamdiu prandium protrahi possit?*

Resp. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non autem absque culpa aliqua protrahi posse videtur ultra duas horas ad summum. — *S. Lig. n. 1020.; Hom. apost. tr. 12. n. 10.* — *Lacroix* — *Billuart etc.*(4)

506. — Quaer. 4° *An frangat jejunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit?*

Resp. 1° Si interruptio sit levis, v. g. unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat. — *S. Lig. ibid.*

2° Si interruptio sit unius fere horae sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

3° Si interruptio sit valde notabilis, v. g. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi justa causa excuset.

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, si refectio sufficiens deficiat, quia Ecclesia numquam intendit obligare ad diem sine sufficiente refectione transigendam. — *S. Lig. n. 1020.*

Quaer. 5° *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensae accumbere?*

Resp. Affirmative probabiliter, si convivae adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur. — *S. Lig. n. 1020.*

Quaer. 6° *Si quis mane itineris causa jentaculum sumpserit, an teneatur jejunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirmative per se. Ratio est, quia, cum essentia jejunii non sit adhuc destructa, pergit urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die jejunare. — *S. Lig. ibid.*(1)

CAPUT II.

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Causae excusantes a jejunio ad tres praecipue revocari solent, scilicet 1° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2° ad pietatem vel caritatem(2); 3° ad dispensationem(3), sicut de aliis praeceptis dictum est.

---

(1) scil. integra hora (juxta *probabiliorem*). Excusat tamen causa levis brevem, gravis notabilem anticipationem.

(2) *n. 513. 1°.*

(3) Nec peccatur per dilationem prandii ad vesperam, si antea nihil sumatur, cum ita magis accedatur ad antiquam Ecclesiae praxim. — *Scav.* — *S. Lig. n. 1016.*

(4) Qui autem inter refectionem *nimium* moraderet, peccaret contra temperantiam, non vero contra legem jejunii.

(1) Cf. *n. 496. Q. 10°.*

(2) Sic excusantur exercentes opera pietatis, v. g. misericordiae spiritualis vel corporalis, etsi sponte ea suscipiant, dummodo sint majoris boni, quam jejunium, assumantur ex justa causa, commode differri et cum jejunio moraliter i. e. sine notabili et gravi incommodo componi nequeant. — *S. Lig. n. 1048.*

(3) Dispensat scil. 1° Papa in Ecclesia

Resolves:

507. — 1° Excusantur a jejunio pauperes ostiatim mendicantes aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde aequam refectionem comparent, ad quam non sufficiunt panis et fructus, nec offa cum pane et fructibus, nec panis et vinum tantum, nisi forte uno vel altero die.(1) — *S. Lig. n. 1033.; Hom. apost. tr. 12. n. 23.*

2° Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes et debiles(2), v. g. qui febri tertiana vel quartana laborant vel ab ea convalescunt; ii praeterea, qui, nisi bis reficiantur, notabilem(3) ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur. — *S. Lig. n. 1033. 1034.*

3° Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare et alia hujusmodi. — *S. Lig. n. 1041.*

4° Excusantur famuli et famulae aut alii ejusmodi, si tot tantisque occupantur laboribus, ut jejunium cum his absque magna difficultate vel* incommodo conjungi non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione(4). — *S. Lig. ibid.*

---

universa, et quidem valide etiam sine causa, quia in lege sua. — *S. Lig. n. 1032.*

2° Episcopus in sua dioecesi, sed, nisi indultum pontificium plus ei concedat, solummodo juxta regulas generales alibi *(n. 115. Q. 2°.* et in *nota 1. ad n. 362.)* statutas. Hinc requiritur ad valide dispensandum legitima causa (et in hac materia utriusque, corporalis scil. et spiritualis, medici consilium); item dispensatio ad aliquam communitatem generatim extendi nequit, nisi causa requisita singula ejusdem membra attingat. — Const. *Non ambigimus, In suprema* et *Libentissime Benedicti XIV.* — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2824. et seq.* — *S. Lig. n. 1032.*

Conferunt etiam facultates quinquennales episcopis potestatem: *dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimae.*

3° Parochus cum subditis in casibus particularibus, in quantum consuetudo id permittit. — *S. Lig. l. c.* Confessarii vero solummodo declarare possunt in foro conscientiae, poenitentem sub his circumstantiis a jejunio excusari; medici autem, quaenam causa ad dispensandum vel excusandum sit vere sufficiens. Advertit tamen *Gousset*, non esse inquietandos fideles, qui se dispensatos censent, quando medicus ob valetudinem consulit vesci carnibus etc., quia sunt in bona fide et aliqua consuetudo pro ipsis allegari potest, nec parochus pro nimia medicorum indulgentia responsabilis est. — *Scav.* — Cf. etiam *n. 118. Q. 4°.* et *notam ad n. 512.*

Addimus: Jejunium incidens in dominicam anticipari debet sabbato c. Ex parte (1.) *de observatione jejun.* (III. 46.); item vigilia S. Joannis incidens in festum corporis Christi anticipanda est feria 4. *(Urban. VIII.)*

Concedunt insuper varia S. C. R. decreta, anticipare arbitrio episcopi jejunium occurrens in festis I. classis, v. g. titularis, patroni, nundinarum; recurrendum tamen primum pro casibus particularibus ex decreto ejusdem Congr. *7. Sept. 1816.* — *De Herdt, s. lit. praxis, t. 2. p. 4. n. 16.* — *Gardellini.*

(1) Hinc excusant *probabiliter* ab abstinentia eos, quibus per plures dies aliud non praesto fuit ad vescendum nisi panis, et ab unica comestione illos, qui pane et leguminibus ordinarie aluntur; ejusmodi cibi enim parum sustentant. — *Scav.* — *S. Lig. n. 1033.*

Excusant praeterea uxores, quae secus gravem maritorum paterentur indignationem, modo jejunium a viro non prohibeatur in contemptum religionis vel praecepti Ecclesiae *(S. Lig. n. 1034. 4°.)*; item servitores et operarios, quibus non praebentur cibi liciti, si dominum relinquere nequeant sine gravi incommodo. Sed hi et similes debent contradicere, in quantum id prudentia permittit *(Gousset tom. 1. n. 304.)*.

(2) Ex hac ratione excusantur quoque mulieres praegnantes vel prolem lactantes, quibus aliquando permittunt etiam carnes, si proles sit infirma vel mater debilis. — *S. Lig. n. 1033.*

(3) Tollitur enim obligatio jejunii per grave incommodum, non tamen per aliquam solummodo difficultatem, ut patet. — Nec tenentur differre prandium ad vesperam et mane sumere refectiunculam, qui sic grave istud incommodum avertere possent, quia est remedium extraordinarium et difficile, ita ut propter hanc difficultatem antiquae jejunii disciplinae derogatum sit. — *S. Lig. n. 1034.*

(4) Cf. *prop. 31. Alexandri VII.*

5° Non autem excusantur tonsores, sartores, pictores, scribae, famuli pedissequi, typographi, qui praelum non versant, sed characteres tantum disponunt(1), ceterique similibus operam dantes.(2) — *S. Lig. n. 1041.* — *Reuter etc.*

Quaesita:

508. — Quaer. 1° *An juvenes viribus validiores jejunare teneantur ante 21. aetatis annum expletum?*

Resp. Negative, quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos, qui annum 21. completum attigerunt; in hoc enim attenditur ad id tantum, quod communiter accidit. Suadendum est tamen juvenibus, ut pro modo suae aetatis interdum jejunent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, jejunii legem exsequantur. — *S. Lig. n. 1035. etc.*

509. — Quaer. 2° *An excusentur a jejunio senes sexagenarii?*

Resp. 1° Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excusantur etiam juxta communem sententiam in dubio de validitate virium, quia tunc praesumptio stat pro eorum imbecillitate. — *S. Lig. n. 1036.*

Resp. 2° Si viribus polleant, *controvertitur.* Prima sententia affirmat, eos jejunii lege non eximi, quia illi, qui in ea aetate vires validas habent, ut senes non reputantur. — *Layman* — *Antoine* — *Collet etc.* „Haec quidem sententia est probabilis", ait *S. Lig. ibid.,* „sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent *Sanchez, Roncaglia, Salm. etc.* „Ratio: tum quia sic fert universalis „consuetudo, ut *communius* testantur „doctores; tum quia alias esset res „multis scrupulis obnoxia, examinare, „an aliquis sexagenarius sit nec ne „sufficienter robustus ad jejunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia „hujusmodi senes tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris nequeunt simul alimentum sufficiens sumere egentque cibo frequentiori; et licet nonnulli in tali aetate „robusti videantur, eorum tamen robur „est de facili illusivum et inconstans, „cum negari non possit, in hujusmodi „senibus vires deficere et prolabi in „interitum. . . . Hinc commune adagium: *Senectus ipsa morbus est.*"

510. — Quaer. 3° *An excusentur a jejunio fabri, artifices etc.*(1), *si sint adeo robusti, ut jejunare sat facile possint?*

Resp. Affirmative probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes, qui ejusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et *per se* contingit. Negant autem etiam *probabiliter Concina* — *Bonacina etc.* „Haec secunda sententia", ait *S. Lig. n. 1043.,* „speculative loquendo videtur probabilior; „sed in praxi vix reperietur unus, qui „ex hujusmodi labore non graviter relaxetur." (2)

Quaer. 4° *An excusentur a jejunio opifices diebus, quibus a labore abstinent?*

Resp. Affirmative, si uno vel altero tantum die labores intermittant ratione reficiendae lassitudinis et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. — *Ita communiter.* — Excipe eos, qui manifeste jejunare va-

---

Excusantur etiam milites, si degant *in castris* vel *in hospitiis,* tum quia ipsi magnos labores perferunt, tum quia statutis horis non possunt comedere, nec congruum habent cibum pro jejunio. — *S. Lig. n. 1034.* (Censemus tamen, circumstantias, utique non scrupulose, considerandas esse.) Cf. etiam *n. 487. 6°.*

(1) Sententia *Scavinii,* excusari etiam eos, qui typos componunt, quia etiam hic labor satis defatigat, maxime in correctione, ut expertis credere est, inserviet, ne confessarius quoad tales operarios sit nimis rigidus.

(2) Cf. *prop. 30. Alexandri VII.*

(1) Cf. *n. 507. 3°.*

(2) V. etiam *n. 512. Resp. 2°. not.*

lent his diebus sine gravi incommodo. — *S. Lig. n. 1044.*

Quaer. 5° *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus jejunii cessare possunt?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia interest reipublicae, ne causa jejunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione *Eugenii IV.*, apud *S. Lig. n. 1042.* — *Ita communiter.*

511. — Quaer. 6° *An peccent, qui sine justa causa inusitatum laborem et cum jejunio incomposibilem assumunt?*

Resp. Affirmative per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim, quae jejunium primario imperat, consequenter jubet, ne absque ratione apponantur causae, quae ejusdem satisfactioni adversantur. — *Ita communiter.*(1)

Dixi: *absque ratione*; quia justa interveniente causa suscipere licet laborem cum jejunio incomposibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. g. ad maximum percipiendum lucrum etc. Sola autem meri oblectamenti ratio numquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat. — *S. Lig. n. 1046.*

Quaer. 7° *Quale iter justa de causa pedibus susceptum a jejunio eximat?*

Resp. Communiter requiri ajunt ac sufficere *per se* iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum; quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum. — *S. Lig. n. 1047.*

512. — Quaer. 8° *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et confessarii?*

Resp. 1° Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a jejunio excusantur. Potiori etiam jure missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est judicio prudentum. — *S. Lig. n. 1049.; Hom. apost. tr. 12. n. 34.*

Resp. 2° Magistri variarum scientiarum excusantur, etiamsi per *unam tantum horam* singulis diebus doceant, si magno studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac saepius repetitas. — *S. Lig. ibid.* Merito autem censent *Sanchez* et *Azor* contra *Salmant. et alios non paucos,* excusari magistros grammaticae, si per 4 vel 5 horas doceant.(1)

Resp. 3° Confessarii non excusantur *per se,* sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. g. cum pluribus succedentibus diebus confessiones audire debent, ut in missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo poenitentium

(1) Cf. *n. 110.* — Postquam quis sine sufficiente causa se moraliter impotentem reddidit, utique a jejunio liber est; sed peccavit impedimentum apponendo. — *S. Lig. n. 1045.*

(1) Qui studiis vacant etc., excusantur, si v. g. ratione debilitatis indigeant modicis, at crebris refectionibus ad laborem sustentandum; nil enim per se refert, utrum labor sit corporis, an mentis. Sed haec excusatio est *per accidens.* Excusantur enim aliqui *per se,* si labor talis sit, ut pro quovis *in genere* magnum incommodum afferat; aliqui *per accidens,* si id non in genere, sed solummodo per speciales circumstantias locum habeat. Si primum, in dubio de exemptione praesumptio stat pro hac; imo tales laborantes generatim sunt eximendi, quia lex attendit ea, quae communiter fiunt (cf. *n. 510. Q. 3°.*); si secundum, praesumptio in dubio stat pro obligatione. — *S. Lig. n. 1048.* — *Scav.* Adverte insuper, posse adesse causas etiam habituales, quae v. g. in quadragesima non totaliter, utique autem pro aliquibus diebus excusant. — *S. Lig. l. c.*

frequentiae satisfacere nequeant. — *S. Lig. ibid.*(¹)

Responsa varia circa jejunium.

513. — 1° *Ad quaesitum:* Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam?

S. Poenitentiaria (die 10. Jan. 1834.) respondendum censuit: *Si inversionis supradictae rationabilis aliqua exstet causa, poenitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.*

2° *Ad quaesitum:* Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiae personas indiscriminatim extendere possint? *(Ex exemplari italico latina versio.)*

S. Poenitentiaria respondendum censuit: *Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a praecepto abstinentiae in diebus esurialibus.*

3° *Ad quaesitum:* Utrum, cum paterfamilias a lege abstinentiae a carnibus tempore quadragesimae dispensatus non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes, parari, ejus filii aut familiares carnes edere possint? *(Ex exemplari italico.)*

S. Poenitentiaria (die 16. Jan. 1834.) respondendum censuit: *Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de unica comestione in die pro iis, qui jejunare tenentur.*(²)

514. — 4° *Ad quaesitum:* Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas tempore quadragesimae, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in dominicis diebus ejusdem quadragesimae, in quibus non urget obligatio jejunii? *(Ex italico exemplari.)*

S. Poenitentiaria (die 16. Jan. 1834.) respondit: *Fideles, qui ratione aetatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt.*

5° *Ad quaesitum:* Utrum ii, qui ratione aetatis vel laboris(¹) jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per indultum carnes permittuntur?

S. Poenitentiaria (die 13. Februarii 1834.) respondit: *Consulat* (quisque) *probatos auctores*(²).

(¹) De cooperatione cauponum et famulorum cf. *n. 255. Q. 2°.; 250. Q. 1°.*

(²) *Ad quaesitum: Gury, Scavini et alii* referunt tamquam responsum S. Poenit., datum die 16. Jan. 1834.: „Posse personis, quae sunt in potestate patrisfamilias etc. (ut supra).“

Igitur quaeritur: 1° An haec resolutio valeat ubique terrarum?

2° Dum dicitur *permitti posse*, petitur, a quo ista permissio danda sit, et an sufficiat permissio data a simplici confessario?

S. Poenitentiaria . . . imprimis respondet transmittendo declarationem ab ipsa S. Poenitentiaria alias datam, scilicet: „Ratio permissionis, de qua in resolutione data a S. Poenitentiaria 16. Jan. 1834. non est indultum patrifamilias concessum, sed impotentia, *in qua versantur filii familias, observandi praeceptum.*

Deinde ad duo dubia respondet:

Quoad primum: *Affirmative.*

Quoad secundum: *Sufficere permissionem factam a simplici confessario.*

Romae, die 27. Maji 1863. —

Per hoc responsum dubitatio soluta videtur, quam movet *Righetti* ob verba „personis, quae sunt in potestate patrisfamilias“ in rescripto S. Poenitentiariae d.d. 16. Jan. 1834., an scilicet talis permissio simpliciter (si nempe praeter domini voluntatem aliae causae excusantes desint) ad famulos quoque extendi possit. Censeo, eam extendi posse, si etiam quoad famulos impotentia adest. Aequiparantur enim quoad hoc filii et famuli, quibus ex contractu victus praestandus est. — V. *Benedictum XIV., Instit. 15. §.* Quod si confessarii. — Cf. etiam supra *n. 507. 1°. not.*

(¹) Adde ex paritate rationis: *vel infirmitatis.* — *Scav., app. IV. tomi I.*

(²) Hac de re controvertitur inter theologos. Alii docent, illos quoque subjici; nam lex *qualitatem* ciborum respiciens omnes rationis usu utentes obligat, adeo ut, si indultum non esset, etiam illis a carnibus esset abstinendum: unde tota diversitas eo tantum respicit, ut, quae una vice comedere possunt jejunantes, ea *toties quoties* voluerint, valeant comedere a jejunio liberati. Alii vero, quibus subscribit *Righetti*, contrarium tenent; nam

515. — 6° *Ad quaesitum:* Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus veneris et sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possint piscibus simul et carnibus? *(Ex italico exemplari.)*

S. Poenitentiaria (die 15. Febr. 1834.), proposito dubio diligenter perpenso factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI., de ipsius Sanctitatis suae mandato respondet: *Permitti.*

7° *Ad quaesitum*: Utrum diebus jejunii tempore adventus a Pio VI. praescripti, permissis tamen lacticiniis, ei, cui propter infirmitatem licitus est esus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis ac piscium?

S. Poenitentiaria (die 8. Jan. 1834.) respondit: *Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.*

8° *Ad quaesitum*: Utrum lege vetitae permixtionis cum carnibus comprehendantur pisces sale siccati (i. e. enirasicoli *[gallice* anchois], harengae *[gallice* harengs, *italice* aringhe] aliaque his similia); an potius misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi?

S. Poenitentiaria (die 16. Jan. 1834.) respondit: *Pisces sale siccatos . . . vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.*

9° *Ad quaesitum:* Utrum tempore jejunii ei, cui licitus est usus carnium, liceat miscere testacea marina, quae improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces censentur (i. e. ostreas *[gallice* huitres, *italice* ostriche], cancros [écrevisses, gamberi, granchi] etc.)?

S. Poenitentiaria (die 16. Jan. 1834.) respondit: *Testacea marina, quae improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio est prohibita.*

10° *Ad quaesitum:* Utrum dispensati a lege abstinentiae a carnibus possint diebus, quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa vesci jure tantum carnibus condito, et de cetero cibos esuriales edere (sicut ceteri, qui pisces edere queunt) ad legem abstinentiae, in quantum fieri potest, servandam? *(Ex italico exemplari.)*

S. Poenitentiaria (die 8. Febr. 1828.) attente consideratis expositis respondit: *Affirmative.*

(Ami de la Religion, die 16. Febr. 1841. n. 3399.)

Vide etiam *Scavini, append. IV. ad calcem tom. I.* (1)

516. — *Ad petitum:* Cardinalis archiepiscopus Mechliniensis et episcopi Tornacensis, Namurcensis, Gandavensis, Brugensis et Leodiensis in Belgio a Sanctitate Vestra humiliter expostulant pro sua respective dioecesi dispensationem in jejunio vigiliae solemnitatis ss. apostolorum Petri et Pauli. Quae autem praedictos episcopos ad ita supplicandum impellit ratio, in eo est, quod fideles sibi commissos ad hoc jejunium servandum inducere difficulter possunt, quod inde maxime evenit, quod jejunii istius obligatio in Belgio, sicuti in Gallia, in dubium vocetur; imo aliqui Galliae episcopi, inter quos illustrissimus dd. Bouvier, episcopus Cenomanensis, nuperrime literas publicarunt, quibus declarant, jejunium istud non obligare. Id Belgii episcopi inconsulta Sede Apostolica facere non auderent; quapropter ad eam recursum habent, humiliter postulantes dispensationem ad cautelam.

Respondit Congreg. S. Officii (die 25. Maji 1853.): *Jejunium in pervigilio festivitatis sanctorum apostolorum esse servandum.*

---

mixtio prohibetur, de solis jejunantibus loquuntur; ergo non ultra sunt extendendae, alioquin, si nimis essent urgendae, a jejunio dispensatis in unica tantum comestione essent indulgendae carnes, cum id semel tantum ibi indulgeatur. — *Scav., app. IV. in fine tom. I.* (Not. auct.)

---

(1) 11° *Ad quaesitum:* Utrum dispensati ad carnes *(ital.:* a cibarsi di grasso) diebus, quibus utuntur solis lacticiniis, possint pro condimento adhibere laridum liquefactum? *(Ex italico exemplari.)*

S. Poenit. die 8. Febr. 1828. attente consideratis expositis respondit: *Affirmative.* — *Scav. l. c.*

12° *Ad quaesita:* 1) An jejunium in pontificali romano praescriptum iis, a quibus consecratur ecclesia, sit strictae obligationis seu potius tantum de consilio? — 2) an sit locale tantum, an personale, seu potius locale et personale simul? — 3) an, si ecclesia consecretur die feriali, sit festum observandum in populo tali die cum obligatione, in hujusmodi loco abstinendi ab operibus servilibus et audiendi sacrum?

Resp. S. R. C. die 19. Jul. 1780. Ad 1) *Jejunium in pontificali romano praescriptum esse strictae obligationis pro episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt, sibi ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die praecedente consecrationi ad formam rubricae pontificalis.* — Ad 2) *Negativ[illegible] quoad primam partem, affirmativ[illegible] quoad secundam.* — Ad 3) *Negativ[illegible]* — *Gardellini.*

TRACTATUS
DE JUSTITIA ET JURE.

Tanta est hujus tractationis, quam aggredimur, de justitia et jure necessitas, ut ea inter praecipuas theologiae moralis partes merito reponenda sit; tanta vero difficultas, ut, nisi perspicuitas et ordo laborem levet, vix theologus in plurimis ad hanc scientiam pertinentibus sese possit expedire. Justitia enim tam late patet, quam jura et officia, quibus humanae societatis membra devinciuntur. Quanti vero momenti haec tractatio sit, ex eo apertum est, quod hisce praesertim temporibus homines multos videre est sua profundere, aliena invadere, jura omnia subvertere, ut jugem voluptatum famem exsaturare contendant. Quibus infestissimis reipublicae malis ut Ecclesiae ministri medeantur, regulas justitiae et juris apprime callere debent. Ipsorum enim est, aberrantes ad recta principia revocare, et jurium officiorumque aequitatem summo zelo curare. Quamobrem in hac potissimum tractatione versanda ferventi oratione assiduoque studio utendum est.

Agendum: 1° de natura et principiis justitiae et juris; 2° de violatione juris sive injuria; 3° de reparatione juris seu de restitutione.

PARS I.

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIAE ET JURIS.

Seu 1° de notionibus generalibus justitiae et juris; 2° de praecipuis juris speciebus.

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JUSTITIAE ET JURIS.

ARTICULUS I.
DE NATURA JUSTITIAE.

517. — Definitio: Justitia in sensu latiori significat aliquam aequalitatem, vel caritatem, aut virtutum universalitatem. Sic Christus ait *Matth. 5. 6.: Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam!* In *strictiori* autem sensu est virtus moralis, constanter inclinans voluntatem ad jus suum unicuique reddendum. De justitia sic accepta tantum nobis agendum est.

Hinc justitia specialis virtus est, quae debiti solutionem urgere, jus alienum protegere et debitam aequalitatem inter omnes et singulos homines servare intendit. Ipsi igitur incumbit, bona proximi tueri, injuste ablata aut damnificata restituere aut reparare, a fraudibus abstinere, fidem datam in pactis custodire, uno verbo: cuique jus suum integrum servare praescribit.

Dicitur in definitione: *alteri,* quia justitia est semper *ad alterum*; requirit enim personarum diversitatem, cum nemo justus erga seipsum dici possit. Nemo enim dici potest habere et carere simul; porro justitia habentem et carentem supponit, siquidem redditio debiti exigit habentem seu reddentem, et carentem seu recipientem. — *Lugo disp. 1. n. 19.*

518. — Divisio: Justitia quadruplex distinguitur, scilicet legalis, distributiva, vindicativa et commutativa.

1° Justitia *legalis* inclinat ad jus suum reddendum societati, cujus aliquis est pars, seu principi propter bonum commune. Hinc subditum ad communitatem velut partem ad totum ordinat. Vocatur *legalis,* quia habet pro objecto id, quod debetur communitati juxta legem naturalem vel positivam.

2° Justitia *distributiva* inclinat principem ejusve ministros ad justam distributionem onerum et bonorum. Hinc ordinat communitatem seu principem ad subditos, velut totum ad partes.

3° Justitia *vindicativa* inclinat principem ad sontes poenis congruis pro societatis bono plectendos. Consistit igitur in congrua punitione reorum in bonum publicum.

4° Justitia *commutativa* inclinat voluntatem ad jus suum strictum unicuique privato reddendum, servando aequalitatem rei ad rem. Haec spectat tantum privatos, ut a se invicem distinctos et *metaphysice* independentes. Vocatur autem *commutativa*, quia circa commutationes et varios contractus praecipue versatur. De hac sola agemus, quia sola in stricto sensu nomen justitiae sibi vindicat.

ARTICULUS II.
DE NATURA JURIS.

519. — Definitio: In stricto sensu jus dicitur *potestas legitima aliquid agendi vel obtinendi in proprium commodum.* Hinc justitia differt a jure, sicut virtus quaelibet a suo objecto.

Dicitur: 1° *Potestas*, i. e. capacitas seu potentia, sine qua res quaelibet nec acquiri, nec recuperari potest. Haec potestas potest esse vel *activa*, v. g. ad aliquid agendum; vel *passiva* ad aliquid recipiendum, v. g. alimenta, vel *resistiva*, puta in jure, quod quis habet, ut aliquis in tali loco non aedificet etc.

2° *Legitima*, i. e. a lege concessa seu legi conformis, aut legitimo titulo innixa: secus enim non esset jus, sed injustitia; non enim jus habemus ad id omne, quod physice possumus.

3° *In proprium commodum*, quia jus proprietatis praecipue ordinatur ad utilitatem ejus, qui eo fruitur. Sic *jus proprietatis* distinguitur etiam a *jure jurisdictionis*, quod principaliter in bonum subditorum tendit.

520. — In sensu autem latiori vox *jus* sumitur: 1° pro peritia legis seu jurisprudentia; 2° pro lege seu regula justi, et sic dicitur: jus naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, jus gentium etc.; 3° pro sententia judicis, et inde vox judex, jus dicens; 4° pro re, quae alteri ex quovis titulo debetur, et tunc est jus passivum seu juris objectum; 5° pro ipso titulo quolibet rei debitae, sic jurisdictio dicitur v. g. jus superioris ad obedientiam; sic etiam legitima possessio agri dicitur jus domini ad agrum.

Nota 1° Titulus est ratio ipsa debiti vel juris, seu fundamentum obligationis vel facultatis aliquid exigendi. Duplex distinguitur, nempe titulus *honestatis* et titulus *propietatis*. *Prior* consistit in conformitate cum legibus ordinis moralis seu ille est, qui fundatur in exigentia ordinis moralis, vi cujus homo ad Deum, ad seipsum et ad alios homines obligatur. Sic jurisdictio et paternitas sunt tituli honestatis, scilicet subditorum ad obedientiam et filiorum ad amorem etc. *Posterior* vero consistit in connexione rei cum proprietario independenter ab aliis hominibus spectato.

Nota 2° Duplex distinguitur independentia, *metaphysica* scilicet et *moralis*. *Prior* est exemptio ab omni subjectione erga alium in iis, quae pertinent *ad esse* sibi proprium et *absolutum*. Sic v. g. homo individuus est metaphysice independens ab alio quolibet homine quoad corpus, animam et alia omnia, quae esse suum absolutum constituunt. — *Posterior* vero esset exemptio ab omni obligatione erga alium in iis, quae pertinent *ad esse individui relativum*. Talis esset v. g. independentia cujuslibet hominis, si ad statum socialem non fuisset destinatus.

Nota 3° Titulus igitur *proprietatis* essentialiter differt a titulo *honestatis*. Etenim ex dictis titulus proprietatis fundatur *in esse* hominis *absoluto* seu in individuo, quatenus est metaphysice independens ab aliis quibuslibet, dum titulus honestatis rationem tantum habet *in esse* hominis *relativo*. Hinc titulus proprietatis solus fundat jus proprie dictum. Etenim jus illud tale est, ut res, ad quam vel in quam sese extendit, possit dici aut fieri domini vere propria; porro solus titulus proprietatis potest facere, ut res fiat domini propria et ita vocetur, quia solus fundatur in independentia metaphysica, vi cujus homo facultatem jus suum sibi vindicandi sortitur.

521. — Divisio: Jus praecipue dividitur in jus in re et jus ad rem.

1° Jus *in re* illud est, quod aliquis habet in re jam *sua* et obtenta, i. e. quae ita illi est devincta, ut possit de ea pro libitu immediate disponere. Tal

est jus emptoris in re empta. Jus illud confert actionem realem seu actionem, quae rem ipsam immediate attingit, ita ut ille, qui eo jure gaudet, rem suam repetere possit, quocumque transierit.

2° Jus *ad rem* illud est, quod quis habet, *ut res fiat sua.* Dat actionem personalem, i. e. directe attingit personam, dando facultatem rem debitam ab ea exigendi seu eam in judicio prosequendi, ut teneatur facere vel dare, quod promisit; unde dicitur jus personale, quia personam immediate attingit.

Contractus *promissionis* v. g. confert tantum jus *ad rem.* — Titulus emptionis ex jure romano confert jus ad rem tantum ante rei traditionem (¹). Ex jure novo gallico autem solus partium consensus conficit contractum venditionis, seclusa rei traditione, et consequenter dat jus in re *(Cod. civ. art. 1583.).* Excipe casum particularem, in quo res *mobilis*, vendita et non tradita, secundo emptori bonae fidei collata fuisset; tunc enim solum jus ad rem haberetur. — *Cod. civ. art. 1141.*

ARTICULUS III.
DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JURIS ET JUSTITIAE.

§. I.
De principiis generalibus juris.

PROP. I. *Deus solus est vere et absolute proprietarius rerum omnium.*

522. — Res perspicua est. Etenim Deus solus est vere et absolute rerum omnium dominus, cum ex ipso solo res omnes suum esse, exsistere, agere, conservare ac perfici teneant. Hinc *Psalm. 23. 1.* dicitur: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.*

Hinc 1° nullum ens creatum potest esse vere proprietarius respectu Dei, cum nullum ens creatum sit independens a Deo et, quidquid sit et habeat, a solo Deo sit et habeat.

2° Nullum ens creatum potest uti re qualibet tamquam absolute sua; ens enim creatum non est principium exsistendi erga ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

3° Proinde jus proprietatis enti creato inesse nequit, nisi a solo Deo. Sequitur ex dictis; secus enim ens creatum habere posset aliquid ab alio ente a Deo independente, quod absolute repugnat. — *Lugo disp. 2. n. 4.*

PROP. II. *Homo potest esse proprietarius erga alium hominem.*

523. — *Prob.* Homo potest esse proprietarius erga alium hominem, si nihil obstet neque ex parte hominis, neque ex parte objectorum possidendorum, neque ex parte Dei. Atqui haec tria certa sunt. Ergo.

1° *Ex parte hominis.* Etenim homo quilibet est metaphysice independens ab alio homine. Individuus enim quilibet a solo Deo esse suum absolutum recipit et recipere potest: proinde a nullo alio pendet ratione illius entis absoluti; ergo a nullo alio impediri potest, quominus proprietarius fiat.

2° *Ex parte objectorum.* Exsistunt enim objecta 1° de se apta ad providendum sive necessitatibus, sive justis vitae oblectamentis, qualia sunt bona fortunae, honoris etc.; 2° libera a jure alieno, ut sunt bona nondum possessa aut derelicta, vel cessione juris alterius etc. acquisita.

3° *Ex parte Dei.* Non solum Deus non prohibuit homini res terrenas sibi proprias facere, sed econtra ipse eas ita ordinavit, ut ipsius dominio subjicerentur, prout constat ex natura bonorum illorum, ex exigentia hominis necnon ex jure positivo divino. Sic v. g. dicitur *Gen. 1. 28.: Dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.*

(¹) Requiritur enim ex lege romana ad jus in *re* 1) exsistentia objecti, de quo agitur; 2) titulus legitimus, v. g. contractus; 3) traditio rei (saltem ordinarie), si agatur de mobilibus. — Pro jure *ad rem* sufficit autem justus titulus. — *Scav.*

Hinc sub initio mundi primaevi homines potuerunt pro suo libitu bona externa ad suos usus applicare, ut ex sacra scriptura constat. Unde prima bonorum divisio non facta est jure gentium, ut volunt plures. Aliunde concursus omnium ad divisionem terrae est quid mere gratuitum, non historicum.

PROP. III. *Si homo quilibet bona quaedam legitime sua fecerit, in illa jus de se inviolabile acquisivit.*

524. — *Prob.* Homo bona externa sua facere non potuit, nisi Deo ita ordinante ad sublevandam naturae humanae indigentiam, ut ex dictis constat. Atqui non potuit Deus ita ordinare seu homini jus possidendi proprium facere, quin simul statuerit, praedictum jus violari non posse, ut etiam ex dictis sequitur.

525. — Hinc 1° datur praeceptum naturale a Deo ipso promulgatum atque sancitum, vetans, ne jus alterius laedatur, atque praecipiens, ut, si quando laesum fuerit, in integrum restituatur. Etenim ex dictis jus proprietarii est per se inviolabile Deumque habet naturalem sui auctorem atque sponsorem; sed haec inviolabilitas pessumdaretur, nec Deus ejus naturalis auctor et sponsor censeretur, nisi ipse imponeret sanciretque praeceptum naturale ipsam conservari jubens et perturbari vetans.

Hinc 2° qui injuste rem alienam usurpat, reus fit tum erga proximum, tum erga Deum. 1° *Erga proximum,* siquidem laedit independentiam proximi naturalem et necessario inviolabilem in bonis justo titulo possessis. 2° *Erga Deum,* violando scilicet jus divinum proximo communicatum, et simul praeceptum naturale jus praedictum observari jubens.

Quaesita:

526. — Quaer. 1° *Quomodo facta sit primaeva bonorum divisio?*

Resp. Certum est, bona fuisse communia in prima rerum origine; Adamo enim et ejus filiis terram Deus absque ulla divisione concessit. Constat pariter, divisionem ex primaeva aetate factam fuisse, ita ut bona unius non essent bona alterius. Patet ex *Gen. 4. 4.*, ubi dicitur, Abel obtulisse Deo de primogenitis *gregis sui.*

Quomodo autem facta fuerit bonorum divisio, varii varia de hoc excogitarunt systemata. Alii enim hanc divisionem repetunt ab auctoritate paterna, alii ex conventione facta inter homines vel a jure gentium, alii ex auctoritate civili, alii tandem communius ex simplici occupatione rerum communium seu nondum occupatarum. Hoc ultimum verisimilius omnino apparet. Videtur enim ille modus divisionis bonorum, nempe per occupationem, valde naturalis et facillimus, dum alii difficultatibus non paucis referiuntur. Conventio praesertim mutua hominum coadunatorum videtur chimaerica et moraliter impossibilis. Legislatio autem civilis et jus gentium jam peracta divisione, saltem maxima ex parte, subsecuta sunt.

Quidquid sit de origine proprietatis, certum est, jus dominii de se inviolabile exsistere: 1° de jure naturae, cum eo sublato subverteretur societas(1); 2° de jure divino, ut patet ex 7. et 10. praecepto decalogi: *Furtum non facies. — Non concupisces domum proximi tui etc. Exod. 20. 15. et 17. etc.;*(2) 3° ex lege ecclesiastica et civili, ut ex utriusque fori legislatione integra comprobatur.

527. — Quaer. 2° *Quid sentien-*

(1) Jus naturae, si quaestionem in abstracto consideramus, nullam divisionem bonorum externorum *per se* expostulat; posito autem peccato originali, per quod cupiditas nimis in hominibus dominatur, non solum eam vehementer suadet, sed etiam, saltem in genere, praecipit (cf. *num. seq.*). Ubi vero pericula indicata desunt, licite utique etiam nunc communio bonorum subsistit, ut v. g. in communitatibus religiosis.

(2) Libri tam veteris, quam novi testamenti indubie sane ubique jus proprietatis agnoscunt.

dum sit de systemate communistarum *seu* socialistarum *circa bonorum divisionem?*

Resp. Systema istud est impium, societati summe noxium et in se absurdissimum.

1° Est *impium,* quia sapientissimum rerum ordinem a Deo stabilitum ac sancitum penitus tollit, divinae providentiae adeo suavem oeconomiam funditus subvertit et, male provisum esse hominibus, arroganter decernit.

2° Est *societati summe noxium.* Ejus enim totalem subversionem inducit, jus proprietatis de medio tollens, siquidem ex dictis absque illo jure societas humana stare nequit, ut autumavit ipse philosophus *Rousseau* societati infensissimus (¹). Jus enim proprietatis prorsus inviolabile est summae necessitatis in humana societate, attenta naturae lapsae corruptione, siquidem posita bonorum omnium communitate necesse fuisset, corruere agrorum curam, variarum artium exercitium, commercii industriam et cujusvis generis labores, atque proinde labefieri ipsam societatem. Quorsum enim agros coluissent homines, si quilibet alii occurrentes fructus maturos potuissent colligere? Quorsum sudore magno praeparassent terram jamjam ab alio occupandam?

528. — 3° Est *in se absurdissimum.* Etenim perfecta divisio bonorum inter homines est omnino impossibilis et proinde stulta ac ridicula inventio. Stulte enim delirarunt, qui conati sunt inducere perfectam et omnimodam aequalitatem in bonorum omnium divisione. Quid enim absurdius et impossibilius, quam illa aequalis inter omnes rerum distributio, et praesertim illius stabilitas? Esto enim, quod peracta fuerit; quamdiu, quaeso, perdurabit? Nonne otiositate, ludo, crapula, prodigalitate, imperitia, hebetudine, vel econtra valore, ambitione, industria aut rapacitate multorum, bono aut malo successu atque eventibus variis destruetur illa aequalitas, statim ac stabilita fuerit?

529. — Sed dicunt non pauci: Nulla fiat bonorum divisio nullusque sit proprietarius; possideat omnia bona sola respublica, et cives sint operarii! — Verum quale aderit laborantibus incitamentum? Quis laboris genus singulis assignabit? Quomodo victus quotidianus et vestimentum omnibus subministrabitur? Nonne requiretur legio praepositorum? Sed jam non omnes igitur duris laboribus addicendi erunt. Quibusnam vero incumbet officium praepositorum, quibusnam subditorum? quid de aegrotis, infirmis, senibus, pueris? quid de familia? quid de officiis mutuis parentes inter et filios? quomodo discernendi erunt veri infirmi laborare non valentes ab illis innumeris, qui impotentiam simulabunt? quid de commercio? de artibus? de literis? de scientiis in societate necessariis, v. g. juris, medicinae etc.? Quid igitur illa utopia absurdius? Nonne hoc absurditatum cumulus est habendum? Quid ergo de communismo dicendum est? Id, quod de alio portento perhibuit poëta: *Est monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* Sed parum abfuit, quin monstrum istud paucis abhinc annis non Galliam solum, sed etiam praecipuas Europae partes depopularetur.

530. — Objiciunt communistae: *Terra pro omnibus fructus suos producit.* Sic idem *Rousseau* (¹).

(¹) „Le premier qui, ayant enclos un terrain, s'avisa de dire: *Ceci est à moi,* et trouva des gens assez simples pour le croire, fut le vrai fondateur de la société civile." *(Discours sur l'origine de l'inégalité parmi les hommes.)* — (Nota auctoris.)

(¹) „... Que de crimes, de meurtres, „de misères et d'horreurs n'eût point epar„gnés au genre humain celui qui, arra„chant les pieux plantés par un autre et „comblant le fossé, eût crié à ses sem„blables: Gardez-vous d'écouter cet im„posteur! vous étes perdus, si vous ou„bliez que *les fruits sont à tous, et que „la terre n'est à personne.*" *(Ib.)* — (N. auctoris.)

Resp. Sane terra fructus suos pro omnibus producit et de facto omnes a mundi exordio de fructibus terrae vitam duxerunt. Sed titulo aliquo legitimo, v. g. emptione, commutatione et imprimis labore et vultus sudore acquirendi sunt. Ante omnia autem servanda est lex divina, quae injuriam in bonis proximi prohibet: *Furtum non facies.*

Nota: Non minus insulse *San-Simoniani* recentioribus etiam temporibus rerum divisionem excogitarunt juxta uniuscujusque capacitatem seu meritum faciendam, et peractam pro meriti mutatione immutandam. Quis enim judex erit meriti atque variarum illius mutationum singulis instantibus sibi succedentium? Quid insanius? Non mirum est igitur, hos sectarios, licet numero paucos, talem bonorum divisionem inter se servare minime potuisse.

531. — Inter patronos doctrinae *socialistarum* ardentissimos eminet philosophus *Proudhon,* stupendo hoc effato famosissimus, scilicet *Proprietas est furtum.* [1])

(1) „La propriété, par principe et par „essence, est immorale. Cette proposition „est désormais acquise à la critique. Con„séquemment le Code, qui en déterminant „les droits du propriétaire, n'a pas ré„servé ceux de la morale, est un Code „d'immoralité; la jurisprudence, cette pré„tendue science du droit, qui n'est autre „que la collection des rubriques propriétaires, est immorale, et la justice, insti„tuée pour protéger le libre et paisible „abus de la propriété, la justice qui or„donne de prêter mainforte contre ceux „qui voudraient s'opposer à cet abus, qui „afflige et *marque d'infamie* quiconque „est assez osé pour prétendre réparer les „outrages de la propriété, la justice est „infame. . . . La sanction pénale est in„fame, la police infame, le bourreau et le „gibet infames, et la propriété qui em„brasse toute cette série, la propriété de „qui est sortie cette odieuse lignée, la „propriété est infame. . . ."

„La propriété, c'est le vol. Il ne „se dit pas en mille ans deux mots comme „celui-là. Je n'ai d'autre bien sur la terre „que cette définition de la propriété; mais „je la tiens plus précieuse que les millions „des Rothschild, et j'ose dire qu'elle sera „l'événnement le plus considérable du „gouvernement de Louis-Philippe. . . ." (*Proudhon, Système de contradictions économiques etc.* 1846.) — (Nota auct.)

§. II.

De principiis generalibus justitiae.

PROP. I. *Justitia commutativa obligat sub gravi et cum onere restitutionis.*

532. — *Prob. I. pars.* Etenim justitia commutativa pro scopo habet, independentiam naturalem et metaphysicam privatorum illaesam servare. Atqui violatio illius independentiae *per se* est deordinatio gravis contra jus proximi et dominium Dei; ergo etc. — Dixi: *per se;* quia hac in re materiae parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II. pars. Constat ex eo, quod haec justitia respiciat aequalitatem rei ad rem, cujus laesio non potest reparari, nisi per restitutionem. Etenim quamdiu manet inaequalitas, manet obligatio illam reparandi, cum laedens peccet servando inaequalitatem, sicut peccavit eam inducendo. Nec sub illo respectu discrimen datur inter divitem et pauperem, inter principem et subditum. Omnis enim laesio juris, undequaque proveniat, necessario reparari debet.

PROP. II. *Ceterae justitiae species obligant etiam sub gravi* per se, *sed non cum onere restitutionis.*

533. — *Prob. I. pars.* Etenim laesio earum deordinationem gravem inducit, cum graviter ordini societatis necessario noceat, ut patet.

Prob. II. pars. Etenim non obligant sub onere restitutionis, si earum laesio jus strictum nullius violet. Atqui ita est; nam jus strictum fundatur in solo respectu, quo homo est absolute independens ab aliis hominibus. Porro nedum justitiae illae hominem quatenus independentem respiciant, illum in ordine morali strictissimis vinculis erga societatem, cujus membrum est, devinciunt. Ergo. Sic justitia legali subditus justo superioris sui praecepto parere debet; attamen, si v. g.

inobedientiae reus fuerit, ad nullam restitutionem tenetur, sed tantum ad poenam subeundam, si qua ipsi imponatur.

Nota: Saepe justitia *commutativa* aliis adjungitur, et ejus laesio onus restitutionis inducit. Sic restituere tenetur magistratus vel judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo causa est, cur privati vel communitas grave damnum patiantur, quia in eo casu non solum reus est officii praetermissi, sed etiam violati contractus, quo se *implicite* obligavit ad damna subditorum praecavenda.

534. — Hinc 1° princeps non potest sine causa gravissima per legem tollere a subdito rem suam seu jus acquisitum, quia nihil potest circa bona privatorum, nisi quod ratio boni communis omnino exigit.

2° Potest autem princeps *indirecte*, i. e. intuitu boni communis, rem suam a subdito tollere. Jus enim ad finem importat necessario jus ad media, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. g. agro pro via publica construenda etc. Sed tunc princeps, in quantum fieri potest, ad justam compensationem tenetur, quia aequum non est, ut unus spolietur, aliis intactis, ut ex jure naturali et positivo constat.

535. — 3° Superior ad restitutionem non tenetur, si minus dignis officia societatis distribuit, quia nec violat jus strictum dignioris, nec communitatis, quae aliud exigere nequit, nisi ut indigni ab officiis arceantur. — *S. Lig., de praec. particul. n. 107.* contra *plures.* Secus vero, si in concursu superior minus dignum digniori praeferret, quia in concursu intervenit pactum, ex quo *jus strictum* digniori competit.

4° Nec tenetur ad restitutionem superior, qui dignitates mere honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis, quia neminem jure suo stricto privavit, quamvis peccaverit ob personarum acceptionem.

5° Tenetur ad restitutionem erga communitatem superior, qui officiis publicis indignos praeficit, quia *ex quasi-contractu* tenetur bonum communitatis promovere bonos praeficiendo. Imo tenetur etiam ad restitutionem erga privatos, qui ex indignis ministris damnum injustum in bonis fortunae patiuntur.

CAPUT II.

DE PRAECIPUIS JURIS SPECIEBUS.

Praecipuae juris species sunt: *dominium, usus, ususfructus* et *servitus.*

ARTICULUS I.
DE DOMINIO.

536. — Definitio: Dominium est facultas legitima disponendi de re aliqua tamquam sua.

Divisio: Dominium praecipue dividitur in *perfectum* et *imperfectum*, prout est jus disponendi tum de re ipsa, tum de ejus utilitate, aut de alterutro tantum.

Imperfectum autem subdividitur in *directum* et *indirectum* vel utile, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam ejus utilitatem.

Distinguunt etiam communiter dominium *altum* et *humile. Prius* dicitur jus, quod habet suprema auctoritas, disponendi aliquando de bonis privatorum ex gravissima causa in bonum communitatis cum debita compensatione, in quantum fieri potest.[1]) *Posterius* est dominium privatorum, cui proprie definitio convenit.

Nota: Dominium altum non est dominium proprie dictum, seu non est verum dominium proprietatis, cum princeps non habeat *per se* jus strictum in bona subditorum; sed dominium illud medium quoddam tenet inter *dominium proprietatis* et *dominium jurisdictionis,* possetque merito vocari *dominium administrationis.* — *Ita* recte *Carrière n. 19.*

Agendum: 1° de objecto; 2° de subjecto; 3° de acquisitione dominii.

§. I.

De objecto dominii.

Principia:

537. — I. Homo habet dominium *utile* bonorum, quae sibi intrinseca

(1) Cf. *num. praeced.*

sunt, nempe animae et corporis. Bona enim haec sunt homini propria ac vere sua, utpote constitutiva sui entis *absolute* ab aliis *independentis*, nec aliunde ipsorum usus ullo jure impeditur. Potest enim homo absque ulliüs injuria iis uti ad propriam utilitatem et in omnem usum a lege non prohibitum; secus enim de humana libertate actum esset.

Non autem homo habet dominium *directum* horum bonorum. Constat ex scriptura sacra. Sic *Sap. 16. 13.: Tu es enim, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem.* — Item *Deut. 32. 39.: Ego occidam, et ego vivere faciam.* — Constat etiam ex lege naturali, ut diximus de *5. decalogi praecepto n. 389. et seq.*

538. — II. Homo habet dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunae legitime acquisita.(1) Constat 1° *quoad dominium utile,* quia ex una parte bona haec apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus juri divino et humano non adversatur: quinimo Deus ipse praedictorum bonorum utilitatem saltem permisit his verbis *Gen. 1. 28.: Dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli etc.* — Et *Psalm. 8. 8.: Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Constat 2° *quoad dominium directum,* quia facultas bona fortunae ad usus suos applicandi nullo jure restringitur; imo expresse permittitur jure humano, ut patet ex variis legibus circa jus possidendi, et jure divino in allatis verbis: *Dominamini etc.*

Quaesita:

539. — Quaer. 1° *An homo habeat dominium suae famae?*

Resp. Affirmative juxta sententiam communem. Etenim homini competunt primarii actus dominii circa famam, ut eam labore acquirere, ejus restitutionem condonare etc.; ergo. Attamen prudentia exigit, ut non eam prodigat sine justa ratione, et aliquando tenetur *sub gravi* eam servare sedulo ratione scandali, damni familiae removendi etc. — *S. Lig., de 8. praec. dec. n. 983.* — *Billuart diss. 3. art. 2.*

Quaer. 2° *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1° *Negative* quoad dominium proprietatis; illud enim soli Deo competit, cum homines sint a se invicem metaphysice independentes, ut constat ex dictis *n. 522.*

Resp. 2° *Affirmative* quoad dominium *utile* seu actus hominis. Ratio est, quia homo quilibet est dominus actuum suorum, ac proinde potest illos alienare in propriam utilitatem seu in dominium alterius tradere. Dominus enim pro arbitrio de objecto dominii sui disponere potest.

Hinc 1° homo potest de jure naturali etiam in perpetuum se alteri vendere quoad dominium utile. Si enim potest alteri dominium sui utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest, quidquid habet. 2° *Per se* jure naturae non repugnat *servitus* seu status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri praestare.(1)

540. — Quaer. 3° *Ex quibus titulis induci possit servitus?*

Resp. Ex quatuor sequentibus titulis: 1° *Ex pacto* seu renuntiatione propria. Etenim non repugnat, aliquem renuntiare suae libertati ad propriam inopiam sublevandam vel ad debita, quibus impar est, solvenda etc. — 2° *Ex jure belli.* Non enim repugnat, victorem hanc quandoque infligere. Quandoque enim posset captivos occidere ob gentis securitatem; ergo *a fortiori* eos in servitutem redigere. —

(1) Hisce bonis etiam res incorporales, v. g. varia jura, adnumerandae sunt.

(1) Omnino alienum ergo est a mente auctoris, tueri liceitatem *servitutis in sensu stricto,* per quam scil. servi proprie dicti non *personis,* sed *rebus* accensentur.

3° *Ex delicto* seu ex justa condemnatione. Etenim si reus possit damnari ad mortem, *a fortiori* ad servitutem, cum privatio vitae summa omnium poenarum merito censeatur. — 4° *Ex nativitate* in statu servitutis: per jus enim servi sunt, qui e servis nascuntur. Ita ex jure gentium, juxta communem sententiam. — *Ita Lugo disp. 6. n. 11. et seq.*

541. — Quaer. 4° *An licitum sit nigritarum commercium?*

Resp. 1° Omnino illicitum est ex omni jure, quoties nigritae injuste libertate spoliantur, turmatim, ut vilia pecora, a regionibus suis transvehuntur et venduntur, ut fit in horrendo commercio, quod vulgo nuncupatur *traite des Nègres.* — Contra tam immanem negotiationem prodiere variae constitutiones apostolicae, nempe *Pauli III., Urbani VIII., Benedicti XIV.* et nuper *Gregorii XVI.* in constitutione *In supremo apostolatus (3. Decembris 1839)*, ut videre est in folio publico, dicto *Ami de la Religion tom. 103. n. 3219.*

Resp. 2° Si vero agatur de nigris aut aliis in legitima servitute exsistentibus, *per se* non absolute illicitum est, quia semel admissa servitute ut legitima dominus veram jus in servos seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere valet. Dixi *per se;* obstare enim possunt circumstantiae, v. g. si conjux a conjuge esset separandus etc., vel leges civiles, prout reapse obstant in Europa, ubi servitus interdicitur.

§. II.
De subjecto dominii.

542. — Subjectum dominii est rei alicujus dominus seu ille, cujus est res aliqua. In terra omnis et solus homo est dominii capax, quia omnis et solus homo cognoscere potest utilitatem rerum et eas velle sibi applicare, si mallins sint. — Nec incapaces sunt dominii parvuli, nec ipsi amentes, quia, quamvis non possint res facere suas occupatione vel possessione, id tamen possunt mediantibus actibus alterius, v. g. tutoris. Ad rationem enim dominii in pueris et amentibus sufficit, ut sint capaces utilitatis percipiendae ex rebus externis et sit alius, qui ipsorum nomine actus acquisitionis, acceptationis et possessionis legitime ponat. Et proinde dominio saltem habitualiter gaudere possunt. — *Sic omnia jura.*

Agendum speciatim de dominio: 1° filiorum familias; — 2° uxorum; — 3° clericorum; — 4° auctorum. (De dominio autem religiosorum dicetur infra in *tract. de statibus,* ubi de voto paupertatis.)

PUNCTUM I.
De dominio filiorum familias.

543. — Filii familias proprie hic dicuntur illi, qui ex legitimo matrimonio orti, cujuscumque sint sexus, adhuc paternae potestati subjacent.(1)

Diversi generis sunt bona filiorum(2), prouti juxta diversa populorum jura spectantur.(3)

---

(1) Licet enim obligationes filiorum ex jure naturali orientes, quae officia honoris, amoris et reverentiae erga parentes exigunt, numquam dissolvi queant, id tamen quoad illas locum habet, quas jus naturale non pro semper imponit vel quae ex solo jure civili ortum ducunt.

(2) Bona filiorum familias etiam *peculium* appellari solent.

(3) Ne nostra haec tractatio plus aequo prolixa aut confusa evadat, neve cursus nimium retardetur, nil de aliis variarum gentium juribus attingemus; duo tantum praecipua in medium afferemus, *romanum* videlicet et *gallicum,* quorum elementa, data occasione, citabimus, et quorum notio sic efferri potest:

1° *Jus romanum,* quod dicitur *ipsa ratio scripta,* illud est, quod diu jus *commune* nuncupatum est quodque norma fuit, ad quam cetera populorum jura exarata sunt. Hoc variis in locis praeter pontificiam ditionem viget adhuc.

2° *Jus gallicum,* quod etiam jus novum appellatur, est illud, quod in Codice Napoleonis continetur(cf. *n. 132.*) quodque brevitate et perspicuitate ceteris omnibus facile antecellit. Hoc a paucis annis apud plures alias gentes acceptum maxima ex parte est, ac praesertim in Belgio, in regno Subalpino, in provinciis Rheno adjacentibus. Hic codex civilis gallicus sic

1° *Ex jure romano* distinguuntur bona; 1° *castrensia,* i. e. occasione militiae acquisita; — 2° *quasi-castrensia* seu acquisita ex aliquo officio civili, v. g. judicis, medici etc.; — 3° *profectitia,* quae filius ex bonis paternis lucratur, v. g. agendo negotiationem cum pecunia patris: sunt etiam bona, quae filio dantur, sed patris intuitu; — 4° *adventitia,* quae filio provenniunt aliunde, quam a bonis paternis, aut donata sunt filio intuitu ipsius.

2° *Ex jure gallico* distinguuntur: 1° bona acquisita *industria separata* filii, aut *ipsi soli data;* — 2° *cetera bona* filiis provenientia.

Nota: Bona acquisita *industria separata* comprehendunt bona castrensia et quasi-castrensia juris romani, et insuper, quidquid filius lucratur labore vel commercio separato.

Principia ex jure romano.

544. — I. Filius habet perfectum dominium bonorum castrensium et quasi-castrensium; impubes(¹) tamen eorum administrationem non habet.

II. Pater habet dominium perfectum profectitiorum, dummodo filius sit vere sub paterna potestate. Excipe: si pater usumfructum filio cesserit.

III. Filius habet dominium directum adventitiorum, pater vero usum et administrationem. Si tamen sint consumptibilia, de ipsis potest disponere pater, sed cum onere restitutionis.

Nota: 1° In dubio, an bona donata sint filio intuitu ejus aut patris, filius potest ea retinere, si bona fide inceperit ea possidere. Alias pro rata dubii dividenda sunt. — *S. Lig. n. 488. III.*

2° Si filius negotiatus est in bonis paternis nomine patris, lucrum est peculium profectitium; si vero nomine proprio, adventitium est. In dubio autem, an lucrum venerit ex bonis patris vel alterius, ut profectitium habendum est, cum filius bona paterna administrabat. — *S. Lig. ibid.*

3° Si filius negotietur extra domum patris ex aliis bonis, quam paternis, lucrum est adventitium; lucrum vero filii laborantis in domo paterna et a patre nutriti profectitium est. — *S. Lig. ibid.*

Principia ex jure gallico.

545. — I. Filius familias habet perfectum dominium in bona acquisita industria separata et in ea, quae ipsi soli dantur *(C. C. 387.),* quamvis eorum administrationem non habeat ante majoritatem (21 an.) vel ante emancipationem. — *C. C. 389. 481. et seq.*

II. Habet dominium directum tantum in cetera bona ante annum 18. completum vel ante emancipationem, quae post an. 15. fieri potest. Interea autem pater eorum usum et commoda percipere valet, et similiter mater, patre mortuo, modo alias nuptias non contrahat. — *C. C. 384. 476. et seq.* (¹)

---

plerumque a nobis indicabitur: *C. C.* adjecto articuli numero. — (Nota auctoris.)

Addimus praeterea in notis principia juris austriaci, eadem distinguendo per signum *.

Moralistae vero communiter exponunt partim principia juris naturalis, quae tamen persaepe indigent complemento per jus positivum, partim statuta juris romani.

(¹) Cf. infra *n. 762.*

Sermo porro est in sequentibus numeris de juribus patriae potestatis quoad *bona* filiorum. Adsunt autem praeterea alia quoad *personas* eorumdem. Addimus ex hisce, juxta pleraque jura *civilia* ante majoritatem domum paternam deserere filiis non licere, nisi pater consentiat vel nisi adsint probatae causae. — *Scav.* — Cf. etiam relata sub *n. 367. et seq.*

* (¹) Principia juris austriaci.

I. Infans appellatur ille filiusfamilias, qui nondum septimum complevit annum; impuber, qui nondum decimum quartum; puber seu minor, qui nondum vigesimum quartum *(C. A. 21.),* et usque ad hunc annum sub patris est potestate; dein fit major et sui juris.

II. Minor emancipari potest seu declarari, esse sui juris, ante vigesimum quartum annum vel expressa judicis concessione (et tunc etiam ante vigesimum annum), vel tacita patris, dum videlicet completo vigesimo anno pater independentem filiofamilias rei familiaris tribuit administrationem. *(C. A. 174.)*

III. Filiusfamilias plenum habet dominium eorum, quae quocumque modo legitimo, industria, donatione, haereditate vel contractu acquirit; horum tamen admini-

Quaesita:

546. — Quaer. 1° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

Resp. 1° *Affirmative,* si primo usu sint consumptibilia, quia ipsi ad usum absolute dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, v. g. ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos etc.

Resp. 2° Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes etc., filius non habet generatim(1), nisi dominium utile, quia parentes vulgo non aliud ipsis conferre intendunt.(2)

Quaer. 2° *An filius censeatur renuntiare usuifructui, ad quem jus habet, si eo vidente et tacente pater hunc usumfructum percipiat?*

Resp. Negative, saltem generatim loquendo, cum sententia communiori. Ratio est, quia silentium in tantum aequivaleret renuntiationi, in quantum filius facile reclamare posset; jam vero, quominus id facile queat, plerumque metus reverentialis obstat.

547. — Quaer. 3° *An filius habeat dominium eorum, quae in domo paterna lucratur?*

Resp. 1° *Affirmative* in casibus sequentibus; 1° si sit emancipatus; 2° si laboret nomine proprio: sed tunc pater non tenetur eum alere; 3° si non teneatur ex conditione sua laborare; 4° si excessu *extraordinario* plus ceteris fratribus operis et laboris insumat.

Resp. 2° *Negative* autem: 1° si labor filii sit necessarius ad vitam parentum sustentandam; 2° si non attigerit annum 18. nec fuerit emancipatus *(ex lege gall. C. C. 384.),* quia ante hoc tempus parentes retinent usumfructum bonorum filii ad compensandas educationis expensas; 3° si parvum lucrum faciat, quia vix expensas a parentibus pro se factas adaequaret.

Resp. 3° *Probabilius negative* etiam praeter praefatos casus, si filius laboret et lucretur sat notabiliter prae fratribus, non tamen excessu extraordinario, quia filius tunc censetur agere ut membrum familiae, et sic lucrum omne bono familiae cedere debet. — Aliunde pax familiarum postulat, ne plus aequo cupiditati filiorum indulgeatur, ut janua litibus innumeris praecludatur. — *S. Lig. (saltem practice) n. 488. III. 544. 910.* — *Antoine c. 5. q. 13.* — *Billuart* — *Layman* — *Gousset n. 684.*

Attamen sat *probabilis* apparet sententia opposita, quia filius non est pejoris conditionis, quam famulus. Sed lucrum illud filius repetere non deberet *per se* ante mortem patris, cum difficile sit filio antea dijudicare, utrum passus sit damnum necne. — Ita *Pontas,* verbo *Compensation.* — *Lessius l. 2. c. 12. n. 81.* — *Elbel n. 77. et seq.* — *Collet c. 2.* — *Bouvier c. 2. art. 1.* — *Carrière n. 244.* — *Vernier n. 340.* — *Ituriaga t. 1. cas. 3.*

Nota 1° In praxi autem recedendum non est a prima sententia, saltem ante factum, ob hallucinationis periculum. Insuper per-

---

stratio ad patrem pertinet, quamdiu filius sub ejus est potestate: quinimo pater potest ex horum bonorum reditibus sibi retinere, quidquid in liberorum educationem impendit. Reliquum in lucrum est conferendum ad filii utilitatem, nisi, quod superest, parvi momenti sit; tunc enim pater illud sibi retinere potest. Quod si filius nulla a patre accipiat alimenta, ei, etiamsi impuber sit, illorum bonorum administratio conceditur, quae arte vel negotio acquirit; quinimo ipse libere disponere potest etiam de re consumptibili, quae, dummodo puber sit, ejus usui tribuitur. *(C. A. 149. 150. 151.* — *Castelli, interpr. in C. A. 151.)*

(1) Aliter scil., si intercedat parentum consensus vel expressus, vel rationabiliter praesumptus. — Si vero ejusmodi dispositio fiat contra jus filiis a parentibus tributum, onus exsurgit restitutionis, nisi rationabiliter judicetur, parentes, rogatos, id condonaturos esse, quod tamen non facile praesumendum, si v. g. pater non sit dives etc. — *Scav.*

(2) Cf. quoque *n. 228. Q. 4°. R. 3°.*

(1) Cf. etiam *notam* sub fine *n. 623.*

pendendae sunt, quantum fieri potest, variae circumstantiae, in quibus versantur filius et ejus cohaeredes, ut judicetur, quid aequalitas juris stricti requirat.

Nota 2° Secunda sententia minime publice docenda est propter incommoda, quae per abusum inde sequerentur. Sed in praxi aliquando teneri potest saltem post factum ad solvendos casus ea de re occurrentes. — *Ita Bouvier ibid.* — *Carrière ibid.*

PUNCTUM II.

De dominio uxorum.

548. — Bona uxoris sunt triplicis generis, scilicet:

1° *dotalia,* quorum fructibus vir gaudet ad onera matrimonii sustinenda;

2° *paraphernalia* (a παρα *praeter* et φερνη *dos*), quae uxor habet praeter dotem et quae sibi specialiter reservat;

3° *communia,* quae pactis conjugum aut determinatione legis in societatem quamdam conferuntur.

Possunt conjuges ante ineundum matrimonium determinare, quibus conditionibus subjicienda sint ipsorum bona, servatis quibusdam legis statutis. Si haec facere omiserint, lex supplebit.

I. Dispositiones juris romani.

549. — I. Uxor habet dominium directum *suae dotis,* maritus vero usumfructum et administrationem. Mortuo viro ipsa omnibus creditoribus ipsius personalibus praefertur, et etiam in vita dotem repetere potest, si timeat, ne vir fiat impotens ad illam restituendam. Si dos consistat in pecunia aut in aliis usu consumptibilibus, hujus quidem dominium viro tribuitur, sed cum obligatione valorem restituendi. — *S. Lig. n. 489.*

II. Uxor tenet plenum dominium et administrationem bonorum *paraphernalium,* ita ut de his maritus, ipsa nolente, nequaquam disponere valeat. Hinc quoad illa nullatenus uxor a marito dependet. — *S. Lig. ibid.*

III. Proprietas et utilitas bonorum *communium* pertinet ad utrumque conjugem; sed administratio eorumdem bonorum pertinet ad solum maritum. Haec autem communitas bonorum varias conditiones seu restrictiones admittere potest. Sed attendendum est ad varias locorum dispositiones. — *Elbel n. 69. et seq.*

II. Dispositiones juris gallici.

Pleraque pacta, quae a conjugibus ante matrimonium iniri possunt, tres classes seu regimen triplex constituunt, scilicet: 1° regimen *dotale;* 2° regimen *communitatis;* 3° regimen *excludens communitatem.*

550. — I. *Regimen dotale.* Bona dotalia sunt ea, quae uxoris dotem constituunt. Horum vir administrationem plenam habet et usumfructum percipit; uxor vero solum dominium directum servat. *(C. C. 1549.)*

Si bona dotalia consistant in mobilibus, sive partim, sive totaliter, vir eorum dominium perfectum habet, et tantum de eorum valore in contractu matrimonium praecedente consignato tenetur. *(1551.)*

Bona dotalia nullatenus alienari possunt, etiam uxore consentiente, extra certos casus a lege exceptos. *(Vide Cod. C. 1554. et seq.)*

Bona autem quaecumque uxoris in dotem non constituta remanent ipsi omnino propria seu ut paraphernalia habentur, et eorum mulier administrationem habet atque usumfructum percipit. *(1574. 1576.)*

551. — II. *Regimen communitatis.* Locum habet, cum conjuges statuunt in contractu matrimoniali, quaedam bona *communia* inter eos futura esse. Communitas autem est vel *legalis,* vel *conventionalis,* prout lege vel pacto speciali contrahentium constituitur.

Communitas *legalis* coalescit 1° ex omnibus bonis mobilibus, quae conjuges possidebant ante matrimonium, vel quae ipsis subinde titulo successionis vel donationis adveniunt; 2° ex omnibus fructibus et quibuscumque reditibus bonorum immobilium, possessorum a sponsis ante matrimonium vel ipsis

durante matrimonio advenientium; 3° ex omnibus bonis immobilibus, quae ex bonis communibus tempore matrimonii acquisita sunt. *(1401. 1402.)*

Communitas *conventionalis* consistit in pactis variis sponsorum, quibus statuta legalia restringi vel praeteriri possunt. His deficientibus sola legis dispositione communitas regitur. *(1497.)*

552. — Sub regimine *communitatis* solus maritus administrationem et usumfructum habet bonorum communium. Imo potest ea vendere, commutare, in hypothecam tradere, etiam deficiente uxoris consensu *(1421.)*. Non tamen potest donare titulo gratuito immobilia, neque mobilia titulo universali seu quoad eorum universitatem vel quotitatem, scilicet dimidiam, tertiam vel quartam partem. Dissoluta autem communitate, bona et onera in duas partes dividuntur, nisi uxor aut illius haeredes bonis renuntiare et ita oneribus se eximere maluerint. *(1422.)* Debita ab utroque conjuge vel ab eorum haeredibus solvenda sunt. *(1482.)*

553. — III. *Regimen excludens communitatem.* Duplici modo sponsi illud constituunt, scilicet 1° declarando, se inire matrimonium *sine communitate;* 2° statuendo, se in bonis suis futuros esse omnino separatos. *In priori casu* vir percipit omnes reditus bonorum uxoris et solus ea omnia administrat. Sed, si usu consumantur, illorum valorem, dissoluta communitate, reddere tenetur. *(1530.)* — *In casu vero posteriori* mulier habet omnium suorum bonorum administrationem et usumfructum. *(1536.)* — Uterque autem sponsus ad onera matrimonii speciali pacto concurrit; si vero nulla conventio exsistat, uxor usque ad tertiam partem redituum suorum concurrere debet. *(1537.)*

Nota 1ª Omnia bona uxoris, quae non traduntur marito ad onera matrimonii sustinenda, sunt paraphernalia et eorum uxor plenam habet administrationem, licet neque immobilia alienare, neque pro eis in judicio sistere sine expresso mariti consensu, aut, renitente marito, sine sententia tribunalis *primae instantiae. (C. C. 1576.)* Idem dicendum, si uxor sit omnino in bonis separata. *(C. C. 1538.)*

Nota 2ª Bona, quae uxor sibi comparat *singulari industria* vel *labore extraordinario,* adhibita rei familiari sufficienti cura, vel ea, quae acquirit aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, recreationes etc., vel etiam ea, quae ipsi data sunt sub expressa conditione, ut viro non cedant, ad paraphernalia revocanda sunt. De istis igitur bonis mulier ad libitum disponere potest.

Nota 3ª Etiam in secundo et tertio regimine dos quaedam ab uxore tribuitur, cum oneribus matrimonii partim subvenire debeat; sed dos illa a viro alienari potest. (1)

---

* (1) Principia juris austriaci.

I. Si dos est constituta pecunia vel re consumptibili, maritus dominium plenum acquirit et tenetur tantum de pretio. Si est constituta rebus immobilibus vel mobilibus aptis ad usum, ut suppellectilibus et vestibus, uxor gaudet dominio directo et maritus usufructu. Quod si mobilium a viro perito valor fuerit constitutus et a marito acceptatus, maritus acquirit dominium directum. Ex hoc consequitur, maritum ea bona distrahere et consumere posse, de quibus ipse dominium directum acquisivit, et tantum teneri de aequivalenti eo etiam in casu, quo fortuito pereant: contra, si tantum usumfructum habet, illa distrahere nequit et, si fortuito vel usu pereant, ad nihil tenetur. *(C. A. 1227. 1228.)* Quia dos ad bonum familiae ordinatur, ideo ex morte mariti, cessante fine, uxor acquirit etiam usumfructum dotis. *(C. A. 1229.)*

II. Quod attinet ad bona paraphernalia, i. e. ad propria bona uxoris praeter dotem, horum uxor plenum retinet dominium: marito tamen administrationem concedere potest vel expresse, vel tacite. Tacita habetur concessio uxoris, dum non impedit administrationem, et in hoc casu de fructibus consumptis nullam rationem vir reddere tenetur; aliter dicendum, si uxor renuerit. Si necessitas urget, ipsa administrationem revocare potest, sicut etiam maritus, judicis auctoritate suffultus, uxori administrationem auferre potest. *(C. A. 1238. et seq.)*

III. Matrimonium ex sua natura non efficit inter conjuges communionem bonorum, et uterque conjux retinet dominium suorum bonorum. Potest tamen peculiari pacto inter conjuges fieri. *(C. A. 1233.)* Proprietas bonorum communium pertinet ad utrumque conjugem, ususfructus ad illum, ad quem pertinebat, antequam in

Resolves:(1)

554. — 1° Uxor habet jus strictum ad sustentationem ex bonis communibus(2); illam ergo sibi proprio nutu comparare potest, si maritus renuat vel aegre admodum consentiat.

2° Non peccat uxor subducendo aliqua pro victu, vestibus ceterisque familiae necessariis, quae mariti saepe non intelligunt et quae frustra ab illis peterentur. — *S. Lig. n. 541.*

3° Si maritus in detrimentum familiae bona dilapidet vel prodigat, potest uxor ea abscondere et in bonum familiae reservare.

4° Non injuste agit uxor, si inscio marito nonnulla accipiat, quae facile ac certo maritus concederet, si rogaretur, quia adest licentia praesumpta et aliquando justa causa non petendi, ne cogatur sese ostendere ut ancillam. — *Reuter n. 47.*

5° Uxor potest defectu mariti ex bonis communibus expendere aut etiam exponere(3), quod judicat necessarium ad grave damnum familiae impendens avertendum. — *Lugo etc.*

Nota: Pro praxi in his et aliis similibus casibus caute agendum, ne uxoribus laxentur habenae, cum propensae sint ad jura sua plus aequo extendenda.

Quaesita:

555. — Quaer. 1° *An uxor ex bonis communibus vel ex fructibus suae dotis eleemosynas facere possit?*

Resp. Affirmative, etiamsi habeat bona propria, modo id fiat juxta consuetudinem aliarum mulierum illius loci et conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed domina; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. — Deinde maritus tantum inscius merito praesumitur consentire in ea, quae fiunt ab uxore juxta honestum regionis atque conditionis morem; et, si invitum sese exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit jure sibi legitima consuetudine concesso. — *Ita communiter* cum *Lugo, S. Lig. n. 540.*

556. — Quaer. 2° *An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

Resp. Disputatur. Iª Sententia *probabilis* affirmat. Ratio est, quia, licet maritus habeat administrationem bonorum, uxor tamen habet dominium dimidiae partis illorum, et proinde jus illud violatur, si, ipsa rationabiliter invita, pars illa a marito dissipetur.(1) — *Ita Antoine p. 3. c. 5.* — *Collet, de just. p. 3. c. 4.* — *Pontas,* verbo *Communauté.* — *Confer. d'Angers, de matr. ut contr. civili q. 2.* — *Gousset.*

IIª Sententia etiam *probabilis* negat *generatim* seu nisi maritus excedat limites juris ipsi a lege concessi. Ratio est, quia uxor ex lege non habet jus strictum, nisi ad dimidiam partem bonorum, quae soluta communitate exstabunt, nec tenetur maritus reddere rationem suae administrationis. Unde, quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen peccat contra justitiam propriis dictam, quae restitutionis obligationem inducit.(2) Sed uxor praecavere potest bonorum dissipationem per facultatem, quae ipsi conceditur a lege, separationem bonorum juridice postu-

---

communionem collata essent *(C. A. 1236. Zeiller interp.)*: viri autem est administrare bona communia, ac proinde vendere, alienare, hypotheca vincire, donec uxor non contradicat. *(C. A. 1238.)* Defuncto uno conjuge, superstiti jus confertur capiendi dimidium eorum, quae ex bonis communibus adhuc supersunt. *(C. A. 1234.)*

(1) Cf. exposita sub *n. 378. et seq.*

* (2) In jure austriaco uxor habet jus strictum ad convenientem sustentationem ex bonis mariti juxta ipsius statum. *(C. A. 91.)*

(3) Legendum: abscondere *(Lugo disp. 16. n. 67.)* vel reponere.

* (1) Consonat cum *C. A. 1239.*, quod attinet ad substantiam rei.

* (2) Convenit quoad forum externum cum *C. A. ibid.*, quod attinet ad fructus-

landi. — *Ita Lacroix, de furto n. 1020.* — *Carrière n. 276.* — *Theologia Tolos. c. 2.*

Excederet autem limites juris sui maritus *ex jure gallico* et ad restitutionem certo teneretur, si daret titulo gratuito aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem* mobilium, aut si bona communitatis ad ditescendum dilapidaret.

557. — Quaer. 3° *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis communibus aut de fructibus dotis ad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti sunt?*

Resp. Negative, si *paraphernalia* non habeat, et vir necessaria dare nolit, quia jure naturae tenetur uxor praedictos consanguineos alere, et maritus in id consentire debet. — *Ita S. Lig. n. 542.* cum *aliis.*

Quaer. 4° *An uxor bona hoc modo accepta referre teneatur, cum venerit in mariti haereditatem vel cum dotem suam recuperaverit?*

Resp. 1° *Negative,* si bona haec sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynae communes, quae, si fiant moderate, restitutionis onus secum non ferunt. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si bona subrepta sint majoris momenti, negant plures, quia onera omnia, quae stante matrimonio cui conjugum obveniunt, alteri communia censentur. Sed sententia affirmativa videtur tenenda cum *S. Lig. n. 542.; Hom. apost. tr. 10. n. 33.*

PUNCTUM III.
De dominio clericorum.

558. — Bona clericorum quadruplicis generis distinguuntur, scilicet: 1° *patrimonialia,* quae proveniunt ex paterna haereditate aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, successione etc.; — 2° *quasi-patrimonialia,* quae acquiruntur occasione et intuitu functionum ecclesiasticarum beneficio non adnexarum, v. g. missam celebrando, concionando etc.: vocantur etiam *quasi-ecclesiastica* vel *casualia;* — 3° *ecclesiastica*, quae ex beneficiis Ecclesiae, v. g. ex reditibus beneficiorum etc., oriuntur; — 4° *parcimonialia,* quae clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus et quae honeste vivendo consumere posset (¹).

Principia:

559. — I. Clericus dominium perfectum habet bonorum *patrimonialium.* Etenim clericus est de se dominii vere capax, nec ulla lege prohibetur, quin de praedictis bonis libere disponat. Imo, jus illud in sexcentis locis juris canonici et civilis supponitur.

II. Clericus perfectum habet dominium bonorum *quasi-patrimonialium* seu *quasi-ecclesiasticorum* vel *casualium.* Ratio est, quia bona haec non sunt fructus beneficii, neque ut pretium muneris sacri, sed velut stipendium laboris extrinseci, ad quem non tenetur clericus, tribuuntur, vel etiam a fidelibus ad clerici sustentationem erogantur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 491.* — *Lugo d. 4. n. 23. etc.* — Constat etiam ex responsione S. Poenitentiariae data die 9. Aug. 1824, qua declaravit, oblationes fidelium non esse bona ecclesiastica, ut infra referetur *n. 563.*

III. Clericus fructibus bonorum *ecclesiasticorum* uti potest ad honestam sustentationem; sed omne superfluum in pauperes vel in alia pia opera(²) erogare tenetur. Ratio primi est, quia Ecclesiae ministrans de Ecclesiae bonis honeste vivere potest, siquidem ad hunc praesertim finem beneficia instituta sunt. Ratio secundi eruitur ex Ecclesiae praecepto, quod ex innumeris con-

---

(¹) Distinguuntur sic a superfluis (*n. 561. Q. 2°.*).

(²) *Debet* vero, exclusis aliis piis usibus (cf. *S. Lig., de praec. partic. n. 185.*), pauperibus distribui, si hi gravi necessitate temporali vel spirituali premuntur. De hisce late disserit *S. Lig. n. 491. Q. I. et seq.*

ciliorum et patrum testimoniis perspicuum est. *Hanc* enim *obligationem omnes Ecclesiae canones aut imponunt, aut omnibus impositam agnoscunt, qui Ecclesiae militant stipendiis*, ait *Bened. XIV., de syn. l. 7. c. 2. n. 4. 5.*

IV. Clericus perfecto gaudet dominio bonorum *parcimonialium*, adeoque de iis ut verus dominus disponere potest. Etenim clericus jus strictum habet ad honestam sustentationem; ergo, quidquid ex ea tollit parcius vivendo, sibi proprium facit ac jure servat: jus enim illud omnino absolutum est. — *S. Lig. n. 491.* — *Lessius l. 2. c. 4.* et *alii communiter.*

Quaesita:

560. — Quaer. 1° *An teneantur ad restitutionem clerici male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum?*

Resp. Neg. probabiliter, quia, quamvis constet de praecepto Ecclesiae, non tamen constat de obligatione ex justitia. Imo ex *concilio Trid.* colligi videtur, eos *facere fructus suos* cum obligatione eleemosynam de superfluo faciendi. Dicit enim concilium de clericis non residentibus: *Non faciant fructus suos.*(¹) — *Lugo* — *Billuart* — *Lessius* — *S. Thom. etc.*

Affirmant tamen *probabiliter* alii, quia clerici sunt tantum administratores et oeconomi bonorum ecclesiasticorum. — *Collet* — *Layman* — *Antoine.* — Prima sententia seu negativa, ait *S. Lig.* in *retract. Q. X.*, non minus probabilis videtur in praxi, signanter ob auctoritatem et rationem *d. Thomae 2. 2. q. 185. art. 7.*(²)

(¹) V. *sess. 24. c. 12. de ref.*

(²) Requiritur vero hic multo major quantitas ad materiam gravem, quam in furto, scilicet juxta veriorem sententiam pars vigesima incirca superfluorum. — *S. Lig. n. 491. IV.*

Peccatne graviter et ad restitutionem tenetur, qui dono accipit a beneficiario haec bona superflua, quin sit pauper?

Solutio pendebit a sententia, cui quis adhaeret. Quamdiu nempe is, qui donum accipit, est moraliter certus, donatorem *ex justitia* teneri illa bona pauperibus erogare, graviter peccabit accipiendo et ad restitutionem tenebitur juxta conscientiam suam, dummodo donator sit impotens, aliunde satisfacere obligationi, quae ipsi incumbit. Si econtra illam obligationem solummodo *religiosae obedientiae* existimat, probabilius non peccat, nisi petendo donationem vel inducendo ad eam cooperetur ad peccatum, nec ad restitutionem tenetur.

Imo etiam in dubio de obligationis specie a restitutione probabilius excusatur, si donum *bona fide* accepit et postea demum dubium supervenit; tunc enim melior est conditio possidentis: — ad partem vero probabilitati contrariae sententiae proportionatam obligabitur, si *dubius* possessionem inchoavit, dubium *deponere* non potest nec donator ipse potens sit ad restitutionem praestandam. — Cf. *S. Lig. n. 492. Q. VIII.* et infra *n. 652. 656. 2°.*

561. — Quaer. 2° *Quid intelligatur per superfluum?*

Resp. Superfluum censetur, quod honestae sustentationi superest. Porro honesta clerici sustentatio ea est, quae clerico convenit ratione sui status, dignitatis etc.; non excludit honestas recreationes, moderatas donationes et alias expensas similes. Sed haec magis arbitrio timoratae conscientiae(¹), quam generali regula determinari possunt. — *Billuart art. 5.*

Quaer. 3° *An clerici possint servare superfluum in futurum?*

Resp. Affirmative, quia *per se* non est obligatio, exeunte anno subito erogandi superflua; imo laudabiliter servari possunt ad fundationem piam, modo bona fide procedatur nec sit periculum, ne postea ad usus profanos deveniant. — *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 4.* — *S. Lig. n. 491.*(²)

(¹) attendendo praesertim ad usum aliorum timoratorum, qui sunt ejusdem conditionis et in iisdem circumstantiis.

In genere etiam solutio *debitorum* non excluditur. — Cf. *S. Lig., de praec. part. n. 182.*

(²) Hodie ex consuetudine etc. clerici de iis, quae possident, per testamentum disponere valent; ast consulant *conscientiae propriae dictamen*, ut monet *Be-*

562. — Quaer. 4° *An clericus habens ex patrimonio, unde vivat, etiam integre ex fructibus beneficii se sustentare possit?*

Resp. Affirmative cum *S. Lig. n. 491.* — *S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3.* — *Billuart diss. 3. art. 5.* et *aliis communiter* contra *paucos.* Ratio est, quia justum est, ut ille, qui laborat in Ecclesia, ab eadem sustentetur, et per accidens omnino est, quod ille dives sit aut pauper. Non igitur ratione paupertatis, sed laboris clericus ad sustentationem jus habet. Unde clericus potest patrimonio parcere, dum fructibus beneficii utitur ad sustentationem suae dignitati convenientem. Constat etiam ex verbis apostoli *1. Cor. 9. 7. et 13.: Quis militat suis stipendiis umquam? . . Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Quaer. 5° *An etiam pensionarii superfluum in pauperes erogare debeant?*

Resp. Negative, quia Summus Pontifex, justa de causa pensiones de fructibus beneficii extrahendo, jam eosdem fructus ad usus pios applicat, unde fructus isti obligationem alterius applicationis secum non ferunt. — *Lugo d. 4. n. 32.* — *S. Lig. n. 491.* (¹)

563. — Quaer. 6° *An pensio, quae in Gallia sacerdotibus a gubernio solvitur, boni ecclesiastici rationem habeat?*

Resp. Affirmative, quia ex concordato an. 1801 pensio praedicta videtur statuta in compensationem bonorum ecclesiasticorum, quae tempore perturbationis Galliae subrepta sunt. Ergo eamdem habet naturam, ac bona, quibus substituitur. Constat etiam ex variis S. Poenitentiariae responsis (¹).

564. — Quaer. 7° *An sint reputanda bona ecclesiastica etiam supplementa, quae in Gallia sacerdotibus a parochiis seu municipiis erogantur?*

Resp. Videtur affirmandum cum *Carrière n. 193.* et *aliis communius.* Ratio est, quia etiam aequivalenter proveniunt ex administratione generali gubernii, et proinde ex vi concordati inter Papam et gubernium. Etenim non tribuuntur nisi ex decreto generali gubernii *(art. org. 67.)* et ex ipsius consensu; proinde ab ipso gubernio constituta censentur et sunt veluti pars dotationis, quam promisit. — Idem *a fortiori* dicendum de pensionibus, quae canonicis a gubernio tribuuntur.

---

sed. XIV. in concordato pro regno Sabandiae. — *Scavini.*

(¹) Fructus, qui dantur ob capellaniam vel vicariam non collativam, sed ad nutum amovibilem, accensentur bonis quasi-patrimonialibus (cum non proveniant ex beneficio proprie dicto) ideoque libere de his capellanus etc. disponere potest. — *S. Lig., de praec. part. n. 184.*

(¹) 1° An salaria, quae in Belgio solvuntur a gubernio pastoribus et canonicis, induant beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum indolem, et annexam habeant obligationem inhaerentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residentiae sub poena non *faciendi fructus suos?*

Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, respondit: *Jam alias a Sancta Sede de consilio secretae Congregationis responsum fuisse affirmative.* — *Datum Romae die 16. Jan. 1819.*

2° Sacra Poenitentiaria consulta, an illa responsio applicari debeat salariis, quae pastoribus et canonicis regni Galliarum a gubernio solvuntur, respondendum censuit: *Affirmative.* — *Datum Romae in sacra Poenitentiaria die 19. Aug. 1821. (Rituel de Belley t. 1. p. 516.)*

3° An responsio pro Belgio diei 19. Januarii applicari debeat solis salariis fixis 1000 libr. pro parochis et 750 libr. pro deservientibus (cf. infra *p. 2. n. 555. Q. 14°.*), vel extendi debeat ad oblationes fidelium?

Sacra Poenitentiaria super noviter expositis respondendum censuit: *Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.* — *Datum Romae die 9. Aug. 1821. (Apud Carrière n. 194.)* — (Nota auctoris.)

Secus tamen omnino dicendum est de supplementis seu de pensione, quae tribuitur alicui clerico ex oblationibus liberis et privatis fidelium. Tunc enim ab auctoritate publica non proveniunt, nec proinde in locum bonorum ecclesiasticorum constituuntur. — Nec computandae sunt inter bona ecclesiastica pensiones, quae tribuuntur a gubernio caducis presbyteris aut religiosis e monasterio olim ejectis; sunt enim auxilia vel compensatio quaedam, bonis patrimonialibus omnino assimilanda. — *Coll. Anic. n. 115.*

Resolves:

565. — 1° Distributiones, quae fieri solent pro assistentia in choro, annumerandae sunt inter bona *quasi-patrimonialia;* quia, licet distributiones illae sint beneficii fructus, attamen non dantur immediate pro titulo, sed pro servitio personali et tamquam stipendium personae. — *Ita probabilius. — Lugo disp. 4. n. 25. — S. Lig. n. 491. I. — Salmant. etc.*

2° Idem dicendum est de juribus curialibus seu de reditibus stolae, ut ajunt, i. e. quae debentur parocho ut parocho, v. g. quae afferuntur cum pane benedicto, vel quae ipsi tribuuntur pro funeralibus, licet iis nullatenus adstiterit etc. — Ratio est, quia dantur parocho ut quoddam stipendium sui laboris et suae sollicitudinis, nec videntur fideles haec conferre Ecclesiae, sed parocho, ut sua sint sine ullo onere, cum solum suae obligationi satisfacere intendant. — *S. Lig. n. 490. et 491.*

3° Oblationes, quae fiunt in capsulis ad certum usum expositis, sunt certo ad usum illum adhibendae, nec proinde potest parochus eas sibi vindicare, quia tunc satis constat de voluntate offerentium. Idem etiam dicendum est de collectis, quae sive intra, sive extra ecclesiam ad certum finem fiunt.

4° Ex praxi satis communi, saltem nunc, solae fere oblationes, quae in ecclesia in missa ad altare fiunt, et quae pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, pro exsequiis et sepulturis aut aliis similibus functionibus specialiter parocho afferuntur, ad parochum spectant. Ceterae autem oblationes ipsis ecclesiis, altaribus aut aliis certis finibus ex consuetudine aut fidelium intentione applicari debent.

PUNCTUM IV.
De dominio auctorum.

566. — Certum est, hominem quemlibet de jure naturali jus habere in fructum suae industriae et sui ingenii. Si enim res fructificat domino, *a fortiori* illud verum est de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit. Quilibet igitur in suum commodum uti potest iis, quae suo ingenio in scientiis excogitavit.

Jus certum pariter habet homo in industriae et laboris proprii fructum in genere quolibet. Ex dictis constat. Industria enim et labor sunt quid omnino proprium. Inventor igitur artis alicujus jus strictum habet, ne quis secretum suum ipsi surripiat et ipso invito in publicum divulget; quod si fiat, damnificator pro ratione injuriae illatae ad restitutionem omnino tenetur.(1) Sed dubia varia de his occurrunt. Difficultas enim est, utrum auctor, operibus semel in lucem emissis, ea sibi propria servare et alios ab eorum usu excludere queat. Hinc

Quaesita:

567. — Quaer. 1° *An violet jus alienum, qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis edit?*

Resp. Affirmative; hoc enim juri naturali aperte repugnat. Nullum igitur dubium est, quin talis usurpator ad restitutionem et ad damnorum compensationem teneatur. Apud omnes enim constat, opus, quamdiu in lucem emissum non fuit, sub dominio

(1) Cf. *n. 471. Q. 4°. not. 1.*

auctoris vere remanere. — *Carrière n. 61.*

Quaer. 2° *Quid dicendum de eo, qui typis ederet lectiones publicas alicujus professoris vel concionem oratoris?*

Resp. Resolvendum est, ut in casu praecedente. Aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur, aliud, quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Sic judicavit tribunal appellationis Parisiense 28. Febr. 1801. — *V. Carrière n. 61.*

568. — Quaer. 3° *An ille, qui librum typis edidit, jus habeat impediendi, ne quisquam illum praelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolae, cui auctor jus suum transmisit?*

Resp. 1° *Affirmative* de jure positivo vigente in Gallia et in pleris-e aliis locis.

Resp. 2° Si agatur de jure naturali, *controvertitur. Probabilius* videtur, torem non habere jus perpetuum opus suum, quia res in communi-n tradita fit eo ipso de jure com-i. Consentaneum autem est, ut positivo aliquod privilegium au-ad certum tempus vel ad ipsius concedatur(1).

aer. 4° *An typis mandari pos-ber in regno vicino recenter us sine licentia auctoris?*

. Videtur affirmandum *proba-* quia auctor de jure naturali jus certum repetere potest, et de violato *stricto dominio* nequit. Idem dicendum de bus variarum artium. — *Ita ibid. etc.*

§. III.

acquisitione dominii.

m praecipue acquiri potest: one; 2° inventione; 3° prae-

lia ex lege 19. Julii 1793 au-opera sua vendendi, aliis ex-te vita conceditur. Eorum decennium eodem privilegio Nota auctoris.)

scriptione; 4° accessione; 5° varii contractibus, de quibus in tractatu particulari dicetur.

PUNCTUM I.

De occupatione.

569. — Occupatio est realis apprehensio rerum, quae nullius sunt. Est legitimus modus dominium acquirendi, modo adsint conditiones requisitae, scilicet: 1° ut res sit dominii privati capax, nec ullius sit; — 2° ut occupans velit eam suam facere et apprehendat; — 3° ut nulla lex occupationi obstet.

Casus frequentiores in praxi circa hanc materiam occupationem animalium respiciunt; de ea igitur sola sermo erit.

Triplicis autem generis animalia distinguuntur, scilicet animalia sylvestria, vel mansueta, vel mansuefacta. 1° Sylvestria seu fera sunt ea, quae naturali fruuntur libertate quaeque nullius subsunt dominio, uti lepores, cervi, pisces, aves etc.; 2° mansueta seu domestica sunt ea, quae naturali non gaudent libertate, quaeque hominum subsunt dominio, uti oves, equi, gallinae etc.; 3° mansuefacta sunt ea, quae ad naturalem quidem libertatem nascuntur, hominis tamen industria hac privantur ejusque dominio subjiciuntur, uti aves, quae arte et industria mansuefiunt, columbae, apes etc.

Principia:

570. — I. Animalia *sylvestria* seu *fera* fiunt *primi occupantis,* quia nullius sunt. Res enim, quae nullius sunt, de jure naturali licite occupantur et proinde fiunt primi occupantis, saltem nisi aliqua lex positiva id prohibeat.

Attamen si animalia ita occupantis oculos aut conspectum effugerint, ut difficilis evadat eorum prosecutio, *alterius occupantis* fiunt, quia naturalem suam libertatem recuperasse censentur ac proinde in pristino statu reponuntur, sicque rebus communibus, quae nullius sunt, iterum adnumerantur. — *Lugo d. 6. n. 41.*

II. Animalia ex natura sua *sylvestria,* sed *mansuefacta,* prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint aut consuetudinem revertendi non amiserint; ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. Sic insuper omnia jura statuunt. — At vero, si custodiam domini evaserint aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam primam naturam recuperarunt. Sic *jus romanum et gallicum.*

III. Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quantumvis aberrent, unde non possunt ab alio occupari(1). Ratio est, quia animalia domestica numquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habeant. Quoad illa igitur occupationi locus numquam dari potest.(2)

Quaesita:

571. — Quaer. 1° *An et quomodo peccet, qui venatur aut piscatur contra legis prohibitionem?*(3)

Resp. I^a Sententia *probabilis negat,* eum peccare contra justitiam vel etiam contra obedientiam, quia ex consuetudine et communi hominum aestimatione lex illa omnino poenalis videtur. Sic *Roncaglia tr. 13. c. 3. — S. Lig., de leg. n. 145. etc.*

II^a Sententia etiam *probabilis* tenet, illum peccare tantum venialiter contra obedientiam, minime autem contra justitiam. Etenim 1° *peccat contra obedientiam,* quia semper obtemperandum est principi justa de causa praecipienti; 2° *non peccat contra justitiam,* quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant praedae acquisitionem; 3° *peccat venialiter* tantum *per se,* quia generatim talis violatio legis non videtur graviter noxia neque reipublicae, quae magnum detrimentum inde non patitur, neque privatis, in quorum fundo fit venatio. — *Lugo disp. 6. n. 64. et seq. — Bouvier, de just. c. 2. — Carrière n. 301. — Lyonnet etc.*

Nota: Datur etiam tertia sententia paucorum, qui dicunt, venantem, prohibente lege, peccare graviter tum contra obedientiam, tum contra justitiam; sed ut improbabilis rejicienda est.

572. — Quaer. 2° *An peccet contra justitiam* commutativam, *qui venatur aut piscatur in fundo alterius absque ejus licentia?*

Resp. 1° *Negative,* si fundus ille sit pervius; nullum enim peccatum committitur, nisi ex hoc damnum provenerit, quia ferae minime ut fructus fundi habendae sunt.

Resp. 2° *Affirmative,* si fundus sit omnino clausus, ita ut ferae non possint inde exire, quia eae tunc censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere.

Quaer. 3° *An dominus fundi*(1) *accipere possit praedam ab alio occisam, vel impedire, ne ab illo capiatur?*

Resp. Negative ad utrumque, quia, quamvis dominus habeat jus impediendi, ne alter venetur in suo fundo, fera tamen occisa ad occisorem pertinet. Dominus autem habet jus ad compensationem pro damno a venatore illato. — *Lugo ib. n. 70.*

573. — Quaer. 4° *Cujus sit fera laesa vel laqueo capta?*

Resp. ad 1um. Est vulnerantis, si laeserit illam, quantum satis est ad ipsam capiendam, et sit moraliter cer-

(1) et fructus ex occupatis forte percepti (v. gr. ova etc.) restituendi sunt. Cf. infra *n. 591. not. 1.*

* (2) Consonat jus austriacum.

(3) Distingue obligationes enascentes ex simplici prohibitione venationis etc. per legem civilem *(n. 571. Q. 1°.)* ab iis, quae urgent ex jure naturali respectu proprietarii fundi, ubi quis venatur *(n. 572. Q. 2°. et 3°.),* et ab illis, quae oriuntur ex jure venandi etc. exclusive alicui concesso *(n. 574. 4°.).*

(1) non clausi —

tus, eamdem se facile apprehensurum; sic enim eam moraliter jam apprehendit. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 71.* — *Lugo* — *Collet.*

Resp. ad 2um. Est ejus, qui laqueum posuit, si fera ita laqueo capta sit, ut non sit evasura, quia per ipsum instrumentum occupatur. — *S. Lig. n. 604.*

Quaer. 5° *An quis occidere possit columbas alienas agro suo nocentes?*

Resp. 1° *Negative,* si non inferant damnum grave vel si facile abigi possint. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Affirmative* juxta communem sententiam, si *graviter* noceant, quia licet unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde pro altero sequatur *indirecte* damnum aequale damno, quod vult *directe* a seipso avertere. Columbae autem non praesumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum. — *Lugo* — *Billuart* — *Elbel.*

Quaer. 6° *Si quis extrahat alterius ovem ex ore lupi, utrum eam sibi propriam facere possit?*

Resp. Negative, quia ovis etiam in ore lupi *clamat domino,* i. e. pergit esse res ejusdem domini, etsi pro eo sit certo amittenda, nisi ab alio salvetur. Idem dicendum est de eo, qui rem quamlibet extraheret ex incensa domo, ubi certo esset peritura. Attamen, si damnum aliquod passus fuisset, hujus compensationem exigere posset, nisi damnum rei valorem superaret.

Resolves:

574. — 1° Examen apum, quod ex alveo tuo evolaverit, eo usque tuum est, quamdiu in conspectu tuo remanet nec difficilis tibi evasit ipsius prosecutio. Aliter fit primi occupantis. Ex jure gallico pertinet ad dominum fundi, in quo stetit.(¹)

2° Columbae fugientes proprio motu, quin fraude attractae sint, fiunt ejus, in cujus columbarium veniunt. Secus, si fraude, v. g. cibo omnino extraordinario seu valde exquisito, attractae fuerint. *(C. C. 564.)* — *Lugo d. 6. n. 42. etc.*

3° Venator egrediens terminos suos ad loca vicina aliorum non peccat ordinarie, quia vicini proprietarii hoc sciunt ipsique vicissim idem faciunt, contenti mulcta, si quis deprehendatur(¹). — *Reuter.*

4° Qui a gubernio emit jus piscandi, non potest jure isto privari sine injustitia. Unde teneretur ad damnum illatum compensandum, qui tantam piscium multitudinem in flumine, praedicto emptori assignato, caperet vel destrueret, ut ipsius jus piscationis notabiliter laederet; secus tamen, si paucos pisces caperet, quia jus locatarii non inde vilius redderetur, nec hic in singulos pisces jus strictum habet, cum e loco isto exire valeant vel ibi non certo sint capiendi.(²)

° (¹) **Principia juris austriaci.** Examina apum domesticarum et cetera animalia mansuefacta non possunt libera

dies, animalia vero mansuefacta per quadraginta duos ab heri domo extra ejus fundum absint, quin dominus intra hoc temporis spatium ea vel repetierit, vel insecutus fuerit: quo casu, si in fundo publico reperiantur, primi fiunt occupantis; si vero in fundo privato diversentur, dum ibi manent, jus occupandi ad solum dominum fundi pertinet. *(C. A. 384.)*

(¹) dummodo hae conditiones in regione, ubi quis versatur, verificentur.

(²) Gubernium in Gallia locat jus piscandi in fluminibus navigabilibus. In ceteris pertinet jus illud ad proprietarios adjacentes. Ubique tamen linea projectili piscari licet. — (Nota auctoris.)

Consentiunt fere auctores in statuendo sequenti principio: Si cui legitime concessum est jus exclusivum venandi, piscandi etc. in aliquo loco etiam non clauso, is, qui contra prohibitionem ibi venatur etc., peccat contra justitiam ideoque tenetur ad restitutionem non quidem ferae captae vel simpliciter pretii ejusdem, utique autem pretii ex arbitrio prudentum correspondentis damno, quod intulit, minuendo v. g. pro domino spem, majorem numerum ferarum capiendi etc. Communiter autem existimant, unam alteramve fe-

PUNCTUM II.
De inventione.

575. — Quadruplicis generis distinguuntur bona, quae inveniri possunt, scilicet: *thesauri, — res nuper amissae, — bona derelicta, — et bona vacantia.*

Thesaurus ex jure romano est summa pecuniae in terra abscondita, cujus memoria non exstat. — Attamen ex communi interpretatione nomine thesauri veniunt etiam aliae res pretio aestimabiles, quae infossae reperiuntur. — Ex jure autem gallico thesaurus est res quaecumque abscondita vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quae casu invenitur.

Res amissae eae dicuntur, quae a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt, quia non sunt absconditae neque infossae, sed ordinarie sunt recenter perditae.

Bona derelicta ea sunt, quae dominus abjecit intentione, illa non amplius possidendi. Bona autem vacantia dicuntur ea, quae a moriente absque testamento et haeredibus relinquuntur.

Principia:

576. — I. Thesaurus in *proprio* inventoris *fundo* repertus totus est inventoris. Thesaurus vero in alterius fundo inventus ex jure positivo (quidquid sit de jure naturali) (1) inter proprietarium fundi et inventorem aeque dividi debet, si fortuito repertus sit (2); si autem ex industria, proprietario fundi totus cedere debet. — *Ita jus romanum et gallicum.* — Thesaurus autem in loco publico inventus dividi debet inter inventorem et fiscum, si locus sit *profanus,* vel inter inventorem et fabricam aut praelatum, si locus habeatur ut *sacer.* Sic *de jure romano.* Sic etiam supponere videtur jus gallicum, quia locus publicus revera ad aliquem dominum pertinet, nempe ad rempublicam vel municipium vel ecclesiam. — *Gousset, Code commenté art. 716.*

II. Res nuper amissae domino, si inveniatur, reddi debent (1), quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum. Etenim ex axiomate ab omnibus recepto *ad retinendum sufficit sola intentio; ad occupandum autem realis apprehensio cum intentione legitima habendi requiritur.* Nemo autem habere potest intentionem legitimam accipiendi vel retinendi pro se rem, quam scit ad alium dominum cognitum pertinere, sed eam ipsi restituere debet. Hinc effatum: *Res clamat domino.*

III. Bona derelicta et vacantia de jure naturali *primi occupantis* fiunt. Etenim nullum amplius dominum habent, ideoque in communitate negativa versantur haud secus ac ea, quae numquam dominum habuerunt. — *Ita communissime theologi.* (2) — De jure

---

sum, ita ut attingat culpam mortalem. — Cf. *S. Lig., de 7. praec. dec., not. ad n. 605. appositam in edit. Ratisbon. — Reiffenstuel, theol. mor. tract. 7. dist. 5. n. 16—20.*

(1) Si attendamus ad *solum* jus naturae, thesaurus ad inventorem spectabit, quia non habetur ut pars loci, ideoque fit primi occupantis. — *Scav.*

(2) Censent fere omnes, hanc dispositionem juris civilis, ubi habetur, etiam ante sententiam judicis in conscientia obligare; negant autem communiter, non dimidium, sed *totum* ante sententiam domino tradi debere, si thesaurus quaesitus fuerit ex industria. — *S. Lig. n. 602.*

Quinam vero censendi sint domini fundi, ex legibus civilibus variarum regionum definito.

(1) Ad hunc finem *saltem ex caritate* diligentia sufficiens, proportionata scil. valori rei inventae, adhibenda est, v. g. interrogando, publicando etc., qua in re etiam ratio habenda est legum particularium. Plurimi theologi autem eum, qui debitam disquisitionem omittit, valde suspectum habent etiam *injustitiae;* imo haec indubia est, si res perdita eo, quo inventor eam apprehendit, difficilior inventu reddatur. — *Scav.* cum *Lyonnet.*

(2) Uvae, spicae etc. fructibus jam colectis remanentes, item in genere fundi etc. ferme ubique ex consuetudine habetur ut bona derelicta, quo in casu colligere sine laesione juris alieni fas est

autem positivo apud varias gentes communiter reipublicae tribuuntur *(C. C. 539.)*. Hoc tamen ex consuetudine ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante judicis sententiam. — *Carrière n. 285. et 343. juxta varios jurisperitos.* (1)

---

* (1) Principia juris austriaci.

I. Thesauri nomine veniunt res pretiosae ac vetustae, quarum dominus inveniri non potest. Thesaurus duas in partes dispertiri debet ex recentiore dispositione anno 1846 edita, quarum una domino fundi, altera est danda inventori, nisi inventor ad id conductus fuerit, ut thesaurum effodiat, vel illicitis artibus domino inscio aut invito eum quaesiverit: quo in casu dimidia pars, quae ad illum spectat, denuntianti vel, hoc deficiente, domino fundi est tribuenda. Si vero fundi dominium directum ad unum, dominium utile ad alterum spectet, tunc dimidia pars inter eos dividenda. *(C. A. 398—400.)*

Hoc jus non competit nec usufructuario *(C. A. 511.)*, cum non sit dominus fundi; neque conductori *(C. A. 1147.)*; neque possessori fideicommissario *(C. A. 631)*; neque emptori fundi, in quo ante traditionem detectus fuerit thesaurus, quia nulla acquiritur proprietas, nisi per traditionem. *(C. A. 425.)* In dubio autem de rei inventae vetustate inventor est habendus ut inventor rei amissae.

II. De rebus inventis sic statuit codex: Vel res inventa unius floreni summam excedit, vel duodecim, vel viginti quinque. Si *primum*, ter ex more hujusmodi publicetur inventio. Si *secundum*, ter item promulgetur, et insuper ad praeturam deferatur unaque vice exprimatur in ephemeride. Si *tertium*, ter itidem publicetur, ad praeturam deferatur et insuper trina vice exprimatur in ephemeride. His peractis, nisi dominus intra triennium apparet, res inventa fit inventoris. Si apparet, est ei reddenda; sed tamen inventor decem florenos pro singulis centenis exigere potest: quod si hujusmodi praemium mille attingit florenos, nihil dein supra exigi potest, nisi quinque pro centenis. Haec lex ad bonum commune facta est, ut res inventae facilius ad dominum perveniant: spe enim praemii ac rediendae rei post lapsum legitimum tempus inventores ad omnes vias persequendas, quae a lege praescribuntur, ut dominum inveniatur, facilius excitantur. *(C. A. 389. et seq.)*

De rebus parvi momenti autem nil per legem statuitur.

Quaesita:

577. — Quaer. 1° *An, qui suspicans, in agro esse thesaurum, agrum emit communi pretio, thesaurum inventum totum sibi retinere possit?*

Resp. Affirmative, quia thesaurus ille, cum non sit pars nec fructus fundi, non auget illius valorem.

Quaer. 2° *An opifex in domo aliqua laborando, si inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniae, illius partem retinere possit?*

Resp. Distingue. Si adsint vestigia, ex quibus judicetur, pecuniam hanc esse talis personae vel familiae, tota reddi debet, quia pecunia haec reputanda est ut bonum nuper amissum; secus dimidiam partem sibi retinere potest, quia tunc ratio thesauri haberi videtur.

578. — Quaer. 3° *An inventor rei amissae eam sibi retinere valeat, si diligentia sufficienti adhibita dominus non compareat nec sit spes ulla*(1), *eum inveniendi?*

Resp. Ia Sententia *negat* et tenet, rem inventam tunc esse pauperibus vel aliis usibus piis impendendam. Ratio est, quia dominus solo amissionis facto jus in rem suam non amisit. Si autem remaneat dominus, res illa impendi debet eo modo, cui potius consentire praesumitur. Porro voluntas haec sane praesumenda est, ut res ipsi modo utiliori impendatur, et consequenter, ut in pia opera erogetur. — *Roncaglia q. 6. — Billuart diss. 4. art. 2. §. 6. — Collet — Habert etc.*

III. Bona derelicta seu quae eo animo ejiciuntur, quod quis ea habere nolit, vel vacantia seu relicta ab intestato non habente haeredes jure naturali sunt primi occupantis, quia nullius sunt. Sed vacantia bona ex jure austriaco ad fiscum pertinent. *(C. A. 760.)*

(1) Si enim, adhibita jam diligentia sufficienti, aliqua spes adhuc supersit inveniendi dominum, tunc ei conservanda est res vel ejus pretium et, si neutrum fieri potest, objectum in pios usus elargiendum. — V. *S. Lig. n. 603.* et *num. seq. R. 2°.*

II^a Sententia *probabilior affirmat.* Ratio est: 1° quia res illa tunc pro derelicta habenda est. Etenim in hypothesi dominus, licet dominium *metaphysicum* non amiserit in rem suam, amisit tamen dominium *morale,* consistens in facultate, utendi re sua et de ea disponendi. Ergo res illa moraliter ut derelicta habenda est; ergo *primi occupantis* fieri potest. — 2° Nec adeo certa est voluntas domini praesumpta, quam supponunt adversarii. Imo, generatim loquendo omnino hujusmodi voluntas gratuito supponitur. — *Ita S. Lig. n. 603.,* ubi dicit, esse sententiam *veriorem.* — *Lugo disp. 6. n. 140. et seq.* — *Lacroix l. 3. p. 2. n. 89.* — *Elbel n. 171. etc.*

579. — Quaer. 4° *Quid agendum, si tandem dominus compareat, quando res fuit in pios usus impensa vel consumpta?*

Resp. 1° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit in iis circumstantiis, in quibus dominus amplius non poterat inveniri, nulla facienda est restitutio, quia res pro derelicta habebatur et proinde a primo occupante fuit legitime acquisita.

Resp. 2° Si in pios usus impensa vel consumpta fuit, cum adhuc spes affulgebat inveniendi dominum, res erat conservanda, vel ejus pretium (dum enim ejusmodi spes adhuc perseverat, dominium manet penes dominum), ideoque damnum est reparandum. Excipe: si pauper aut locus pius bona fide rem jam praescripserit, quia virtute praescriptionis tunc dominium irrevocabile vere acquirit(¹). — *S. Lig. n. 590. 603.; Hom. apost. tr. 10. n. 69.*

(¹) vel si res bona fide tamquam propria accepta penes eosdem neque in aequivalenti exsistat *(Scav.),* vel tandem, ut censeo, si neque res conservari, neque pretium pro eadem acquiri potuit. Hae exceptiones tamen ab onere restitutionis non liberant per se inventorem ipsum, qui rem istam *ante adhibitam diligentiam debitam* pauperibus distribuit. — *S. Lig. n. 589.* — Cf. etiam infra *n. 586. 654.*

PUNCTUM III.
De praescriptione.

580. — Praescriptio est ratio acquirendi dominium seu jus aliquod positivum aut se liberandi ab aliqua obligatione per certum temporis lapsum, positis conditionibus a lege praefixis.(¹) *(C. C. 2219.)*

Hinc duplex distinguenda est praescriptio: altera *acquisitiva,* per quam res aliqua aut jus aliquod acquiritur; altera *liberativa,* quae ab aliqua servitute vel aliquo onere liberat.

Principia:

581. — I. Lex humana potest vi praescriptionis dominium rerum ab uno ad alium transferre, etiam sine domini consensu. Talis enim translatio valde utilis, imo moraliter necessaria est ad bonum commune societatis, siquidem requiritur ad praecavendas vel dirimendas lites, quae alioquin saepius orirentur ex incerto possessionis jure. Aliunde aequitati naturali non repugnat, cum ante omnem eventum lex constituta sit et hoc ipso omnibus et singulis parem lucri damnive sortem exhibeat. — *Ita generatim canonistae et theologi, Gousset, Bouvier etc.*

II. — Praescriptio debitis vestita conditionibus transfert dominium in conscientia. Constat ex sensu genuino verborum, quibus lex fertur: dicitur enim *dominium transferri, acquiri* etc. Aliunde auctoritas humana finem intentum, nempe publicam securitatem et conscientiarum pacem, imperfecte obtineret. Constat insuper ex jure canonico, quod vim praescriptionis in foro interno agnoscit. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 517.*

(¹) Cum ergo praescriptio inducatur per legem positivam, maxime legum particularium ratio habenda est. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 504.* Censet vero [illegible] auctor *(l. c. n. 517.),* posse aliquem bona[illegible] uti in foro conscientiae saltem ante sententiam judicis praescriptione de jure communi (romano), licet leges particulares [illegible]lius regionis eamdem non statuant, dummodo eam non expresse abrogaverint.

III. — Quinque haec ad legitime praescribendum requiruntur, scilicet: res praescriptibilis, possessio per tempus requisitum, titulus, bona fides. Hinc vulgares versiculi:

Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides bona sit, titulus quoque justus,
Possideas juste completo tempore legis. (1)

Perpauca de singulis dicemus.

I. Res praescriptibilis.

582. — Ea omnia et sola generatim praescribuntur, quae sub commercio privato veniunt et ad quorum acquisitionem dari potest titulus legitimus. (C. C. 2226.) — Etenim, cum finis praescriptionis sit, dominium transferre ex auctoritate legis, talis translatio fieri nequit de re, quae ex natura sua vel ex legis dispositione in commercium privatorum venire non potest. — Hinc res sacrae, ut ecclesiae, coemeteria, jura ecclesiastica(2), necnon ea, quae sunt dominii publici stricte sumpti, ut plateae etc., praescribi nequeunt.(3)

II. Possessio.(1)

Possessio dicitur detentio rei nomine proprio, vel juris alicujus exercitium. (2) Haec possessio requiritur ad praescribendum. Constat ex jure civili tum romano, tum gallico. Accedit probatio etiam ex jure can. deprompta. Sic enim jacet regula 3ª juris in 6°: *Sine possessione praescriptio non procedit.*

Variis autem conditionibus gaudere debet possessio. Debet enim esse 1° *dominativa,* seu haberi animo proprietarii, non vero depositarii etc.; — 2° *publica,* i. e. non clandestina, ita ut potuerit innotescere ei, contra quem praescribitur; — 3° *placida,* i. e. quemlibet violentiae actum excludere; — 4° *certa,* i. e. non *aequivoca*(3); — 5° *continuata* seu *non interrupta,* donec tempus requisitum compleatur.

III. Titulus.

583. — Titulus dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. g. emptio, donatio etc.(4)

---

(1) Possunt autem omnes praescribere, qui sunt capaces acquirendi dominium: hinc etiam communitates. Nemo tamen contra seipsum praescribit. — *Scav.*

(2) Res sacrae scil. *a laicis* praescribi nequeunt. — Cf. *Reiffenstuel, jus canon. l. 2. tit. 26. n. 32. et seq.*

* (3) Vide *C. A. 1455. et seq.*

Nec jura usucapi possunt, quae ex actibus simpliciter facultativis pendent. Hinc, licet noster vicinus altius suam non attollat domum, naturalem tamen facultatem eam altius attollendi non amisit, hisce tantum duobus casibus exceptis, nempe 1° si concurrente prohibitione vel contradictione alter non resistat, et tunc usucapionis tempus (aliis concurrentibus conditionibus ad usucapiendum) non a prohibitionis die computari debet, sed a die, quo alter acquievit *(C. A. 1459.)*; 2° si lex expresse juris amissionem declaret in eos, qui proprium non exercent jus contra tertium intra constitutum a lege tempus, ut contingit in praescriptione proprie dicta. Hinc, qui transeundi jus habet per alterius agrum, si triginta annorum spatio hujusmodi jus exercere omiserit, suum amittit jus *(C. A. 1479.)*; quinimo, si ex altera parte prohibitio accederet, ipso non obsistente solo triennio jus servitutis amitteret. *(C. A. 1488.)*

* (1) Possessio ea dicitur, qua quis rem praesentem vel absentem proprio nomine tamquam suam retinet. Hinc tutores, depositarii, usufructuarii, commodatarii, qui nomine alterius detinent rem, nullo umquam temporis lapsu, etiam 30 vel 40 annorum, rem usucapiunt *(C. A. 1460.)*; ac idem est de eorum haeredibus, quia personam defuncti repraesentant in omnibus juribus *(C. A. 1462.)*. Hujusmodi autem possessio debet esse 1° legitima seu valido titulo niti debet v. g. emptionis, legati; 2° bonae fidei; 3° non vitiosa, uti esset, si quis vi, dolo, clam, precario possessionem adeat.

(2) Etiam simplex actualis possessio per se saltem pro foro externo aliqua jura tribuit; *melior est enim conditio possidentis.* Ut autem praescriptionem pariat, conditiones a lege requisitas ipsi accedere necesse est.

(3) sive dubia —

(4) Distingue autem titulum *verum,* qui nullo vitio laborat; *coloratum,* qui occulta laborat nullitate; *existimatum,* qui prudenter creditur interfuisse, licet de facto non interfuerit (cf. *p. 2. n. 548.*);

Non requiritur quidem *titulus verus,* ut patet (tunc enim possessor praescriptione non indigeret ad rem acquirendam), sed *coloratus,* i. e. qui prae se speciem veri tituli ferat, licet in se sit falsus(1). — Pro praescriptione triginta annorum nullus requiritur titulus, sed sola possessio sufficit *(etiam in conscientia, modo adsit bona fides),* seu potius tunc habetur titulus praesumptus in ipso facto possessionis placidae per tantum temporis intervallum.

Nota 1° Ex jure gallico nullus requiritur titulus pro rebus mobilibus praescribendis. Hinc effatum: *Pro mobilibus possessio titulo aequivalet (C. C. 2279.).* Unde, qui rem detinet, ejus dominus censetur, nisi contrarium probetur.

Nota 2° Titulus precarius, qualis est titulus depositarii, locatarii etc., ad praescribendum non sufficit, quia cum eo dominium transferri non potest. Possessor enim rei eam ut dominus non tenet. Imo titulus ille etiam praescriptioni tricenariae obstat. Hinc axioma: *Melius est non habere titulum, quam habere vitiosum.* Attamen illi, qui rem a locatariis vel depositariis titulo proprietatis translativo bona fide accepissent, eam vi praescriptionis retinere valerent.

---

praesumptum, si quidem titulus certus allegari nequit, sed ob temporis diuturnitatem praesumitur; tandem *vitiosum,* qui caret aliqua conditione a lege requisita. Non potest ad praescriptionem legitimam allegari titulus vitiosus, sufficit vero coloratus, existimatus et in genere 30 saltem annis elapsis etiam praesumptus. — *Scav.* — *S. Lig. n. 505.* — *Lacroix, de rest. n. 496. et seq.*

* (1) Pro praescriptione 30 vel 40 annorum haud est obligatio proferendi titulum, quia praesumitur; difficulter enim cognosci potest, qua ratione possessio coeperit. *(C. A. 1477.)* Si testatores titulo carent, hoc quoque (ut dictum est) carent haeredes, quum ipsi personam defuncti repraesentent in omnibus juribus *(C. A. 1462.);* idcirco, si pars adversaria probet, numquam titulum exstitisse, haeres numquam etiam longo elapso tempore usucapere potest; praesumptio enim cedere debet veritati. Econtra tertius possessor, qui legitimo modo, uti v. g. emptione, ab haerede rem acquisivit, usucapere quidem potest et a possessionis die incipit. *(C. A. ibid.)*

IV. Tempus(1) *requisitum.*(2)

584. — I. Quoad praescriptionem *acquisitivam:*

---

(1) Dividunt tempus quoad praescriptionem in *breve,* quod est infra 10 annos; in *longum,* complectens inter praesentes saltem 10, inter absentes saltem 20 annos; in *longissimum,* quod est saltem 30 annorum, et in *immemoriale,* cujus origo memoriam excessit. — *Lugo d. 7. n. 68.* — *Lacroix l. 3. p. 2. n. 519.* Discrepant vero quandoque jura recentiora.

* (2) Regulariter loquendo tempus *ordinarium* in rebus mobilibus est triennium *(C. A. 1466.);* *extraordinarium,* quod conceditur iis, qui difficilius propria jura cognoscere queunt, est sexennium: in rebus vero immobilibus idem esset dicendum, si res immobiles in publicis tabulis essent inscriptae; sed quum nondum hujusmodi tabulae in more sint positae, tempus *ordinarium* rerum immobilium ad 30 annos *(C. A. 1468.),* *extraordinarium* ad 40 extenditur. Dum res de uno transit in alterum, in usucapione etiam anterioris possessionis tempus computari potest, si ipse in bona fide titulo legitimo possidebat. *(C. A. 1493.)*

Ut vero ad species descendamus, ad res mobiles communitatis, Ecclesiae, piorum locorum usucapiendas sexennium requiritur *(C. A. 1472. 1473.),* quod sexennium quoque requiritur ad usucapiendam rem mobilem a possessore vitioso, ut a fure, acquisitam. *(C. A. 1476.)*

Ad res vero immobiles communitatis ac piorum locorum et Ecclesiae usucapiendas 40 annorum spatium exigitur. *(C. A. 1472.)* Ad usucapiendum jus, quod raro exerceri potest, ut jus conferendi beneficium, vel alium obstringendi ad reficiendum pontem, necesse est probare, aliquem per ternas vices illud contulisse beneficium, refecisse pontem 30 annorum spatio, et tunc praescriptio initium sumit a die, quo primo illud exercuit jus. *(C. A. 1471.)*

Ad usucapiendum fideicommissum requiritur 40 annorum spatium. *(C. A. 1474.)*

Nota. Pro absentibus absque culpa unus annus computatur ut semestris spatium, dummodo saltem absint per integrum annum, quod tempus tali modo acceptum ultra 30 annos minime extendi debet. *(C. A. 1475.)*

Similia ibidem de tempore ad praescriptionem liberativam seu exstinctivam necessario sanciuntur. *(C. A. 1478. et seq.)* Ex. gr. jura impugnandi testamentum, exigendi legitimam portionem aut ipsius supplementum, revocandi donationem da

1° Pro rebus *immobilibus* sine titulo possessis requiruntur triginta anni ad praescribendum. — Cum titulo autem decem anni requiruntur, si verus dominus sit praesens, i. e. si habitet in eadem provincia, in qua situs est fundus praescriptioni obnoxius: secus viginti anni requiruntur. Haec autem provincia legibus particularibus determinatur.

Nota: In Gallia praesens dicitur verus dominus, si domicilium habeat in loco subjecto eidem curiae superiori *(cour d'appel)*, in cujus territorio fundus jacet.

2° Omnes actiones tam reales, quam personales per 30 annos absque titulo praescribuntur *(C. C. 2262.)*.

3° Servitutes *activae*, si sint continuae et apparentes, praescribuntur cum titulo sicut immobilia, et sine titulo per 30 annos. Servitutes autem *activae non apparentes* praescriptioni non sunt obnoxiae absque titulo. Dicuntur autem *non apparentes* eae, quae *per se* non patent, v. g. prohibitio in tali fundo aedificandi, vel aedificium ultra talem altitudinem extollendi *(C. C. 690. 691.)* — An vero cum titulo praescribi possint decem vel viginti annis, ut immobilia? *Controvertitur.*

4° Pro rebus *mobilibus* ex jure romano requiruntur tres anni cum titulo, triginta vero sine titulo: — ex jure autem gallico tres anni sine titulo quoad res amissas et furtivas; quoad ceteras vero sola possessio sufficit *(2279.)*.

Nota 1° Ex jure romano et canonico requiruntur 40 anni ad praescribenda bona ecclesiastica, et 100 pro bonis Ecclesiae Romanae seu S. Joannis Lateranensis. Jus autem gallicum bona ecclesiastica ab aliis non distinguit. — Cf. *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 507. et seq.*

Nota 2° Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad praescribendum computare potest omne tempus, quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando praescriptionis tempus completur.

II. Quoad praescriptionem *liberativam:*

1° Servitutes *passivae*, census et omnia debita exstinguuntur post triginta annos, supposita bona fide. — *S. Lig. n. 513.* — *Lugo etc.* — *(C. C. 2262.)*

2° Ex jure gallico speciatim quinque anni sufficiunt ad praescribendum pensiones ex censibus debitas, pensiones alimentarias, pretium locationis domorum vel praediorum et quidquid quotannis vel post tempus brevius solvendum est. *(2277.)* — Sunt etiam aliae praescriptiones breviores: sic v. g. sex menses tantum requiruntur pro stipendiis operariorum, hospitum etc.; — unus annus pro stipendiis medicorum, famulorum etc.; — duo anni pro stipendiis procuratorum, causa finita. — *(2271. et seq.)*

Quaesita:

585. — Quaer. 1° *Quandonam praescriptio dicatur interrupta?*(1)

Resp. Quando ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest: 1° *naturaliter*, si praescribens amittat possessionem per tempus anno integro majus, aut si mala fides superveniat; 2° *civiliter*, si lis moveatur *juridice* circa possessionem, nec interpellatio a judice

---

tatarii ingratitudine, rescindendi contractum onerosum causa laesionis ultra dimidium, aut impugnandi rei communis divisionem jam factam, aut actionem causa doloris vel erroris, qui in contractum irrepserit, in quo alterius partis contrahentis dolus non intervenerit, intra triennium sunt promovenda. Haec triennio elapso praescribuntur. *(C. A. 1487.)*

* (1) Interrumpitur praescriptio, si debitor ante tempus ad praescribendum necessarium expresse vel tacite suum debitum seu obligationem ac jus alienum fateatur: vel cum ille, ad quem jus pertinet, coram judice competente litem instituit ac victor evasit; si enim in judicio victus fuerit, alter potius suum confirmat jus, siquidem id commodi consequitur, ut tutius in sua permaneat possessione et proprietatis praescriptio ipsi faveat. *(C. A. 1497.)*

rejecta fuerit. — *Sic jus romanum et gallicum.*

Quaer. 2° *Quandonam dicatur praescriptio suspensa?*(¹)

Resp. Quando impedimentum ei objicitur, ne procedat ulterius, scilicet 1° dum judicia exerceri nequeunt, v. g. tempore pestis, belli; — 2° contra ecclesiam, dum caret rectore aut superiore; — 3° contra pupillos toto tempore, quo pupilli remanent; — 4° contra quemlibet, qui jus suum prosequi nequit. — *Sic varia jura.*(¹)

586. — Quaer. 3°(²) *An valeant in conscientia praescriptiones trium annorum pro rebus mobilibus furtivis et inventis?*(³)

Resp. Affirm. probabilius, modo adsint ceterae conditiones ad praescriptionem requisitae. Etenim lex illa est omnino justa et bonum commune respicit. — *Ita communius.*

Nequit autem bona fides supponi in ipso fure, sed tantum in ejus successore, v. g. in emptore, donatario etc. (⁴)

587. — Quaer. 4° *An cetera mobilia praescribi possint in conscientia*

---

* (¹) Causae, quae praescriptionem impediunt, aliae sunt ex parte *personarum,* et aliae ex parte *causae externae.*

I. Ex parte *personarum* dormit praescriptio 1° cum iis, qui mentis defectu propria jura tueri nequeunt, juxta illud juris axioma: *„Non valenti agere non currit praescriptio.“* Hujusmodi sunt pupilli, mente capti ac imbecilles, contra quos suspenditur praescriptio eo tempore, quo nondum legitimus ipsis defensor fuerit constitutus. Attamen, si praescriptio inceperit, antequam mente capti aut imbecilles declarati fuerint, praescriptio eo quoque tempore decurrit, quo isti carent defensoribus; sed ad praescribendum decurrere debet biennium, postquam impedimentum fuerit sublatum vel defensor constitutus. *(C. A. 1494.)*

Hoc jure minime gaudent prodigi, quatenus isti, quamvis praedictis assimilentur ex eo, quod propria consumunt bona, tamen invigilare queunt propriis rebus suaque jura tueri. (Ita *Castelli, Zeiller,* continuator *Tationii.)*

2° Ex parte personarum dormit praescriptio inter conjuges, permanente connubii vinculo; dormit inter filios ac genitores, inter minores ac tutores permanente patria potestate ac tutela, adeo ut ipsa nec incipere, nec pergere queat: attamen, si praescriptio ante hujusmodi impedimentum coeperit, ipsa sublato jam impedimento, i. e. soluto connubii vinculo vel filiis e paterna aut tutoris manu liberatis, incipi aut continuari potest. *(C. A. 1495.)*

3° Ex parte personarum dormit praescriptio contra absentes reipublicae causa sive in re militari, sive civili, toto tempore, quo absunt, adeo ut nec ipsa initium sumere, nec incepta eo decurrente tempore perseverare queat. *(C. A. 1496.)*

II. Ex parte *causae externae:* si justitiae administratio clausis tribunalibus omnino suspenditur, adeo ut privatus suum nequeat tueri jus, juxta illud axioma, quod hic quoque accomodari potest: *„Non valenti agere non currit praescriptio.“* Idcirco hoc loco dicenda sunt, quae de absentibus reipublicae causa dicta fuere.

(¹) Juxta pleraque jura enumeratae suspensiones nequeunt opponi possessori 60 annorum. — *Scav.*

(²) Haec et sequentes quaestiones pertinent ad praescriptiones quasdam alicubi obtinentes (cf. *n. 584. I. et II.),* de quibus dubium moveri potest, an etiam pro foro conscientiae valeant.

* (³) 1° *Affirm.* de rebus furtivis, si adsint conditiones a cod. Austr. praescriptae. Bona autem fides supponi nequit in ipso fure, sed tantum in ejus successore, v. g. in donatario, emptore: requiritur insuper sexennium juxta alias dicta. *(C. A. 1476.)*

2° *Affirm.* de rebus inventis, adhibita requisita diligentia *(C. A. 392.),* ut dictum est.

(⁴) *Quid vero quoad res inventas? — R.* Juxta sententiam *S. Lig. aliorumque* supra *n. 578.* relatam inventor ad dominium acquirendum non indiget praescriptione, si diligentiam sufficientem adhibuit et jam nulla est spes, inveniendi dominum. Si vero spes adhuc subest, juxta *Reuter, Gury (Casus consc. p. 1. n. 545.)* etc. contra alios, ut videtur (v. g. *Elbel n. 171.),* non valet illa praescriptio pro conscientia, cum in inventore desit bona fides, quae ex dispositione juris canonici pro foro interno semper requiritur. (V. infra *n. 589. 655. Q. 4°.)* Sed etiam ex parte legis obstaculum forte aderit; potest enim legislator in simili casu solummodo negationem actionis in foro externo post certi temporis lapsum intendere.

solo titulo possessionis juxta jus gallicum?

Resp. Controvertitur. Alii requirunt triginta annos, quia nullum tempus statuitur a jure, nec videtur sufficiens solus titulus possessionis; attamen videtur durum, 30 annos requiri pro *mobilibus,* dum 10 tantum requiruntur pro *immobilibus.* — Alii requirunt tres annos tantum. Sed quo jure? Nam silet jus gallicum novum, vetus autem fuit abrogatum. — Alii admittunt *probabilius, per se* sufficere titulum possessionis. Nec videntur adesse tanta incommoda in hac sententia, quia praeter res furtivas et res inventas, quae triennio praescribuntur, casus possessionis rei alienae valde rari sunt, v. g. in re locata vel deposita; et cum possessio pollere debeat variis conditionibus, quae unico instanti impleri non possunt, saepius recidet haec praescriptio in praescriptionem triennalem, quae in conscientia admitti potest.

588. — Quaer.* 5° *An valeant in conscientia praescriptiones liberativae quinque annorum ex jure gallico?*

Resp. 1° *Negative,* si de primo debitore agatur, quia in eo bona fides magis, quam in fure, supponi nequit, siquidem bona fides debiti ignorantiam omnino requirit.

Resp. 2° *Affirmative* quoad successores primi debitoris saltem titulo particulari, juxta dicenda infra *n. 590.,* si debitum auctoris ignoraverint. — *Gousset n. 719.*(1)

Quaer. 6° *An praescriptiones liberativae triennio minores juris gallici*(2) *valeant in conscientia?*

Resp. Negative, quia in talibus praescriptionibus legislator intentionem non habet, dominium transferendi et conscientiam liberandi. Sic clare supponit *art. 2275.* codicis civilis, ex quo ii, qui praescriptionem ponunt, tenentur jurare, se debitum revera solvisse.

V. Bona fides.

589. — Bona fides in hac materia est firma persuasio, qua quis prudenter judicat, rem a se possessam esse suam.

I. Haec bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex praescriptione; etenim qui advertit, se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit. Ratio est, quia de jure naturali et etiam positivo, sive divino, sive humano, res aliena scienter neque subripi, neque retineri potest. Constat etiam ex *Conc. Lateran. IV.*(1), necnon ex secunda regula juris in 6°, quae sic habet: *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.*(2) Unde dispositiones juris civilis, in quantum bonam fidem non exigunt aut tantum in principio possessionis, pro foro interno non valent, et velut mera recursus denegatio sunt habendae.(3)

---

(1) *C.* Quoniam (20.) *de praescript.* (II. 26.)

(2) Potest probabilius praescribere, si rem putet esse suam per ignorantiam *leviter* culpabilem, nullimode autem, si per graviter culpabilem. — *S. Lig. n. 511.* Cf. etiam infra *n. 655. Q. 4°.*

* (3) Codex austriacus non videtur titulo praescriptionis naturalem tollere obligationem et ita plane eximere malae fidei debitores a solvenda obligatione, ut ipsi possint codicis suffragio tuti in conscientia manere, sed tantum videtur denegare creditoribus actionem in foro externo, prout ex casibus similibus inferri potest. *(C. A. 982. et 1490.)*

Neque generatim verum est, quod exactoris negligentia hanc poenam mereatur; nam ex parte exactoris plerumque non culpa aliqua, sed mera ignorantia aut quidam respectus humanus morumque urbanitas vel, si mavis, nonnisi culpa juridica occurrit, quae pro foro interno nullum reatum parit. Quis vero a conscientiae regulis haud alienum ducet, ut unus ob culpam tantum juridicam jure suo spolietur, alter vero, quem fides mala aperte iniquum facit, lucrum ex sua culpa acqui-

---

* (1) Eamdem responsionem teneto pro praescriptionibus similibus triennalibus juris austriaci.

* (2) *vel austriaci* —

II. Requiritur autem bona fides non solum ad praescriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eaedem rationes et auctoritates aeque urgent.

Nota: Juxta multos theologos et juristas non requiritur bona fides ad se liberandum ab aliqua *servitute passiva*, seu bona fides in eo casu in hoc consistit, ut nullum ponatur obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur. Ratio est, quia praescribens nullo ligatur debito erga eum, contra quem praescribit, nec tenetur decurrente praescriptionis tempore monere alium, ut contra ipsum servitutis jure utatur. Sed hoc negant plures alii. — *Vide Bouvier etc.*(1)

Quaesita:

590. — Quaer. 1° *An praescribat haeres, qui dubitat de bona fide antecessorum?*(2)

Resp. Affirmative(3), quia mala fides praesumi non debet, saltem *ordinarie et per se*(4); nemo enim malus praesumitur, nisi probetur. — *Ita communiter.*(5)

Quaer. 2° *An mala fides antecessoris*(6) *semper impediat successorem a praescriptione?*(7)

Resp. 1° *Affirmative*, si haeres succedat ex titulo universali(1), saltem pro praescriptionibus ordinariis seu 10 vel 20 annorum, quia fictione juris haeres censetur esse unica persona moralis cum auctore.

Resp. 2° *Negative*, si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu. — *S. Lig. n. 512. 516.*

Quaer. 3° *An mala fides antecessoris noceat successori universali etiam quoad praescriptionem 30 annorum*(2)?

Resp. Negative probabilius, quia jus civile dicit, omnes obligationes tam reales, quam personales posse praescribi per 30 annos. — *Ita Gousset n. 720.* et *in explicatione codicis civ. art. 2236.* contra *alios*, qui dicunt, talem haeredem non posse prosequi praescriptionem cum vitio suo. — *Billuart.* — *Lugo etc.*

Quaer. 4° *An mala fides antecessoris noceat haeredi mediato?*

Resp. Negative probabilius, quia non censetur facere unicam personam cum antecessore. — *Ita communiter.*(3)

PUNCTUM IV.
De accessione.(4)

591. — Accessio est modus acqui-

---

rat? Denique quoad praesentem materiam notandum venit, quod etiam praescriptio nonnisi allegantem juvet; secus judex ex allatis et probatis judicare tenetur. (Vide *C. A. 1501.*)

(1) Cessat autem praescriptio per renuntiationem expressam vel tacitam ejus, qui praescripsit, quae tamen aliquando per jus invalida declaratur, v. g. ne creditoribus noceat. — *Scav.*

(2) Cf. *n. 584. I. Nota 2°.*

(3) supposito, quod debitam diligentiam ad dubium solvendum adhibuerit —

* (4) Convenit cum *C. A. 328.*

(5) Idem tene in genere de eo, qui succedit legitime in aliqua possessione. — Si vero certus sit de mala fide antecessoris, non praescribit. — *Scav.*

(6) *ignorata* —

* (7) Ad *Quaer. 2°, Quaer. 3°* et *4°*: *Negative* ex *C. A.*, si haeres vel successor in bona fide versentur; mala enim fides testatoris haeredi non nocet, nec prodest, cum bona vel mala fides sit qualitas personalis. Non nocet, quia haeres a se ipso usucapionem exordiri non prohibetur; non prodest, ut temporis accessionem habeat. *(C. A. 1463.)*

(1) *Titulus universalis* complectitur universalitatem bonorum vel certam partem, puta dimidium universalitatis, et locum habet in institutione haeredis proprie dicti (cf. *Ferraris, Pr. Bibl.* ad v. *Haeres n. 3.*); *titulus particularis* vero respicit rem aliquam particularem et obtinet in legatis et contractibus. — *Scavini.*

Censet vero *Gousset n. 722.*, minorem, qui est in bona fide, praescribere et etiam in majoritate bona tempore minoritatis praescripta retinere posse, licet ejus tutor quoad eadem fuerit in mala fide.

(2) i. e. si haeres bona fide haereditatem adiit et dein per 30 annos possidet.

(3) *S. Lig. (n. 512.)* oppositam sententiam probabiliorem existimat.

* (4) Principia juris austriaci. *C. A. 404—422.*

I. Id, quod oritur ex re vel cum ea

ndi dominium in rem aliquam ex eo,

---

ajungitur, *accessio* dicitur seu: accessio : incrementum, quod nostrae adjungi- · rei.

II. Tripartito dividitur, nempe in accessio- m *naturalem*, *artificialem* et *mixtam*.

1° Accessio est *naturalis*, cum ex na- a tantum una res ab alia nascitur, uti nus ab ove: vel una res alteri natura- er conjungitur, uti terra, quae sensim r aquam alterius ripae conjungitur.

2° *Artificialis*, cum ex alterius materia s nova conficitur, uti si ex alterius lanis stem conficias, ex alieno tritico conficias nem, et calicem ex alieno argento: vel m res alienae conjunguntur vel confun- ntur vel commiscentur propriis, ut si enum pingas domum, si vinum cum erius confundas vino, si granum cum erius commisceas grano.

3° Accessio denique est *mixta*, cum ıul et natura et industria una res alteri ajungitur, uti plantae in alieno fundo itae, semina in agro alieno diffusa.

III. 1° Per *accessionem naturalem* do- nus dominium fructuum acquirit, qui sque industria producuntur, ut foetus imalium arborumque fructus: acquirit oque terrae dominium, quae per aquam sim ripae suae conjungitur. Si vero ıbilis terrae pars fuerit conjuncta, hu- prior dominus non amittit dominium, ıtra annum suum exerceat jus. *(412.)*

Quoad *accessionem artificialem:* Si ıdhuc disjungi queunt, domino resti- lae sunt; si nequeunt, dominus rei, culpa alterius cum alia fuit conjun- optionem habet vel rem retinendi, ensata alteri industria aut valore rei, dendi alteri rem cum onere solvendi ae pretium. Si absque alterutrius conjunctio facta est, hanc optionem lominus rei principalis et, si partes ıuales, compositum ut commune ha- ı est. *(C. A. 415.)* Excipitur: si in fundo quis erigit aedificium ma- erius, aedificium ad illum pertinet; lo enim aedificatur, solo cedit: si e illud egit, debet persolvere ma- etium commune; si mala fide, summum, et omnia alia damna tenetur. *(C. A. 417.)*

i materia propria quis aedificat alieno, nesciente domino, si est i, potest exigere expensas ne- t utiles; si est malae fidei, pot- . quantum recidit in manifestam 'itatem; quin imo dominus exi- : destructionem aedificii, si fini ius inservire nequit.

us fundi non ignoraverit con- bona fide factam et statim

quod res illa ad nostram accedat(¹) et cum ipsa uniatur. Accessio fieri solet variis modis, scilicet:

1° *Nativitate*, seu quando nobis nascitur animal conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui habet matrem, jus habet ad omnia animalia ex ea nata. Hinc axioma: *Partus sequitur ventrem.*

2° *Alluvione*, seu quando vi aquarum incrementum alicui praedio paulatim accedit. Non autem alluvione repentina dominium acquiri potest. *Sic omnia jura statuunt.*

3° *Adjunctione*, seu quando res duae ad diversos dominos pertinentes ita coalescunt, ut separari non possint: tunc totum compositum est illius, cujus materia est praestantior (sive magnitudine, sive pretio) in composito; sed hic alterum indemnem facere debet. — *Sic jus romanum et gallicum.*

---

non impediverit, potest exigere tantum pretium commune fundi. *(418.)*

3° *Si accessio sit mixta*, omnia serventur, quae de aedificatione nuper diximus. Hinc si quis alterius semine agrum coluit, tenetur hic solvere pretium *medium* seminis, si sit bonae fidei; *summum*, si malae fidei. Qui plantavit in fundo proprio arbores alterius, si radices egerint, acquirit dominium et tenetur tantum ad illarum pretium; secus non acquirit.

Arbor posita ad fines duorum dominorum est illis communis, et quisque in proprio fundo potest evellere radices et secare ramos proprio imminentes praedio.

Infertur, quod per confusionem vel commixtionem (haec duo pro eodem sumuntur in *C. A.:* sed in jure communi maxime distinguuntur) non acquiritur dominium, etiamsi commixtio fiat animo illud acquirendi, quia non acquiritur nec auctoritate legis, nec ex contractu, et animus acquirendi satis non est ad dominium consequendum, dum non habetur consensus alterius. Quare, si quis acceptam pecuniam aliquo ferendam cum propria miscuit, etiam animo faciendi suam, et fortuito pereat, domino perit.

(¹) Quod ab aliqua re producitur (fructus ejusdem), etiam *rei accedere* dicitur. Hi fructus *per se* ad dominum ipsius rei producentis pertinent. Cujus vero sint, si quis erronee, ast bona fide dominum rei se existimet, disserentes de restitutione statuemus.

4° *Specificatione*, seu quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Tunc 1° *ex jure romano*, si species ad priorem materiam redire non possit, res pertinet ad artificem, qui tenetur pretium materiae solvere et damna, si quae sint, compensare. — 2° *Ex jure gallico* dominus materiae novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriae longe superet pretium materiae, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiae pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino rei illata reparare tenetur.

5° *Commixtione* seu conjunctione duarum rerum aeque principalium, ad diversos pertinentium dominos. Tunc, si res mixtae possint dignosci et separari, separentur; si vero non possint dignosci, res communis erit et dividenda pro rata quantitatis propriae singulorum. Attamen dominus materiae praestantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione. Si autem res mixtae sint omnino inseparabiles et circiter aequales, compositum pertinet ad utrumque dominum in communi et vendi debet, ut pretium dividatur.(1)

592. — 6° *Aedificatione*, seu quando construitur aedificium ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno. Generatim dominium fundi secum trahit, quidquid est supra vel infra positum. Aedificium igitur est illius, cujus est solum, mediante debita compensatione. Idem fere dicendum de plantatione et seminatione. Hinc vulgares versus:

Quidquid plantatur, seritur vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Quoad indemnitatem vero sic statuitur: 1° Qui in suo fundo aedificavit, plantavit vel alia opera fecit ex materia aliena, debet *ex jure romano* solvere duplum pretii materiae; *ex jure* vero *Galliae* pretium materiae tantum solvere et damna, si quae sint, reparare debet. — 2° Qui ex sua materia in fundo alieno aedificavit, plantavit etc., *ex jure romano* pretium materiae repetere potest, si ex bona fide egerit, secus, si ex fide mala; *ex jure* vero *gallico* pretium materiae pariter repetere potest, si dominus fundi opera servare velit; sed hic cogere potest alterum ad opera propriis expensis tollenda, nisi de ejus bona fide juridice constet.

(1) Cf. *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 498. 499.*

ARTICULUS II.
DE USU ET USUFRUCTU.(1)

* (1) Principia juris austriaci.

En, quid statuat *C. A.* de servitute, usu ac usufructu! *(472—530.)*

Servitus est jus, quod aliquis habet in re aliena, ut sibi serviat. Bipartito dividitur, nempe in *realem* et in *personalem*, prout vel rei, vel personae inservire debet. *Realis* alia est urbana, quae spectat ad aedificium; alia rustica, quae ad ipsa pertinet praedia. *Personalis* dividitur in usum, in usumfructum et in habitationem.

I. *Usus* juris est jus utendi re aliena, salva ejus substantia. Qui alicujus rei usum habet, illa uti nequit, nisi intra statutos limites: ideoque, si quis ex alterius horto herbas percipiendi jus habeat, quibus quotidiano indiget usu, ea vendere aliisque tradere nequit.

Si quis alicujus rei usum habens longe se aliquo contulerit adeo, ut ea re uti nequeat, facta ad judicem petitione illius juris exercitium alteri tradere poterit justam exigendo remunerationem, ne intentio benefacientis in irritum cadat. *(C. A. 504. et seq.)*

II. *Ususfructus* est jus utendi ac fruendi re aliena, salva rei substantia.

1° Usufructuarius jus habet *a)* non solum ad fructus ordinarios, qui ex re proveniunt, ut sunt fructus naturales, industrii et civiles (quia uti ac frui re aliena omne complectitur commodorum genus), verum etiam ad omnem utilitatem extraordinariam, seu ad lucrum ex metalli fodinis perceptum vel ex lapidicinis jam apertis (servatis tamen regulis ad id constitutis), ad omnia ligna, quae in sylvis caeduntur (modo serventur leges inductae), atque ad omnes arbores frugiferas demortuas, cum onere tamen totidem substituendi. Excipiuntur tamen thesauri, qui non censentur fructus agri, ideoque hujusmodi jus domino tantum competit, nisi ad usufructuarium

Usus est jus utendi re aliena, salva ejus substantia(1). Ususfructus est jus

inventoris portio pertineat; excipiuntur insuper arbores casu avulsae vel fractae, quae operum constructioni inserviunt, uti videre est in *C. A. 511.* apud interpretes *Castelli* et *Zeiller. b)* Usufructuarius fructus vendere potest et locare, quia ipse suum vendit ac locat.

Nota. Si filio relicta fuerit proprietas, patri vero concessus ususfructus, hic uti debet usufructu ad illum alendum et educandum, nec a patris creditoribus sequestratio fieri potest. *(C. A. 150.)*

c) Usufructuarius pendentes fructus percipere potest ex eo die, quo jus acquisivit. Elapso ususfructus praefinito tempore, ipse fructibus perfrui nequit, qui adhuc arboribus adhaerent; attamen fructus civiles pro rata temporis parte sunt dividendi inter usufructuarium aut haeredes ac proprietarium. *(C. A. 519.)* Si vero expensae excedunt fructus collectos, a judice satisfactionem repetere potest. *d)* Non tenetur permittere novum aedificium, etiamsi utile sit, sed non necessarium. *(C. A. 516.) e)* Ipse cautionem praestare non tenetur, nisi rei periculum immineat. Quo in casu, si cautionem praestare nolit, cum proprietario convenire debet; secus judex vel praecipit sequestrationem, vel alteri rem locat ad usufructuarii utilitatem. *(C. A. 520.)*

2° Qui commodum sentit, incommodum quoque ferre debet, quod rei adjunctum est. Hinc *a)* usufructuarius omnia onera ferre debet rei servienti adnexa tempore concessi ususfructus; et ideo fructus solvere debet ob sortem in publicis tabulis inscriptam. *b)* Omnia onera ipse ferre debet tum ordinaria, tum extraordinaria, uti tributa, vectigalia, canones aliaque hujusmodi. *c)* Expensas solvere debet ad colendos agros fructusque colligendos. *d)* Usufructuarius tenetur integram conservare rem eo in statu, in quo illam accepit, ut bonus paterfamilias, qui utendo rem non perdit, sed eam statim in pristinum statum restituit, si ipsa in deterius mutetur. Itaque initio ususfructus curandum est, ut inventarium conficiatur. Si id omissum fuerit, judex rem traditam mediocri fuisse qualitate judicat cum omnibus accessionibus seu instrumentis aptis ad colendos agros, quibus uti solent. *(C. A. 518.)* Item usufructuarius ut bonus paterfamilias tenetur ad rei refectionem. Id tamen intelligendum est de modica refectione ob praesentem fructuum necessitatem; impensas enim, quae ex vetustate, et si ruinosae sint aedes, vel ex casu fortuito proveniunt, proprietarius ferre debet. „Non tenetur ad reparationes extraordi„narias, uti murorum principalium, la„quearium, ad substitutionem trabium, re„novationem integrae superficiei tectorum „etc.“ *(Castelli Comm. 513.)* Tenetur etiam, si gregis usumfructum habet, loco demortuorum capitum alia ex foetu substituere; si vineae, demortuis vitibus alias sufficere et plantare. Ipse tamen non tenetur resarcire damnum, quod absque sua culpa ex solo usu legitimo evenit. Litium demum expensas, quae ad proprietatem pertinent, proprietarius ferre debet, eas vero, quae pertinent ad fructus percipiendos, usufructuarius. *e)* Si proprietarius usufructuarii insinuatione propriis expensis opera exsequenda curet necessaria aut vetustate aedificiorum aut aliquo alio casu, usufructuarius solvere tenetur non fructus civiles pecuniae, quam proprietarius in aedificio reficiendo impendit, sed fructus juxta usumfructum ex refectione adauctum. *(C. A. 514.)*

Si proprietarius non convenit cum usufructuario, tunc peritorum judicio standum est. Si vero proprietarius neget vel nequeat necessarium exsequi opus, illud ab usufructuario absolvi potest, qui expensas necessarias ac utiles transacto ususfructus tempore repetere potest, veluti bonae fidei possessor, vel a proprietario satisfactionem exigere, quatenus aedificii ac operis necessarii omissio impedimento fuit, quominus ipse majorem perciperet usumfructum. *(C. A. 515.)*

Nota. Ceterum usufructuarius habetur uti agens negotium absque alterius mandato, si ipse in re utiles peregit expensas ad augendum rei valorem. *(C. A. 517.)*

3° Cessat ususfructus *a)* naturali morte usufructuarii, quia servitutes personales personae debentur, ideoque ejus morte desinunt; *b)* si ususfructus relictus fuerit communitati, non deficit, nisi deficiente communitate; *c)* renuntiatione expressa vel tacita; *d)* consolidatione, si ususfructus cum proprietate coalescit; *e)* totius rei interitu, adeo, ut ne area quidem permaneat: si vero aedes restituuntur in pristinum statum in integro vel in parte, etsi non in eamdem formam, nullum est dubium, quod et ususfructus reviviscat; *(C. A. 525. interp. Zeiller.) f)* lapsu temporis; *g)* soluto jure constituentis.

III. *Servitus habitationis* vel solum usum, vel usumfructum aedium alienarum complectitur; idcirco recolenda sunt, quae de usu ac de usufructu diximus. *(C. A. 521. et seq.)*

(1) tum quoad materiam, tum etiam

utendi simul et fruendi rebus alienis, salva pariter earum substantia.

Principia:

593. — I. *Usufructuarius* plenum usum ac usumfructum rei alienae habet, ita ut omnes fructus hujus rei suos faciat, et de ipsis pro nutu suo disponere possit sive per se, sive per alium. Ratio est, quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur. — *Sic ex jure romano et jure gallico.*

II. *Usufructuario* incumbit onus tum modicas expensas faciendi, ut res in integro suo statu conservetur, tum sumptus ad naturales fructus ex ea percipiendos. Tenetur etiam ad solvenda debita ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia.

III. *Usufructuarius* uti debet re aliena tamquam bonus paterfamilias et eam reddere in statu, in quo reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia *patitur frui.* — *Ita varia jura.*

Quaesita:

594. — Quaer. 1° *Quomodo acquiratur ususfructus?*

Resp. Acquiritur 1° ex lege, et tunc dicitur *legalis:* talis est ususfructus parentum in bonis filiorum, vel mariti in bonis uxoris pro quibusdam casibus; (1) 2° ex conventione vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur.

Quaer. 2° *Quomodo cesset ususfructus?*

Resp. Cessat 1° morte naturali aut civili usufructuarii; 2° tempore statuto; 3° interitu totius rei; 4° consolidatione, v. g. si usufructuarius fiat dominus rei; 5° omnimoda mutatione, v. g. si pratum fiat stagnum; 6° abusu, quo res fiat deterior per culpam utentis (1); 7° renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum.

Resolves:

595. — 1° Sub usum et usumfructum non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis etc., quia per talem usum non manet salva rei substantia.

2° Usufructuarius facultatem habet percipiendi, quidquid in fundo nascitur, sicut segetes, foenum, fructus arborum etc.; ad ipsum quoque pertinet proventus piscationis, foetus animalium, eorum lana, lac etc. Item potest in sylvis certam lignorum portionem caedere, quam paterfamilias caedere solet.

3° Potest usufructuarius jus suum titulo venditionis, locationis vel donationis alteri cedere. Idipsum dici nequit de usuario, qui tamen, si jus habeat domo aliqua utendi, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore, quo usum acquisivit, conjugatus non fuerit.

4° Fructus naturales et industriales (2) in initio pendentes percipit sine onere solvendi pro cultura vel semine etc., et reciproce, si discedat ante maturitatem, fructuum nihil reclamare potest. Fructus vero civiles de die

---

quoad formam. Unde usuarius (i. e. qui jus utendi aliqua re habet) *per se* nec in meliorem formam eam redigere potest. Competit ei praeterea (nisi conventio vel lex obstet) jus, fructus, qui ad usum quotidianum pro ipso, ejus familia et hospitibus necessarii sunt, ex re percipiendi, non vero eosdem alienandi, quo jure solummodo usufructuarius gaudet. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 487.* — Cf. etiam infra *n. 595. 3°.*

(1) Vix vero exemplum inveniri potest meri *usus* a lege constituti. — *Scav.*

(1) item non-usu, accedente praescriptione, si interim utatur proprietarius.

Sic vero exstinguitur ususfructus *conventionalis;* de exstinctione *legalis* autem cf. leges particulares, quae in hac et similibus materiis omnino conferri debent.

Ceterum, quae de usufructu hic statuuntur, etiam de usu intellige. — *Scav.*

(2) Cf. infra *n. 636. Q. 1°.*

in diem acquiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis, quo duravit ususfructus.

ARTICULUS III.
DE SERVITUTE.

596. — Definitio: Servitus *proprie* dicta est onus alienae rei impositum in usum vel utilitatem alterius. — *Active* autem sumpta est jus, quod quis habet in re alterius, ut sibi vel rei suae serviat.

Divisio: Servitus sic distinguitur:

1° *Ratione originis* est *naturalis, legalis, conventionalis,* prout fluit ex positione locorum(¹), aut ex lege vel ex mera conventione oritur.

2° *Ratione objecti* est *urbana* vel *rustica,* prout instituitur in utilitatem aedium aut agrorum.

3° *Ratione modi* est *continua* vel *non continua,* prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus aquaeductus, aut sine eo exerceri nequit, v. g. servitus itineris. — Iterum est *apparens* vel *non apparens,* prout exteriori signo aperte declaratur, v. g. janua, fenestra etc., aut tali signo caret, ut est v. g. prohibitio aedificandi in tali loco etc. (²)

Quaesita:

597. — Quaer. 1° *Quaenam sint jura et obligationes servitutum?*

Resp. Generatim loquendo ea pendent a natura rei, a lege vel conventione. Praecipue autem haec statuuntur: 1° Is, qui *active* jus habet ad servitutem, omnia opera perficere potest, quae necessaria sunt ad ea utendum atque ad illam conservandam. — 2° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, haec cuique parti istius fundi debetur. — 3° Dominus praedii servientis nihil agere potest, ex quo servitutis usus minui possit, et vicissim is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde conditio praedii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis aequitas, cui varia jura consonant.

Quaer. 2° *Quomodo exstinguantur servitutes?*

Resp. 1° Elapso statuto tempore vel impleta conditione; — 2° renuntiatione expressa vel tacita proprietarii; — 3° consolidatione, qua dominus praedii dominantis fit simul dominus praedii servientis aut vice versa; — 4° non-usu servitutis per 30 annos(¹).

Resolves:

598. — 1° Si agatur de servitutibus naturalibus seu de servitutibus, quae ex naturali locorum positione sequuntur, non potest dominus praedii inferioris aggerem jacere, ut aquae praedii superioris non amplius per fundum suum defluant; sicut nec dominus praedii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite augeatur.

2° Ad acquirendum praescriptione jus servitutis, v. g. jus viae, aquaeductus etc. per alienum fundum, debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale jus acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat, jus illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius(²), contra quem praescribitur.

3° Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt, quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum tractum. Idem dicendum de iis, quorum praedia viis aut aliis publicis operibus adjacent:

(¹) Cf. *n. 598. 1°.*

(²) Constituuntur servitutes juxta jura recentiora communiter titulo vel praescriptione vel destinatione patrisfamilias, si sint continuae et apparentes; si vero non continuae vel non apparentes, in genere saltemmodo per titulum. — *Scav.*

(¹) item: si amplius inservire nequeunt. Si tamen res reducuntur ad primum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet praescriptio. — *Scav.*

(²) Requiritur enim, saltem in genere, talis scientia et tolerantia. Sed de hoc cf. leges.

ii enim tenentur ad servitutem patiendam, quamdiu necessaria est ad praedictorum operum confectionem vel reparationem. At in utroque casu proprietarii laesi jus habent ad indemnitatem quamdam, si fieri possit.

4° Dominus praedii servientis non potest mutare positionem v. g. viae, aquarum, rivuli, nisi servitus gravior evaserit aut impediat, quominus reparationes praedio utiles fiant.

PARS II.

DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJURIA.

CAPUT I.

DE INJURIA IN GENERE.

599. — Definitio: Injuria est juris alieni violatio.(1)

Divisio: Est 1° *formalis* vel *materialis,* prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu;

2° *gravis* vel *levis,* prout ex ea proximus damnum grave vel leve tantum patitur;

3° *directa* vel *indirecta,* prout intenditur *in se,* aut in causa tantum praevidetur et permittitur.

Principia:

600. — I. Datur praeceptum naturale a Deo promulgatum atque sancitum, vetans, ne laedatur jus strictum alterius: unde omnis injuria juri naturali adversatur. Ratio patet ex dictis supra in principio tractatus *n. 523. et seq.* Etenim ex eo, quod homo factus sit legitimus quorumdam bonorum dominus, necessario jus inviolabile in ea habere debet; secus enim jus ipsius esset illusorium seu non esset jus, quod contradictionem involvit.

II. Injuria seu laesio juris alieni est peccatum grave *ex genere suo.* Ratio est, quia rectae rationi, bono ordini et legi divinae graviter adversatur. Etenim qui violat jus strictum alterius hominis, per hoc necessario laedit independentiam naturalem et metaphysicam hominis illius; unde sequitur ordinis socialis perturbatio, quod sane ex genere suo grave est.

III. *Scienti et volenti non fit injuria,* quia volens cedit de jure suo, et proinde jus non servat. Hinc de essentia injuriae est, ut erga nolentem exerceatur.

Excipe casus nonnullos, in quibus homo jus suum cedere nequit, quantumvis volens: sic conjugatus nequit consensu suo impedire, quominus violatio uxoris suae sit adulterium stricte dictum, quia praeter jus mariti adest etiam jus sacramenti, quod prorsus inviolabile est. Hinc damnata est sequens *propositio* ab *Innocentio XI.* sub *n. 50.: Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.*(1)

Resolves:

601. — 1° Consentienti ex vi, dolo vel metu injuste incusso fit injuria, quia consensum non praestat libere, sed tantum ad se redimendum ab injusta vexatione.

2° Qui occidit volentem, facit injuriam non solum Deo, sed ipsi occiso, quia jus ad vitam abdicari nequit, nisi Deus, qui illud statuit, prius consenserit.

3° Qui percutit clericum, ipsi licet consentienti injuriam facit, quia non potest renuntiare privilegio *canonis,* quod ad statum clericalem spectat.

4° Usurarius injuriam facit mutuatario solventi usuras, sicut venditor emptori pretium nimium pro merce concedenti.

5° Tortores martyribus injuriam fe-

(1) Disserit hic auctor de injuria in stricto sensu, quae in violatione justitiae commutativae consistit; laesio enim legalis justitiae *illegalis injustitia,* distributivae autem *acceptio personarum* vocatur. — *Scav.* — Cf. supra *n. 518.* 4°, *533—535.*

(1) Nonnumquam etiam per legem positivam consensus impeditur, v. g. in minore respectu contractuum. Cf. *n. 763. et seq.*

cerunt, etsi martyres mortem desideraverint et libenter pertulerint.

Quaesita:

602. — Quaer. 1° *Quaenam materia censeatur gravis vel levis in injuria?*

Resp. Gravis censetur ea materia, quae ex natura sua vel ex hominum aestimatione apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam seu ad caritatem mutuam dissolvendam. — *Ita Lacroix l. 3. p. 2. n. 2.* — *Reuter n. 435. et alii.* Ratio est, quia, cum finis justitiae sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuum consensum et amorem per conservationem aequalitatis jurium promovere, gravis merito censetur illa materia, quae ex natura sua vel hominum aestimatione mutuum amorem dissolvere cum pacis communis jactura seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

Dixi: *ex natura sua etc.*, quia pro regula generali statuenda attendi debet ad id, quod communiter contingit, supponendo laesum in debito temperamento indolis et morum; non vero attendendum est ad accidentalem cujusque dispositionem, neque ad effectum, qui hic et nunc oritur ex mente illius, qui injuriam patitur: justitia enim rationis ductum et prudentiae dictamen sequitur.

Quaer. 2° *An injuria alteri inferri possit per actum mere internum?*

Resp. Affirmative, quia aliquando, licet raro, solo actu interno jus strictum alterius laedi potest. — Patet exemplo judicii temerarii, quo juxta communem sententiam justitia erga proximum violatur ex eo, quod quisque jus strictum ad bonam sui existimationem apud singulos habeat. — *Recole dicta de 8. decal. praec. n. 466.* Ceterum in hoc casu nulla est specialis difficultas, siquidem, cum injuria mere interna nullum damnum externum laeso inferat, nulla reparatio facienda est, ut patet.

603. — Quaer. 3° *An actus internus in injustitiam actus externi influere possit?*

Resp. 1° *Negative,* si actus externus *per se* materialiter jus alterius non laedat, non obstante prava intentione nocendi in agente. Ratio est, quia, ubi nullum jus laeditur, nulla potest esse injuria. Hinc non peccat contra justitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio succurrere teneatur. — *Ita communissime.* — *Lugo d. 19. n. 100.* — *Vogler n. 400.* contra *paucos.*

Resp. 2° *Negative* etiam, si agens directe jus habeat ponendi actum externum alteri nocivum, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit injustum, quod *de se* justum est, siquidem naturam actus externi mutare non potest. Hinc non peccat contra justitiam judex homicidam ex odio ad mortem damnando; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet. — *Ita communissime juxta Vogler n. 402.* cum *Lugo d. 8. n. 78.* et *d. 18. n. 98. et seq.*

Jus autem illud saepe ex circumstantiis repetendum est, unde cum ipsis variare potest. Sic v. g., qui avertit torrentem sibi vere nocivum, non peccat contra justitiam, etsi id faciat cum animo nocendi alteri, quia suo jure utitur; secus autem, si avertat torrentem non sibi nocivum, ut alteri noceat. Tunc enim mutatio circumstantiarum jus ipsum mutat, quia jus agentis in hoc casu exinde oritur, quod in conflictu commodi sui et commodi alieni seipsum praeferre possit, et proinde, secluso illo conflictu, agens nullum jus habet. — *Vogler n. 405.* — *Carrière n. 721.*

Resp. 3° *Affirmative* autem, si opus externum sit indifferens ad nocendum vel non nocendum, secluso jure directo agentis; tunc enim saepe prava intentio influere potest in illius injustitiam. Ratio est, quia saepe in-

tentio determinat opus externum, ut sit nocivum. Hinc non peccas quidem contra justitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas; secus vero, si accipias, ut retineas. Nec injuriam facis amico ejus librum tollendo, ut obiter percurras; secus vero, ut subripias.

Resp. 4° *Affirmative* etiam *a fortiori,* si actus sit *materialiter*(¹) injustus. Ratio est, quia talis actus excusari ab injustitia nequit, nisi in quantum involuntarius esset; atqui censeri non potest involuntarius, quando ex prava intentione nocendi ponitur, ut patet, siquidem eo ipso formaliter injustus evadit. — *Billuart diss. 8. art. 12.*

Attamen applicatio hujus principii difficultatibus aliquando non caret, ut ex quaesito sequenti patebit.

604. — Quaer. 4° *Quid, si opus externum ex mala quidem intentione ponatur, sed licet damnum accidere possit, non est tamen vere probabile, quod secuturum sit?*

Resp. Controvertitur inter gravissimos theologos. Clarior autem patebit status quaestionis ex sequentibus exemplis, scilicet: 1° Aliquis ponit venenum aut laqueum in loco, in quo rarissime transit inimicus, sed ea intentione, ut occidatur, si forte transeat. 2° Medicus adhibet omnem diligentiam, ad quam tenetur; sed non vult majorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Quaeritur, an illi causa sint injustae mortis, quae forte subsecutura est, si de facto sequatur? — Duplex est sententia. *Prima sententia,* quae communior videtur, *negat.* Ratio est, quia ex una parte actus externus non est injustus, siquidem mera damni alieni possibilitas in rebus humanis attendi non debet; ex altera parte actus externus non efficitur injustus ratione intentionis, cum intentio non influat in efficaciam causae seu in periculum damni. Etenim tunc periculum illud dicendum est mere *per accidens,* et prava intentio ejus naturam non mutat. — *Ita Lessius l. 2. c. 9. n. 113.* — *Vogler n. 404.* et *alii non pauci.* — *Secunda* vero *sententia affirmat,* non infirmo fundamento innixa. Ratio est, quia in praefatis casibus homicidium est sane contra justitiam et non excusatur, nisi quatenus involuntarium. Porro intentio illud reddit voluntarium. Etenim ideo, seclusa intentione, non est voluntarium, quia ponens causam non censetur velle efficaciter effectum, cum effectus probabiliter non connectatur cum causa; sed intentio illam connexionem supplet et facit, ut operans vera illius causa sit. Ad rationem enim causae multum conducit intentio operantis. Ergo etc. — *Ita Lugo d. 8. n. 75.* — *Salmant.* — Dicit autem *Lugo,* non sufficere praevisionem possibilitatis damni in praefatis casibus ad rationem injuriae, sed etiam requiri intentionem illud procurandi.

(¹) seu *objective* —

CAPUT II.

DE INJURIA IN SPECIE
seu
de peccatis contra justitiam.

Hic tantum de injuriis in bonis fortunae agendum est, scilicet de furto et ejus speciebus. — De aliis injuriis, i. e. in bonis corporis, honoris et famae, sat dictum est in *tract. de 5. et 8. decalogi praecepto.*

Agendum: 1° De natura et gravitate furti; 2° de causis a furto excusantibus.

ARTICULUS I.
DE NATURA FURTI.

605. — Definitio: Furtum est injusta ablatio rei alienae, invito domino (¹).

Divisio: Furtum sic distinguitur: 1° Furtum *simpliciter,* si fiat *oc-*

(¹) brevius: est injusta ablatio alicujus rei.

Haec ablatio autem etiam injustam *retentionem* rei alteri debitae comprehendit — *S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 2.*

culte; — 2° rapina, si fiat *aperte* cum violentia domino facta; — 3° fraus et dolus, si fiat dominum decipiendo, v. g. in contractibus; — 4° sacrilegium, si fiat circa rem sacram; — 5° peculatus, si de re ad fiscum pertinente habeatur etc.

Principia:

I. Furtum, quocumque nomine appelletur, graviter *per se* legi naturali adversatur(¹), ut patet tum ex ratione, tum ex scriptura sacra, in qua adnumeratur peccatis, quae a regno coelorum excludunt. Sic enim *1. Cor. 6. 10.: Neque fures . . . neque rapaces, regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina graviora sunt peccata, quam furtum simplex, et speciem malitiae diversam constituunt: illud, quia praeter justitiam violat religionem; ista, quia injustitiae addit laesionem honoris proximo debiti. Ceteri autem modi vel alia objecta furti speciem non mutant, quia istis natura damnificationis non mutatur.

Quaesita:

606. — Quaer. 1° *Quaenam materia censeatur gravis in furto?*

Resp. 1° Non potest rigorose determinari. Juxta sententiam communem, quae omnino tenenda videtur, materia haec spectanda non est *absolute in se,* sed *relative* ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem. Ratio est, quia gravitas furti, sicut gravitas cujuslibet injuriae, pendet praesertim a majori vel minori privatione, dolore et reluctantia voluntatis, quam patitur ille, in quem furtum patratur. Jamvero nemo non videt, eamdem materiam nunc levem, nunc gravem causare contristationem, prout dominus, a quo aufertur, dives est vel pauper. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines majori vel minori amore pecuniae allectos. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 526. 527.* contra *Billuart* et *alios nonnullos,* qui contendunt, materiam sive gravem, sive levem, absolute in se spectandam esse eamque consistere in eo, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti seu mediocriter divitis requiritur.

Aliqua tamen determinanda est absoluta materia, quae numquam sine culpa gravi praeteriri possit; secus enim, si proportio omnimoda servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas pro materia gravi in furto apud valde divitem patrato requireretur; hoc autem in societatis damnum sane cederet.

607. — *Resp.* 2° Ad gravem vero materiam relative spectatam (attentis praecipuis Europae locis et temporum nostrorum adjunctis) requiri videntur: 1° Circiter valor unius franci seu 20 asses relate ad pauperes, et non raro minus pro majori gradu necessitatis. — 2° Circiter duo vel tres franci, seu 40 vel 60 asses relate ad operarios, qui labore diurno victum sibi comparant. — 3° Circiter quatuor vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites. — 4° Circiter sex vel septem franci relate ad divites ordinarios. — 5° Tandem a peccato gravi numquam erit excusandus, qui 10 vel 12 francos subripuerit apud ditissimos, etiam principes. — *Ita communiter.* Juxta *plures* 20 franci requiruntur.

Advertas autem oportet, hos modo praefixos limites moraliter omnino sumendos esse, si ultimam excipias decisionem seu quantitatem, quae numquam absque peccato gravi excedi

(¹) Idem dic de desiderio furandi. — Inducit vero furtum grave gravem obligationem restituendi, leve econtra levem, ut naturae justitiae convenit (cf. *n. 632.* 3°). Notet vero confessarius, haud raro praesertim rudiores furta etiam levia ut graviter peccaminosa reputare, unde interrogandi sunt. — *Scavini.*

potest. In praxi, occurrentibus dubiis, non est generatim reputanda materia gravis ea, quae quinque circiter francos non attingit. Si antiqui auctores paulo severiores tibi appareant hac in re, in mentem revocare velis, pecuniam tunc temporis, utpote rariorem, fuisse pretiosiorem.(1)

608. — Quaer. 2° *Quaenam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?*

Resp. 1° Certum est apud omnes, ex parte uxoris et filiorum plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam ex parte extraneorum, quia paterfamilias est minus invitus aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 32.* — Dicunt, *probabilius* requiri summam duplo majorem pro iis, quam pro extraneis; sed nulla regula generalis assignari potest; hoc enim a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque pendet.(2)

Resp. 2° Pro famulis pendet etiam a majore liberalitate vel tenacitate dominorum, ex qualitate vel situ rei surreptae, v. g. si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta etc. Juxta multos per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quae non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo haec non vendantur aut e domo non educantur nec sint pretii extraordinarii(1). Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini non sunt minus inviti. Imo hujusmodi furta severius lege civili puniuntur ob fiduciae defectum, qui in illis intervenit. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 10. n. 34.*(2)

609. — Quaer. 3° *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam?*

Resp. 1° *Affirmative* prorsus, si agatur de furtis erga eamdem personam commissis, quia unita facile damnum grave domino inferre possunt. Constat etiam ex hac *propositione 38.*

---

(1) Non absone forte dicetur *in genere* illa materia absolute gravis, quam sibi auferri etiam dives omnino aegre fert; relative gravis autem, quae ad quotidianam damnificati sustentationem sufficit.

Ceterum v. etiam *Gury, Casus consc. p. 1. n. 553.*

(2) Cf. etiam *n. 544. et seq., n. 554. et seq.* — Filiumfamilias excusant a restitutione, si vel sit unicus nec habeat cohaeredes, vel si id, quod furatus est, jam consumptum sit et praesumi possit, patrem eum ad restitutionem obligare nolle (cf. *n. 722.*). Admittunt praeterea, posse filium in studiis versantem, si pater ipsi mittat 100 aureos, insumere 5 aureos in recreationes honestas ex praesumpto patris consensu. — *S. Lig. n. 543.* — *Scav.* Sed in similibus, ut merito ait auctor, circumstantiae pensari debent.

(1) vel in extraordinaria quantitate. — *S. Lig. l. c.*

(2) Cf. etiam *n. 383. 3°. et n. 691. Q. 2°.*

In rebus valde expositis et in furtis minutis *generatim* major quantitas ad furtum graviter peccaminosum requiritur. — Cf. *n. 611. Q. 6°.*

Quid vero de caesione lignorum in sylvis, de pascendis animalibus in pascuis non propriis etc.?

Resp. Si auctores docent, leges similia prohibentes esse mere poenales nec obligare in conscientia ad restitutionem ante sententiam judicis, id *ex eorum mente* nequaquam sine limite applicari potest, dum singularibus personis jus aliquod legitimum in ejusmodi sylvas vel pascua competit (violando enim jus tale strictum sine dubio injuria proprie dicta committitur et onus restitutionis per se urget); sed intelligi debet vel

a) de sylvis etc. alicujus communitatis respectu membrorum communitatis ipsius, *in quantum his aequale jus in dicta ligna etc. competit;* aliquando autem etiam respectu membrorum vicinarum communitatum, *in quantum communitas, quae proprietate gaudet, tacite consentit vel aliud non exigit, quam post judicis sententiam poenam statutam;* vel

b) de pauperibus, qui ad usum proprium ligna sicca vel parvi momenti colligunt, attendendo tamen ad indigentiam eorum, ad legitimam consuetudinem, et supposito, quod damnum verum sylvis etc. non inferatur. — Cf. *S. Lig. n. 529., Sylvius, Collet, Scav.* etc.

Innocentio XI. damnata: *Non te-*
ur quis sub poena peccati mor-
is restituere, quod ablatum est per
uca furta, quantumcumque sit ma-
z summa totalis. — Ergo obligatio
vis datur, summam gravem per
uta furta ablatam restituendi, et
inde coalescunt furta minuta.

Resp. 2° *Affirmative* etiam cum
tentia communi, licet agatur de
tis minutis erga diversos dominos
mmissis. Ratio est, quia praeceptum
furandi obligat non solum, ne da-
um grave proximo inferatur, sed
am, ne quis re aliena ditescat.
inde talis fur, si non individuis sin-
latim sumptis, certe communitati
ve damnum infert. Etenim si hu-
modi furta non prohiberentur sub
vi, homines non pauci facile ex
tis ditescere vellent, cum id absque
utis animae dispendio facere pos-
it, proindeque magna deordinatio
societate subsequeretur. Ergo haec
ta *sub gravi* jure naturali prohiberi
ent. — *S. Lig. n. 534.* — *Lugo*
p. 16. n. 37. et seq.

10. — Quaer. 4° *An minuta*
a adhuc coalescant, si inter ipsa
um ponatur intervallum?

sp. *Negative* juxta sententiam
uniorem. Ratio est, quia posito
intervallo furtula ex communi
um aestimatione moraliter unita
nsentur, nec proinde unum ob-
in genere moris constituunt.
tunc non apparet grave da-
domino illatum, cum vix ad
vertere possit, adeoque gravi-
us non est censendus. — *S.*
530. — *Vogler n. 133.*

r. 5° *Quandonam vero inter-*
enseatur magnum?

Probabilius tenendum est,
amplius coalescere ultra spa-
um mensium, etiamsi mate-
ad gravem accederet. — *S.*

men intervallum anni unius
ut furtula coalescere desi-
ero contendunt sufficere,
si mensis unus intercedat, aut
tempus brevius, si agatur de fur
valde minutis. Sed priores in
rem, et posteriores in laxitatem
pendere videntur.

Nota: Coalescunt tamen furta min
posito quocumque intervallo, quoties
trata sunt ex intentione ad summam
tabilem perveniendi, quia mediante h
intentione vere inter se uniuntur. —
Lig. n. 530. — *Billuart* etc.

611. — Quaer. 6° *Quandonam*
evadat materia gravis ex furtis mi-
nutis?

Resp. 1° Si furta minuta eidem fiant diversis vicibus vel si fiant una vice diversis personis, materia erit gravis, quando dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Si furta minuta fiant tum diversis vicibus, tum diversis personis, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo major, quam summa ad furtum grave communiter requisita. — *S. Lig. ibid.* et *alii multi.*

Quaer. 7° *An retractatio volun-*
tatis impediat, quominus furtula se-
quentia cum praecedentibus uniantur?

Resp. 1° *Affirmative,* si retractatio fuerit efficax, i. e. si de facto priora furtula fuerint restituta, quia semel reparata jam hic et nunc amplius non exsistunt. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Negative* autem generatim, si tantum adfuerit intentio restituendi, etiam interposita confessione, quia haec voluntas videtur revocari per novum furtum nec aliunde obstat, quominus retineatur summa notabilis; porro ex hac praesertim detentione oritur, quod furta minuta in unum coalescant. Excipi potest tamen, si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fieret; tunc enim non videretur efficaciter destruere praecedentem restituendi voluntatem; vel etiam, si fur expresse et serio iterum simul proponat, priora furta restituere, quod tamen vix in praxi admitti potest, siquidem serio proponens restitutionem hic et nunc furta non iterat.

612. — Quaer. 8° *An graviter peccet, qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

Resp. Disputatur. I^a Sententia, quae videtur probabilior, *negat*, seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi. Ratio est, quia furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem jam completam, sed potius ad novam, quam tunc fur inchoat et prosequitur. — *Ita S. Lig. n. 538.* — *Lessius l. 2. c. 12. n. 44.*(1) — *Salmant., de restitutione.*

II^a Sententia *affirmat*, quia in hoc novo furtulo fur renovat intentionem retinendi gravem summam jam subreptam(2). — *Ita Lugo d. 16. n. 43.* — *Lacroix n. 1007. etc.* Juxta *alios* sic distinguendum est: peccat graviter ille, si non habeat verum propositum restituendi summam gravem jam possessam; secus, vero, si tale propositum habeat. — *Ita Billuart diss. 11. art. 4.*

613. — Quaer. 9° *An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam?*

Resp. 1° *Negative*, si nescivit, furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Negative* etiam, saltem *probabilius*, si damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso casu conspirationis(3). Ratio est, quia non fuit causa gravis nocumenti parvum quid accipiendo: non enim causa fuit, quod alii alia acceperint; ergo nullo modo illi imputari debet grave damnum, quod dominus patitur. — Nec dicas, quod talis fur tam peccet graviter, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis jam innumeris levibus vulneribus percusso; nam in hoc casu ultimum vulnus inflictum maximum affert nocumentum, cum sine illo vixisset homo, ut supponitur, et cum illo moriatur. Vulnus igitur illud homini adeo aliis vulneribus debilitato non est leve, sed grave. Aliud autem habetur in casu furti; nam ultimum furtum leve non affert magnum detrimentum: eo enim non posito parum minus pateretur dominus in suis bonis, et eo posito parum plus patitur. — *Lugo d. 16. n. 53. et seq.* — *Lessius l. 2. c. 12. n. 52.* et *alii communiter* contra *Bonacina* et *alios plures.*

614. — Quaer. 10° *An, si plures sine communi consilio, sed mutuo exemplo levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

Resp. Negative probabilius ratione *justitiae*, etsi graviter peccent contra caritatem. Ratio est, quia exemplum non est causa positive influens in damnum alienum. — *Ita S. Lig. n. 537.* — *Lessius ibid. n. 52.* et *alii communius* contra *plures.* — Vide dicenda infra *n. 667. Q. 11°.*

Quaer. 11° *Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?*

Resp. Fit triplici modo, scilicet: 1° per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem(1); — 2° per *multiplicationem*, si furta minuta ad summam gravem perveniant(2); — 3° per *conspirationem*, ubi plures conspirant inter se et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

Resolves:

615. — 1° Si fur, intendens pervenire per furtula ad summam gravem, renovet intentionem hanc, quoties

(1) *Lessius* affirmantem sententiam tuetur.
(2) si tamen illius recordatur. — *Lugo.*
(3) vel cooperationis ad totum.

(1) V. notam ad *n. 610. Q. 5°.*
(2) *quin inter illa notabile intervallum intercesserit (n. 610. Q. 4°.)*; tunc enim uniuntur saltem ex objecto magno, quod de facto surreptum est (conf. *n. 609.* et *n. 630. Q. 5°.*).
Quoad restitutionem autem per ejusmodi minuta furta urgentem applicanda sunt principia infra sub *n. 630.* et *n. 699.* exposita.

›ties graviter peccat. Si ta-
nitio intendat surripere ali-
mam determinatam per mi-
, v. g. ne detegatur, *pro-*
unicum admittit peccatum,
ıs est actus moralis; omnes
actus particulares ad quid
iendum determinate tendunt.
› *dicta in tract. de pecc.*
63.

a domino aufert exiguam
valde caram, v. g. florem
singularem, primos fructus
ad aliquem praecipuum vi-
andum destinatos, praevidet-
dominum graviter affligen-
ıli amissione, graviter peccat
itatem, et etiam contra ju-
aliud damnum inde sequatur.
riter peccant mercatores fal-
ibus utentes, quamvis sin-
us in parva materia defrau-
intendunt pervenire ad ma-
ıvem et de facto plerumque
imam perveniunt etc.
ores et ipsorum famuli le-
ccant contra justitiam, ubi
gravem attingunt retinendo
vendendo panni fragmenta
lhuc utilia, quae supersunt.
i alicubi vigeat consuetudo,
solvatur et fragmenta sar-
maneant, aut si constet, do-
lentos non velle fragmenta
ıi vel de illis parum curare.
j. passim.

ARTICULUS II.
ıIS A FURTO EXCUSANTIBUS.
ignatur: 1° necessitas; 2° oc-
culta compensatio.

§. I.
ıssitate a furto excusante.

ıas alia est extrema, alia
alia communis. *Extrema*
, in qua vita ipsa periclita-
ıs vero ea, in qua vita valde
citur; *communis* autem ea,
uperes mendicantes commu-
ıntur.(1)

. *220.*

Principia:

616. — I. Homo potest in extrema(1) necessitate uti bonis alienis, quantum satis est ad se liberandum a tali necessitate(2). Ratio est, quia divisio bonorum, quocumque modo fuerit facta, non potest derogare juri naturali, quod cuique competit, sibi providendi, dum extrema necessitate laborat. Unde in tali casu omnia fiunt communia, adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat. Ergo furtum non committit.(3) — *S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7.* — *S. Lig. n. 520.*

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit gravis, nec *a fortiori* communis necessitas, quia secus domini forent rationabiliter inviti et facilis direptionibus aditus pateret. Hinc damnata est ab *Innocentio XI.* propositio sequens sub *n. 36.*: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.*

Resolves:

617. — 1° Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sit necessarium. Unde, si sufficiat solus usus rei, v. g. equi, cessante necessitate obligatio restituendi manet. — *S. Lig. n. 520. Q. V.*

2° Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restituendi, quia necessitas tunc non exigit rem accipi gratis, si haec sublevetur re mutuo accepta vel commodata. — *Hom. apost. tr. 10. n. 19.*

3° Qui vero in extrema egestate

(1) propria vel suorum — *S. Lig. n. 701. sub fine.*

(2) supposito, quod alia media per se licita et moraliter possibilia non adsint. — *S. Lig. n. 520.*

(3) Id tamen non liceret, si dominus rei per talem ablationem in eamdem necessitatem conjiceretur. — *S. Lig. n. 701.*

rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nec spem habuerit, fore ut aliquando restituere possit, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. — *Hom. ap. ibid.*(1)

4° Quae de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam aut subeundi poenam triremium vel gravissimum aut perpetuum morbum. In his quippe casibus necessitas extrema jam est moraliter praesens. — *Hom. apost. ib. n. 15.*

5° *Probabilius* dives res suas occultans vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate non tenetur ad restitutionem, quia necessitas etiam extrema tamdiu confert pauperi jus ad usum rei alienae, quamdiu ipsa necessitas urget. — *Hom. apost. ib. n. 20.*(2)

Quaesita:

618. — Quaer. 1° *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriae, sed etiam alienae?*

Resp. Affirm. cum *S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 3.* et *aliis communiter.* Ratio est, quia tunc veluti gerit vices indigentis et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum.(3)

619. — Quaer. 2° *An dici possit versari in extrema vel quasi-extrema necessitate, qui est occidendus a latronibus, nisi talem summam pecuniae tradat, vel ille, cui imminneret perpetua aut gravissima captivitas vel aliud simile infortunium?*

Resp. Controvertitur. Affirmant non pauci cum *S. Lig. n. 520., Lugo disp. 16. n. 154.* Ratio est, quia illa necessitas consistit in gravissimo seu extremo periculo, quod habetur, quando quis est ad maximam miseriam redactus aut jamjam moriturus non solum ex penuria ciborum, sed ex alia qualibet causa. *Negant* autem *alii* asserentes, bona evadere tantum communia, quando quis versatur in extrema necessitate ex causis naturalibus, non autem ex pravitate hominum. — *Ita Concina, de eleem. c. 9. q. 4.*

Prior sententia est *communior* et videtur etiam *probabilior.* Hinc in istis casibus licet sibi ex alienis providere saltem per media non exquisita nec extraordinaria, quia, cum hae necessitates non sint frequentes, sequitur, non esse facilem in iis abusum, ut in ceteris casibus facile evenire potest.

§. II.

De occulta compensatione.

620. — Duplex distinguitur compensatio, *legalis* scilicet, et *extralegalis.* Prior locum habet, quando duae personae, erga se invicem debitores, rem alteri debitam reciproce servant; sic v. g., si tibi debeam 100 fr. pro panno, et tu 100 pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione exstinguitur. Haec compensatio sane licita est et ipsa lege con-

(1) Cf. *n. 717. Q. 2°.*

(2) Peccabit tamen ordinarie, si negligit dare necessaria, contra caritatem et, si indigentem positive impedit, etiam contra justitiam, cum onere resarciendi damna ex tali impeditione obvenientia. — *S. Lig. n. 520. Q. III. et VI.; Hom. ap. tr. 10. n. 18.*

(3) Subintellige tamen: si non habet propria, unde succurrat. — *Hom. ap. tr. 10. n. 15.* Hinc in simili casu ex re aliena, quam quis apud se habet, ea saltem in genere licite pauperi dari posse, quae dominus illius rei sub his circumstantiis conferre tenebatur, ait *Lugo d. 16. n. 173. et seq.* Si vero de surripienda re aliena sermo sit, voluntatem indigentis inquirendam esse censeo; agit enim ille, qui aliena surripit, tunc partes indigentis. Si itaque v. g. indigens exigat necessaria praecise ex bonis cujusdam, hic autem ea auferat sine ratione excusante alteri, ut propriis parcat, justitiam laedet. Quae tamen indigens illicite ageret, nec adjuvans licite agere poterit.

matur *(C. C. 1289. et seq.)*. Porior, quae *compensatio occulta* diur, est recuperatio debiti per rei enae invasionem. De hac sola hic endum.

Principia:

621. — I. Occulta compensatio aliando justa et licita esse potest, si quisitis conditionibus satisfiat.

Ratio assertionis est, quia non est icita *compensatio occulta*, si nulla t injuria debitori, nec ulla sequatur rturbatio ordinis juris, neque reiblicae. Porro de his tribus plane ustat positis ponendis. — 1° Nulla iuria fit debitori; nam ex hypothesi tali compensatione accipis tantum , quod certo tuum est vel quod ex icta justitia tibi debetur. — 2° Nulla ordinis juris perturbatio, siquidem pponitur, judicem adiri non posse, ltem sine gravissimo incommodo, vel m jus suum parti laesae restituere n valere. Non enim praetermittitur quod haberi nequit. — 3° Nulla perturbatio seu damnum reipubli- ; satis enim ei consulitur per caues in conditionibus apponendis. — *S. Lig. n. 521.* — *Lacroix n.* — *Antoine c. 5. q. 9.*, ubi di- *Est communis sententia.* — *Colle justitia p. 3. c. 4.*, ubi dicit: *ene omnes theologi.*

?. — II. Conditiones autem reve sunt sequentes:

Ut debitum sit certum. In duim valet istud principium: *Met conditio possidentis.* Ergo o compensatio illicita et int.

t debitum non possit aliter ıri, saltem sine gravi detriel incommodo. Etenim si cresit per meram petitionem vel ad judicem obtinere, quod ur, jam se compensando inblicae potestati facit, ideoque is ordinem delinquit.

umatur res in eadem speri possit. Secus enim res debitoris sine ejus consensu et proi injuste permutaretur.

4° *Ut damnum debitoris praeveatur*, scilicet procurando, ut debit periculo bis solvendi non exponatu si forte restituturus sit. Hinc, si ca sus ille aliquatenus praevideatur, al quo modo monendus est, v. g. pe fictam renuntiationem seu condonatio nem etc. Si autem facta compensatione restituat, ipsi iterum erit restituendum. — Ceterum casus ille rarus erit, siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi. — *S. Lig. n. 521.* (1)

Quaesita:

623. — Quaer. 1° *An famuli judicantes, salarium esse infra operam a se praestitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Negative, saltem generatim loquendo, cum sententia communi. Constat: 1° *ex propos. 37.* ab *Innocentio XI.* damnata: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* — 2° *Ex ratione:* Nam agerent contra pactum, cum in pretium minus consenserint, et aliunde nihil ipsis debeatur, nisi pretium, de quo conventum est. Praeterea, si id liceret, via innumeris furtis panderetur: famuli enim sibi facile persuaderent, stipendia esse justo minora, et sic nulla securitas dominis superesset. — Idem etiam dicendum ex paritate rationis de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recurrere vellent praetextu, quod viliori pretio operas suas locaverint vel merces suas vendiderint.

Dixi: *Saltem generatim loquendo;* quia excipiunt *non pauci:* 1° si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale; 2° si

(1) 5° *Ut debitum sit ex justitia.*

necessitate compulsus in illud consenserit(1), modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit; — 3° si invitus operibus indebitis gravetur. — *Ita S. Lig. n. 522.*

Quaer. 2° *An saltem famulus augens operas debitas se compensare possit?*

Resp. 1° *Negative,* si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2° *Affirmative,* si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua jure censetur.(2) — *S. Lig. n. 523.*(3)

624. — Quaer. 3° *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit vel cui certo jam satisfecit?*

Resp. Affirmative, quia sententia judicis est injusta, utpote innixa in falsa praesumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit.(4) Standum est quidem semper sententiae judicis in *materia juris,* nisi de lege evidenter injusta agatur; secus vero, secluso scandalo, si certo erret judex circa factum. Taliter enim judicat, quia id verum putat, nec habet facultatem dominium transferendi; secus enim, qui sententiam favorabilem obtinuisset, etiam detecto errore rem sibi adjudicatam servare posset, quod falsum est. — *Ita communiter.* — *Moullet t. 1. p. 491.*

625. — Quaer. 4° *An graviter et contra justitiam peccet, qui se compensat, quin prius ad judicem recurrerit, cum recurrere possit?*

Resp. 1° Non peccat *per se contra justitiam,* modo stricte tantum accipiat, quod sibi debetur et ceterae conditiones supra assignatae adimpleantur, nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, cum facta hac compensatione restituatur aequalitas inter ipsum et debitorem. Dixi *per se;* quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione talis rei determinatae, v. g. equi, rei pretiosae etc. — *Lugo d. 16. n. 91.* — *Antoine p. 3. c. 5. q. 10. etc.*

Resp. 2° Nec peccat *graviter* generatim loquendo, quia ordinarie nec sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis reipublicae perturbatio. — *Lugo ibid.*

Resp. 3° Nullo modo peccat, si valde difficilis sit recursus ad judicem ob scandali periculum, sumptus extraordinarios etc., quia tunc recursus est moraliter impossibilis.(1)

---

(1) Poterit in tali casu compensatio fieri usque ad pretium justum infimum. — *S. Lig. n. 522.*

(2) Quaenam autem compensatio justa sit, judicio etiam famuli relinqui potest, modo sit timoratus, prudens et proprii amoris periculum absit, quod tamen admodum raro eveniet. — *S. Lig. n. 524.*

(3) Asserunt etiam, posse filium, in quantum ipsi jus *certum* competit in aliqua, quae in negotio patris lucratus est *(n. 547.)*, sibi compensare ejusmodi lucra, posita tamen duplici conditione, scilicet ut ob reverentiam (adde: vel ob aliam causam rationabilem) illa non petierit, ideoque debitum illud patri remisisse nequaquam censendus sit; dein ut patri ex hac taciturnitate damnum non provenerit, v. g. quia alium invenire potuisset, qui gratis operam praestitisset. Est vero tale stipendium computandum ad normam salarii, quod extraneis pro ejusmodi labore debetur. — *Lugo d. 5. n. 42.* — *S. Lig. n. 488. III.* — *Scav.*

(4) Cf. *n. 102.*

(1) Confessarii vero in hac delicata materia caute procedant, ita ut vix compensationem consulant, raro eam permittant; pro jam facta tamen restitutionem non exigant, si conditiones, quae eam licitam reddunt, adsint. — *Stapf.*

PARS III.
'E RESTITUTIONE.

SECTIO I.
TITUTIONE IN GENERE.

m: 1° de obligatione restitutio-
e radicibus restitutionis; 3° de
ıtiis restitutionis; 4° de causis
one excusantibus.

CAPUT I.
IGATIONE RESTITUTIONIS.

tio quoad nomen idem sonat,
o rei in pristinum statum.
m est juris alieni redditio
atio. — In sensu stricto de-
ei alienae redditio, vel damni
pensatio.

ncipia:

— I. Restitutio *in re* vel sal-
oto absolute(¹) ad salutem
est *per se,* i. e. si de ma-
i agatur.

stat ex principiis supra sta-
532. Etenim justitia com-
necessario exigit, ut violatio
i cesset; atqui cessare nequit
estitutionem, ut patet. Ergo
necessaria est.

stat etiam ex scriptura sacra.
. *33. 14.: Si autem dixeris*
orte morieris; et egerit poe-
a peccato suo, feceritque
et justitiam, et pignus re-
ille impius, rapinamque
it . . .: *vita vivet et non*
Et *Jac. 5. 4.: Ecce mer-*
riorum, qui messuerunt re-
ıtras, quae fraudata est a
ımat; et clamor eorum in
mini Sabaoth introivit.

ıtat ex unanimi consensu ss.
Sic in particulari *S. Augu-*
. 153. ad Macedonium)
remittitur peccatum, nisi
ablatum, cum restitui

odo tamen ille, qui restituere
ınc obligationem sufficienter
—

potest. — Haec verba s. doctoris inserta sunt juri canonico *(cap.* Si res aliena (1.) *causa 14. quaest. 6.)* et ex illis efformata est *regula 4. juris in 6°: Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Dixi: *in re vel in voto;* restitutio enim *in re* non est necessaria necessitate medii ad salutem, sed tantum praecepti. Aliquando scil. impossibilis est *in re,* et tunc non urget; sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest, i. e. qui semel fuit restitutioni obnoxius, semper firmum habere debet propositum restituendi, quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret sicque in peccato habituali versaretur. — *Ita omnes.* — Hinc *S. Augustinus* in textu modo citato dicit: *cum restitui potest.*

627. — II. Praeceptum restitutionis est primario *negativum,* secundario autem *affirmativum.* Ratio primi est, quia restitutionis praeceptum immediate fundatur in obligatione non violandi jus alienum seu in obligatione, rem alterius neque accipiendi, neque retinendi. Haec autem obligatio est primario *negativa,* ut patet, ac proinde urget *semper* et *pro semper,* i. e. urget quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit. — Ratio secundi est, quia obligatio rem alienam non recipiendi nec retinendi, in qua primario et immediate fundatur praeceptum restitutionis, non potest impleri, quin fiat actio positiva, qua domino reddatur id, quod suum est.

III. Non datur obligatio restitutionis, nisi ob violationem juris *stricti* seu justitiae *commutativae* (¹), non autem juris honestatis simpliciter. Ratio est, quia hoc efficit restitutio, ut res proximo debita exaequet jus illius injuste violatum. Jam vero hoc fieri nequit, cum de violatione juris honestatis sermo est. Si quis enim jus

(¹) Casum, qui exceptionis speciem prae se fert, cf. in *nota* ad *n. 533.* et sub *n. 670. Q. 14°.*

laedat superioris sui vel proximi, illi denegando obedientiam, huic solamina caritatis, violatio illa stricte reparari nequit, quia novus actus obedientiae vel caritatis non repararet jus violatum, sed satisfaceret tantum praecepto, quod semper urget, obediendi superiori et proximum in angustiis sublevandi. — Cf. *n. 532. 533.*

Quaesita:

628. — Quaer. 1° *An impotens restituere ex bonis ejusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest per ea compensatio. Non posset enim umquam sciri, quantum *arithmetice* restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. — *S. Lig. n. 627.* — *Lacroix* et *alii communius.*

Affirmant tamen *plures*, quia ille, qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem, quam potest. — *S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2.* — Hanc sententiam dicit probabilem *S. Lig.*, sed primam ut probabiliorem habet.

Nota: Certum est, quod per justitiam vindicativam potest a judice vel a superiore imponi, ut quis pro injuria circa unum bonum aliquid praestare teneatur in genere alterius boni, sed *probabilius* ratione poenae tantum, non vero ratione justitiae. Laesus autem jus habet apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accipit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic v. g. mulier ab aliquo violenter oppressa violatorem ad judicem compellere potest vel pecuniam a nebulone exigere, ut juri suo renuntiet.(1)

629. — Quaer. 2° *An inducatur obligatio restitutionis ex actione affective tantum, non vero effective juris alieni laesiva?*

Resp. Negative prorsus, quia nulla injuria realis proximo infertur, quamvis agens graviter peccet actu interno tum contra caritatem, tum etiam contra justitiam *affective* seu cordis desiderio. Ergo nulla injustitia realis reparanda est. Hinc ab onere restitutionis eximendus est judex malevolus proferens sententiam, quam putat injustam, si reipsa justa est; vel ille, qui rapit rem, quam existimat alienam esse, dum sui ipsius est. — *S. Lig. n. 556.* — *Recole dicta supra n. 602. 603.*

Quaer. 3° *An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?*

Resp. Negative probabilius, si habitualiter perseveret mala voluntas non restituendi. — *S. Lig., de pecc. n. 40.* — *Recole dicta in tract. de peccatis n. 166.*

630. — Quaer. 4° *An furtula diversis personis facta ad restitutionem* sub gravi *obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum in tali casu* dominis ipsis *etiam* sub gravi *restituendum sit?*

Resp. ad 1um. *Affirmative,* quia praeceptum non furandi non solum prohibet, ne damnum inferatur, sed etiam, ne quis ditescat ex re aliena. — *Ita communiter.* — *Recole dicta supra n. 609. 610.*

Resp. ad 2um. *Negative probabilius.* Ratio est, quia ex hypothesi nullus dominus gravem injuriam passus est.(1) — Si autem domini sint ignoti, sub gravi pauperibus restituendum est.(2) — *S. Lig. n. 534.*

Quaer. 5° *An* sub gravi *restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?*

---

(1) Congruum praeterea est, confessarium in similibus casibus poenitenti pro poenitentia vel ex aequitate aliquid laeso elargiendum imponere, maxime si pauper sit. — *S. Lig. l. c.*

(1) Potest ergo *sine gravi laesione* restitutio fieri pauperibus vel locis piis; imo, si causa rationabilis accedat, v. g. necessitas urgens pauperum etc., veniale quoque aberit. — *S. Lig. n. 534. 595.* Cf. etiam infra *n. 632. 3°.*

(2) Cf. *n. 701.*

Resp. Affirmative, quia, quamvis graviter non peccaverit furando, est tamen injustus possessor rei gravis et proinde graviter peccabit rem subreptam retinendo. Hoc valet, etiamsi furta diversis personis facta fuerint; secus enim ille ex re aliena absque gravi peccato ditescere posset, quod ex dictis repugnat.

631. — Quaer. 6° *An fur, qui gravem pecuniae summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?*

Resp. Negative. Tenetur tantum restituere sub gravi id, quod materiam gravem complet, quia hoc restituto materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam levem restituendam; sed tunc obligatio(¹) non ex re levi, sed ex cumulo gravi oriretur. — *S. Lig. n. 553.*

Quaer. 7° *Utrum anima defuncti detineatur in purgatorio, uti ajunt, donec ab illius haeredibus facta fuerit restitutio?*

Resp. Negative. Hic est error vulgi, qui exortus est ex quibusdam fictis aut male intellectis revelationibus, quibus scilicet perhibentur animae in purgatorio degentes apparuisse restitutionem postulantes, ut a flammis liberarentur. Ratio patet. Nemo enim in altera vita punitur, nisi pro culpa, quam personaliter commisit in vita praesenti, non autem pro culpa haeredum. Attamen si haeredes solliciti fuerint restitutionem peragere, ut satisfactionem aliquam pro anima debitoris exhibeant, pie confidendum est, Deum hanc, ex parte saltem, accepturum esse.

Resolves:

632. — 1° Qui constituitur in impossibilitate rem alienam aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interdum comparare, unde obligationi suae quamprimum satisfaciat.

2° Si quis totum nequeat restituere, ad partem remanet obligatus, si agatur de divisibili et pretio aestimabili. Persona enim laesa jus habet ad singulas partes, sicuti ad totum.

3° Qui rem levem proximi surripit vel possidet, tenetur ad restitutionem erga dominum laesum *sub levi* et cum damno huic rei proportionato; debet enim reparari injustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Facilius tamen dari potest tunc ratio excusans a restitutione, praesertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quaecumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit. — *S. Lig. n. 534.*

4° Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere; qui bis aut ter se restituturum pollicitus suis promissis non stetit(¹); qui haeredibus suis curam restituendi relinquit, dum per seipsum id facere posset; qui aere alieno gravatus in victu, vestitu, famulatu etc. expensas subit, ob quas praevidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. Idem dicendum de illo, qui bona gaudens fortuna non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat.

5° Nec absolvendi sunt, qui futiles praetextus adferunt ad restitutionem differendam, v. g. qui dictitare solent: *Non auferam bona mea in tumulum . . . . restituent haeredes . . . . statuam in testamento, faciendam esse restitutionem . . .* vel: *Jam praecepi filiis meis, ut quamprimum ipsi restituant. . . .* Etenim sunt reputandi male dispositi, qui facere nolunt hic et nunc, quidquid possunt ad proximo satisfaciendum: 1° quia indesinenter urget restitutionis praeceptum, et creditor injuriam et damnum ex dilatione patitur; 2° quia male providetur restitutioni faciendae, hanc committendo haeredibus, quippe qui similiter ad vitae suae finem protrahere possunt;

3° quia forte deerit tempus testamentum condendi, vel, si condatur, forte etiam variis de causis aut praetextibus exsecutioni mandandum non erit.

6° Caute agere debet confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis. Sic procedere ipsum juvabit: 1° Si poenitens videatur in bona fide, nec supersit tempus, eum de sua obligatione prudenter monendi, aut praevideatur, non profuturam esse monitionem, omissa monitione erit absolvendus. 2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si versetur poenitens in ignorantia vincibili, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3° Si obligatio occulta sit nec statim fieri queat, erit inducendus aeger ad summam pecuniae ipsi confessario vel viro fideli committendam, ut postea creditori secreto remittatur, vel ad eam summam in testamento ipsi relinquendam, omissa restitutionis mentione. (1) 4° Si obligatio non sit occulta nec statim adimpleri possit, procuret confessarius, ut per haeredes certo facienda sit, sive per schedulam creditori tradendam etc.

CAPUT II.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

633. — Radices restitutionis sunt causae, ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici capite desumuntur, scilicet 1° ex acceptione rei alienae; — 2° ex injusta damnificatione; — 3° ex injusta cooperatione.

Nota: Cooperatio recidit quidem vel in acceptionem vel in injustam damnificationem; sed ad majorem rerum adeo intricatarum distinctionem eam seorsim spectare satius esse duximus.

ARTICULUS I.

DE ACCEPTIONE REI ALIENAE.

Principium generale:

634. — Solus rei dominus habet jus *per se* eam possidendi, nec rei dominium amittit, ad cujuscumque manus deveniat. Dicitur vero: habet jus *per se*, quia alius possessor quilibet, etiam bonae fidei, non nisi *per accidens* et ex errore invincibili jus habet rem possidendi. — *Ita omnia jura statuunt.* — Ex hoc autem generali et fundamentali principio sponte sua fluunt haec quatuor notissima axiomata, quae saepe saepius in decursu hujus tractationis ad solvendos casus recurrent, scilicet:

1° *Res clamat domino,* i. e. domino competit jus strictum rem suam recuperandi, ubicumque eam invenit.

2° *Res fructificat domino.* Ratio hujus axiomatis est, quia fruitio necessario in idea dominii perfecti includitur.

3° *Res naturaliter perit domino.* Etenim, deficiente dominii objecto, eo ipso evanescit et ipsum dominium. Si tamen exsistat adhuc *in aequivalenti,* istud *aequivalens* domino competit.

4° *Nemo ex re alterius locupletari debet.* — Vel aliis verbis: *Mensura restitutionis est quantitas rei detentae.* Ratio patet: soli enim domino rei competit, fructum aliquem ex eadem percipere.

Verum haec principia generalia modificantur pro diversa conditione possessoris et aliquando pro varia locorum legislatione.

Nota: Homo potest fieri possessor rei alienae cum bona vel mala aut dubia fide. Dicendum ergo 1° de possessore bonae fidei; 2° de possessore malae fidei; 3° de possessore dubiae fidei.

---

(1) Permagnae autem difficultates plerumque oriuntur, si moribundus ex rapinis occultis opes acquisierit, cum ex una parte obligatio gravis restituendi damnificatis et, si hoc fieri nequit, applicandi injuste acquisitum in causas pias urgeat, ex altera parte causarum excusantium, famae moribundi, restrictionum juris disponendi, quas lex civilis statuit, ratio habenda sit. „Quod si non sit amplius modus testamentum condendi, curet moribundus", monet *Scavini*, „ut per suos haeredes plures celebrentur missae plurаque tribuantur pauperibus etc., sic intendendo suis obligationibus, quoad potest, satisfacere." — Cf. etiam *n. 708. 2°.*

§. I.

De possessore bonae fidei.

Possessor *bonae fidei* ille est, qui *invincibiliter* ignorat, rem a se possessam esse alienam, seu prudenter judicat, esse suam, v. g. quia illam acquisivit titulo *de se* dominii translativo, puta haereditatis, legati, donationis aut emptionis. Supponitur autem, illum rem possessam nondum praescripsisse; secus enim jam non esset detentor *rei alienae,* sed suae.

Principia:

635. — I. Possessor bonae fidei statim ac novit, rem a se possessam esse alienam, tenetur eam adhuc exstantem in toto vel in parte vel in emolumento domino restituere. Ratio est, quia, nisi talis possessor *rem* vel aequivalens restitueret, *bonum alienum* invito rationabiliter domino retineret, siquidem illius jus strictum violaret id retinendo, ad quod nullum jus habet, et proinde jam iniquus detentor fieret. — *Ita omnes.*

II. Possessor bonae fidei ad nihil prorsus tenetur, si durante bona fide rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, *modo ditior inde non evaserit*(1). Etenim non tenetur ratione rei acceptae, quae amplius non exstat; neque ratione injustae acceptionis aut consumptionis aut destructionis, quia rem bona fide possidebat: nemo enim restituere tenetur ratione injustae damnificationis materialis, sed tantum formalis. Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit aut ex ejus negligentia illa perierit. Ratio est, quia nulli injuriam inferebat, rem, quam credebat suam, destruendo aut negligendo. Jure etiam positivo confirmatur. Sic enim *l. II. §. 3. ff. de petit. haered.: Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelae subjectus est.*(1)

Dixi: *modo ditior inde non evaserit*, quia id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet; et est contra jus naturale, aliquem cum alterius injuria ditescere, juxta hanc *regulam 48. juris in 6°: Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura.*

Quaesita:

636. — Quaer. 1° *An possessor bonae fidei teneatur restituere fructus, quos durante bona fide percepit?*

Resp. Distinguendi sunt fructus diversae speciei: 1° Fructus *naturales,* qui ex ipsa rei substantia sine ulla aut ex modica hominis opera proveniunt, ut sunt gramina etc. — 2° Fructus *industriales,* qui potissimum actioni possessoris re utentis tribuuntur(2); plerumque autem fructus sunt partim naturales et partim industriales, ut segetes etc., et vocantur *mixti.* — 3° Fructus *civiles,* qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales a jure habentur, ut sunt reditus annui, pretium locationis domus etc.

Dico 1° Possessor bonae fidei *ex nullo jure* tenetur restituere fructus *industriales,* quia ratione industriae ad possessorem vere pertinent. — *Ita omnes.*(3)

Dico 2° *Ex jure naturali* possessor bonae fidei restituere debet omnes alios fructus sive *naturales,* sive *civiles,* expensis tamen et laboribus deductis. Ratio est, quia ex jure naturali ad eum pertinent, ad quem causa ipsa *fructifera* pertinet, cum ex re ipsa proveniant, juxta axioma: *Res fructificat domino.* — *S. Lig. n. 610.*(4)

(1) parcendo v. g. rebus suis, quas secus consumpsisset.

Perseverante autem post diligentem inquisitionem dubio, an factus sit ditior, ex lege possessionis ad nihil tenetur. — *S.*

* (1) Convenit *C. A. 329.*

(2) v. g. meliorationes factae, lucrum perceptum ex pecunia per negotiationem.

(3) *Mixti* vero debent restitui, in quantum naturae, non vero, in quantum industriae respondent. — *S. Lig. n. 610. 825.*

Dico 3° *Ex jure romano* restituendi sunt fructus *naturales percepti* et adhuc exstantes, juxta communem interpretationem, licet jus non semper adeo clarum sit. *Controvertitur* autem quoad fructus non amplius exstantes seu consumptos. Dicunt plures *non improbabiliter,* nihil esse restituendum, licet possessor ex iis ditior evaserit, quia restitutionis obligatio probari non potest neque ex *jure,* quod silet vel non sat clarum est, neque ex *praxi tribunalium*, quae possessori favet. — Excipe tamen casum, in quo quis possedit alienam haereditatem, ex qua fuit evictus(¹); tunc enim ex jure evidenter tenetur reddere id omne, ex quo ditior factus est. Sed quoad ceteros casus non ita liquet. — *Vide Carrière n. 1052.* — *Communius* vero theologi saltem ex jure naturali obligant ad restituendum id omne, ex quo possessor ditior factus est. — *Ita S. Lig. n. 607.*

Dico 4° *Ex jure gallico* omnes fructus, quicumque sint, assignantur possessori bonae fidei, modo rem ipsam possideat ut proprietarius et ex titulo, qui ex natura sua dominium transferre valeat. — *Cod. Civ. 549. 550.* — An vero haec juris gallici dispositio etiam in foro conscientiae valere possit? *Probabilius* affirmandum est, quia rationabiliter praesumi potest, talem esse vim legis, cum sic intellecta multo magis bonum publicum promoveat, de medio tollendo inextricabiles querelas et difficultates, quae jugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum etc. — *Ita Carrière n. 1054.* — *Vernier n. 564.* — *Gousset n. 931. etc.* contra *plures.*(¹)

637. — Quaer. 2° *Ad quid teneatur possessor bonae fidei, si rem alienam alteri donaverit?*

Resp. Ad nihil tenetur, si ditior minime factus sit, ut sequitur ex dictis supra in principio II. Secus restituere debet id, in quo ditior evasit, ut ex principio I. constat.

Quaer. 3° *An vero facta donatione et errore detecto teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat?*

Resp. Negative ratione justitiae, quia nullam fecit injuriam domino, rem illam ut suam donando. (²) Sed tenetur ratione caritatis, si facile id praestare possit; hoc enim ex generali caritatis principio perspicuum est.

638. — Quaer. 4° *Ad quid teneatur possessor bonae fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° *In casu evictionis* seu in casu, quo dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium suum reddere tenetur. Ratio est, quia in tali casu venditio est omnino irrita ex jure naturali et ex jure positivo; interveniente enim evictione contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit. Etenim venditor rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum ejus reparandum, si forte futura esset evictio(³). Idem teneto

---

communiter fructibus civilibus accensetur. — *Ferraris, Pr. Bibl.* ad v. *Possessor n. 7.* — *S. Lig. l. c.* — *Gousset p. 1. n. 706.* — *Scav. p. 2. tr. 6. disp. 1. c. 2. Q. 2.*, qui tamen *ib. tr. 7. disp. 1. c. 1. Q. 3.* has usuras fructibus industrialibus adnumerat, minus recte quidem, cum fructus isti, praesertim nostro tempore, multum ad naturales accedant, et usura non pro industria locantis detur, sed pro usu ipsius rei alienae. — Cf. *Lugo disp. 17. n 50. 51.* Hinc, praescindendo a legibus civilibus, etiam possessor bonae fidei usuras, quas de facto percepit, juxta regulas supra traditas domino restituere debebit.

(¹) Cf. *n. 638. Q. 4°.*

* (¹) Ex jure austriaco possessori bonae fidei omnes assignantur fructus jam separati aliaque emolumenta jam percepta, quae tempori talis possessionis correspondent. *(C. A. 330.)* Cui legi in foro conscientiae acquiescendum est, cum faveat bono communi ac possessionum tranquillitati.

(²) Sed v. *n. 662. Q. 3°.*

(³) Cf. *n. 888.*

Si vero venditor a fure pretium suum recuperare forte nequeat, id per accidens

in casu spontaneae restitutionis ab emptore factae erga dominum(¹), ob eamdem rationem. — *S. Lig. n. 601.* — *Salm. n. 89.* et *alii omnes.* — Idem pariter dicendum est, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Ultimus enim possessor rem domino cognito reddere debet, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent.(²)

Resp. 2° *Extra casum evictionis* vel spontaneae restitutionis ex parte emptoris res difficultate non caret et acriter *controvertitur.* Sic nobis resolvendum esse videtur:

1° *Ex jure romano* venditor ad nihil tenetur, saltem *probabilius,* nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienae bona fide peracta non habetur in jure ut omnino irrita. Licet enim in ea non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. — *Ita valde communius.* — *S. Lig. n. 601.* — *Lugo disp. 17. n. 108.* — *Salm. c. 1. n. 88.* — *Vogler* etc. contra *Billuart art. 10.* et *alios,* qui venditorem obligant ad pretium domino vel emptori reddendum; quia, ajunt, venditio rei alienae est prorsus invalida.

Nota: Non tenetur venditor monere dominum, ut rem suam recuperare possit; nec indicare emptori, rem alienam esse, si id detegat post venditionem bona fide peractam, quando eum admonendo pretii accepti amittendi obiret periculum. — *S. Lig. ibid. et alii.*

2° *Ex jure gallico* crescit difficultas, quia ex *art. 1599. C. C.* irrita declaratur venditio rei alienae. Si igitur, ajunt, contractus plane irritus fuerit, emptor pretii dominium in venditorem non transtulit, nec proinde jus ullum habet venditor ad pretium illud servandum. Ergo pretium videtur refundendum in dominum, si ille rem suam ab emptore repetere nequeat. — *Ita Carrière n. 1047. cum aliis.*

Attamen contradicunt alii, quorum sententia *sat probabilis* videtur. Etenim non plane constat etiam ex jure gallico novo, venditionem rei alienae nullos omnino effectus habere. Haec enim tantum rigorose sequuntur ex citato articulo: 1° dominum rei jus suum in eam servare; 2° emptorem subjici evictioni; 3° venditorem in casu evictionis aut restitutionis ex parte emptoris obligari ad pretium emptori restituendum. Nihil aliud ex praxi tribunalium deduci potest. Quid enim causae habetur inter venditorem et dominum rei? Qualem recursum hic in illum sibi tribuere potest? Insuper durissimum foret, ut ille, qui nec rem alienam amplius habet, nec ex ea ditior factus est, obligetur ad tantum incommodum sponte subeundum. Recursum habet dominus sive in actualem rei possessorem, sive in furem, ut jus suum aut juris violati reparationem obtineat. — *Ita Gousset n. 929. et alii.*

639. — Quaer. 5° *Ad quid vero teneatur possessor bonae fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° *In casu evictionis* tenetur emptori damnum rependere, ut diximus in casu praecedente.

Resp. 2° *Extra casum evictionis,* quando scilicet res a domino recuperari nequit sive ex eo, quod ultimus possessor eam consumpserit, sive quod ipse amplius non compareat, venditor juxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex toto illo pretio vere ditior factus est, cum rem gratuito acceperit nec proinde ullam jacturam illius occasione passus fuerit, dum econtra dominus

---

est nec impedit obligationem indubiam restitutionis. V. *n. 644.*

(¹) Venditor tamen, si ob talem restitutionis modum damnum passus est, hoc compensare posset negando pretium vel partem ejusdem, dummodo emptor ad restitutionem domino faciendam coactus non fuerit. — V. *Lugo disp. 17. n. 109.*

(²) Convenit *C. A. 366. 367. 378. 333. 922.*

re sua injuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Unde postulare videtur naturalis aequitas, ut hic indemnis fiat ex lucro a venditore absque ullo titulo acquisito. — *Vogler n. 66.* et *alii innumeri.*

Plures tamen venditorem ab omni obligatione liberant, quia in eum nullum recursum habere potest dominus, haud secus ac in casu praecedenti. — *Ita Gousset n. 930.* — Attamen in praxi a communi sententia recedendum non esse existimo.

640. — Quaer. 6° *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et majori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur?*

Resp. 1° *Negative,* si lucrum istud industriae extraordinariae tribuendum sit, v. g. si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris. — *Affirmative* econtra, si res ex natura sua aut ex communi hominum aestimatione, non vero ex detentoris industria creverit, quia in eo casu domino crescit.

Resp. 2° In aliis vero casibus *controvertitur.* Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est. — *Billuart* etc. *Negant* vero *alii communius* et *probabilius.* Ratio est, quia totum illud lucrum fructus industriae possessoris esse videtur(¹). — *Ita Lugo disp. 17. n. 20.* et *alii sat communiter,* ut fatetur *Billuart.*

641. — Quaer. 7° *Ad quid teneatur possessor bonae fidei, si rem alienam vendiderit et illa in manibus emptoris perierit?*

Resp. 1° Si rem habuit *ex titulo oneroso, probabilius* ad nihil tenetur, ut sequitur ex dictis in quaesito quarto. Etenim 1° non tenetur *ratione rei,* cum illam jam non habeat; 2° neque *ratione damni,* cum non sit causa ejus interitus, neque aliunde furto formaliter cooperatus fuerit.

Resp. 2° Si rem habuit *ex titulo gratuito,* crescit difficultas, quia ditior evasit. In varias sententias quoad illam quaestionem abeunt theologi et undique adstant ambages. Triplex sententia praecipue distinguitur.

Iª Sententia, quae probabilior videtur, docet, pretium emptori restituendum esse. Etenim illud servare nequit venditor, cum ex illo toto ditior evaserit. Aliunde istud domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Insuper, si primus possessor malae fuerit fidei, ut saepius accidit, ille de rei valore erga dominum tenetur. Aliunde, cum venditio invalida fuerit, emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam. — *Bouvier* — *Carrière etc.*

IIª Sententia *sat probabilis* tenet, pretium domino esse restituendum. Ratio est, quia, cum injuste re sua spoliatus sit, indemnis fieri debet. Re autem jam non exsistente aequum est, ut accipiat id, quo res repraesentatur. Atqui repraesentatur pretio, quod habet venditor. — Aliunde nullitas venditionis emptori minime nocet. Etenim ei non magis nocet, quam si contractus validus foret; porro si validus esset, nihil posset repetere. Excipiunt plures recte, si res aeque periisset apud dominum, v. g. ex vitio intrinseco aut ex vetustate; tunc enim revera ipsi periisset.

IIIª Sententia dicit, venditorem posse pretium sibi retinere, quia nec domino, nec emptori illud restituere debet. Etenim: 1° *non domino,* quia res ipsi periit in omni casu; 2° *non emptori,* quia pecunia, quam venditor accepit, non praecise rem repraesentat, sed potius obligationem, quam in se suscipit, indemnem servandi emptorem in casu evictionis. Sed emptor non fuit evictus. Ergo venditor pretium retinere potest ratione rei derelictae.

(¹) vel potius: quia computari nequit inter fructus, sed ortum est per accidens occasione rei alienae.

ec sententia, paucos adnumerat panos, nec sat probabilis videtur.

542. — Quaer. 8° *Quid agendum, inter varios possessores bonae fidei us malae fidei adfuerit?*

Resp. Illa circumstantia nihil prorin conditione aliorum possessorum nutat, quicumque sit locus, quem serie possessorum ille occupaverit. ıgulis enim incumbit eadem obliga- erga dominum, ac si possessor ille nae fidei fuisset, siquidem mala ejus es in alios nullatenus redundat. Iste em malae fidei possessor tractandus t, ut mox de possessoribus malae ei dicetur.

Quaer. 9° *Quid agendum, si possor bonae fidei detegat quidem, a se possessam esse alienam, l dominus non compareat?*

Resp. De hoc statuendum est, sicut re inventa. Probabilius igitur possor rem illam servare potest. — *cole dicta n. 578.*(1)

543. — Quaer. 10° *An possessor ae fidei subducere possit expen- necessarias, quas in re conserda vel augenda subiit?*(2)

'esp. Deducere potest omnes ex- *necessarias,* imo et *utiles* seu rem in suo esse conservant et rem efficiunt; secus enim domilus, quam suum est, reciperet. autem repetere potest pro ex- *voluptariis,* quia aequum non ominum solvere expensas, quas et facere ex eo, quod nullam litatem adferant.(3)

—

'ide ex jure aust. dicta de re in-

ossessor bonae fidei expensas neatque utiles repetere potest juxta ctualem, dummodo hic valor exossessore bonae fidei peractas t. *(C. A. 331.)* Quod attinet s voluptarias, dominus ad illas latenus ipsae augent rei valoısor tamen eas auferre potest, quat absque rei substantiae mutatione. *(C. A. 332.)* t tamen acquitas, ut impenae saltem compensentur, in

Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens* causata. Sic v. g., si in colendo agro alieno perierint equi tui, valor equorum deduci nequit, sed tantum aestimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

644. — Quaer. 11° *An ille, qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1° *Negative,* si compareat dominus rem suam repetens; tunc enim debet eam ipsi reddere etiam cum pretii sui jactura, quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest, in quocumque loco eam reperiat. — *Ita omnes.*(1)

Excipe tamen *ex jure gallico* casum, in quo res empta fuerit in foro publico, vel ab eo, qui res hujusmodi vendere solet; tunc enim emptor domino rem non tenetur reddere, nisi pretio soluto *(C. C. 2280.).* Haec autem juris dispositio probabilius valet etiam in foro conscientiae, quia est utilissima bono publico, tranquillitati possessionum et valde commercio favet. — *Ita communius.* — *Bouvier, de possessore bonae fidei.* — *Carrière n. 1041.* — *Gousset n. 1028.*

Resp. 2° Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, *probabilius* potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet(2), quia emptor

---

quantum rei valorem vere augent et proprietarius ex iis ditescit, nisi absque deterioratione auferri possint. — Ita *Scav.*

Varias de hoc puncto sententias v. apud *Lacroix l. 3. p. 2. n. 222.*

* (1) Convenit *C. A. 378.* Exstant tamen casus, in quibus bonae fidei possessor rem sibi juste retinere valet, quia dominium in hisce acquirit. Ipse dominium sibi parit ex codice austr., si rem mobilem publica emit auctione; si rem emit a venditore ad illud commercium habilitato; si rem titulo oneroso consecutus est ab eo, cui ipsa a domino tradita fuerat ad usum, vel ad depositum, vel ad quemlibet alium finem *(C. A. 367.)*; si rem tam mobilem, quam immobilem per praescriptionem obtinuit.

(1) quae sententia indubia videtur, si

non tenetur rem domino servare cum proprio damno. — *Ita S. Lig. n. 569.* — *Lugo* — *Lessius etc.* — *Negant* tamen *alii probabiliter,* quia res clamat domino. — Sic *Lacroix* — *Layman* — *Carrière n. 1042.* etc.

Resp. 3° Si fur aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor cognito domino rem aliis vendere non potest nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus, sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura.(¹) Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum.

§. II.

De possessore malae fidei.

Possessor malae fidei ille est, qui cognoscit, rem, quam accepit aut possidet, non esse suam.

Principia:

645. — I. Possessor malae fidei restituere debet rem ipsam *in individuo,* si exsistat, vel *in aequivalenti,* si non exsistat, et id omne, in quo factus est ditior, ut de possessore bonae fidei dictum est.

II. Tenetur praeterea ad compensandum omne damnum ex acceptione injusta proximo illatum, etiam si ditior non fuerit factus. Ratio est, quia per acceptionem *formaliter* injustam ac per se damni efficacem violavit jus proximi. Requirit autem justitia commutativa, ut illata injuria ex integro reparetur.

III. Potest tamen retinere fructus industriales omnes et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in poenam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 10. n. 74—77.*(¹)

Quaesita:

646. — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem fur, qui surripuit rem certo secus perituram?*

Resp. Affirmative, deductis tamen expensis factis cum pretio operae adhibitae ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.

Excipiunt plures *probabiliter,* si fur consumat rem in certo periculo remanentem, v. g. esculenta vel poculenta incendio certo peritura: quia res non liberata a periculo nullius est valoris pro domino. — *Lugo d. 18. n. 77. 144. et seq.* — *S. Lig. n. 620.* — *Elbel n. 80.*

Plures hoc extendunt ad casum, in quo res aliena proximo periculo subducitur et statim consumitur: v. g. si sumas vinum alienum jamjam incursu hostili certo invadendum, illudque cum familia aut amicis bibas. — *Lugo.* — *Elbel ibid.*

647. — Quaer. 2° *An fur tenetur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit?*

Resp. 1° *Affirmative absolute,* si

---

dominus rem suam a fure facile recuperare potest. — *Scav.*

(¹) Nequit autem a *domino* solutum pretium repetere, quia dominus non est cogendus, emere rem suam. Excipe: 1° Si modico pretio eam acquisivit praecise, ut domino ipsam restituat; aequum enim non est, illum, qui utiliter negotium domini gessit, damnum inde pati. Si vero pretium valori rei esset ferme aequale, solummodo praemium proportionatum utili redemptioni (juxta aestimationem prudentis) ei debetur. — 2° Si res empta fuerit in foro publico etc., posito quod lex civilis ita disponat. (Cf. dicta sub *R. 1°.*) — *Scavini.*

* (¹) *C. A.* insuper statuit, ut, qui furto, rapina aliove simili modo lege poenali vetito rei possessionem adiit, affectionis quoque pretium resarcire debeat. *(C. A. 335.)*

Quod attinet ad expensas, possessor malae fidei illas tantum repetere potest, quae manifestam domino afferunt utilitatem, ne alter ditescat aliena jactura *(C. A. 336. 1037.)*; potest tamen possessor auferre meliorationem, si hoc fieri queat salva rei substantia. *(C. A. 1040.)*

perierit culpa furis vel alterius cujuslibet, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius rem ex negligentia culpabili perdiderit aut consumpserit, donaverit, destruxerit. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Affirmative generatim*, si pariter res periit apud furem etiam absque ulla ejus culpa seu ex mero casu. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit. — *S. Lig. n. 620.*

Resp. 3° *Negative* tamen, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu seu ex vitio ejus intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur, ut patet. *Probabilius* etiam illud valet, si res certo (1) peritura fuisset eodem tempore et in eodem periculo communi, quo apud furem periit, v. g. in eodem incendio vel in eadem publica calamitate. Ratio est, quia tunc furtum non fuit causa damni, siquidem res aeque et eodem modo et tempore periisset. — *Ita communiter. S. Lig. n. 620.* — *Lugo d. 18. n. 141. et seq.* — *Vogler n. 501.* contra *Concina etc.* (2)

Dixi: 1° *Si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum.* Si enim peritura fuisset *antea*, domino adhuc clamaret, dum esset salva penes furem; ergo, si tunc restituta fuisset, jam non periisset apud dominum. Si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis, quia eo instanti, quo res apud furem periit, hic obligationem restituendi contraxit.

Dixi: 2° *Eodem periculo;* quia, ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari possessori, si perierit, quia sine ejus facto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset. — *S. Lig. n. 620.* — Aliqui tamen contradicunt, quia, ajunt, moraliter idem est, quod res in uno vel in alio periculo intereat, si utrumque discrimen simul coexsistat.

648. — Quaer. 3° *Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

Resp. 1° Tamquam certa habenda sunt, quae sequuntur:

1° Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem, quem habebat tempore, quo sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne, quod suum erat. (1)

2° Si res apud furem crevit, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc exsistentibus; quia res semper ad dominum pertinet et pro ipso crescit.

3° Si dominus rem suam fuisset venditurus tempore, quo sibi ablata est, et fur eodem tempore eam vendiderit aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem, quem habebat tempore, quo illam surripuit.

4° Si res apud furem creverit et postea decreverit, et constet, dominum, quo tempore majoris erat pretii, illam venditurum fuisse aut consumpturum, fur ad totum majus pretium reddendum tenetur.

5° Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, saltem *probabilius*, quia non ditescit ex re aliena nec injuriam infert domino. — *Ita communius*

---

(1) In dubio enim disputant, an totum restitui debeat, vel pro ratione dubii. — V. *Lugo l. c. n. 137.* — *Lacroix l. 3. p. 2. n. 218. sub fine.* — *Elbel n. 78.*

(2) Ex jure civili romano et gallico, quocunque modo res perierit in manibus possessoris malae fidei, ad restitutionem ille tenetur. Attamen non videtur fur ad restitutionem obligandus ante judicis sententiam, nisi illum jure naturali obligari constet. — *Carrière n. 1072.* — *Gousset n. 933.* — (Nota auct.)

(1) Si tamen res a domino servanda ex rei natura deterior facta sit, uti v. g. bestiae lapsu temporis senescunt, restituenda erit, uti modo est, cum decrescat domino; sed simul compensanda erunt damna, quae dominus ex carentia rei interim passus est. — V. *Lessium l. 2. c. 12. n. 103.*

contra *plures*. — Excipe: si dominus emere non potuisset eodem pretio rem consumptae similem. — *S. Lig. n. 621.*

6° Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore majoris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, quidquid dominus de re facturus fuisset, quia res domino suo fructificat et nemo ex re aliena ditescere potest. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 621.*

Resp. 2° *Controvertitur* vero in casu sequenti: utrum scilicet fur restituere teneatur rem furtivam juxta majorem, quem habuit, valorem, si dominus eamdem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel si eam, antequam crevisset, fuisset consumpturus.

Videtur negandum *probabilius*, quia fur non tenetur ad majorem valorem restituendum neque ratione rei acceptae, ut patet ex dictis, neque ratione damni illati, quia dominum reponit in eodem statu, in quo versaretur, si injuria non fuisset commissa. — *Lugo d. 18. n. 132.* — *Lacroix n. 233.* — *Concina* — *Carrière etc.*

Affirmant tamen alii non pauci, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore majoris pretii et proinde tunc eam reddere tenebatur. — *S. Lig. n. 621.* — *Billuart* — *Antoine.*

Nota: In praxi plerumque non innotescunt omnes praefatae circumstantiae; tunc sola urgenda est compensatio valoris tempore furti exsistentis. (¹)

649. — Quaer. 4° *An fur praeter pecuniam furtivam etiam restituere debeat* interesse (les intérêts)?

Resp. Affirmative, si constet vel praesumendum sit, quod dominus illud lucrum fuerit percepturus, quia hic omnino indemnis fieri debet respectu possessoris malae fidei; secus vero *probabiliter* in alia hypothesi, quia non constat, dominum ad illud auctarium jus strictum habere. (¹)

Quaer. 5° *An teneantur restituere, qui, ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes, vel qui dicunt se probos, cum non sint?*

Resp. ad 1um *Affirmative.* Ratio est, quia isti nullum jus habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opitulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit, si pauperibus restituatur. Non videtur autem urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur, quia erogantes quoad eas sunt minus inviti. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 622.* (²)

Resp. ad 2um *Negative generaliter,* quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio, ad quam attendit donator aut attendere praesumitur. — *Ita communiter.*

650. — Quaer. 6° *Quid, si res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

Resp. 1° *Quoad rem,* restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Loco istius detentoris tenetur raptor. Quod

(¹) Generalem regulam pro similibus casibus tradit *Lugo disp. 18. n. 133.*: „Quoties agitur de restitutione lucri cessantis vel damni emergentis, debet restitutio fieri non integre, sed juxta majorem vel minorem certitudinem talis lucri vel vitandi talis damni, quantum scilicet spes illa incerta valere poterat, attentis iis omnibus, quibus effectus impediri poterat. Et hoc, etiamsi obligatio restituendi ex delicto descendat." — Cf. etiam *Lessium l. 2. c. 12. n. 109.* — *Lacroix l. 3. p. 2. n. 235. coll. 576.*

(¹) Cf. *n. 636. Dico 2° not.*

(²) Item *Scavini* ad restitutionem obligat eos, qui ob gravem culpam, puta ob pravos mores, se indignos reddunt statu, ad quem gratuita educantur pensione; vel qui sine ullo animo clericandi pensione fruuntur manifeste destinata pro iis, qui ad sacerdotium tendere volunt, non vero si, voluntatem requisitam primitus se non excludentes, postea maturiori aetate et examine se vocatos non sentiant.

si neuter debito suo satisfecerit, ceteri per aequas portiones rei pretium solvant. Tandem in ceterorum defectu quisque ad totum tenetur.(1)

Resp. 2° *Quoad rei fructus et damna* singuli ad compensationem tenentur pro rata parte temporis, quo unusquisque rem detinuit. Si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae injusti possessores. — *Ita communiter.*

Quaer. 7° *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit eam ipsi reddere ad pretium recuperandum?*

Resp. *Controvertitur* fere, ut in casu simili possessoris bonae fidei, de quo supra *n. 644.* *Probabilius* tamen et *communius negatur*, quia emendo mala fide in se periculum rei suscepit: aliunde nemini fraus sua debet patrocinari. — Verum *affirmant plures* ut *probabile* cum *S. Lig. n. 570.*, quia, licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen jus habet, haud secus ac possessor bonae fidei, ad contractum rescindendum, rem furi reddendo.(2)

Resolves:

651. — 1° Possessor malae fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suae et in confuso saltem praevisum, sed et omne lucrum cessans, non illud quidem, quod dominus absolute potuisset percipere, sed illud, quod modo licito fuisset percepturus.(1)

2° Qui frumentum alienum subripuit, transvexit in alium locum et vendidit majori pretio, quam dominus id erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere. — *S. Lig. n. 618.* — Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur tunc ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item, si quis aliena ova supponat gallinae suae incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3° Si quis furatus sit triticum, quod dominus pro tempore majoris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpserit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus exspectabat, nisi forte tam mature fiat restitutio, ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii majoris reservare possit.

4° Si quis raptum agnum occiderit aut aliam rem hujusmodi furto ablatam consumpserit, id tantum pecuniae *(saltem probabilius)* solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat, nisi forte dominus eadem pecunia rem ejusdem valoris jam non potuerit emere simulque voluerit rem illam servare, ut majorem pecuniae summam ex ejus venditione obtineret. — *S. Lig. n. 621.*

5° Si fur subripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat, post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem, quem furti tempore habebat, satis est *(probabilius saltem)*, ut pretium huic valori respondens sol-

---

(1) Cf *n. 702.*

(2) *Num pretium acceptum pro re jam debita restitui debet? R. Affirmative,* si pretium ut tale (scil. non ut liberalis donatio, supposito tamen, quod lex non illam hanc prohibeat, ut prohibet examinatoribus synodalibus occasione examinis cf. n. *293. R. 2°. not. 2.)* accipiatur pro illam re ab eo, cui jam debita est *ex justitia; negat.*, si res debeatur ex alia causa. — *Scav.* — *S. Lig. n. 713.* — Idem n. *757. Q. 2°.*

(1) Ita statuendum, si habebat plenum jus *in re;* si solummodo jus *ad rem,* debet ei satisfieri tantum pro valore spei, quam habebat, rem efficiendi suam. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 10. n. 77.*

vat. — *Reuter n. 330.* — *Vide dicta n. 648. Quaer. 3⁰. Resp. 2⁰.*

§. III.
De possessore dubiae fidei.

Principia:

652. — I. Omnis possessor dubiae fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponere valeat, nisi illud ut mere negativum sit habendum. Ratio patet; secus enim se exponeret periculo rem alienam retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta idem perseveret dubium, *probabilius* rem totam retinere(¹) potest in casu, quo bona fide possidenti dubium supervenerit. Ratio est, quia *in pari casu vel dubio melior est conditio possidentis.* Etenim possessio cum bona fide incepta fundat de se praesumptionem certam de justitia possessionis et possessori jus certum attribuit, quod a mera probabilitate superari non potest; nec enim homines, rerum avidi, solent res suas apud alios relinquere, nec vir probus res absque titulo solet possidere. — *S. Lig., de consc. n. 34. 36.* — *Lugo d. 17. n. 86.* — *Lacroix n. 563.* — *Carrière n. 1094. et alii communiter* contra *plures,* qui dicunt, rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium praecesserit possessionem, distinguendum est:

1⁰ Qui in dubio incepit possidere spoliando alium a possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori, quando non constat, hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in dubio melior est ejus conditio, utpote possidentis. — *Lugo d. 17. n. 80.* — *Carrière n. 1100.*(²)

(¹) imo et consumere, alienare, admonendo tamen emptorem de dubio adhuc vertente — *S. Lig., de consc. n. 35.*

(²) Si tamen constet, priorem possessorem etiam cum fide dubia possessionem incepisse et hoc dubium adhuc perseverare, sufficiet restitutio pro rata dubii.

2⁰ Qui rem accepit alio titulo, v. g. emptionis, dubitans, an ille, a quo accepit, ejus sit dominus, restituere debet pro rata dubii probabili domino vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliundé videtur teneri ad totum restituendum. — *S. Lig. n. 625.* — *Lugo ibid. n. 81.*

Quaesita:

653. — Quaer. 1⁰ *Ad quid teneatur, qui accepit rem aliquam mala fide ratus, eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit necne?*

Resp. Aequiparandus est ei, qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim aestimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur, utrum sua possessione alterum spoliaverit necne, et resolve juxta dicta in principio III.

Quaer. 2⁰ *Quid, si talis possessor inquirere neglexerit ab initio, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

Resp. Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus, rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris.(¹) — *S. Lig., de consc. n. 37.* — *Lugo ib. n. 84. et seq.*(²) — *Lacroix n. 564. etc.*

654. — Quaer. 3⁰ *Ad quid te-*

(¹) Rei detentor enim in conditione meliore versatur ob jus possessionis ipsi favens. Valet tamen responsio haec pro solo dubio, quod acquisitioni *bonae fidei* supervenit. Cf. *n. 652. III. 2⁰.*

Patet praeterea, hanc restitutionem debere fieri ei, de cujus dominio dubitatur, si certo cognoscitur. — *S. Lig. ib.*

(²) qui *ib. n. 85.* non omnino improbabile ait, nihil restituendum esse, si non dubitabatur de jure alicujus in particulari, sed in genere dubium erat, an res sit aliena; tunc enim incertum est, an revera damnum aliquod illatum sit. — V. etiam *Lacroix n. 564.*

neatur possessor dubiae fidei, si inquirere neglexit et dominus compareat?

Resp. Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malae fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei illata resarcienda. — *Lessius l. 2. c. 14. n. 23.* — *Carrière n. 1088.* et *alii communiter.*

Excipiendus videtur is, qui incepit possessionem bona fide, et deinde inquirere neglexit putans, dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonae fidei aequiparandus foret.

655. — Quaer. 4° *An possessor dubiae fidei praescribere possit, si facta inquisitione debita dubium perseveret?*

Resp. 1° *Affirmative probabilius,* si bona fide incepit possidere, quia dubium illud perseverans non obstante diligentia adhibita invincibile est, et proinde illo stante conscientia efformari potest praesertim ex illo principio: *Melior est conditio possidentis.*

Resp. 2° *Negative* autem, si dubia fide incepit possidere, quia bona fide ad praescribendum requisita destituitur. — *S. Lig. n. 504. 511.* — *Vid. supra n. 589.*

Quaer. 5° *An possessor dubiae fidei, qui bona fide incepit possidere, ad restitutionem teneatur, si facta inquisitione inveniat, rem probabilius alienam esse?*

Resp. Negative probabilius, quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur. Insuper, donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis.* — *S. Lig., de consc. n. 35.* et *alii communissime* juxta *S. Lig.* contra *plures,* qui docent, tunc esse pro rata restituendum.(1)

Quaer. 6° *An debitor in dubio de peracta debiti solutione integre vel ex parte solvere teneatur?*

Resp. Generatim attendendum est ad varias rerum circumstantias, ut resciatur, cuinam faveat praesumptio. — *Vide dicenda de causis a restitutione excusantibus n. 721.*

Resolves:

656. — 1° Si bona fide possederis rem alienam et, superveniente dubio eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis illam consumpseris, deinde vero dominus ex improviso compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es. Sequitur ex dictis. — *S. Lig. n. 607. 608.*

2° Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium aequale sit, res aequaliter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inaequale, juxta dubii proportionem dividenda videtur. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad jus unicuique ceterorum reddendum; aut etiam in sortes conjicienda, ut ei tribuatur, cui fortuna favebit. — *Lacroix n. 566.* — *Sanchez, decal. l. 2. c. 23. n. 173.* — *Carrière n. 1101.* et *alii.*

3° Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes re perpensa et perseverante dubio haereditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo constet, eum bona fide possedisse. Etenim si axioma: *in dubio melior est conditio possidentis* favet antecessori tuo, etiam et tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiae fidei, qui possessionem bona fide incepit, siquidem antecessor et

(1) Idem valet, si possessione *legitima* superveniente nulla praeterea probabilitas possessori isti assistat, rationes autem probabiles contra ipsum militent. Si vero in tali casu etiam ipsa possessio ex aliqua parte infirma sit, v. g. incerta vel incepta cum dubia fide, utique restitutio facienda erit. — *S. Lig. ib. n. 36.*

successor unicam personam moralem ex jure efficiunt.

4° In dubio, an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris, quia delicta non praesumuntur, sed probari debent. Attamen, si quis reperiatur actu in mala fide et dubitetur, an inceperit cum hac fide mala possidere, praesumi debet, eum malae fidei ab initio fuisse, quia *semel malus semper praesumitur esse malus,* juxta *reg. juris 8. in 6.* — *Ita Lacroix n. 567.* — *Lugo d. 18. n. 16.*

ARTICULUS II.
DE INJUSTA DAMNIFICATIONE.

657. — Damnificator injustus dicitur ille, qui jus alienum laedit seu proximo in bonis ipsius nocet, quin inde ditior evadat.

Duplex distinguitur culpa, quacum actio damnificans fieri potest, nempe culpa *theologica* et culpa *juridica.* — Culpa *theologica,* sic dicta, quia a theologis pro foro conscientiae spectatur, ea est, quae includit offensam Dei, id est peccatum formale sive mortale, sive veniale(¹). — Culpa vero *juridica* est omissio diligentiae, ex qua alteri damnum provenit et quam jura imputant, sive ea sit formale peccatum, sive non. — *S. Lig. n. 549.*

Culpa autem juridica ex communi interpretatione juris romani est vel lata, vel levis, vel levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines prudentes in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiae, quae adhiberi solet a prudentissimis et diligentissimis. Sed haec culparum distinctio in jure gallico non commemoratur; imo ex juris mente non videtur admittenda, ut constat praecipue ex *C. C. art. 1137.*(²)

Principia:

658. — I. Injustus damnificator restituere tenetur: 1° Totum aequivalens rei damnificatae; v. g. si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum ejus pretium domino rependere debet.(¹) — 2° Totum aequivalens damnis praevisis praeter rei damnificationem, si qua ex ea provenerint. Hinc v. g., si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur ex eo, quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum de lucro cessante teneris compensare.

Hujusce principii ratio patet ex dictis *n. 532.* et *626.* Etenim dominus laesus *omnino indemnis* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvat, quando ille alia detrimenta ex privatione rei suae passus fuerit, siquidem non recuperaret id omne, quod ex injusta damnificatione amisit. Neque id obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex utilitate de aliena re percepta, sed ex damno illato petenda est.

659. — II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, de

---

(¹) ex eo, quod damnum cum sufficienti advertentia ad culpam illatum sit. — *Scav.*

(²) Non admittitur a *C. A.* hujusmodi distinctio, sed ex nonnullis ipsius paragraphis eruitur, culpam juridicam (in sensu theologorum) esse omissionem diligentiae, quae vel in contractu requiritur a lege, vel quae propria sit publicae alicujus artis vel officii, sive cum peccato conjungatur, sive a peccato sit immunis. Hinc e. g. commodatarius habetur reus culpae juridicae, si rem commodatam tuta conscientia alteri commodaverit et ipsa interpereat: idem dicas de depositario, si ipse certus restituendi, quocumque tempore repetatur, depositum, eo utens illud perdiderit: ita et peritus artis reus culpae juridicae censetur, si ipse remunerationem accipiens etiam non voluntario errore consilium dederit nocivum in iis, quae [illegible] sunt artis vel scientiae. (Vide *C. A. 1[illegible] et seq.,* et de jure indemnisationis [illegible] de contractibus.)

(¹) Si vero domus fuerit assecurata, [illegible] cietati assecurationis totum restituere tenetur, quod ipsa solvit, et praeterea domino damnum resarcire, quod societas forte non reparavit. — *Scav.*

jure naturali requiritur, ut triplex conditio concurrat, nempe ut sit injusta, causa damni efficax et theologice culpabilis: scilicet ut sit injusta *vere, efficaciter* et *formaliter*.

1° *Injusta*. Obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum. Jus autem strictum violari nequit, nisi per actionem injustam seu justitiae commutativae oppositam, juxta dicta supra *n. 532. etc.*

2° *Causa damni efficax:* scilicet 1° ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2° ut tali agenti possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis in aliquem conferri, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax.

Nota: Requiritur, ut actio influat in damnum *per se*, i. e. *vi propria*, sive *physice*, sive *moraliter*. Hoc autem fit, quando ponitur actio, quae ex natura sua vel ex circumstantiis cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc 1° non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causae efficacis. Unde, si occasione furti a te patrati alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni ejus reparandi teneris. — Hinc 2° nec sufficit ad restitutionem *causa accidentalis;* nam haec ea est, quae in se spectata attentisve circumstantiis connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non est dicenda. Unde si tradas gladium Titio absque praevisione probabili ejus abusus, non es injustitiae reus, si ille homicidium cum illo gladio patraverit.

3° *Theologice culpabilis*. Etenim [illegible]ari non potest restituendi obligatio [illegible] foro conscientiae, nisi in eodem foro [illegible]juria commissa fuerit, siquidem con[illegible]ientia ligari nequit obligatione re[illegible]randi injuriam, quam ipsa non in[illegible]it; secus enim dormientes et amen[illegible], si damnum quodpiam intulerint, [illegible] restituendum etiam tenerentur, quod [illegible]ardum est. Porro nulla est injuria [illegible]foro interno ratione damnificationis, [illegible] nulla est culpa theologica; ad in[illegible]iam enim requiritur intentio nocendi saltem indirecta, seu praevisio damni injusti saltem *in confuso*. — *S. Lig. n. 550. et seq.; Hom. ap. tr. 10. n. 39. et 41.*

660. — III. Datur tamen obligatio restituendi in conscientia ex culpa mere juridica post sententiam judicis. Etenim parendum est sententiae judicis justae; secus leges securitati publicae non providerent et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est justa, nisi in falsa praesumptione facti innitatur, quod est extra hypothesim. Lex enim illa fertur pro bono communi, siquidem tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant, nec non ad pacem in republica servandam. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus aeque favet. Nemo igitur de ea conqueri potest; ergo etc. — *Ita communiter.* — *Billuart diss. 8. art. 4.* — *S. Lig. n. 554.*

Dixi: nisi sententia *innitatur in falsa facti praesumptione*. Lex enim semper supponit factum, et quidem aliquam culpam juridicam seu negligentiam, i. e. aliquem advertentiae defectum, licet forte omni prorsus culpa in foro interno careat. Si autem factum ipsum sit falsum, sententia judicis evadit injusta, nec obligationem ullam inducere valet. Sic adigi non potes ad restitutionem pro damno, quod ne *materialiter* quidem intulisti. — *Recole dicta de leg. n. 102.*(1)

Quaesita:

661. — Quaer. 1° *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno rei alienae detentae ex* contractu *aliquo, v. g. locationis, depositi vel commodati etc.?*

Resp. Duplex sententia probabilis:

Ia Sententia, quae *probabilior* apparet, *affirmat absolute,* requiri culpam theologicam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere juridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut

(1) et *Gury, Casus consc. p. 1. n. 682.*

constat ex dictis supra in principio II., *nisi speciale pactum intercesserit.*(1) Porro de hujusmodi pacto nullatenus constat; imo non praesumitur, contrahentem voluisse in conscientia sub gravi tantam suscipere obligationem cum sola culpa juridica. — *Ita Lugo d. 8. n. 106.* — *Lacroix n. 177.* — *Roncaglia,* et hanc sententiam vocat valde probabilem *S. Lig. n. 554.*(2)

IIa Sententia *negat,* opus esse theologica culpa, ut quis oneri subsit restitutionis, si casum excipias, in quo contractus cedit in solam utilitatem illius, qui rem tradit, ut in deposito etc. Ratio est, quia, cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, aequitas postulat, ut eam valde diligenter custodiat. Unde videtur intercedere in hoc casu pactum implicitum, quo rei detentor se obligat ad eam speciali cura custodiendam vel ad reparandum detrimentum, quod ex omissione illius curae res illa subire posset. — *Antoine p. 1. c. 3. quaest. 5.* — *Concina c. 5.* — *Collet c. 2. art. 4. etc.*(3)

662. — Quaer. 2° *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo seu in* quasi-contractu(1) *servando, v. g. si medicus ex errore remedium nocivum aegroto praebeat?*(2)

Resp. Affirmative probabilius, ut in quaesito praecedenti. Ratio est: 1° quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere juridicam in officio seu in quasi-contractu neque ex jure naturali, neque ex lege positiva, neque ex partium conventione; — 2° quia talis obligatio esset nociva bono publico: inde enim fieret, ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis necnon ab officiis publicis arcerentur. — *S. Lig. n. 555.* — *Billuart diss. 8. art. 7.* — *Lacroix n. 184.* et ipse *Antoine p. 1. c. 3. quaest. 4.*

Quaer. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea illud non impedivit, licet impedire posset?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia quisque tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat; ergo etiam tenetur impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret(3). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 564.*

---

(1) Cf. etiam *n. 660. III.*

(2) qui ib. hanc quaestionem uberius exponit.

(3) *Teneturne quis sub onere restitutionis rem alienam, quam ex contractu possidet, in periculo v. g. occasione incendii propriae praeferre?*

R. 1° Si contractus ille cedat solummodo in utilitatem actualis possessoris, *affirm. in genere.* Propriam tamen, si sit multo pretiosior, praeferre poterit; restituat tamen pretium rei alienae (saltem ex quadam decentia).

2° Si contractus cedat in utilitatem alterius solummodo, *affirm.,* si res aliena sit multo pretiosior; sed habet jus ad compensationem totius damni, quod sic patitur: *negat.,* si res ipsi propria sit aeque pretiosa.

3° Si tandem contractus cedat in utilitatem utriusque, poterit, *ceteris paribus,* praeferre propriam. Communiter tamen leges civiles pro tali casu aliquam compensationem expostulant, quod sane aequitati consonum est. — Ita quoad substantiam *Scav.* — *S. Lig. n. 752.* — *Lessius l. 2. c. 27. dub. 6.* Benignior vero *Lugo d. 8. sect. 10.,* qui tuetur, non subsistere pro foro interno obligationem, praeferendi rem alienam cum notabili detrimento proprio; hinc, verificata hac circumstantia, non debere v. g. rem alienam, licet pretiosiorem, salvari, si sciatur, ejusdem dominum non restituturum esse pretium rei vilioris, quae ob ipsius proprietatem conservandam peritura est. Attamen, ut detrimentum illud excuset, proportionatum esse debet aliquo modo valori rei, de qua servanda agitur; insuper eo majus sit oportet, quo magis contractus in detentoris utilitatem cedit.

(1) Cf. infra *n. 754. 6°.*

(2) Committitur vero culpa theologica, si in hisce scienter diligentia debita, i. e. proportionata gravitati rei, non impendatur.

(3) dummodo tamen absque gravi suo detrimento damnum illud impedire possit; multo minor enim est obligatio impediendi

Hinc: 1° Qui inculpabiliter subjecit ignem domui alienae, quando advertit ad incendii periculum, ex justitia illud impedire tenetur, si possit. — 2° Pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet. — 3° Item, qui ex errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea cognito errore illum corrigere: et ni faciat, peccat graviter et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quae ex hoc proveniunt.

663. — Quaer. 4° *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. Affirmative, saltem si damnum illud fuerit determinatum et in specie praecognitum. Sic v. g., si quis voluntarie alteri venenum propinaverit et postea ejus effectum impedire non possit, damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. — *Ita communiter.*(1)

Quaer. 5° *An reparari debeat damnum* per accidens(2) *quidem, sed vacando operi illicito illatum?*

Resp. Negative, quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem praevisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad justitiae rationem omnino indifferens est. Sic clericus, qui venationi contra Ecclesiae prohibitionem vacando hominem pro fera occidit, non magis injustitiae reus est, quam laicus, qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne debet quidem reparari, etiamsi occasione actionis *injustae* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat nec praesentem sciebat, dum sclopetum in Cajum dirigeret. — *Ita communissime.* — *Vogler n. 170.* — *Lugo d. 8. n. 72. et 82.*(1) — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 39.*

664. — Quaer. 6° *An tenearis reparare damnum, quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. g. si incendas domum Caji, quia putas esse domum Titii inimici tui?*

Resp. Affirmandum videtur. In eo enim casu adsunt omnes conditiones requisitae ad restitutionem urgendam, scilicet actio injusta, causa damni efficax et culpa theologica. Nec dicas, actionem tuam non esse injustam relate ad Cajum, cujus damnum noluisti; nam rem talem omnino determinatam destruere intendebas: porro eam destruendo suscepisti onus eamdem reparandi. Nihil enim refert, cujusnam sit; nam quaestio non est de *nomine,* sed de *re.* Error igitur non afficit actus *substantiam,* sed quid mere *accidentale.* — *Ita communiter,* ut fatetur *S. Lig.,* etsi dissentiat. — *Vogler n. 202.* — *Bonacina* — *Sanchez* — *Busembaum etc.*(2)

Nonnulli tamen negant, et quidem gravissimi theologi, praeter *S. Lig. n. 629.* nempe *Lugo disp. 17. n. 75.* — *Lacroix n. 200. et seq.*(3) — Ratio

---

damnum, quam non inferendi, cum in simili casu damnum solummodo permittatur. — V. *Lugo disp. 39. n. 24. et seq.* et alibi v. g. *disp. 15. n. 3. et seq.*

(1) Similiter ad restitutionem tenetur, qui conscientiam culpabiliter erroneam non deponit, quamvis sufficienter praevideat, exinde damnum proximo evenire posse, si postea in agendi necessitate constitutus, licet poenitens suae negligentiae minus malum eligat, damnum revera proximo inferat. Damnum enim istud jam removere tenebatur in causa, quam praevidebat efficacem, in errore scil. culpabili. — *Scav., de consc. c. 2. art. 1. Q. 5.*

(2) Cf. notam sub *n. 659. 2°.*

(1) *disp. 18. n. 86.*

(2) A fortiori tenebitur ad restitutionem, qui furatus est aliquid v. g. Cajo, dum apud Titium furtum committere intendebat, quia tunc non agitur de simplici damnificatione, sed de acceptione injusta rei alteri propriae. — Ita *Scavini,* quamvis alii v. g. *Lugo, Lacroix l. c.* distinguant.

(3) qui tamen non absolute id asserit.

eorum est, quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum, cum processerit ex inculpabili ignorantia juris ejus.

665. — Quaer. 7° *Ad quid teneatur ille, qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. g. defectu advertentiae etc.?*

Resp. Probabilius ad nihil omnino tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi. 1° *Non sub gravi;* gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2° *neque sub levi;* quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi.(¹) — *Ita S. Lig. n. 552. — Lugo d. 8. n. 56. — Vogler n. 109. — Lessius — Roncaglia etc.*

Alii tamen eum obligant ad totum damnum sub gravi reparandum; — alii ad totum quidem, sed sub levi; — alii tandem ad aliquam partem tantum juxta culpae proportionem. Sed maxima incommoda hae sententiae videntur inducere.

666. — Quaer. 8° *An, qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

Resp. 1° *Affirmative,* si damnum illatum est *eidem personae,* licet ille graviter non peccaverit. Ratio est, quia damnificator tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum.

Excipe: si intervallum temporis sat notabile intercedat, ita, ut damnificationes leves non coalescant, ut dictum est de furtis minutis supra *n. 610.;* tunc enim damnificator sub levi tantum damnum a se illatum reparare debet.

Resp. 2° *Negative* autem *probabilius,* si damna minuta *diversis personis* illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur, et ex alia parte damnificator re aliena non ditescit. — Hinc differt casus praesens a quaestione simili relata supra *n. 630.,* quia fur ditescit ex furtis minutis, non vero damnificator.

Quaer. 9° *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse, ac revera est, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. g. si quis projiciat in mare gemmam alterius valentem 100, dum credit eam 10 tantum valere?*

Resp. Probabiliter tantum tenetur ad restituendum pro rata damni cogniti, quia non censetur volitum damnum, quod non est cognitum seu invincibiliter ignoratum. — *S. Lig. n. 613. — Elbel n. 90. — Vogler n. 189. — Carrière n. 1151.* contra *plures.*

In praxi tamen plerumque dabitur obligatio reparandi totum damnum, quia plerumque in simili casu est totum voluntarium, saltem in confuso, ob suspicionem pretii majoris.

667. — Quaer. 10° *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. 1° *Affirmative,* si ex culpa theologica in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim de jure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut praecavere debet, ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2° Seclusa vero culpa theologica non tenetur quidem ante judicis sententiam, ut patet ex principio II. *n. 659.;* bene vero prolata sententia, ut ex principio III. constat.

Quaer. 11° *An teneatur ad restitutionem ille, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si praeviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. I^a Sententia *probabilior negat,* quia ille, qui dat pravum ex-

(¹) Adverte insuper, esse moraliter impossibile, omnes leves defectus inadvertentiae et indeliberationis vitare. *(Lessius l. 2. c. 7. n. 28.)* Si vero probabiliter damnum grave ex aliquo defectu praevidebatur, sane etiam negligentia, quae de se est parvi momenti, si moraliter caveri poterat, culpam gravem pariet et onus restitutionis. *(S. Lig. n. 551.)*

emplum, non est causa damni, sed mera occasio. Etenim actio mala *per se* ad id non tendit, ut alios ad eam imitandam excitet; nec agens eos ad hoc impellere censetur, siquidem cupiditati suae satisfacere tantum intendit. Ergo alii damnificatores sese omnino determinant ad damnum inferendum. Ergo agens non est illius causa efficax. — *S. Lig. n. 537.* et *de praec. carit. n. 45.* — *Salmant.* — *Layman* — *Sanchez* — *Lugo etc.*

II^a Sententia *probabilis affirmat,* quia praebens pravum exemplum cum praevisione contagionis est vere et proprie causa efficax damni, quia vere influit in determinationem eorum, qui damnum inferunt. Experientia enim docet, homines magis moveri exemplis, quam consiliis, juxta axioma: *Verba movent, exempla trahunt.* — *Antoine p. 2. c. 3. q. 13.* — *Billuart diss. 8. art. 13. §. 3. 5°.* — *Cuniliati etc.*

668. — Quaer. 12° *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat, an damnum evenerit ex sua actione?*

Resp. 1° Si dubium versetur circa existentiam damni, probabilius ad nihil tenetur, modo facta diligenti inquisitione dubium perseveret. Ratio est, quia, cum factum damni non sit certum, non potest fundare obligationem certam illud reparandi. Constat ex hoc principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Item ex hoc alio principio: *Factum non praesumitur, sed probari debet.* — *Ita S. Lig. n. 562.* — *Lacroix n. 574.* — *Vogler n. 73.* et *alii communius* contra *alios.*

Resp. 2° Si dubium versetur circa influxum actionis in damnum, quod certo evenit, crescit difficultas et acriter controvertitur. Hinc duplex sententia *probabilis* iisdem fere rationibus innixa. — *Ita S. Lig. ibid. etc.*

Probabilius tamen urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno illato et dubium est, qualis fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificativam posuerunt. Repugnat enim, innocentem debere certo pati ex eo, quod non certo constet, utrum uni aut alteri damnum sit imputandum. Sic duo homines simul in tertium explodentes videntur obligandi pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, quamvis compertum sit, eum ab alterutro tantum laesum fuisse. Plures tamen eos a restitutione omnino excusant.(¹)

669. — Quaer. 13° *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione injustae actionis tuae, v. g. si furatus fueris et furtum ipsi imputetur?*

Resp. 1° *Negative* certo, si damnum illud non praevideris. Patet ex dictis supra in principio II. *n. 659.*

Resp. 2° *Negative* etiam *probabilius,* licet damnum hoc praevideris. Ratio est, quia actio tua posita cum sola damni praevisione non est illius causa *per se,* sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II. principio *ibid.* Excipe casum, in quo tales fuerint circumstantiae, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. — *S. Ligor. n. 635.* — *Lessius* — *Lacroix n. 157. etc.* contra *plures.*

Resp. 3° Imo *probabiliter* etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua ipsi imputetur, quia semper haec actio est tantum causa damni *per accidens,* et non *per se;* non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut injustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii injustum non est. Excipiendus tamen est casus, in quo ratione adjunctorum gravissima suspicio alterius accusandi subesset(²), v. g. si vestibus ejus induaris ad homicidium patrandum et has sanguine

(¹) Cf. etiam *n. 682. not.* sub fine; *n. 733.*

(²) „in quo actio exterior cum circumstantiis talis sit, ut ex ea sequatur damnum ut plurimum seu ex conditione actionis", ait *Lessius l. 2. c. 9. n. 113.*

foedatas projicias etc. — *S. Lig. n. 636.* — *Lessius* — *Vogler* contra *plures.*

670. — Quaer. 14° *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1° *Probabilius* ad nihil tenetur erga dignum praetermissum, secluso casu concursus, quia nullius jus strictum violavit. — *S. Lig., de praec. partic. n. 106.* — *Vogler n. 241.* et *alii communiter.*

Resp. 2° Tenetur certo erga societatem ratione electionis *indigni* de omnibus damnis ex hoc provenientibus. Ratio est, quia censetur adesse pactum strictae justitiae inter societatem et electorem, vi cujus iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. — *Ita communiter.* — *Vogler ibid.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 13. n. 37.*

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis *minus digni,* etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligasse tam rigoroso titulo, nempe *justitiae commutativae,* ad digniores eligendos. — *Vogler n. 243.* — *S. Lig., Hom. apost. ibid.*

671. — Quaer. 15° *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicujus boni vel beneficii?*

Resp. 1° *Affirmative,* si proximus habeat jus strictum ad rem consequendam, v. g. in casu concursus.(¹)

Resp. 2° Si proximus non habeat jus strictum ad rem obtinendam, distinguendum est: 1° *affirmandum,* si *mediis injustis* impediatur, v. g. *vi, fraude, calumnia, metu etc.*(²); 2° *negandum* vero, si impediatur *mediis in se justis,* v. g. *suasione, precibus etc.,* saltem seclusa mala intentione(¹). Ratio est, quia nullum jus alterius tunc violatur, nec *in se,* nec *in mediis.* — *Ita communiter.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 61.*

Quaer. 16° *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. g. ex odio, seclusis tamen mediis de se injustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod jus strictum non habet?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia nulla est injuria proximo illata. Etenim ad injuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quae vera et efficax causa damni injusti sit. — *S. Lig. n. 584. 585.* — *Elbel n. 108.* — *Antoine p. 2. c. 3. q. 15.* et *alii communius* contra *plures.*

Casus:

672. — 1° *Didacus* vas cristallinum *Caji* valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, qua nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed *Basilius* hac eadem nocte domum sine lumine ingreditur, in vas offendit illudque frangit. Quid juris?

Resp. Nec *Didacus,* nec *Basilius* ad restitutionem tenentur, quia ex utriusque parte exulat culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel ejus periculo. Imo, nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum praevidisset, quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur. — *Vogler n. 177.* et *alii communiter.*

2° *Quirinus,* pannum furari intendens, officinam de nocte ingreditur et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, v. g. saltu felis,

(¹) Idem valet, si quis alium impediat vi, precibus vel consilio, ne compenset damnum illatum et ex justitia reparandum. Cf. dicenda de cooperatione.

(²) Obligatur scil. tunc ad compensationem damni arbitrio viri prudentis juxta certitudinem vel probabilitatem, quam alter habebat bonum illud consequendi, dummodo tamen sit dignus et bonum illud sine injustitia consequi potuerit; si enim indignus esset, non teneretur impedient, nisi ad restitutionem famae, si hanc forte injuste laesit. — *S. Lig. n. 587.*

(¹) V. *Quaes. seq.*

candela in paleas dejicitur et brevi tota officina incenditur, vixque arrepta fuga incolumis fur evadit. Quid de *Quirino*?

Resp. Ad nihil tenetur, quia minime periculum praevidit. Imo, nec tenetur de panno, quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset; quia etiam illud damnum est involuntarium, nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelae proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset, illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. g. candela accensa, comburitur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quae casu fortuito apud furem perit. — *Ita Lugo d. 18. n. 88.* — *Vogler n. 178.* — *Lacroix n. 165. et seq.* — *Reuter n. 320. etc.*

3° *Pomponius* animo vindictae impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram *Mauri*, in praedio domini placide pascentem; sed loco caprae illaesae attigit et occidit vaccam *Marini*, post sepem, ipso prorsus ignorante, jacentem. *Quaer.* Ad quid obligandus sit *Pomponius*?

Resp. Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra intenta, cum illaesa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus fuerit praevisum. Quid autem, si vacca ad eumdem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator eidem damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat talem rem specialiter intentam, cum in genere tali inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem formaliter injuriosa videtur. Attamen, stando rigori principiorum, adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum praevidit. Dici enim potest mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit, ut res prorsus ignorata damnificetur. Secus tamen, si volens generatim inimico nocere, quantum posset, varia objecta damnificanda aliquatenus in confuso cognoverit. — *Recole dicta n. 659. 669.*

4° *Sidonius*, videns *Justinum* praetereuntem putansque, esse *Titium*, dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum primipilus . . . est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quaer.* Quid *Sidonius* detecto errore?

Resp. Se retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in *Justinum* haec dixerit, et ni faciat, omnia damna, quae ex diffamatione sunt subsecuta, reparare tenebitur. — *Reuter n. 320.* et *alii communiter.*

5° *Babinus Rogerium* moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem *Pauli* jam conditum, ut ipse vel amicus aut consanguineus haeres constituatur. Determinatur autem ad id agendum praeter proprium vel amici commodum ex inveterato odio, quod contra *Paulum* fovet. *Quaer.* An injustitiae reus sit *Babinus*?

Resp. Nequaquam. Etenim, licet propter odium graviter contra caritatem peccaverit, non tamen justitiae virtutem videtur laesisse, quia nullum jus illius strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo *Paulo* haerede, ut alius quilibet ejus loco constitueretur. — *Elbel n. 115.* — *Antoine p. 2. c. 3. q. 15.* — *Recole dicta n. 671.*

ARTICULUS III.
DE INJUSTA COOPERATIONE.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi (1) et tres poste-

(1) Positiva cooperatio per physicum vel moralem influxum in damnum proximi fieri potest. Ut tamen obligatio ad damnum reparandum per eam exsurgat, adsint oportet tres conditiones sub *n. 659.* recensitae. Unde non sufficit, si culpa aliqua sit mera occasio *(n. 659. 669.)* vel ratihabitio damni ab altero illati *(n. 674. Q. 4°.)*.

riores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.(1)

De singulis seorsim breviter dicendum est.

§. I.
De jubente.

673. — *Jubens* seu *mandans* dicitur ille, qui tamquam(2) dominus agit, vel per vim et metum *moraliter* cogit mandatarium ad agendum(3).

Principia:

I. Jubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum(4); secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet. Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit.

II. Jubens etiam tenetur *per se* ad restitutionem damnorum, quae ob exsecutionem mandati mandatario obveniunt, si ea aliquo modo praeviderit, quia jubendo censetur in se suscipere obligationem mandatarium indemnem faciendi.(5)

(1) In dubio, an cooperatio fuerit causa damni, applica dicta sub *n. 668.*

(2) Licet enim mandans forte superior non sit, tamen superiori in hoc casu aequiparatur, cum exsequens tunc aeque, ac subditus, in nomine mandantis agat, qui in se totum onus suscipit. — *Lugo disp. 19. n. 128.*

(3) quod etiam *implicite* fieri potest, v. g. si dominus significet servo, gratam sibi fore injuriam alteri inferendam, ita ut ejusmodi signa per circumstantias jussioni aequivaleant. — Cf. *Scav.* — *S. Lig. n. 558.*

(4) in quantum scil. illa damna ex mandati exsecutione aliquo modo praevidit aut in quantum actio *de se* quoad illum effectum (cf. not. *ad n. 659. 2°.* et *n. 663. Q. 5°.*) periculosa noscebatur. — *Scav.*

(5) Non vero tenetur, si mandatarius exsecutionem omnino voluntarie et libere, et maxime ob mercedem promissam suscepit. — *Scav.* — Cf. etiam *n. 675. 4°.*

Quaesita:

674. — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit, antequam damnum fuerit illatum?*

Resp. Negative, si revocatio innotescat mandatario ante exsecutionem mandati; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat: quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. — *Ita Vogler* cum *pluribus aliis.*

Quaer. 2° *An mandans teneatur reparare damna, quae causavit exsecutor excedendo mandati limites?*

Resp. Negative, quia excessus ille non ex efficacia mandati fluxit, sed ex sola voluntate mandatarii, ac proinde ipsi unice tribuendus est.(1) — *Lacroix n. 26.* — *Billuart diss. 8. art. 13. §. 2. 3° etc.*

Quaer. 3° *An mandans teneatur reparare damnum, quod exsecutor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Negative, quia vera damni causa est error mandatarii. — *Ita Vogler n. 279.* et *alii communiter.*

Quaer. 4° *An superior ratihabens mandanti comparandus sit?*

Resp. Negative, si ratihabitio exsecutionem damni subsequatur, quia tunc in damnum influere nequit. Secus vero, si damnum praecedat, seu propositum damni inferendi respiciat et in illud vere influat. — *Vogler etc.*

Resolves:

675. — 1° Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius ad mercedem promissam accipiendam finxerit, se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2° Si videns aliquem paratum damnum alteri inferendum, ut tibi obsecundet, non contradicas, damnum reparare teneris, modo exsecutor noverit

(1) Supponit tamen haec responsio, fi[illegible] in potestate mandatarii, limites illos [illegible]vare. — V. *auctores cit.*

·opositum tibi plane notum
Secus autem dicendum est,
io, vel ipso ignorante te scire,
›bsequendum damnum inferat.
constet, mandati revocationem
se auditam vel intellectam a
·io ob surditatem vel distra-
mandans ad restitutionem ad-
tur, quia effectus sequitur de-
r a *priori* mandato. Eadem
ıet, si mandans literas revo-
ıandatum mittat et hae casu
tercipiantur. — *Lugo* — *Vog-*
73. 277.
i alium inducit precibus tan-
damnum proximo inferendum
propriam (inducentis) utilita-
ndanti comparatur, licet supe-
sit, neque damnum auctori-
›eret, quia est principaliter
ordine morali.(2) Exsecutor
ɜre non censetur, nisi loco
deoque inducens ad damnum
us reparationis in se assumere
. Attamen non tenetur de
quae exsecutori obveniunt,
ɔ non moraliter cogitur ad
andum.

§. II.
De consulente.

·*incipia:*

— I. Consulens(3) peccat con-
.tiam, quoties sciens et volens

hoc casu *per se* applicanda forent
de cooperatione negativa, nisi,
›, causa negativa sit simul posi-
tem interpretative, quatenus hoc
approbat vel auxilium praestat.
i contingeret (ita *Lessius l. 2.*
. *82.)*, malefactorem (exsequen-
ısiderata superiorum vel custodum
a negligentia, animari, causa per-
esset instar causae positivae, ac
teneretur simul conferre in resti-
ı cum positivis, non post illas."
tiam *Billuart diss. 8. art. 13.*
' et infra *n. 784. 2°.*
S. Lig. n. 560. et *not. seq.*
ınsulens ille vocatur, qui consilio,
ı vel promissionibus movet alte-
damnum inferat non consulentis,
nomine et in proprium commodum.

praebet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducitur ad damnum injuste inferendum, quia damnum est ipsi imputabile. Constat etiam ex *propositione 39.* ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic jacet: *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Consulens, etiamsi bona fide dederit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex justitia, si absque magno incommodo facere possit. Sequitur ex supra dictis de injusto damnificatore *n. 662. Q. 3°.* — *Vogler etc.*

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si exsecutor absque illo consilio aeque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus, quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. — *S. Lig. n. 561.*(1)

Quaesita:

677. — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante exsecutionem damni?*

Resp. 1° *Negative,* si consilium fuerit *nudum,* i. e. simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Si consilium fuerit *vestitum* seu motivis innixum, controvertitur. *Probabiliter* etiam *negative,* modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva saltem aeque efficacia. — *Ita Concina* — *Azor etc.* contra *alios,* quorum sententiam probabiliorem dicit *S. Lig. n. 559.* Excipe: si furi ad furtum determinato ostenderis modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua est tunc vere efficax, praesertim si praevideris, furem pra-

(1) Secus vero, si exsecutor simul consilio alterius motus fuit, licet damnum etiam sine hoc consilio evenisset; esset enim *de facto* vere concausa efficax. — *S. Lig. l. c.* — Cf. *n. 680. 3°.* et *n. 698. 2°.*

vum suum propositum non esse mutaturum.(1)

Quaer. 2° *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad majus avertendum?*

Resp. Negative, si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 565.*(2)

678. — Quaer. 3° *An consulens* scienter *malum alteri teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exsequendo pravum consilium?*

Resp. Negative per se. Ratio est, quia ipsi nullam intulit injuriam, cum nulla injuria *scienti* et *volenti* fiat. Differt enim consulens a mandante in hoc, quod hic censeatur vim aliquam inferre exsecutori, non vero alter. — Secus tamen, si consulens adeo exsecutorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

Quaer. 4° *An consulens tantum modum injustae actionis teneatur ad restitutionem?*

Resp. Negative, si modus sit mere accidentalis, ut sunt communiter circumstantiae temporis, loci, medii. Secus autem, si modus aliquatenus redundet in substantiam, v. g. si actum augeat, mutet etc. — *S. Lig. n. 563.*

Quaer. 5° *An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?*

Resp. Negative, si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi. — *S. Lig. n. 563. etc.*

679. — Quaer. 6° *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?*

Resp. Per se secundario tantum tenetur, quia exsecutor est *principaliter agens,* siquidem nomine proprio et in propriam utilitatem agere censetur.

Quaer. 7° *An et quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium* doctrinale *nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

Resp. 1° Si dans consilium id agat ex suo statu vel officio, v. g. advocatus, medicus, confessarius etc., tenetur ad restitutionem de damno injusto, quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum, contra quem datur. Ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Si consulens non sit talis persona, quae ratione muneris vel status sui peritiam prae se ferat: 1° non tenetur erga petentem consilium, nisi ex consilio doloso seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2° obligatur tamen erga tertiam personam, quae inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit et damnum secuturum saltem in confuso praeviderit. — *S. Lig. n. 564.* — *Billuart* et *alii communiter.*(1)

Resolves:

680. — 1° Mulieres, plebeji et alii generatim, quorum nota est insufficientia quique peritiam dolose non affectant, restituere non tenentur erga eos, qui consilium ab ipsis petunt. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum

(1) Certum vero est, consulentem teneri ex justitia monere laedendum, ut sibi caveat, si exsecutorem a damno inferendo avertere nequeat. — *S. Lig. l. c.*

(2) qui tamen *ib.* unam saltem exceptionem non improbat, scil. suaderi posse furi parato ad furandum ei, qui sic in extremam paupertatem redigeretur, ut subripiat aliquantulum alicui ditissimo, quia dives esset irrationabiliter invitus. Consilium tale non erit praeterea prohibitum, si certo praesumi potest, non abnuere aliquem, damnum istud ferre, ut a majori alterum liberet.

(1) Attamen non tenetur ad reparationem damni, si consilium non absolute praebet, sed indicat, se dubitare. — *Lessius l. 2. c. 7. n. 33.*

est, si damnum istud sufficienter praeviderint, quia rei sunt temeraria dando consilia in iis, quae ignorant, et sic se exponendo periculo innocentem invitum laedendi. — *S. Lig. ibid.*

2° Si suasione vel hortatu causa fueris, ut majus damnum inferretur, quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde, si furi *per se* parato ad subripiendum 100 aureos persuasisti, ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3° Si duo simul consulant *Petro* furtum et eorum consilio inductus hic furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet altero tantum consulente *Petrus* furatus fuisset, de facto tamen uterque consilio influxit et uterque consulens causa fuit furti. — *S. Lig. n. 561. — Lugo d. 19. n. 5. et seq.*

4° Qui *Cajo* ad rem *Sempronii* furandam determinato ostendit, ubi jaceat res illa vel qua via possit adiri, tenetur ad restitutionem, si *Cajus* neutrum *per se* detegere potuisset vel detecturus fuisset. Sequitur ex dictis *n. 677. Quaer. 1°.*

5° Si fur jubeat, ostendi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius subripiendum. — *S. Lig. n. 565.*

6° Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum, quod consuluit, etsi exsecutorem inducat ad restituendum, si hic non restituat, quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit. Damnificatus enim omnino indemnis fieri debet.

§. III.

De consentiente.

Principia:

681. — I. Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter et libere emittit suffragium vel sententiam, ex quibus directe pendet violatio juris alterius, i. e. quoties dat consensum efficacem in damnum seu injuriam proximi. Dixi *consensum efficacem;* quia secus statuendum foret, si consensus efficaciter in injuriam non influeret. Sic non teneretur ad restitutionem ille, qui affective quidem, sed non effective in nocumentum alicui inferendum consentiret; nec ille, qui, seclusis fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, per suffragium impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia, neque suffragans bona fide ad damnum injustum; hic autem detecto errore tenetur ex caritate, imo ex justitia, votum suum revocare, si tempus sit adhuc opportunum nec pro se ipso grave damnum reformidet.

Quaesita:

682. — Quaer. 1° *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?*

Resp. 1° Certum est, consentientes omnes aeque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint, ut patet, cum inita conspiratione omnium sit unica actio moralis.

Resp. 2° Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragati sunt, quia, cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

Resp. 3° Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant, non defuturos alios, qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen partialiter de facto infertur. — *Ita communiter.* — *Vogler n. 302. — Lugo d. 19. n. 17.*

Resp. 4° Utrum vero seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando jam votorum numerus ad electionem requisitus expletus est, *controvertitur.* Plures graves theologi *affirmant,* quia ejusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis praeparatum ac determinatum fuerit. — *S. Lig. n. 566.* — *Lugo ib. n. 18. etc.* — *Negant* alii, quia, cum numquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam injustam influunt.(1)

683. — Quaer. 2° *An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non tulit, cum ferre potuisset?*

Resp. 1° *Negative,* si suffragium dandum esset in merum favorem aut gratiam illius, cujus interest, quia nulla injuria ei infertur.

Resp. 2° *Affirmative,* si dandum foret ex officio et ipsius omissio esset causa efficax alicujus gravis damni. — *Lugo* et *alii communiter.*(1)

§. IV.

De palpone.

684. — *Palpo* dicitur, qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum.

De palpone haec tenenda:

1° Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem vel ignominiae fugam ex facinore secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, proponendo nempe agendi motiva de se communiter efficacia.

2° Qui homini injuria affecto ita repraesentant hujus injuriae magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo sic agendo animadverterint saltem probabiliter, secuturum esse damnum.

3° Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus jam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio aut nova damna inferantur. — *S. Lig. n. 567.*

Nota: Palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est ac consulens. — *Recole igitur dicta supra de consulente n. 676. et seq.*

§. V.

De recursu seu de receptante vel recursum praebente(2).

Sic tenebis:

685. — 1° Receptans, qui scienter ac libere latroni praebet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim agendo furis voluntatem in proposito vel non restituendi vel iterum furandi efficaciter ac injuste determinat aut firmiorem effic[illegible]

---

(1) *Lyonnet,* quamvis in genere subscribat sententiae affirmativae, negativam tamen probabilem censet, si praeter ista suffragia requiratur sanctio praesidis vel regis ad firmandam aliquam sententiam vel legem (ut maxime fit in guberniis constitutionalibus), sive suffragantes sciant, quid alii facturi sint, sive non; omnes enim concurrunt ad injustam sententiam, cum ipsa efformetur ex collectione omnium votorum; et revera nomine omnium fertur et promulgatur. *(Scav.)* Ast haec ratio peremptoria haud videtur, exceptis casibus, in quibus sic de facto efficax influxus haberetur, v. g. si major numerus votorum pro lege injusta datorum efficaciter determinet regem etc. ad consensum requisitum praestandum.

Quid vero in dubio, an suffragium alicujus fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum? R. Tenetur dubitans, sicut ceteri, pro rata et, si alii non restituunt, in solidum, quia saltem suo suffragio deterioravit jus, quod damnificatus habebat, ad exigendam restitutionem damni ab alio suffragium praebente, rem nempe incertam reddendo. — *S. Lig. n. 566.; Hom. ap. tr. 10. n. 50.* — *Scav.*

(1) Cf. infra *n. 690. Princ. I.* et [illegible] *693. Q. 5°.;* item *S. Lig. n. 566. versus finem.*

(2) *Receptans* est, qui praebet al[illegible] securitatem, commoditatem et protect[illegible]nem vel ad damnum proximo inferend[illegible] vel ne illatum compenset. Tenetur [illegible] restitutionem, si receptatio est causa [illegible]mni illati. — *Scav.* — *S. Lig. n.* [illegible]

2° Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et praesertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum etc., vel ea occultant, aut etiam saepe sibi vindicant in pretium mercium, compotationum etc.

3° Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant vel iis ostendunt viam, qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur.(1) — *S. Lig. n. 568.*

§. VI.
De participante.

Participans duplex est: alius in praeda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia

Principia:

686. — I. Participans in praeda tenetur ad restitutionem partis, quam accepit et apud se detinet. Patet ex dictis supra, ubi de possessore malae fidei.

II. Participans in actione damnosa seu concurrens cum alio sive immediate, sive mediate ad damnum physice ponendum tenetur quoque generatim loquendo ad restitutionem, quotiescumque cooperatio illius realiter influxit in substantiam damni. Ratio liquet. — *S. Lig. n. 571.*

III. Quandoque tamen a restitutione excusabitur participans in actione damnosa, praesertim si mediate tantum concurrit, dummodo adsint requisitae conditiones, nempe 1° ut actus non sit intrinsece malus; 2° ut eliciatur ex causa relative gravi; 3° ut bonus effectus a cooperante intentus immediate oriatur a causa bona vel saltem indifferenti. — *Recole dicta de act. hum. n. 9.* et *de caritate n. 249.* — *Billuart diss. 8. art. 13. §. 6.* — *Carrière n. 1197.*

Quaesita:

687. — Quaer. 1° *An et quando licita sit immediata cooperatio ad damnum proximi in materia justitiae?*

Resp. 1° Quoad *damnum vitae* numquam licet immediate cooperari, etiam ad mortem vitandam, quia numquam licet occidere directe innocentem, et ipse innocens numquam potest ad id consensum praebere.

Resp. 2° Quoad *damnum membrorum* numquam pariter licet, etiam ad mortem vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forsan pro avertenda ipsius morte; quia homo non habet dominium perfectum in membra sua, ideoque nullum jus in illa cedere potest.

Resp. 3° Quoad *damnum in bonis fortunae* tres *communiter* admittuntur casus, in quibus ex metu gravi licita est cooperatio, quia dominus censetur consentiens, scilicet: 1° si cooperans possit ac velit damnum reparare; 2° si damnum grave absque cooperante aequaliter et certo ab agente principali inferretur(1); 3° si damnum sit leve respectu domini; tunc enim ex caritate illud aequo animo ferre debet.

Controvertitur autem, an tibi liceat cooperari immediate ad damnum grave proximi ex gravissimo(2) metu, nempe mortis, *si damnum reparare non possis aut non velis.* — *Negant* multi, quia talis actus videtur intrinsece malus, siquidem laedit jus proximi,

(1) *In genere:* Licitae sunt actiones, quibus quis non in crimine cum malefactore participat, sed officia humanitatis praestat, dummodo sic non influat in damnum proximi. — Cf. *S. Lig. ibid.* et *Gury, Cas. consc. n. 673.* cum *nota.*

(1) Probabilissime cooperans in tali casu generatim a restitutione excusatur, si alter sine hac cooperatione damnum adhuc certe (et quidem eodem modo) intulisset, uti v. g. si quis tenet scalam ei, qui etiam sine suo auxilio ascendisset, quia tunc cooperatio est mere materialis. — *S. Lig. n. 563.* sub fine.

(2) Metus enim gravis damni in propriis bonis cooperantem *per se* a restitutione non excusat. — Cf. modo exposita sub *R. 3°.* et *S. Lig. n. 571.*

qui rationabiliter invitus merito supponitur. Etenim non tenetur consentire in hanc cooperationem neque ex justitia, quae non obligat ad vitam alterius cum tanto gravamine proprio servandam, neque ex caritate, quae etiam cum tanto incommodo non urget. — *Billuart.* — *Alii* tamen *probabiliter affirmant.* Etenim constitutus in extrema necessitate subripere potest, unde mortem declinet, quia in tali casu omnia bona sunt communia, ut dictum est supra *n. 616. 619.* Cur igitur ille, cui mors intentaretur, non posset cooperari subreptioni bonorum proximi ad vitam e proximo periculo eripiendam? — *S. Lig. n. 571.* — *Molina etc.*

688. — Quaer. 2° *Quaenam causa requiratur, ut licita sit cooperatio mediata in materia justitiae?*

Resp. Licita erit, quoties aderunt conditiones requisitae supra in principio III. indicatae. Difficultas autem non exigua in eo consistit, ut determinetur, quandonam reperiatur ratio sufficiens ponendi talem cooperationem, seu quando effectus bonus sufficienter compenset malum. De hoc ex aequo et bono judicandum est. Generatim autem ad sequentes regulas attendere juvabit, scilicet: 1° tanto major requiritur ratio, quanto major est effectus malus exinde secuturus; 2° tanto major requiritur ratio, quanto propinquius causa, quae ponitur, influit in damnum; 3° major requiritur ratio, quando sine tua cooperatione effectus non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurus.

Resolves:

689. — 1° Non peccant contra justitiam fabriferrarii, qui indiscriminatim vendunt arma, etsi cognoscant aliquos in genere iis abusuros esse, quia secus commercium prorsus tolleretur. Si vero praevideant in specie, aliquos praedictis armis esse proxime abusuros, ea vendere non possunt ob ordinarium lucrum, sed requiritur causa gravis([1]), prout major vel minor est spes damnum impediendi etc.

2° Eximuntur ab omni restitutione atque peccato, qui coacti metu gravis damni obeunt functiones ad damnum praevias et in ipsum remote tantum influentes, v. g. scalam applicare, murum conscendentem adjuvare etc.([2])

3° Facilius adhuc est excusatio, si non deessent alii, qui bona fide([3]) instrumenta ad damnum necessaria suppeditarent.

4° Imo probabilius non peccas, nec ad restitutionem teneris, si pro vitanda morte reddas gladium apud te depositum domino petenti ad alium occidendum, licet occisio illius a gladii hujus traditione pendeat; quia tua vita vitae proximi aequivalet. — *Billuart diss. 8. art. 13. §. 6. n. 2. Dico 2°.* — *Vogler n. 318.* — *Carrière n. 1203.* et *alii multi* cum *S. Lig. n. 571.*([4]) contra *plures.*

§. VII.

De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.

690. — Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire deberent. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non manifestans.* 1° *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non praemonet damnificandum, dum ad id ex officio vel ex contractu tenetur. 2° *Non obstans* dicitur ille qui, dum infertur damnum, illi non obstat, rem alienam non custodit, cet id ex justitia praestare debet. 3° *Non manifestans* vocatur ille, post damnum illatum damnificatori domino laeso vel superiori non den

([1]) Cum laesiones per arma commun majoris momenti sint, in praxi raro cusabit lucrum cessans, aliquando nec mnum quodcumque bonorum emerg — Cf. 4°.

([2]) Cf. supra *n. 250. et seq.*

([3]) vel etiam mala —

([4]) Non sat liquidum videtur, qui *Lig.* de hoc casu sentiat. — Cf. *ap. tr. 10. n. 56.*

tiat, licet ex justitia denuntiare debeat. Ceterum eadem principia eaedemque applicationes morales omnibus conveniunt.

Principia:

I. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ex officio(1) illud impedire obligatus fuerit; qui enim non adigitur ad damnum ex officio impediendum, ex sola caritate obligatur et proinde nullo justitiae vinculo obstringitur.

II. Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpa gravi negligant, ad restituendum tenentur; ex justitia enim damnum impedire debent. Ergo, si omittant, contra justitiam peccant et proinde ad damna, quae ex omissione subsequuntur, resarcienda obligantur.

III. Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est, ut damnum sine gravi incommodo impedire potuerit, quia nec contractus, nec lex positiva cum tanto onere, ut plurimum saltem, obligare solent. — *S. Lig. n. 573.*

Quaesita:

691. — Quaer. 1° *An confessarius teneatur ad restitutionem, si poenitentem suum de restitutione facienda ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?*

Resp. Negative probabilius. Etenim licet ex officio confessarius teneatur bene instruere suum poenitentem ideoque peccet graviter id omittendo, quando necessarium est, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe: si confessarii silentium positivae approbationi aequipolleat, v. g. si interrogatus responsum declinet. — *S. Lig. n. 578.* — *Lugo* — *Suarez* et *alii communiter.*

Quaer. 2° *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna, quae domino suo inferuntur?*

Resp. 1° *Affirmative,* ut videtur, si agatur de damno illato ab extraneis. Ratio est, quia eo ipso, quod famuli in familiam admittantur, censentur suscipere obligationem eam adversus extraneos defendendi.(1) — *S. Lig., de 4. praec. dec. n. 344.* — *Lugo* — *Vogler etc.*

Resp. 2° *Negative probabilius,* si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit, quia non videntur conducti famuli, nisi ad laborem et ut familiam ab extraneis defendant. — *S. Lig. ibid.* — Alii tamen *non improbabiliter* dissentiunt.

692. — Quaer. 3° *An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?*

Resp. 1° Quoad *forum externum affirmative* tum *ex jure romano,* praesertim si de servis et filiis agatur, tum *ex jure gallico*(2), in quo expressa mentio fit 1° patris et, eo defuncto, matris relate ad filios minores cum ipsis habitantes; 2° heri vel mandantis relate ad famulos aut mandatarios; 3° institutoris et artificis relate ad alumnos. Datur tamen recursus ex parte superioris in damnificantem ad compensationem ab eo requirendam.

Resp. 2° Quoad *forum internum:* 1° *Affirmative,* si ex silentio graviter culpabili superior inferiori animum vel audaciam injecerit, ut patet.(3) — 2° Non tenetur autem, quoties culpa theologica deficit. — 3° Nec tenetur *probabiliter,* licet damnum non impediendo graviter peccaverit, si nullatenus silentio suo in illud influxerit, cum praecipue agatur de damno, quod alteri non subdito illatum est. Ratio est, quia qualitas superioris *per se* non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi

rel ex contractu. — Non tamen laejusvis officii per omissionem onus bonis per se parit. — Cf. *n. 692.*

(1) Valde probabiliter tunc tenentur in solidum. — *S. Lig. ib.* — *Scav.*

* (2) Vide *C. A. 1309. et seq.*

(3) V. *n. 675. 2°. not.*

ex speciali officio publico(1) ea impedire debeat. — *Lugo* — *Gousset* contra *alios* non paucos. — V. *S. Lig. n. 578.*

Quaer. 4° *An maritus teneatur de damnis uxoris, quae non impedivit?*

Resp. In *foro interno* de uxore dicendum videtur, quod de filiisfamilias dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In *foro* autem *externo* nihil in jure romano, neque in jure gallico statuitur

693. Quaer. 5° *An consiliarius teneatur ad restitutionem, si omittendo suffragium injustae sententiae non obstiterit?*

Resp. Affirmative, si suffragium ferre debeat *ex officio,* quia officium ex justitia adimplendum est, saltem communiter loquendo et seclusa justa causa. *Negative* autem, si jus suffragii habeat *ex privilegio* seu ex mero favore; tunc enim potest absque injustitia abesse vel suffragium omittere. — *Lugo disp. 19. n. 61. et seq.* — *Vogler n. 304.*

Quaer. 6° *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure ad tacendum, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. Negative probabilius, saltem *per se.* Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque injustitia, siquidem clamare non tenetur. Ergo *a pari* ob munera promissa vel tradita tacere potest absque injustitia. — *Lugo* — *Tamburinus etc.* — S cus autem dicendum esset, si pecunia acciperet ad observandum, si quis a veniat, quia tunc actionem positi injustam poneret.(1)

Quaer. 7° *An custodes non d nuntiantes damnificatores teneant compensare omnia damna et etia mulctam?*

Resp. ad 1um *Affirmative per s* quia ad damna impedienda constituu tur. Excipe: si agatur de rebus l vioris momenti, pro quibus ex co suetudine et praesumpta domini v luntate sufficit secreta admonitio.(2)

Resp. ad 2um *Negative probab lius* ob praxim contrariam, cui con munis sensus concordat. — *Lugo* - *Lessius* — *Vogler etc.* Idem dice dum de judice non procurante dam compensationem vel mulctam punit riam non exigente. Attamen, si ap udicem facta fuerit damnificatoris d nuntiatio, ille ad puniendum tenetur.(3 — *S. Lig., Hom. apost. tract. 1 n. 73.*

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTION

Praecipuae circumstantiae restitut nis hoc versu habentur

Quantum restitues? cui? quo ordi
quomodo? quando?

ARTICULUS I.
QUANTUM SIT RESTITUENDUM.

694. — Quantitas restitutionis surari debet ex quantitate rei acc

(1) sive, ut strictius *Scavini* ad mentem *S. Alphonsi (de praec. car. n. 40.):* per officium, quod *ex justitia* ortum habet, ita ut officia ex alia virtute provenientia per se saltem ante judicis sententiam in foro interno non obligent. Sic parentes ex officio tenentur corrigere liberos; sed cum officium istud ex sola pietatis obligatione enascatur, non videntur per se ad restitutionem teneri, si correctionem omittant et filii damnum alteri inferant. Excipiendum tamen puto si filii non habeant usum sufficientem rationis et parentes custodiam debitam culpabiliter neglexerint.

(1) V. *Gury, Casus consc. n. 6*

(2) Imo, nec monitione opus omnino licite ejusmodi objecta auf — Cf. *notam* ad *n. 608. R. 2°.; 745.* et *p. 2. n. 35. 36.*

(3) Obligatur sane judex, et qu justitia commutativa, juxta leges procurare, ut illi, qui damnum p debita *restitutio* fiat; constitui ad jus suum cuique reddendum: insuper ad damna resarcienda, ejus negligentia in puniendo bent, cum ex officio teneatur, i reipublicae prospicere. — Cf. *1 37. n. 97. 98.*

vel ex quantitate damni illati aut influxus in injuriam proximi, ut patet ex dictis.

Cum speciales difficultates de sola *solidaritate* occurrant, de ea solum specialiter agendum est.

De solidaritate.

Definitio: Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum*, est onus incumbens variis cooperatoribus integrum damnum erga laesum reparandi.

Divisio: Duplex distinguitur solidaritas, scilicet 1° *absoluta,* quae locum habet, quando quis tenetur solus damnum reparare; — 2° *conditionata,* ex qua singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis singulis cooperatoribus deficientibus.

Principia:

695. — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit,* tenetur ad restitutionem in solidum seu in integrum, sive absolute, sive conditionate saltem. Ratio est, quia in eo casu, et in eo solo casu, quilibet est causa efficax et injusta totius damni et proinde totum reparare debet. — *Vogler n. 342.* et *alii communiter.* (1)

II. Alicui autem cooperatori *totum damnum adscribi potest* certo in casu duplici, scilicet: 1° *Quoties illius cooperatio est necessaria,* licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum; v. g. si praebeas suffragium necessarium ad injustam sententiam, vel si adjuves furem ad ascendendum per fenestram, qui secus ascendere non potuisset. 2° *Quoties cooperatio fit ex conspiratione stricta et efficaci,* seu quia damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. — *S. Lig. n. 579.* — *Lugo etc.*

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute;* ceteri autem cooperatores aequales vel causae secundariae *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principalis agens, ut mandans, dux etc., ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi, cum ipse primario illud inferat nec utatur aliis, nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum.

Quaesita:

696. — Quaer. 1° *An tenearis* in solidum *in dubio, utrum in totum damnum influxeris?* (1)

Resp. Negative probabilius cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione. — *S. Lig. n. 579. etc.*

Quaer. 2° *An tenearis* in solidum *in dubio, utrum alii suam partem pro rata restituerint?*

Resp. Negative probabilius, si dubium perseveret facta diligenti inquisitione, quia cooperator non tenetur ad aliud praeter partem suam, nisi in defectu alterius, et si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione. — *Roncaglia* — *Salmant. etc.* contra *plures.* (2)

Quaer. 3° *An detur obligatio restituendi* in solidum, *ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuae, sed non est de se sufficiens nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. g. si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent?*

Resp. Negative, quia, cum tota ratio obligationis sit influxus in da-

(1) Tenentur autem singuli *pro rata,* [illegible] conspiratione efficace vel alia po[illegible] cooperatione, quae ad totum obli[illegible] morsim ad damnum in objecto divi[illegible] concurrerunt. — *S. Lig. n. 579.* — *Lugo.*

(1) Distingue hanc quaestionem ab altera simili sub *n. 668.,* quae agit de influxu in damnum generatim.

(2) *S. Lig. (n. 579.)* sententiam *affirmativam* amplectitur, sane non absque gravi ratione. Juri enim certo innocentis non satisfit per solutionem dubiam et in periculo subeundo ex injusta actione magis favendum est innocenti.

mnum, non debet esse major, quam ipse influxus. — Aliunde, qui concurreret ad partem damni dividui, licet cum aliis concurreret ad totum damnum, sane ad totum restituendum non teneretur; ergo *a pari,* qui concurrit partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit. — *Lugo d. 19. n. 82.* — *Vogler n. 343.* — *S. Lig.* hoc dicit *probabile n. 579.*

697. — Quaer. 4° *An tenearis* in solidum, *si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum, sed minime necessaria neque ex conspiratione procedat, v. g. si ignem domui alienae simul cum pluribus aliis apponas?*

Resp. Controvertitur. Affirmant probabiliter, imo et *probabilius* non pauci, quia, ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. — *Roncaglia* — *Sanchez* — *Salmant. etc.* — *Negant* vero alii *probabiliter,* quia, licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque communis cum aliis ex conspiratione. Ergo non est causa moralis totius damni. Nec refert, quod de re *individua* agatur, quia cooperatio ad totum damnum non extenditur. Attamen intellige: quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset; secus etiam actio ad illud necessaria dicenda foret. — *Sporer* — *Navar.* etc. — Utramque sententiam probabilem habet *S. Lig. n. 579.* et *Hom. apost. tr. 10. n. 55.*

Resolves:

698. — 1° Si quis ex cooperatoribus totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito erga creditorem; sed ille, qui sic restituit, recursum habet contra alios damnificatores aeque obligatos, ut ratio perspicua demonstrat.

2° Si furi, qui propter efficacia motiva jam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum, quod stimulum ei addat, non teneris deficientibus ceteris cooperatoribus totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3° Imo *probabiliter* nihil refundere debes ex justitia, si tantum inducas alium, ut aliquando citius aut alacrius damnum inferat, ob eamdem rationem.(1)

Nota: In praxi raro expedit, rudes obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur *in solidum,* quia isti non facile sibi persuadent, se teneri ad restituendam partem ab aliis ablatam aut destructam. — *S. Lig. n. 579.; Hom. apost. tr. 10. n. 54.*

ARTICULUS II.
CUI SIT RESTITUENDUM?

699. — 1° Restituendum est domino certo et noto, quoties absque nimia difficultate vel alterius injuria fieri potest (quia *res clamat domino)* nec datur causa a restitutione excusans. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 64.*

2° Qui subduxit rem apud alium depositam vel illi locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori restituere debet. Possessor enim sine injuria privari nequit jure custodiae, usus vel possessionis, nisi ipse consentiat. — *Hom. apost. ibid.*(2)

Quid autem est agendum, si dominus sit dubius aut incognitus, vel si cognitus, sed adiri non possit? Haec tenenda videntur:

1° Si dubius sit dominus, diligenti, sed inutili inquisitione facta vel dubium est inter paucos, vel inter multos. 1° Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini praesumpti. 2° Si posterius, v. g. quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio

(1) Cf. *n. 678. Q. 4°. et 5°.*
(2) Exceptiones vide apud *S. Lig. n. 596.*

facienda est augendo eodem modo pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati praesumuntur. — *Hom. apost. ib. n. 67.*(1)

2° Si dominus sit plane incognitus vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate, neque mediate adiri queat, distinguendum est: vel res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (v. supra *n. 578.*), et proinde vel in causas pias erogandae sunt, vel a possessore retineri possunt. Si vero mala fide, possessor tali re omnino se exspoliet et in opera pia aut communi bono utilia eam impendat. Nefas enim est, malitiam furi aut malae fidei possessori prodesse. Amplus enim pateret aditus latronibus, si fures ex delicto tam opimum fructum perciperent. — *Hom. apost. tr. 10. n. 67. 69.*(2)

Quaesita:

700. — Quaer. 1° *An in casu, ubi creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel ejus creditoribus restituere debeas?*

Resp. Generatim loquendo creditori tuo restituere non debes, sed creditoribus ejus debitum tuum est a te manifestandum. Ratio est, quia, licet creditores cedentis bona dominium directum in illius bona non habeant, jure tamen stricto gaudent, ut ex illis bonis se indemnes faciant. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. g. si debitum sit exiguum; si probus sit et credas, illum esse creditoribus restituturum; si versetur in gravi necessitate et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia in eo casu dicunt communiter theologi, bona cedentem posse subducere ea, quae omnino ad vivendum ipsi necessaria sunt.(1) — *S. Lig. n. 699.* — *Gousset n. 772.*

701. — Quaer. 2° *Cuinam restituere debeat debitor* ex delicto, *si dominus laesus inveniri nequeat?*

Resp. Juxta *communem sententiam* restituere debet pauperibus vel causis piis. Ratio est, quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repraesentari; praesumitur enim, talem esse debere ejus voluntatem, quoties rem suam injuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. — *Ita S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. etc.* De hoc certo constat *ex jure can.* quoad lucrum *usurarium* et *simoniacum.* Videtur etiam lex canonica *ex consuetudine* ad ceteros casus extendi: *consuetudo enim optima est legum interpres.* Apparet igitur, circa hoc *jus quoddam gentium* introductum esse.

Dicunt *plures,* debitorem posse restituere in utilitatem quamlibet publicam, etiam profanam. In praxi consuetudini generali standum est. Numquam autem possessor malae fidei vel damnificator injustus debitum retinere possunt praetextu quolibet, etiam paupertatis, quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet, ut jam dictum est supra *n. 699.* Unde sola ratione impotentiae et ad tempus tantum excusari possent. Neque debitor ille obligationi satisfaceret, si alicui privato non pauperi restitueret.

ARTICULUS III.
QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM.

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum, qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum, quibus restituendum est.

(1) Cf. tamen *n. 630. Q. 4°.*

(2) Restitutio in hisce casibus debet fieri pauperibus etc. loci, ubi laesio facta est, si plures et varii domini incerti alicujus communitatis damno affecti fuerint; potest vero fieri pauperibus cujuscumque loci, si solummodo pauciores defraudati sint, ita ut, si restitutio fiat quibuscumque illius loci indiscriminatim, res verisimiliter non sit ventura in manus domini. — *S. Lig. n. 589.* coll. *n. 595.*

(1) Cf. *n. 788. Q. 5°.*

§. I.

De ordine restitutionis inter cooperatores.

702. — Ad ordinem restitutionis *in solidum* assignandum inter cooperatores in damnum alienum distinguendae sunt causae damnificativae varii generis: 1° *principales* seu primariae; — 2° *secundariae* seu subordinatae; — 3° *collaterales* seu aequales. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

Principia:

I. Si omnes *eodem modo* concurrant, singuli aequaliter *in solidum conditionate* restituere debent absque ullo ordine determinato, quia nullus horum majus periculum suscepit. — Dixi *conditionate* i. e. in hypothesi, in qua ceteri cooperatores non restituerent, vel nullus *in solidum* solveret. — *Vogler n. 361. etc.*

II. Si *diverso modo* concurrant, distingues iterum: vel enim ex furto, vel ex mero damno restituendum est. Hinc:

1° Quoad restitutionem *ex furto.* Primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in aequivalenti, vel qui illam injuste consumpsit; — deinde mandans vel raptor, si mandans desit; — tertio tenentur ceteri cooperatores positivi; — tandem cooperatores negativi.(1)

2° Quoad restitutionem *ex damno.* Tenetur primo mandans, ut causa principalis; — secundo exsecutor, etiamsi nomine mandantis ageret, quia relate ad alios est causa principalis, juxta communem sententiam; — deinde ceteri cooperatores positivi; — demum cooperatores negativi.(2) — *Vogler etc.* — *S. Lig. n. 580.; Hom. apost. tr. 10. n. 60.*

Resolves:

703. — 1° Ad nihil tenentur causae secundariae, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causae enim secundariae tantum tenebantur ex defectu causae principalis, cujus obligatio sublata est. — *S. Lig. n. 581.*

2° Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis jus creditoris acquirit. — *S. Lig. ibid.*

3° Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio causae principalis est independens ab obligatione causae secundariae. Imo nec, quia uni e secundariis creditor remittat, ideo liberae sunt aliae causae secundariae ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito praesumi possit. — *Lugo* — *Vogler* — *S. Lig. ibid.* —. Excipe ex jure gallico, si debitum sit ex contractu. *(C. C. 1285.)*

4° Si una ex causis aequaliter obligatis totum debitum restituerit, aliae in defectu principalis tenentur singulae cum proportione ei partem suam rependere, quia quisque pro sua culpa luere debet. Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, ceteri eam inter se dividere deberent.

5° Consulens vel consentiens non tenetur *per se*(1) ante exsecutorem, sed hic prior tenetur, quia exsecutor deficiente mandante est causa principalis damni.

§. II.

De ordine restitutionis quoad creditores.

704. — Agendum hic est de casu, in quo debitor impar est

(1) Cf. etiam *n. 650. Q. 6°.*

(2) *Ordinarie* inter causas negativas nullus ordo servandus est; tenetur ergo quaevis per se pro rata, aliis autem deficientibus valde probabiliter in solidum. Diximus: *ordinarie;* obligatur enim illa primitus, quae forte magis damnum avertere tenebatur. — *Scavini.*

(1) Cf. *S. Lig. n. 560.* et supra *675. 4°.*

is creditoribus satisfacien-
enim nullus ordo in de-
dis necessario servandus
t.

s autem sunt: 1⁰ alii *pri-*
qui ex legis positivae pri-
habent debitum suum ante
ndi; 2⁰ alii *hypothecarii,*
o *hypothecae* seu *assecu-*
bonis debitorum fundatae
solutionem obtinendi sta-
reditores privilegiatos; (¹)
munes, qui nullo privilegii
hecae beneficio gaudent.

ipia(²):

I. Ante omnia solvi debent
debita. Sic ex jure rom.
bita autem privilegiata ut
int impensae judiciales et
endia medicorum et famu-
anno currente et praece-
a pro cibis a sex ultimis
– *C. C. 2101.*

io autem per leges concessa
nscientia obtinet. — *Scav.*
oninum.

icipia juris austriaci.
ica in manuali edicti genera-
e procedendi in causis civ
austr. §. 116. et seq., ut pauca
pam, haec statuit: Primo loco
debita *realia.* Secundo loco
creditores *privilegiati;* hinc
res sua mobilis restitui debet
sunt expensae utiles et neces-
inatori ac administratori sub-
ratae. Tertio loco debita *per-*
in sex abeunt classes. Ad clas-
pertinent expensae necessa-
stipendium famulorum ab ul-
; ea, quae ex tempore unius
chirurgis et pharmacopolis de-
Ad *secundam* classem debita
ata etc. Ad *tertiam* pupilli
privilegiis gaudent, uxor
suae, nisi haec oppignorata
d *quartam* omnes creditores
ati etc. Ad *quintam* census
aestationes, quibus specialis
haud conceditur. Ad *sex-*
praeter victum uxori legi-
um debita ex titulo gratuito
etc.

ec a lege, cessione jam facta,
nte cessionem jus naturale
estas est.

II. Secundo loco solvendi sunt creditores hypothecarii, servato temporis ordine, juxta *regulam 54. juris in 6.: Qui prior est tempore, potior est jure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum jus praelationis habentia.

Nota: Ex jure romano res aliena apud debitorem exsistens, v. g. in deposito, locato etc., ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui debet; res enim illa in specie exsistens *domino clamat.* Item de re empta ad creditum non soluto pretio, si adhuc in sua specie exstet. — Ex jure autem gallico res vendita non soluto pretio repeti potest intra 8 dies a traditione tantum; sed ejus pretium semper est privilegiatum. — *C. C. 2012.*

Quaesita: (¹)

706. — Quaer. 1⁰ *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Negative probabilius, sed praedicta debita solvenda sunt pro rata, quia ex jure constat, priora posterioribus non esse necessario praeferenda. — *S. Lig. n. 688.*

Quaer. 2⁰ *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirmative, quia, qui gratuito promittit, apponit semper hanc tacitam conditionem: *si commode praestare valeam.* Gratuito enim bona expendere non potest praejudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. — *S. Lig. n. 689.* — *Lugo* — *Lessius* — *Billuart.*

Quaer. 3⁰ *An creditores pauperes divitibus necessario praeferri debeant?*

Resp. Negative, nisi sint in extrema necessitate(²), quia nullum jus praelationis habent; jus enim divitis tam strictum est, quam pauperis, cum

---

(¹) Quaesita sequentia respiciunt creditores, qui nullo praelationis jure gaudent.

(²) vel gravi, et creditor dives ex caritate *(n. 227.)* ad cessionem istam teneatur — *S. Lig. n. 691.*

justitia commutativa ad personas non attendat. — *S. Lig. n. 691.* — *Lugo d. 20. n. 161. et seq.*

Quaer. 4° *An praeferendi sint creditores priores tempore posterioribus?*

Resp. Negative probabilius, quia lex nullam praelationem inter talia debita assignat et ex jure naturali omnes creditores sunt aequales, cum singuli aeque jus habeant in debitoris personam, quae sola ipsis obligata est et singulis aeque obnoxia. Si enim essent obligata bona ipsa debitoris, creditores eorum dominium proprium haberent nec proinde debitor ea vendere posset, quod falsum est. — *Vogler n. 439.* — *Lessius* — *Carrière, de contr. n. 391.,* ubi dicit: *Ita hodie plerique theologi.*

Affirmant tamen *plures,* quia, ajunt, *prior tempore* debet etiam esse *potior jure.* — *Ita Lugo* — *Salmant.* Et hoc dicit *probabilius S. Lig. n. 690.,* licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

707. — Quaer. 5° *An creditores certi incertis seu incognitis sint a debitore anteponendi?*

Resp. Affirmative probabilius, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur *rationabiliter invitus,* cum debitum suum recuperare nequeat. Aliunde durum foret denegare debitori facultatem se liberandi erga creditorem, a quo prosequendus saepe est, ut pauperibus obviis, creditorem incognitum repraesentantibus, restituat. Saltem creditores certi licite incertis anteponi possunt. — *Ita communiter.* — *Lugo d. 20. n. 2.*(1) — *Antoine* — *Vogler* contra *Billuart.*

Quaer. 6° *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

Resp. 1° *Affirm.,* si *juridice* petat, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 692.* — *Vogler n. 444.*

Resp. 2° *Affirmative* etiam *probabilius,* si petat extra judicium(1), quia habet actionem personalem in debitorem et totum debitum petendo jus suum prosequitur. — *S. Lig. n. 692. (ut probabilius).* — *Billuart* — *Lessius* — *Salmant. etc.* contra *Lugo* — *Concina* — *Carrière.*

Quaer. 7° *Utrum debitor, sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?*

Resp. Negative, quia, cum omnes creditores sint jure aequales, nec ullus inter illos jus suum prosequatur et proinde diligentia neminem potiorem in petendo faciat, postulat aequitas naturalis, ut alicui integra restitutio non fiat cum aliorum praejudicio. — *S. Lig. n. 692.* — *Lessius* et *alii communiter.*

Quaer. 8° *An autem creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilior* et *communior affirmat,* quia nullum jus habet, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento. — *S. Lig. n. 693.* — *Salmant.* — *Concina etc.*

IIª Sententia *negat,* quia credit[illegible] jus *personale* habens nulli facit in[illegible]riam solutionem debiti urgendo et[illegible] extra judicium, ex dictis supra *p[illegible]babiliter;* ergo neque acceptando, [illegible]

(1) qui *ib. n. 4. et seq.* ait, regulariter quidem debita certa praeferenda esse, sed posse occurrere circumstantias, in quibus praesumendum est, creditorem incognitum potius velle, debitum suum in usus pios impendi, quam solvi creditoribus certis. — *S. Lig.* sententiam suam exponit sub *n. 687.*

(1) modo ipsi tribuantur bona non [illegible] jam obligata ratione privilegii etc. et [illegible] sit fraus, quae adesset, si publice jam [illegible] clarata esset cessio bonorum. Non [illegible] tamen inquietandi creditores, qui, [illegible] de fortuna debitoris suspicione, deb[illegible] repetunt; tunc enim impotentia deb[illegible] adhuc dubia est etc. — *Scav.*

jus exigendi habeat. — *Lessius* et *alii* apud *Lacroix l. 3. p. 2. n. 407.* Excipe tamen casus, in quibus talis solutio invalida a lege declaratur.

ARTICULUS IV.
QUOMODO SIT RESTITUENDUM.

708. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, restitutionem eo modo fieri, quo justitia violata plene seu ad aequalitatem reparetur et sic dominus laesus omnino indemnis fiat.

Hinc 1° Non est necessarium *per se,* ut restitutio publice fiat; imo saepe eo modo fieri nequit, quia famae et honori restituentis consulendum est.

2° Non est necessarium, ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri potest per alium quemlibet, modo res suo domino reddatur. Potest aliquando fieri per confessarium; sed tunc magna cautela opus est, tum ut sigillum confessionis illaesum remaneat, tum ut poenitens resciat, creditorem vere debitum recepisse, ne umquam suspicio contra confessarii probitatem suboriri queat.

3° Non est necessarium, ut restitutio fiat advertente domino, quia hoc non requiritur, ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest v. g. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando et sexcentis aliis similibus modis.

Quaesita:

709. — Quaer. 1° *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius* et rigorose loquendo. Ratio est, quia non requiritur ad veram solutionem, ut debitor externe fateatur, se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — *Ita communius.* — *Vogler n. 534.* — *Carrière n. 1265.* etc. contra *Billuart.*

Quaer. 2° *An, si creditor tunc pietatitudine motus aliud donum remittat, hoc ei restituendum sit?*

Resp. Affirmandum videtur. Ratio est, quia donatio illa non videtur *plene voluntaria* et *spontanea,* ut debet essentialiter esse donatio mere *gratuita;* procedit enim ex opinione obligationis gratitudinis, quae falso nititur fundamento. — *Ita Carrière ibid.* contra *Tamb. etc.*

Quaer. 3° *Quo loco et cujusnam expensis facienda sit restitutio?*

Resp. 1° Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc existit, nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem debitam transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, cum per formalem injuriam illum ex eo non dejecerit.

Resp. 2° Si obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si non ablata fuisset, idque debitoris sumptibus(1). Ratio est, quia creditor debet servari indemnis et non sentire damnum ex iniquitate debitoris, sed restitui in statum pristinum. — *S. Lig. n. 677.*

Resp. 3° Si res ex contractu solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando autem nulla de his conventio facta est, attendendum est ad leges speciales pro variis contractibus.(2)

710. — Quaer. 4° *An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illae expensae valorem rei ipsius superent?*

Resp. 1° *Affirmative,* si excessus non sit valde notabilis, quia debitor injustitiam committendo in se tale onus suscepit, et dominus non tenetur rei suae jacturam facere. — *Ita*

---

(1) iis solummodo deductis, quos fecisset dominus in rei conservatione et translatione. — *S. Lig. ib.*

* (2) Principia juris austriaci vide sub *n. 785.*

communiter. — *Lugo d. 20. n. 185. et seq.* — *Carrière n. 1256. etc.*

Resp. 2° *Negative* autem *probabilius,* si illae expensae essent maximae respectu valoris rei remittendae. Tunc autem ex praesumpta creditoris voluntate restitutio pauperibus facienda esset(¹). Recta enim ratio et caritas dictant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. — *Ita Vogler n. 415.* — *Lugo ib.* — *Billuart diss. 8. art. 16.* — *S. Lig. n. 598.*, ubi dicit, esse *sententiam communissimam.*

Quanta autem esse debeat jactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis damnum, quod debitor patietur, superat tantum duplo damnum creditoris, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit, ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis haec regula modificanda est.(²) — *Ita Lugo d. 20. n. 190.* — *S. Lig. n. 598. 702. I. etc.*

711. — Quaer. 5° *An debitor iterum restituere debeat, si, cum debitum per nuntium fidelem miserit, illud casu vel culpa tertii pereat?*

Resp. 1° Debitor *ex possessione bonae fidei* ad nihil tenetur, quia seclusa culpa et pacto res perit domino, quia est ipse creditor.

Resp. 2° Debitor *ex contractu* ad nihil tenetur, si agatur de re alterius exsistente in individuo, accepta in commodatum vel depositum etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de pretio solvendo, quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii missi, usquedum illud in manus illius transmiserit(¹).

Resp. 3° Debitor *ex delicto* a restitutione non liberatur et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit, quia semper remanet causa culpabilis damni, quod hic patitur. — *S. Lig. n. 704.*

Excipe casum triplicem: 1° si dominus designaverit nuntium, per quem res debita mittenda foret; 2° si creditor nuntium quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi, quem vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3° si nuntius imperio judicis designatus fuerit.

712. — Quaer. 6° *Quomodo restituendum pro damnis reipublicae illatis?*

Resp. Restituendum est per media ab ipso gubernio constituta, si hujusmodi media exsistant. Attende igitur ad varias locorum leges. Si vero talia media constituta non fuerint, res difficultate non caret. Alii dicunt, restituendum esse per tributorum praepositos; alii vero tenent, obligationi justitiae satisfieri, si pauperibus restituatur. — Vide *Carrière n. 1240.*, ubi dicit, nullum exsistere modum legalem in Gallia, quo restitutiones praefatae suscipiantur.(²)

(¹) vel pro circumstantiis differenda, si spes sit rem illam alio tempore absque tantis sumptibus domino restituendi.

(²) Potest enim damnum v. g. 10 nummorum respectu debitoris pauperis longe majus esse, quam damnum 100 nummorum respectu creditoris opulenti, et vice versa. — *S. Lig. ib.* — Cf. etiam *n. 715. not. 5.*

Ceterum nostro tempore raro modus deerit, domino, si non rem ipsam, saltem pecuniam vel syngrapham valori rei correspondentem transmittendi, ut recte docet *Friedhoff, Theol. mor. spec. §. 138. 8°.*

(¹) item si res non in individuo, sed [illegible] genere debebatur, ut jam in textu innu[illegible] — *Lugo disp. 21. n. 57.* Ceterum qu[illegible] obligationes ex contractu etiam leges p[illegible]ticulares conferri debent.

(²) „Cum nullus exsistat *modus leg*[illegible] „quo restitutiones illae suscipiantur, [illegible] „lus etiam, quo earum ratio redd[illegible] „numquam constare potest, inquit *L*[illegible] „*rot p. 225.*, quod ad aerarium publ[illegible] „transmittantur. Huic incommodo all[illegible] „fuit remedium in Belgio anno 183[illegible] „stituto ordine, juxta quem hujus[illegible]

ARTICULUS V.
ANDO SIT RESTITUENDUM.

— I. *Quoad debita quaelibet* n restituendum est quam pri- i potest sine gravi incommodo. ı naturale exigit, ut non re- :m alienam invito rationabili- ino.

1° Qui culpabiliter differt re- em, manet in peccato continuo ri nequit. Insuper, si damna domino ex dilatione restitu- a compensare tenetur.

quis, habens propositum re- , non longo tempore differat ıve incommodum domini, non ımnandus est de peccato mor- o nec de veniali, si qua sit fferendi, v. g. spes occasionis ioris etc. — *S. Lig., Hom. r. 10. n. 104. 105.*

ıi vellet restituere per partes, sset totum, non esset absol- quia dominus etiam in hoc ınabiliter invitus. Idem dicen- eo, qui decursu vitae restitu- apax, differt tamen eamdem l mortem(¹); vel qui in peri- rtis constitutus rejiceret abs- ɔne sufficienti obligationem re- i in haeredes suos. — *Hom.*

II. *Quoad debita ex injuria* sunt compensanda damna omnia, quae ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis. — *Hom. apost. ibid.*

Utrum autem debeant etiam compensari damna extraordinaria, seu quae non sequuntur necessario ex dilatione restitutionis, *controvertitur.* — *Probabiliter* negandum videtur, quia haec damna non potuerunt praevideri, nec proinde imputari possunt.(¹) — *Vogler n. 426.* — *Lugo etc.*

714. — III. *Quoad debita ex contractu* generatim standum est conditionibus in ipso contractu positis circa tempus vel circa alias circumstantias, nisi prudenter praesumatur, aliam esse alterius partis contrahentis voluntatem.

Hinc 1° Restitutio seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est, ut patet.

2° Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. g. in contractu mutui cum lucro percipiendo.

3° Si terminus non sit fixus, debitor exspectare potest generatim, saltem absque gravi peccato, juxta multos, donec moneatur a creditore, nisi inde illi damnum fiat, vel creditor ex timore non audeat monere, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat(²).

4° Si debitor habeat justam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 680.*

Quaer. *An, qui distulit restitutionem ex gravi ratione, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

ıones suscipiendae sunt, et cau- ı adhibitis, ut ad aerarium publi- erveniant. Cum autem nil tale os occurrat, saltem quod sciamus, xistimant, bona, quae reipublicae ıernio restitui debent, esse impen- in usum pauperum vel in alia pia utilitatis publicae; tum quia prae- otest, hanc esse voluntatem sive , qui reipublicae praesunt, sive , qui ultimate gravati sunt; tum er illud medium restitutio fit me- quo potest, modo." — *Carrière, ıtia n. 1240.* — (Nota auctoris.) s nos non inepte reipublicae restitui per emptionem et destructionem ı signatae signo reipublicae (Stem- ler) etc. — Cf. etiam *n. 743. not.* kcipe: 1° si debitor sit in bona monitio praevideatur non profutura; ıt causa sufficiens restitutionem dif- , v. g. si statim fieri nequeat sine ıa. — *S. Lig. n. 681. 682.*

(¹) Indubie negandum est quoad ea damna, quae non necessario sequuntur eo sensu, quod facile impediri potuerint. — *Lugo disp. 18. n. 32.*

(²) vel nisi debitor se obligarit cum juramento; nam juramentum de se obligat quamprimum. — *S. Lig. n. 678.*

Resp. Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto,* quia, licet non peccaverit restitutionem differendo ex gravi causa, attamen ex prima acceptione est vere causa injusta et culpabilis illius damni, quod tunc implicite sufficienter praevisum fuit.(1) *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 680. et 704.* contra *plures.* — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur, quia debitor tunc non est causa injusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo teneretur.(2) — *S. Lig. ib.* et *alii communius.*

CAPUT IV.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

715. — I. *Excusant ad tempus:* 1° *Impotentia physica* seu omnimoda impossibilitas, quae habetur in necessitate extrema, imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius, sive suorum i. e. uxoris et proximorum consanguineorum. — 2° *Impotentia moralis* seu gravis difficultas restituendi, i. e. si restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris(3), v. g. si deberet restituendo notabiliter decidere e statu suo *juste* acquisito(4) aut in gravem(5) necessitatem incidere etc. Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc, si nobilis non potest restituere, nisi se privet famulis, equis, armis; vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat instrumenta, quibus vitam ducit, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest et debita paulatim solvere. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 10. n. 117. et seq.*

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. g. ludis, crapulis, in talem necessitatem se conjecerit. — *Ita Layman — Lacroix — Busembaum* cum *aliis.* Sed *S. Lig. (Hom. ap. tr. 10. n. 118.)* ait: „Hoc non obstante, si debitor e statu suo *juste* „*acquisito* casurus esset, mihi et aliis „doctis durum videtur, ad integram

(1) Cf. supra *n. 713. II.*

(2) Nota tamen cum *Lugo d. 18. n. 39.* et *aliis,* posse aliquando debitorem ob dilationem solutionis excusari, non simpliciter, sed propter animum, quem habet, resarciendi creditori damnum ex hac dilatione praevisum, quo in casu sane illud resarcire debebit.

(3) dummodo creditori ex omissione vel dilatione restitutionis aequale damnum non obveniat. — *S. Lig. n. 698. 7.* et infra *n. 717. Q. 1°.*

(4) Potest tamen regulariter debitor, etiamsi status *injuste* acquisitus sit, *paulatim* restituere, quando secus bonum superioris ordinis v. g. famam amitteret, modo tamen jactura famae non sit minima respectu damni creditoris. — *Scav.* — *S. Lig. n. 698. 10.* — *Salm. tr. 13. c. 1. p. 17.*

(5) Necessitas communis non excusat. Aliquando vero debitor non quidem in gravem necessitatem conjicietur per restitutionem, grave tamen detrimentum per eam patietur. *Poteritne in hoc quoque casu ab onere restitutionis solvi, et quidem etiam in perpetuum, si detrimentum illud maneat?*

Resp. Affirmat *Lugo (disp. 21. n. 7. et seq.; n. 19. et seq.)* contra *aliquos,* quia justitia est *virtus,* ideoque *prudenter* praecipit.

Hinc debitor excusabitur, si notabile illud detrimentum sit in bonis superioris ordinis v. g. honoris.

Si vero in bonis ejusdem ordinis, major sane causa in genere requiritur, ut restitutio fieri possit ad pias causas, quam ut differatur tantummodo vel etiam ad mentem creditoris v. g. ejusdem propinquis fiat; major itidem, ut omittatur, quam ut fiat ad pias causas. Ad eum autem omnino omittendam opus est juxta *Lugo* quoad debitum ex contractu, ut detrimentum ejus, cui restitutio incumbaret, duplo excedat valorem debiti; quoad debitum ex delicto, ut quadruplo excedat valorem debiti et damni pro creditore emergentis. Quantitas vero damni tam pro creditore, quam pro debitore non materialiter, sed formaliter i. e. respectu ad personas et circumstantias computandum erit.

Ceterum raro debitor a restitutione omnino excusabitur, cum plerumque saltem restituere valeat. — Cf. etiam *Lig. n. 598. 702.*

„restitutionem illum obligare. Cete„rum recte advertunt *S. Antoninus, „Sporer, Elbel*, quod in tali casu „semper tenetur debitor expensas di„minuere, ut restituat saltem, quod „potest.“ (1)

716. — II. *Excusant in perpetuum:* 1° *Remissio* vel *condonatio*(2) debiti a parte creditoris. Requiritur autem ad hoc, ut creditor possit condonare, ut dominium et administrationem rei sibi debitae habeat(3): item, ut remissio non fiat vi vel fraude, sed omnino libere et spontanee;(4) 2° *compensatio,* i. e. quando creditor auctoritate propria rei aequivalens a debitore sibi vindicat, vel eidem debitum sibi retinet(5); 3° *praescriptio* debitis vestita conditionibus. Praescriptio autem pro debitis non completur regulariter nisi 30 annis; nec communiter haberi potest quoad ipsum debitorem, qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit. — *S. Lig. n. 700. etc.* — *Recole dicta de praescriptione n. 580. et seq.*

Quaesita:

717. — Quaer. 1° *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate sive gravi, sive extrema cum creditore?*

Resp. 1° Si creditor jam reperiatur in gravi necessitate, debitor autem restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

2° Si uterque jam reperiatur in necessitate gravi et debitor restituendo in extremam decideret, *disputatur. Probabilius* excusatur a restitutione, quae *non* debetur *ex delicto.* Imo *probabiliter* etiam, si *ex delicto* debeatur, quia debitor tunc restituendo se subjiceret damno multo majori. Excipe casum, in quo res ipsa in specie adhuc exsistit.(1) — *Ita communiter.*

3° Si uterque sit(2) in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio, quia in isto casu omnia fiunt communia. — *Lugo*(3) — *Lessius etc.* — *S. Lig. n. 703.; Hom. apost. tr. 10. n. 119.*

Quaer. 2° *An restituere teneatur, qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. 1° Si habeat alibi propria, *affirmative.* Ratio est, quia non est vere impotens, etiam tempore necessitatis. — *S. Lig. n. 520.* et *alii communiter.*

2° Idem dicendum est, si actu nihil habeat, sed spes probabilis fortunae ipsi affulgeat, quia tali homini necessitatem patienti sufficienter providet dives pecuniam mutuando sine censu. — *S. Lig. n. 520.*

3° Si nulla spes fortunae affulgeat actu, non tenetur, quia tunc urget simpliciter praeceptum eleemosynae.(4) — *Ita communiter theologi.* — *S. Lig. ibid.*

---

(1) Excusat praeterea grave damnum [illegible]mae creditoris vel alteri ex restitutione [illegible]vesturum (v. g. si moraliter certum est, [illegible]urum esse creditorem objecto restituto [illegible] grave peccatum, ad notabile damnum [illegible]ximo inferendum), dummodo malum [illegible]d per dilationem restitutionis efficaci[illegible] impediatur nec sic peccata multipli[illegible]tur. Imo tenetur debitor ad dilationem [illegible] iis circumstantiis, ubi caritas vel justi[illegible] ad hoc obligat. — *S. Lig. n. 697.* [illegible] *n. 571.* — *Scav.*

(2) expressa vel tacita — *S. Lig. n. 700.*

(3) et ut lex tali remissioni non obstet. *Scav.*

(4) Cf. etiam *n. 703. 1°. et 3°.*

(5) Cf. *n. 620. et seq.*

(1) Haec exceptio tamen non admittenda, si debitor restituendo conjiceretur in necessitatem *vere* extremam vel quasi extremam. — Cf. *n. 616. 617. 4°.* — *S. Lig. n. 701.*

(2) Deberet enim restituere, si creditorem praecise per subtractionem illam hic et nunc in extremam necessitatem conjiceret. — *S. Lig. n. 701.*

(3) *Lugo* contrarium defendit *disp. 21. n. 4.*

(4) Obligatur tamen ad restitutionem 1° si rem non consumpsit, sed ea tantum usus est, ita ut adhuc exsistat in specie *(n. 617. 1°.)*; 2° si consumpsit rem, cujus dominium per acceptionem in ipsum translatum est, v. g. mutuum ab altero ipsi datum *(n. 849.)*. — *Scav.* — *S. Lig. n. 520. Q. IV. V.*

718. — Quaer. 3° *An excusetur restitutione ille, qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. Duplex datur sententia:

Iª Sententia *negat.* Ratio est, quia id, quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. — *Ita Sanchez — Vogler.*(¹)

IIª Sententia *affirmat* cum *Lacroix l. 3. p. 2. n. 452., Tamburino etc.* — Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi justitiae satisfacere, quam merae donationi. Prima sententia est *communior* et *valde probabilis;* sed secunda non caret sua probabilitate, ait *S. Lig. n. 700.,* et hanc sat probabilem dicit *Hom. apost. tr. 10. n. 120.*(²)

Quaer. 4° *An gravatus debitis possit ingredi religionem et liberetur a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1um *Negative,* si brevi habere possit, unde solvat; secus *probabilius per se,* si debeat exspectare ad tempus notabile. — *S. Lig., de praec. part. n. 71.* — *Vogler etc.* Attamen, si debita sint magni momenti, talis ingressus, licet *validus,* jure canonico prohibetur ut *illicitus.*

Resp. ad 2um 1° Religio non tenetur talia debita solvere ex bonis propriis, ut patet; 2° religiosus tenetur exsolvere ex bonis, quae habuit ante professionem vel quae ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emiserit; secus vero, si lemniter professus fuerit. — *Ita co muniter.*(¹)

719. — Quaer. 5° *An cessio norum, sive judiciaria, sive vol taria, excuset a restitutione in p petuum?*

Resp. 1° *Negative* prorsus quc cessionem *judiciariam,* quia illa c sio est tantum beneficium, quod concedit debitori bonae fidei et in lici, ut bona cedens libertatem c servet et a coactione in foro exte immunis evadat. Constat ex termi expressis juris tum romani, tum galli

Resp. 2° Imo *negative* etiam quc cessionem *voluntariam,* seclusa c ventione vel *expressa,* vel saltem i *plicita.* Ratio est, quia, quamvis c ditores tunc componant cum debit de certa parte tantum debitorum s venda, sic agunt, quia plus hab nequeunt, nec propterea renunti juri, quod ad integram solutionem l bent, si debitor aliquando solvere que — *S. Lig. n. 699.* — *Billuart di 8. art. 20. Tertia causa.*

Dixi: *seclusa conventione;* quia creditores *expresse* liberent vel videantur liberare *totaliter* debita ad nihil ulterius tenetur.(²)

720. — Quaer. 6° *An libe a restitutione, qui debitum creditori creditoris sui; v. g debeo 100 francos, tu vero 100 Titio: an satisfaciam so 100 Titio?*

Resp. Affirmative per se i juris. Ratio est, quia ego creditori tuo id, quod ipsi de quiro jus, quod ille habebat, suum a te requirendi: unde j in te habeo, juri, quod in aequivalet et fit compensatio potest creditor tuus in me transferre seu possum ego il sicut quilibet alius, qui

(¹) Excipiunt tamen patroni hujus sententiae 1° si obligatio restitutionis oriatur ex praecepto ecclesiastico, v. g. ex culpabili omissione horarum; 2° quando creditor probabiliter praesumitur libenter debitum remissurus, si rem cognitam haberet; 3° si agatur de debitis incertis, cum tanta non sit eorum obligatio; 4° si obligatio esset aliunde, quam ex justitia, v. g. ex voto. — *S. Lig. n. 700. Q. II.*

(²) quoties certe praesumitur, quod debitor, si debiti fuisset memor, nequaquam donasset, qua distinctione etiam *Lacroix ib.* utitur, addens, hoc colligendum esse ex circumstantiis, considerata causa nunc tradendi.

(¹) Fusius hanc quaestionem raris, *Pr. Bibl.* ad v. *Resti n. 68. et seq.*

(²) Cf. *n. 788.*

deberet. — *S. Lig. n. 700.* — *Billuart diss. 8. art. 14. §. 1.* — *Vogler n. 541.* et *alii communiter.*

Dixi 1° *per se;* quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas. — Dixi 2° *in rigore juris;* quia talis solutio illicita erit, si absque causa fiat, ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — *Billuart ibid.*(1)

721. — Quaer. 7° *An debitor liberetur in dubio vel probabilitate solutionis?*

Resp. 1° *Negative* in *mero dubio,* ut patet. Obligatio enim semel contracta certo adimplenda est, saltem nisi solida ratio, peractam esse solutionem, suadeat. — Idem etiam certo tenendum est, ubi praesumptio debitori adversatur, quod saepius evenire solet, praesertim quando dubium ejus negligentiae tribuendum est.

Resp. 2° In *vera probabilitate controvertitur:*

Iª Sententia *communior et probabilior negat.* Ratio est, 1° quia non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam; 2° quia onus incumbit debitori, ut attendat et invigilet, ut certo restituat, unde exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua damnum pati non debet creditor. — *S. Lig. n. 700.* et *de consc. n. 27. et seq.* — *Lugo d. 18. n. 7. et seq.* — *Lacroix n. 571.,* licet oppositum teneat, sicut ipse *Lugo,* ubi de alia obligatione ac de justitia agitur. et *alii multi.*

IIª Sententia, *sat probabilis per se,* dicit, restituendum esse pro rata dubii, saltem si uterque dubitat: quia, cum creditor non habeat nisi jus probabile, non est aequum, ut tantum ipsi solvatur, quantum solveretur, si jus certum haberet. — *Tambur.* — *Layman* — *Diana.* — *Reuter* dicit hoc *probabile n. 449.,* licet oppositum ut *probabilius* habeat.

IIIª Sententia, quae est *paucorum,* debitorem ab omni obligatione liberat, quia non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet. — *Ita Bossius* — *Tannerus* — *Viva etc.* apud *Lacroix* et *Reuter.* Sed haec tertia sententia non videtur sat fundata, ut in praxi admitti possit, quia, quidquid sit de controversia in aliis rebus, ubi agitur de solo licito vel illicito, in materia justitiae militant rationes speciales pro obligatione saltem partiali, quae in materia simplicis honestatis non adeo urgent. Haec enim materia est minus divisibilis, et Deus jus suum, si quod sit, facilius quam homo remittere censetur. — *Vide dicta de consc. n. 80.*

Attamen, si debitori faveat multo major probabilitas et sit probus diligensque in debitis solvendis, inquietandus non foret; major enim praesumptio pro solutione peracta tunc haberetur. *A fortiori* restitutionem non urgebis, si debitor dicat, se certo debito satisfecisse, licet creditor adhuc reclamet.

722. — Quaer. 8° *An excuset a restitutione condonatio rationabiliter praesumpta?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius*, quia retentio rei alienae seu omissio restitutionis non est injusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex ejus voluntate rationabiliter praesumpta. Ergo etc. Sic excusari possunt facilius filiifamilias, si pecuniae summam sat exiguam parentibus subripuerint. Item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est. Unde non sufficit quaecumque verisimilis aut probabilis praesumptio, quia sic janua innumeris injustitiis aperiretur, sed praesumptio moraliter certa requiritur. — *Lacroix n. 462.* — *Lugo d. 21. n. 54.* — *S. Lig. n. 700.* — *Vogler etc.*

(1) Ceterum cf. etiam leges civiles.

SECTIO II.
DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1° animi; 2° corporis; 3° fortunae in quibusdam casibus.

CAPUT I.
DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI.

Generatim quisque tenetur ex justitia reparare damnum, quod efficaciter et injuste causavit proximo in bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Homo enim non minus habet jus strictum, ut in bonis hujusmodi, quam in bonis fortunae non laedatur.

Hinc colliges:

723. — I. Quoad damnum in bonis supernaturalibus:

1° Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum lethale, tenetur sub mortali ex justitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando.(1) Qui autem sine vi, fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum lethaliter, tenetur quidem ad consilium illud ex caritate revocandum, non vero ex justitia, quia *scienti et volenti non fit injuria.* — *S. Lig. n. 661.*

2° Qui dolo induxit alium in errorem, praesertim practicum, ex quo damnum grave illi oriri possit in materia morum, ex justitia tenetur reparare damna, quae inde proveniunt, et omni conatu eum ab errore removere. Idem de errore speculativo circa praecipuos fidei articulos tenendum est.

3° Qui per vim, metum gravem vel fraudem aliquem ab ingressu religionis impedivit, aut jam ingressum ad religionem deserendam induxit, ex stricta justitia tenetur omnem fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet, ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. — *S. Lig. n. 662.*(1)

724. — II. Quoad damnum in bonis naturalibus:

1° Qui alium privavit memoria, ratione etc. per venenum, philtrum, tenetur ex justitia reparare id omne, quod in damno injuste et efficaciter causato reparabile est(2).

2° Qui fraude impedivit, ne alter scientiam, artem etc. addiscat vel alios doceat, tenetur fraudem depellere et damna temporalia, quae ex ea suborta sunt, reparare.

3° Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quosdam admiserit et sint alicujus momenti. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit(3).

4° Si quis gratuito et sine obligatione pacti vel officii male doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo ad reparationem non teneretur(4).

CAPUT II.
DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS.

Scilicet: 1° ob homicidium; 2° ob stuprum; 3° ob adulterium.

ARTICULUS I.
DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM.

Principia:

725. — I. Homicidae vel mutilatores et ipsorum haeredes tenentur ad

(1) An vero remotis causis lapsus teneatur etiam *ex justitia* cooperari, ut seductus convertatur, *probabiliter* ab aliis *affirmatur*, ab aliis solummodo obligationem ex caritate asserentibus *negatur*. — *Scav.* — *S. Lig. n. 661.*

(1) V. etiam *p. 2. n. 150. Q. 3°.*

(2) scil. debet resarcire damnum *personale*, procurando sanationem, et *reale* exinde ortum, v. g. amissionem officii, lucrorum etc. — *Scav.*

(3) imo, praeter istam damni reparationem tenetur etiam pretium acceptum restituere ad proportionem negligentiae etc. — *Scav.*

(4) ex justitia. Posset vero obligari ex caritate.

compensanda omnia damna temporalia, si quae ex homicidio vel mutilatione secuta fuerint(1), ut patet. Nihil autem *probabilius* restituere debent praecise pro vita, membro etc., quia haec non sunt pretio aestimabilia. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 82. 83.*(2)

II. Omne et solum homicidium voluntarium et injustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio injusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur, qui mera causa defensionis alterum occidit etc.

III. Restitutio, si persona laesa mortua sit, facienda est illis, qui defuncto sunt proxime conjuncti(3), scilicet filiis, patri, matri, ceteris ascendentibus vel descendentibus in linea recta et ejus uxori, quia isti censentur esse una eademque persona cum defuncto. — *S. Lig. n. 631.* — Non vero *probabilius* ceteris haeredibus naturalibus, quia, si damnum vere ipsis eveniat, ejus causa remota tantum et velut per accidens habenda est. — *S. Lig. n. 631.* — *Lugo disp. 11. n. 77. et seq.* — *Salmant. etc.*(4)

Nota: Certum est, teneri homicidam ad restituendum omnia debita realia contracta erga defunctum *ante ipsius mortem* occasione mutilationis et lucri cessantis etiam erga haeredes non necessarios, quia isti in omnia jura illius succedunt. — *S. Lig. n. 631.; Hom. ap. tr. 10. n. 87.*(1)

Quaesita:

726. — Quaer. 1° *An homicida etiam teneatur ad restitutionem erga uxorem et filios occisi pro damnis futuris, si isti sibi facile subvenire possint?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *communior affirmat,* quia damnificator totum damnum a se illatum reparare debet. — *Lugo disp. 11. n. 87.*

IIª Sententia *sat probabilis negat,* quia proxime cognati non habent jus nisi ad ea, quae occisus ex stricta pietate ipsis erogare debuisset. — *Reuter n. 384.* — *Elbel n. 215.* — *Lessius l. 2. c. 9. n. 157.* — *Lacroix, de rest. n. 309.* — *S. Lig. n. 631.; Hom. apost. tr. 10. n. 87.*(2)

---

(1) scil. ad damnum emergens (v. g. expensas pro medicinis; non tamen *per se* ad expensas pro funere) et lucrum cessans non solum in vita occisi, sed etiam per mortem ipsius juxta verisimilem aestimationem. — *S. Lig. n. 631. 639.* Item pro anima defuncti aliquae satisfactiones praestandae sunt, si ipse pro se probabiliter satisfacturus erat; bene enim restitutio in aequivalenti fieri potest per orationes et eleemosynas. — *Scav.*

* (2) Vide *C. A. 1325—1327.*

* (3) Haeredes necessarii sunt filii vel illorum personam agentes, quoad medietatem bonorum; uxor, si indigeat, quoad sui convenientem sustentationem, usquedum non contrahat alterum matrimonium *(C. A. 796.)*; filius illegitimus quoad educationem et convenientem statum, et in bonis matris quoad partem disponibilem, ac si esset legitimus. Si non sint filii, haeredes necessarii sunt parentes vel alii ascendentes, illis deficientibus, quoad tertiam partem bonorum, sed non illorum vicem repraesentantes, v. g. fratres occisi.

(4) Debebit tamen homicida etiam aliis praeter parentes, filios et conjuges pro valore spei ea restituere, quae occisus verisimiliter ipsis dedisset, si vita privatus non fuisset, modo hujusmodi damna non solum praeviderit, sed etiam intenderit. Ita *S. Lig. n. 632. 633.; Hom. ap. tr. 10. n. 87. cum aliis* contra *aliquos.*

(1) Quod si nullus adsit haeres, restitutio horum debitorum realium facienda est pauperibus. — *S. Lig. ibid.*

Liberatur vero homicida ab onere restitutionis, si occisus ante mortem non solum remisit injuriam, sed etiam damna inde orta, dummodo valide ea condonare possit i. e. condonando non laedat jus tertii. — *S. Lig. n. 630.* contra *aliquos,* v. g. *Lugo.* Hinc *Scavini* et *alii* (cf. infra *n. 826. Q. 7°.*) docent, laesum per suam condonationem non posse auferre jus, quod habent haeredes necessarii ad legitimam. *Lessius* econtra *l. 2. c. 9. n. 159.* asserit, non recte quidem facere laesum, si, filiis valde indigentibus, condonet occisori omnem restitutionem; sed invaliditatem donationis in hoc casu non tuetur. In praxi leges civiles consulendas censeo.

(2) *S. Lig.* in num. citatis id negat in-

Quaer. 2° *An aliquid restituendum sit creditoribus occisi?*

Resp. Neg. probabilius, etiamsi homicida praeviderit, dummodo *directe* non intenderit illorum damnum, quia tale damnum *per accidens* tantum committitur. — *S. Lig. n. 634.* — *Lugo* — *Salm.* — *Concina.*

727. — Quaer. 3° *An remaneat obligatio justitiae in haeredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

Resp. Affirmative; poena enim satisfacit justitiae vindicativae, non vero commutativae. Haeredes igitur debita ex justitia commutativa solvere debent, nisi laesi non reclament; tunc enim e jure suo cedere censentur. — *Hom. apost. tr. 10. n. 90.*

Quaer. 4° *An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modum justae defensionis seu* moderamen inculpatae tutelae?

Resp. Affirmative, si deliberate excesserit, quia invasor jus habet, ne injuste occidatur: ergo occisor limites justae defensionis scienter excedendo gravem committit injuriam. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 637.* contra *plures.*

Quaer. 5° *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?*

Resp. Negative probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti* enim *et volenti non fit injuria,* quando jus remitti potest; atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale remittere. Ergo. — *S. Lig. n. 638.* — *Lugo disp. 11. n. 66. etc.*(1)

Alii dicunt, teneri quidem ad restitutionem provocantem, si adversarium occiderit, non vero provocatum. — Alii autem utrumque obligant. Sed hae sententiae sat probabiles non apparent.

ARTICULUS II.
DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM.

Recole dicta de stupro et fornicatione in sexto decalogi praecepto n. 421. et 425. etc.

Principia:

728. — I. Nihil restituendum est pro damno mere naturali seu pro laesione integritatis corporalis vel amissione virginitatis, *saltem probabilius,* quia damnum illud pecunia compensari nequit. — *S. Lig. n. 640.* — *Elbel n. 220. etc.* — *Recole dicta supra n. 628.*

II. Nihil etiam restituendum est pro damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum est (excepta prolis educatione), si mulier sollicitationi consenserit, quia *scienti et volenti non fit injuria.* — *S. Lig. n. 641.*

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna(1) ei vel ejus parentibus inde obvenientia, quia est causa efficax et injusta damni. — *S. Lig. ibid.* — *Elbel ibid.*(2)

---

dubie, si in posterum reciperent ab aliis aequaliter alimenta, si v. g. uxor (quae pro hac quaestione haeredibus necessariis adnumeratur) aeque commode nupserit.

(1) Idem dicunt de invicem rixantibus, imo etiamsi duobus rixantibus ultro quis occurrat ad rixam impediendam et sic occidatur occasione rixae. — *Scav.*

(1) honoris et fortunae. — Non obligatur tamen, illam ducere in matrimonium, cum id non promiserit, nisi forte damnum aliter reparari non possit vel nisi intercesserit sententia judicis.

Tenetur vero tantum ad partem damnorum, si non quidem vi proprie dicta, sed precibus valde importunis vel similibus artibus, quae libertatem notabiliter imminuunt, eam induxerit. — *S. Lig. n. 641. 642. Dub. 2.*

* (2) Principia ex jure austriaco.

Qui mulierem seduxerit, ad omnes [illegible] pensas partus ac puerperii tenetur; [illegible] praecipue incumbit onus illegitimae [illegible] lis sustentandae, donec haec sibi ipsa [illegible] ficiat. *(C. A. 1328. 167.)* Codex [illegible] poenalis *§. 278—279.* decernit, quod, [illegible] mulierem corruperit matrimonii pro[illegible] sione, damna ob honoris laesionem r[illegible] rare teneatur; nulla ibi vero innuitur [illegible] ligatio promissionis adimplendae. *(C. [illegible] 45. 698.)*

Quaesita:

729. — Quaer. 1° *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii?*

Resp. Iª Sententia *affirmat.* Ratio est, quia aliter damnum adaequate reparari nequit etc. — *Lugo* — *Lacroix* et *plerique alii* cum *S. Lig. n. 642.*, ubi dicit, esse sententiam omnino tenendam. Excipiunt casum in praxi frequentissimum, nempe si pessimus matrimonii exitus timeatur. (¹)

IIª Sententia, quae intrinsece *sat probabilis* videtur, *negat.* Ratio est, quia hujusmodi contractus *probabiliter* est invalidus propter conditionem in eo appositam, ut dicemus in *tract. de contract. n. 760.* — Insuper saepius damna temporalia vel non subsequuntur ex puellae seductione, vel alio modo reparari possunt. — *Carrière n. 1361.* — *Gousset n. 1015.*

Si tamen puella gravida fuisset ex fornicatione, urgendus foret seductor, ut eam duceret, nisi nimia disproportio inter utriusque conditionem intercederet aut aliud gravissimum incommodum obstaret. — *Gousset n. 1016.*

Quaer. 2° *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis violatae, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Negative probabilius, quia jus eorum strictum non fuit violatum nec impedire possunt filiam, quominus ea de jure suo ratione damni temporalis cedere possit. — *S. Lig. n. 641.* — *Billuart* — *Lugo* — *Carrière n. 1376.* (¹)

730. — Quaer. 3° *Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?*

Resp. 1° Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur (²). Ratio patet ex dictis. Attamen ejus defectu mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est.* Sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis fecit, ipsi compensare tenetur.

Resp. 2° Si vero mulier in peccatum consenserit:

1° *Ex jure romano* mater tenetur alere infantem per tres annos, et postea ei pater providere debet. (³)

(¹) Mens auctorum, qui primam sententiam tuentur, per sequentia principia declarari posse videtur:

1° Si ista promissio causa motiva fuit consensus puellae, obligat ex justitia, nisi ex alio capite invalida sit, v. g. quia ex matrimonio timendae sunt consequentiae pessimae etc.

2° Promissio ejusmodi ficta aequivalet verae. Si tamen deceptio ista rationabiliter cognosci poterat, laesa decipi voluit, ideoque censenda est libere consensisse *(n. 728. II.).* Item valde probabiliter sufficit compensatio damni alio modo facta, si defloratoris conditio notabiliter excedat illam mulieris, licet haec disparitatem istam omnino ignoraverit.

3° Quando impedimentum matrimonium contrahendi subest et seductor expresse addidit pactum, se dispensationem obtenturum, standum est promissioni, nisi agatur de impedimento, in quo numquam vel raro dispensari solet.

4° Idem valet in tali casu (saltem pro foro conscientiae), etsi nullum pactum additum sit. Excipe: si fornicator impedimentum invincibiliter ignoravit et sine magno incommodo auferre nequit.

5° Remanet in hisce casibus, etiamsi matrimonium ex legitima causa non contrahatur, obligatio resarciendi damna, dummodo non laesa vel nullitatem promissionis probabiliter praevidere potuerit vel promissionem aperte ob alium finem, quam ad damnum resarciendum, exegerit.

6° Si vero seductor paratus sit, promissioni stare, puella autem sine ratione sufficiente renuat, ad nihil ille tenetur; si autem solummodo parentes matrimonium impediant, probabilius damnum reparare debet, nisi exceptiones in num. praec. expositae eum liberent.

7° Si tandem promissio matrimonii non fuit causa motiva consensus puellae, promissio ut quaevis alia gratuita promissio interpretanda erit. — Cf. *S. Lig. n. 642–650.; Hom. ap. tr. 10. n. 93–98.* — *Scav.*

(¹) Exceptiones aliquas vide apud *S. Lig. n. 641. §. 1. Dub. 2.* — An vero teneatur satisfacere parentibus saltem pro injuria ipsis illata v. g. petendo veniam, non satis constat. — *S. Lig. ibid. Dub. 1.*

(²) ipso jure naturali.

(³) Uno autem deficiente onus ad alterum transit. — Cf. etiam *S. Lig. n. 655.*

2° *Ex jure gallico* nihil expresse statuitur. Jurisperiti tamen agnoscunt, parentes aeque et in solidum obligari saltem ad alendos et educandos filios *legaliter* recognitos. Hoc ex *art. 203.* eruunt. Si autem filii non fuerint recogniti, eadem obligatio de jure naturali ipsis incumbit. — *Carrière n. 1371.* — *Gousset n. 1016.*

ARTICULUS III.
DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM.

Spectandae sunt obligationes utriusque adulteri ex variis circumstantiis, prout adulterium fuit plene ex utraque parte voluntarium aut familiae damnosum, vel non.

Principia:

731. — I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiae obvenientia reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utrique imputandum est. Hinc 1° omnes sumptus, quos fecit maritus in prole alenda et educanda, restituendi sunt (¹); 2° si filius illegitimus cum legitimis jam haereditatem acceperit, istis pro rata compensatio facienda est. — *S. Lig. n. 659.* (²)

II. Adultera, si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis laesis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata etc. Si non habeat, diligentius familiam administret parciorque sit in sumptibus privatis, laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris obtinuerit, tenetur solus ad totum damnum reparandum, ut indubium est ex dictis *supra n. 728.* (³)

Quaesita:

732. — Quaer. 1° *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Negative generatim loquendo. Ratio est: 1° quia communiter haec revelatio fieri nequit sine magna mulieris infamia, et saepe sine periculo mortis vel odii perpetui aut aliorum graviorum malorum; 2° quia etiam tali medio adhibito difficile damnum reparare posset. Excipiunt communiter, si mulier sit perditae famae etc. — *S. Lig. n. 653.*; *de 2. praec. dec. n. 162.*

733. — Quaer. 2° *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, vel ex tali adultero potius, quam ex tali alio?*

Resp. ad 1um: *Probabilius* ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. — *S. Lig. n. 657.* — *Lugo disp. 13. n. 17.* et *alii multi* contra *plures*, qui dicunt, pro rata restituendum esse.

Resp. ad 2um: Uterque adulter tenetur ad restitutionem pro rata juxta sententiam communiorem, quae tenenda videtur. Ratio est, quia certum est damnum et constat, illud ab alterutro peractum esse; singuli autem sunt causa efficax et injusta incertitudinis, quae impedit, ne compensatio ab uno determinate exigi possit. Aliunde ex hac incertitudine innocens pati non debet. — *Lacroix n. 337.* — *Lugo ib. n. 19. et seq.* — *Roncaglia c. 2. q. 3.* (¹)

Dissentit tamen *S. Lig. n. 658.* ex eo, quod onus certum imponi non possit, ubi dubia est obligatio. Excipit vero, si adulter secundus advertisset, quod suo peccato foret causa incerti-

(¹) A quonam primario? Cf. *n. 730.* et *S. Lig. n. 655. 659.*

(²) Tenentur etiam marito innocenti, si huic crimen istud innotuit (licet proles exinde nata non sit), injuriam compensare per veniae petitionem etc. — *Scavini.*

(³) Dona, quae spurio a consanguineis maritorum legitimorum dantur aut leganntur, quia eum legitimum reputant, juxta sententiam probabiliorem ab adulteris restitui non debent, quia nemo tenetur de damno, quod per accidens et praeter intentionem ex sua actione evenit. Observat tamen *Billuart*, spurium, qui se talem certo scit, non posse illas donationes retinere, quia revera nullae sunt. — *Scav.*

(¹) Cf. supra *n. 668. 682. not. Quid vero.*

; item, si adulteri ex communi
) adulterium patraverint.
.er. 3° *An filius teneatur cre-*
ıatri etiam juranti, illum il-
ıum esse?
p. *Negative,* quia ex jure et
communi nemo tenetur credere
sti etiam probatissimae fidei.
tamen, si praeter testimonium
accederent indicia evidentia,
ıbsentia patris a longo tempore.
Lig. n. 654. — *Layman* —
glia.
. — Quaer. 4° *An si adul-*
l fornicatores essent opulenti
erent prolem ad nosocomium (¹),
ıtur ad impensas resarciendas?
p. *Controvertitur.* I^a Senten-
mmunior et probabilior affir-
Ratio est, quia nosocomia sunt
ta in gratiam infantium, non
arentum; nec praesumendi sunt
fundatores voluisse divites a
lis expensis eximere. — *Lugo*
n. 45. — *Antoine* — *Bil-*
— *Bouvier, de rest. p. 2. art.*
Carrière n. 1373. — *Rousse-*
ıusc. de 6° praec.
Sententia *negat,* quia ista no-
a erecta sunt pro omnibus in-
ıinatim infantibus, qui a paren-
ıbjiciuntur, sive ad genitores
, sive ad pauperes pertineant.
obstat, si subsidia a gubernio
ıunicipio pro istis parvulis prae-
r, quia haec pro puerulis dere-
generatim tribuuntur, quin ad
es attendatur. Insuper hujus-
ıospitia instituta sunt eo fine,
ıntes illegitimi liberentur a pe-
mortis tum aeternae, tum tem-
, cui maxime exponerentur, nisi
piis locis susciperentur. Quot
ıarentes impios et barbaros in-
metus adegit sive ad abortum

atet, etiam praescindendo a peritae etc. infantis imminentibus, graeccare parentes, qui sine justa causa ıfamiae, scandali etc. prolem ex- in hospitali vel locis publicis. — *., de 4. praec. dec. n. 336.*

prolis suae procurandum, sive ad necem ipsi inferendam! Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrerent. — *Ita S. Lig. n. 656.*, qui hanc sententiam putat probabiliorem.

Attamen conveniunt etiam patroni hujus sententiae, in praxi enixe adhortandos esse genitores ad aliquid saltem titulo poenitentiae nosocomio tribuendum.

735. — Quaer. 5° *Quantum hospitio tribui debeat juxta prioris sententiae patronos?*

Resp. Non potest certa regula definiri; solutio enim quaestionis hujus pendet a variis rerum et locorum adjunctis, a vita producta aut a morte praematura pueri. Vix autem, ajunt, sexta pars illorum puerorum ad aetatem duodecim annorum pervenit, et saepius a genitoribus ignoratur, utrum vivant necne. Unde, dicunt, satis erit, si parentes pro rata dubii 200 vel 150 fr. nosocomio solvant. — *Bouvier ib.*

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS FORTUNAE IN CASIBUS PARTICULARIBUS.

Scilicet: 1° quoad tributa; 2° quoad militiam; 3° quoad direptionem bonorum tempore perturbationis Galliae sub fine saeculi XVIII. (¹)

ARTICULUS I.
DE TRIBUTIS.

736. — Tributi nomine intelligitur pensio, quam subditi solvunt de pro-

(¹) *De restitutione ob simoniacam acceptionem.*

Haecce juxta communiorem sententiam breviter statuenda videntur:

1) *Pretium temporale simoniace acceptum* ante traditionem rei spiritualis jure naturae restituendum est. — V. *n. 760.*

Idem valet post traditionem rei spiritualis, si pretium istud solutum sit pro objecto mere spirituali (v. *n. 758.*), vel pro objecto spirituali connexo quidem extrinsece cum aliquo temporali, quod tamen jam ex justitia debetur, vel si contractus per legem positivam ipso facto sit irritus. In his casibus enim valor contractus deficit. In ceteris casibus vero restitutio non debetur, nisi lex aliter statuat vel judex ad restitutionem condemnet,

priis bonis gubernio vel principi ad sumptus reipublicae communes.

Tributa sunt alia *directa,* quae actualia et determinata bona privatorum afficiunt; alia *indirecta,* quae immediate respiciunt certas merces et mediate tantum personas, quae eas transvehunt, vendunt, emunt etc., ut sunt gallice *les droits réunis, les douanes etc.*(1)

cum acceptio tunc, licet simoniaca, non fuerit injusta.

Haec restitutio porro, ubi enascitur de jure naturali, facienda est danti. In re beneficiaria autem etiam ecclesiae, cui per simoniam injuria illata est, vel pauperibus fieri, imo retineri acceptum hoc titulo potest, si simoniacus vere egens sit; item pretium simoniacum pro admissione in religionem, saltem post admissi professionem, retinere pro alimentatione communitatis religiosae concessum est.

2) *Quoad spirituale simoniace acceptum* distingue: a) si sit beneficium ecclesiasticum, ipso facto est dimittendum, etsi crimen sit occultum. Item fructus injuste percepti restituendi sunt (exceptis tamen iis, qui vel correspondent labori ac functionibus vel bona fide consumpti sunt), et quidem ecclesiae beneficii, modo exinde simoniacus commodum non reportet. Probabile tamen est, eosdem etiam pauperibus aut, ubi est consuetudo, successori in beneficio dari posse. Liberat vero a restitutione compositio a Papa obtenta. — Cf. *n. 293.*

b) Aliae res spirituales (v. g. reliquiae etc.) non necessario restituendae sunt, saltem antequam repetantur et reddatur pretium; persaepe nequidem restitui possunt, v. g. ordines suscepti.

Dispensationes vero conceduntur pro casibus occultis a S. Poenitentiaria, pro publicis a Dataria. — *Lessius l. 2. c. 35. n. 156. et seq.* — *Layman* — *Thesaurus, de poenis eccles.* sub *Simonia.* — *S. Lig., de sim. n. 113. et seq.*

(1) In Gallia quadruplicis generis tributa directa distinguuntur, scilicet 1° ea, quae bona immobilia afficiunt *(contribution foncière);* — 2° ea, quae afficiunt bona mobilia ratione personarum et ipsas etiam personas *(contribution personelle et mobilière);* — 3° ea, quae portas et fenestras aedium juxta earum numerum et situm respiciunt; — 4° ea, quae ad mercaturae exercitium spectant.

Tributa vero indirecta (vulgo: *droits réunis)* sunt sequentia: *Les droits sur les boissons, les cartes, les douanes, les droits de greffe, l'enregistrement, les octrois, le sel, le tabac, le timbre, les voitures publiques etc.* — (Nota auct.)

Principia:

737. — I. Impositio tributi est actio supremi dominii in bona subditorum, et proinde requiritur ad illa imponenda suprema et legitima auctoritas. Ea enim sola jure dominii alti pollet, quia sola toti communitati praeest.

II. Princeps habet potestatem tributa imponendi. Etenim potestas ejus extenditur ad totum id, quod requirit bonum commune; bonum autem commune exigit, ut concurrant subditi ad onera reipublicae ferenda: secus enim respublica stare non potest, ut patet. — *S. Lig. n. 615. etc.*

III. Oportet 1° ut tributa sint justa, nempe ut pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur(1); 2° ut aequalitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum, quas possident. — *S. Lig. n. 615.* — *Lugo* — *Billuart.*

IV. Leges, quae versantur circa tributa, generatim spectatae non sunt mere poenales, sed obligant in conscientia(2). Ratio 1° deducitur ex verbis Christi *Matth. 22. 21.: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari.* — Item *Rom. 13. 5.: Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam*

(1) *Quid vero, si adsit ratio haud contemnenda pro injustitia tributi vel cessatione causae?*

Resp. Dissentiunt auctores. Communius, obligationem in hoc casu enasci, negant, cum non sit eadem praesumptio pro tributis, ac pro ceteris legibus. — Cf. *S. Lig. n. 617.*

(2) *Sed num ex justitia commutativa an ex justitia legali?*

Resp. Tributa directa ex justitia (commutativa) solvenda esse, etiam antequam petantur, si justa sint, nisi aliter ferat usus, asserit v. g. *Scavini.* Alii vero, illam obligationem ex justitia legali oriri, absolute defendunt, uti *Pruner, Lehre vom Recht tom. 2. §. 72.* Quoad leges vero indirecta tributa imponentes dissident auctores, utrum sint leges mere poenales an obligent per se in conscientia. — Cf. *Scavini* et *num. sequentes.*

propter conscientiam. Ideo enim et tributa praestatis. . . . Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. 2° Patet etiam ex ratione. Princeps enim ad onera reipublicae ferenda tenetur; ergo *a pari* subditi tenentur in conscientia et ex justitia ad sustentationem ipsi procurandam atque media pro bono communi promovendo necessaria subministranda. — *S. Lig. n. 615. 616.*

Quaesita:

738. — Quaer. 1° *An semper urgenda sit sub poena peccati et denegandae absolutionis obligatio tum solvendi vectigalia seu tributa indirecta, tum restituendi pro rata peractae defraudationis?*

Resp. Solutio hujus quaestionis difficultate non caret. De sequentibus conveniunt sat *communiter* theologi:

I. Adhortandi sunt sedulo fideles, ut tributa omnia diligenter solvant et in eis ab omni defraudatione abstineant. Non tenetur tamen confessarius, saltem generatim, petere a poenitentibus, qui in confessione de tributis tacent, utrum alicujus defraudationis in iis rei sint vel non, ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciat.

II. Damnandi sunt autem:

1° Qui vectigalibus exigendis praepositos mediis injustis corrumpunt, ne munere suo libere fungantur; peccant enim saltem peccato cooperationis.

2° Qui solvere nolunt tributa jam a longo tempore imposita quaeque ab omnibus soluta fuere, quin umquam orta fuerit reclamatio de ipsorum injustitia.

3° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus. Hi enim peccant 1° contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (Rom. 13. 2.);* — 2° contra justitiam; nam lex, quae respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere poenalis haberetur, gubernatoribus tamen jus certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur.

4° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, et etiam armati animo resistendi diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

5° Neque indulgendum est iis, qui, licet numquam resistant nec animum resistendi habeant, omni studio et opera in artem defraudandi incumbunt eamque veluti vitae professionem habent; hi enim innumeris animae periculis jugiter exponuntur et forte auctores sunt, cur tributa augeantur.(1)

739. — Verum enimvero, quot et quantae occurrant difficultates in praxi pro ceteris casibus, neminem fugit. Utrum aliquando cum poenitentibus mitius agere nefas sit, duplex datur sententia, affirmans scilicet et negans. Non audet rem dirimere ipse *S. Ligorius,* qui, expositis rationibus nonnullorum theologorum in benigniorem partem protendentium *n. 616.* ait: *An autem propter has rationes, quae ceterum non videntur contemnendae, ipsa* (negativa sententia) *sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto.* Et *Hom. apost. tr. 10. n. 81.* concludit: *Hoc tamen non obstante ego non omitto primam* (affirmativam) *sententiam suadere.* — Praecipua autem eorum doctorum ratio in consuetudine universali taliter legem accipiendi et interpretandi innititur. Quamobrem nobis etiam satis erit, si, expositis sententiis nonnullorum theologorum pietate ac doctrina praestantium, pio lectori electionem relinquamus. Sic igitur:

740. — Bonacina *disp. 2. de restitutione quaest. 9. punct. 1. prop. 2.*

(1) Praeterea a restitutione excusandi non sunt illi, qui tributum aliquod indirectum pro quadam merce immediate quidem gubernio solvunt, qui tamen, quod solverunt, vendendo illas merces iterum ab emptoribus, licet minutim, recipiunt; sunt enim tunc mere tributi istius exactores pro ipsa republica.

quoad tributa indirecta ait: „Nobis „sufficiat dicere, probabiliter defendi „posse, quod asserimus, ne onus ni„mis grave poenitentibus imponamus „post factum, quamvis ante factum „haec sententia benignior non sit con„sulenda, cum principis edicta non „sint facile reprehendenda."

Vogler *n. 332.* — „Etiamsi fide„les sint maxime hortandi, ut tributa „diligenter solvant, si tamen subinde „aliquantum defraudant, non obligandi „videntur ad restitutionem, quia com„munissima praxis id habet, principes „connivent et in tanta multitudine tri„butorum sapientissimi quique dubi„tant, an omnia sint justa."

Lugo *d. 36. n. 43.* — „Mihi sem„per maxime placuit consilium *P. Mo„linae* . . . , ante factum consulendum „esse, ne tributa defraudentur; post „factum, si poenitens sibi certo aut „probabiliter persuadeat, in tanta tri„butorum multitudine esse aliquid in„justum . . . , non esse cogendum a „confessario ad restitutionem; hac ta„men doctrina prudenter . . . utendum „esse, solum ne sacramentum poeni„tentiae reddant nimis grave et ne „viam salutis praecludant multis, qui, „si a confessario obligentur, non re„stituent et aeternam damnationem „incurrent."

741. — Scavini *(Theologia moralis,* ed. Novariae 1845.), *de restitutione in genere c. 1. art. 1.* exposita prima sententia, quam communissimam et probabiliorem agnoscit, sic ait: „Secunda sententia, quae ne„gat, non caret sua *auctoritate et pro„babilitate* . . . Quidquid sit circa tam „primae, quam etiam secundae sen„tentiae *probabilitatem* (quod sapien„tioribus definiendum remittimus), unum „nos pro praxi monemus cum doctis„simo *Card. de Lugo: Generaliter „loquendo admonendi sunt populi et „excitandi ad tributa solvenda; sed „post factum non sunt cogendi ad „restitutionem tributi defraudati, si „probabiliter sibi suadeant, in tanta „vectigalium multitudine aliquid in„juste solvisse vel competenter con„tribuisse ad publicas necessitates."*

742. — Rousselot (in notis ad *Theol. mor. Saettler, de leg. part. 2. c. 2. art. 3.)* sic ait quoad tributa imposita in merces, quarum commercium omnibus permittitur sub conditione tributi solvendi: „Non datur „obligatio solvendi quaedam tributa, „antequam petantur, v. g. tributa ad „portam civitatis, ad pontem etc. Sic „enim fert consuetudo et leges ultra „consuetudinem non obligant. Ceterum „cum auctore *(Saettler)* et aliis bene „multis extraneis probabilius asseri „potest, tributa illa, pro quibus exi„gendis constituti sunt custodes et ex„actores, neque in conscientia solvenda „esse, neque ea fraudantes ad resti„tutionem teneri . . ."

„His rite perpensis, non statim, „non facile pronuntiandum, tributorum „indirectorum fraudationem peccami„nosam esse et ad restitutionem ob„ligare. Attamen haec non praedicen„tur super tecta, sed cum *S. Ligorio* „et *Saettler* pastores et confessarii „legum observantiam etiam in hac „materia urgeant, a transgressionibus „pro virili absterreant; at transgres„sores non statim peccati gravis da„mnent nec eos ad restituendum adi„gant, praesertim si majora mala, „v. g. sacramentorum desertio, sint „reformidanda. Aliunde bona fides sae„pius intercedit, cui merito relin„quuntur."

Card. Gousset *(Theolog. moral. t. 1. n. 999.)* urget generatim obligationem solvendi omnia tributa, cujusvis generis sint, non obstante contraria consuetudine, quam errorem vulgarem appellat. Prudentiam tamen sedulo commendat confessario, ne forte remota spe fructus et accedente summo salutis periculo defraudantes ex bona in malam fidem inducat.(1)

---

(1) „Generaliter in Gallia non se reputant obligatos ad solvenda tributa re-

ı. — Quaer. 2° *Cuinam defieri restitutio in casu, quo ıda sit ratione tributi defrau-*

ıp. Duplex datur sententia. Juxta os doctores facienda est principi, fuit jus violatum. At juxta mulıentiores pietate et doctrina conıs, teste *Bouvier*, non facienda incipi nec subditis, sed in usus ıel in pauperes pecunia defrauıpendi debet. — 1° *Non prin-* quia non suppetit modus, quo ri possit. Praeterea principes ı damnum patiuntur; praevidenim fraudes majora imponunt tri- — 2° *Non subditis laesis*, quia viduo restitutio fieri nequit. Ergo lum intentionem illorum rationapraesumptam facienda est; ergo ıperes vel in publicas utilitaımma impendi debet. Concinit

ntia, uti vocant, *la regie, la douane ctroi*, nisi nequeant effugere vigim eorum, quibus ea exigere ex incumbit. Tranquillitati conscienvero consulunt sibi persuadentes, ıblicam non obstantibus illis fraunullum detrimentum subire, necesnon carere, tum quia jam tributa ıi curat majora ob fraudes, quas idet, tum quia damna reparat per ıas, quas infligit illis, qui in delicto ıntı deprehenduntur. Haec opinio umpta vel, si malumus, hic error aris, qui tam firme inhaeret mentiut eum destruere frustra quis ten- omnino in aestimatione morali um, quae versus gubernium comntur, prae oculis haberi debet. Hinc ıus, confessarium, quin umquam bet similes fraudes, tamen indulm se gerere debere cum illis, qui rum culpabiles reddunt; prudentiae t censemus, non inquietare eos, qui in bona fide, eos, quibus persuaderi t, se injuriam committere versus ıblicam. Si vero poenitens se acdefraudationis tributorum vel si at, quomodo hac in re se gerere t, confessarius ipsum de obligatione randi leges, ubi subsistit, et soltributa directa et indirecta monere ; imo exiget restitutionem ratione ım commissarum, in quantum posıest." — *Gousset n. 999.* — (Nota s ex idiom. gall. versa.)

Gousset n. 999.(¹) — *Recole dicta supra n. 712.*

744. — Quaer. 3° *An peccent et ad restitutionem teneantur importantes merces prohibitas?*

Resp. 1° *Quoad restitutionem negative* absolute, quia nullius jus strictum laedunt. Etenim non violant jus *principis*, siquidem illas merces non sibi reservavit, nec tributum ullum in eas imposuit. Nec *privati alicujus*, quia nullus est, qui privilegium has merces vendendi habeat.(²) — *Bouvier,*

(¹) „Cuinam restitutio illa facienda est? „Videtur per se facienda gubernio; red„dendum enim, *quod est Caesaris, Cae„sari.* Attamen, si excipias quosdam ca„sus extraordinarios, ubi agitur de resti„tutione summae magni momenti, resti„tutio fieri potest in commodum paupe„rum, hospitiorum vel aliarum institutio„num regno utilium. Gubernium hoc im„probare vix poterit, tum quia hic resti„tuendi modus plerumque est unicus mo„raliter possibilis; tum quia cedit in bo„num publicum; tandem quia, attendendo „ad dispositionem animorum, impossibile „est plus obtinere, praesertim postquam „philosophia antireligiosa, infringens sen„sum fidei inter nos, infregit eo ipso sen„sum subordinationis." — *Gousset ib.* — (Nota auctoris ex idiom. gallico versa.)

(²) Excipit tamen *Scavini* casum, quo merces importare expresse prohibetur, ut merces regni facilius vendantur (quod non raro contingit).

Vendentes praeterea ea, quae aliquibus tantum vendere ex privilegio concessum est, restituere debent privilegiatis lucrum, quod hi probabiliter fecissent; violant enim jus aliis legitime concessum.

Vendentes tandem merces, quas ut aliqui soli vendere valeant, tributum gubernio solvunt, item restitutioni obnoxii sunt ad modum sub *n. 743.* expositum.

Attamen illi, qui leges vectigalium generatim mere poenales censent, nec peccatum, nec laesionem justitiae in hisce agnoscunt.

Peccatne emens merces a gabellarum fraudatore et in defectu fraudatoris ad tributi fraudati solutionem tenetur?

R. Negative in eorum sententia, qui leges vectigalium mere poenales esse docent.

In aliorum sententia *distinguendum.* 1) Si iste emptor cooperatur positive ad tributi fraudationem, et peccat et tenetur ad istius tributi solutionem. Idem docent in casu, quo emptor advertat, ex frequen-

restitutione in fine et *alii*
ter.

2° *Quoad peccatum* contro-
peccare, et quidem *per se* gra-
quia violant leges, quae vere
t in conscientia *per se* et non
per accidens. — *Bouvier ib.*
ii vero *negant*, quia tales leges
onsuetudine habentur ut mere
ales.

altem non sunt damnandi de pec-
, qui merces prohibitas important
parva quantitate et ad usum pro-
um, praesertim si sint pauperes.
teri vero facile peccare possunt con-
a caritatem in seipsos, poenis gra-
issimis se exponendo.

745. — Quaer. 4° *An peccent*
contra justitiam praepositi, quoties
tributum non exigunt?

Resp. Affirmative per se genera-
tim, et quidem graviter in materia
gravi. Ratio patet, siquidem se obli-
garunt ad rite invigilandum et ad tri-
buta diligenter exigenda. Quare, si
officio suo desint, ad restitutionem
tenentur erga principem vel rempubli-
cam. — *Ita communiter*.

Dixi: *generatim*; quia juxta plures
praepositi vectigalibus exigendis non
semper damnandi sunt, quando sub-
inde benignius agunt in re levi, prae-
cipue cum pauperibus vel etiam cum
iis, qui alias diligenter solvunt.

ARTICULUS II.

DE DAMNO OCCASIONE MILITIAE ILLATO.

Principia:

746. — I. Ad nihil tenentur mili-
tes ratione damni in actione communi,
nisi ipsis de injustitia belli constet,
quia non sunt damnificatores *forma-*
liter injusti. — *Recole dicta de* 5.
praec. dec. n. 407. *et seq.*

II. Milites autem in bello *eviden-*
ter injusto tenentur de damnis omni-
bus, quae per actionem privatam in-
tulerunt; tenentur insuper singuli pro
rata de damnis a toto exercitu illatis,
nisi forte ex gravi metu ad belligeran-
dum coacti fuerint. — *Vide supra*
de injusto damno n. 658. *et seq.*

III. Duces autem seu principes te-
nentur primario et in solidum de toto
damno injusto per exercitum illato,
quia sunt vere mandantes; vel, si da-
mnum non imperarunt, illud ex offi-
cio impedire tenebantur.(1)

Quaesita:

747. — Quaer. 1° *An singul*
milites teneantur in solidum de tot
damno ab exercitu illato in aliorum
defectu?

Resp. Negative probabilius, q
totius damni singuli causa non s
sed partis tantum. Ceterum in p
ex impotentia absoluta forent
sandi. — *Lugo* cum *aliis*.

Quaer. 2° *Ad quid teneantu*
lites conscripti desertores?

---

tibus hujusmodi emptionibus, aliis passim
tale exemplum sequentibus, grave reipu-
blicae damnum obvenire; cooperaretur
enim tunc reddendo vendentes animosio-
res. 2) Si non sit cooperans, sed simpli-
citer merces emat, ad nil ipse tenetur,
cum gabella non sit onus stricte reale,
quod mercem gravat, sed venditor etiam
post venditionem adhuc ad solutionem
obstrictus manet. — *Scav.*

(1) Tenentur etiam compensare
quae vel militibus (v. g. stipend
bitum ipsis subtrahendo) vel rei
(v. g. pro pluribus militibus, qua
stipendia exigendo) vel aliis inj
lerunt. — *S. Lig., de* 5. *prae*
An, si cives nostri damnu
tempore belli passi sunt, his
quaedam a republica debeatu
quius in controversiis illustrib
ratione, quod jus belli id per
hoc recte absurdum dicit G
enim belli excusat non q
fiunt, sed quae hosti nocen
nino reliqui cives debent
mnum quod ex concivil
alter extra ordinem pass
dem ratione, ob quam e
solet ex lege *Rhodia* de
merces in mare projectae
res salventur. — *Heine*
acad. in Hugonis Grot
et pacis l. 3. *c.* 20. §
Scav. tom. 2. *annot.* E

Resp. 1° Tenentur ad castra redire ex obedientia seu ex justitia legali. — *Ita communiter.*(1)

Excipe 1° si nimium salutis periculum offenderent, v. g. si media confitendi non suppeterent etc., ut aliquibus in locis evenire potest; 2° si redeundo morte, triremibus aliisve gravissimis poenis plectendi forent; 3° si bellum sit evidenter injustum.

Resp. 2° Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubicumque lex alios ipsorum loco non requirit, quia nullo modo justitiam commutativam laedunt, cum nulli alteri damnum inferant. (Sic in Gallia ex nova lege conscriptionis data *10. Mart. 1818.*)

748. — Quaer. 3° *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. *Per se* tenentur restituere pretium acceptum illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio ad accipiendam pecuniam, quae nonnisi propter militiae onus erogatur.

Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco sui conduxit, periculo in militiam abeundi exponitur. Periculum autem illud in Gallia non datur excepto primo militiae anno, pro quo solo conductores respondent.

749. — Quaer. 4° *Ad quid teneantur nondum inscripti, qui militiae se subtrahunt vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

Resp. 1° Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, certo ad restitutionem tenentur(2). — *Ita omnes.*

Resp. 2° Qui autem mendaciis, fraudibus, aut praevia mutilatione magistratus decipiunt, juxta sententiam *communiorem* et *probabiliorem* obligantur ad restitutionem. Ratio est, quia alii juvenes exempti jus strictum habent, ne talia media cum ipsorum detrimento adhibeantur: requisiti enim sorte, declinare nequeunt onus militiae legitimae ipsis impositum, cum lex seu sortes lege stabilitae jus statuant, alios requirendo, alios vero a militia eximendo. — *Ita Bouvier, de restitutione quaest. 2. art. 2.* — *Gousset n. 1002.* — *Collat. Andeg. etc.*

Negant tamen *plures.* Ratio eorum est, quia hi conscripti non sunt causa efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice,* neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa injusta, siquidem non constat, alios jus strictum habere, ut sorte designati in militiam proficiscantur. — *Ita Collator Aniciensis, de restitutione n. 172. (anno 1844.)* Utramque opinionem aeque probabilem admittit *DD. Lyonnet, de restitutione in fine.*

An autem allegatae rationes sufficiant ad probabilitatem hujus secundae sententiae adstruendam, non satis liquet. Imo, non sat firmae apparent.(1)

Quidquid sit, in praxi sapientissimum erit, non valde urgere juvenes, qui supradictis mediis a militia sese liberarunt. Plerique enim ignorant, se committere injustitiam, et raro monitis obtemperarent. — *Ita recte auctores citati,* quibus in hoc assentit *Gousset.*(2)

---

(1) Si conducti essent stipendio atque contractu, tenerentur etiam ex justitia commutativa. — *Scav.*

(2) si non ut damnificatores, saltem ut injustitiae cooperantes. (Cf. *n. 675. 4°.*) — *Scav.*

(1) Nimis rigida haec assertio. Sunt, qui etiam absolutam obligationem ex justitia legali negent et leges nostras conscriptionem concernentes legibus poenalibus adnumerandas censeant. — V. *Pruner, Lehre vom Recht tom. 2. §. 72. II.* — *Friedhoff.*

(2) „Quoad legem conscriptionis committitur injustitia adversus eum, cui contingit sors, ab illo, qui recurrit ad fraudes vel ad favorem, ut se a servitio militari liberet sine causa legitima. Ast „cum illi, qui utuntur fraude vel mendacio, in casu, de quo agimus, non putent, „se injustitiam committere, et quia plerumque moraliter impossibile est reparare injuriam, quam intulerunt, oportet,

ARTICULUS III.
DE DIREPTIONE BONORUM TEMPORE PERTURBATIONIS GALLIAE.

§. I.
De bonis ecclesiasticis.(1)

Notanda:

750. — I. Bona Ecclesiae alia direpta fuere a gubernio ipso, alia a privatis.

II. *Pius VII.* conventionem inivit *15. Aug. 1801.* cum Napoleone, primo consule, qua a restitutione liberavit acquisitores bonorum ecclesiasticorum.

II. *S. Poenitentiaria* in rescripto ad illustr. *DD. Bouvier 20. Mart. 1818.* ita declaravit: *S. Poenitentiaria de expressa auctoritate Apostolica consulenti oratori declarat, bona ecclesiastica a gubernio occupata ante conventionem initam anno 1801. inter S. Sedem et Gubernium gallicanum in plena acquirentium potestate esse.*

IV. *Pius VII.* breve ad episcopum Pictaviensem *20. Oct. 1821.* direxit, in quo declaravit, concessionem bonorum prius a S. Pontifice factam applicari posse omnibus bonis ecclesiasticis a gubernio prius usurpatis, sive ea jam alienaverit ante conventionem ann. 1801., sive nondum alienaverit.

Resolves:

751. — 1° Qui bona ecclesiastica propria auctoritate usurparunt, graviter peccarunt et adhuc ad restitutionem tenentur; fures enim sunt, nec ulla eis condonatio facta est.

2° Qui vero ea bona occuparunt favente lege civili, peccarunt et ad restitutionem tenebantur ante conventionem ann. 1801., non vero postea (ex concessione S. Pontificis).

3° Qui post hoc pactum acceperunt bona Ecclesiae non adhuc alienata, contra justitiam peccarunt et ad restitutionem tenebantur, quia vi conventionis concessio facta non fuerat, nisi pro bonis jam alienatis usque ad annum 1801.

4° Quicumque nunc bona Ecclesiae possidet, tuta conscientia ea retinere potest, modo sub praesidio legis civilis juxta modo dicta acquisita fuerint.

5° Cessio bonorum includit cessionem fructuum; qui enim aliquid generaliter dat, sine restrictione principale et accessorium concedit.(1)

„confessarios esse valde cautos. Si restitutio potest fieri ei, qui jus ad eam habet, ille, qui ad eam obligatus censetur, exhortatione induci debet ad illam praestandam, quin tamen exigatur sub poena negandae absolutionis.“ — *Gousset n. 1002.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

(1) Omnium bonorum Ecclesiae usurpationes, distractiones etc. sine ecclesiastica auctoritate irritae ac nullae semper sunt habitae. De poenis contra usurpatores statutis cf. *Conc. Trid. s. 22. de ref. c. 11.* et infra *p. 2. n. 970. 3°.*

(1) Attendendum in variis regnis, num et in quantum ejusmodi usurpationes postmodum auctoritate Apostolica sanatae fuerint. S. Poenitentiaria pro simili casu aliquoties declaravit: „Propterea (scil. propter dictam sanationem) S. Poenitentiaria declarat, licere iis, qui bona eadem acquisiverint, modo illorum alienatio fuerit omnino consentanea legibus, quae obtinebant, quo tempore alienatio ipsa perfecta est, ea tamquam propria et in suum dominium ac potestatem translata retinere deque iis libere disponere. Verum eadem S. Poenitentiaria ipsos hujusmodi bonorum possessores ad se recurrentes hortari ac vehementer obsecrare solet, ut pro ea pietate ac religione, qua catholicum quemque flagrare decet, pia onera, si quae bonis illis inhaerebant, adimplere non negligant. — In reliquis autem recurratur in casibus particularibus indicando tempus et modum venditionis et acquisitionis, necnon valorem bonorum, de quibus agitur, et pia onera ex testatorum dispositionibus iisdem bonis inhaerentia.“ Ita in *Mantuana 17. Jul. 1847.*

Onera vero dictis bonis adnexa triplicis generis esse possunt: respiciunt 1° vel onera spiritualia, v. g. fundationes missarum, eleemosynas etc.; ad haec praestanda possessores illorum bonorum posita sanatione *tantum hortandi sunt* (S. Poenit. *20. Mart. 1818.*); 2° vel onera temporalia erga ecclesiam, v. g. census alicui ecclesiae debitos; haec Pontifex condonasse censetur ut aliquid accessorium ad illa bona; 3° vel onera temporalia

§. II.

De bonis privatorum.

Notanda:

752. — I. Bona privatorum injuste proscriptorum *(des émigrés)* alia a republica, alia a privatis occupata fuere, prout modo de bonis ecclesiasticis dictum est.

II. Ludovicus XVIII. an. 1814. constitutionem publicam tulit ad hujusmodi possessiones confirmandas. — Carolus X. lege lata die *27. Apr. 1825.* declaravit omnes proprietates nationales inviolabiles et statuit, indemnitatem privatis laesis esse solvendam. „Trente millions, au capital „d'un milliard, sont affectés á l'in„demnité due par l'Etat aux Français, „dont les biens-fonds situés en France, „ou qui faisaient partie du territoire „de la France au 1er Janv. 1792., ont „été confisqués ou aliénés, en exécu„tion des lois sur les émigrés, les de„portés et les condamnés révolution„nairement."

Resolves:

753. — 1° Privati, qui propria auctoritate bona haec occuparunt, adhuc ad restitutionem tenentur et numquam praescribere poterunt, cum malae fidei possessores fuerint.

2° Acquisitores bonorum nationalium ad restitutionem tenebantur usque ad tempus *restaurationis;* nulla enim legitima dominii translatio facta fuerat.

3° Iidem acquisitores ab anno 1814., et praesertim a die *27. Apr.*, quo lex indemnitatis sancita est, non amplius ad restitutionem tenentur, modo acquisitio fuerit legalis seu auctoritate gubernii facta.

4° Non constat, bona mobilia comprehendi sub beneficio ratihabitionis; lex enim anni 1814. nullum de istis verbum habet, et lex anni 1825. non loquitur, nisi de immobilibus. Attamen plurimi sentiunt de mobilibus adnexis praediis aut domibus, sicut de immobilibus, quia accessorium principale sequitur.

---

erga privatos, quae non condonantur per sanationem.

Sanatio autem illa non per se liberat a censuris ecclesiasticis, quas usurpatores illorum bonorum incurrerunt. — Bona vero, quae tempore sanationis adhuc a gubernio ipso occupata erant, aequiparantur alienatis, ita ut postmodum privati valide et licite ea emere potuerint. — Cf. *Scav. tom. 1. append. II. 8.*

TRACTATUS
DE CONTRACTIBUS.

Cum tractatus hic de contractibus praecedentis tractationis de justitia et jure consectarium sit, in aperto est, principia illa, quae de jure agentes statuimus, huc esse revocanda. Scientia autem haec, quae circa contractus versatur, nostra praesertim aetate necessaria prorsus existimanda est; commercium enim tam longe lateque ubique terrarum exercetur, tantum artes illiberales in dies perficiuntur, ut de contractuum aequitate in sacro tribunali saepe saepius sententia ferenda sit. Verum hic potissimum apparet difficultas leges in conscientia inscriptas cum legibus codicis civilis conciliandi. Deo tamen opem, ut confidimus, praestante tanta incedemus cautione, ut ducibus melioris notae doctoribus neque intempestivae severitatis, neque nimiae indulgentiae macula inuramur.

Agendum: 1° de contractibus in genere; 2° de contractibus in specie.

PARS I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

754. — Definitio: Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Divisio: Contractus praecipue distinguitur:

1° *Unilateralis* vel *bilateralis*. *Prior* fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitae promissionis. *Posterior* habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios pariter obligatos, ut in variis permutationibus. Contractus bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus* ex verbis graecis *συν (cum)* et *ἀλλασσω (permuto)*.

2° *Gratuitus* seu *beneficentiae*, vel *onerosus*. Contractus dicitur *gratuitus*, si quis ex contrahentibus alteri aliquid mere gratuitum tribuat. *Onerosus* autem dicitur, si quilibet contrahentium aliquid alteri praestat, ut in contractu venditionis. Plerumque autem haec divisio in praecedentem recidit. Contractus enim gratuitus est *unilateralis* et onerosus *bilateralis; sed esse potest unilateralis, quin sit gratuitus*, ut in contractu mutui cum lucro percipiendo(¹), in contractu depositi etc.

Contractus vero onerosus iterum subdividitur in *commutativum* et *aleatorium*. Est *commutativus*, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem aequivalentem aut diversae speciei. Est *aleatorius*, si unus det rem, alter vero contrahens det non rem, sed spem, quam probabilem habet rei alicujus adipiscendae, quae spes, cum falli possit, efficit, ut contractus hujusmodi aleae similitudinem prae se ferat.

3° *Solemnis* vel *simplex*, prout requirit speciales legis formalitates, vel dispositionibus communibus tantum subjicitur.(¹)

4° *Nominatus* vel *innominatus*, prout nomen proprium habet, sicut v. g. *venditio*, aut proprio nomine caret, v. g. *do ut des, facio ut facias etc.*(²) — *S. Lig., de 7. praec. n. 707.*

5° *Nudus* aut *vestitus*. Contractus *nudus* ille est, cujus obligatio est in foro conscientiae tantum, quia in foro externo probari nequit; tales sunt conventiones, quae absque scripto aut sufficientibus testimoniis fiunt, aut pactiones in ludis etc. Contractus *vestitus* ille est, qui in foro civili probari potest, ut sunt contractus formalitatibus lege requisitis vestiti etc.(³)

(¹) si quovis tempore a mutuatore dissolvi potest —

* (¹) Exceptis casibus, in quibus lex statutas exigit solemnitates, nulla solemnitas ad validitatem contractus requiritur, et ideo contractus voce etiam initus et sine testibus tenet et obligat. *(C. A. 883.)* Si partes scripto stipulari contractum convenerint, scribi debet in charta publico signo firmata et compleri contrahentium subscriptione: si alter scribere nesciat, coram duobus testibus signum apponere debet, quorum unus nomen contrahentis et cognomen scribere debet, et ambo simul proprium subscribere.

Scripto contractu nulla ratio habetur conventionum verbo peractarum, quas unus ex contrahentibus sibi factas contenderit. *(C. A. 886.)* Ut contractus sit firmus in foro externo et late constet illius veritas atque tempus institutionis, in publicis tabulis inscribendus est, et tunc obtinet effectum, si subscriptionis character a publico approbatus fuerit tabulario.

Ad acquirendum dominium rei, si est mobilis, requiritur traditio; si immobilis, requiritur inscriptio in officio census.

Ad hypothecam habendam in alterius contrahentis fundo pro evictionis cautione requiritur inscriptio in officio hypothecae, et tunc character a publico approbandus est tabulario.

(²) Hinc, si cui des panem pro vino, habebis contractum innominatum *do ut des*, quia hic contractus nullo specifico nomine in jure gaudet (neque enim est venditio, nec mutuum etc.), sed solum appellatione aliqua generali, v. g. permutationis, notari potest. — *Lessius l. 2 c. 17. n. 13. etc.*

(³) vel est illud, quod praeter partium

6° *Formalis* seu *expressus*, aut *virtualis* seu *tacitus*. *Prior* ille est, qui fit verbis, scriptis aliisve signis consensum directe manifestantibus; *posterior* vero ille est, cujus consensus in rem conventam exsistit quidem realiter, sed implicite tantum aliquo dicto vel facto manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum esse omne id, quod ejus professio requiret. Contractus ille etiam communiter *quasi-contractus* nuncupatur(¹).

7° *Absolutus* vel *conditionatus*, prout nulla vel econtra aliqua conditio ei apponitur. Dicitur etiam *purus* aut *non purus* seu *qualificatus*.

755. — In omni contractu tria sunt distinguenda, scilicet essentia, natura et accidentalia. 1° Ad *essentiam* pertinent ea, sine quibus contractus exsistere nequit. Sic v. g. in contractu venditionis tria dantur essentialia, nempe res, pretium et consensus.(²) Uno deficiente nullus est contractus. Si loco pretii v. g. res alia detur, jam non erit contractus venditionis, sed commutationis. 2° Ad *naturam* vero spectant ea, quae, licet non expressa, ex lege, consuetudine vel aequitate in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint, v. g. rei venditae assecuratio, quae a contrahentibus excludi posset, quin invalida foret venditio. Conventione autem expressa non interveniente venditor rem venditam assecurare debet. 3° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quae contractui speciali conventione adjungi possunt, quin lege aut rei natura adjecta censeantur, v. g. talis pretii dilatio aut alia hujusmodi. — *Bouvier etc.*

His praemissis tractandum occurrit: 1° de requisitis ad contrahendum; 2° de obligatione contractus; 3° de modificationibus contractuum.

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM.

Quatuor requiruntur: 1° materia apta 2° causa licita; 3° subjectum capax; 4° consensus legitimus.

ARTICULUS I.
DE MATERIA CONTRACTUS.

756. — Materia contractus generatim sunt res et facta, seu ea omnia, quae sub hominis dominio cadere possunt et de quibus contrahentes habent plenum dominium proprietatis et liberam administrationem.

Materia contractus variis conditionibus gaudere debet, scilicet debet esse possibilis, exsistens, honesta, propria contrahentis, certa, pretio aestimabilis (¹).

1° *Possibilis*, tum physice, tum moraliter, quia ad impossibile nemo obligari potest. Hinc nemo teneri potest ad fortuitos casus vitandos, cum illud impossibile sit. Si quis igitur eos in se suscipiat, se tantum obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

2° *Exsistens* vel in re, vel saltem in spe certa seu probabiliter exstitura, secus nullum jus in illam haberi posset, siquidem talis res non esset pretio aestimabilis.(²)

3° *Honesta* et *licita in se* i. e. nullo jure prohibita, quia nequit dari obligatio ad rem inhonestam et pro-

---

conventionem aliquod aliud adminiculum habet, ratione cujus oriatur actio civilis. — Ita *Lugo disp. 22. n. 13.*

(¹) a theologis: jurisperiti enim aliter quasi-contractum definire solent.

(²) Perficiuntur hodie contractus aliquando solo consensu, aliquando scriptura, aliquando traditione, ita ut, si res non tradatur, contractus non subsistat. De hisce cf. leges vel, si de solo foro interno agatur, intentionem contrahentium *(S. Lig. n. 708.)*; jure naturae autem solus consensus, debitis vestitus conditionibus, ad perficiendum contractum sufficit, modo aliud essentiale non desit. Num vero contractus, formis legalibus destituti, in conscientia obligent, infra resolvendum erit.

(¹) et in civili commercio posita; secus non esset alienationi apta. — *Scav.*

(²) De *rebus futuris* ergo contrahi potest, nisi obstet lex. — *Scav.*

hibitam, ut patet; secus enim sequeretur, aliquem obligari posse ad aliquid simul faciendum et omittendum, quod repugnat.(1) Satis autem est ad contractus validitatem, ut materia sit *substantialiter honesta;* contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit.

4° *Propria* contrahentis, ut patet ex definitione; nemo enim potest ad alium transferre jus, quod ipse non habet. Hinc, si quis rem furtivam emat, invalide emit, etiamsi bona fides in utroque contrahente adfuerit, ut constat ex dictis de possessore bonae et malae fidei *n. 635. et seq.*(2)

5° *Certa* et *determinata* sive in individuo, sive in quantitate et qualitate(3); secus enim illusorius foret contractus.(4)

Quaesita:

757. — Quaer. 1° *An liceat pretium accipere pro actione ex justitia alicui jam debita, si alteri prodesse possit illaeso jure prioris?*

(1) Cf. *n. 760.*

(2) Ex hac assertione tamen non sequitur, contractus de re aliena esse simpliciter invalidos; possunt enim valere, non quidem *per se* (v. supra *n. 644. Resp. 1°. Excipe)* quoad translationem proprietatis in rem alienam, sed quoad translationem dominii in rem alteri contrahentium propriam. — *S. Lig. n. 800.* Sed de hoc cf. leges civiles.

(3) Sufficit tamen, si ex lege vel aliis adjunctis voluntas contrahentis dignosci possit.

* (4) *C. A. 879.*

Praeter contractus propriis locis adnotatos nullos specialiter declarat sequentes contractus:

I. si aliquid paciscantur ad matrimonium procurandum;

II. si medicus aut chirurgus, ut curam morbi suscipiat, determinati praemii promissionem exigat ab aegroto;

III. si advocatus determinati praemii pactum iniverit, ut patrocinium litis assumeret, aut litigiosam causam emat sibi jam commissam;

IV. si haereditas aut legatum, quae a tertia persona sperantur, ipsa vivente alienentur. Vide etiam *C. A. 996. 1196. 1259. 1270. 1291. 1371. 1372. 1382. 1384. 1398.*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia non laedis jus prioris, quocum contraxeras, et posteriori te utilem praestas. Sic, v. g. si *Titius* te conduxerit, ut tendas ad certum locum negotii alicujus pertractandi gratia, potes etiam a *Petro* conduci ad iter illud peragendum, ut pro ipso *Petro* negotium tractes, modo posterius mandatum priori non noceat. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 13. n. 68.*(1)

Quaer. 2° *An pretium accipi possit pro re debita non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. g. si accipias pecuniam ad jejunandum tempore quadragesimae?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius,* quia illud ex mera liberalitate datur et donum mere gratuitum censetur. — *S. Lig. n. 713.* et *alii communiter.*

Nota: In hac responsione supponitur, actionem vel rem, ad quam donatarius jam ex caritate vel alia virtute tenetur, esse pretio aestimabilem; secus enim invalidus foret contractus. Hinc ad restitutionem teneretur ille, qui pecuniam exigeret ad viam homini transeunti ostendendam, si absque ullo labore aut temporis jactura eam ostendere possit, quia ad hoc ex caritate tenetur et aliunde actio ista non est pretio aestimabilis.

Quaer. 3° *An valeat contractus, si materia sit ex parte tantum possibilis?*(2)

Resp. Affirmative, si res sit divisibilis in se et divisibiliter de ea contractum sit; secus, si sit indivisibilis vel indivisibiliter de ea conventum fuerit. Hinc, v. g. si emeris 100 modios tritici, ita ut contractus non esset perfectus, nisi re tradita, et 50 pereant, contractus pro reliquis 50

(1) Cf. infra *n. 926.*

* (2) Si res adpromissa ex parte tantum evadat impossibilis, quod fieri potest, fiat, nisi ita conventum fuerit, ut vel totum, vel nihil praestari debeat. *(C. A. 882.)*

Si quis alium dolose circumveniat, damnum, quod inde proficiscitur, eidem reparare debet, prout et ille, qui sua culpa effecit, ut praestatio impossibilis redderetur. (Vide *C. A. 878.)*

adhuc tenet. Si vero horologium manuale promiseris et rescias, te jus non habere nisi partiale in illud, promissio tua nulla prorsus erit.

758. — Quaer. 4° *An res mere spiritualis possit esse objectum contractus sive gratuiti, sive onerosi?*

Resp. ad 1um *Affirmative.* Nihil enim obstat de jure naturali, cum hujusmodi conventiones nihil inordinati habeant; sed neque de jure divino, cum Deus permiserit, imo praeceperit rerum spiritualium gratuitam communicationem. Sic promittere potes ex rigorosa obligatione fidelitatis orationes, missas, reliquias etc.

Resp. ad 2um 1° *Affirmative* etiam, si res spiritualis sit ex utraque parte, quia tunc nulla simonia in permutatione adesse potest, siquidem nulla est comparatio rei spiritualis cum temporali.(¹)

2° *Negative* autem, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera, quia nulla comparatio inter spirituale et temporale dari potest, ut constat ex dictis *de simonia n. 287. et seq.*

Quaer. 5° *An vero materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?*

Resp. 1° *Affirmative*, si adnexa sit *antecedenter*, seclusa Ecclesiae prohibitione in casibus particularibus, modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. — *Vide dicta de simonia ibid.*

Resp. 2° *Negative*, si adnexa sit *consequenter*, saltem ex jure ecclesiastico. Haec autem quaestio praecipue beneficia respicit.

Resp. 3° Si vero adnexa sit *concomitanter, distingue:* 1° *negandum*, si adnexa sit *intrinsece* et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independenter a re sacra, ut est labor sacerdotis in celebrando, absolvendo etc.; — 2° *affirmandum* vero, si adnexa sit *extrinsece*, ut dictum est *de simonia ibid.*

(¹) Potest tamen lex ecclesiastica tali permutationi obstare.

ARTICULUS II.
DE CAUSA CONTRACTUS.

759. — In contractibus *synallagmaticis* causa seu motivum obligationis, quam suscipis, est voluntas acquirendi jus aliquod determinatum in compensationem juris, quod in alterum transmittis, seu est obligatio ab altero contrahente erga te suscepta; ideo enim te erga illum obligasti, ut ille se erga te vicissim obligaret. In obligationibus vero *unilateralibus*, cum alter, erga quem obligationem suscipis, supponatur ipse non obligatus erga te, obligationis susceptae adimplendae motivum aliunde desumendum est et multiplex esse potest, v. g. ipsa rei vel pecuniae receptio; item, si contractus *unilateralis* sit simul etiam *beneficentiae*, habere potest tamquam motivum obligationis affectum donandi, largitionem mercedis etc.

Non autem valet obligatio, quae caret causa, vel falsam habet aut illicitam *(C. C. 1131.)*, quae scilicet a lege prohibetur vel bonis moribus ordinive publico adversatur. *(1133.)*(¹)

Quaesita:

760. — Quaer 1° *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?*

Resp. 1° Ante positionem operis turpis, *affirmative*, quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Post operis positionem, acriter *controvertitur*. Duplex datur sententia probabilis.

Ia Sententia *communior* dicit, pre-

(¹) In genere causa, licet nulla exprimatur, legitima praesumitur, donec ille, qui se obligavit, probet contrarium. Si vero expressa vel probata fuerit aliqua causa, tunc contractum invalidat, si vel non subsistat vel solummodo apparens sit vel illicita. — Cf. *Scav.* et *notam ex jure austr. ad n. 776.*; item *n. 778.*

tium posse accipi et retineri, *imo et debere dari ex justitia.* Ratio est: 1° quia ibi intervenit duplex contractus, unus *absolutus,* nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fuerit, et hic impleta conditione fit validus. Etenim posito opere jam insurgit contractus *do ut des,* cujus natura exigit, ut semper, quoties unus contrahens praestitit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit; 2° quia, licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, pretium tamen quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti vel utilis alteri meretur. — *S. Lig. ut probabilius*(1) *n. 712.* — *Lacroix* — *Lugo* — *Lessius.*(2)

IIª Sententia *probabilior* intrinsece, ut videtur, negat, quia contractus invalidus ante operis positionem per ejusdem positionem validari nequit. Hinc *regula juris 18. in 6°: Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* — *Ita Collet* — *Roncaglia* — *Concina* — *Comitolus* — *Carrière n. 333.*

Quaer. 2° *Si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, an illa denegato consensu rem retinere possit?*

Resp. Affirmative, quia nullum intercessit pactum de peccato patrando et proinde donatio ut omnino liberalis habenda est, cum mulier nihil prorsus ex sua parte promiserit. — *S. Lig. n. 712.* et *alii communiter.*

ARTICULUS III.
DE SUBJECTO CONTRACTUS.

761. — I. De jure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent, quia isti soli dominium bonorum suorum transferre et obligationes suscipere possunt, ut liquido constat. Hinc contrahere nequeunt: 1° infantes usu rationis necdum fruentes; 2° amentes et furiosi; 3° perfecte ebrii.

II. De jure civili praeter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quae de jure naturali exiguntur, requiritur etiam, ut contrahens liberam habeat bonorum dispositionem, nec lege incapax ad contractum celebrandum declaretur. Inhabiles autem sunt ad contrahendum, saltem *in multis* aut *firmiter,* 1° minores; 2° uxores; 3° mortui civiliter; 4° interdicti et prodigi. Pauca de singulis.

§. I.
De minoribus.(1)

762. — *Minores* appellantur filii et filiaefamilias, qui aetatem lege praefixam non attigerunt, ut seclusa patris aut tutoris auctoritate *civiliter* agere valeant. In jure romano filii minores sunt usque ad aetatem 25 et filiae 21 annorum.(2) In jure vero gallico filiifamilias utriusque sexus minores sunt, usquedum aetatem 21 annorum adepti fuerint. Attamen respectu matrimonii contrahendi viri, qui habent parentes

(1) Imo *certum* esse, ibidem asserit, meretricem posse retinere pretium meretricii. *Scavini* praeterea citat decisionem *S. Poenit. (23. Apr. 1822): Mulier poenitens non cogenda est, sed hortanda, ut pretium meretricii juxta prudentis confessarii judicium eroget in usus pios.*

* (1) Convenit cum *C. A. 1174.*

* (1) Ex *C. A.* sunt inepti, qui nullo pollent rationis usu. Contractus minorum adhuc sub patris potestate degentium non tenent, nisi in ipsorum commodum cedant, sed, si onus assumant aliquid praestandi, contractus validitas ex patris vel tutoris voluntate pendet. *(C. A. 865.)* Sunt pariter inepti publice interdicti. *(C. A. 269.)* Attamen quicumque dolose ineundae obligationis semet capacem finxit, laeso, qui scilicet fraudem difficulter scire potuit, satisfacere tenetur. *(C. A. 866.)* A damnis reparandis eximitur tamen minor, qui nondum vigesimum annum compleverit. *(C. A. 248.)*

(2) Ex jure romano uterque sexus minoribus accensetur usque ad completum 25. aetatis annum.

Etiam in aliis, quae auctor ex jure romano refert, plura emendanda vel addenda essent. Sed lectorem potius ad leges remittimus, quae in ejus territorio vigent.

aut ascendentes, non reputantur *majores*, nisi ad aetatem 25 annorum pervenerint. Minores sunt alii *non emancipati*, alii vero *emancipati*. Priores simpliciter auctoritati patris vel tutoris subjiciuntur. Posteriores autem ii sunt, qui a praedicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt juxta formas a lege praescriptas. Minores in jure romano et in jure canonico distinguuntur etiam alii *puberes*, alii *impuberes*. Puberes dicuntur pueri, qui ad aetatem 14, et puellae, quae ad aetatem 12 annorum pervenerunt. Ceteri impuberes appellantur. Impuberes orbati patre et sub auctoritate tutoris constituti nomine *pupillorum* veniunt. Ex eodem jure romano tutor datur pupillis ad omnia, curator vero puberibus ad bonorum administrationem tantum. His positis:

I. Ex jure romano.

763. — 1° Filiusfamilias impuber, contrahens etiam cum consensu patris de bonis castrensibus, non obligatur; econtra, si filius puber contrahat de castrensibus et quasi-castrensibus, obligatur, modo de immobilibus aut mobilibus pretiosis non agatur; at de profectitiis et adventitiis minime disponere potest, quia eorum regulariter administrationem non habet.

2° *Pupillus* seu impuber patre orbatus auctoritate tutoris, *minor* vero cum consensu curatoris valide contrahunt, nisi agatur de immobilibus aut mobilibus pretiosis, pro quibus decretum judicis requiritur.

3° *Pupillus* sine consensu tutoris numquam valide contrahere potest, licet contractus sit ipsi utilis. Idem probabiliter dicendum de *minore* sine consensu curatoris contrahente; saltem contractus ab ipso initi ad nutum curatoris rescindibiles erunt.

II. Ex jure gallico.

764. — 1° Minor non emancipatus *firmiter* contrahere nequit absque assistentia tutoris. Contractus tamen, si taliter fiat, validus erit *per se*, sed rescindibilis, nisi minori faveat. Unde, si ex hujusmodi contractu sequatur laesio, minor ad beneficium restitutionis admittitur; secus, si nulla laesio subsecuta fuerit. Hinc axioma: *Minor restituitur non ut minor, sed tamquam laesus.*

2° Minor emancipatus habilis est ad faciendos omnes administrationis actus a lege determinatos. Pro reliquis autem assistentia tutoris requiritur.

Restitutio locum non habet: 1° si minor dolo, non vero mera affirmatione alteri persuaserit, se esse majorem; 2° si laesio proveniat a casu fortuito et non praeviso; 3° si obligatio oriatur ex delicto vel ex quasi-delicto; 4° si commercium aut artem exercens pro rebus commercii aut artis suae contraxerit; 5° in aliis quibusdam casibus a lege exceptis *(Art. 450. 476. 1304. et seq.)*.

Resolves:

765. — 1° Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis, secluso casu malae fidei, cum lex in ejus favorem lata sit. Non autem rescissionem postulare potest, ut eximatur a restitutione pecuniae, quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit; tenetur enim adimplere obligationem, quam certe novit, dum pecuniam postularet et reciperet. Aliunde ipsius culpae tribui debet, si nullum inde emolumentum perceperit(1).

(1) „Minores etiam in foro conscientiae „uti possunt beneficio rescissionis contra„ctuum, in quibus laesi sunt, cum natura„lis aequitas non permittat, eum, qui cum „ipsis contraxit, lucrum reportare ex de„fectu experientiae in ipsis. Sed nequeunt „in foro conscientiae recurrere ad bene„ficium rescissionis, quam ipsis offert fo„rum externum, ut se liberent a restitu„tione pecuniae, quam acceperunt et dis„sipaverunt, dum tempore contractus ha„buerunt sufficientem usum rationis et „posito, quod ille, qui ipsis pecuniam „mutuo dedit, id fecerit in bona fide, non „praevidens, ipsos pecuniam mutuatam „stulte impensuros esse.“ — *Pothier,*

2° Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a minore vel ab ejus patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando laesio omnino aperta est.

3° Minor solus per seipsum vel per alios, a quibus repraesentatur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, ejus incapacitatem opponere nequeunt. *(Art. 1125.)*

4° Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum ratihabuit, postquam major factus est, quia plene habilis erat ad contrahendum tempore, quo actum ratihabuit. *(Art. 1311.)*

§. II.

De uxoribus. (¹)

I. Ex jure communi.

766. — 1° Uxor non potest contrahere aut disponere de dote ejusque fructibus, nec de bonis familiae marito praesente et valente haec bona administrare, si rationabiliter invitus sit. Secus, si maritus sit absens, amens vel fatuus, vel si expresse aut tacite consentiat, vel si non sit rationabiliter invitus.

2° Uxor pro libitu contrahere vel disponere potest etiam invito marito de bonis paraphernalibus seu de bonis, quae praeter dotem attulit et sibi reservavit. — *Recole dicta de dominio uxorum n. 548. et seq.* — *Vide Billuart* — *Reuter etc.*

II. Ex jure gallico.

767. — 1° Uxor generatim contrahere non potest sine speciali consensu mariti, et hujus defectu sine judicis auctoritate, ut dictum est in *tract. de justitia ibid.* — *(C. C. 217. 219. et seq.)* Ideoque actus, quos sine tali auctoritate posuit, rescindi debent, si ipsamet uxor vel ejus maritus aut ipsorum haeredes, non vero si alii nullitatem opponant.

Dixi 1° *absque consensu speciali mariti;* quia non sufficit consensus generalis in contractu matrimonii datus, sed requiritur, ut sit specialis pro singulis uxoris actibus, et quidem scripto datus.

Dixi 2° *vel absque auctoritate judicis;* quia uxor potest ad judicem recurrere, si maritus consentire nolit aut etiam non possit, v. g. si absit, si sit interdictus etc.

2° Uxor tamen contrahere potest absque speciali consensu viri: 1° quando vacat commercio publico et separato, quia tunc maritus consentire censetur, excepta immobilium alienatione; 2° quando comparat ea, quae necessaria sunt ad familiae sustentationem.

3° Uxor pro libitu disponere potest de bonis suis juxta leges generales per testamentum absque ulla mariti interventione. Ratio est, quia parvi refert marito, ut mulieris domino, quaenam futura sit uxoris dispositio testamentaria, cum testamentum effectum suum non sortiatur, nisi post matrimonii dissolutionem.

768. — Quaer. *An nullitas, quae afficit contractus uxorum, sit* pleni juris *seu ipso facto, vel tantum post judicis sententiam vim habeat?*

Resp. Nullitas non est habenda ut *pleni juris*, cum requiratur judicis sententia (¹) ad eam declarandam. Nec est absoluta, sed relativa tantum, seu pronuntiari tantum potest in favorem quarumdam personarum, quae solae illam invocare possunt, nempe in favorem uxoris, mariti ejusque filiorum.

---

traité des obligations n. 52. — Consonat *Toullier* cum *aliis jurisperitis* et *Gousset n. 747.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.) V. etiam *n. 849. not.*

* (¹) Uxor ad libitum etiam invito marito contrahere potest de bonis, in quibus proprietatem ac liberam habet administrationem. Vide, quae diximus de dominio uxorum.

(¹) cujus necessitas ad infirmandum aliquem contractum in genere supponenda est, quoties lex pro illius contractus rescissione certas assignat regulas — *Scav.*

Resolves ex jure gallico:

769. — 1° Si uxor contrahat sine consensu mariti cum laesione jurium vel bonorum ejusdem, v. g. respectu bonorum communitatis vel redituum a viro percipiendorum, irritus omnino est contractus. Sed uxor malae fidei, licet in eo casu obligare non possit maritum neque bona communitatis, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare. — *Carrière n. 203.* et *alii communiter* contra *plures,* qui dicunt, alterum contrahentem sibi imputare debere, quod cum illa contraxerit et sic deceptus fuerit.

2° Nullitas contractus uxoris a viro invocari potest in conscientia, etiamsi laesionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas praecipue in ejus gratiam sancita est, ut patet ex *art. 1241.* et *1312.*

3° Uxor ipsa nullitatem contractus etiam invocare potest, ut videtur, quamvis lex praecise ipsi favere non intendat, quia non videtur sufficiens motivum eam a beneficio legis excludendi, modo alteram partem non deceperit. — *Carrière ibid.* contra *plures.* Sed reddere debet id omne, in quo ditior evasit, et res restitui debent in eumdem statum, ac erant ante contractum, modo laesa et decepta non fuerit. Saepius autem ratione doli a beneficio legis excludenda est.

4° Uxor, quae ab alio pecuniam mutuatam petit pro marito, se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutionem facere non possit aut nolit; fuit enim causa absolute determinans contractus. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, praesertim viro defuncto; secus malae fidei evaderet. *A fortiori* uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem inscio marito mutuatam. Sic enim clamat naturalis aequitas.

§. III.

De civiliter mortuis. (1)

770. — Mortui civiliter sunt damnati ad mortem, ad triremes perpetuas vel ad deportationem. Hi sunt praecipui mortis civilis effectus: 1° amittere proprietatem bonorum, quae ad haeredes transeunt, quin valeat testamentum, si quod fecerint; 2° non posse accipere haereditatem aut donationes praeter id, quod ad eorum sustentationem destinatur; 3° non posse donare bona, quae acquisierint, sive inter vivos, sive testamento. — Haec videntur generatim effectum habere in foro conscientiae. Attamen juxta communem interpretationem non prohibentur civiliter mortui ab accipiendis donationibus manualibus quibuslibet. Inhabiles enim sunt ad ea dumtaxat, quae lege determinantur; unde plerosque contractus valide ineunt et agendi commercii non sunt incapaces. — *Ita jus rom.* (2)

§. IV.

De interdictis et prodigis. (3)

771. — Interdicti sunt illi, qui judicis sententia declarantur incapaces actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis aut dementiae aut furoris *(489.).* Designatur aliquis ut eorum tutor et actus omnes ab ipsis positi jure sunt irriti *(502.);* non tamen absolute nulli aestimandi sunt ante sententiam judicis. Cessat interdictio cessante causa, cujus cessatio declarari debet a judice, ut interdictus possit iterum civiliter agere. Prodigi juridice denunciati inhabiles sunt ad certos contractus a lege determinatos absque

---

* (1) Damnati ad mortem vel ad carcerem durum vel durissimum nequeunt valide contrahere a die denuntiatae sententiae, usquedum poenam persolverint. *(Codex poenalis part. 1. §. 23.)*

(2) In plerisque Europae regnis leges mortem civilem jam non irrogant; in ceteris vero ejusdem effectus, in quantum scimus, valde limitati sunt.

* (3) Cf. dicta ex jure austriaco de minoribus *n. 762.*

assistentia consiliarii a judice constituti ineundos *(513.)*.

Nota: Nullitas contractuum irritorum ab interdictis et prodigis non potest opponi, nisi ab ipsis aut ab illorum causam agentibus, non vero ab iis, qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est.

ARTICULUS IV.
DE CONSENSU REQUISITO.

1° Ejus dotes; 2° vitia opposita.

§. I.

De dotibus legitimi consensus.

772. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1° *Externus* i. e. manifestatus, quia comparti manifestari debet; nequit autem alteri parti patefieri, nisi aliquo signo visibili appareat.

2° *Internus,* quia obligatio contractus oritur a sola voluntate contrahentis (1). — *Ita communiter* contra *paucos.*

3° *Mutuus,* quia contractus est conventio duorum vel plurium. Hinc, si sit onerosus, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio; si gratuitus sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera. (2)

4° *Liber et deliberatus,* ita ut contrahens non solum sit sui compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quae ad peccatum grave requiritur; secus enim non esset nisi voluntas imperfecta et proinde actus imperfectus, qui perfectam obligationem parere non posset. (1)

Quaesita:

773. — Quaer. 1° *An valeat contractus initus sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi?*

Resp. ad 1um *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est contraria substantiae contractus. — *S. Lig. n. 710. Alii* dicunt, valere contractum, prout praevalet aut non praevalet volitio contractus. — *Lacroix.*

Resp. ad 2um Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi. — *S. Lig.* et *alii communiter.*

Quaer. 2° *An consensus utriusque partis simul elici debeat?* (2)

Resp. Negative, quia consensus unius semel datus nec revocatus moraliter perseverat, ita ut accedente alterius consensu statim perficiatur contractus.

---

(1) explicita vel implicita *(n. 754. 6°.)*.

(2) Contractus onerosus ergo quoad consensum tum demum perfectus est, si v. g. *Petrus* offerat *Joanni* pecuniam pro aliquo objecto, *Joannes* id acceptet, et *Petrus* vel ejus procurator hanc acceptationem resciat. Ita saltem in genere.

In contractu gratuito (donatione et promissione) autem non requiritur, ut acceptatio alterius promittenti vel donanti intimetur, sed statim acceptatione posita completur irrevocabiliter contractus. — *Lugo disp. 22. n. 29. et seq.* Sed debetne haec acceptatio ostendi ad extra? Id de essentia non requiritur; prudenter tamen aget acceptans intentionem suam manifestando, si de acceptatione dubium moveri posset. — V. *Lugo disp. 23. n. 62. et seq.* Nec dissentire videtur quoad substantiam *Lessius l. 2. c. 18. n. 43. sub fine.* Aliter *S. Lig. n. 728.*

* Ex jure austriaco: Ut obliget promissio voce facta, statim acceptari debet; aliter non obligat: facta vero scripto, si contrahentes in eodem reperiantur loco, ut promissio obliget, acceptio inter viginti quatuor horas est facienda atque notificanda promittenti: si contrahentes absint, acceptanti duplum conceditur temporis spatium, quod profecto ad transmittendam acceptionem necessarium est. *(C. A. 862.)*

* (1) *Determinatus* tum circa qualitatem ac quantitatem rei, tum circa pretium, sive contrahentes exprimant summam, sive se referant ad aliam quantitatem vel ad arbitrium certae personae, modo pretium condicto tempore definiat. Si ad definiendum nullum datum fuerit tempus, pretio nondum constituto unusquisque a contractu recedere potest. *(C. A. 1056.)* Si vero contrahentes de pretio mercatus simul conveniant, hoc de pretio medio est intelligendum. *(C. A. 1058.)*

* (2) Vide quae diximus *n. 772. 3°.* in *nota* ex *C. A. 862.*

lves:

- 1° Qui ficte in contractum tenetur in conscientiae foro ceptam indemnem facere et, on suppetat medium repa- mum, consensum internum t contractui stare debet. — *st. tr. 10. n. 93.*

contractus ficte initus ex- fuerit mandatus, nullum do- facto translatum est. Unde i acceptae deceptus haben- mquam possessor bonae fidei, utem tamquam possessor ma- [1])

fferam tibi domum 1000 au- m et tu acceptes, contractus non quando interne consen- nando tua acceptatio externe aliquod signum. Consensus ns est tibi sufficienter inti- hoc, quod tibi domum meam supra dicto offeram.

necum contrahas per procu- contractus perficitur, quando rator acceptat, licet tu non- otaveris, quia acceptatio tui is moraliter tua est.

turnitas regulariter reputatur nsu, si materia sit favorabi- . Hinc regula juris: *Qui sentire videtur.*

Paulus dicat coram *Joanne:* ureos *Petro, Joannes* autem su *Petro* id referat et hic *cepto, Paulus* non censetur quia intimatio promissionis cta *Petro* de mandato *Pauli,* quin per relata verba nihil ndit, nisi merum dandi pro-

§. II.

tiis consensui oppositis.

a sunt error, dolus, vis et me- d errorem et metum reducuntur.

PUNCTUM I.

De errore.

- Error in contractibus ver- t: 1° circa substantiam rei, vero per se tenetur credere ut si emas cuprum pro auro([1]); 2° circa naturam seu speciem contractus, v. g. si sumas locationem pro venditione; 3° circa qualitatem seu accidentia rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox; 4° circa personam, v. g. si quis det *Petro,* volens dare *Paulo;* 5° circa motivum, v. g. si quid des *Cajo* ob paupertatem vel pietatem, dum est dives vel impius.

Nota: Error circa qualitatem, licet *accidentalis,* potest tamen esse *causa* contractus; aliquando, imo et non raro sunt, qui libenter contrahunt et tamen a contractu recederent, si ad defectum rei mere *accidentalem* animadverterent.

Principia:([2])

776. — I. Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam* contractum nullum reddit([3]). Ratio

---

ei, qui affirmat, se interius non consensisse. — *Scav.*

([1]) Illud habendum est ut substantiale, cui stricte alligatus est consensus, vel cujus defectus rem facit ad intentum inutilem aut tollit omne motivum consentiendi. — *Scav.*

* ([2]) Principia ex jure austriaco.

I. Error circa rei substantiam vel ejus qualitatem essentialem, aut circa qualitatem accidentalem praecipue intentam nullum reddit contractum, quia deest consensus; error circa qualitatem tantum accidentalem (nisi qualitas conditionis loco fuerit adjecta) haud reddit irritum contractum, quia consensus substantialiter datus est, jure quoque sic disponente; secus nulla esset contractuum firmitas, cum saepissime in contractibus aliquis error oriatur. Deceptus tamen ab erroris auctore indemnis servari debet. *(C. A. 871. 872. 874.)* Idem dicendum, si circa personam error intercessit. *(C. A. 873.)*

II. Quod attinet ad causam, quae contractui additur, interest animadvertere, utrum illa, si non expresse, saltem tacite tamquam *veri nominis conditio* apponatur, an vero nonnisi *impulsiva* sit, ut ajunt. In priori casu pacti valor evertitur, ubi causa ita adjecta non subsistit; non item in casu altero. Idem fere de modo vel scopo dicendum est, qui a promittente intenditur, v. g. dono tibi pecunias, ut libros coëmas. *(C. A. 901. 572.)*

([3]) etsi inculpabilis ignorantia intercesserit.

est, quia nullus est consensus actualis in illo casu, cum rem omnino diversam respiciat. — *S. Lig. n. 714.*

II. Error circa *solam qualitatem* non invalidat *per se* contractum, saltem si cognito errore nihilominus contractus fuisset initus. Consensus enim vere voluntarius circa objectum principale conventionis habetur. — Si vero cognito errore initus non fuisset contractus, *controvertitur*, ut statim dicemus.

Quaesita:

777. — Quaer. 1° *An error circa qualitatem, dans causam contractui, irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum?*

Resp. 1° *Negative probabilius* quoad contractus *onerosos*, quia talis error non impedit *cognitionem* neque *consensum* relate ad rei substantiam. Insuper, si aliter esset, vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. Excipe: si qualitas velut *conditio sine qua non* intendatur, quia tunc in rei substantiam transit(¹).

Resp. 2° Quoad contractus *gratuitos: affirmative probabilius*, quia tales contractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirunt; donator enim non censetur velle gratuito se bonis suis spoliare, nisi ex plenissima voluntate faciat. — *Ita communiter* contra *paucos.*

Nota: Qui admittunt, contractus gratuitos non esse de se invalidos, generatim dicunt esse rescindibiles ad nutum ipsius decepti seu donatoris. Unde practice loquendo idem esse videtur, ac si de facto tales contractus irriti forent. Ambae igitur sententiae non adeo differunt. — V. *S. Lig. n. 714. 715.* — *Hom. apost. tr. 10. n. 124. 125.*

(¹) vel si res vitiosa ad finem emptoris inutilis sit (cf. *notam* ad *n. 775.*). Patet praeterea, pretium in proportione ad istud vitium vel ad defectum quantitatis minuendum, aliquando etiam juxta circumstantias damnum omne ex deceptione ortum reparandum esse. — *S. Lig. n. 715. 805. 821—823.* et infra v. *g. n. 882. 896.*

Quaer. 2° *An error circa personam contractum invalidet?*

Resp. 1° *Negative generatim loquendo* quoad contractus *onerosos*, quia in iis error ille est mere *accidentalis;* parvi enim interest venditori, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, et emptori, a quonam emat, si res ipsi conveniat. Excipiendus est matrimonii contractus, in quo consensus ipsammet afficit personam, quae fit simul et pars contrahens et ipsius contractus objectum.

Resp. 2° *Affirmative* plerumque quoad contractus *gratuitos*, quia in iis persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Attende tamen ad rerum adjuncta, ex quibus intelligi potest benefactoris voluntas.

778. — Quaer. 3° *An error circa motivum contractum invalidet?*

Resp. 1° *Affirmative*, si error cadat in motivum *finale*, v. g. si dares eleemosynam *Titio* diviti, quia illum pauperem reputas; tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam omnino deficit.

Resp. 2° *Negative*, si error cadat in motivum *impellens* tantum, v. g. si eleemosynam dares *Petro* pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus: error enim mere accidentalis est, ut evidenter patet. — *S. Lig. n. 737.; Hom. apost. tr. 10. n. 132.*

Resolves:

779. — 1° Si sacerdos emat pannum ad se vestiendum, putans sub nocte, esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus: quia, licet color in se sit mera qualitas, in hoc casu transit in substantiam proindeque error evadit substantialis.(¹)

2° Si tibi volenti emere vinum Bur-

(¹) Cum sacerdos ille intentionem suam, emendi solummodo pannum nigrum, venditori nullo modo manifestaverit et talis intentio ex adjunctis illius actus, uti sup-

digalense, Burgundinum offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed justitia laeditur accidentaliter, si Burdigalense carius sit et tanti Burgundinum vendatur, ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero pretium hinc et inde sit aequale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis quidem erit ab injustitia, non vero a peccato mendacii. Dixi: *per se;* quia facile error posset esse *substantialis,* ut v. g. si emptor intentionem expresse Burdigalensi vino alligasset ob certum finem, ad quem aliud quodlibet non conduceret. — *Reuter n. 113. et seq.*

3° Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimat bonum, et postea deprehendit, esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia hunc praesentem librum absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset, quia tunc titulus causam erroris substantialis praebuisset.

Nota 1° Dolus in eo differt a simplici errore, quod error ex dolo proveniens productus fuerit artificiis ad hunc finem adhibitis. Error, qui *per se* non esset sufficiens ad irritandum contractum, potest nullitati locum dare, si dolus intercesserit ex parte alterius contrahentis.

Nota 2° Laesio, quae in eo consistit, quod aequalitas in contractu non omnino servetur, *per se* non invalidat contractus, si pauci a lege determinati excipiantur. — *C. C. 1118.*

PUNCTUM II.
De metu.

Metus est 1° vel gravis vel levis; — 2° productus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, justa vel injusta; — 3° incussus in ordine ad contrahendum vel ad alium finem. — *Recole dicta in tract. de act. hum. n. 17. et seq.*

Principia:

780. — I. Metus quilibet ita perturbans rationem, ut non sufficiat ad peccatum mortale, contractum, qui ex eo subsequitur, prorsus irritat ex omni jure: quia tunc deficit consensus ad contrahendum requisitus, sive usum rationis omnino tollat, sive ita impediat, ut consensus datus non possit dici plenus et perfectus.

II. Nullus contractus ex metu ab intrinseco aut a causa necessaria seu naturali proveniente est invalidus, nisi ille, qui ex timore contrahit, sui compos non fuerit. Ratio est, quia tunc nulla injuria contrahenti irrogatur et aliunde sufficientem servat libertatem. Idem dicendum est, si metus a causa libera seu ab homine justa de causa incussus fuerit; hinc stuprator metu gravi adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. *Probabilius* nullus contractus, *saltem onerosus,* initus ex metu levi est invalidus vel rescindibilis ad nutum illius, qui metum passus est. Ratio est, quia metus undequaque levis in jure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit; secus enim gravissima incommoda pro commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. — *Ita communiter. — S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 125. etc.* Excipiunt aliqui sponsalia ob maximam libertatem, quae ad ea contrahenda requiritur.(1)

Dixi: *saltem onerosus;* nam si agatur de contractibus gratuitis, ejusmodi contractus irriti *probabilius* videntur, quotiescumque metus levis injuste incussus fuerit ad extorquendum consensum unico contractus intuitu. His enim contractibus essentiale est, ut

---

pono, necessario praesumi non debuerit; cum insuper nulla occultatio, nullus dolus intervenerit, sed error nonnisi ex imprudentia emptoris, qui sub nocte pannum delegit, contigerit, non video rationem sufficientem, obligandi mercatorem (saltem ex justitia), ut pannum redhibeat. — *Cf. Lugo disp. 26. n. 134.*

(1) V. *p. 2. n. 724. Q. 2°.*

procedant ex spontanea ac libera voluntate. Sententia tamen opposita ut *probabilis* habenda est.

Quaesita:

781. — Quaer. 1° *An metus gravis incussus a comparte in ordine ad contrahendum irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad contractus *gratuitos.* Hoc *a fortiori* patet ex modo dictis de metu levi. Etenim si valeret contractus, ille, qui incutit metum, jus acquireret in rem sibi traditam aut promissam; illud autem repugnat, tum quia deest animus gratuito donandi, deficiente spontaneitate, tum quia jus ex injustitia oriri nequit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 716.* id admittit ut *probabile.*

Resp. 2° Quoad contractus *onerosos* valde *controvertitur* et duplex datur sententia probabilis.

Iª Sententia *communior* affirmat, hujusmodi contractus esse validos. Ille enim, qui patitur metum, vult *vere* et *absolute* ex suae voluntatis motu contrahere. — *Ita S. Lig. ibid.* — *Lugo* et *alii,* qui tamen dicunt, contractum taliter initum rescindibilem esse ad nutum illius, qui metum passus est.(¹)

IIª Sententia docet, contractus illos esse plane de jure naturali irritos. Ratio est, quia secus absurdum sequeretur, nempe jus ab injustitia oriri et proinde incutientem metum posse rem extortam sine injustitia retinere usque ad judicis sententiam, quod tamen negant plerique adversarii. Nec dicas, dari compensationem in contractu oneroso per solutam pecuniam vel aequivalens traditum; nam saepe durius est proprietario, rem suam alienare, quam pecuniam gratuito ex metu tribuere.

Ceterum in praxi non valde differunt ambae sententiae, cum in utraque in favorem coacti tandem resolvatur, ut jam diximus in simili casu *n. 777. Q. 1°.* in nota.(¹)

Nota: De jure canonico certo invalidi sunt contractus seu actus ex metu gravi eliciti, ubi agatur 1° de matrimonio et probabiliter etiam de sponsalibus; 2° de traditione rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii; 3° de jurisdictione ecclesiastica et absolutione a censuris; 4° de voto et professione religiosa.(²)

782. — Quaer. 2° *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

Resp. Negative, quia non videtur *per se* sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diuturnae indignationis, torvi adspectus, verberum etc. Nec preces importunissimae metum gravem constituunt, nisi metui reverentiae erga superiores addantur. — *S. Lig. n. 717.* et *alii communiter.*

Quaer. 3° *An sit irritus contractus vel privata auctoritate rescindibilis, si metus gravis et injustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit injuriae particeps?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis affirmat,* quia ratione injuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit; non enim par est, ut quis per injuriam alterius jus omne in rem suam amittat. — *Billuart etc.*

IIª Sententia, etiam *probabilis, negat,* quia, cum neutra pars injuriam fecerit, non est ratio ex natura rei, cur irritus sit contractus et cur possit ad libitum unius rescindi invito altero. — *Lugo d. 22. n. 117.* — *Reuter n. 126.*

---

* (¹) Convenit *C. A. 870.*

(¹) Cf. *S. Lig. n. 717.*, qui etiam occultam compensationem licitam ait, si metum passus rescissionem contractus postulet et alter eam concedere nolit.

(²) Renuntiatio beneficii per metum extorta verius valida est, irritanda tamen ad petitionem ejus, qui metum passus est. Idem dic probabilius de jurisdictione per metum obtenta. — V. de his *Lugo disp. 22. n. 120. et seq.* Quoad absolutionem a censuris vero cf. infra *p. 2. n. 955. Q. 3°.*

783. — Quaer. 4° *Quid, si metus gravis fuerit quidem injuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

Resp. Controvertitur. Sed videtur sic distinguendum: 1° Si metus ab altero contrahente sit incussus, non valet contractus vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quae ex injuria proveniunt. — *Reuter n. 127.* — *Lugo etc.* — 2° Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium injuriam intulit. Tertius autem, qui metum infert, non potest auferre obligationem consentiendo in rescissionem contractus, siquidem cum ipso initus non fuit: tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit *Lugo* contractum matrimonii, quem putat esse invalidum ex tali metu initum.(¹) Alii etiam excipiunt contractus gratuitos, quia sic melius innocenti consulitur et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, manens in statu, in quo antea versabatur; sicut praeterea ipse nollet in tali statu obligari, nec alterum obligare debet.

Resolves:

784. — 1° Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum laesum vel ad custodem aut judicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte judicio viri prudentis excessivum videatur. Hoc etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cederes e jure tuo id faciendi, quod pretio aestimabile est. — *Elbel n. 307.* — *Reuter n. 120.*

2° Si *Titius* intulit tibi metum, ut rem aliquam *Cajo* tradas, non tenet contractus. Etenim, si *Cajus* tempore promissionis injuriam hanc novit, metum ipse incutere censetur per *Titium.* Si vero postea novit, assimilandus est possessori bonae fidei, qui a re possessa desistere debet, statim ac comperit esse alienam. — *Billuart d. 1. art. 4.*

3° Si quis tibi damnum paret ex malitia tantum, nihil a te postulans, tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus ab ejus manibus evadas, eam tradere non teneris. Licet enim metus non fuerit in ordine ad contrahendum incussus, contractus habet tamen tantum pro objecto injustae vexationis cessationem: atqui vexator hanc cessationem vendere nequit; ergo, quidquid sic acquirit, ut malae fidei possessor accipit ideoque restituere debet. — *Billuart ibid. Dico 1°.*

4° Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est ejus causa, sed occasio tantum, et aliunde auxilium a transeunte praestitum est pretio aestimabile. Attamen si summa enormis esset, imminuenda foret.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS.

Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Principia:

785. — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae(¹) saltem a parte unius e

(¹) V. *p. 2. n. 832.* postremam *notam* [illegible] *L*

(¹) Haec obligatio potest esse vel *mere naturalis*, quae nempe obligat in conscientia, sed nullam dat actionem in foro externo (v. g. obligatio debitum aliquod certum solvendi, quod altera pars juridice probare nequit), vel *mixta*, quae obligat in foro conscientiae ac in externo (cf. *n. 754. 5°.*). Distinguunt ab hisce obligationibus eam, quam vocant *mere civilem*,

contrahentibus(¹), quia in contractu jus aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem juri sua correspondet obligatio.

II. Contractus rite initus vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aut alias eorum locum tenentes vel cum iisdem causam habentes, ut sunt haeredes, mandantes etc., nisi in casu particulari lex positiva aliud statuerit. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere vel beneficium concedere potest. Sicque contractus vim non habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide et propterea consentire sicuti probi homines, ac consequenter velle non tantum, quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam, quod ab ea nasci solet.

Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua supersit, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum. Tandem, si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, amicabilis transactio consulenda est.(²)

Quaesita:

786. — Quaer. 1° *Quorsum obliget contractus rescissioni obnoxius?*

---

quae scil. actionem parit in foro externo ob aliquam facti praesumptionem, quae, cum factum non subsistat, non obligat per se conscientiam (cf. *n. 102.*). — *Scav.*

(¹) in contractu scil. unilaterali —

* (²) I. Si duo vel plures simul aliquid alteri promittant, singuli tenentur in solidum, si quisque pro omnibus promisit vel expresse vel tacite, dum res est indivisibilis, et creditor a quolibet ex illis integrum repetere potest; aliter tenentur tantum ad partem. *(C. A. 889. 890. 891.)*

Si unus pluribus eamdem promisit rem, tenetur integram tradere illi ex creditoribus, qui primus civiliter petit. *(C. A. 892.)*

II. Contrahentes contractum adimplere tenentur tempore, loco et modo in conventione constituto. 1° Contractus, cui nullum est positum tempus, statim obligat. *(C. A. 904.)* Si tempus constitutum est, debitor non tenetur ante diem definitum. Contractus ad diem incertum relictus arbitrio debitoris, cum poterit, obligat, et tempus incertum a judice juxta aequitatem determinari poterit. *(C. A. 904.)* 2° Quod attinet ad locum: si locus non est in conventione praefinitus nec ex contractus natura aut fine eruitur, immobilia traduntur, ubi exsistunt, mobilia in loco contractus. Mensurae determinatio, ponderum, valoris pecuniarum deducitur ex loco, ubi res est tradenda. *(C. A. 905.)* 3° Si promissio variis modis adimpleri possit, modi electio pertinet ad illum, qui ad rei traditionem tenetur. Si electio ad alterum pertinet contrahentem, ipse contractum rescindere potest, si qua pars etiam fortuito perierit; si vero alterius fraude, etiam damna repetere potest. *(C. A. 907.)*

III. Qui arrham dedit, si contractum absque causa rescindit, illam amittit: duplum restituit, qui accepit arrham; sed innocens semper contractus exsecutionem urgere potest. *(C. A. 908.)* Si a contrahentibus statuitur poena recedenti a contractu, uterque recedere potest, si poenam persolvat. *(C. A. 909.)*

IV. Debitor sive ex mutuo, sive ex alio oneroso contractu, qui tempore constituto non satisfacit, habetur in mora culpabili *(C. A. 1334.)* et ab obligationis die tenetur ad usuras, quae inter mercatores in rebus mercatoriis sunt sex pro centum quotannis, quatuor inter alios. *(C. A. 995.)* Si nullum praefinitum est tempus, tenetur a petitionis die in judicio. Item si unus e contrahentibus rei pretium persolvit et alius in rei traditione est in mora, iste ad usuras jus habet.

V. Quod attinet ad evictionem praestandam: 1° Venditor absque quavis speciali conventione erga emptorem ad cautionem pro evictione tenetur et pro communibus rei qualitatibus. *(C. A. 922.)* Hinc venditor ad eas qualitates tenetur, quas in sua promisit conventione, vel quae exiguntur et sunt ad communem rei usum necessariae. Quare, qui defectus extraordinarios non ostendit vel onera rei inhaerentia, vel pollicetur, rem aptam esse ad usum, quem non habet, vel absque vitiis ordinariis esse, si contrarium constet, pro damno respondere debet. *(C. A. 923. 924.* Vide etiam *925—929.)* 2° Si res a tertio fuerit evicta, venditor defensionis

Resp. Contractus ille dici potest conditionate obligans, posito scilicet, quod nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, nullitatem contractum afficere, nisi in casu, quo expresse invocanda foret. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdictorum *n. 762. et seq.*

Quaer. 2° *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem*(1) *a jure praescriptis?*

Resp. Triplex est sententia probabilis:

Iª Sententia *affirmat*, quia de jure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. — *Molina etc.*

IIª Sententia *negat*, quia leges irritantes contractus praedictos fundantur in praesumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis, et proinde lex potest et debet naturalem tollere obligationem contractus irriti in foro externo; requirit enim bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur. — *Lessius l. 2. c. 19. n. 32. et seq.* etc.

IIIª Sententia tenet, in his contractibus praeferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. — *Ita S. Lig. n. 711.*, ubi addit, „hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, eo quod, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi constet de jure alterius."

Nota: In plerisque contractibus, saltem in jure gallico, locum non habet praefata controversia, quia raro requiruntur solemnitates ad contractus validitatem, siquidem generaliter pacta valida sunt, licet solo partium consensu perficiantur; haec autem quaestio praecipue de testamentis agitatur.

787. — Quaer. 3° *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

Resp. Obligatio contractuum cessat:

1° Per *solutionem* seu per *praestationem* cujuslibet rei debitae, etiam per *exsecutionem* facti promissi aut alias debiti.

2° Per *novationem* seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic exstinguitur. V. g. promisi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc autem convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed mille francos: obligatio dandi vinum tunc exstinguitur.

3° Per *condonationem*(1) seu actum, quo creditor quidam debitori suo ex plena libertate debitum remittit. Quisque enim de jure suo cedere potest in iis omnibus, quae ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non declaretur.

4° Per *compensationem* seu fictam et reciprocam solutionem, quae locum habet, quando personae fiunt erga se invicem debitrices.

5° Per *confusionem*, quae locum habet, cum obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur, v. g. si creditor fiat haeres sui debitoris vel debitor sui creditoris, vel si eadem persona fiat haeres creditoris simul et debitoris.

6° Per *destructionem* aut *perditionem* rei debitae, quae aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris. Aliquando vero non liberat, v. g. si evenerit culpa debitoris, vel si hic fuerit in mora culpabili(2) etc.

---

onus suscipere debet, sed emptor ei litem denunciare tenetur; si vero haec omissio venditori inferat damnum, tunc venditor a cautionis onere per judicem eximi potest. *(C. A. 931.)*

(1) Sunt enim aliae formalitates *substantiales*, quarum omissio contractum ex lege invalidat; aliae *accidentales*, quibus omissis in suo robore permanet.

(1) Etiam *tacitam* leges communiter sufficientem censent. — *Scav.*

(2) vel si res solummodo in genere determinata fuerit; genus enim non perit. — *Scav.*

7° Per *rescissionem* seu *rescindibilitatem*, quae locum habet, quando contractus constans essentialibus conditionibus ob aliquos defectus dissolubilis est.(¹) Contractus ille valet, donec rescindatur, ut supra dictum est. *(C. C. 1234.)*

8° Per *praescriptionem*, de qua dictum est supra in *tract. de justitia n. 580. et seq.*

788. — Quaer. 4° *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

Resp. 1° *Negative* quoad cessionem voluntariam, seclusa speciali conventione inter creditores et debitorem, vi cujus hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non facti sunt omnino indemnes et proinde remanet adhuc inaequalitas reparanda. — *S. Lig. n. 699.* — *Gousset n. 772.* — *Vogler n. 642.* — *Vide supra de justitia n. 719.*

Resp. 2° *Negative* etiam quoad cessionem judiciariam. Privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod cessor infelix et bonae fidei amplius judicialiter urgeri non possit; proinde, si debitor nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet. — *S. Lig. ibid.* — Excipe: si ex datis rerum adjunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

Quaer. 5° *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

Resp. 1° Certo peccat contra justitiam, si res magni valoris accipiat, quia damnum creditoribus infert.

Resp. 2° Cessor in magna versans indigentia non peccat contra justitiam, si bona quaedam servet, quibus sustentetur cum familia, donec per judicem ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi, qui res modici valoris vere sibi necessarias sibi retinuerunt. — *S. Lig. l. c.* et *n. 158.* — *Vogler n. 642.* — *Collationes Andeg.* — *Gousset*(¹).

789. — Quaer. 6° *Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum ob defectum solemnitatis* ipso facto *vel post judicis sententiam tantum?*

Resp. Vix ac ne vix quidem regulae omnino certae in hoc dari possunt, nec concordant inter se neque theologi, neque jurisperiti. Generatim tamen lex irritare videtur ipso facto in conscientia ante judicis sententiam:

1° Quando irritatio fundatur in lege determinativa proprietatis, quia ad principem pertinet vi alti dominii, dominium rerum determinare. Hinc ipso facto irritae sunt dispositiones, quibus reservatio haeredum necessariorum laeditur.

2° Quando irritatio spectat actum bono publico nocivum. Princeps enim habere debet potestatem impediendi ac proinde irritandi in conscientia actus civiles bono communi nocivos; secus enim deordinationem in societate efficaciter non impediret. Hinc ipso facto irritae sunt conventiones ob causam turpem ex utraque parte.

3° Quando irritatio directe fundatur in motivo boni publici, quia secus legislator scopum suum sufficienter non obtineret. Sic irritae sunt ipso facto dispositiones immobilium dotalium.

(¹) Huc pertinet laesio *gravis*. Illam vero laesionem plerumque leges gravem censent, quae dimidium justi pretii excedit.

Sed etsi in laesione minoris momenti lex saltem in genere rescissionem non admittat, nihilominus obligatio in conscientia subsistit, ejusmodi laesionem vel resarciendi vel corrigendi. — Cf. notam ad *n. 777. Q. 1°.*

Quoad restitutionem damni exorti per contractum non impletum urgebunt, si abstrahamus a legibus particularibus, pro circumstantiis obligationes possessoris bonae vel malae fidei, nisi specialis conventio inter contrahentes aliud statuat. — Cf. *S. Lig. n. 680. 704.* — V. etiam supra *n. 382. not.*

(¹) „Debitor, qui cessit bona sua, in „foro conscientiae ea retinere potest, qui„bus absolute indiget, se restringendo ad „id, quod ex usu communi necessitas vi„tae expostulat." — *Gousset n. 772.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

Nota: Saepe difficile est, praefatas regulas applicare, unde ad interpretationem doctorum et ad consuetudinem ultimatim recurrendum est. (¹)

CAPUT III.

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS.

Modificationum nomine designantur quaedam clausulae praeter contractuum naturam et essentiam adjectae, ita ut eorumdem contractuum obligationem nunc obfirment, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Praecipuae contractuum modificationes sunt: 1° juramentum; 2° modi; 3° conditiones. — De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I.

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO.

790. — Juramentum, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum, quae promittuntur per contractum. Obligatio juramenti differt ab obligatione contractus. Nam obligatio juramenti in Dei honore fundatur; afficit et obstringit immediate jurantis personam, unde ad haeredes non transit. Obligatio vero contractus confert alteri jus *strictum* seu jus *proprietatis* afficiens contrahentis bona, ideoque ad haeredes obligatio integra transit.

Principia:

791. — I. Contractus jure naturae irriti juramento non firmantur. Ratio est, quia juramentum est actus omnino extrinsecus contractui et proinde ejus vim (¹) supplere nullatenus potest. Hinc axioma: *Juramentum sequitur naturam actus.* — *Billuart* — *Reuter etc.*

II. Nec firmantur juramento contractus ipso facto irriti de jure positivo. Ratio est, quia lex irritans agit ex motivo boni communis seu ex motivo ordinis publici. Quod autem ex tali motivo irritum est lege positiva, juramento firmari nequit; foret enim contra bonum commune et proinde vinculum immorale, quod Deus auctor societatis sancire non potest. — *Ita communius* cum *Billuart.* (²)

(¹) Cum hac quaestione altera generalior connectitur: *quando scil. leges civiles aliquid in materia justitiae statuentes jam ante sententiam judicis in conscientia obligent.*

R. Id continget vel ex natura rei vel per implicitam aut expressam voluntatem legislatoris, ideoque in genere

1° Si statuta illa sint solummodo promulgatio legis altioris, in conscientia obligantis, v. g. naturalis.

2° Si ad tuendam aequitatem naturalem dispositio aliqua, quae vi legis gaudeat, omnino exoptanda sit, quin tamen ex principiis juris naturae erui possit; tunc enim lex positiva indolem quasi legis naturalis induet, dummodo de facto aequa sit.

3° Si bonum publicum exigat, ejusmodi legem in conscientia obligare etiam ante sententiam judicis.

4° Si de voluntate legislatoris, talem obligationem in conscientia creandi, constet per verba legis, ejus motivum etc.

Aliquam vero dictarum conditionum adesse patebit non solum per rationes intrinsecas, sed etiam ex communi sensu theologorum et peritorum, ex consuetudine quotidiana timoratorum etc.

Si omnibus perpensis legislatoris obligatio dubia maneat, ante judicis sententiam, quae litem dirimere posset, praeferendum videtur jus possessoris, illius nempe, qui rem controversam jam detinet (cf. *n. 786. Q. 2°.*); post judicis sententiam autem huic obtemperandum est, nisi sit evidenter injusta.

(¹) adest enim tunc defectus substantialis.

(²) Plurimae et sat graves controversiae hac de re inter auctores habentur, quapropter pauca secundo principio addere non inutile forte erit.

Num contractus de jure positivo irriti vel rescindibiles per juramentum firmentur eo sensu, ut accedente juramento etiam a lege tamquam validi vel irrescindibiles agnoscantur, ex ipsis legibus positivis colligendum erit. Asserit vero *Pruner (Lehre vom Recht t. 1. §. 127.)*, jus commune in genere juramento talem efficaciam negare, neque ex jure canonico de hoc sufficienter constare.

Sed duae aliae hypotheses haud omittendae. Posset enim contractus aliquis etiam absque juramento obligationem pro foro conscientiae inducere, licet haec vis ipsi desit pro foro externo; posset item ob dispositionem legum omni vi carere, non solum pro foro externo, sed etiam pro conscientia. Sileo de priori hypothesi, quia, quidquid sit de juramento, obligatio

III. Juramentum semper est invalidum, quoties sine jurantis peccato servari non potest. Ratio est, quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis nec contra bonos mores obligare valet. — *Ita omnes theologi.*

Quaesita:

792. — Quaer. 1° *An juramentum firmet contractus non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

Resp. 1° *Negative probabilius,* quando rescindibilitas inducitur motivo boni publici. Ratio patet ex dictis. Hinc non valent juramenta minorum, uxorum et similium ad firmandos contractus lege irritos, etsi lex in ipsorum utilitatem sit constituta, quia secus perversi homines semper juramentum ab iis exigerent, quod in detrimentum societatis cederet.

Resp. 2° Valet autem *probabilius* juramentum, si rescindibilitas inducta fuerit in utilitatem privatam contrahentium, quia unusquisque renuntiare potest beneficio in sui gratiam constituto; interpositio autem juramenti in eo casu est quaedam renuntiatio beneficio rescissionis in gratiam contrahentis inducto. Hinc videtur stare juramentum, quo quis promittit libere alteri, se non revocaturum testamentum vel legatum in ipsius favorem factum, quia jurans e jure suo cedere potest. — *Ita communius.* — *Lugo etc.*

793. — Quaer. 2° *An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus de se ob metum invalidos?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

I^a Sententia *communis affirmat,* quia ex motivo religionis juramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. — *S. Lig., de juram. n. 174.* — *Lugo* — *Billuart.*

II^a Sententia *probabilis negat,* quia juramentum naturam actus sequi debet; juramentum enim actum nullum confirmare nequit. Praeterea juramentum esset actus prorsus inutilis, imo ridiculus; nam post pecuniae traditionem vi juramenti v. g. latroni a te factam eamdem pecuniam statim a latrone, etiam vi adhibita, recuperare posses, quod prorsus illusorium foret. — *S. Antoninus* — *Sanchez etc.* (1)

ARTICULUS II.
DE MODIS CONTRACTUI PRAEFINITIS.

794. — Modus est qualitas adjecta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium.

Contractus modales praecipue fiunt: 1° in diem — 2° sub causa — 3° sub poena — 4° sub demonstratione — 5° sub disjunctione.

Resolves:

1° Modus servandus est ex justitia, nisi repugnet substantiae contractus.

---

ex justitia per ipsum contractum jam subsistit. Sed quaenam efficacia juramenti in secunda hypothesi? Num saltem obligationem ex virtute religionis pariet? Forum externum ecclesiasticum, uti decet, ob sanctitatem juramenti generatim pro valore ejusdem praesumit, statuens, juramentum servandum esse, quoties absque peccato servari potest. Pro foro conscientiae autem distinctionem admitti posse censeo. Vel enim juramentum ideo solum additur, ut contractus solemniori modo ratus habeatur (juramentum assertorium), vel, ut nova obligatio per juramentum enascatur. Si prius, applicandum erit principium: *juramentum sequitur naturam actus,* ideoque contractus per se invalidus nullum robur ex juramento acquiret. *(Lugo disp. 22. n. 211.)* Si alterum, juramento satisfaciendum erit, si nil valori ejusdem juxta principia de juramento promissorio data obstet. In dubio de hac intentione autem consulerem, ut dispensatio petatur, quin damnarem, saltem ante judicis sententiam, illum, qui, quod minus est, eligit, cum tunc exsistentia alicujus obligationis dubia sit.

Ceterum auctores sat communiter docent, juramentum nil efficere, si leges non solum contractum, sed etiam juramentum appositum irritum declarent. — *Lugo ib. n. 196. 243. et seq.* — *Voit p. 1. n. 894.*

(1) Cf. *n. 314. Q. 3°.*

2° Illius violatio ordinarie non irritat contractum, nisi aliter conventum sit, quia ut quid mere accidentale habetur.(1)

3° Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adjecto nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturae repugnet vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4° In contractu *ad diem* obligatio statim oritur, sed effectus ad diem determinatum suspenditur.(2)

5° In contractu *sub causa* (quia) vel *sub demonstratione* (vendo hoc vel tantum) error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6° Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative,* ut ajunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative,* si res prius exprimatur, et postea ejus quantitas, v. g. lego Titio praedium meum triginta jugerum; *taxative* vero, si prius quantitas exprimatur, deinde res, v. g. lego tres aureos in tali capsula. Sed adjuncta rerum perpendenda sunt.

7° In contractu *sub poena* i. e. ubi imponitur poena resilienti, poena haec ex justitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter non adimpletus est contractus. Tamen moderata poena esse debet, secus non obligaret.(3)

8° In contractu *sub disjunctione,* v. g. promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

---

(1) Hinc, si alicui des v. g. praedium cum obligatione celebrandi quasdam missas annuatim, compars vero huic obligationi non satisfaciat, peccat contra justitiam; ast contractus non ideo per se corruit. — *Scav.*

(2) Leges communiter praesumunt diem appositum in favorem debitoris, nisi aliud constet. — *Scav.* — Cf. *n. 714. 2°.*

* (3) Vide nuper dicta de arrha et de poena ex *C. A.*

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS.

795. — Conditio est qualitas contractui adjecta, quae plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam: *si, nisi, modo etc.*

Multiplex est conditio, quae contractibus apponi potest, scilicet: 1° *expressa* vel *tacita;* — 2° *de praesenti* vel *de futuro* sive libero, sive necessario; — 3° *possibilis* vel *impossibilis;* — 4° *necessaria* aut mere *contingens;* — 5° *honesta* vel *inhonesta;* — 6° *potestativa* vel *casualis,* prout est in potestate contrahentis, vel non; — 7° *positiva* vel *negativa*(1); — 8° *contraria substantiae contractus* vel *non.*(2)

---

(1) prout nempe contractus fit sub conditione, quod aliquis eventus contingat vel non contingat, v. g. dabo tibi aliquod objectum, si hoc feceris, aut si non feceris.

Distinguitur item conditio *suspensiva* et *resolutiva.* Cf. *notam seq.* sub initio.

* (2) Conditiones *suspendentes* pendent ab aliquo futuro vel ignoto, v. g. nolo contractu obligari, antequam ponatur contractus talis conditio. Conditiones *resolutivae* solvunt obligationes, quoties verificantur, v. g. volo obligari, donec talis conditio deficiat.

His praemissis:

Contractus initus sub conditione suspensiva impossibili vel illicita est nullus, quia, si est de re impossibili, ille, qui promittit, jocari censetur; si est de re illicita, nemo obligatur ad id, quod illicitum est, imo hoc impedire tenetur. Sed in contractu inito sub conditione possibili et licita conditio suspendit contractum, usque dum ponitur vel non ponitur: posita conditione contractus perficitur, non posita est nullus. Ex hoc contractu conditionali *duae* oriuntur obligationes, quarum altera absoluta, conditionis nempe eventum exspectandi et non dolose impediendi; altera conditionalis et suspensa, praestandi nempe, quod promissum est, si adimpleatur conditio.

In contractu inito sub conditione resolutiva de re impossibili vel illicita conditio velut non adjecta habetur ac proinde non dissolvit contractum, quia, si est impossibilis, censetur per jocum addita;

Resolves:

796. — 1° Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo probabile est contrahentes se obligare intendisse.

2° Conditio de re turpi aut impossibili reddit contractum nullum ex jure naturae et civili. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen in jure civili tum communi, tum gallico, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes*(1) pro non adjectis habentur(2). — *Cod. civ. 900.* Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adjecta, modo substantiae contractus contraria non sit. — *Ita ex jure canonico.*

3° Conditio de *praesenti* et *praeterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel perimit aut non inducit, quia vel exsistit, vel non: proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel non.

4° Conditio non tantum aequivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem: *si nupseris,* quam dicunt impleri per ingressum in religionem; secus enim conditio turpis esset. — *Vide S. Lig. n. 930.* Excipe casum, in quo conditio esset determinata ad aliquam personam, v. g. si nupseris *Paulo,* quia in eo casu justa et honesta ratio adesse potest.

5° Conditiones sive positivae, sive quae a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletae censentur in sequentibus casibus, scilicet: 1° quoties ille, qui se obligavit, impedivit, quominus conditio adimpleretur; — 2° quoties ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret.(1)

---

si est illicita, lex ob bonum commune supplet consensus defectum et tribuit jus. *(C. A. 698.)*

Quare legatum filiae virgini datum vel viduae absque prole ea conditione, ut non nubat, tenet, etiamsi nubat, quia conditio rejicitur a jure ut illicita.

In contractu vero sub conditione resolutiva de re possibili et licita deficiente conditione dissolvitur contractus; nihil enim impedit, quominus contrahens velit jus collatum ex illa pendere conditione. Quare quoad legatum datum viduae, quae unum vel alterum habet filium, ea conditione, ut non nubat, conditio utpote a jure licita tenet et, si illa vidua nubat, amittit legatum. *(C. A. 700.)*

(1) item impossibiles aut quae sunt contra leges —

(2) quae dispositio probabilius etiam in conscientia valet, nisi constet aperte de opposita voluntate testatoris vel nisi lex, quamvis inconvenientem declarando aliquam conditionem nil inhonestum sanciat, tamen sine sufficienti causa opponatur principiis catholicis. Sic v. g. valere videtur in conscientia conditio obligans viduam ad viduitatem servandam, licet juxta aliqua jura civilia nulla sit. — Cf. *S. Lig. n. 930. Dub. 7. — Scav., de haered. c. 1. art. 1. Q. 7.*

---

* (1) *De dissolutione contractus.*

Propter rei defectum, si sit intrinsecus et communem impediat usum, emptor contractum dissolvere potest; si vero defectus per aliud suppleri queat, ut defectus ponderis vel mensurae, exigere nequit, nisi supplementum *(C. A. 932.)*. Poterit etiam seu venditor, seu emptor contractus rescissionem petere, si laesio excedit medietatem, scilicet si pretium persolutum vel medietatem justi pretii non adaequat, vel est duplo majus justo pretio: poterit tamen alius e contrahentibus supplemento firmare contractum. *(C. A. 934.)*

Hoc tamen jus non habet, qui expresse renuntiavit; qui ob peculiarem affectionem pretium extraordinarium persolvisse declaravit; qui verum pretium cognitum habens in aliud multo minus sponte annuit; si verum pretium, re mutata, determinari nequeat; si sub hasta res fuerit vendita. *(C. A. 935.)*

Hoc jus amittitur triennio, si res sit immobilis, semestris spatio, si mobilis. *(C. A. 933.)*

Dum dissolvitur contractus a jure civili, invicem pretii et rei fructus compensantur.

PARS II.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

1° De contractibus gratuitis; 2° de contractibus onerosis.

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

Agendum: 1° de promissione; 2° de donationibus; 3° de commodato et precario; 4° de deposito et sequestro; 5° de mandato et gestione negotiorum; 6° de mutuo.

CAPUT I.

DE PROMISSIONE.

797. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito praestandum vel omittendum in alterius favorem.

Conditiones ad obligationem promissionis requisitae sunt sequentes, scilicet:

1° Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere ille, qui serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2° Ut consensus ejusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem omnisque coactio vel metus injustus(1).

3° Ut ipsa promissio sit exterius manifestata et acceptata, siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem objectum, et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet.(2)

Quaesita:

798. — Quaer. 1° *Quae et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatae?*

Resp. Controvertitur inter theologos. Triplex datur sententia probabilis juxta *S. Lig. n. 720.*

Iª Sententia tenet, promissionem *per se* solum obligare sub peccato veniali et ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus gratuitus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint. — *Salmant. tr. 14. c. 4. n. 85.* — *Saettler c. 1.* et *alii.*

IIª Sententia dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex justitia independenter ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ratione obligationis, ac promissio onerosa. — *Antoine p. 2. c. 1. Q. 3. etc.*

IIIª Sententia *communior* et *probabilior* docet, obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde, si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur.(1) — *Lugo disp. 23. n. 89.* — *Billuart* — *Concina* — *Sporer etc.*

Nota: Saepius promissiones simplices, quales communiter fiunt, non obligant neque ex justitia, neque ex fidelitate, quia in animo promittentium non est, suam fidem stricte obligare, sed merum propositum enuntiant.(2)

---

(1) etiam levis; nam liberalitas omnimodam libertatem importat. — *Scav.* — Cf. *n. 780. III.*

(2) Cf. *n. 772. 3°. not. 2.*

(1) Ad constituendam materiam gravem in promissione requirunt quadruplo majorem, quam in furto mortali. — *S. Lig. l. c.*

(2) Sed etiam in hac hypothesi promissio serio facta et acceptata in re notabili per accidens sub gravi obligare potest, saltem ex caritate, v. g. si intercederet ratio magni damni, a lucro ex ipsa promissione distincti, quod proximo ex promissione non servata obveniret. — *Salm. l. c. n. 77.* Sed num etiam ex justitia? Non dubito id affirmare cum *Scavini* et *Lugo ib. n. 88.* (ut videtur), modo damnum illud a promittente praevideatur. Nemo enim jus habet, absque sufficiente causa ponendi actionem (hic: promittendi), si praevideat, exinde damnum alteri oriturum esse. Hinc in simili casu promissioni satisfacere, vel damnum reparare ex justitia obligabitur.

799. — Quaer. 2° *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi (juxta patronos tertiae sententiae)?*

Resp. Pro minima parte standum est probabilius, quia in dubio non est imponendum onus certum, praesertim in promissione, quae maximam requirit spontaneitatem. — *S. Lig. n. 720.*(1)

Quaer. 3° *An aliquis possit promissionem acceptare per alium?*

Resp. Affirmative. Potest quis acceptare promissionem per deputatum, aut per familiarem, quia unam moraliter personam cum eo constituere censetur; potest etiam promissionem acceptare per alium, qui ejus curam gerit, v. g. pater pro filiofamilias, religiosus pro monasterio, praelatus pro ecclesia sua, uxor pro marito.

Quaer. 4° *Quandonam cesset vis promissionis acceptatae?*

Resp. 1° Si promissarius sponte condonet aut juri suo cedat; — 2° si res promissa fiat illicita(2) vel inutilis; — 3° si promissarius non stet suis promissis; — 4° si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum voluisse comprehendere; — 5° si aliquid promissum sit ob causam, quae non subest. — *S. Lig. ibid.*

800. — Quaer. 5° *An et quatenus obliget promissio, si ante exsecutionem moriatur promissarius vel promittens?*

Resp. ad 1um *Distinguendum.* Nullo modo obligat, si promittens promiserit principaliter in gratiam promissarii, quia eo mortuo cessat finis in promissione intentus; — secus autem, si promiserit praecipue intuitu familiae promissarii vel ipsius haeredum.

Resp. ad 2um Mortuo promittente promissio debitis vestita conditionibus ab ejus haeredibus adimplenda est, quia omnis obligatio realis ad haeredes transire debet eodem modo eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex justitia vel ex fidelitate tenebuntur haeredes, sicut promittens, dum viveret, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adjunctis rei aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. — *Lugo* — *Reuter etc.*

Casus. — *Sylvinus* famulae suae *Perpetuae* interdum dictitat, se ipsi praeter annuum stipendium centum scutata erogaturum esse vel eamdem pecuniae summam in suo testamento mox conficiendo legati instar esse relaturum. Sed ecce! repentina morte corripitur *Sylvinus*, antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam subripere festinat. An recte?

Resp. Minime gentium. Promissio enim non dat jus *in re,* nec proinde facultatem ullam rem promissam propria auctoritate occupandi. — *Vide supra de just. n. 521.*(1) — Ceterum communiter hae promissiones non sunt proprie tales, sed nihil aliud, nisi merum propositum aliquid donandi enuntiant. — *Gousset.*(2)

---

(1) Non immerito censet *Billuart* cum *Scavini* et *Sa,* in tali dubio praesumendam esse intentionem suscipiendi obligationem proprie dictam sive ex justitia, si promissio sit juramento serio firmata, vel facta coram testibus ad hoc vocatis aut notario, vel si detur chirographum. Consentit *Lugo disp. 23. n. 93.*

Item in promissione onerosa praesumendus est animus, se obligandi ex justitia, „cum ex justitia", ut ait *Lugo ib.*, „teneatur promittens habere talem animum, ne decipiat promissarium obligando illum sine animo se mutuo obligandi." — Cf. etiam *Billuart diss. 2. art. 1. §. 2.* — *Lessius l. 2. c. 18. dub. 8.*

(2) Si sit prodiga, obligat ad servandum, quod prodigum non est; in re indivisibili autem nil debetur. — *S. Lig. n. 735.; de matrim. n. 851. §. Cum autem.* — Cf. supra *n. 315. 2°.*

(1) et infra *n. 837. 3°.*

(2) „Paulus saepius repetit servo suo, „se ejus servitia praemiaturum et sibi pro„ponere, condere legatum in ejus favorem „vel quamdam pecuniae summam ipsi do„nare. Paulus moritur, quin dispositio„nem aliquam in commodum servi sui fe-

CAPUT II.

DE DONATIONIBUS.(¹)

Agendum: 1° De donationibus in genere; 2° de variis donationum speciebus.

ARTICULUS I.

DE DONATIONIBUS IN GENERE.

801. — Donatio in genere est cessio gratuita dominii alicujus rei in favorem alterius. Duobus praecipue modis fieri potest, nempe *inter vivos* et *per testamentum,* ut dicemus in articulo sequenti. Nunc autem dicendum occurrit: 1° de conditionibus donationis; 2° de casibus nonnullis, in quibus donationes, licet validae, non plenum sortiuntur effectum.

§. I.

De conditionibus donationis.

Principia:

802. — I. *Ex parte donantis* requiritur: 1° ut non sit incapax *de facto,* i. e. ut sit sanus mente tempore, quo donatio inter vivos perficitur vel conficitur testamentum, et cum sufficiente libertate agat; 2° ut non sit incapax *de jure,* quando donationem perficit aut testamentum condit.

II. *Ex parte donatarii* requiritur habilitas ad recipiendum. Habiles autem sunt omnes homines, qui a lege incapaces donationes recipiendi non constituuntur. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes vel alii usu rationis carentes, cum sint dominii

---

„cerit. Potestne hic sibi vindicare summam, quam sibi promissam censet? Nullimode; differunt enim inter se donare et „propositum donandi elicere vel etiam de „hoc emittere speciem quamdam promissionis vagae et generalis, quin adsit intentio se obligandi.“ — *Gousset n. 798.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

* (¹) De donatione.

I. Donatio est contractus gratuitus, quo res vel jus aliquod in alium gratis transfertur. Dividitur:

1° In *realem,* quae rei traditione, et in *verbalem,* quae solis fit verbis; haec vero, ut valeat in jure civili, necesse est, ut sit scripta. *(C. A. 943.)* 2° In pure *liberalem,* quae ex sola liberalitate, et in *remuneratoriam* seu *antidoralem,* quae ex grato animo proficiscitur. 3° In eam, quae *inter vivos* fit, cum nempe donante adhuc vivo res in alterius transit dominium; et in eam, quae fit *causa mortis,* si post donantis mortem rei transfertur dominium. *(C. A. 938. et seq.)*

Principia:

I. Donare possunt omnes, qui dominium habent et liberam bonorum administrationem; hinc non homines usu rationis carentes. Quid vero largiri possint filii et uxores, ex dictis de dominio colligi potest. *(C. A. 944.)*

II. Donari possunt bona etiam universa; attamen futura quoad mediam partem tantum. *(C. A. 944.)*

III. Donatio natura sua generatim est irrevocabilis *(C. A. 946.);* ex causa gravi tamen revocari potest, et quidem:

1° Si donanti necessaria desint ad suam conservationem, ipse jus habet ad legales usuras pro rei donatae quantitate, si vere aut virtualiter res exsistat. *(C. A. 947.)* — 2° Ob donatarii grave vel enorme ingrati animi crimen in donantem, scil. ob gravem hujus laesionem sive in corpore, sive in honore, sive in fortunae bonis. *(C. A. 948.)* — 3° Si donatio in illius vertat perniciem, qui de jure alendus est a donante, vel in damnum creditorum, qui donationis tempore exsistebant; hi repetere queunt, quod contra legis mentem donatario traditum est *(C. A. 950. 953.).* Donatio a patre et matre facta, in quantum praesentium bonorum medietatem excedit, irrita est. *(C. A. 951.)* — 4° Si donanti superveniant filii et isti indigeant, jus habent ad legales usuras a donatario vel ab illius haeredibus reposcendas. *(C. A. 954.)*

IV. Donatio mortis causa, quae morte donantis suum sortitur effectum, servatis solemnitatibus a jure praescriptis habetur ut contractus tantummodo in casu, quo donans expresse juri revocandi cesserit et documenta donatario tradiderit. *(C. A. 956.)*

Resolves:

1° Donatio, cum sit contractus, acceptari debet. *(C. A. 861.)* 2° Debitores donationes facere nequeunt, si ad solvenda debita ipsi se impares reddant: donans enim injuriam ac damnum creditoribus infert, et donatarius fit particeps, quia ob ejus acceptationem contractus donationis perficitur. 3° Donatio vocalis de re mobili cum traditione effecta etiam sine scripto valet. *(Zeiller, ex jure §. 425.* in *C. A. 943.)*

Alia v. suo loco.

capaces et res acceptare vel occupare possint per alios, v. g. per parentes, tutores etc. juxta dicta in *tractatu de justitia n. 542.*

Quaesita:

803. — Quaer. 1° *Quinam ex jure inhabiles sint ad donandum?*

Resp. 1° *Ex jure romano* sunt sequentes: 1° surdi simul et muti a nativitate, nisi scribere sciant; 2° damnati crimine capitali; 3° pupilli vel impuberes, nisi agatur de rebus parvi momenti; 4° conjuges inter se, nisi donatio sit in parva quantitate(1); 5° pater erga filium sub sua potestate manentem, excepta causa matrimonii, belli, studiorum et similium.

Resp. 2° *Ex jure gallico* incapaces sunt: 1° minores, nisi ratione contractus conjugalis; 2° interdicti, qui egent assistentia consiliarii a judicibus concessi; 3° uxores absque consensu mariti aut judicis auctoritate; 4° negotiatores, qui obligationibus adimplendis impares sunt, in casibus a lege determinatis. — *Art. 446.*(2) *cod. comm.*

804. — Quaer. 2° *Quinam donationem accipere nequeant?*

Resp. 1° *De jure communi* acciperent invalide: 1° omnes accipientes ab iis, qui donationes facere nequeunt juxta dicta supra *n. 803.*; — 2° accipientes ab iis, qui sunt aere alieno gravati;(3) — 4° accipientes in defraudationem *legitimae* haeredum necessariorum.(4) — *S. Lig. n. 722. 740. etc.*

Resp. 2° *De jure gallico* inhabiles sunt: 1° qui non erant concepti tempore confectae donationis, vel pro testamento tempore mortis testatoris; — 2° tutor respectu pupilli, antequam administrationis bonorum reddiderit rationem, nisi sit unus ex ascendentibus; — 3° filii adulterini et incestuosi, excepta alimentorum causa; — 4° filii naturales etiam legaliter recogniti ultra id, quod illis conceditur jure successionis; — 5° medici, chirurgi, pharmacopolae, qui defunctum curaverunt in ultimo morbo, et confessarii, si donatio durante morbo facta fuerit, exceptis casibus quibusdam; — 6° communitates quaelibet sine approbatione principis vel, si donatio non excedat 300 fr., praefecti. — *Cod. civ. 25. 762. 338. 906. et seq.*

805. — Quaer. 3° *Quaenam quantitas bonorum dari possit ab iis, qui sunt habiles ad donandum?*

Resp. Si nullos habeant haeredes necessarios, nullis conscribuntur limitibus. Si vero necessariis haeredibus minime careant, eis licebit ad modum donationis *inter vivos* eam bonorum quantitatem erogare aliis, quam per legata elargiri posset ille, qui testamentum condit. Igitur conferas dicenda de testamentis *n. 825.*

§. II.

De casibus, in quibus donationes non plenum sortiuntur effectum.

806. — Si quis fiat haeres ejus, qui ipsi aliquid dedit, et defunctus nihil expresse statuerit, ut aequalitati inter haeredes derogaret, omnis dispositio sive directa, sive indirecta, qua laederetur illa aequalitas, supponitur esse in intentione ejus tantum concessio temporanea fruitionis rei datae, et mortuo donatore res ipsa debet in successionem referri et reduci pro rata juris laesi, nisi donatarius ea contentus haereditati renuntiare malit. Hoc est, quod lex vocat collationem *(gallice* rapport). — *C. C. 843. et seq.*

Collatio igitur est actus, quo unus ex haeredibus ad summam bonorum, quam testator inter haeredes dividendam reliquit, ea bona refert, quae a donatore accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur.

---

(1) V. etiam *n. 813. Q. 7°.*

(2) forte *901. etc.*

(3) Hi juxta veriorem sententiam jure naturali ad compensationem damni creditoribus inde obvenientis tenentur. — *S. Lig. n. 722.*

(4) Cf. infra *n. 825. 826. Q. 7°.*

Reductio vero, ut ajunt, donationis vel legati est ejusdem rescissio pro rata excessus supra quantitatem disponibilem, auctoritate publica facta.

Principia:

807. — I. Omnis haeres veniens in successionem referre debet, quaecumque accepit a defuncto per dispositionem gratuitam *inter vivos*, nisi adsit expressa dispensatio ex parte donatoris. Sic ex *jure romano* et *gallico*. — *S. Lig. n. 954.*

II. Collatio duplici modo fieri potest: 1° *in specie (in natura)* i. e. referendo rem ipsam donatam; 2° minus accipiendo *(en moins prenant)*. — Prior modus fit ordinarie in immobilibus et posterior in mobilibus. — *C. C. 858. et seq.*

III. Eximuntur a collatione variae donationes, scilicet: 1° ea omnia, quae testator dedit haeredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *praecipui juris* intra limites partis, de qua disponere poterat; 2° variae expensae factae a donatore alicujus gratia, ut in alimenta, vestes, munera consueta etc.; item expensae nutritionis, educationis, nuptiarum, artis addiscendae et similia. — *S. Lig. n. 955.* — *C. C. 843. 852.*

Nec sunt necessario referendae donationes manuales, nisi maximi sint momenti. — *Gousset n. 794. etc.*

Quaesita:

808. — Quaer. 1° *An referendi sint fructus rerum referibilium, quos percepit donatarius ante mortem testatoris?*

Resp. Negative, quia non subjiciuntur collationi, nisi a die, qua successio aperta fuit; secus omnino frustranea fuisset donatio. — *C. C. 856.*

Quaer. 2° *An filius teneatur referre ea, quae de bonis paternis male expendit, v. g. in ludis, potationibus etc.?*

Resp. Negative, nisi expensae fuerint excessivae; non vero, si non plus expendit, quam pater contentus fuisset, ut in honestas recreationes impenderet. — *S. Lig. n. 957.*

Quaer. 3° *An conferendae sint expensae factae a patre in gratiam filii pro doctoratu, beneficio, studiis, libris etc.?*

Resp. Negative, quia haec in bonum commune familiae cedunt, nempe in ejus honorem, commodum etc. Aliunde gratuito a parentibus filio donata censentur. — *S. Lig. n. 955.* — Excipe tamen: si expensae extraordinariae fiant.

809. — Quaer. 4° *An conferri debeat pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum?*

Resp. Affirmative, si redimatur in propriam utilitatem, quia id aequalitas postulare videtur; secus, quoties filius redimitur in utilitatem patris v. g. infirmi, senis vel pauperis, aut familiae sustentandae, quia familia, quae commodum percipit, onus etiam ferre debet. — *Rogron in art. 851. Cod. civ.* — *Gousset, Code civil. commenté, art. cod. civ. 852.*

ARTICULUS II.
DE VARIIS DONATIONUM SPECIEBUS.

Dicendum de donatione 1° inter vivos; 2° per testamentum;(¹) 3° mortis causa; 4° per fideicommissum.

§. I.
De donatione inter vivos.

Haec donatio est actus seu contractus, quo donator privat se actualiter et modo irrevocabili re aliqua in favorem donatarii acceptantis.

810. — Donatio *inter vivos* etiam mere verbalis debitis vestita conditionibus *per se* seu de *jure naturali* statim transfert irrevocabiliter dominium(²), ut constat ex dictis *n. 802.*

(¹) Auctor testamenta donationibus adnumerat ad mentem codicis civilis gallici *art. 893.*

(²) dummodo sit acceptata. Acceptatio enim essentialis est ad obligationem inducendam, nisi donatio forte rationem voti habeat. — *S. Lig. n. 725. 726.* — Cf. definitionem et supra *n. 772.*

De jure autem positivo donationes confici debent juxta formas lege praescriptas, saltem ut effectum in foro externo(1) obtineant.

In *jure* vero *gallico* haec praecipue adnotanda sunt: 1° actus, quibus donationes fiunt, a notariis conficiendi sunt; 2° acceptatio donationis fieri debet vel in actu ipso donationis, vel alio medio authentico donatori denuntianda est: secus donatio perfecta non censeretur; 3° bona futura invalide donantur. Aliquis tamen non impeditur a donando id, quod in spe determinata habet, v. g. fructus in agro quodam hoc anno nascituros vel pisces, quos e piscatione referet. — Excipitur spes futurae haereditatis, circa quam omne pactum prohibetur. *(943.)* 4° Ex principiis juris concluditur, donationes manuales valere sine scripto.

Quaesita:

811. — Quaer. 1° *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*

Resp. Donatio, sicut et promissio absenti facta per literas ad promissarium nominatim scriptas vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio vel eo, qui donatorem repraesentat, vel per alias literas ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 130.*(2)

Quaer. 2° *Quid, si donator misso nuntio donationem revocaverit?*

Resp. 1° Si donator revocet donationem, antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio, quem misit, jam nuntius nihil quidquam potest efficere, siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta. — *Hom. apost. ibid.*

Resp. 2° Si autem revocatio non innotescat nuntio ante exsecutionem, tunc distinguendum est. Vel ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si prius, facta revocatione donatio irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta et donatio valide acceptari potest; tenetur enim mandator ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

812. — Quaer. 3° *An valeat donatio, si donator ante acceptationem*(1) *moriatur?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia post mortem donantis non potest uniri ejus voluntas cum consensu donatarii. — *S. Lig. n. 729.* — Affirmant tamen probabiliter *plures*, si donatio jam facta sit et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam ad illam manifestandam(2). Hoc autem ex jure gallico non est admittendum.

Quaer. 4° *An, mortuo donatario ante acceptationem, ipsius haeres possit donationem acceptare?*

Resp. Negative probabilius, quia haeres succedit quidem in juribus realibus defuncti, non vero in personalibus, quibus accensetur jus acceptandi donationem: nisi forte sit filius donatarii, quia tunc praesumeretur, talem esse donantis mentem. — *S. Lig. n. 731.* — Contradicunt tamen *plures,* quia haeres defuncti personam repraesentat. Juxta principia autem juris civilis negandum est.(3)

Quaer. 5° *An obliget donatio jurata, sed non acceptata?*

Resp. Negative, quia juramentum sequitur naturam actus; sed donatio ante acceptationem non est firma. —

(1) Cf. *n. 819. 1°.*
(2) Cf. *n. 772. 3°. not. 2.*

(1) Valet enim (saltem de jure naturali), si post acceptationem moriatur, licet donatarius possessionem doni nondum inceperit — *Gousset n. 798. 7°.*

(2) imo, etiamsi donatio non facta fuerit ab ipso donante, sed hic commiserit nuntio, ut ejus nomine donaret. — *S. Lig. n. 730.*

* (3) Convenit cum *C. A. 955.*

S. Lig. n. 727. — Affirmat tamen *Layman*, dicens, servandum esse juramentum, quamdiu sine peccato potest servari.

813. — Quaer. 6° *Quas ob causas donatio valida revocari possit?*

Resp. Donator hanc revocationem obtinere potest: 1° si non praestentur conditiones appositae; 2° si donatarius se exhibeat ingratum erga donantem in casibus a lege determinatis *(C. C. 953—955.)*. Excipiuntur donationes matrimonii causa factae *(959.)*.

Revocatur ipso jure, si donatori, nullum descendentem viventem habenti tempore donationis, filius legitimus etiam posthumus natus sit vel si legitimaverit filium naturalem post donationem natum. Excipiuntur quaedam donationes matrimonii causa factae. *(960. et seq.)*

Quaer. 7° *Quid conjuges sibi invicem donare possint?*(¹)

Resp. 1° *Ex jure romano* generatim invalidae sunt conjugum reciprocae donationes. Excipe 1° si donatio juramento sit firmata; 2° si interveniat mors donantis et ipse ante donatarium decedat, modo res in vita tradita sit; 3° si donatio sit remuneratoria vel fiat causa mortis; 4° si uxor donet viro, ut aliquam dignitatem consequatur etc. — *S. Lig. n. 723.*

Resp. 2° *Ex jure gallico* conjuges generatim invicem sibi donare possunt *inter vivos* vel *per testamentum:* 1° si non adsint descendentes, quidquid extraneo donari posset quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis haereditatis ascendentibus reservatae; 2° si adsint descendentes, vel quartam bonorum partem quoad proprietatem et simul aliam quartam quoad usumfructum, vel dimidiae tantum partis usumfructum; 3° si conjux habeat filios ex praecedenti matrimonio, non potest donare novo conjugi ultra partem filii, qui minorem ceteris partem accepit, neque quartam bonorum partem excedere. *(C. C. 1094. 1098.)*

Omnes autem donationes, etiam *inter vivos,* ab alterutro conjuge alteri factae semper revocari possunt. *(C. C. 1096.)*

§. II.

De testamento.

Agendum: 1° De natura, divisione et forma testamentorum; 2° de testatore et haeredibus; 3° de dispositionibus testamentariis; 4° de revocatione testamentorum; 5° de exsecutore testamenti.

PUNCTUM I.

De natura, divisione et forma testamentorum.

814. — Definitio: Testamentum est legitima dispositio de his, quae quis vult fieri de suis bonis post mortem suam, *cum directa haeredis institutione*(¹). — *S. Lig. n. 919.* — Vel ex jure gallico: Est actus essentialiter revocabilis, quo testator de bonis suis disponit pro tempore mortem ejus subsecuturo.

Divisio: Testamentum varie distinguitur:

I. Ex jure communi.

1° *Solemne,* in quo servantur omnes conditiones praescriptae. Est autem duplex: 1° *Clausum,* quod sigillo signatum traditur subscribendum septem testibus idoneis, masculis, puberibus etc., quibuscum subscribit testa-

---

* (¹) Ex jure aust. conjuges sibi invicem donare possunt sive inter vivos, sive causa mortis, nisi donationes sint laesivae juris filiorum vel aliorum: ideoque judicandum est in hujusmodi donationibus ex dictis de donatione in genere. *(C. A. 1246.)*

Vide in auctore *n. 836. Q. 1°. 2°. 3°.* Ex his, quae nuper adnotavimus ex *C. A.* desumpta, colligi potest, quae sit validitas harum donationum in foro externo et interno.

(¹) Haeres dicitur ille, in cujus favorem testator disponit per suum testamentum titulo universali, ad discrimen a legatario, pro quo titulo particulari tantum disponi potest. (Cf. *notam 1.* ad *n. 590. Q. 2°.*)

Notetur autem pro sequentibus quaestionibus, statuta jurium recentiorum quoad testamenta persaepe omnino discrepare a statutis juris romani. — *Scav.*

tor, si possit; si vero nequeat, octavus testis accedere debet. — 2° *Apertum,* quod fit coram septem praedictis testibus sive scripto aperto, sive viva voce. — *Plura apud juristas.*

2° *Privilegiatum,* quod valet absque omnibus solemnitatibus. Tale est testamentum a milite conditum tempore belli, vel ab alio tempore pestis aut in ceteris ejusmodi circumstantiis.

II. Ex jure gallico.

1° *Holographum*, quod manu testatoris integre scribitur cum indicatione anni, mensis, diei, et nominis appositione.

2° *Publicum* seu *solemne*, quod scribitur ab uno notario coram quatuor testibus masculis, puberibus etc., vel a duobus notariis coram duobus testibus. — *C. C. 971.*

3° *Mysticum* seu *secretum*, quod testator clausum sigilloque signatum tradit notario coram sex testibus, asserens, hoc esse testamentum suum, a se vel ab alio scriptum et a se subscriptum. Debet inscribi haec attestatio super codicem testamenti et a notario, testibus et testatore subscribi. Si testator testamentum subscribere non potuerit, de hoc mentio fieri debet et additur alius testis praeter sex requisitos. — *C. C. 976.*

Conditiones testamentorum.

815. — Ut testamentum sit firmum et validum, requiritur: 1° ut habeat conditiones ad contractus gratuitos requisitas, imprimis consensum liberum et spontaneum; — 2° ut dispositio bonorum fiat juxta reservationem seu legitimam haeredibus a lege assignatam; — 3° ut non fiat ab inhabili ad testandum, nec in gratiam inhabilis ad recipiendum seu ad succedendum in jure defuncti; — 4° ut serventur substantiales formalitates a jure praescriptae. (1)

(1) Quoad conditiones vero, quae forte in testamento appositae inveniuntur, observa relata sub *n. 796.*

Quaesita:

816. — Quaer. 1° *An facultas testandi oriatur a jure naturali aut civili tantum?*

Resp. Juxta sententiam *communiorem* et *probabiliorem* repetenda est primario a jure naturali, quia talis est persuasio communis, quae ultimas voluntates ut quid sacrum habet, et quia jus testandi antecedit omnem legem civilem. Contradicunt tamen *plures* ajentes, dominium a defuncto transferri non posse.

Quaer. 2° *Cujusmodi testes requirantur in testamentis?*

Resp. (1) 1° *Ex jure romano* esse debent masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non caeci, non intestabiles a lege, non haeredes in testamento nec domestici testatoris vel haeredis; non autem excluduntur legatarii. — *S. Lig. n. 920.*

Resp. 2° *Ex jure gallico* postulantur masculi, majores, subditi reipublicae, fruentes juribus civilibus, non scribae notariorum, qui actum conficerent, non legatarii seu haeredes neque eorum parentes vel affines intra quartum gradum inclusive i. e. secundum juxta computationem canonicam pro linea transversali. Attamen in mystico testamento legatarii aut eorum cognati non excluduntur. — *C. C. 975. 980.*

817. — Quaer. 3° *Quaenam requirantur sub poena nullius valoris in testamento holographo?*

Resp. Tria requiruntur et sufficiunt, scilicet: 1° ut integre scribatur propria testatoris manu; 2° ut apponatur dies, mensis et annus, quo confectum est; 3° ut nomen proprium testatoris subscribatur in forma chirographi ad

(1) Jure naturae inhabiles sunt ii, qui per se carent capacitate testimonium dicendi, v. g. surdi omnino; muti, maxime si scribere nesciant; caeci; item qui testatoris linguam penitus ignorant. De amentibus, qui lucida habent intervalla, disputant. — *Scav.*

calcem testamenti et integris literis. Sic ex *art. 970.*

Quaer. 4° *An valeant in foro conscientiae testamenta* ad causas profanas, *formis legalibus destituta?*

Resp. Triplex datur probabilis sententia, ut dictum est supra *(n. 786.)* in genere de contractibus praeter legis praescripta confectis. — Iª igitur Sententia admittit, hujusmodi testamenta de jure naturali valere. — IIª Sententia docet, ea ex lege positiva prorsus irritari. — IIIª demum Sententia favendum esse possessori pronuntiat, donec res a judice dirempta fuerit. — Et haec tertia opinio juxta *S. Lig. n. 927.* prae ceteris in praxi tenenda est. — Intervenienti autem judiciali decreto omnibus fatentibus est adhaerendum.

818. — Quaer. 5° *An vero testamenta* ad pias causas *sint valida, si formis legalibus careant?*

Resp. Etiam *controvertitur.* Iª Sententia *communior* et *verior affirmat,* ea omnino valere. Ratio autem duplex datur: 1° quia piae causae ad Ecclesiam pertinent ejusque subjacent jurisdictioni: porro Ecclesia libera et immunis est a potestate civili in iis omnibus, quae jurisdictioni suae directe subsunt; — 2° quia ex jure canonico constat. *C.* Relatum (11.) *de testam. (III. 26.) etc.* — *Ita S. Lig. n. 922. 923.* — *Lessius l. 2. c. 19. dub. 2.* — *Roncaglia c. 2. q. 3.*

IIª Sententia docet, idem generatim et *per se* de piis causis, ac de aliis, tenendum esse, praecisis particularibus circumstantiis mox assignandis. Ratio est: 1° quia temporalia bona *per se* loquendo principibus subjecta sunt; — 2° quia testamentorum leges essentialiter spectant ad potestatem civilem, quae numquam jus suum amittit, nisi forte statuta edat specialia in odium Ecclesiae ac in detrimentum et ruinam causarum piarum.(¹)

Sed illius sententiae fautores dicunt: *praecisis particularibus circumstantiis;* nam solvenda procul dubio sunt in foro conscientiae legata pia, etiam formis requisitis destituta, quoties ex circumstantiis legitime praesumitur, ea facta fuisse vel ad restitutionem implendam, vel ad preces pro anima defuncti erogandas; hujusmodi enim dispositiones haberi nequeunt ut titulo gratuito factae ac proinde testamentorum legibus non subjacent.

Quammaxime autem inducendi sint poenitentes ad omnia pia legata persolvenda, etiam praeter memoratos casus, nemo non videt. — *Ita communiter secundae sententiae patroni* (¹).

Casus:

819. — 1° *Leander* a *Liborio* familiari suo mox e vivis decessuro conspicuam pecuniae summam instar muneris *de manu,* ut ajunt, *ad manum* acceptat. Defuncto *Liborio* dubius ancepsque *Leander,* utrumne tuta conscientia donum servare possit, haeret. Quid interroganti respondebit confessarius? — *Resp.* Nihil esse, cur *Leander* de donationis valore dubitet, eam scilicet valere uti donationem *inter vivos.* Excipe: 1° si donatio jus haeredum evidenter laedat; 2° si donatarius inhabilis sit ad donationem acceptandam. — *Gousset etc.*(²)

(¹) Eaedem duae sententiae obtinent quoad legata pia in testamento prae foro civili nullo et quoad legata profana in simili testamento ad causas pias principaliter facto. — *S. Lig. n. 922. 925.*

(¹) Praescindendo ab illis casibus, in quibus fideles in bona fide relinqui debent, omnino accipienda est prima sententia, tum propter leges ecclesiasticas et decisiones S. Poenitentiariae, quae pluries interrogata huic sententiae adhaerendum esse respondit, tum propter rationum gravitatem, tum propter auctores, qui eam sequuntur. — Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 1. n. 859. et seq.*

(²) „1° Curatus vel confessarius consul„tus, an in conscientia legatum vel donum, „irritum defectu formae, ab haeredibus „testatoris accipi vel retineri possit, re„spondebit affirmative. Codex civilis ipse „hoc jus agnoscit, non permittendo hac-

2° *Polydorus* moriens *Paulo* haeredi naturali, „Sponde mihi", ait, „te legata haec soluturum esse"; haeredis autem promissis fisus *Polydorus* abstinet a conficiendo vel immutando testamento vel ab iisdem legatis inscribendis. *Paulus* promissis valedicens renuit legata persolvere ex eo, quod in testamento inscripta non fuerint. Quid juris? — *Resp.* Tenetur *Paulus* in conscientia de jure naturali ad solvenda omnia legata promissa, non obstante defectu formarum. Ratio est: 1° quia nonnisi ea conditione testamentum accepit; 2° quia per promissionem confectionem aut mutationem testamenti impedivit. — *Ita Collat. Andegav. etc.*

3° *Gabinus,* haeres ex testamento informi, accipit et retinet haereditatem ut sibi legitime acquisitam; sed abstinet a solvendis legatis ob defectum formae in actu testatoris. Quid de eo sentiendum? — *Resp.* Quantum sit injustus et ridiculus talis agendi et ratiocinandi modus, ex sensu communi clare et evidenter patet.

4° *Anatolius,* confecto testamento holographo, moritur, antequam subscribere potuerit. *Sabinus,* haeres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen, cum suborta fraudis suspicione testamentum ad judiciale forum fuisset delatum, a judice validum declaratum fuit. Quid judicii? — *Resp.* *Sabinus* ad restitutionem tenetur, quia per fraudem legatum sibi vindicavit; fraude enim remota certo per sententiam ab haereditate exclusus fuisset. Sententia igitur *Sabino* favere non debet, cum in falso facto innitatur.(1)

„redibus repetere, quod voluntarie solverunt, ut satisfacerent simili legato vel „donationi, quae carebat formalitatibus „praescriptis. *(C. C. 1340.)* 2° Consultus ab haeredibus, an obligentur in conscientia satisfacere voluntati bene cognitae testatoris, suadebit, ut satisfaciant „vel rem amice cum legatario componant; „sed evitabit ipsis hoc onus imponere „tamquam obligatorium, timens, ne nimium quid praescribat, excepto tamen, „si agatur de legato pio et si adsint rationes graves suspicandi, testatorem condidisse hoc legatum ad reparandam aliquam injustitiam vel ad satisfaciendum „obligationibus versus pauperes, quibus „durante vita ex sententia eorum, qui eum „noscebant, non satisfecit. 3° Consultus „de donationibus manualibus, jam completis traditione objectorum, respondebit, „eas valere. Supponitur, easdem non excedere notabiliter partem, de qua disponere potuit, et non factas esse in fraudem legis, quae prohibet donare inhabilibus." — *Gousset n. 796.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

PUNCTUM II.

De testatoribus et haeredibus.

820. — I. Testatores esse possunt(2):

1° *Ex jure romano:* Omnes usum rationis habentes exceptis surdis-mutis a nativitate, impuberibus, prodigis, damnatis ad mortem civilem vel naturalem necnon religiosis professis.

2° *Ex jure gallico:* 1° Omnes, qui donationes facere possunt *inter vivos;* 2° uxores, quae plenam habent facultatem testandi, licet donationes erogare nequeant *(C. C. 903.);* 3° minores ab anno 16. testari possunt de dimidia parte bonorum, de quibus majoribus disponere licet *(C. C. 904.);* non vero testari possunt interdicti, nec minores (cum restrictione modo apposita).

821. — II. Quod ad haeredes attinet:

1° Institui possunt haeredes, quicumque a jure positivo non sunt specialiter prohibiti, licet usu rationis careant, ut dictum est de donatione *n. 802.*

2° Prohibentur autem *ex jure romano* damnati ad mortem tum naturalem, tum civilem, perduelles eorum-

(1) V. *Gury, Casus consc. p. 1. n. 839. et seq.*

(2) *Jure naturae* testari possunt de rebus suis ii omnes, qui gaudent sufficiente usu liberi arbitrii et nullo corporis vitio laborant, quo impediantur, quominus declarent, quid de rebus suis post mortem fieri velint. — *Scav.*

que filii, spurii juxta restrictiones infra ponendas. — *Ex jure* vero *gallico* prohibentur illi, qui donationes recipere non possunt. — *Vide supra n. 804.*

3° Haeres quilibet renuntiare potest haereditati apertae juxta axioma: *Nemo haeres, nisi velit.* — Sic *ex quocumque jure.* Ratio est, quia nemo tenetur acceptare beneficium, praesertim ut est testamentum, quod saepe magnis oneribus gravatur. Renuntiatio autem non praesumitur, sed in forma juridica fieri debet. — *Ex jure romano* juramento firmanda est. — *S. Lig. n. 932.* — *Ex jure* autem *gallico* facienda est in tabulario (au greffe) tribunalis territorii, in quo obtigit successio, in speciali actorum codice, qui ad hunc finem ibi asservatur.

Quaesita:

822. — Quaer. 1° *Quotuplicis generis haeres distinguatur?*

Resp. 1° *Necessarius,* qui a testatore excludi non potest.

2° *Legitimus,* qui de jure succedit ab intestato.

3° *Voluntarius,* qui talis habetur ex libera voluntate testatoris.

Hinc patet, distinguendum etiam esse haeredem *ex testamento,* si per testamentum fuerit designatus, et haeredem *ab intestato,* si de jure succedat defuncto, qui nullum aut imperfectum testamentum fecit.

Quaer. 2° *Quinam sint haeredes necessarii et legitimi?*

Resp. 1° In utroque jure haeredes *necessarii* sunt omnes cognati in *linea recta* seu 1° *descendentes* in propiori gradu; 2° ipsorum defectu *ascendentes*, tum ex parte patris, tum ex parte matris, in gradu pariter propiori.

Resp. 2° Haeredes *legitimi* sunt(¹) omnes consanguinei propioris gradus in *linea collaterali* usque ad 10um gradum in *jure romano,* i. e. 5um quoad computationem canonicam, et 12um *ex jure gallico.*

823. — Quaer. 3° *Quaenam sint jura et obligationes haeredum?*

Resp. Generatim haeredes succedunt in omnia jura et onera(¹) defuncti, quia illius personam repraesentant; excipiuntur ea tantum, quae natura sua vel pacto personae defuncti erant affixa. Hinc dominium bonorum defuncti pleno jure acquirunt, ejus obligationes et debita in se suscipiunt et ipsius voluntatem in legatis(²) implere debent.

Quoad modum solvendi debita a defuncto relicta singuli *pro rata* suae portionis haereditariae solvunt et, si propter hypothecam plus solvere cogantur, recursum habent contra ceteros. — *C. C. 873.*

Haeres acceptare potest haereditatem sub beneficio inventarii, i. e. ita, ut facto inventario bonorum juxta formam legalem non obligetur ultra haereditatis vires. Si non eo modo acceptaverit, tenetur in foro externo omnia solvere debita, etiamsi vires haereditatis excederent. Controvertitur vero inter theologos, an in hoc casu haeres teneatur in foro conscientiae solvere debita quoad excessum supra bona accepta. *Probabilius et communius* negatur. — *Salmant.* — *Reuter* — *Gousset, Code commenté art. 802.*

(¹) praeter haeredes necessarios, qui primario etiam ab intestato succedunt —

(¹) Implenda sunt vero ejusmodi onera statuto tempore vel, si tempus definitum non sit, quamprimum fieri poterit, nisi excuset justum impedimentum. In quo si haeres graviter deficiat, tenetur de damnis inde obvenientibus. — *S. Lig. n. 941.*

(²) Tenetur praeterea haeres dispositiones testatoris implere, etsi in testamento expressae non sint, dummodo non agatur de vagis promissionibus alicui a testatore factis (cf. *n. 837. 3°.; n. 800. Casus.),* sed de debitis ex justitia, v. g. ex contractibus vel donationibus consummatis, ex quibus tertius jus strictum jam acquisivit, et de hisce certo constet v. g. per verba, nutus, scripta aut duos testes fide dignos. Uni autem testi etiam probatissimo fidem praestare non obligatur. — *Scav.*

824. — Quaer. 4° *An haeredes necessarii exhaeredari possint?*

Resp. 1° *Ex jure romano* exhaeredari possunt filii sola patris auctoritate in casibus sequentibus, scilicet: 1° si filius injiciat manus in parentem aut contumeliose eum tractet; 2° si ejus accusator aut testis sit in causis criminalibus; 3° si rem habeat cum ejusdem uxore; 4° si nolit fidejubere ad patrem e carcere liberandum; 5° si patrem a condendo testamento prohibuerit; 6° si filia recusato honesto matrimonio luxuriose vivat etc. — *S. Lig. n. 948. et seq.*(¹)

Resp. 2° *Ex jure gallico* numquam haeredes privata auctoritate exhaeredari possunt. Excluduntur tamen a jure ut indigni ab haereditate in triplici casu, scilicet: 1° si vitae testatoris fuerint insidiati; 2° si alimenta ei denegaverint; 3° si ejus memoriam graviter conviciati fuerint. — *Vide C. C. 955. 1046. 1047.*

825. — Quaer. 5° *Quaenam sit* reservatio *seu* legitima *haeredibus necessariis debita?*

Resp. Diversa est pro diverso jure. Hinc

I. *Ex jure romano:*

1° Quoad *ascendentes* reservatur *triens* seu tertia pars, deficientibus descendentibus;

2° Quoad *filios legitimos triens,* si non sint plures quam quatuor filii, et *semissis* seu dimidia pars, si plures sint.(²)

3° *Filii naturales* succedunt matri pari jure cum legitimis: patri vero non succedunt, si alios filios habeat; secus in sexta parte haereditatis. (¹) — *Vide S. Lig. n. 947.* et *alios.*

II. *Ex jure gallico,* sive pro testamento, sive pro donatione inter vivos:

1° Quoad reservationem *filiis legitimis* debitam: si unus sit, *dimidia pars* bonorum reservatur; si duo, *bis triens* ($^2/_3$); si tres vel plures, *dodrans* seu $^3/_4$.

2° Quoad reservationem *filiis illegitimis* legaliter recognitis attribuendam: si adsint alii legitimi, illegitimis reservatur tertia pars portionis, quam reservatam haberent, si essent legitimi; si deficientibus filiis adsint ascendentes, fratres aut sorores, dimidia pars portionis praedictae; si vero alii tantum consanguinei, dodrans reservatur; si nulli consanguinei, reservationem habent eamdem, ac si essent legitimi.

3° Quoad reservationem ascendentibus debitam: si adsint filii legitimi, jus nullum habent; si adsint fratres aut sorores, pater et mater jus habent unusquisque ad quartam partem; ceteri ascendentes a fratribus excluduntur. In ceteris casibus jus habent ad 2am vel 4am partem, prout sunt ex utraque parte vel ex una tantum.

Nota: 1° Uxor non venit inter haeredes necessarios, nec legitimos ab intestato, nisi deficientibus ceteris legitimis intra gradus lege stabilitos. Ita ex utroque jure, romano scilicet et gallico.(²)

2° Deficiente etiam uxore, haereditatem init de jure respublica. Hinc axioma: *Fiscus post omnes. Ita etiam in utroque jure.*

3° Filius naturalis ex jure gallico recognosci debet per actum authenticum,

---

(¹) Nequit tamen testator uti hac concessione legis positivae, in quantum sic filiis necessarium ad vitam subtraheretur; obstat enim tunc jus naturale et canonicum. — Cf. *Salm. tr. 14. c. 5. n. 92.* — *S. Lig. n. 949.*

(²) Parentes non videntur in conscientia obligati, *omnia* bona sua per testamentum relinquere filiis propriis, sed sufficit portio legitima a jure praescripta, dummodo filii sic vivere possint secundum conditionem suam et exclusio non fiat ex odio. Quod praesertim valebit, si ea, de quibus libere disponere possunt, ad opus omnino laudabile impendere velint. — *Scav.*

(¹) Filii naturales de jure communi haeredibus necessariis ex parte patris non accensentur. De eorum juribus cf. *S. Lig. n. 951.* — *Pruner, Lehre vom Recht t. 1. §. 158. 164. 180. etc.*

(²) „Attamen lege naturali testator aliquam partem adsignare debet conjugi „superstiti, si bona sua sufficientia non „habeat, ob tantam inter maritum et uxorem necessitudinem.“ — *Ita Scavini.*

nisi recognitus fuerit in actu ipso de nativitate; sed nequeunt recognosci filii adulterini et incestuosi.

826. — Quaer. 6° *An testator teneatur* sub gravi *relinquere bona de jure naturali cognatis, qui non sunt haeredes necessarii?*

Resp. 1° *Quoad fratres affirmative,* si sint in gravi necessitate; secus non erit nisi veniale, imo nullum peccatum, si rationabile sit motivum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 946.* — *Layman* — *Lugo etc.*

Resp. 2° *Quoad alios consanguineos remotiores* juxta communiorem sententiam non est gravis obligatio, eos ceteris praeferendi, etiamsi sint pauperes; non tamen peccatum veniale deerit, si omnino sine rationabili causa praetermittantur. — *S. Lig. ib. etc.*

Quaer. 7° *An peccent in foro conscientiae contra justitiam parentes laedentes legitimam filiorum per testamentum vel donationes inter vivos aut contractus simulatos?*

Resp. Affirmative per se cum sententia communi doctorum tum veterum, tum recentiorum, qui hoc fere omnes supponunt, etsi forte non expresse referant. Ratio est, quia lex gaudet omnibus conditionibus ad obligandum in foro conscientiae requisitis, scilicet: est justa, utilis bono publico et ipso facto irritans. — *S. Lig. n. 949. 951.*(1) — *Reuter n. 286.*

Dixi *per se;* quia non videntur ullo modo peccare parentes, qui justa de causa *partialiter* legitimam filiorum laedunt in aliquo casu particulari. Tunc enim cessat finis legis, siquidem attingere non intendit illos casus particulares, qui familiae prosunt, nec bono communi obsunt, v. g. si pater donationes quasdam tribueret filio probo remunerationis gratia, unde minus filio dissipatori obveniret. — *Gousset.*(2)

Nota: Post factum non sunt facile inquietandi filii, qui majorem paternae haereditatis partem non sine alterius haeredis detrimento acceperunt, quando ex rerum adjunctis conjici potest, parentes ex aliqua justa causa ipsis favisse, praesertim si in bona sint fide et jure timendum sit, ne obligationem renuant adimplere.

827. — Quaer. 8° *An et quatenus peccent parentes donationes manuales erogando alicui e filiis, vel extraneis aut causis piis?*

Resp. 1° Parentes licite facere possunt donationes sequentes, scilicet: 1° donationes, quae fieri solent inter conjunctos et amicos suae conditionis, ut munuscula etc.; 2° donationes remuneratorias pro quantitate et qualitate meriti juxta aestimationem prudentum, quia hoc potius solutio debiti alicujus, quam gratuita donatio dici debet; 3° donationes quaslibet *per se* ex meris reditibus, intactis capitalibus, quae patrimonium proprie dictum constituunt, quia parentes *per se* nullo jure adaugere patrimonium ex reditibus vel labore tenentur.

Resp. 2° Peccant autem graviter parentes *per se,* partem notabilem capitalium vendentes, unde pecuniam habeant extra legis limites gratuito erogandam, quia tunc agunt in fraudem ejusdem legis, quae totaliter eludi posset.(1) Idem dicendum de fictis

---

(1) Legendum forte *n. 740. 950.* — V. etiam supra *n. 725. III. not. sub fine.*

(2) „Pater-familias, qui disposuit de portione competente bonorum suorum, potestne alterius disponere gratuito per dona „manualia sive in favorem prioris donatarii, sive in favorem alterius? Censemus, ipsum posse, dummodo dona manualia non sint nimis magna. Lex enim, „permittens patrifamilias disponere de „certa bonorum suorum quantitate, non „videtur ipsi negare facultatem disponendi „ad libitum de suis reditibus. Sed non „esset in genere permissum, eludere legem „per donum manuale, impendendo v. g. „capitale majus aut pretium rei immobilis „in dona manualia.“ — *Gousset n. 794.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

(1) Exigit sane jus naturae, parentes pro filiorum sustentatione, ipsorum conditioni conveniente, industriam debitam ponere; decet insuper, eosdem familiae facultates saltem conservare; omnino consonum tandem naturae est, praesertim filios succedere in haereditatem genitorum, cum hosce naturaliter repraesentent. Attamen ex al-

venditionibus donatario factis. Idem etiam dicendum de eo, qui omnes reditus gratuito donando capitale ad familiam sustentandam dilapidaret.

828. — Quaer. 9° *An graviter peccent parentes aliquid notabile dantes filiis illegitimis praeter taxam legis?*

Resp. 1° *Affirmative,* si haeredes necessarios habeant, juxta superius dicta, quia eorum *legitimam* laedunt.

Resp. 2° *Affirmative* etiam ex jure gallico, licet haeredibus necessariis careant, quoad adulterinos et incestuosos: quia declarantur omnino inhabiles ad donationes a parentibus accipiendas, si alimenta excipiantur. Attamen juxta plures contra alios inhabilitas completa talium restringenda est ad solos casus, in quibus de vitio eorum natalium juridice constat, cum ex *art. 340.* inquisitio de paternitate severe prohibeatur. Alii autem illegitimi non recogniti sicut mere extranei habendi sunt.

Quaer. 10° *An parentes licite possint uti privilegio legis ad quartam vel tertiam partem bonorum uni e filiis prae aliis dandam?*

Resp. Affirmative, si justas habeant rationes vel si loci consuetudo ferat, ut primogenitus praeferatur. Generatim vero parentibus suadendum est, ut aequalitatem inter omnes filios servent.

tera etiam parte considerandum, parentibus verum dominium in facultates suas competere; leges postulare, non ut integra haereditas liberis cedat, sed pars tantum, et in genere pars illorum solummodo bonorum, quae parentes tempore mortis actu possident. Hinc arbitror, non nimis absolute asserendam esse obligationem parentum, conservandi omnia, quae possident vel quae acquisiverunt, sed potius nitendum, ut nec obligationibus legis naturae desint, quas cura filiis debita, nec illis, quas pietas ipsis injungit, ut insuper ab omni bonorum profusione caveant. — Cf. etiam supra *n. 373.*

PUNCTUM III.

De dispositionibus testamentariis seu de codicillo et legato.

829. — I. *Codicillus* seu parvus codex est ultima voluntas minus solemnis defuncti, extra testamentum expressa, de eo, quod hic vult fieri post mortem suam de rebus suis, absque directa haeredis institutione. *Clausula* autem *codicillaris* est clausula testamento ipsi inserta, qua declaratur, quod, si testamentum ex aliquo defectu non valeat, vi tamen codicilli valere debeat.

Ad codicillum sive nuncupativum i. e. viva voce habitum, sive scriptum, sufficiunt quinque testes, etiam non rogati et etiam foeminae. Sic ex *jure romano.* In *jure* autem *gallico* codicillus non admittitur.

II. *Legatum* est donatio quaedam verbis immediate ad donatarium directis, ab haerede praestanda(1).

Legatum esse potest: 1° absolutum vel conditionatum; 2° universale vel particulare, scil. titulo universali, v. g. *lego omnia mobilia*, vel particulari, v. g. *lego talem summam*(2). Ex *jure gallico* nulla admittuntur legata, nisi in ipso testamento includantur.

Quaesita:

830. — Quaer. 1° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari eis, quae religiosae fiunt?*

Resp. Affirmative, si relictum fuit personae determinatae, nisi aliter constet de mente testatoris.(3) — *Negative* autem, si legatum relictum sit personis indeterminatis, quia tunc testatores potius intendunt providere solis puellis nubere volentibus, ne seductioni

(1) melius: est donatio ab haerede post mortem testatoris praestanda. — *Voit p. 1. n. 951.*

(2) Ita ex lege gallica. V. *art. 967. 1003. et seq.* — Pro jure communi cf. supra *n. 590. Q. 2°. R. 1°. not.; n. 814. not.* V. etiam excerpta ex jure austr. post *n. 834.*

(3) Cf. supra *n. 796. 4°.*

:xponantur. — *Ita communiter* cum S. *Lig. n. 930.* contra *plures.*

Quaer. 2° *An legatum relictum puellis, ut nubant, possit dari puellis, quae sine dote jam nupserunt?*

Resp. Affirmative, si agatur de puellis determinatis, quia praesumitur testator voluisse ipsis omnino provilere ob peculiarem erga illas affectum, vel ut nubant, vel ut nuptae decenter vivant. — Secus de indeterminatis, quia tunc testator censetur potius nupendis subvenire voluisse, ut periculum prostitutionis vitarent. — *S. Lig. ibid.*(1)

831. — Quaer. 3° *Quid veniat in legatis nomine* mobilium *seu bonorum* mobilium?

Resp. 1° Bona mobilia ea sunt generatim, quae e loco moveri possunt, ut vestes, animalia, pecunia etc. Idem sonant *bona mobilia*, *res mobiles, mobile (biens meubles, effets mobiliers, mobilier)* vel etiam *mobilia* cum oppositione ad *immobilia.*

Resp. 2° *Mobilia* sine addito et sine determinatione *ex jure gallico* cuntur omnia bona, quae non sunt immobilia, exceptis pecunia, libris, nummis, numismatibus, debitis activis, instrumentis artium, linteaminibus ad usum corporis, equis, armis, granis, foeno et aliis similibus. Adde ea, circa quae commercium particulare exercetur.

Resp. 3° Ex eodem *jure gallico* suppellex seu mobilia domum praecisa instruentia *(meubles, meubles meublants)* omnino restringuntur ad ea, quae ordinantur ad usum et ornamentum habitationis, ut sedilia, tabulae, armaria etc.

Hinc 1° sunt mobilia *simpliciter* seu ex secunda classe suppellex argentea, animalia exceptis equis, linteamina exceptis iis, quae ad usum corporis adhibentur.

2° Si dicat testator: *Lego mobilia Cajo et immobilia Sempronio, Cajus* jus habet ad omnia bona mobilia, quia mens testatoris evidenter patet ex oppositione mobilium ad immobilia. — *Gousset, Code commenté art. 533.* — *Rogron ibid.*

3° Si legatum sic ferat: *Lego Titio omnia mobilia mea,* vel *bona mobilia,* vel *totalitatem mobilium, Titius* jus habet ad omnia bona non immobilia, quia vox *mobilia* hic non sumitur *sine addito.* — *Gousset n. 807.* et *Code commenté art. 533.* — *Rogron ibid.*

832. — Quaer. 4° *An summus Pontifex possit legata et alias ultimas voluntates testatorum commutare, quando de causis piis*(1) *agitur?*

Resp. Affirmative, si adsit justa ratio, quia est a Christo institutus piarum causarum administrator, ut possit disponere de iis, sicut exigit necessitas et utilitas supernaturalis. — Idem dicendum est de principe quoad legata profana in favorem reipublicae constituta. — *S. Lig. n. 931.*(2)

Quaer. 5° *An episcopi justa de causa pias dispositiones commutare possint?*

Resp. Negative generatim loquendo.

---

(1) Alios similes casus vide apud *S. ib.*

gatum vero pium relictum pauperi potest dari cuicumque vere pauperi, ati exsecutio clare electioni haeredis sit, minime autem uni soli, si teillud destinaverit *pauperibus* et adsint. Potest vero exsecutor etiam iquid applicare, si vere pauper sit. contra electio haeredi non est compraeferendi sunt ex praesumpta is voluntate juxta regulas caritatis: incti testatoris, et quidem proxietiamsi alii pauperiores adsint (cf. ilam sub *n. 221.*); 2° pauperes testatoris extraneis; 3° magis inet nobiles; 4° pauperes probatio- 5° in aequali paupertate foemi- *Lig. n. 930. Dub. 10.* Ratio benda videtur consuetudinis aliisimilibus casibus exsistentis.

(1) quando scil. legatum intuitu religionis et impulsu pietatis factum existimatur — *Scav.*

(2) Haeredes et exsecutores autem nec licite, nec valide legata commutant, nisi haec facultas ipsis clare a testatore relicta sit.

Ratio est, quia ex *Trident. sess. 22. c. 8. de ref.* imponitur episcopis sollicitudo ultimas voluntates sedulo exsequendi. — *S. Lig. n. 931.* — Excipiendi tamen sunt *probabilius* casus, qui, si a testatore praevisi fuissent, certo effecissent, ut aliter disposuisset, v. g. si reliquerit pecuniam ad vasa sacra pro ecclesia et haec vasis non indiguerit, vel si legatum ad finem suum applicari nequeat, quia non sufficeret, vel quia ad usum intentum inservire non posset.

PUNCTUM IV.

De revocatione testamentorum.

833. — I. Testamentum, sub quacumque forma sit factum, semper revocari potest ad nutum testatoris, quia testamentum ex natura sua est actus essentialiter revocabilis; proinde testator dominium bonorum suorum usque ad mortem retinet. — *Ita ex omni jure.*

II. Revocatio testamenti duplici modo fieri potest:

1° *Expresse,* seu 1° per destructionem testamenti; — 2° per actum coram notario confectum, quo mutatio voluntatis exprimitur; — 3° per testamentum novum priori contrarium: sed tunc revocatio non censetur integra, nisi dispositiones testamenti novi omnibus dispositionibus prioris sint contrariae.

2° *Tacite,* per donationem, venditionem, permutationem, destructionem aut quamlibet dispositionem rei legatae, qua mutatio mentis testatoris manifestatur.

Nota: Refertur ad revocationem testamenti ejus caducitas, quae habetur, quando dispositiones testamentariae, etsi validae a principio, infirmae tamen evadunt ob quasdam circumstantias, v. g. si legatarius moriatur ante testatorem vel ante exsecutionem alicujus conditionis, si res legata pereat etc.

PUNCTUM V.

De exsecutore testamenti.

834. — Exsecutor testamenti est is, quem testator nominavit ad dispositiones testamentarias exsequendas. Nullo autem nominato exsecutio testamenti ad haeredes pertinet. Circa testamenti exsecutionem haec tenenda sunt:

1° Ut quis sit exsecutor testamenti, necesse est, ut capacitatem sese obligandi habeat. Hinc exsecutores esse nequeunt interdicti, minores, etiam consentiente tutore; ex *jure gallico* etiam uxores sine mariti consensu. Exsecutores esse possunt religiosi ex licentia praelati sui, nisi ordinis regula obstet.

2° Plures exsecutores testamenti institui possunt et uno absente alter ad testamenti exsecutionem procedere potest. Munera exsecutoris testamenti ad ejus haeredes non transeunt.

3° Exsecutor invigilare debet: 1° ut apponantur sigilla, si inter haeredes sint minores, interdicti vel absentes; 2° ut fiat inventarium praesente vel rite advocato proximo haerede; 3° ut vendantur mobilia, si pecunia ad solutionem legatorum deficiat; 4° ut exsecutionem testamenti urgeat.

4° Impensae, quae fiunt ab exsecutore muneris sui adimplendi causa, ex rebus haereditariis solvi debent. Nemo cogi potest ad illud munus acceptandum; sed si acceptet, ad rationem gestionis tenetur. (1)

* Principia juris austriaci.

De jure haereditatis.

I. *Jus haereditatis* est jus adeundi vel totum haereditarium assem, vel partem respectu totius determinatam, v. g. dimidiam vel tertiam. Haeres dicitur ille, ad quem haereditatis jus spectat. *(C. A. 532.)*

Contra, si cui non pars respectu totius definita, sed res tantum quaedam determinatae assignantur, puta agri quidam certi vel definita quaedam summa pecuniae, etiamsi ad majorem haereditatis partem pertingant, *legatum* constituunt, atque ille, cui legatum relictum est, non haeres, sed legatarius nuncupatur. *(C. A. 535.)* Usufructuarius, etiam totius haereditatis, est legatarius, non haeres. *(Camozzi. Tuglioni* in jure usufructus.)

II. Jus ad haereditatem vel ex testa-

(1) Plura cf. apud *S. Lig.*, praesertim *n. 938.*

r voluntate juxta leges declarata, cto mortis causa inito; vel de- pas lege. Hi vero tituli simul se possunt. *(C. A. 533. 534.)* sque adeundae haereditatis ca- qui dominium acquirere potest. 8.) Ad hoc jus censentur in-

graviter et malitiose, adeo ut actio moveri possit, sive in e in corpore, sive in fortunae ad judicem delata, testatorem njugem aut filium aut paren- ; vel laedere tentavit, nisi ex ttis probetur, vita functum inju- sse. Si talis decedat, priusquam vita migret, illius descendentes litatem jus habent. *(C. A. 540.* Qui vi aut dolo testamentum mutari impedivit, vel ad illud ude induxit, vel etiam ultimam voluntatem jam conditam sup- *C. A. 542.)* 3° Adulteri et ince- judicio de tanto scelere convicti, positione sibi invicem haeredi- ansferre nequeunt *(C. A. 543.)*; amen succedere ex legis dispo-

ereditatis jus incipit, quando vita decessit. *(C. A. 545.)* m, si haeres praesumptus ante e vita migret, jus haereditatis cquisitum ad suos haeredes trans- equit, sed haereditas ad haere- definitos transit.

res porro, prout in omnia jura da defuncti, quae non sunt mere , succedit, sic etiam ejusdem debita subire cogitur, adeo ut haereditatis testatorem repra- i plures fuerint, ratione com- reditatis ceu persona unica con- . *(C. A. 547. et seq.)*

aratione ultimae voluntatis nere, ac de testamentis in specie.

ratio ultimae voluntatis est dis- qua testator, modo revocabili, em sua jura in unum vel plures Si haeres aliquis instituitur, *tamentum;* secus vero *codicil- A. 552. 553.)*

d attinet ad haereditatis devo-

stator unum instituit haeredem letione, totus as haereditarius attinet; si in parte determi- ota, scilicet in dimidia aut ter- litatis parte etc., reliquum ad lege determinatos spectat. *(C.* 2° Si plures instituit haere- literiore determinatione, aequa haereditatis inter ipsos dividi- tur. *(C. A. 555.)* 3° Si plures instituit in parte determinata aliquota, reliquam ad haeredes lege definitos pertinet, nisi testator in tota haereditate praefinitos haeredes instituere velle declaraverit, uti v. g. *Titium* et *Cajum* totius haereditatis instituo haeredes, de dimidia parte *Titium*, de quarta parte *Cajum:* in tres partes est dividenda, ita tamen, ut *Titius* duplam *Caji* partem percipiat. *(C. A. 556.)* 4° Si vero plures instituit haeredes partim in parte determinata aliquota, partim indeterminatim: tantum ii, qui indeterminatim instituti fuerunt haeredes, reliquam haereditatem, si fortasse supersit, aequis partibus percipiunt. *(C. A. 557.)* Si pro haerede in parte indeterminata instituto nihil supersit, ita detrahendum est ab aliorum haereditate, ut eam hic habere possit partem, quae haeredi minoris partis assignata fuit. *(C. A. 558.)*

III. Quod attinet ad jus accrescendi, haeredes instituti fuerunt: 1° vel indeterminatim aut in partibus aequis; 2° vel partim determinata parte aliquota, partim indeterminata; 3° vel determinate omnes.

Hisce positis: Pars, quae vacat, pertinet ad haeredes indeterminatim aut in partibus aequis institutos, quia praesumitur testatoris voluntatem esse, ut tota haereditas magis spectet ad istos haeredes, quam ad eos, quos lex institueret. Si vero testator haeredibus aliquotam determinatam assignaverit partem, ista pars, quae vacat, ad haeredes per legem succedentes pertinet, quia testator ipsis partem determinatam aliquotam adscribens satis superque declarat, se nihil aliud eis suppeditare velle. *(C. A. 560. et seq.)*

IV. Inhabilitas ad condendum testamentum oritur ex aetatis, vel mentis, aut corporis defectu, ex delicto, demum ex jure.

1° Ex defectu aetatis inhabiles sunt impuberes; item minores, qui, usquedum decimum octavum non compleverint annum, tantum nuncupative praesente judice testari queunt. Completo 18° anno quisque ad suum arbitrium testamentum condere potest. *(C. A. 569.)* 2° Ex mentis defectu ineptus est ille, qui non est compos sui *(C. A. 567.)*; prodigi vero, ut tales ex judicis sententia declarati, de dimidia tantum parte disponere queunt, dum reliqua pars ad eos transit, qui per legem sine testamento haeredes essent. *(C. A. 568.)* Quid vero, si mortuo prodigo dubium sit, an ultima voluntatis declaratio scripta fuerit ante vel post interdictionem? Praesumitur pro validitate, nisi contrarium probetur. *(Ita Tuglioni ex C. A. 566.)* 3° Muti testari p-

sunt scripto aut signis, attamen coram testibus, qui perfecte eorum signa intelligant: caeci nuncupative tantum testamentum conficere possunt. 4° Ex delicto ineptus est ille, qui mortis poena mulctatus est; et ille, qui ad carcerem damnatus est durum vel durissimum, a die sententiae, usquedum poenae subjacet. *(C. A. 574.)* 5° Ex jure civili inepti sunt omnes religiosi solemni voto adstricti, nisi privilegio gaudeant. *(C. A. 573.)*

V. Ad formam validi testamenti requiritur: 1° ut testator haeredem instituat: secus erit codicillus, non testamentum; 2° ut haeredem nominet testator ipse, nec alteri ejus nominationem committat *(C. A. 564.)*; potest tamen testator instituere haeredem sub conditione, ut id a voluntate tertii pendeat *(C. A. 564. 699.)*; 3° ut voluntas sit perfecta, non consistens in solo proposito aut promisso disponendi; 4° ut sit libera a vi, dolo, errore essentiali; 5° ut testator voluntatem suam diserte explicet, non vero per solam affirmationem propositionis eidem factae. *(C. A. 565.)*

VI. Tribus modis testamentum fieri potest: privatim, cum testibus et praesente judice.

1° Privatim, scribendo scilicet manu propria testamentum et se subscribendo. Nulla requiritur necessario diei designatio, anni et loci; cautius tamen erit, si apponatur. *(C. A. 578.)*

2° Cum testibus vel *voce* vel *scripto*. — *Voce*, verbis scilicet ultimam declarando voluntatem coram tribus testibus, quorum, si unus e vita migret, duorum sufficit testimonium; invalidum vero esset testamentum, si unus tantum testis superesset. *(C. A. 585. 586.)* — *Scripto;* tunc nomen suum propria manu testator subscribere, et coram tribus legitimis testibus, quorum duo saltem sint praesentes simul, declarare debet, scriptum illud ultimam suam continere voluntatem; insuper opus est, ut singuli tres testes vel intus, vel extra, semper tamen in ipso documento se ut testes ultimae voluntatis subscribant. Quod si testator scribere nesciat aut nolit, praeter relatas formulas signum crucis ab eo est supponendum coram tribus testibus simul praesentibus. Quod si legere nesciat, necesse est etiam ad validitatem, ut testamentum ab aliquo ex testibus coram aliis legatur et declaret testator, illud suae consentaneum esse voluntati. *(C. A. 579.–581.)*

Nota: Cautum erit, si unus ex testibus testatoris, qui scribere nesciat, nomen scribat notando, se id egisse ex ejus mandato; sed non requiritur ad validitatem. *(C. A. 580.)*

3° Praesente judice, vel voce, vel traditione testamenti clausi, saltem a testatore subscripti. *(C. A. 587.)* Praeter judicem requiritur etiam persona publico judiciali fungens officio, et hac deficiente requiruntur duo testes. *(C. A. 589.)*

Nota: Intuitu itineris maritimi vel pestis in ultima voluntatis declaratione duo testes sufficiunt; quinimo, si adsit contagionis periculum, neque requiritur, ut ambo sint simul praesentes *(C. A. 598.)*: sed testamentum tenet tantum ad sex menses post navigationem vel pestem. *(C. A. 599.)*

VII. Ex lege sunt ad testis officium inepti:

1° *Absolute:* illi, qui rationis usu carent; caeci; surdi; muti; qui testatoris linguam ignorant; condemnati ob fraudis delictum; foeminae; adolescentes, qui nondum 18um compleverint annum; demum religiosi. 2° *Relative:* haeres et legatarius quoad haereditatem et legatum; haeredis ac legatarii conjuges, consanguinei et affines in primo gradu, eorumque domestici mercede conducti, non tamen, ait *Zeiller*, medici et procuratores. *(C. A. 591. et seq.)*

Nota: Religiosi, mulieres et adolescentes completo decimo quarto anno intuitu maritimi itineris vel pestis admittuntur ut testes. *(C. A. 597.)*

Vide in auctore *n. 816. et seq. Quaer. 1°. An facultas etc.; Quaer. 4°. An valeant etc.; Quaer. 5°. An vero testamenta etc.*

De substitutione haeredum.

I. Substitutio est institutio secundi, tertii etc. haeredis pro casu, quod haeres prior deficiat.

II. Dividitur: In *substitutionem vulgarem*, quae habetur, cum testator secundum, tertium etc. haeredem instituit, si forte contigerit, ut haeres institutus haereditatem adire nequeat aut nolit. *(C. A. 604.)* In *substitutionem fideicommissariam*, et habetur, cum haeres, qui haereditatem adit, post obitum ad eam alteri haeredi designato relinquendam adstringitur. *(C. A. 608.)* In *fideicommissum*, si id in perpetuum beneficio futurorum familiae successorum aliorumve plurimorum statuitur. *(C. A. 618.)*

In *substitutione fideicommissaria* testator plures instituere potest haeredes successive, v. g. instituere potest haeredem *Titium* ea conditione, ut ipse vita functus haereditatem *Sempronio* relinquat, hic *Maevio*, *Maevius Cajo*, et sic deinceps. Si vero ejusmodi substitutio respiciat personas, quae nondum sunt natae tempore, quo conficitur testamentum, ea pertingere potest usque ad duas genera-

ones, quando agitur de bonis mobilibus; quoad immobilia ad unam tantum generationem ea conceditur. *(C. A. 612.)* *Fideicommissum* institui nequit, nisi principis auctoritate. *(C. A. 627.)*

De legatis.

I. *Legatum* comprehendit res determinatas in alium transmissas, etiamsi istae majorem haereditatis partem constituant. Proinde legatum ab haereditatis jure in hoc differt, quod legatum respicit rem tantum praefinitam, uti v. g. domum, certam pecuniae vim, fundum fundive usumfructum; jus autem haereditatis vel totum respicit haereditarium assem, vel partem respectu totius constitutam, puta dimidiam ut tertiam partem etc.

II. Ad legati *validitatem* quod attinet, necesse est, ut illud a testatore, qui testamentum condere queat, personae capienti haereditatis capaci vi ultimae voluntatis valide confectae relinquatur. Idcirco, si nullum sit testamentum, legata quoque in irritum recidunt. *(C. A. 647.)*

III. *Objectum* legati *generatim* loquendo est, quidquid in commercio positum est, sive res sit immobilis, sive mobilis, sive corporea, sive incorporea sit, sive actiones etc. *Speciatim* vero legati objectum differt juxta ejusdem materiae diversitatem, scilicet variarum rerum legatarum. *(C. A. 653. et seq.)* Ut autem multa brevitatis causa omittam, hic tantummodo nonnulla leviter attingam, quae ad legatum vitus, alimentorum, educationis, gemmarum aliarumque rerum hujusmodi pertinent.

1° Igitur *victus* legatum cibum complectitur atque potum, quibus indiget legatarius, dum vivit. *Alimentorum* legatum comprehendit, praeter cibum et potum, vestes, habitationem aliaque hujusmodi, quae ad vitam alendam tuendamque valetudinem toto vitae decursu requiruntur; quinimo necessariam complectitur institutionem ad congruentem statui educationem. Legatum *educationis* ea omnia comprehendit, quae alimentorum legatum, hoc uno discrimine, quod educationis legatum tantum ad annum 24um perseverat. *(C. A. 672.)*

2° *Gemmarum* legatum lapillos dumaxat pretiosos verasque complectitur margaritas. Aliquando tamen per similem vocem etiam gemmae in latiori sensu designantur, quae falsos quoque complectuntur lapillos, atque ornamenta auro argentove contexta, quae corporis ornamento inserviunt. Ceterum res, quae *ornatus* vocantur, ea omnia praeseferunt, quae ad corpus excolendum attinent, exceptis vestibus iisque omnibus, quae gemmae in latiori sensu nuncupantur. *(C. A. 678.)*

3° *Pecuniae* legatum pecuniam comprehendit ex auro vel argento aliove metallo confectam atque usu alicubi receptam, ea tantum dempta, cujus usus plane exsolevit; haec enim ut metallum censetur. Pecuniae legatum chartas denique complectitur vulgo nuncupatas *publici crediti* *(C. A. 680.)*, quae chartae in publico commercio veluti pecunia reipsa talis habentur.

4° *Auri* vel *argenti* legatum non complectitur pecuniam ex auro vel argento confectam (pecuniae enim legatum in lege austriaca ab auri vel argenti legato profecto discernitur), sed complectitur metallum aureum vel argenteum, sive elaboratum sit, sive rude. *(C. A. 679.)* Si vero testator legat tantum aurum vel argentum elaboratum, illud intelligitur, quod hominis necessitati per artificialem formam inservire debet, uti sunt annuli, candelabra, arma mensalia, fibulae; imo et illud, quod artifex opere nondum absoluto elaborandum aggreditur. Quod si testator legat aurum vel argentum non excultum, illud quoque praeter rudem materiam intelligitur, quod aut fractum aut adeo contusum est, ut nullius hominis necessitati inservire queat. Nec hoc auri vel argenti legatum comprehendit aliud metallum inauratum aut argento obductum; aurum enim et argentum hoc in casu non sunt principale, sed accessorium. —

Ast quid agendum, si quid propter materiam ad auri vel argenti legatum, propter formam vero ad aliud legatum pertineat, uti v. g. videre est in armis mensalibus argenteis? Si eorum materiam spectes, ad argenti legatum ipsa pertinent; si formam, ad suppellectilia, quia legatum suppellectilium non modo complectitur res, dictas vulgo mobilia, de quo infra dicemus, sed etiam ea omnia, quae domesticus requirit usus, uti sunt vasa vinaria, instrumenta ad epulas instruendas mensamque comparandam etc. *(C. A. 674.)*

Resp. In hac quaestione igitur austriaci codicis interpres *Tuglioni* sentit, ipsa attinere ad suppellectiles, ad quarum naturam propius accedunt.

5° Si testator omnia sua legat *credita*, (ut nomen ipsum innuit) ea tantum veniunt credita, quae jus tribuunt personale, quaeque tantum debitoris fidem respiciunt et ex ipsa pendent; non vero ea credita, quae jus tribuunt reale, ut esset mutuum cum hypotheca (nisi contrarium praesumi debeat), nec chartae vulgo *publici crediti* nuncupatae, quia, ut diximus, ad pecuniae legatum referuntur. *(C. A. 668.)*

6° Demum legatum in jure austr. expressum per *mobilia* ad ea omnia refertur, quae ad convenientem domus habi-

tationem spectant, uti sunt cubilia, sedilia, specula, vela fenestris appensa, tabulae, tabulae pictae: haud vero ad picturarum collectiones, libros et res lintearias, quae habitationis usui atque ornatui minime inserviunt. Excipiuntur quoque res, quae habentur ut immobiles, quamquam ad aedium spectent ornamenta.

IV. De *tempore*, quo legata sunt solvenda. Legata ad causas pias pertinentia, parvae famulatus remunerationes et res singillatim exstantes statim adita haereditate sunt solvenda; reliqua vero nonnisi post annum a testatoris obitu. *(C. A. 685.)* Alimentorum quoque legatum in antecessum solvi debet: quomodo secus legatarii vitam degere queunt, si nihil aliud habeant? Legatum menstruum, annuum, si pium, in antecessum, si profanum, hoc tempore exacto est persolvendum. Hic demum advertere juvat, hujusmodi legata profana, ad finem solvenda vel mensis vel semestris spatii vel anni, integre esse praestanda, quamvis legatarius ante praefinitum tempus e vita discedat. *(C. A. 687.)*

V. Legatum, quod legatarius aut non vult aut non potest adire, cedit substituto: hoc deficiente, ceteris legatariis, si indeterminatim aut aequis partibus legatum ipsis fuit relictum; secus ad haeredes spectat. *(C. A. 689.)*

VI. De legati *interpretatione*. Hae sunt regulae interpretandi legata:

1° Verba, quibus testator usus est, in sensu vulgari accipiuntur, nisi adversarius probet, quasdam voces in sensu plane peculiari ipsum usurpare consuevisse, vel more patrio, vel nisi alias penitus frustraneum legatum foret. *(C. A. 655.)* 2° Praesumi debet, testatorem minus onus haeredi, prae aliis dilecto, imponere. Idcirco in dubio, utrum legatum sit temporarium an perpetuum, temporarium est censendum; et si testator legavit fundum et duo exstant fundi ejusdem nominis, fundus minoris pretii ab haerede praestandus est legatario. *(C. A. 656.)*

Vide in auctore *n. 830. et seq. Quaer. 1°. Quaer. 2°. Quaer. 4°. Quaer. 5°.*

De restrictione et revocatione ultimae voluntatis.

I. Testator restringit suam voluntatem, dum ejusdem valor pendet vel ex adjecta conditione, vel ex certo tempore, vel ex mandato aliquo, vel ex determinato quodam fine. *(C. A. 695.)*

1° De varia conditionum divisione in tractatu de contractibus in genere dictum est. *a)* Conditiones prorsus obscurae pro non adjectis habentur; *b)* idem valet de conditionibus *dissolventibus*, quae sunt de re impossibili vel inhonesta; ast *suspendentes* hujus generis conditiones ultimam voluntatem irritam reddunt; *c)* si res possibilis et licita ceu conditio adjicitur, jus inde dependens nonnisi illa rite adimpleta acquiri potest. *(C. A. 697. et seq.)* 2° Restrictio ultimae voluntatis ad aliquem temporis futuri terminum aliquando pro conditione habetur, aliquando autem regulas speciales sequitur. (Vide *C. A. 704. et seq.)* 3° Etiam mandatum, sub quo testator aliquid cuipiam assignavit, pro conditione dissolvente habetur. Quod si mandatum non ex integro impleri potest, haeres vel legatarius faciat saltem, quantum valet. Si demum eidem ne ex parte quidem satisfieri possit, haeredi vel legatario res assignata relinquitur, nisi vel semetipsum impotentem fecerit, vel de voluntate testatoris contraria sufficienter constet. *(C. A. 709. 710.)* 4° Ubi testator finem, ad quem bona relicta destinaverit, equidem expressit, non tamen proprie mandatum circa eum imposuit, haeres vel legatarius obstringi nequit, ut illa hunc in finem impendat. *(C. A. 711.)*

II. Testator duobus modis revocare potest testamentum: 1° Testamento aut codicillo posteriori: caute tamen distinguendum inter testamentum et codicillum. *(C. A. 713. et seq.)* 2° Revocatione vel expressa, vel tacita, vel praesumpta. *(C. A. 717. et seq.)*

De successione ab intestato.

Succedunt ab intestato in haereditatis bona:

1° Filii tam masculi, quam foeminae aequaliter, vel illorum repraesentantes, et etiam illegitimi in matris tantum, non vero patris haereditatem. *(C. A. 732. 754.)* Conjux superstes, etiamsi non indigeat, jus habet ad usumfructum quartae partis, si unus, duo vel tres filii supersint; si plures exstent, conjux personam unius filii gerit, sed tantummodo obtinet suae partis usumfructum. *(C. A. 757.)* 2° Si desint filii, succedunt genitores, et inter eos aequaliter dividitur haereditas: his deficientibus, veniunt repraesentantes, et tunc conjux superstes dominium quartae haereditatis partis obtinet. *(C. A. 758.)* 3° Istorum defectu veniunt avi vel eorum descendentes, et sic per sex lineas transmittitur haereditas. Si istae lineae sint exstinctae, conjux superstes integra potitur haereditate *(C. A. 759.)*, et isto deficiente haereditas fisco adjudicatur. *(C. A. 760.)*

Et haec quidem obtinent, si inter conjuges divortium non intercessit; qui enim *sua culpa* ab altero separatus fuit, etiam jure in ejusdem bona succedendi destitutitur. *(C. A. 759.)*

De portione legitima, de collatione ac de haeredibus necessariis.

I. *Portio legitima* est pars ex lege haeredibus necessariis designata. *(C. A. 762. et seq.)*

II. *Collatio* est actio, qua unus ex haeredibus in assem haereditarium ea bona refert, quae a testatore adhuc vivente accepit, ut inter omnes ex aequo dividantur.

Referri debet in assem haereditarium, quod filiae dotis, aut filio collocationis v. g. matrimonii ineundi causa traditum est; aut quod ipsi immediate traditum est ad munus publicum aut privatum assequendum vel ad artem exercendam: non vero expensae factae a patre educationis causa pro studiis, libris etc. *(C. A. 154.)*; demum quod traditum est filiis post majoritatem ad debitorum exstinctionem. *(C. A. 788.)*

Si vero genitores decedant cum testamento nec ullum quidem verbum fecerint de collatione eorum, quae filiis dederunt praeter casus modo dictos, tunc res eae donatae censentur, nec in assem referri debeat. *(C. A. 791. et seq.)*

III. *Haeredes necessarii* sunt:

1° Filii de medietate bonorum, quae ipsis deberentur per legem sine testamento. 2° Deficientibus filiis parentes de tertia parte eorum, quae ipsis tribuerent leges. *(C. A. 776.)* 3° Uxor superstes, si indigeat, jus habet ad congruam sustentationem, usquedum ad alias transeat nuptias. *(C. A. 796.)*

IV. Pater filium privare potest haereditate, si christianam deserat religionem; si indigenti patri non subveniat; si damnatus fuerit ad carcerem toto vitae curriculo vel ad viginti annos; si constanter duxerit vitam improbam. Ob eadem crimina filius genitores haereditate orbare potest, et praecipue, si ipsi filiorum educationem graviter neglexerint. *(C. A. 768. et seq.)*

Ceterum, etiamsi haeres necessarius a parte legitima juste exclusus fuerit, nihilominus necessario ejusdem victui provideri debet. Pari modo, quamvis nulla desuper conventio praecesserit, uxori superstiti, donec ad alias nuptias transeat, honesta sustentatio debetur, qua indiget, nisi sua culpa a conjuge sejuncta fuerit. *(C. A. 795. et seq.)*

Vide in auctore *n. 808. et seq. Qu. 1°. Qu. 2°. Qu. 3°. Qu. 4°.*, ac *n. 826. et seq.* a *Qu. 6°.* usque ad *Qu. 10°.* incl., in quibus quaestionibus, si quid discriminis interest in responsione, e dictis ex codice austriaco in hujusmodi capite facillime deducitur.

De aditione haereditatis.

I. Nemini conceditur, ut propria dumtaxat auctoritate haereditatem adeat, sed causa isthaec semper ad judicem deferri ibique juxta leges vigentes expediri debet. Quare haereditatem aditurus titulum, ex quo jus suum repetit, proferre, atque diserte suam haereditatis adeundae voluntatem declarare debet. *(C. A. 797. et seq.)*

II. Simul profiteri debet, utrum illam *absolute*, an vero *cum beneficio inventarii* adire velit. Qui haereditatem absolute acceptavit, omnibus tum legatariis, tum creditoribus defuncti satisfacere tenetur, etiamsi haec debita illam excedant. Contra, qui cum beneficio inventarii illam adiit, creditoribus atque legatariis eatenus solum obstringitur, quatenus bona relicta sufficiunt ad exstinguendas tum illorum, tum suas exactiones, quas nempe repetendi jus habet aliunde, quam ex titulo haereditatis. *(C. A. 800. et seq.)*

Magis specialia circa beneficium inventarii vid. in *C. A. 803. et seq.*

Item de convocatione creditorum ad debita eruenda v. *C. A. 813. et seq.*

III. Quando haereditas, quam quis adierat, postmodum vel tota, vel quoad partem ab alio evincitur, in illa restituenda idem obtinet, quod leges generatim de possessore bonae vel malae fidei decernunt. *(C. A. 824.)*

Vide in auctore *n. 823.: Haeres acceptare etc.* ac *De exsecutore testamenti n. 834.* et *C. A. 816. et seq.*

§. III.

De donatione mortis causa.

835. — Donatio mortis causa ea est, quae intuitu mortis fit(¹): est ex natura sua necessario revocabilis.

Haec de jure communi:

Valet donatio mortis causa, modo debitis vestiatur conditionibus, scilicet: 1° fieri debet intuitu mortis, secus donatio *inter vivos* censeretur; 2° acceptari debet ante mortem donatoris ab ipso donatario; 3° si donatarius praemoriatur, ipso facto revocatur nec ad ejus haeredes transit. — *S. Lig. n. 741.*

Nota: De *jure gallico* donatio mortis causa non admittitur. Declaratur enim in *art. 893.*, neminem de bonis suis disponere posse gratuito, nisi per dispositionem inter vivos aut per testamentum

(¹) ita ut donator velit, rem dono indicatam demum post suam mortem fieri propriam donatarii — *Scav.*

in formis a lege praescriptis. Hinc de ea dicendum videtur, sicut de testamentis formalitatibus destitutis. — Videtur tamen certo valere velut donatio manualis *inter vivos*, quia lex istam non afficit, sed tantum actionem quoad donationes de manu ad manum denegat; proinde idem dicendum videtur de donationibus mortis causa. — *Gousset, Code commenté art. 893. et varii jurisperiti.* (1)

Quaesita:

836. — Quaer. 1° *An ille, qui donatus est re mobili mortis causa, possit illam occulte recipere mortuo donatore?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius,* modo sit certus de donatione et ultima voluntate defuncti, quia habet jus in re donata; ergo jure suo utitur et permissive se habet ad privationem alterius. Deinde res non fuit donata ut solvenda, sed ut ab ipso donatario accipienda.

Quaer. 2° *An valeat donatio manualis ab ipso aegroto facta sub conditione, ut res donata sibi restituatur, si convalescat?*

Resp. Affirmative. Etenim 1° valet ut donatio mortis causa, etiam de *jure gallico*, quod donationibus manualibus non obstat; 2° valet etiam, quatenus donatio *inter vivos*, si non sit revocabilis ad nutum donatoris, sed tantum ex eventu sanitatis; quia tunc ut donatio conditionata *inter vivos* haberi potest.

Quaer. 3° *An eadem donatio valeat sub conditione, ut restituatur, si repetatur?*

Resp. Affirmative probabilius. Quamvis non valeat ut donatio *inter vivos*, cum donator re sua non se spoliet irrevocabiliter, valere tamen potest tamquam donatio mortis causa propter traditionem realem, quae non minus roboris habere debet, licet mortis mentio non fiat.

Resolves:

837. — 1° Non est donatio mortis causa, sed *inter vivos,* dispositio, qua quis statim et irrevocabiliter alteri donat dominium rei, cujus usum vel usumfructum sibi reservat usque ad mortem.

2° Neque ut donationes mortis causa habendae sunt, sed *inter vivos*, dispositiones, quibus aegroti dant actualiter et irrevocabiliter personis praesentibus, v. g. parentibus, famulis, amicis, res mobiles aut etiam immobiles absque ulla conditione mortem respiciente.

3° Non vim donationis mortis causa habent promissiones, quae solent fieri in vita de re aliqua in morte danda parentibus, famulis, amicis; neque vi talis promissionis quispiam poterit vel quid minimum praetendere, quia promissiones illae non solent denotare aliud, nisi merum propositum seu bonum animum donationis alias faciendae. Cavendum igitur, ne famuli et amici etc. facilius voluntatem defuncti in sui favorem interpretentur ad res varias praetextu promissionis vel donationis occulte subripiendas. — *Recole dicta supra de promissione n. 800.*

§. IV.

De fideicommissis et substitutione. (1)

838. — *Fideicommissum* est dispositio, qua donatarius vel legatarius obligatur, ut rem donatam aut ejus partem alicui tradat.

Substitutio, licet quandoque fideicommissi nomen obtineat, latius tamen se extendit, quippe quae generatim sumpta definitur: dispositio, qua quis vocatur ad haereditatem vel legatum in alterius defectu.

Duplex est substitutio, alia *fideicommissaria,* quae idem est ac fideicommissum, et alia *directa,* qua quis directe et proprio nomine loco alterius ad haereditatem vocatur, posito nempe, quod ille rem accipere nequeat vel nolit.

---

* (1) Quoad jus austriacum v. *n. 801. not.*

* (1) Quoad jus austr. v. supra post *n. 834.* De substitutione haeredum.

Quaer. 1° *Quaenam substitutiones* jure gallico *prohibeantur?*

Resp. Prohibentur omnes dispositiones, quibus quis vocatur ad bonum accipiendum sub onere rem servandi et dein reddendi tertio.(1) — Hinc non prohibentur substitutiones, in quibus non servari debent aliquamdiu bona, sed statim ad tertium transmittenda sunt.

839. — Quaer. 2° *Quaenam vero sint substitutiones* a jure gallico *permissae?*

Resp. 1° Valent substitutiones directae seu testamentum, quo secundus instituitur legatarius defectu prioris, si hic legatum accipere nolit vel non possit *(C. C. 898.)*. 2° Item donationes, quibus ususfructus uni, et proprietas ejusdem rei alteri datur, non habendae sunt ut substitutiones, cum uterque statim fiat rei sibi legatae dominus *(C. C. 899.)*. 3° Valent dispositiones, quibus aliquis bona, quorum liberam dispositionem habet, alicui donat cum onere ea restituendi uni aut pluribus ex descendentibus donatarii usque ad secundum gradum tantum. — *Ita lex 17. Maji 1828., modificans Cod. civ. art. 1048. et seq.*

Quaer. 3° *An valeant in foro conscientiae substitutiones fideicommissariae a lege prohibitae?*

Resp. Videtur eadem esse quaestio, ac pro testamentis formalitatibus destitutis; unde possessori ante judicis sententiam favendum est.

840. — Quaer. 4° *An fideicommissa occulta*(2) *erga inhabiles, v. g. erga mortuos civiliter aut filios illegitimos, valeant?*

Resp. Habenda sunt ut invalida etiam in foro conscientiae, quia lex statuens incapacitatem irritat ipso facto et quidem in foro interno: hoc etenim postulat commune bonum et praesertim publica moralitas pro illegitimis et spuriis, saltem recognitis. — *Ita Antoine — Bouvier etc. — C. C. 908. 911.*

Quaer. 5° *An valeant in foro conscientiae fideicommissa occulta pro causis piis vel sub forma donationis simulatae, testamenti aut legati ficti in favorem alicujus privati?*

Resp.(1) 1° *Affirmative,* si agatur de donationibus manualibus vel de rebus, quae diu conservari non debent ante transmissionem; vel etiam *probabiliter,* si non debent conservari usque ad mortem donatarii: quia lege non prohibentur.

2° Quod spectat ad alias donationes fideicommissarias, respondendum est, sicut de testamentis ad pias causas formis carentibus. — *Recole igitur dicta supra n. 818.*(2)

---

(1) Toute disposition par laquelle le donataire, l'héritier institué, ou le légataire, sera chargé de conserver et de rendre à un tiers, sera nulle, même à l'égard du donataire, de l'héritier institué, ou du légataire. — *Art. 896.* — *Vide Rogron et Gousset, expl. Cod. civ.*

(2) Dispositiones testamentariae, quibus aliquis instituitur haeres vel legatarius data *clam* fide de legato vel haereditate alteri restituenda, vocantur institutiones *fiduciariae* ad differentiam a *fideicommissariis,* quae *palam* onus restitutionis imponunt. Fiduciariae communiter per leges non admittuntur, quia fons litium. Haeres autem sic institutus in foro conscientiae haereditatem retinere nequit, ut patet, sed tenetur clam datam fidem exsequi, si legitima sit (i. e. si lex in conscientia obligans non obstet), vel haereditati renuntiare, ut sic ad haeredes ab intestato transeat. — Ita *Scav.* Ceterum cf. etiam *S. Lig. n. 951. 952.*

(1) Quoad causas pias v. *notam seq.*

(2) Consultatio *S. Poenitentiariae circa fideicommissa, a D.* Mercier, *Andegavensi canonico, facta.* — *Eudorius* coelibatarius, haeredibus necessariis destitutus, graviter decumbens, ut animae suae consulat, statuit partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem *Bonifacium* legatarium universalem instituit per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum *Bonifacio* tradit, in quo piam manifestat voluntatem postulatque ab ipso, ut eamdem fideliter exsequatur. *Bonifacius* vero, mortuo *Eudorio,* haereditatem integram servat ex eo, quod testamento valido illam teneat.

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO.

841. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum gratis conceditur pro certo tempore, cum onere rem eamdem in sua individuali forma restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur: contractus, quo alicui petenti conceditur usus rei alicujus ad concedentis voluntatem revocabilis. Differt ergo precarium a commodato in eo, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc commodatum differt 1° a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non titulo gratuito; 2° a deposito, quo res conceditur non ad usum, sed ad custodiam; 3° a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Obligationes commodatarii.

842. — Generatim uti debet re sibi commodata tamquam bonus paterfamilias; speciatim vero:

1° Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter judicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.(1)

2° Subire debet impensas necessarias, ut res conservetur, alere v. g. equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. g. ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3° Rem commodatam praefixo tempore reddere debet propriis expensis, etiamsi non repetatur, quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus praefinitum non fuerit, *per se* restitui debet res commodata statim, ac postulatum usum praestiterit.(1)

4° Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patiatur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non tenetur. Si deterior facta sit culpa ipsius juridica, tenetur in foro externo compensare et juxta theologos non paucos etiam in foro interno, cum contractus sit in solam ejus utilitatem initus. *Negant* tamen *probabiliter alii,* nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit.(2)

Obligationes commodantis.

843. — 1° Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus per conventionem praefixum, et deficiente conventione ante tempus necessarium, ut commodatarius ea uti valeat: alioquin tenebitur de damno, quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, quia violavit alienum jus per pactum acquisitum. Excipe: si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus praefixum moritur: vel si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat(3).

2° Tenetur restituere impensas extraordinarias, necessarias et urgentes, quas in re conservanda fecit commodatarius, qui commodantem monere facile non potuit.

3° Tenetur rei commodatae vitia aperire commodatario, si quaedam habeat nociva, quorum ipse conscius sit; alias damnum inde proveniens compensare debebit.

4° Tandem tenetur, seclusa mora, culpa, pacto et peculiari lege, rei

---

Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit?

Sacra Poenitentiaria *(23. Jun. 1844.)* respondit in casu exposito: *Bonifacium teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certe cognitam. Pro foro conscientiae.* — (Nota auctoris.)

* (1) Damna, quae etiam fortuito eveniunt. *(C. A. 979.)*

* (1) Si non est determinatum nec tempus, nec finis, commodator potest ad libitum repetere. *(C. A. 974)*

(2) V. etiam *notam* sub fine *n. 661.*

(3) ne scil. damnum subeat, licet simile damnum immineret commodatario ex rei repetitione ante tempus. — *S. Lig. n. 747.*

ıtque detrimenta ex casu for-
a sustinere, quia juxta axioma
domino.

Res utiles quaecumque, sive
ive immobiles, in civili com-
ıcitae objectum commodati et
ıse possunt, modo consumptibi-
ıt primo usu, cui destinantur.

CAPUT IV.

:POSITO ET SEQUESTRO.

I. De deposito.

— *Depositum* est contractus,
custodienda committitur, et
in integrum restituenda,
eponenti libuerit.

ligationes depositarii.

ıetur rem depositam servare
lire ea cura et diligentia,
nines diligentes adhibere so-
: simili ac propria conser-
anc enim rei traditae custo-
:epit. Si res deposita ex dolo
incuria theologice culpabili
d restitutionem tenetur.
ıil exigere potest pro rei cu-
isi dominus ei mercedem ex-
omiserit, quia depositum pu-
itur in gratiam solius depo-
Quod si pactum de mercede
rit, tunc depositum transit in
n operae, scilicet in rem de-
:ustodiendam.
tatur uti re deposita sine
domini expresso vel tacito
n prudenter praesumpto; non
licet re aliena inconsulto
')
ıetur rem depositam petenti
ddere; nam secus rem alie-
:ret invito rationabiliter do-
:xcipe: si deponens eam re-
suum vel alienum damnum;
:s sit furtiva et dominus eam
vel etiam, si depositarius ju-
ıeat causam compensationis.
ıita debet in eo statu reddi,
:peritur tempore restitutionis,

:tiam *S. Lig. n. 748.*

cum fructibus ex ea perceptis. Si tamen culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.(¹)

Obligationes deponentis.

Deponens tenetur solvere expensas, quas fecit depositarius in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus, quae passus est occasione depositi. Sic v. g., si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas; sed, si equus ille morbo contagioso laboret et inde equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum: *Officium suum nemini debet esse damnosum.*

II. De sequestro.

845. — *Sequestrum* est depositi species, quo res controversa deponitur apud tertium, ut post sententiam judicis vel arbitri vincenti tradatur.

Duplex distinguitur sequestrum: *conventionale*, quod fit juxta mutuam contendentium conventionem, et *judiciarium*, quod per sententiam judicis decernitur. De utroque satis erit innuere sequentia:

1° Sequestri tam conventionalis, quam judiciarii objectum potest esse res mobilis vel immobilis.

2° Sequestrum conventionale potest esse non gratuitum, et tunc est operae conductio istiusque contractus legibus subjicitur. Si vero gratuitum sit, iisdem regulis subjacet, ac depositum. Non dissolvitur tamen, nisi mutuus partium consensus vel legalis causa superveniat.

3° In sequestro judiciario custos curam boni patrisfamilias gerere debet; committens vero custodiae mercedem per jus statutam depositario solvere tenetur. Sic de jure naturali et positivo.

* (¹) Si depositarius in communi periculo ad conservandam rem depositam, propriam perire permiserit, aliquam damni reparationem a domino rei depositae postulare potest. *(C. A. 967.)*

CAPUT V.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE.

I. De mandato.

846. — *Mandatum,* de quo agitur, est contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratuito suscipitur, v. g. negotium aliquod conficiendi, aliquid emendi, vendendi etc. Dixi *gratuito;* nam, si ob sancitum pretium(1) suscipiatur, potius operae locatio nuncupatur.(2)

Obligationes mandantis.

1° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas; non autem id, quod ultra mandatum confectum est, nisi illud expresse vel tacite ratum habuerit.

2° Procurare debet mandatario ea, quae ad mandati exsecutionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3° Indemnem facere tenetur mandatarium ratione damnorum, quae praecisa culpabili imprudentia occasione mandati passus est; nemo enim tenetur nec censetur velle alteri beneficium conferre cum proprio rei suae dispendio.

Obligationes mandatarii.

847. — 1° Tenetur mandantis negotium diligenter atque velut proprium gerere. Unde saltem de dolo et incuria theologice culpabili tenetur.

2° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi praescriptum est; secus enim vi mandati non ageret.

3° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit vel ipse eam antea petierit(1), nec ei licet operam occulte compensare.

4° Non potest *per se* sibi retinere lucrum, si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum: 1° si res ejus speciali industria et indebito labore melior evaserit; 2° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum; 3° si venditor mera ipsius gratia pretium imminuerit vel emptor majorem summam obtulerit. — *S. Lig. n. 825.*

Nota: Mandatum tribus modis scinditur: 1° revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest; 2° renuntiatione mandatarii, tempore debito notificata(2); 3° morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis(3) sive mandatarii.

II. De negotiorum gestione.

848. — *Gestio negotiorum* est actus, quo quis absentis negotium utiliter gerendum suscipit sine mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter praesumpta.

1° Gestor negotii tenetur, perinde ac mandatarius, alterius rem administrare tamquam bonus paterfamilias, et resarcire damna absenti ex suo dolo, negligentia vel culpa illata. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest, etiam in foro externo, obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius gerit defectu peritioris.

2° Absens, cujus negotium geritur,

---

(1) Manet enim gratuitum, si detur aliquod honorarium. — *Scav.*

* (2) Conventio de remuneratione esse potest vel expressa, vel tacita, quae posterior ex mandatarii qualitate est colligenda. *(C. A. 1004.)*

* (1) vel tacite convenerit, quod ex mandatarii qualitate est colligendum. *(C. A. 1004.)*

* (2) Mandatarius dimittere nequit mandatum in iis circumstantiis, in quibus mandanti dimissio haec nocet. *(C. A. 1021.)*

* (3) ita tamen, ut mortuo mandante mandatarius ad finem perducere debeat mandatum, quod post mandantis obitum perseverat. *(C. A. 1022.)*

tenetur servare conventiones a gestore rite factas, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

Probabilius jus habet ad mercedem congruentem; secus enim pauci invenirentur, qui negotia absentis gratuito gerere vellent. — *Ita Antoine p. 2. c. 4. in fine* et *alii.*(1)

CAPUT VI.

DE MUTUO.

Agendum: 1° de natura contractus mutui; 2° de lucro ex mutuo percepto seu de usura; 3° de titulis ab usura excusantibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA CONTRACTUS MUTUI.

849. — Vox *mutuum* juxta vim nominis significat, aliquid *ex meo tuum fieri.* Aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita, aliquando vero, et saepius, pro contractu, quo ea res alteri datur. In hoc posteriori sensu hic accipitur.

Mutuum definiri solet: contractus, quo res primo usu consumptibilis alteri traditur cum obligatione, rem similem reddendi statuto tempore atque in eadem specie et bonitate.

Hinc mutuum differt a commodato, locato et deposito: 1° quia in mutuo res debet esse primo usu consumptibilis: secus in aliis; 2° quia res non in individuo, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3° quia in mutuo transfertur rei dominium, et non in aliis; 4° quia in mutuo res perit accipienti, in ceteris tradenti.(2)

Nota 1° Res primo usu consumptibiles sunt ea omnia, quae natura sua destruuntur et consumuntur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, vinum, oleum, sal, fructus etc.(1)

Nota 2° Ratio, quare in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia, cum res mutuata sit primo usu consumptibilis(2), ejus usus non distinguitur a dominio ipso, siquidem consumens rem aliquam de ea omnino disponit; unde expensae omnes et rei pericula cedunt mutuatario, utpote vero domino.

Principia:

850. — I. Datur praeceptum strictum mutuandi respectu pauperum, qui in necessitate versantur et sunt habituri, unde restituant; secus vero, si non habituri sunt, unde restituere valeant. *Ratio primi est,* quia(3) adest obligatio stricta caritatis subveniendi proximo in necessitate posito juxta regulas et principia statuta in tractatu *de virtutibus,* ubi de caritate erga proximum. *Ratio secundi est,* quia, cum in hypothesi pauperes non praesumuntur habituri, unde solvere queant, obligatio ipsis imponi nequit reddendi id, quod minime reddere poterunt; ac proinde contractus mutui cum ipsis locum habere nequit.

Nota: Saepius abest praeceptum mutui erga pauperes ex eo, quod non praesumantur habituri, unde aequivalens reddere valeant. Sed urgere potest praeceptum eleemosynae *alicujus* ipsis erogandae. Dico *alicujus;* quia non teneris tantum eleemosynae praestare, quantum pauper ex mutuo efflagitabat. Sunt enim alii, qui etiam ipsi opitulari possunt et tenentur.(4)

---

* (1) Quod spectat ad eum, qui absque mandato negotium alterius gessit, cognosci oportet, num urgente necessitate, an ad illius emolumentum, an demum contra ejusdem voluntatem id fecerit. Quae pro hisce singulis casibus decernantur, vide in *C. A. 1036. et seq.*

(2) Mutuum *dare* possunt omnes, qui libera gaudent bonorum suorum administratione nec lege prohibentur; *recipere* vero, qui ex contractu obligari possunt. Filiisfamilias autem pecuniam mutuam dare per legem civilem (si quosdam casus excipias) prohibetur et, si data fuerit, nec post eorum emancipationem repeti potest. — *Scav. etc.* Hanc porro dispositionem non solum actionem civilem negare, sed etiam pro conscientiae foro valere, *S. Lig. n. 757.* et auctores sat communiter docent. Exceptionem, quam auctores recentiores statuunt, v. supra *n. 765. 1°.* In praxi sane lex ipsa, quae alicubi viget, attente perpendenda erit.

(1) Etiam pecunia mutuo data communiter hisce accensetur, cum ipso usu pro possidente moraliter destruatur. — *S. Lig. n. 754. 759.* Sed cf. etiam *n. 851. Resp. ad 2um* et *notam* ad *n. 866. Obj. 3°.*

(2) et jus, eam consumendi, in mutuo tradatur —

(3) interdum —

(4) Cf. infra *n. 875. 5°. 6°. 10°.*

II. Datur etiam praeceptum mutuum concedendi divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam eo indigent; non autem datur obligatio illud dandi divitibus, qui ad augendas opes idem postulant. *Ratio primi est*, quia praeceptum caritatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit, ut hoc libenter praestemus, quod in pari casu nobis praestari vellemus, saltem si absque incommodo ipsis per mutuum succurrere possimus. *Ratio* autem *secundi est*, quia hujusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, nec proinde ullum erga eos urget praeceptum.

Quaesita:

851. — Quaer. 1° *Quae sint obligationes mutuatoris et mutuatarii?*

Resp. ad 1um Obligationes mutuatoris sunt sequentes:

1° Tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditae, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis; alias hic non consentit fitque ei injuria, quam reparare tenebitur mutuans.

2° Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod judicio prudentum definiendum consideratis circumstantiis et fine, ob quem res mutuo data est. Tenetur tamen rem recipere, si afferatur ante, quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3° Tenetur *per se* non plus recipere, quam res mutuata valuerit tempore, quo mutuo data est; quia mutuum de se est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus non imponat mutuatario, quam ut reddat in specie debito tempore id, quod accepit. — *S. Lig. n. 754. 755.*

Resp. ad 2um Quoad obligationes mutuatarii:

1° Tenetur de omni casu fortuito, ita ut non liberetur, donec mutuator mutuum receperit vel per ipsum, vel per alium designatum, quia, cum mutui dominium habeat, si pereat, ipsi perit.(1)

(1) Cf. *n. 711.*

2° Reddere debet res physice consumptibiles in eadem specie physica, mensura, numero, pondere(1). Quoad pecuniam vero, quae moraliter tantum perire censetur, sufficit, ut juxta eumdem valorem restituatur, quia in pecunia potius ad valorem, quam ad speciem attenditur; secus vero in aliis.(2)

Nota: Plures negant, pecuniam mutuo traditam divitibus seu mercatoribus ad commercium peragendum esse mutuum proprie dictum, quia pecunia, saltem in eo casu, non est res primo usu consumptibilis. Sed hac de re fusius infra.

852. — Quaer. 2° *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat ejus pretium? An plus repetere, si decrescat?*

Resp. 1° Si, quando res mutuo traditur, aequale sit utrimque dubium, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci, ut in eadem bonitate et mensura reddi debeat, et eam suo tempore accipere, etsi pretium ejus valde sit auctum. Ratio est, quia, cum utrimque aequale fuerit periculum, jam eo ipso aequalitas servatur. — *S. Lig. n. 782.*

Resp. 2° Non est autem licitum *per se* pactum praedictum, si certo constet vel longe probabilius sit, tempore solutionis valorem auctum iri. Ratio est, quia secus non servatur aequalitas, sed plus exigitur, quam datur tempore mutui concessi, quod iniquum est. Hinc, si modius tritici nunc valeat tribus francis et valiturus sit quatuor tempore restitutionis, non licet pacisci, ut totidem solvantur. Excipe tamen: si statueris rem servare

(1) tempore et loco statuto.

* (1) Si intra contrahentes de restituenda pecunia mutuata in eadem specie fuerit conventum, in eadem specie reddi debet. *(C. A. 987.)* Et si valor pecuniae extrinsece seu ob pretii mutationem immutatus est, mutuatarius tenetur restituere speciem determinatam, sive valor auctus fuerit, sive imminutus. *(C. A. 988.)* Si vero species determinata non amplius exsistit, tenetur ad aliam, quae intrinsecum valorem prioris adaequat. *(C. A. 989.)*

n tempus pretii aucti, quia tunc exigi-
.ur ratione lucri cessantis. — *Lacroix*
. *3. p. 2. n. 910. et seq.* — *S. Lig.*
1. 782. etc.

Resp. 3° Si praevideas rei valoris
seu pretii imminutionem, potes repe-
ere, quanti valebat tempore mutui
lati, quia revera non plus exigis, quam
ledisti. — *S. Lig. ib.* — *Reuter etc.*

ARTICULUS II.
DE USURA SEU DE LUCRO EX MUTUO PERCEPTO.

Usura in lato sensu sumpta dici-
ur omne *lucrum* perceptum ex mutuo
vel illius occasione sive cum titulo,
sive absque titulo legitimo. Usura au-
tem *in sensu strictiori* est lucrum
mmediate proveniens ex mutuo seu
vi praecise mutui, aut absque justo
titulo.(1) Si limites justi tituli ex-
cedat vel erga pauperes exerceatur,
usura *oppressiva* nuncupatur.

Principia:

853. — I. Usura percepta *vi mu-
tui* in re primo usu consumptibili, ut
in vino, tritico etc., est prorsus illi-
cita. Ratio est, quia usus talis rei
non est pretio aestimabilis indepen-
denter a re ipsa mutuata; res autem
illa solum titulum praebet ad rei si-
milis restitutionem nec est permanens
usus, qui pretio aequivalere possit. —
Ita communiter.(2)

II. Usura *oppressiva* graviter juri
naturali repugnat, sive erga pauperes,
sive erga divites fiat: 1° *si fiat erga
pauperes*, quia mutuans ex caritate
mutuum gratuito dare tenetur; 2° *si
fiat erga divites* ultra limites justi
tituli (vel saltem taxae legalis), quia
justitia requirit, ut sit proportio inter
titulum hunc et lucrum inde perce-
ptum seu inter lucrum et usus valo-
rem. Constat ex variis textibus sacrae
scripturae.

III. Usura poterit ab omni injusti-
tia excusari, si adsit titulus justus,
v. g. damni emergentis etc. Ratio est,
quia tunc lucrum non vi mutui acci-
pitur, sed ratione extrinseci tituli.(1)
Licet enim tibi accipere, quantum tra-
didisti; porro, si ex datis centum num-
mis decem perdas, erogas aliquo modo
centum et decem; ergo centum et de-
cem accipere potes.

Quaesita:

854. — Quaer. 1° *An in dubio,
utrum mutuatarius dederit aliquid
supra sortem gratis vel non*(2), *pos-
sis id retinere?*

---

(1) Injustitia enim, quae non in mutuo, sed in aliis contractibus contingit, ex communi usu non appellatur *usura*, nisi adsit revera mutuum saltem implicitum. — *Scav.*

Usurae crimen tamen non adest, si quis exspectet pro mutuo aliquid non ut debitum, sed ex mera benevolentia (dummodo in similibus non subsit usura implicita), vel si exigat rem aliunde jam ex justitia debitam, cum sic de facto nullum onus vel saltem novum non imponatur. — *S. Lig. n. 774. 777. et seq.*

(2) Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 10. c. 4. n. 2. et seq.* Brevius *S. Lig. n. 759.*

(1) Hinc communius quidem ajunt, usurarium esse, aliquid supra sortem exigere, eo quod mutuans se obliget, ipsum mutuum *brevi* tempore non repetere; id enim sufficienter innuit *prop. 42. Alexandri VII.* Sed sententia, quae hoc licitum ait, si in pactum deducatur *longum* tempus (v. g. 3 vel 4 annorum), non caret sua probabilitate. — *S. Lig. n. 760.; Hom. ap. tr. 10. n. 146.*

(2) Praeter usuram *explicitam, implicitam* (quando scil. expresse nulla conventio fit de usura, sed mutuans aliquo suo actu sufficienter declarat, se usuram exspectare) et *palliatam* (quae in alio contractu v. g. mohatra implicite continetur) distinguunt usuram *realem*, quae percipitur juxta pactum explicitum vel implicitum, a *pure mentali*, quae solummodo speratur, quin de facto detur, et a *simpliciter mentali*, quae revera ut illicita usura (non v. g. ut merum donum) datur vel accipitur, quin explicitum vel implicitum pactum praecedat. Nil porro restituendum est propter usuram pure mentalem, cum nil acceptum sit. Lucrum vero ex usura simpliciter mentali, quae contingit ex parte mutuantis et simul mutuatarii, certo restitui debet; non vero, si usura illa se habeat solummodo ex parte mutuatarii et mutuans in bona fide maneat (si enim postea certo comperiret,

Resp. Affirm. cum sententia communi valde probabiliori, si bona fide acceperis; si autem in dubio acceperis, restituere teneris saltem pro rata dubii juxta dicta *de possessore dubiae fidei n. 652.*, nisi ex circumstantiis praesumatur donatio, quae tamen non nimis facile praesumi debet. — *S. Lig. n. 761.*

Quaer. 2° *An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum ipsi denegetur?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti sive ut debitum ex justitia. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 763.* in hanc sententiam inclinat.

855. — Quaer. 3° *An sit usura, si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat etc.?*

Resp. Affirmative, si hoc in verum pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et injustum est. — *S. Lig. n. 780. etc.*

Quaer. 4° *An possit in pactum deduci donatio* antidoralis *seu quae ex animo grato fiat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia ex pacto necessario oriretur titulus justitiae, non vero donatio ex animo mere grato erogata. — *S. Lig. n. 764.* et *alii communiter.*

Nota: Usurarii eorumque cooperatores ex rigore justitiae ad restitutionem tenentur, quippe qui justitiam commutativam laedunt haud secus, ac ipsi fures; iis igitur regulae in *tractatu de restitutione* traditae applicandae sunt.(¹)

---

mutuatarium lucrum istud non gratis praestitisse, ut possessor bonae fidei obligaretur), vel si sit ex parte solius mutuantis et hic postea errorem suum cognoscat, licet hic et ille peccent. — *S. Lig. ib.* — *Scav.*

(¹) Hoc onus restituendi incumbit usurariis quoad usuram etc. (cf. etiam *S. Lig. n. 783. 773.*), non autem *(per se)* quoad fructus ex usura perceptos, nisi provenerint ex objecto, quod usu non consumitur, v. g. ex agro, domo; fructus enim ex re usu consumptibili censentur fructus industriae, non rei. (Cf. tamen supra *n. 636. Dico 2°. not.*) — *S. Lig. n. 784.* coll. *n. 776.* Si vero usurarius non restituerit, onus illud juxta vires haereditatis ad haeredes transit, sed probabilius (imo certo juxta *Bouvier*) non ad singulos in solidum, nisi forte res usuraria tota penes unum oxstet, cui tamen eo in casu regressus ad cohaeredes competit. — *Scav.* — *S. Lig. n. 790.*

Cooperantes vero tenentur juxta principia suo loco exposita. Excipe magistratus, qui usurarios permittunt ad majora mala vitanda. — *S. Lig. n. 787.*

Famuli cooperantes minus principaliter, qui v. g. solummodo pecunias numerant etc., nec peccant, nec restituere tenentur. Ut vero licite usuras *exigant,* vix sufficit sola ratio famulatus, sed requiritur praeterea saltem metus gravis damni; imo peccant et tenentur ad restitutionem, si usuras non simpliciter exigant, sed ad earum solutionem cogant. — *S. Lig. n. 789.*

Creditor, qui exigit usuras, quas ei usurarius debitor ad exstinguendum debitum a mutuatario exigendas assignat, ad restitutionem tenetur, modo ipsi constet, pecuniam illam revera usurariam esse. — *S. Lig. n. 788.*

Qui deponit pecuniam apud eum, quem scit ea abusurum ad usuras, peccat contra caritatem, si usurarius secus non haberet, unde usuras perciperet, sed non contra justitiam ideoque ad restitutionem mutuatariis praestandam non obligatur. — *S. Lig. n. 786.*

(¹) vel potius olim acris controversia habebatur.

(²) Cf. *prop. 41.* ab *Innocentio XI.* damnatam.

ARTICULUS III.
DE TITULIS AB USURA EXCUSANTIBUS.

Quinque praecipui numerantur, scilicet 1° damnum emergens; 2° lucrum cessans; 3° periculum sortis; 4° poena conventionalis; 5° lex civilis.

Quatuor priores communissime admittuntur; de ultimo acriter *controvertitur*(¹). De singulis perpaucis dicemus.

I. De damno emergente.

856. — *Damnum emergens* est detrimentum, quod patitur mutuans occasione mutui proximo praestiti.

I. Si mutui causa mutuans damnum(²) patitur, legitimus est titulus aliquid supra sortem aut rem mutuatam acci-

piendi. Ratio est, quia aequum non est, ut damnum ex mutuo feras; nemo enim tenetur cum damno proprio beneficium praestare, nisi in proximi necessitate. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 768.*

II. Conditiones vero sequentes ad hoc requiruntur: 1° ut mutuum sit causa damni; — 2° ut nihil praeter damni compensationem exigatur; — 3° ut auctarium ab initio in pactum deducatur. — *S. Lig. n. 769.*

857. — Quaer. 1° *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

Resp. Affirmative probabilius, cum *S. Lig. n. 769. etc.* Ratio est, quia mutuatarius est etiam tunc vera causa damni emergentis mutuum acceptando. Mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendae.

Quaer. 2° *An liceat mutuanti ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

Resp. Affirmative, dummodo proportio juxta damni timorem servetur. — *S. Lig. n. 770.* — *Salmant. tr. 14. c. 3. n. 85.*

Nota: Agendo hic de damno emergente omnino praescindimus a titulo legis civilis et a variis contractibus, vi quorum proventus ex pecunia alteri mutuata forte legitimari posset, ut ex dicendis patebit. Valeat etiam praesens animadversio pro titulis mox exponendis, scil. lucri cessantis etc.

II. De lucro cessante.

858. — *Lucrum cessans* est hic, quod mutuans servata re vel pecunia sua lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

I. Lucrum cessans legitimus est titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio est: 1° quia tunc vere *damnum emergens* habetur; 2° quia spes lucri est mutuo extrinseca et proinde pretio aestimabilis.

II. Conditiones requisitae: 1° eaedem sunt, ac in titulo praecedenti; 2° debet mutuans mentem habuisse pecuniam suam in negotiationem impendendi: secus enim lucrum non cessaret; 3° debet lucrum cessans non compensari per aliud occasione mutui, v. g. si loco negotiationis arti alicui lucrativae te applices sine majori incommodo. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 10. n. 149. et seq.*

Quaer. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniae mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?*

Resp. 1° *Affirmative* certo, si hanc reservaveris ad usum familiae, vel ne tuum statum periculo exponas, quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere. — *S. Lig. n. 771.*

Resp. 2° Etiam *affirmative probabiliter* in ceteris casibus, quia mutuum est vera causa, cur lucrum cesset. — *S. Lig. ib.*(1)

III. De periculo sortis.

859. — *Periculum sortis* est timor fundatus, ne sors recuperari nequeat.

Duplex periculum est: 1° *commune,* omni mutuo intrinsecum, v. g. timor, ne cuncta bona mutuatarii incendio pereant etc.; 2° *extraordinarium,* v. g. si mutuum detur prodigo vel homini dubiae fidei, aut naviganti, aut impensae magnae in sorte recuperanda timeantur.

1° Pro periculo *communi* nihil exigi potest. Ratio est, quia tale periculum est omnino mutuo intrinsecum et proinde ab ipso separari nequit. — *Ita omnes.*

2° Periculum *extraordinarium* est titulus legitimus juxta communiorem et probabiliorem sententiam. Ratio: 1° quia, si spes lucri aestimabilis sit, aestimabile erit *a fortiori* periculum damni *probabilis;* 2° quia pluris ae-

(1) qui tamen addit: „Hoc . . non admitterem, nisi, cum mutuum das, vere habeas animum, pecuniam illam reservatam (otiosam scil.) negotiationi non substituere."

stimantur res in tuto, quam in periculo repositae; 3° constat ex decisione *S. Congreg. Propagandae* pro missionariis Sinensibus ab *Innocentio X.* approbata. — *Vide S. Lig. n. 765.*

Excipe 1° si mutuatarius sit pauper, quia tunc praeceptum mutui(¹) urget; 2° si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia in eo casu periculum cessat. — *S. Lig. ibid.*

860. — *Obj.:* Vel sors peribit, vel non: si prius, nihil mutuans accipiet, neque sortem, neque auctarium stipulatum; si posterius, nullum de facto patietur detrimentum: ergo nihil exigere debet.

Resp. 1° Etiamsi sors peritura sit, non sequitur necessario, mutuantem nihil omnino accepturum esse; nam fieri potest, ut sors non statim pereat, et tunc *interesse,* quod interea solvitur, ut quaedam compensatio pro sorte habebitur.

Resp. 2° Quamvis nullum damnum de facto pateretur mutuans, nihilominus aliquid supra sortem percipere posset; nam periculum pretio aestimabile vere subiisset. Qui pro navi assecuranda de pretio cum alio convenit, illud sane exigere potest, licet de facto navis non perierit. Ergo *a pari* etc.

IV. De poena conventionali.

861. — *Poena conventionalis* consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore praefixo illam non restituat.

I. Poena conventionalis legitimus est titulus accipiendi praeter sortem id, de quo conventum est. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus et simul negligentia mutuatarii praecavetur. — *S. Lig. n. 766. etc.*

II. Conditiones requisitae sunt: 1° ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; 2° ut poena sit moderata et culpae proportionata;(²) 3° ut absit animus usurarius, i. e. ut mutuans moram alterius culpabilem non desideret. — *S. Lig. n. 766.* et *alii communiter.*

Nota: Vide plura, si placet, de titulis praecedentibus apud auctores. Perpauca tantum delibavimus ex eo, quod accedente legis titulo ceteri jam rarius in praxi occurrent, ut ex dicendis patebit.

V. De titulo legis civilis.

862. — Olim jam exsistebant apud varios populos leges, vi quarum lucrum certum ex mutuo percipi poterat, praesertim apud Romanos, et recentius apud Germanos. — *V. Mastrofini c. 4. 8. 9.* Nostris autem temporibus hujusmodi leges apud plerasque cultas nationes usu generali receptae sunt. Ex his legibus sat communiter permittitur lucrum ex mutuo annuo pecuniae percipiendum ea conditione, ut quinque pro singulis centenis *in materia civili,* et sex *in materia commercii* percipi possint.(¹) — In Gallia vero lucrum permittitur sive pecuniae, sive frumenti, sive alterius rei mobilis. Lege autem *3. Sept. 1807.* statutum est, lucrum ex mutuo percipiendum non excessurum esse 5 pro 100 in re civili, et 6 pro 100 in re ad commercium spectante. Ex eadem lege, si quis convincatur, quod statutam taxam violaverit, ad excessum restituendum damnabitur. Quod si saepius id fecerit, ad mulctam damnandus erit.

An vero illa lex creet legitimum titulum in foro conscientiae ad lucrum ex mutuo percipiendum, acriter disputatur. Sententia affirmativa *probabilior* nobis videtur(²). Hinc sequens propositio.

(¹) absque lucro —

* (²) Poena excedere non debet quinque vel sex pro centenis. *(C. A. 1336.)*

* (¹) *Interesse* pacisci licet quinque pro centum cum hypotheca; sine hypotheca sex. *(C. A. 994.)*

Usurae usurarum exigi nequeunt, sed ex fructibus ab annis duobus vel pluribus restantibus per conventionem novum mutuum constitui potest. *(C. A. 998.)*

(²) et certo saltem *probabilis* dicenda est, ut ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO.

Titulus legis civilis probabilius est ratio justa et honesta lucrum aliquod moderatum ex mutuo percipiendi secluso etiam quocumque alio titulo.

863. — *Prob.* 1° *ex ratione.* Etenim titulus legis de medio tollit id, quod seclusa lege usuram sapere posset. Ad hoc enim sufficit, ut legislator cessionem lucri in mutuo justam ac legitimam faciat. Atqui res ita se habet. *Prob.* Hanc cessionem justam et legitimam facit legislator, si *possit* et *velit* dominium istius lucri transferre de uno in alium. Porro de utroque liquido constat.

1° *Potest.* Etenim vi alti dominii potest princeps, requirente bono communi, aliqua bona subditorum de uno in alium seu in reipublicae utilitatem transferre, ut omnes fatentur; sic v. g. juste tributa, etiam quandoque extraordinaria, vel operum moderatam praestationem requirit. Quare ergo, instante bono communi, legem lucrum ex mutuo permittentem condere non valeret? Talis enim dispositio summae utilitatis, imo et moralis necessitatis est in societate, siquidem, spectatis maxime nostrorum temporum adjunctis, minus floreret, imo fere interiret commercium, languesceret industria, nisi aliena pecunia foveretur; omnes enim procul dubio suam pecuniam servare mallent, quam sine ullo lucro eam aliis mutuo tradere. Insuper tali lege subvenitur viduis, pupillis, famulis, ancillis et aliis, qui negotiari non possunt et modicas pecunias suas consumere cogerentur. — Nec justitia distributiva tali statuto laeditur, cum lex pro futuro feratur et omnibus successive favere possit. Si onus tibi hodie incumbat, cras commodum favebit. *Hodie mihi, cras tibi.* Unde vera compensatio in societate generatim spectata tribuitur. Ergo nulla injustitia in tali lege.

2° *Vult.* Etenim ea voluntas dominium lucri transferendi manifeste in enim vult, quidquid ab ejus voluntate pendet et ad necessariam legis efficaciam et honestatem requiritur, siquidem vult legem honestam et efficacem statuere. Ergo voluntas illa dominium lucri transferendi implicite in ipsa lege exsistit; ergo nihil deest ad legis justitiam et honestatem. Ergo, posita lege, lucrum ex mutuo perceptum non jam vi mutui seu immediate ex mutuo percipitur, sed mediate tantum ex mera mutui occasione provenit; statutum enim principis mutuo mere extrinsecum est.

Imo, lex justa et honesta esse potest independenter a dominii translatione. Nam lex illa est universaliter acceptata in communitate et a viris etiam timoratis in praxim deducta; ergo includit voluntariam juris sui cessionem ex parte subditorum. Ergo independenter a dominii translatione hac lege justitia nequaquam laeditur.

864. — *Prob.* 2° *ex auctoritate S. Sedis.* Etenim S. Sedes saepius interrogata ultimis hisce temporibus, utrum deneganda foret absolutio iis, qui lucrum lege permissum accipiunt absque ullo alio titulo, semper respondit: *Non sunt inquietandi, donec S. Sedes aliquid circa hoc definiverit.* Ergo concludere licet ex praefatis responsis, sententiam legi consentaneam esse saltem probabilem. Quomodo enim S. Sedes respondere potuisset: *non sunt inquietandi,* nisi vere probabile saltem esset, legem esse justam et honestam? Si enim probabile non est, inquietari debent. Fatendum tamen est, Sacras Congregationes sic respondendo noluisse hac de re definitivam ferre sententiam. Sufficit autem vera et solida probabilitas, ut fideles juxta legem lucrum ex mutuo percipientes a peccato et restitutionis onere sint immunes. (1)

Hinc recte concludit sapientissimus

(1) Notat *S. Lig. n. 765.*, verba „*non sunt inquietandi*" significare „non meram tolerantiam, sed positivam permis-

Bouvier: „Resolutiones S. Sedis, licet „a SS. Pontificibus Pio VIII. et Gre„gorio XVI. approbatae et sibi per„fecte concordes, definitivam non con„tinent S. Sedis decisionem, ut patet „ex earum forma, natura et terminis. „Attamen, qui consuetam agendi ra„tionem Ecclesiae Romanae norunt, „persuasum habere debent, S. Sedem „contrarias decisiones numquam edi„turam esse.... His omnibus momen„tis ductus firmiter persuasum habeo, „lucrum lege taxatum ex mutuo cari„tate non debito nunc prohibendum non „esse ac timoratos sapienter esse di„rigendos, ne ex sua simplicitate et „nimia confessarii rigiditate detrimen„tum patiantur.“ — *Bouvier, append. ad tract. de contractibus.*

Praeter *Bouvier* modo citatum hanc tenent sententiam communius recentiores theologi cum *Gousset n. 823.* — *Rousselot in edit. Saettler etc.* Jam prius sic sentiebant *theologi Wirceburgenses, de contr. n. 521.* — *Saettler, de contr. p. 2. c. 4.* — *Reuter n. 201.*, et multi alii *a Wirceburgensibus* citati, praesertim *Zech, Ledesma, Tannerus, Haunoldus, Toletus etc.*

Objectiones:

865. — *Obj.* 1° Legislator vi alti dominii proprietatem privatorum auferre nequit absque debita compensatione; atqui nulla datur compensatio in praefata lege.

Resp. 1° *Dist. ant.:* Quando compensatio fieri potest, *conc.;* secus, *neg.* Quomodo igitur rerum proprietas in lege praescriptionem statuente transfertur? Quaenam compensatio in eo casu erogatur?

Resp. 2° *Neg. min.* Datur vera compensatio in hoc, quod lex omnibus sit valde utilis, etiam illis, qui auctarium solvunt, cum facilius invenire possint pecuniam, qua indigent. Aliunde, qui hodie solvit *interesse,* cras vicissim recipere poterit.

Obj. 2° Princeps nequit facere licitum, quod de se illicitum est. Atqui usurae sunt illicitae de jure naturali et divino, utpote ab utroque jure prohibitae.

Resp. 1° *Dist. ant.:* Si non possit princeps apponere conditionem, quae injustitiam tollat, si qua sit, *conc.;* secus, *neg.* Porro principem hujusmodi conditionem apponere posse, ex dictis patet.

Resp. 2° *Dist. min.:* Usurae sunt prohibitae jure naturali et divino, si sint usurae *proprie dictae,* v. g. excessivae, aut a pauperibus requisitae, vel usurae sine titulo seu provenientes ex mutuo vi ipsius mutui, *conc.;* secus, *neg.* — Etenim, si omne lucrum ex mutuo perceptum jure naturali et divino prohibitum sit, quomodo fit, ut S. Sedes id ignoret et statuerit, fideles beneficio legis utentes non esse inquietandos?

866. — *Obj.* 3° Pecunia est sterilis ex natura sua; ergo fructum producere nequit; ergo non licet lucrum ex ea requirere.

Resp. Dist. ant.: Pecunia est sterilis *ex se sola, transeat;* adjuncta hominis opera seu industria, *neg.* Consulantur de hoc mercatores. Nonne etiam ager est ex se sterilis et infructuosus, nisi ab agricola excolatur?(1)

---

(1) Plures, praesertim recentiores, contendunt, pecuniam non solum non esse sterilem, sed ne materiam quidem mutui proprie dicti, nisi pauperibus tradatur. Sequentibus autem innituntur rationibus, quae minime spernendae videntur:

1° Mutuum fieri nequit, nisi de re primo usu consumenda, juxta omnes, quod ex ipsius mutui natura evincitur. Porro pecunia primo usu non consumitur, nisi praebeatur pauperi illam impensuro ad suam sustentationem. Etenim in traditione pecuniae solus valor transfertur et est contractus objectum; valor autem non perit, quando in augendam mutuatarii fortunam impenditur. Ergo. — Hinc contractus, quo traditur pecunia diviti, non est mutuum proprie dictum, sed potius commodatum vel locatum, prout gratis vel pretio datur, et proinde dominium pecuniae non transfertur.

2° Contractus ille locationis pecuniae

Obj. 4° Christus Dominus in lege nova omne lucrum ex mutuo prohibuit; dixit enim: *Mutuum date, nihil inde sperantes. (Luc. 6. 35.)*

Resp. Haec verba non sunt certo intelligenda de praecepto rigoroso, saltem quoad omnes homines et omnes casus. Etenim in loco citato plura referuntur, quae meri sunt consilii, v. g. sequentia: *Omni autem petenti te, tribue; et qui aufert, quae tua sunt, ne repetas.*

867. — *Obj.* 5° *Benedictus XIV.* in epistola encyclica *Vix pervenit* damnavit ut usurarium omne lucrum ex mutuo perceptum. Ergo.

Resp. 1° Non constat inter theologos de vero sensu Benedictinae constitutionis, teste controversia de hoc adeo agitata apud auctores.

Resp. 2° *Benedictus XIV.* non reprobavit, nisi lucrum ex mutuo vi mutui perceptum, praescindendo a variis titulis. Ergo ex hac constitutione nihil contra legis titulum deduci potest. Pontifex enim aperte declaravit, se nolle dirimere controversias in scholis agitatas, v. g. de liceitate trini contractus.(1)

Resp. 3° Juxta plures *Benedictus* non est locutus ex cathedra, sed ut doctor privatus, cum epistolam non direxerit ad universum orbem, sed tantum ad Italiae archiepiscopos et episcopos.(2) Sic *Mastrofini.*

Resp. 4° Si praeclarus Pontifex quidpiam contra legis titulum definivisset, nonne a S. Sede cognosci deberet melius, quam ab aliis? Et si verum foret, quomodo Pontifices *Pius VIII.* et *Gregorius XVI.* decisionem oppositam ferre potuissent? Numquid *inquietandi* non forent, qui contra dogmaticam constitutionem summi Pontificis agerent?

Quaesita:

868. — Quaer. 1° *Quibusnam liceat percipere 6 per 100 ratione commercii juxta legem civilem?*

Resp. 1° Licet certo mercatoribus pecuniam aliis mercatoribus mutuantibus, quia sub omni respectu de commercio agitur.

---

est in se licitus; nam juste pretium exigitur pro re, quae valorem intrinsecum habet. Atqui usus pecuniae, quae primo usu non consumitur, habet valorem intrinsecum, qui pretio aestimari potest, et in commercio humano causa evadit multorum emolumentorum. Ergo auctarium sortis est justum pretium illius usus.

3° Pecunia, ut constat ex experientia mercatorum, fructum producit et multiplicatur *per se,* independenter ab humana industria; ergo non omnino sterilis reputanda est. Etenim idem mercator in iisdem circumstantiis et cum eodem industriae gradu multo majus lucrum faciet, si multo majorem summam impendere in commercium possit. Ergo facultas pecuniam impendendi in commercio est vere pretio aestimabilis.

4° Illud auctarium sortis potest non solum haberi ut pretium locati valoris, sed etiam ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate sperabatur; mutuum enim commercii assimilatur triplici contractui societatis et assecurationis tum sortis, tum lucri. Triplex autem ille contractus probabiliter est legitimus juxta *Bened. XIV., S. Lig.* et *alios. (Vide infra, ubi de contr. trino.)* Hanc doctrinam tenent *Mastrofini — Rossignol — Cardinalis de la Luzerne* et *alii.* — (Nota auctoris.)

Pro praxi adnotandum, revera foenerationem pecuniae aliquando, praesertim hisce temporibus, naturam potius contractus trini *(n. 919.),* quam mutui prae se ferre.

(1) *Verba encyclicae* (quam invenies apud *S. Lig.* post *n. 792.)*: „De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in praesentiarum statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias.“ Porro controversia de admittendo titulo legis tunc utique viguit. — Adde: vix edita encyclica ista *Benedictus XIV.* sibi dedicari permisit opus *Scipionis Maffei* „Sull' impiego del danaro“, in quo eadem thesis aperte defenditur, quam adversarii in encyclica damnatam supponunt. — *Scav.*

(2) Nec necessaria, nec convincens haec ratio! *Benedictus XIV. ib.* nil novum definit, sed simpliciter doctrinam in Ecclesia receptam breviter verbis congregationis ad hunc finem convocatae proponit, eamdem „approbat et confirmat“ atque contrariam docere vetat, aliqua monita pro praxi addens.

Resp. 2° Licet etiam certo mercatoribus respectu aliorum non mercatorum, quia lex favere commercio intendit; favet autem permittendo mercatoribus, ut majorem censum ex mutuata pecunia percipiant. — *Ita omnes.*

Resp. 3° Si agatur de aliis non mercatoribus respectu mercatorum, *controvertitur.* Negant *communius* licere et afferunt, talem esse tribunalium decisionem. Ratio est, quia lex, quae mercatoribus favere intendit, ipsis potius nociva foret, si interesse majus solvere deberent.

Plures tamen, etiam inter jurisperitos, affirmant. Ratio autem eorum est: 1° quia verba legis sunt generalia: *„in materia commercii" (en matière de commerce)* nec constat, qualis sit sensus genuinus illorum verborum; 2° quia expedit commercio, ut ita lex intelligatur; sic enim multo facilius mercatores pecuniam mutuo accipient cum majori sua et commercii utilitate etc. — Sed, ajunt merito, non ideo posset quilibet non-mercator etiam ab alio non-mercatore 6 exigere sub praetextu, quod mercatori mutuare potuisset, quia nullo modo in commercio pecuniam reponit; nec ratione damni emergentis inniti valeret, cum lex unice intendat commercio favere.

869. — Quaer. 2° *Quinam veniant nomine mercatorum?*

Resp. Mercatores dicuntur ii, quicumque sint, qui res cujusvis generis habitualiter seu ex aliquo statu vitae emunt, ut eadem vendant. Hinc non sunt mercatores, qui reditus annuos praediorum suorum vendunt, nec qui paucis vicibus data occasione emunt res aliquas postea vendendas. Non autem requiritur ad statum mercatoris, ut literas publicas gubernii (vulgo *patentes)* obtinuerint, saltem, nisi de probatione agatur.

Quaer. 3° *An vel quatenus requiratur bona fides ad lucrum ex mutuo percipiendum titulo legis civilis?*

Resp. 1° *Respectu peccati vitandi* requiritur bona fides, quae consistit in bono conscientiae testimonio seu in conscientia efformata saltem ex probabilibus et solidis rationibus, vel ex auctoritate theologorum magni ponderis. Hanc igitur bonam fidem poenitentibus suis interrogantibus praebere potest ipsemet confessarius, eos docendo de controversia theologorum non facile dirimenda necnon de responsis *Sanctae Sedis.* Hoc constat tum ex natura rei, tum ex ipsis responsis, praesertim ex duabus ultimis infra referendis.

Resp. 2° *Respectu justitiae* quaestio bonae fidei est quid mere indifferens. Quemadmodum enim jus bona fide intrinsece conferri nequit seclusa praescriptione, cum possessor bonae fidei nullatenus a restitutione eximi possit, ita etiam jus mala fide contrahentis adimi nequit, siquidem mala fides efficere non potest, ut contractus, qui in se justus est, saltem probabiliter, usurarius evadat. Nec dicas, neminem posse inire possessionem alicujus rei cum mala aut dubia fide, nec possessionem hanc retinere. Nam, ubi de contractibus agitur, omnis conventio, quae certo non est injusta in se, sed *probabiliter* justa, consensu partium *certo* justa evadit. Constat insuper ex responsione *Sancti Officii* ad episcopum Nicaeensem, referenda *n. 878.* — *Ita* etiam *DD. Devie, episcopus Bell.* in epistola encyclica *de mutuo.* — *Gousset n. 822.*

870. — Quaer. 4° *An liceat excedere taxam legalem in mutuo ratione damni emergentis vel lucri cessantis?*

Resp. 1° *Negative* respectu pauperum vel aliorum, qui in necessitate mutuum petunt et qui auctario majori opprimerentur, ut constat ex dictis.

2° Si pecunia in utilitatem, non vero in necessitatem alterius tradatur, *controvertitur* et triplex fertur sententia. — I^a Sententia *affirmat* ratione indemnitatis seu justae compensationis. — *Ita* inter *alios Pagés, Lugdunensis,* etsi in usurae materia severitate notissimus sit. — II^a Sententia *negat,*

cum *DD. Devie* in epistola encyclica citata. Ratio est, quia ex *articulo Cod. civ. 1153.* declaratur, compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium tantum exigi posse juxta taxam legalem. Aliunde lex illa est valde utilis ad cupiditates refraenandas, omnibus aequaliter favet, providendo simul creditori et debitori seu attendendo ad probabilitates communes lucri et damni pro determinatione compensationis exigendae etc. — III^a^ Sententia *probabilior,* ut videtur, *distinguit* et dicit, standum esse taxae legis, si excessus ex damno emergente sit moderatus; secus, si excessivus sit seu omnino extraordinarius. Ratio 1^mi^ eadem est, ac supra in 2^a^ sententia. — Ratio 2^di^ est, quia lex non praevidit casus extraordinarios vel eos comprehendere noluit, et proinde soli juri naturali subjacent.(¹)

871. — Quaer. 5° *An mercator quilibet possit accipere 6 supra 100 pro omni pecunia, quam mutuo tradit, vel tantum pro ratione pecuniae in commercio collocatae?*

Resp. Lex non distinguit nec proinde, ut videtur, nos distinguere debemus. Praeterea illa distinctio variis difficultatibus et perplexitatibus obnoixia foret, nec apparet, ad hoc in praxi attendi.

Quaer. 6° *An liceat percipere* interesse ex ipso interesse?

Resp. 1° *Affirmative* ex lege civili. Sed requiritur: 1° ut terminus contractus ab uno saltem anno elapsus fuerit; 2° ut adfuerit conventio specialis vel petitio judiciaria.(²) Imo reditus elapsi locationum aut censuum sive perpetuorum sive vitalitiorum producunt interesse ab ipso die petitionis vel conventionis.

Resp. 2° Affirmandum etiam videtur pro foro interno 1° si praecesserit conventio sive explicita, sive implicita, quia reditus elapso termino summae capitali adjiciuntur: idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam jam habet, mutuo relinquam vel ei aliam tradam; 2° si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat. — *Gousset, Cod. civ. commenté art. 1154.*(¹)

872. — Quaer. 7° *An liceat percipere auctarium legale, ubi excedit 5 vel 6 pro 100?*

Resp. Affirmative, si lex perpensis omnibus circumstantiis videatur justa, i. e. appareat aequalitas inter lucrum a lege permissum et valorem usus pecuniae aut pericula sortis etc. Nulla enim constitui potest taxa absoluta, sed attendendum est ad varias locorum circumstantias necnon ad pecuniae raritatem, ex qua ejus pretium et proinde usus valor crescit, ut in Africa, in India etc.(²)

873. — Quaer. 8° *Quid dicendum de institutionibus, quae vulgo dicuntur* arcae parcimoniae *(caisses d'épargne)?*

Resp. Non tantum tolerandae, sed et laudandae sunt tales institutiones, quippe quae subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus mutuo accipiendo modicam eorum pecuniam et censum ipsis rependendo. Maxima commoda egentibus praebent, siquidem minutas eorum summulas pecuniae mutuo acceptant, ita ut singulis etiam hebdomadis repetentibus reddant. Hinc in singulis urbibus favente auctoritate civili et ecclesiastica eriguntur hujus-

(¹) Respiciendo ad varias auctorum sententias asserendum videtur, non constare, substitutionem alterius justi tituli pro titulo legis illicitam esse, etsi forte jus pactum istud non tueatur.

* (²) Quoad jus austr. cf. *not. 1.* sub n. 862.

(¹) Jura (saltem non omnino recentia) communiter *usuras usurarum* sive *usuras compositas* prohibent, si quosdam casus excipias, quae exceptiones etiam in foro conscientiae valent, si aequae sint. — *Scav.*

(²) *Quid, si lex civilis unicuique liberam relinqueret taxam definiendam?*

R. Non licet tunc in conscientia aliquid exigere supra taxam legalem ab Ecclesia permissam, nisi quatenus adesset justus titulus ad normam juris naturalis atque divini, i. e. titulus damni emergentis, lucri cessantis etc. — *Scav.*

modi societates, quae parcimonias servorum, opificum et aliorum accipiunt, ut ex iis legitimum interesse praestent.

Resolves:

874. — 1° Absolvi possunt, imo absolvendi sunt omnes, qui taxam legis civilis non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti, cum minime constet, eos injustitiae reos esse, nec proinde ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

2° Quamvis unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens ut *probabiliorem in speculatione* defendere possit, adversam tamen sententiam damnare nequit ut doctrinae catholicae contrariam, nec restitutionem sub denegatione absolutionis exigere. Imo, qui urgeret poenitentem ad restitutionem, ipse ad damnum poenitentis resarciendum adigendus foret, siquidem ex doctrina communiter recepta confessarius indebitam restitutionem temere praescribens damnum illatum tenetur reparare. — *Ita expresse et recte Bouvier, de contr. q. 2. c. 8. art. 4.*

3° Nec etiam sunt obligandi ad restitutionem sub denegatione absolutionis illi poenitentes, qui mutuum acceperunt juxta legem cum mala fide, i. e. putantes, se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo, quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur, eos fuisse injustitiae reos.

4° Poenitentes ex clausula in plerisque responsis *S. Congregationis* adjecta semper parati esse debent, judicio S. Sedis se submittere; sed non sunt necessario interrogandi a confessario, saltem generatim, de tali dispositione: 1° quia hoc non exigitur in praefatis responsis; 2° quia confessarius praesumere debet, poenitentem, utpote bonum catholicum, in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. — *Ita Bouvier ibid.* — *DD. Devie, episcopus Bellicensis, in epist. encycl.*

875. — 5° Non est damnandum de injustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam aliquando pauperi, qui gravem necessitatem non patitur quique non temere sperat, se ex mutuata pecunia adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctario facile restituere possit. Nam praeceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

6° Si nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc fit, non quia pecunia tunc pretium suum amittit, sed quia mutuans vi praecepti caritatis tenetur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem, quae sustentatio nihil lucri producit mutuatario, sed tantum urgentem ipsius necessitatem sublevat.

7° Lucrum excedens taxam legis civilis est omnino illicitum et injustum proindeque restitutioni obnoxium, saltem generatim loquendo(¹); nam aequitas vult, ut servetur proportio inter traditae pecuniae utilitatem et istius utilitatis pretium: talis autem proportio pessumdaretur, si taxam legis excedere liceret. — *Ita communiter recentiores theologi.*

8° *A fortiori* duplum exigi nequit lucrum propter alium praeter legis civilis titulum; v. g. si lucrum ex mutuo cessans sit tibi pro quinque, decem exigere non potes ob accedentem legis titulum, quia juxta omnes, saltem quando lucrum cessans vel damnum emergens non excedit taxam legalem, nihil praeter hanc accipi potest, cum hoc evidenter fini et intentioni legis adversetur.

9° Pariter, qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, non ideo eamdem pecuniam alteri remutuando decem exigere potest, quia deficit titulus a quinque superfluo accipiendo. — Plures tamen permittunt nummulariis *(banquiers)*, qui ex statu suo mutua frequenter accipiunt, ut remu-

(¹) V. sub 8°.

tuare valeant stipulando aliquid ultra taxam legis, v. g. 1 pro 100 ratione laboris, temporis, impensarum etc. Unde juxta illos possent accipere 7 pro 100; considerantur enim ut mercatores et ut tales jam 6 pro 100 accipere possunt. Ipsis saltem favet consuetudo in multis locis. Item non videtur contra legem civilem nec naturalem *per se*, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4 et eamdem remutuet pro 5 in 100.

10° Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo, et proinde, si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est, quia casum hunc comprehendere non censetur lex civilis, quippe quae juris naturalis obligationem in hoc perimere nequit.

DECISIONES VARIAE SANCTAE SEDIS CIRCA USURAM.

POSTULATUM

D. Goisset, theologiae professoris in seminario majori Bisuntino.

876. — 1° An confessarius ille possit absolvi, qui, licet Benedicti XIV. et aliorum Summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet, ex mutuo divitibus aut negotiatoribus praestito percipi posse praeter sortem lucrum quinque pro centum etiam ab iis, qui nullum omnino alium, quam legem civilem, titulum habent mutuo extrinsecum?

2° An peccet confessarius, qui dimittit in bona fide poenitentem, qui ex mutuo exigit lucrum lege civili statutum absque extrinseco lucri cessantis aut damni emergentis aut periculi extraordinarii titulo?

Sacra Poenitentiaria, diligenter matureque perpensis propositis dubiis, respondendum censuit *(die 16. Sept. 1830.)*:

Ad primum: *Confessarium, de quo in dubio, non esse inquietandum, quousque Sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere, ideoque nihil obstare ejus absolutioni in sacramento poenitentiae.*

DECRETA

Congreg. S. Officii (die 31. Aug. 1831.) a S. P. Pio VIII. approbata super sequentibus dubiis:

1° Utrum confessarius possit in conscientia denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt, legem principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque alio titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis?

2° Utrum debeat?

Resp. ad utrumque: *Non esse inquietandos, quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in sacramento poenitentiae.*

CONSULTATIO

D. Denavit, professoris theologiae in seminario majori Lugdunensi.

877. — Consultis auctoribus probatis et attenta doctrina omnium fere seminariorum Galliae, ac praesertim eorum, quae a presbyteris congregationis S. Sulpitii diriguntur, sententia, quae rejicit titulum legis civilis tamquam insufficientem, videtur longe probabilior, securior et sola in praxi tenenda, donec S. Sedes definierit. Quapropter fidelibus, qui a me consilium petunt, utrum possint auctarium percipere ex mutuo et qui nullum habent titulum a theologis communiter admissum praeter titulum legis civilis, respondeo, eos non posse praefatum auctarium exigere, et denego absolutionem sacramentalem, si exigant; pariter denego absolutionem iis, qui, perceptis hujuscemodi usuris i. e. vi solius tituli legis, nolunt restituere.

Quaeritur 1° Utrum durius et severius me habeam erga hujuscemodi fideles?

2° Quae agendi ratio in praxi tenenda erga fideles, donec S. Sedes definitivam sententiam emiserit?

Sacra Poenitentiaria, perpensis dubiis, quae ab oratore proponuntur, respondit *(die 11. Nov. 1831.)*:

Ad primum: *Affirmative, quandoquidem ex dato a S. Poenitentiaria responso liquet, fideles hujusmodi, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos.*

Ad secundum: *Provisum in primo.*

POSTULATUM

Episcopi Nicaeensis ad S. Officium circa mutuum. (9. Septemb. 1837.)

878. — *Motivis expositis sic quaestionem proponit:*

An poenitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo dubia vel mala fide perceperunt, absolvi sacramentaliter possint nullo imposito restitutionis onere, dummodo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint, stare mandatis S. Sedis?

S. Officium *(die 17. Jan. 1838.)* respondit:

Affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis.

POSTULATUM

D. Antonii Mouillaud, ecclesiae parochialis B. M. V. rectoris et vicarii generalis dioecesis Claromontanae.

879. — Fideles religioni catholicae addictissimi, qui nec peccandi periculo sese exponere, nec privari vellent lucro, quod esset licitum, dictum rectorem adeunt interrogantes, utrum lucrum quinque pro centum, ut viget in Galliis juxta legem civilem, sit licitum. Rector putans, tantam litem, quae adhuc coram Sancta Sede pendet, a nullo privato etiam docto dirimi posse, et timens, ne consilio juxta rigidiorem sententiam dato parochiani optimi privarentur lucro, quod est forsan licitum, respondet interrogantibus:

1° Quaestionem hanc difficillimam, etsi saepius agitatam, nondum fuisse a Sancta Sede definitam.

2° Illos posse interea lucrum quinque pro centum percipere, dummodo ipsi futuris Sanctae Sedis mandatis parere sint paratissimi.

Humillime postulat orator: 1° utrum sapienter et in tuta conscientia agat? — 2° ad quid teneatur, si temere egerit?

S. Officium *(die 27. Novemb. 1839.)* respondit: *oratorem recte se gessisse, stando decretis hucusque latis a S. Sede.*

Nota: Praefatae responsiones S. Sedis circa usuram nullatenus pugnant cum responsis antea ab eadem S. Sede datis, quibus oratores semper ad bullam *Benedicti XIV.* remittebantur; etenim, cum S. Sedes sciret, adesse inter theologos maximam controversiam circa ipsam doctrinam in praedicta bulla contentam, sic agendo simpliciter responsum quodlibet dare recusabat.

APPENDICULA
DE MONTIBUS PIETATIS.

880. — *Mons Pietatis* vocatur pecuniae aliarumve rerum mutuabilium cumulus ad id collectus, ut pauperes dato pignore, quae sibi sunt necessaria, ex eo tamquam mutuum accipere possint.

I. Ejus conditiones hae sunt: 1° quidquid ex eo mutuo datur, ad certum tempus, v. g. ad annum, dari debet, nihil vero ad tempus indeterminatum; 2° pauperibus tantum ex Monte Pietatis mutuum dare licet, nisi adeo abundans sit, ut sine pauperum damno aliis etiam satisfieri possit; 3° mutuatarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4° debet etiam pignus rei mutuatae aequivalens tradere, quod, nisi rem statuto tempore reddat, vendendum est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 765. in fine.*

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt nec ullo modo usurarii, independenter a quocumque alio titulo ad lucrum. Ratio est, quia etiam independenter a quocumque alio titulo nullam usurae labem sapiunt, siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio aestimabilis. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. *An Montes Pietatis instituti possint a privatis?*

Resp. Affirm. probabilius cum *Lessio.* Ratio est, quia parvi refert ad rationem usurae, utrum institutio sit publica vel privata, dummodo privatus non plus accipiat, quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

SECTIO II.
DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

Agendum: 1° de venditione et emptione; 2° de societate et trino contractu; 3° de locatione et conductione; 4° de cambio; 5° de censu; 6° de fide-jussione, pignore et hypotheca; 7° de assecuratione, sponsione, loteria et ludo.

CAPUT I.
DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

Dicemus: 1° de natura venditionis et emptionis; 2° de justo pretio; 3° de praecipuis venditionum et emptionum speciebus.

ARTICULUS I.
DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS.

881. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa — vel contractus onerosus dandi determina-

tum et justum pretium pro merce, aut vice versa. — *Ita jus utrumque, romanum et gallicum.*(1, 2, 3)

Principia: (4)

I. *Ex jure romano:* 1° Venditio mobilium solo partium consensu perficitur quoad substantiam. Unde statim jus ad rem emptori datur. Dominium autem rei in emptorem non transit nisi per ipsam traditionem (5).

(1) La vente est une convention par laquelle l'un s'oblige à livrer une chose, et l'autre à la payer. Elle peut être faite par acte authentique ou sous seing privé. *(C. C. 1582.)*

(2) Possunt omnes contractum hunc celebrare, qui non sunt in genere inhabiles ad contrahendum et quibus hic contractus non specialiter per leges interdicitur. Ea omnia autem emi et vendi possunt, quae sunt in humano commercio, nisi leges peculiares vetantes obstent, uti v. g. vetant venditionem venenorum; imo venditio rei noxiae, qua emptor certo praevidetur abusurus, in genere illicita est juxta dicta sub *n. 254.*

Solvitur tandem emptio-venditio iisdem modis, quibus ceterae conventiones, speciatim vero vel mutuo contrahentium consensu ad normam legum vel per legem ipsam, aliquando ipso facto, aliquando (v. g. ob laesionem majoris momenti) interveniente judicis sententia. — *Scav.*

* (3) Ad hunc contractum opus est: 1° Ut pretium pecunia persolutum saltem ad dimidium valoris rei alienatae pertingat; si partim res, partim pecunia datur, ex majore harum parte contractus emptionis vel permutationis sibi nomen inducit. *(C. A. 1055.)* 2° Ut sit verum pretium seu non simulatum. Hinc, qui parvo nummo pulcherrimum equum emit, emptionis contractum non conficit ac proinde non juxta venditionis, sed juxta donationis leges quaestiones, si quae exsurgant, dirimi debent, quia donatio, non venditio, ratione habita naturae contractus, de jure existimatur. *(C. A. 916.)* 3° Ut sit determinatum. Vide quae diximus in *nota 3.* sub *n. 772.* 4° Pretium justum, de quo infra.

* (4) Venditio solo partium consensu perficitur quoad substantiam, unde statim jus ad rem emptori datur; dominium vero rei per traditionem transfertur. *(C. A. 1053.)*

(5) rei. Traditio enim pretii in genere non requiritur, sed sufficit, si cautio fidejussoria aut pignoratitia ab emptore praestita fuerit, aut venditor fidem habeat emptori, rem eidem credito vendendo. — *Ita communiter.*

2° Venditio immobilium non perficitur, nisi per instrumentum legitime

* De traditione.

(Vide *C. A. 423. et seq.*)

I. Traditio ea dicitur, per quam dominus in alium suum transfert dominium. Porro ad adipiscendum rei dominium jure naturae mutuus sufficit consensus signo externo expressus; sed jure positivo praeter titulum, qui vel alicui innititur contractui, vel dispositioni peractae causa mortis, vel judicis sententiae, vel alicui publicae legi, requiritur etiam traditio, exceptis casibus in jure statutis. *(C. A. 424. 425.)*

II. Tripartito dividitur traditio: nempe in traditionem materialem, in traditionem symbolis expressam, et in eam, quae fit per alienantis declarationem. Traditio est *materialis,* quum res per manus traduntur. Dicitur *symbolis expressa,* cum res per certa signa traduntur, ut per clavium traditionem. Dicitur *per alienantis declarationem,* cum dominus declarat, se dominium transferre velle in alterum acceptantem, qui non proprietatis, sed depositi etc. titulo rem antea detinebat (quod in jure romano *brevi manu* traditio dicitur), vel cum dominus declarat, se in posterum velle retinere rem nomine alterius acceptantis, quod in jure romano *constitutum possessorium* appellatur.

Hujusmodi declaratio fieri potest vel *expresse,* nempe voce aut scripto, vel *tacite,* si v. g. dominus sibi reservet in posterum tantummodo usumfructum vel rei usum, dum ipse antea pleno pollebat dominio: et hujusmodi traditio fieri quoque potest *symbolice,* tradendo v. g. clavem arcae, in qua horologium sit occlusum.

III. 1° Acquiritur dominium rerum mobilium per materialem seu physicam traditionem; 2° mobilium vero, quae tradi non possunt, ut credita et merces, vel quae tradi quidem possunt physice, sed difficillime, per traditionem symbolicam vel signa traditionis. 3° Omnium rerum mobilium acquiritur dominium per praeviam declarationem. Hinc sequitur: 1° res transmissas censeri traditas, quando novus dominus illas recepit, et ideo, si ipsae inter viam pereant, non acceptanti, sed tradenti pereunt, nisi novus dominus transmissionis modum constituerit vel approbaverit. *(C. A. 429.)* Sequitur 2°, dominium rei mobilis uni venditae et alteri traditae ad secundum pertinere emptorem,

seu cum debitis formis confectum.(1) — *S. Lig. n. 794. et seq.*

II. *Ex jure gallico:* 1° Quaelibet venditio solo partium consensu conficitur absque ulla legali formalitate. Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet res, pretium et consensus. Proinde scriptura nonnisi ad probationem requiritur. Hinc dominium statim et ante rei traditionem transfertur. Excipitur tamen casus, in quo agitur de rebus, quae juxta mensuram venduntur aut gustari solent: tunc enim venditio perfecta non est, nisi res mensurata aut gustata fuerit. 2° Cum venditio summam 150 fr. excedit, ut in foro externo probari possit, scriptum authenthicum vel privatum requiritur. *(C. C. 1341.)*

---

et primum a venditore damnum tantum repetere posse. *(C. A. 430.)*

IV. Rerum immobilium acquiritur dominium per inscriptionem in census officio; sed, ut valeat inscriptio, requiritur, ut haec fiat vel praesente venditore, vel per documentum a contrahentibus et a duobus testibus atque a notario obfirmatum. Qui in promptu non habet documentum solemnitatibus a jure requisitis instructum, ne ab alio praeveniatur inscriptione, praenotationem seu inscriptionem obtinere potest sub conditione, ut infra 14 dies actionem in alium contrahentem instituat. *(C. A. 431. et seq.)* Hisce transactis diebus praenotatio minime valet. *(C. A. 439.)* Si vero res immobilis duobus vendita fuerit, prior inscriptus dominium acquirit. *(C. A. 440.)*

V. 1° Qui per traditionem acquirit rei dominium sive mobilis, sive immobilis, acquirit quoque jura, quae rei adhaerent seu accedunt; idcirco, qui acquirit fundum cum sacrario, cui adjunctum est jus patronatus, ipso quoque jurepatronatus gaudet; si ipse animalia acquirit, ad eum quoque spectat foetus nondum natus, quinimo foetus adhuc lac sugens, qui absque mortis periculo a matre divelli nequit; si fundum acquirit, jus habet ad instrumenta ad colendos agros necessaria, vel ad colligendos aut conservandos fructus.

2° Contra onera subire debet in publicis tabulis inscripta, quatenus valor rei acquisitae ad onera sustinenda sufficiat.

(1) Ex jure romano venditio mobilium et immobilium quoad hoc non differt.

Quaesita:

882. — Quaer. 1° *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. Distinguendum est; defectus enim sunt: 1° substantiales vel accidentales tantum; 2° occulti vel manifesti; 3° insuper vel de iis venditor interrogatur vel non. Hinc:

Dico 1° Venditor *in omni casu* tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se, quam relate ad finem notum emptoris, seu ea omnia, quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio(1) tenetur. — *Ita ex omni jure.*(2)

Dico 2° Venditor *interrogatus* tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non redderent; secus enim dolum committeret. Proinde, si dolus fuit *vere* causa emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit *incidens* tantum, ita ut emptor vitio cognito etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum, quanti minus emisset emptor, quia secus nulla fere venditio fieri posset. — Si autem venditor *non sit interrogatus* et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio est, quia aliter res pluris venderetur quam valeret.(3)

Dico 3° Venditor, *etiam interrogatus*(4), non tenetur *per se* ostendere

---

(1) et respective de damno —

(2) Cf. tamen supra *n. 779. 1°.* cum *nota.*

(3) Ad nihil venditor tenetur, si protestetur, se nolle rationem dare de ullo defectu i. e. vendere periculo emptoris, dummodo res non vendatur ultra justum pretium, etsi supremum, habita ratione illius vitii occulti. — *S. Lig. n. 823.*

Valde probabiliter praeterea excusant eos, qui utuntur mensura diminuta, ut sic justum pretium consequantur, quod alias non consequerentur ob taxam indubie aequo minorem. — *S. Lig. n. 822.*

(4) *in genere;* si enim de aliquo defectu manifesto *in specie* interrogetur, ex circumstantiis colligendum arbitror, utrum contractus ille validus haberi debeat, necne.

vitia rei accidentalia de se manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio est, quia tunc non fit injuria emptori, nec ratione pretii, quod iminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe tamen: si emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. — *S. Lig. n. 823.* — *Lugo disp. 26. n. 130. et seq.* et *alii communissime.*

883. — Quaer. 2° *An venditor teneatur de omnibus damnis ex vitio rei venditae sequentibus?*

Resp. Non tenetur, nisi de damnis praevisis, quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quae ne in confuso quidem praevidit, ut constat ex dictis in *tract. de justitia n. 658.*

Quaer. 3° *Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?*

Resp. 1° Rem tradere debet et accessoria emptori loco et modo, de quibus in contractu conventum est; 2° rem tradat statuto tempore, secus emptor rescissionem contractus aut indemnitatem petere potest;(¹) 3° tenetur tradere rem vacuam ab alterius possessione et aliis oneribus inconsuetis. — *Ita jus naturale et positivum (C. C. 1609. et seq.)*

884. — Quaer. 4° *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?*(²)

Resp. 1° Ad nihil tenetur, si res pereat ante traditionem ex casu fortuito. Ratio est ex *jure gallico*, quia res perit domino i. e. emptori. *Ita* est etiam de *jure romano*(¹), (licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuerit), nisi aliter fuerit conventum.(²)

Resp. 2° Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur de pretio et sumptibus contractus, quia rem ut suam custodire debebat.

Resp. 3° Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco tempore traditionis exsistente, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum et solvere expensas contractus, si quae sint. Ratio est, quia vendidit rem inutilem seu nullius valoris; ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiae, quae nullo pretio erat aestimabilis.

(¹) Potest tamen mercem retinere, donec ipsi pretium fuerit solutum, si non concesserit moram ad solvendum; nam sic tuetur suam indemnitatem. — *Scav.* — V. *Q. 5°.*

* (²) I. Si ante traditionem pereat ex integro (idem dicendum est, si posita sit extra commercium) vel pereat ex parte ultra dimidium pretii casu fortuito, tunc res perit vel depravatur tradenti seu venditori; res enim, quae perit, domino perit, ac proinde nullus est contractus, quum mutatio sit substantialis *(C. A. 1048.)*; si vero ex culpa venditoris, nullus quidem est contractus, sed emptori damnum emergens, imo lucrum cessans, si dolo aut evidenti venditoris negligentia id contigerit, resarcire hic tenetur. (*C. A. 1047. 1061. 1324.)*

II. Si ante traditionem plus dimidio non depravetur, contractus est validus nec rescindi potest, quia in jure civili accidentalis hujusmodi habetur mutatio; sed tradens accipienti damna reparare tenetur (res enim, quae depravatur, domino depravatur), quinimo etiam lucrum cessans, si dolo aut evidenti venditoris negligentia acciderit.

Excipe tamen: si res acervatim divendantur nec detrimentum dimidium excedat valorem; tunc, si res depravatur, in accipientis vertit detrimentum *(C. A. 1049.)*, quia, ut ajunt interpretes, in hoc contractu major rei pars id plerumque adaequat, quod ab accipiente tradenti tribuitur.

III. Si post traditionem pereat vel depravetur ex vitio intrinseco, quod tempore traditionis exstiterit, prout defectus fuerit substantialis vel accidentalis, exigere potest emptor rescissionem contractus vel ut servetur indemnis. *(C. A. 932. 1324.)*

(¹) si res illa in individuo absolute vendita fuerit. — *Lugo disp. 26. n. 216. et seq.* — *S. Lig. n. 798. 828. etc.*

Consequenter emptione perfecta emptori, in quantum periculum rei ad eum spectat, etiam fructus rei saltem in genere debentur (non obstantibus legibus civilibus oppositum sancientibus), nisi conventio aliter statuat. — *S. Lig. ib.; Hom. ap. tr. 10. n. 169.*

(²) Alias exceptiones invenies apud *S. Lig. l. c.*

vel ipsimet contractui adjectae fuerint, pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adjectae censentur. *Ex jure gallico* promissio venditionis non distinguitur ab ipsa venditione.(1)

Quaer. 8° *An et quomodo vendi possint jura incorporea certa, vel incerta seu litigiosa?*

Resp. ad 1um Jura *incorporea,* ut chirographa, credita, ususfructus, jus ad haereditatem apertam, *si certa sint,* vendi possunt vel quocumque alio titulo ad alium transmitti(2), sicut cetera jura. Eorum autem traditio fit remittendo chirographa aut alia scripta authentica.

Resp. ad 2um Jura *litigiosa* seu circa quae lites moventur, pariter vendi possunt pro rata probabilitatis fortunae secundae, ut patet. — *Ita omnes.*(3)

888. — Quaer. 9° *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?*

Resp. 1° Tenetur *de evictione,* quoties emptor juridice deturbatur a possessione rei emptae, nisi aliter in contractu conventum fuerit. Ratio est, quia venditor dominium rei tunc transferre nequit. *(C. C. 1626.)*

Resp. 2° Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum de jure naturali, quando reperitur, rem venditam pertinere certo ad tertium hic et nunc reclamantem, ob eamdem rationem; venditor enim non potuit transferre dominium rei, quod ipse non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia ante sententiam judicis, nisi omnino certo ipsi constet, rem revera esse illius tertii; nec tenetur fidem facile praebere aliis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat nec aliunde sententia judicis intervenerit. — *Recole dicta de evictione in tract. de just. n. 638.*

(1) V. de hisce *C. C. 1589. 1590.* — Sed cf. etiam *S. Lig. n. 794.*

(2) quin ad hoc per se necessarius sit consensus debitoris — *Scav.*

(3) Cf. *n. 894. Q. 6°; n. 895. Q. 7°.*

ARTICULUS II.
DE JUSTO PRETIO.

889. — Duplex est: 1° *legale,* quod a lege determinatur; 2° *naturale* seu *vulgare,* quod valori rei respondet juxta communem hominum aestimationem.

Pretium autem naturale est: 1° *summum,* supra quod res aestimari non solet; 2° *infimum,* infra quod res generatim non aestimatur; 3° *medium,* quod inter utrumque interponitur.

Principia:

890. — I. Pretium *legale* seu auctoritate civili constitutum habendum est ut adaequatum valori rei, et ideo servandum est sub onere restitutionis. Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet statuere, quidquid ad commercium publicum attinet, cum leges pro bono communi condere possit. — *Ita omnes.*

II. Deficiente pretio legali illud pretium solum habendum est ut justum, quod tale determinatur aestimatione communi, si agatur de merce, quae apud multitudinem appretiationem habeat, quia pretium adaequatum ejusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius fieri, quam per communem aestimationem. — *Ita omnes.*(1)

Si vero res vulgarem aestimationem non habeant, ut sunt gemmae, tabulae pretiosae etc., *probabilius* aestimandae sunt juxta judicium peritorum in

(1) Laeditur ergo justitia, si in simili casu deficiente pretio legali res aliqua vendatur supra pretium naturale summum, nisi circumstantiae excessum honestantes accedant, v. g. titulus lucri cessantis ex parte venditoris (dummodo de hoc moneatur emptor), singularis bonitatis, venditionis in partibus minutis etc. — *S. Lig. n. 807. et seq.; Hom. ap. tr. 10. n. 174.* — *Scav.* Si vero *bona fide* supra pretium licitum vendita sit, venditor tenetur id saltem restituere, in quo factus est ditior (i. e. in quo suis ideo pepercit), ne ditescat de alienis. — *Scav.* Cf. tamen *n. 907.*

hac materia, attentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate etc. Ratio est, quia ipsi reputantur judices idonei in his rebus, prout vulgus in vulgaribus. Opposita tamen sententia ut *probabilis* apparet, quia in eo casu videtur justum pretium illud, de quo contrahentes conveniunt. Sic quoad utramque sententiam *S. Lig. n. 808.* — In praxi non sunt inquietandi illi, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt. — *Ita Salm.* — *Gousset n. 842.* — *A fortiori* justum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si pretium prorsus ignoretur, quia utraque tunc periculo exponitur. — *S. Lig. n. 802. in fine; n. 805.*

Nota: Aliquando licet legale pretium excedere, scilicet: 1° si a majore hominum parte non servetur, principe tacente; 2° si mutatis circumstantiis taxa evadat injusta; 3° si merces sint notabiliter solito pretiosiores vel deteriores.

Quaesita:

891. — Quaer. 1° *An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum, quem erga eam experitur, vel ob commoditatem, quam ex ea percipit?*

Resp. ad 1um Affirmative. Ratio est, quia affectus domini ad rem suam est vere pretio aestimabilis, cum privatio rei sit pro ipso major. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 807.*

Resp. ad 2um Affirmative etiam *a fortiori,* ut patet, siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosiorem venditori, et aequum est, ut pretium augeat ratione majoris jacturae, quam patitur. — *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1.* et *alii comunissime.*

892. — Quaer. 2° *An vero venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?*

Resp. Negant communiter theologi, quia major utilitas vel affectus non est venditoris et proinde ab ipso vendi nequit; alioquin venderet, quod suum non est. — *S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1.,* ubi sic loquitur: „Si aliquis „multum juvetur ex re alterius, quam „accepit, ille vero, qui vendidit, non „damnificetur carendo re illa, non de„bet eam supervendere, quia utilitas, „quae alteri accrescit, non est ex ven„dente, sed ex conditione ementis; „nullus autem debet vendere alteri, „quod non est suum.“ — Consonat *S. Lig. n. 806.* et *Carrière n. 692.*

Affirmant tamen plures *non improbabiliter* ex eo, quod venditor emptori illud commodum procuret et consequenter justum sit, ut idem cum eo dividat pretium rei adaugendo. — *Ita sat communiter* nunc in praxi admittitur teste *Gousset,* qui exposita priori sententia olim communissima posteriorem amplectitur.(1)

893. — Quaer. 3° *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quaeritantis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia res ultroneae vilescunt et pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori et hic in gratiam venditoris emit. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 802.*

Quaer. 4° *An etiam liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

---

(1) „Nihilominus communiter supponunt, „saltem inter nos, particularem aptitudi„nem alicujus objecti, cujusdam praedii „etc. pro hoc vel illo emptore pretium „istius augere; unde dictitant: Haec res „habet talem valorem pro hoc emptore, „sed minorem pro alio. Putamus vero, „non esse inquietandum illum, qui obje„ctum aliquod ratione aptitudinis specia„lis vendit supra pretium commune. Em„ptor ipse praevidet, juxta istam aptitu„dinem valorem computari, nec de hoc „conqueritur. Pretium rerum primario „pendet ex communi hominum aestima„tione. Sed cavendum, ne confundatur „haec aptitudo specialis alicujus rei cum „indigentia ex parte emptoris, qua vendi„tor uti nequit sine injustitia, ut vendat „rem majoris, quam valet.“ — *Gousset n. 840.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

Resp. Affirmative probabiliter. Ratio est, quia res ultronea de pretio decrescit juxta communem aestimationem. Inopia autem venditoris non efficit, ut pretium mutetur. Negant tamen *probabiliter* plures.(¹)

894. — Quaer. 5° *An liceat carius vendere ob dilationem solutionis pretii, aut vilius emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. Affirmative saltem nunc *probabiliter*, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo aut ratio justi tituli. Ratio patet ex dictis supra de usura *n. 863. et seq.* — *S. Lig. n. 811.*

Quaer. 6° *An etiam chirographa et credita possint vilius emi ob anticipatam solutionem?*

Resp. 1° *Affirmative* omnino, si sint incertae vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt, ut patet.

Resp. 2° *Affirmative* etiam *probabiliter*, licet sint certae et facilis solutionis. Ratio est: 1° Quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur justum pretium illud, quod communiter pro talibus chirographis solvitur. — *Ita S. Lig. n. 829. etc.* 2° Quia aequivalent pecuniae mutuatae; proinde ex eadem ratione, ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum juxta taxam legalem. — *Ita nunc praxis communis.*

895. — Quaer. 7° *An vero possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam sibi specialem solutu fiant facilia?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re, quae venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicujus rei a communi aestimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur. — *S. Lig. n. 829.*

Quaer. 8° *An possis pretio currenti vendere rem, quam scis mox minoris valituram?*

Resp. Affirmative probabilius et verius. Ratio est, quia pretium praesens est justum et nondum immutatum, modo scientia haec sit privata; si enim communis esset, jam mutaretur. Aliquando tamen peccari potest contra caritatem(¹). — *S. Thomas* — *S. Lig. n. 824.; Hom. apost. tr. 10. n. 188.*

896. — Quaer. 9° *An possis pretio currenti vendere rem mixtam cum alia viliore?*

Resp. Distinguendum est. Scilicet: 1° si commixtio sit noxia vel reddat rem *notabiliter* deteriorem aut minus utilem, peccas contra justitiam, ut patet. — 2° Si res tua sit extraordinariae bonitatis, potes probabiliter illam cum viliore mixtam pretio communi vendere. — 3° Si materiam viliorem ita per industriam meliori admisceas, ut melius temperetur, potes vendere eam consueto pretio. At in praxi hoc non est tibi facile permittendum ob

---

(¹) Negantem sententiam *S. Alphonsus* aequiorem et omnino suadendam ait (licet affirmantem improbabilem non censeat), nisi forte res ematur mere in gratiam venditoris, ita ut alias non emeretur. Excepto hoc casu facile contra caritatem peccari potest, si quis rem tam vili pretio emit, quam emeret mere in gratiam venditoris.

Nec affirmativam sequi licet, si res sit de iis, quae communiter emuntur et offeruntur, ut frumentum etc. — *S. Lig. n. 802. Dub. 2.*

(¹) scil. si ex hoc emptor in gravem necessitatem conjiciendus esset aut si, cum vendi posset illi, qui statim rem consumpturus esset, venderetur ei, qui eam conservaturus est. — Cf. *S. Lig. n. 824.*

Sed num injustitiae rei fiunt magistratus, consiliarii etc., qui decretum v. g. pretium certorum objectorum imminuens, quod civibus aequaliter promulgatum esse convenit, alicui ante promulgationem produnt vel ipsimet ejus scientia utuntur cum reliquorum damno? — Affirmant *Layman l. 3. de just. tr. 4. c. 17. §. 1. n. 9., Voit p. 1. n. 150. etc.*, cum hisce ex officio obligatio incumbat impediendi, quominus cives occasione publicorum decretorum damnum patiantur. Contradicunt tamen alii, v. g. *Lessius l. 2. c. 21. n. 49., Lugo disp. 26. n. 143.*, nisi ex industria legis promulgationem differant, ut merces suas currenti pretio vendere valeant.

hallucinationis periculum. — *S. Lig. n. 820. 821.*

897. — Quaer. 10° *An teneantur ad restitutionem mercatores, qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas majori pretio, quam emissent, licet summum pretium non excedant?*

Resp. 1° Quoad fraudem *affirmative.* Ratio est, quia fraus est causa efficax et injusta damni, quod emptor patitur: unusquisque enim jus habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum.

Resp. 2° Quoad mendacium *per se* idem dicendum foret, cum illud sit etiam de se causa injusta damni proximo inferendi. Attamen ordinarie mendacia et etiam perjuria, quibus mercatores affirmant, merces tanti sibi constitisse vel tale pretium sibi oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnificativae; ratio est, quia haec adeo inter illos sunt frequentia, ut nemo fere eis fidem adhibeat. Excipiendus tamen est casus, in quo ob specialem fiduciam in venditorem mendacium censeretur causa contractus motiva. — *Gousset n. 841.*(1)

898. — Quaer. 11° *An et quomodo peccent mercatores, qui interrogati de pretio mercium illud notabiliter exaggerant?*

Resp. 1° Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant voluntate contra justitiam, bonum alienum appetendo, et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur.

Resp. 2° Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad justum pretium deveniant, excusantur a peccato, saltem gravi, quia notum est et solitum, mercatores ita loqui, ut emptores ad justum pretium perducant.

Quaer. 12° *An peccent contra justitiam, qui, re vendita infimo pretio, eam ante traditionem imminuunt vel adulterant?*

Resp. Affirmative, quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat, summo pretio vendere, non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendidit, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum, imminuendo qualitatem mercis aut de mensura vel de pondere detrahendo: secus inutiles prorsus forent conventiones.

899. — Quaer. 13° *An peccent contra justitiam mercatores Europaei, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula et alia similia, quae apud nos res vilioris pretii habentur?*

Resp. Negative, quia haec, licet viliora sint et minuta in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab Indis vel Sinensibus aut aliis incultis; pretium autem vulgare ex aestimatione communi hominum regionis determinatur. — *Lyonnet p. 201.* — *Carrière n. 699.*(1)

900. — Quaer. 14° *An peccent contra justitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quae venales exponuntur apud veteramentarios?*

Resp. Negative, quia res illae censentur amisisse pretium antiquum et aliud accipere consuetudine seu contrahentium conventione. Unde res ejusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. — *S. Lig. n. 808.* — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis secus vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quae dicuntur gallice *de rencontre,* quia haec minoris honoris communiter habentur. — *Carrière n. 695. 699.* — *Lyonnet p. 198. etc.*

---

(1) *S. Lig. n. 805.* —
Item vendentes, qui despiciunt aliorum mercatorum merces, ut suas attollant, de damno erga illos mercatores tenentur, [illegible]mmodo certo constet, emptores ipsis em habuisse. — *Scav., de pretio.* — , etiam *n. 902. 6°.*

(1) *S. Lig. n. 808. Not. 1.*

Resolves:

901. — 1° Mercatores, qui minutim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam illi, qui in magna quantitate vendunt, quia debent majores labores, expensas majusque tempus impendere ad eas conservandas atque emptoribus distribuendas. Sic ab injustitia excusantur caupones, stabularii, qui avenam, foenum, paleas et alia similia carius vendunt, quam alii. — *S. Lig. n. 809.*

2° Potest etiam carius vendi, si pretium ab emptore sit tradendum tempore, quo res est pluris valitura, modo a venditore usque ad illud tempus esset asservanda. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore, quo minus valebit.

3° Si venditor et emptor ignorent pretium rei et de certo pretio contrahant, valet contractus, modo uterque ex aequo et bono procedat, quia, si uterque pretium justum ignoret, uterque aequali periculo damni se exponit et voluntarie de jure suo cedit.

4° Res ultra justum pretium vendi nequit eo, quod venditor eam comparando ex sua ignorantia vel imprudentia aut etiam ex casu fortuito solverit majora pretia vel subierit majores sumptus, quam vulgo alii solvunt aut subeunt. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc, quod uni vel alteri accidit, sed ex eo, quod communiter contingit. Etenim ex eo, quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in aestimatione vulgi adaugeri non solet pretium rerum, sicut crescere non solet pretium frumenti ex eo, quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. — Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factae eo ipso pretio crescerent. — *Elbel n. 587.*

902. — 5° Reprobanda est omnino praxis mercatorum vel artificum, qui, ut ad suam officinam plures attrahant, solent munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias etc., postea vero hujusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra justitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes injuste refundendas. — *Elbel n. 583.*

6° Pariter reprobanda est praxis, vi cujus mercatores merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant easque ab aliis mercatoribus avertant, postea autem pondus aut mensuram corrumpunt etc. Ratio est, quia sic emptores decipiuntur injuste. Imo venditores, qui ope hujus fraudis avertunt emptores ab officinis aliorum mercatorum, rei fiunt injustitiae erga eos et ad restitutionem pro damno ipsis illato tenentur, quia quisque jus habet, ne dolo vel fraude impediatur a lucro sperato vel legitime faciendo. — *Elbel n. 583.* — *Lugo d. 26. n. 135. etc.*

7° A fortiori reprobanda est praxis eorum, qui res alienas bona fide emptas domino comparenti restituere nolunt, nisi prius pretium pro iisdem expensum refuderit. — *Elbel n. 591.* — Excipe tamen in Gallia: si res in foro publico vel a mercatore talia vendente empta fuerit. *(C. C. 2280.)* — *Vide supra n. 644.*

8° Generatim in restitutione facienda ob laesionem justi pretii sic tenendum: 1° Si de *venditore* agatur, excessus injustus computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit laesus nisi in eo, quod pretium supremum superat. 2° Si vero de *emptore* agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia potuit emere tali pretio; unde venditor tantum laesus fuit in eo, quod est infra hoc pretium. Dixi: *generatim;* quia esset etiam restituendum lucrum fraude obtentum, licet pretium summum non excederet vel infimum attingeret, juxta dicta supra *n. 897.* — *Lyonnet p. 202. etc.*

ARTICULUS III.
DE PRAECIPUIS VENDITIONUM SPECIEBUS.

Scilicet: 1° de retrovenditione; 2° de venditione sub hasta seu per licitationem; 3° de monopolio; 4° de venditione per proxenetas.

§. I.
De retrovenditione et mohatra.

903. — *Retrovenditio* est contractus, quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi sub conditione, quod sumptus, meliorationem vel similia resarciat.

Mohatra est species retrovenditionis, seu contractus, quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto(1), ut emptor eamdem ipsi venditori minori pretio numerata pecunia retrovendat. (2) — *Vide infra Quaer. 3°.*

Dico I. Licitus omnino est contractus retrovenditionis. Id constat ex scriptura sacra, quae testatur, tale pactum fuisse Judaeis impositum. Deinde nihil habet, quod juri naturali contradicat: dummodo enim vera emptio fiat, nec usura palliata intercedat, liberum est venditori, de re sua, prout vult, disponere; nec injuriam ullam emptori infert, cum hic libere de retrovenditione conveniat nec aliunde damnum in hoc patiatur. — *S. Lig. n. 812.* et *alii omnes.*

Dico II. *Conditiones ad hoc requisitae* sunt: 1° ut pretium minuatur juxta aestimationem gravaminis, quod emptori imponitur; 2° ut non sit pactum de retrovenditione pretio majori vel minori facienda; licitum est pactum, ut retrovendatur eodem pretio, licet res pretio augeatur; 3° ut non imponatur, quod periculum rei venditae cedat in damnum venditoris, cum illud *per se* ad emptorem spectet, nisi pretium juxta aestimationem periculi augeatur; 4° ut res retrovendatur, sicut traditur, vacua vel cum fructibus.(1) Adde *ex jure gallico:* ut non fiat ultra quinquennium. — *C. C. 1660.*

Quaesita:

904. — Quaer. 1° *Quanti decrescere debeat pretium in retrovenditionis contractu?*

Resp. Regula praecisa determinari non potest, sed decisio plerumque a variis circumstantiis pendet. Hinc auctores in hoc dissentiunt; alii enim dicunt pretium decrescere usque ad quartam partem, alii usque ad tertiam, alii melius ad arbitrium prudentium. — *V. S. Lig. n. 812.*

905. — Quaer. 2° *An sit licitum pactum reemendi ad arbitrium emptoris?*

Resp. Affirmative probabilius, dummodo adsit verus animus emendi et vendendi, emptor majus pretium solvat juxta oneris istius aestimationem et non obligetur venditor reemere eodem pretio majori, quod recipit. — *S. Lig. n. 813.* — *Lugo d. 26. n. 200.*(2)

906. — Quaer. 3° *Quid sentiendum sit de mohatra?*

Resp. Est contractus *per se* usurarius adeoque illicitus et injustus. Hinc ab *Innocentio XI.* proscriptus est in damnatione *propositionis 40.*,

---

(1) explicito vel implicito — *S. Lig. n. 813.*

(2) V. g. *Titius* indigens 90 nummis petit illos mutuo a *Sempronio* mercatore. Hic, quia lucrari cupit, denegat mutuum, sed offert *Titio* tot frumenti mensuras, quas ipsi vendit summo pretio credito stipulato, nempe 100 nummis, addito pacto, ut *Titius* emptor ipsi *Sempronio* venditori praesente pecunia illico eas revendat infimo vel medio pretio, v. g. 90 nummis, quas de facto indiget *Titius.* — *Scav.*

(1) *S. Lig. n. 812.*

* Venditor tenetur compensare emptorem de rei valoris augmento et de omnibus impensis ad rem conservandam; emptor vero tenetur venditorem compensare de detrimentis rei culpabiliter illatis. *(C. A. 1069.)* Facultas redemptionis non conceditur, nisi pro immobilibus et ad venditoris vitam. *(C. A. 1070.)* De aliis emptionis speciebus vide *C. A. 1071. et seq.*

(1) Persaepe tamen jura civilia ejusmodi retractum conventionalem pro emptore non admittunt. — *Scav.*

quae sic jacet: *Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.* Ratio autem damnationis est, quia in eo contractu usura palliata latet; si vero res sine ullo praevio pacto retrovendatur etiam pretio infimo eidem venditori, illicitum *per se* non foret.

Non est tamen damnandus ille contractus, si lucrum inde perceptum taxam legalem pro mutuo non excedat, quia tunc in legitimum mutuum recideret.(1)

§. II.

De venditione sub hasta seu per licitationem.

907. — *Venditio sub hasta* est ea, quae fit per praeconem et in qua ultimae licitationi res adscribitur.

Licita est, sive fiat consentiente domino, sive ipso invito per auctoritatem publicam; sive infra infimum pretium ematur aut supra summum vendatur(2), quia potestas publica approbat justum pretium publice constitutum ex emptorum concursu. Hinc si emptores concurrant, res fit aestimabilior; si non concurrant, vilier habetur. — *S. Lig. n. 808.* (V. *C. C. 1686.*)

Quaesita:

908. — Quaer. 1° *An venditor possit rem suam retrahere incepta licitatione, si minus pretium offeratur?*

Resp. Negative per se. Ratio est, quia emptores publice convocati ad auctionem acquirunt quoddam jus ad rem venalem, quatenus fit stipulatio tacita, ut cedat plus offerenti. Attamen videtur temperandus hujus doctrinae rigor, ubi viget usus universalis contrarius. Durum enim videtur damnare injustitiae praxim universalem, quam docti et etiam pii absque ullo scrupulo tenent. — *Ita Billuart etc.*

Quaer. 2° *An possit venditor mittere fictos licitatores, ut pretium rei crescat?*

Resp. Negandum videtur. Ratio est, quia hoc apparet nimis fraudulentum, ut excusari possit, cum tendat ad decipiendos emptores sinceros et sic iis injuriam inferat, siquidem causa sunt, ut pretium crescat ex fraude, non vero ex cursu naturali rerum. — *S. Lig. n. 808.; Hom. apost. tr. 10. n. 175.*(1)

909. — Quaer. 3° *An ille, cujus bona venduntur in gratiam creditorum, mittere possit amicos ad ea suo nomine emenda?*

Resp. 1° *Affirmative,* si licitatio sit voluntaria, quia hoc sequi videtur ex eo, quod venditor possit rem suam retrahere, saltem attento usu communi.

Resp. 2° *Affirmative a fortiori,* si licitatio sit coacta seu si fiat auctoritate publica; nam ille, cujus bona venduntur, deterioris conditionis esse non debet. Aliunde ipse non est proprie vendens, cum venditio ipso invito fiat.

910. — Quaer. 4° *An emptor possit pactum facere cum aliis, ne licitent aut ne plus offerant?*

Resp. Negative. Ratio est, quia

(1) Occurrit recens quaedam mercatoria operatio, quae ad retrovenditionem refertur, dicta *relatio (report).* Consistit imprimis hujusmodi negotiandi modus in juribus seu *actionibus (actions)* ad pecuniam apud mercatorias societates collocatam vendendis et reemendis. Illud commercii genus nondum a theologis perpensum fuit. A viris etiam probis passim exercetur nec ab eis ut usurarium apprehenditur, quia est vera negotiatio, cui leges non adversantur, imo cui auctoritas publica patrocinatur. Facile tamen usurae labem saperet atque *mohatram* redoleret, nisi justis constringeretur limitibus. — (Nota auctoris.) Cf. v. g. *Gury, Cas. consc. p. 1. n. 947. et seq.*

(2) dummodo absit fraus — Cf. *S. Lig. n. 808. et Quaestiones seq.*

(1) Notat tamen *Scavini,* non tam facile esse damnandos istos venditores, quia hodie emptores jam hoc suspicantur ideoque possunt sibi providere, et quia libertas licitandi remanet.

venditor jus habet, ut emptores sint perfecte liberi et ne impediatur pretii incrementum. — *Ita S. Lig. n. 808.*, saltem in casu coactae subhastationis.

Excipiunt tamen plures: si emptores sint societate conjuncti vel quasi conjuncti, ut fratres, amici etc., quia faciunt quasi unam personam moralem nec potest exigi, ut adversum se licitent. Excipiunt etiam probabiliter alii, si vigeat usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium inferius ei offertur: quia, si ipse potest impedire, quominus pretium nimis decrescat, aequitas etiam postulat, ne conqueratur, quod emptores conveniant, ne pretium nimis augeatur, nec in infimo, sed in justo pretio consistant. — *Bouvier etc.*

911. — Quaer. 5° *An emptor rogare possit alios, ne licitent?*

Resp. Affirmative, quia in hoc non violatur venditoris jus, siquidem libertas licitandi non tollitur, et emptor sua utitur diligentia, ut sibi consulat. Attamen preces importunae esse non possunt. — *Vide S. Lig. ibid.*

§. III.
De monopolio.

912. — *Monopolium* est potestas vendendi penes unum aut paucos tantum exsistens — vel est agendi ratio, qua unus vel plures efficiunt, ut ipsi soli aliquid vendant aut emant. Aliud est *legale,* quod auctoritate publica ex rationabili causa concessum est; aliud *privatum*, quod machinatione unius aut plurium mercatorum exercetur. Hinc:

Dico I. Monopolium *legale* licitum est, modo cum justo pretio fiat. Ratio est, quia ob justam boni publici causam princeps illud ut privilegium vel ad tributum a mercatoribus exigendum concedere potest.

Dico II. Monopolium *privatum* illicitum est per se in sequentibus casibus: 1° si mercator impediat fraude vel mendacio, ne aliae merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum reipublicae detrimento; 2° si unus vel pauci omnes merces emant, et deinde illas carius(1) vendant; 3° si opifices vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto, vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum. — *S. Lig. n. 815.*(2)

Quaesita:

913. — Quaer. 1° *An peccent contra justitiam et caritatem mercatores, qui conspirant, ne merces suas vendant, nisi summo, licet justo pretio?*

Resp. 1° *Quoad justitiam* duplex sententia probabilis.

Iª Sententia *affirmat,* quia hujusmodi mercatores per medium injustum alios pretio supremo emere cogunt. — *Layman etc.*

IIª Sententia *probabilior negat,* quia, si alii cogantur ad emendum pretio summo, non coguntur a venditoribus, sed sua necessitate, quae vera coactio ex parte venditorum dici nequit. — *S. Lig. n. 817.* — *Lugo etc.*

Resp. 2° *Quoad caritatem affirmative,* quia, licet caritate non obligeris ad vendendum infra pretium summum, videris tamen obligari ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant. Etenim, licet caritate non tenearis ad eleemosynam tali pauperi erogandam, prohiberis tamen dissuadere, si alii eam largiri volunt; ergo a pari etc. — *S. Lig. ibid.*

914. — Quaer. 2° *An peccent contra justitiam vel contra caritatem mercatores, qui tempore messis aut vindemiae omne triticum vel vinum regionis pretio vili tunc currenti emunt, ut postea carius vendant?*

Resp. 1° *Negative probabilius,* ut videtur, *quoad justitiam,* modo non vendant supra pretium summum, quod secluso monopolio curreret, quia nullius

(1) „quanti plurimi", ait *S. Lig. n. 815.*
(2) Idem assere de emptoribus paciscentibus inter se de non emenda merce, nisi infra pretium infimum. — *Scav.*

violant. — *Ita Lugo* — *S. Lig. 816.*(1)

Resp. 2° *Negative* etiam *probabi-r quoad caritatem,* modo alios ad ius vendendum non inducant nec i vendant supra pretium summum, ıd praeciso monopolio locum habe-, quia jure suo utuntur; nemo enim ıprium commodum negligere tene-, ut damnum alienum evitet, quando .d avertere non obligatur. — *Lugo Lessius* etc. contra *alios.*

Quaer. 3° *An, facto semel mono-io cum pretio injusto ab aliqui-ı mercatoribus, liceat aliis merces lem pretio vendere?*

Resp. Negative, quia pretium ex ıstitia auctum semper manet inju-m, nec aestimatio communis dici ıet, sed fraus et deceptio. — *Ita ımuniter* cum *S. Lig. n. 817.* ıtra *plures.*

§. IV.

De venditione per proxenetas.

Venditio per proxenetas ea est, ıe non fit immediate ab eo, ad ım res pertinent, sed per alios ex ımissione, et hi *proxenetae* dicun-. Proxenetae autem possunt esse vel tum ut amici, vel speciali mercede hoc conducti, vel ad diversa opera tio annuo locati(2).

Quaesita:

)15. — Quaer. 1° *An proxeneta, vendit supra aut emit infra pre-m sibi designatum, possit exces-ı pretii sibi retinere?*

Resp. Negative generatim loquendo. io est, quia nullum habet titulum ıuid retinendi. Etenim: 1° non ra-ıe rei, quia illius non est, sed do-ıi; 2° nec ratione laboris et indu-ae, quia, si stipendio sit conductus, nihil aliud jus habet; si vero in-triam gratuito praestet, jam mercedi renuntiavit. — *S. Lig. n. 825.* et *alii communiter.*

Excipe 1° si labore extraordinario et indebito, aut industria vel diligentia omnino speciali rem meliorem fecisset; 2° si dominus expresse aut aequivalenter declarasset, se nihil ultra pretium determinatum exigere: tunc enim excessus retineri posset; 3° si dominus agendi rationem proxenetae noverit et approbaverit.(1) — *Sic communiter theologi.*

916. — Quaer. 2° *An possit proxeneta rem pretio sibi determinato vendendam pro seipso emere et postea eamdem rem tamquam suam majori pretio vendere?*

Resp. Affirmative, positis duabus conditionibus, scilicet: 1° ut adhibita morali diligentia emptorem non inveniat, qui plus offerat: secus enim contra officium suum et voluntatem mandantis certo cognitam ageret; 2° ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut ejus periculum subeat et, si forte tanti non vendat, nihilominus pretium determinatum reddat; secus enim aequitas non servaretur. — *Ita communiter.*

Quaer. 3° *An proxeneta possit sibi retinere ea, quae vendens solo ejus intuitu gratis donat*(2)?

Resp. Affirmative, si constet de vera donatione, quia mercator *absolute loquendo* aliquid cedere potest de lucro suo alicui proxenetae, ut eum ad officinam suam adducat. Sed ad hoc requiritur, ut sit revera dispositus ad vendendum alteri cuilibet pretio superiori, et reapse sic ordinarie vendat. Confessarius autem non facile fidem adhibere debet proxenetis tales donationes ipsis factas fuisse asserentibus. — *S. Lig. n. 826.; Hom. apost. tr. 10. n. 189.*

) Haec negativa sententia indubia est ad res, quae ad sustentationem neces-ae non sunt, ut gemmae etc. — *S.* ı. *l. c.* — Cf. *n. 890.*

) v. *g.* famuli.

(1) Cf. supra *n. 847. 4°.*

(2) v. *g.* potestne sartor, tamquam proxeneta pannum pro altero emens, ab hoc pretium commune exigere, licet mercator pannum istum minori pretio dederit, attamen in favorem ipsius solummodo sartoris

CAPUT II.

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU.

ARTICULUS I.
DE SOCIETATE.

917. — *Contractus societatis* est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum aut lucrum pro rata parte percipiendum(¹).

Principia:

I. Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam vel operam. — *Ita ex omni jure.*

II. Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat 1° ex legibus civilibus omnium nationum; 2° ex usu universali omnium populorum; 3° ex jure naturali: non enim minus licitum est pluribus conjunctim, quam singulis, ex suis rebus lucrum facere, modo debita aequalitas servetur.

III. Conditiones requisitae sunt: 1° ut sit aequalitas i. e. divisio lucri pro rata rei collocatae; 2° ut ad certum tempus ineatur societas et ante non liceat suum repetere(²); 3° ut periculum sortis spectet ad dominum, nisi aliter pactum initum fuerit; 4° ut quivis socius subeat onus damnorum et expensarum, quae intuitu societatis adveniunt; 5° ut quisque diligentiam eamdem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata. — *S. Lig. n. 905.* — *C. C. 1850.*(³)

Quaesita:

918. — Quaer. 1° *Quomodo solvatur societas?*

Resp. Contractus societatis solvitur: 1° lapsu temporis, ad quod factus est; 2° interitu rei vel fine negotiationis; 3° morte naturali vel civili unius e sociis; 4° interdictione alterutrius socii, vel decoctione seu bonorum subversione; 5° impossibilitate rem promissam praestandi.(¹)

Quaer. 2° *Quid, si quis invito socio*(²) *ante tempus e societate recedat?*

Resp. Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniae ab ipso praestandae, aut reddere lucra industriae suae.

ARTICULUS II.
DE TRINO CONTRACTU.

919. — *Contractus trinus* est contractus, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio, ut, quidquid eveniat, summa integra ipsi restituatur cum lucro certo, minori tamen, quam

---

(¹) forte melius: est conventio plurium contribuendi aliquid ad commune lucrum pro rata parte percipiendum.

(²) Haec conditio non videtur necessaria. — V. *Lugo disp. 30. n. 9.*

(³) An conditiones praedictae revera adsint, facile dignoscetur, si membra societatis aequaliter conferunt et ad capitale et ad industriam. Difficilius vero determinatur, quid naturalis aequitas postulet, si alter solum capitale praestat, alter solam industriam. Regulariter tunc in fine societatis ante divisionem lucri capitale domino restituendum est, dein lucrum dividendum habita ratione valoris industriae ex una et commoditatis praestitae per pecuniam ex altera parte juxta communem aestimationem lucri, quod pecuniae competit in illius generis negotiatione. Hinc non desunt circumstantiae, in quibus etiam capitale ipsum in fine societatis merito inter socios dividitur.

Aequitati repugnans econtra censetur pactum, quod statim post emptionem mercium domino restituatur capitale, in fine societatis autem lucrum sperandum aequaliter dividatur. Sic enim proprietarius capitalis solummodo commodum percipiet, industriam vero conferens, si merces pereant, subibit periculum capitalis et lucri. Periculum capitalis enim juxta asserta in textu ad dominum ipsius *per se* spectat, nisi ex conventione ipsum capitale, quod de jure totum esset domini, in fine societatis in divisionem veniat. — Cf. *S. Lig. n. 907.*

(¹) 6° mutuo sociorum consensu, si a solo ipsorum consensu societas pendeat.

* Vide *C. A. 1205. et seq.*

(²) et sine causa indubie excusante — Cf. *S. Lig. n. 907. Q. VI.* Leges civiles vero communiter requirunt praeterea auctoritatem judicis.

erare probabiliter poterat; vel est ntractus societatis, cui adjungun- r duo alii contractus, nempe as- curationis sortis et assecurationis cri, seu venditionis spei lucri ma- ris pro minore lucro certo et as- curato. Sic autem instituitur: Con- ho v. g. cum *Petro,* ipsi pecuniae mmam tribuendo negotiandi causa. d cum spes lucrandi 15 pro 100 ihi affulgeat et timeam ex alia parte, sortem amittam, ineo secundum ntractum cum *Petro,* ei 5 pro 100 ogando, si assecurationem sortis in suscipere velit. Inito hoc secundo ntractu, jam 10 tantum pro 100 ihi lucrandi sunt. Verum lucrum lhuc minus et certum mallem, quam ajus et incertum. Igitur propono cio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 ibuat, sed certo refundat, quidquid perventurum sit. Hinc triplex datur ntractus, scilicet societatis, assecu- tionis sortis et assecurationis lucri.

Quaer. *An trinus contractus sit citus?*

Resp. Duplex est sententia *proba- ilis* inter theologos.

I^a Sententia *negat.* Ratio est: 1^0 nia sic destruitur societas, cujus na- ra est, ut pericula sint communia: rgo est verum mutuum: ergo deficit tulus seu fundamentum lucri perci- iendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2^0 quia, ajunt, opposita do- trina a *Sixto V.* reprobata est per ullam *Detestabilis* anno 1586. — *ollet* — *Habert etc.*

II^a Sententia *communior affirmat* nodo pecunia in negotiatione impen- atur).(1) Ratio est: 1^0 quia hi sin- uli contractus separatim et cum di- ersis personis sunt de se liciti et ju- ti: ergo etiam si fiant simul et cum adem; 2^0 quia nihil est contra aequalitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam aequivalenter sustinetur; 3^0 quia *Benedictus XIV.* declarat in opere *de synod. dioeces. lib. 10. c. 7.*, contractum trinum a *Sixto V.* non esse damnatum, nec illum damnare intendere. Et in encyclica *Vix pervenit* dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter theologos disputatur. — *Vide S. Lig. n. 908.*(1)

(1) Indubie vero similem contractum li- itum censent, si cum eadem persona prae- er societatem ipsam vel *unus* tantum di- ctorum contractuum celebretur, vel *ambo,* sed diverso tempore et sine intentione contractus trini. — *Scav.*

CAPUT III.

DE LOCATIONE.

920. — *Locatio* est contractus, quo usus vel fructus rei aut personae opera pro certo pretio ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator;* alter *locatarius* seu *conductor* nuncupatur. Hinc variae numerantur locationis species: 1^0 locatio aedificiorum *(bail à loyer);* 2^0 agrorum *(bail à ferme);* 3^0 animalium *(bail à cheptel);* 4^0 laboris et famulatus *(loyer).* — *C. C. 1711.*

Ad contractum locationis aliquatenus accedunt emphyteusis et feudum. *Emphyteusis* est contractus, quo res immobilis conceditur alteri quoad dominium utile vel in perpetuum, vel saltem ad 10 annos, cum onere solvendi pensionem annuam domino directo.(2) *Feudum* vero est contractus emphyteusi similis, seu traditio rei immobilis ad dominium utile cum onere exhibendi domino directo obsequium seu fidelitatem. Differunt tamen emphyteusis et feudum a locatione, quia

* (1) Triplex contractns a jure aust. permittitur, modo lucrum perceptum non excedat lucrum a lege civili concessum in mutuo. *(C. A. 1196.)*

* (2) Adde: *Locatio haereditaria* est contractus, quo in perpetuum usus rei traditur locatario, determinato pretio. Emphyteusis differt a locatione haereditaria, quod in emphyteusi pretium persolvendum est minimum et praecipue datur in recognitionem domini directi; in locatione haereditaria econtra pretium paene adaequat fructus rei. *(C. A. 1124.)*

nequeunt constitui, nisi in re immobili, nec minus quam ad decennium.

I. Regulae locationis generales.

921. — 1° Locatio fieri potest scripto aut verbo. At si verbo solum fiat, probatio per testes non admittitur in *jure gallico*, nisi exsecutio jam incepta fuerit; sed juramentum a parte negante exigi potest. — 2° Locatarius potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum vel inde locatori detrimentum fiat. — 3° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad haeredes transit. — 4° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem et rei locatae naturam. — 5° Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est exspectandus.(1)

II. Obligationes locatoris.

922. — 1° Tenetur aperire vitia noxia rei locandae.(2) — 2° Praestare debet, ut locatarius tranquille ea fruatur. — 3° Expensas necessarias rei locatae reparandae sustinere ipsi incumbit. Non tenetur tamen ad expensas minutas, ut modo infra dicetur. — 4° Formam rei locatae absque consensu locatarii mutare nequit. Reparationes tamen necessarias etiam invito conductore facere potest, nec damnum inde exsurgens compensare tenetur. *(C. C. 1724.)*(1)

III. Obligationes locatarii.

923. — 1° Debet uti re locata tamquam bonus paterfamilias ad solum finem locationis. — 2° Tenetur ea reficere vel reparare, quae culpa ipsius perierunt aut deteriora facta sunt. — 3° Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis, quae subit res locata, nisi ea seclusa sua vel subditorum culpa evenisse probaverit. — 4° Modicae reparationes, quae dicuntur *locativae*, ad ipsum spectant, v. g. reficere vitra etc.(2)

Quaesita:

924. — Quaer. 1° *Quid juris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1° In foro conscientiae locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla culpa etiam juridica fuerit destructa: imo *probabiliter* etiam, si ex sola culpa juridica perierit.

Resp. 2° In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet, illud

---

* (1) Conductor, si jus habet reale (quod per inscriptionem in publicis tabulis acquiritur juxta *C. A. 1095.)*, in sua possessione manere potest usque ad locationis finem; si jus tantum habet personale, reposcere nequit, nisi damnum ac lucrum cessans. *(C. A. 1120.)*

In judicialis venditionis casu conductori tantum datur jus repetendi damna ac lucrum cessans. *(C. A. 1121.)*

* (2) Debet tradere rem in eo statu, in quo erat tempore contractus. Quid vero agendum, si res ante tempus traditioni praefixum perierit aut effecta sit deterior? Ex iis, quae de venditione diximus *(n. 884.* ex codice austr.), manifestum est.

* (1) Aliquando tenetur remittere conductori pretium locationis. Hac autem in re distinguere oportet: vel contractus locationis est de iis rebus, quae absque labore et industria utilitatem pariunt, vel de iis, quae utilitatem afferunt labore et industria, ut in agris.

Ad 1um. Si conductori auferatur ex integro vel ex parte usus rei absque ejus culpa per casus extraordinarios, servata proportione imminuendum est pretium.

Ad 2um. Pariter tenetur remittere pretium vel ex integro vel ex parte, dummodo damnum sit ultra dimidium *(C. A. 1105.)*: nequaquam vero, si ultra annum res fuerit locata; hujus enim anni sterilitas praecedentium vel subsequentium annorum fertilitate compensari potest.

Nota 1° Quamvis conductor extraordinarium etiam belli periculum sibi assumpserit, non est computandum periculum bellici incursus, si res integra perierit *(C. A. 1106.)*

Nota 2° Ex codice conductor amittit jus ad rescissionem vel diminutionem pretii, si casum non statim locatori patefecerit. *(C. A. 1108.)*

(2) Cf. in hisce leges particulares et consuetudines regionis.

ı ullam suam culpam, ut
est. *(C. C. 1733.)* —

*Quid speciatim de lo-
ım?*
Conductor famuli vel ope-
cum eo de justa mercede
ualis est merces, quae
alibus dari solet.
Si determinatio mercedis
d conductoris arbitrium,
ltem infimam dare debet.
famulum ante tempus
e sufficienti causa, da-
emergens resarcire te-

Si famulus vel operarius
erat tuque eo non egeas,
aritate tantum suscipias,
debeas, recole dicta *de
3.* Vide etiam *S. Lig.*

uaer. 3° *An locatarius
eatur integram pensio-
in casu sterilitatis ob
el aliud infortunium
ium?*
ative. Licet enim videa-
justitiae de jure natu-
eri, attamen conventione
luctum est, ut, si ingens
liquid remittatur et da-
uo ab utroque subeatur.
fructibus aliis annis per-
letur compensatio. — *S.*
et ex utroque jure, ro-
ico, confirmatur.

*An a locatore vel lo-
ndum sit tributum?* (2)
Per se, seclusa speciali
locator tributa solvere
on tantum est rei domi-
transtulit usumfructum,
cessivo et de die in diem.
de usufructu pleno et
, ut dictum est supra

Ex jure gallico locator
n. 382. 4°.
et tributa generatim loca-
(C. A. 1099.)

solvit tantum tributa fundo imposita *(contributions foncières).* Tributa autem pro januis et fenestris a locatario solvenda sunt; sed non solvente eo, qui solvere debet, fiscus actionem in alterum habet, salvo tamen recursu posterioris in priorem.

926. — Quaer. 5° *An nuntius proficiscens in eumdem locum licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1° De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. — *Ita communissime* cum *Concina.*

Resp. 2° De nuntio duplex est sententia probabilis. Recole dicta supra *n. 757.* (1)

CAPUT IV.

DE CAMBIO.

927. — *Cambium* est permutatio pecuniae cum aliquo lucro campsoris (2). Cambium tamen in genere idem sonat, ac permutatio sive in pecunia, sive in aliis rebus.

Cambium varium distinguitur, scilicet:

1° Cambium *manuale* seu *minutum,* et cambium *locale* seu *per literas.* Prius fit, cum permutatur pecunia unius formae vel materiae cum pecunia alterius formae aut materiae. Posterius autem locum habet, quando pecunia praesens commutatur cum pecunia absente in alio loco solvenda.

2° Cambium *reale* seu *verum,* et cambium *fictum* seu *siccum.* Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi mutuum palliatum, uti v. g. cum datur pecunia tamquam in alio loco recipienda, quae tamen in hoc ipso loco recipitur (3).

(1) Non tamen per se possent integram mercedem exigere et a mittente, et ab eo, ad quem ipsi mittuntur, ut patet. — *Scav.* Cf. etiam *p. 2. n. 18.*

(2) ejus scil., a quo cambium petitur; qui autem petit, *campsarius* vocatur.

(3) exigendo simul pretium pro ficta ista translatione.

Cambium *fictum* sic fieri solet: *Titius* v. g., indigens pecunia in hoc praesenti loco, 100 nummos a campsore postulat. Campsor autem hanc summam non dat, nisi cum fictione, eamdem in loco distante reddendam esse, petitque a *Titio* pretium, quod pro negotiis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit et tamen non cogitat de pecunia in illo distante loco reddenda, idque campsori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuum palliatum.

Principia:

928. — I. Licitum est cambium *reale*, sive minutum, sive locale, modo servetur aequalitas aut lucrum non excedat justum pretium determinatum per legem vel per locorum consuetudinem. Ratio est, quia sunt varii tituli, ex quibus campsor lucrum percipere potest, scil.: 1° pecuniae assecuratio usque ad locum assecurationis; 2° locatio operae et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam; 3° damnum emergens ex infortuniis debitorum; 4° expensae et curae in detinendo telonio.(¹) — *S. Lig. n. 851—853.* et *alii.*

II. Illicitum est *per se* cambium *fictum*. Ratio patet: nullus enim est in eo titulus lucrum accipiendi, cum nullum fiat cambium proprie dictum, siquidem nulla est realis pecuniae translatio, sed tantum ficta; unde non est nisi mutuum palliatum. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 854.* — Dixi: *per se;* quia ratione mutui(¹) licet sequi hujus contractus leges juxta dicta supra *n. 863.*

Nota: S. Pius V. in bulla de cambiis varias apposuit restrictiones circa cambium; sed ejus constitutio non viget nec viguit umquam in Gallia, ait *Carrière n. 1101.* Imo dicit *Haunaldus* (apud *Carrière ibid.)*, eam in paucis locis vigere, et forte nuspiam (saltem quoad omnia in ea contenta). De ea loquitur *S. Lig. n. 852.*

Quaesita:

929. — Quaer. 1° *An licitum sit cambium eis, qui officium publicum cambiendi non habent?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia eaedem militant rationes; quisque enim jus habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum majus aequo exigant. — *Ita S. Lig. n. 851.* — *Salmant. tr. 14. c. 4. n. 8.* — *Carrière n. 1038.*(²)

Quaer. 2° *An licitum sit cambium vulgo dictum* Francofurtense, *in quo campsor dat pecuniam in proximis nundinis reddendam, ita ut lucrum majus pro majori dilatione exigatur?*

Resp. 1° *Affirmative,* si sit titulus lucri cessantis, damni emergentis etc., ut patet. — *S. Lig. n. 854.*

Resp. 2° Secus *controvertitur.* Sed *probabiliter* leges civiles pro mutuo in hoc sequi licet juxta dicta superius, ubi de usura, *n. 863.*

930. — Quaer. 3° *Quid campsores recipere possint ratione mutui?*

Resp. 6 pro 100 juxta taxam legalem pro mercatoribus, quia quamdam mercaturam pecuniae exercent.

(¹) In literis cambii *(lettres de change)*, quibus frequentissime utuntur mercatores ad pecunias absque periculo et onere transferendas, tres personae necessario interveniunt, scilicet: 1° is, qui pecunias transferendas solvit *(le donneur)*; 2° ille, qui onus pecunias transferendi suscipit et literas cambii tradit *(le banquier* vel *changeur)*; 3° ille, ad quem literae cambii diriguntur *(le correspondant du banquier)*. Insuper, qui literas cambii habet et eas praesentat, dicitur *lator (le porteur)*. Lator vero eas alteri transferre potest inscribendo: *Payez à l'ordre*, et hic vocatur gallice *endosseur*. — (Nota auctoris.)

(¹) si nempe lucrum percipiendum exigatur sub aliquo justo titulo mutui —

(²) Hinc non illicite agere famulum ajunt, qui commutat pecuniam, quam a domino suo accepit, ut ipsius creditoribus satisfaciat, cum monetis alterius generis et lucrum inde proveniens retinet, nisi contra expressam vel tacitam domini voluntatem fiat. Esset enim fructus industriae nemini nocivae. — *S. Lig. n. 856.*

Ordinarie enim campsores multa pecunia indigent, ut tali officio fungi possint, et etiam ministris numerosioribus, variisque periculis exponuntur. Imo, in variis locis permittitur ipsis accipere 7 pro 100 ob pericula et labores, quos subire debent ad pecuniam alio transferendam eamque assecurandam.

CAPUT V.

DE CENSU.

931. — *Census* (gallice *rente)* est jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona. Census potest esse multiplex, scilicet:

1° *Reservativus (rente foncière),* i. e. pensio annua percipienda ex re quoad fundum alienata.

2° *Consignativus (rente constituée),* i. e. pensio annua percipienda ex re vel ex persona titulo emptionis (¹).

3° *Realis* vel *personalis*, prout pensio in re frugifera constituitur vel in personae labore et industria.

4° *Temporarius* vel *perpetuus* aut *vitalitius (rente viagère),* prout constituitur ad tempus, v. g. ad 20 annos, vel in perpetuum sive ad vitam hominis.

5° *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum unius vel utriusque redimi potest; vel *irredimibilis,* si ex pacto venditor seu censuarius se liberare non possit capitale restituendo: tunc enim emptor seu censualista necessario jus suum in censum servat.

Principia:

932. — I. Quilibet census reservativus est licitus, quia quilibet rei suae proprietatem transferens potest partem illius fructuum sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Census consignativus realis, tum fructuarius, tum pecuniarius, est licitus, quia jus ad partem aliquam ususfructus vel ad pensionem annuam vendere et emere licet.

(¹) scil. eo quod jus percipiendi talem pensionem emptum sit.

III. Conditiones eaedem generatim ad censum requiruntur de jure naturali, ac ad venditionem, scilicet: 1° bona fides; 2° assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3° pretium justum, quod lege vel aestimatione communi determinatur.

Quaesita:

933. — Quaer. 1° *An census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. Affirmative, saltem de jure naturali(¹), modo serventur debitae conditiones, quia jus recipiendi pensionem ex alterius labore, industria etc. tam est pretio aestimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 840.* contra *plures* negantes, quia persona vendi nequit. Ex *jure gallico* nemo operas obligare potest, nisi ad tempus vel pro negotio determinato *(C. C. 1780.).*

Quaer. 2° *An census* redimibilis *sit licitus?*

Resp. Affirmative, saltem ex parte censuarii, sicut retrovenditio licita esse potest. — In *jure gallico* omnis census est de essentia redimibilis; sed pacisci licet, ne redimi queat ante 30 annos, si sit pretium vel conditio alienationis rei immobilis. *(C. C. 530. 1911.)*

934. — Quaer. 3° *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirmative probabilius, quia est vera venditio et emptor non debet esse deterioris conditionis, quam venditor, modo sit bonae fidei et aliunde aequalitas servetur. — *S. Lig. n. 843.* — *Lessius* — *Layman* contra *plures.*

Quaer. 4° *An liceat emere currenti pretio census annuos in gubernio fundatos vel actiones a nummulario publico* (gallice *actions de la banque)?*

(¹) Prohibetur enim per legem canonicam positivam, scil. per bullam *Cum onus S. Pii V.*, quae tamen plerisque in locis desuetudine abolita est. — *S. Lig. n. 846. 848. 849.*

Resp. Affirmative. Venduntur enim ut merces; pretio crescunt vel decrescunt juxta communem aestimationem.

935. — Quaer. 5° *An licitus sit census vitalitius?*

Resp. Affirmative; est enim contractus aleatorius, nullatenus juri naturali repugnat et a lege civili approbatur.

Sequentes autem conditiones requiruntur:

1° Habenda est ratio aetatis vel sanitatis personae.

2° Pretium se extendere ordinarie non debet ultra 15 pro 100.

3° Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censualistae; nec censualista capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non praebeat.

4° Census non exstinguitur morte civili censualistae, sed transit ad ejus haeredes usque ad ejus naturalem mortem. *(C. C. 1982. 1983.)*(1)

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS

seu

de fidejussione, pignore et hypotheca.

Contractus illi dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I.
DE FIDEJUSSIONE.

936. — *Fidejussio* est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

Regulae fidejussionis:

937. — 1° Nemo fidejussor esse potest, nisi liberam bonorum ad hoc sufficientium administrationem habeat, ut patet. Ex *jure gallico* requiritur insuper, ut fidejussor habitet in territorio curiae regiae, ubi fidejussio praebenda est. *(C. C. 2018.)*

2° Qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent; tales sunt pupillus, minor, religiosus, uxor, saltem sine consensu tutoris, curatoris, superioris, mariti.(1)

3° Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu seu impotentia(2), et quidem juridice probata.(3)

4° Fidejussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris juribus subrogatur et proinde in hunc debitorem recursum habet, ut ab eo repetat ea, quae ejus loco solvere coactus fuit.

5° Obligatio fidejussoris ad ipsius haeredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis.(4)

ARTICULUS II.
DE PIGNORE.

Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dedit in assecurationem crediti. — Res oppignorata etiam pignus dicitur.

Regulae pignoris:

938. — I. Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet: 1° tradere creditori pignus idoneum; 2° refundere creditori impensas necessarias, quae

* (1) Nisi fuerit specialis conventio, pensio anticipate singulis trimestribus est solvenda. *(C. A. 1285.)*

Creditores jus habent tantum ad pensiones, et filii indigentes habent jus ad eam partem pensionis, quae necessaria non sit ad sustentationem patris. *(C. A. 1286.)*

* (1) Quisquis de rebus suis liberam disponendi facultatem habet, potest etiam fidejubere. *(C. A. 1349.)*

(2) nisi conventio aliter statuit —

* (3) Si fidejussor promiserit in solidum, integrum est creditori, prout lubet, convenire vel debitorem, vel fidejussorem, vel utrumque. *(C. A. 1357. 891.)*

Si non promiserit in solidum, solvere non tenetur, nisi debitore prius excusso, exceptis casibus, si fiat creditorum concursus in debitorem, vel si tempore, quo solvendum est debitum, sit ignotum debitoris domicilium nec creditor de negligentia argui possit. *(C. A. 1356.)*

* (4) Obligatio fidejussoris ad ipsius haeredes transmittitur; sed si jus creditoris sit personale tantum, non reale, post mortem fidejubentis triennio exstinguitur. *(C. A. 1367.)*

ınt ad rei conservationem, si pignoris auxerunt(1); 3° pi- repetere, priusquam integrum solverit, nisi eo creditor ab-

: parte *creditoris* pignus ac- . Debet: 1° non uti re sibi nisi de consensu debitoris; ınter pignus custodire: secus o tenetur; 3° fructus ex pi- ırceptos in debiti diminutio- ıputare ad aequalitatem ser- 4° non vendere pignus propria te ad solutionem obtinendam, tor sit in mora culpabili et ınitus fuerit. Ita de jure na- positivo.

·i accedit contractus, qui *anti-* ıuncupatur. Est autem *anti-* ıignoris species, qua debitor m immobilem in usum credi- ıuedum debitum solvatur. — *n. 916.*(2)

c adjunctio „si valorem etc." non :e naturali.

Jus pignoris est jus conditio- : tradita ob crediti securitatem, ic obstricta sit res, ut ex ea so- queat, si debitor tempore sta- solverit. Si res tradita est mo- tur pignus; si immobilis, hypo-

jus pignoris acquirendum non uiritur titulus, qui vi legis vel tia judicis, vel ex contractu, vel . domini voluntate oritur, sed uiritur traditio rei, quae in rebus ıus per inscriptionem, in rebus per traditionem efficitur.

isque re oppignorata uti nequit ıntis pignus consensu: imo etiam eam servare debet et, si sua eat, ipsi perit. Quod si illam avit, fortuitum quoque casum itur, si hujusmodi casus alias isset. Dein rei oppignoratae fru- ere nequit, neque pacisci cum em debitore, ut, si tempore sta- solvat, pignus sit ipsius credi- blicae venditioni rei oppignora- sse nequit et reliquum pretium dere debitori.

pignus periit aut deterius abs- ;norantis culpa evadit, hic aliud ıale pignus exigere potest; etiam test subpignorare, sed fortuitum m cogitur. Ceterum, ubi solutio

ARTICULUS III.
DE HYPOTHECA.

939. — *Hypotheca* est contractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Triplicis generis distinguitur hypotheca: nempe legalis, judicialis et conventionalis.

1° Hypotheca *legalis*, quae etiam *implicita* seu *tacita* dicitur, ea est, quae vi solius legis et absque ulla speciali conventione instituitur. Sic uxor hypothecam habet in cuncta bona mariti pro dote recuperanda.

2° Hypotheca *judicialis* illa est, quae ex judicis decreto statuitur in gratiam eorum, qui causam obtinuerunt. Sic v. g. judex aliquem damnat ad certum damnum resarciendum; tunc vi illius sententiae cuncta bona immobilia damnati praesentia et futura pro damno hoc reparando hypotheca gravantur. Requiritur autem, ut haec judicis sententia apud hypothecarum conservatorem inscribatur, et a die tantum inscriptionis vim obtinet.

3° Hypotheca *conventionalis*, seu quam partes mutua conventione inter se statuunt, est contractus solemnis, quo persona ad contrahendum habilis bona specialiter designata creditori obligat in debiti determinati assecurationem et solutionem. Debet igitur fieri: 1° coram notario et cum certis formalitatibus sub poena nullitatis in foro saltem externo; 2° a persona ad contrahendum habili, seu quae liberam habeat bonorum suorum administrationem: hinc minores, inter-

---

praefinito tempore non praestatur, creditor coram judice publicam rei oppignoratae venditionem urgere potest, satisfactionem exigere non solum ex re, sed etiam ex fructibus nondum exactis et, si debitum exinde nondum deletur, reposcendi jus habet illud, quod deest.

V. Cessat jus pignoris, si res oppignorata penitus interiit; si creditor pignori legitime renuntiat; si pignorationis terminus elabitur; si demum debitum persolvitur. *(C. A. 447. et seq.)*

cti, uxores non possunt aliquid in ypothecam tradere. *(C. C. 2114. t seq.)*

CAPUT VII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

940. — Varii sunt generis: assecuratio, sponsio, loteria et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I.
DE ASSECURATIONE.

Assecuratio est contractus, quo unus periculum alicujus rei in se suscipit et alter ad pretium pro hujusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus exsistunt societates, quae assecurant v. g. domos contra incendium, navigia contra tempestates etc.

Quaesita:

941. — Quaer. 1° *An sit licitus assecurationis contractus?*

Resp. Affirmative; aequalitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter theologi, et praxis quotidiana confirmat.

Quaer. 2° *Quaenam sint conditiones ad assecurationem requisitae?*

Resp. Sunt sequentes: 1° ut pretium sit periculo proportionatum; 2° ut periculum sit verum et utrique parti aequaliter notum(¹); 3° ut assecuratus servet omnes contractus conditiones; 4° ut assecurator habeat, unde solvere possit. — *S. Lig. n. 911.*(²)

ARTICULUS II.
DE SPONSIONE.

Sponsio est contractus, quo plures de veritate aut de eventu rei alicujus contendentes aliquid sibi invicem spondent vel apud aliquem deponunt, ı sit ejus, qui verum dixerit.

Quaesita:

942. — Quaer. 1° *An contractı sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirmative, positis ponei dis(¹); nihil enim inhonesti prae : fert. — *S. Lig. n. 869.* et *alii con muniter.*

Quaer. 2° *Quaenam sint cond tiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. 1° Ut res eodem sensu a utraque parte intelligatur; 2° ut s animus se obligandi et solvendi, quc spondetur; 3° ut eventus sit utriqı incertus(²).(³)

Nota: Generatim loquendo fideles sponsionibus, quamvis licitis, averten sunt, in rebus praesertim majoris momen ob levitatem, imprudentiam, superflu expensas et alia mala, quae ex talibı subsequi solent.(¹)

(¹) Si alicui certo notus sit eventus, cujus incertitudini innixus paciscitur, injusta est assecuratio et restitutionis onus inducit. — *S. Lig. n. 911.*

* (²) Is, cui assecuratio facta est, assecurantem intra legitimum tempus de casu infausto, qui evenit, certiorem reddere debet. *(C. A. 1290.)*

(¹) Hinc v. g. illicita est sponsio cir peccatum committendum, si vel in ipsu perpetrandum efficaciter influat vel si pe catum illud optes. Desiderium tame peccatum illud a tertio committi, on restitutionis non imponit, prout nec i ad restitutionem lucri tenetur, qui de p cato patrando illicite sponsionem fecit *S. Lig. n. 870.*

* (²) secus sponsio est invalida. *(C 1270.)* Si vero pars vincens alteri testetur, se esse certam et nec velle, posse spondere, et tamen altera cont velitque spondere non obstante certit illa, pretium retinere potest, quia tum censetur. *(C. A. 1270.)*

Lex nullam actionem tribuit ad tum ex sponsione exigendum. Qı pretium persolutum sit vel depositı ctor ad illud jus habet. *(C. A.* Idem dicendum est de lusibus.

(³) Si quis manifestet, se certı de facto, cui sponsio innititur, ter nihilominus spondere velit, *probabilius* invalida est. Excip ille, qui hucusque de rei event erat, dubitare incipiat; 2° si al dere velit, licet *dubitet* de verit tionis, quam in sponsione tuetur, aperte constet de ejusdem ani taneo donandi. — *S. Lig. n. Lugo disp. 31. n. 78. et seq.*

(¹) Attamen nimis severa vi tentia *S. Lig. (n. 869.),* c *regulariter* has sponsiones nc a peccato veniali, cum actione

ARTICULUS III.
DE LOTERIA.

est contractus, quo plures
munt in commune, ut jus
iendi rem expositam. Qui-
aut partem, alii nihil re-

ita:

Quaer. 1° *An loteria sit licitus?*

ffirmative, dummodo ad-
ae conditiones. Ratio est,
spectari potest ut emptio
, seu ut contractus, quo
tur jus sortiendi et acqui-
uod per sortem acciderit.
emere rem incertam, sicut
ujus periculo pacisci.

° *Quaenam sint condi-
sitae, ut loteria fiat con-
se licitus?*

unt: 1° ut nulla sit fraus
educendis nec in solvendo
od obtigit; 2° ut dominus
ucro non excedat nec plus
cretur, quam si in alio
cito pecuniam suam im-
merces suas distribueret.
jus potest esse lucrum, si
pus vel utilitatem publi-
a sit loteria. — *Ita com-*

ARTICULUS IV.
DE LUDO.

Ludus est contractus, quo
r se paciscuntur, ut victori
m, quod exposuerunt. —
ludus: 1° *industrialis,*
um regitur industria lu-
ludus pilae et discorum;
orius, qui praecipue pen-
— 3° *mixtus,* qui par-
stria, partim a casu etiam
. g. ludus chartarum, sal-
ue.

no admitti non possint et
nestans licitae recreationis,
honesto invenitur, desit.

Quaesita:

945. — Quaer. 1° *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. Nullus ex tribus praefatis ludis ex se illicitus est, si serventur conditiones debitae. Ratio est, quia ludus *per se* 1° non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio; — 2° nec justitiae, cum quivis possit bonorum suorum dominium transferre, cui et quomodo voluerit.

Nota: Olim ludi aleatorii jure canonico omnibus, praesertim clericis, prohibebantur; sed quoad laicos his legibus derogatum est, et etiam quoad clericos in desuetudinem plerumque abierunt.(1)

946. — Quaer. 2° *Quaenam sint conditiones requisitae, ut ludus sit licitus?*

Resp. Requiritur 1° ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem;(2) — 2° ut a ludo exsulent fraus et dolus;(3) — 3° ut utrimque moraliter aequale sit perdendi periculum; — 4° ut ludus sit honestus in se(4), nec lege prohibitus; — 5° ut absit coactio ad inducendum in ludum;(5) — 6° ut non exponatur nimia

(1) Cf. *p. 2. n. 101. 102.*

(2) Hinc filiofamilias, qui ludit de bonis *parentum* sine ipsorum licentia saltem praesumpta, summa victa in ludo etiam de se licito restituenda est, sicut ex veriore sententia etiam filiusfamilias restituere debet, quod lucratus est. — *Scav.* — *S. Lig. n. 872. 875.*

(3) Non obligatur ad restitutionem, qui ludens illis astutiis utitur, quas regulae ludi et consuetudo recepta patiuntur, v. g. simulare metum, ut alter sponsionem augeat, alterius chartas inspicere ex sola illius negligentia et absque fraude. Qui autem fraudibus utitur, quae adhiberi non solent et quibus colludens expresse aut tacite non consentit, non solum restituere tenetur, quod ipse lucratus est, sed etiam, quod alter fraude illa absente juste lucraturus erat. In dubio autem de hoc restituat, quantum valebat spes victoriae, quam colludens cessante fraude habuisset. — *S. Lig. n. 882.* — *Lessius.*

(4) Ludere principaliter propter lucrum vix a veniali excusabitur juxta *S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4.;* finis enim conveniens est animi levamen. — *S. Lig. n. 885.*

(5) Qui injuriose alterum ad ludum co-

summa, ita ut familia et creditores inde damnum patiantur.

947. — Quaer. 3° *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo praesciat, se victorem fore?*

Resp. Affirmative multo *probabilius*, quia deest aequalitas inter ludentes requisita et proinde justitia laeditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. — *Ita Antoine c. 11. Q. 4.* et *alii communius* contra *Busemb.* et *alios.*

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur, vel etiam, si adversarius sufficienter praemonitus nihilominus pertinaciter ludere voluisset, quia tunc nulla deceptio intercessisset.(1)

948. — Quaer. 4° *An teneatur ad restituendum victor in ludo* a lege *prohibito? — vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

Resp. ad 1um *Negative,* quia contractus non declaratur a lege *irritus,* sed tantum *illicitus.* — *S. Lig. n. 887.* — *Antoine c. 11. Q. 5.* — *Lugo d. 31. n. 60.* — *Lacroix n. 1086.* et *alii communiter.*

Resp. ad 2um *Controvertitur.* Ia Sententia *negat;* quia lex talem ludum prohibendo videtur ipso facto obligationem naturalem solvendi in poenam victoris sustulisse. — *Ita Lugo d. 22. n. 300.* — *Salmant. tr. 14. c. 4. n. 62.*(2)

IIa Sententia *affirmat,* quia contractus fuit jure naturali validus et proinde victus huic stare debet, donec judicialiter restitutionem petat. Utraque sententia probabilis videtur; primam tamen *probabiliorem* dicit *S. Lig. n. 890.*(1)

949. — Quaer. 5° *An sit validus ludus, si magna pecuniae summa eadem vice exponatur?*

Resp. Affirmative per se *probabilius,* si conditiones requisitae serventur, i. e. praesertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant sine detrimento familiae, creditorum etc., quia ludentes aeque periculum subeunt scientes et volentes, ac proinde nulla est injustitia. Sed facile deficiunt praefatae conditiones; et aliunde, etiamsi talis ludus non esset contra justitiam, saltem honestati adversaretur: unde prudens confessarius per modum satisfactionis injunget poenitenti victori, ut partem saltem notabilem lucri in usus pios impendat. — *Antoine c. 11. q. 5.* — *Bouvier* — *Gousset n. 889.*

Attamen, cum haec sententia non sit certa, non videntur inquietandi in tribunali poenitentiae illi, qui nollent solvere magnam summam, quam amisissent. — *Ita recte Gousset ib.*

950. — *Conclusio.* Licet ludus plerumque sit in se licitus et honestae recreationi inserviat, debita tamen moderatio in ejus usu quam maxime com-

---

Creditori c. *de pactis);* secus vero, si lex tale beneficium non tribuat.

Cessio vero, qua uterque ludens renuntiat huic beneficio legis, invalida est (cum beneficium istud in bonum publicum datum sit). Si tamen accesserit juramentum et ludentes juraverint, se solutures, tenetur quidem, qui vincitur, solvere, sed poterit postea, si lex hoc jus concedat, solutum repetere; si autem praeterea juraverint, se non repetituros, nec hoc victo licebit. — *S. Lig. n. 891. 892.*

git, *probabiliter* tenetur solummodo restituere lucrum juxta mensuram peritiae, qua alteri praecellit, nisi metum passus restitutionem pecuniae amissae petat. Quasi-coactio autem per preces importunas juxta *probabiliorem* onus restituendi non imponit. — *S. Lig. n. 880.*

(1) Si vero *uterque* ignorat excessum notabilem peritiae alterius, lucrum est justum etiam in peritiore, quia uterque tunc se exponit periculo perdendi etc. — Ita *Antoine ib.*

(2) Assentitur *Scavini,* si lex tribuat jus repetendi solutum; nam *frustra solvitur, quod statim repetendum est* (l. 5.

* (1) Cum vi codicis austriaci de iis, quae prohibentur, valide contrahi non possit, lusus, jam suapte natura interdictus, etiam irritus censeri debet; proinde victor lucrum restituere debet, victus solvere non tenetur. *(C. A. 878.)*

mendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat quotidiana et lugenda nimis experientia. Quot enim heu! cernuntur miserrimi juvenes necnon cujuslibet conditionis homines, qui, ludo dediti, integrae fortunae paucis diebus vel horis jacturam faciunt, familiam aerumnis immergunt et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur. — Satagant igitur pro viribus parochi et confessarii, ut subditos et poenitentes a ludo immoderato avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad sacramenta admittant. — Sic recte concludit *Gousset n. 891.*, ubi haec habet:

„Curati et confessarii itaque, quoad „poterunt, nil omittent, ut praemu„niant fideles contra passionem ludendi, „quae nequit esse nisi fons malorum „tum in juvenibus, tum in patribus „familias. Nequeunt prae sacro tribu„nali tolerare rationem agendi illorum, „qui se exponunt frequenter periculo „amittendi summas majoris momenti, „quae possint notabiliter rei familiari „obesse, vel illorum, qui aleatoria in„stituunt vel ludos aleatorios apparant „in plateis, viis, campis et locis pu„blicis. Nec magis tolerare queunt „rationem agendi filiorumfamilias, qui, „ut ludo indulgere possint, frequenter „furta, quantumvis exigua sint, si sin„gulatim spectentur, parentibus fa„ciunt.“ (1)

* (1) De transactione.

Cum jura contentiosa vel minus certa ita simul determinantur, ut pars utraque in favorem alterius juri suo aliquatenus renuntiet, *transactio* resultat.

Transactio rite inita impugnari nequit ob laesionem ultra dimidium vel ob documenta recenter reperta etc. *(C. A. 1380. et seq.)*

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS.

PARS II.

TRACTATUS
DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

Agendum: 1° de statu laicorum; 2° clericorum; 3° regularium.

PARS I.
DE STATU LAICORUM.

Jam in quarto decalogi praecepto de variis et mutuis superiorum et inferiorum officiis sermonem fecimus. In praesenti vero tractatu de aliis officiis, quae ad bonum publicum spectant, et imprimis de forensibus nobis dicendum est. Hinc

Agendum: 1° de obligationibus judicum; 2° advocatorum et procuratorum; 3° apparitorum; 4° scribarum et notariorum; 5° accusatoris et rei; 6° testium; 7° medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum; 8° custodum; 9° artificum et opificum.

Obligationes vero mercatorum et similium satis intelliguntur ex his, quae de justitia et contractibus disseruimus.

CAPUT I.
DE OBLIGATIONIBUS JUDICUM.

1. — *Judex* est persona publica, legitima auctoritate constituta, ut secundum leges justitiam vindicet et in delinquentes debitas poenas decernat.

Principia:

I. Judex tenetur ex quasi-contractu cum societate et privatis ad munus suum rite adimplendum, ac proinde, ni faciat, reus erit violatae justitiae tum legalis, tum etiam commutativae.(1)

II. Judex autem, ut debite officio suo fungi possit, habere debet 1° intelligentiam non communem, ut causas intricatas percipiat; 2° scientiam sufficientem, ut omnia adjuncta juris et facti animadvertat; 3° integritatem incorruptibilem, ut nec amori, nec odio cedat.

III. Judex tenetur sententiam ferre secundum leges et ordinem a legibus determinatum; non enim constituitur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas exsecutioni mandandas. Excipe casum specialem, in quo judex mentem legis potius, quam ejus verba sequi debet rationemque habere aetatis, conditionis, fortunae illius, cui poena imponenda est.

IV. In causa dubia has teneat regulas:

1° In *criminalibus* reo favendum est, nisi de crimine constet. — *Reg. jur. can. 11. in 6.*

2° In dubio de *proprietate* simul et de *possessione* juxta rationes probabiliores judicandum est. Constat ex jure naturali et ex *propositione 2.* damnata ab *Innocentio XI.*, quae sic sonat: *Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Si autem

---

(1) Hinc, si injustam sententiam tulerit, ad damnum resarciendum obligatur juxta exposita in *p. 1. n. 658. 659. 662.* Si vero culpa theologica desit, ad restitutionem quidem non tenetur; attamen errorem emendare debet, in quantum absque gravi detrimento potest, v. g. monendo partem laesam, ut per appellationem etc. sibi consulat. — *S. Lig., de praec. part. n. 214.* — *Scavini.*

rationes sint ex utraque parte aeque probabiles, res dividenda est.

3° In dubio de *sola proprietate* pro certo possessore standum est. Constat ex *regula jur. 65. in 6.: In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* — *S. Lig. n. 210.*

Quaesita:

2. — Quaer. 1° *An judex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, — aut innocentem, qui juridice reus convincitur?*

Resp. ad 1um *Negative* prorsus juxta *omnes.* Ratio est, quia judex tenetur judicare secundum allegata et juxta formas a lege praescriptas. Nullum enim periculum est in dimittendo aliquando reum occultum, dum magnum foret in violando formas judicii stabilitas.

Resp. ad 2um Valde *controvertitur.* Affirmat *S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2.;* negat *S. Bonaventura.* — *S. Ligorius* vero utramque sententiam ut *probabilem* admittit, si agatur de causis civilibus aut etiam criminalibus minoris momenti; si vero casus de criminalibus majoribus et praesertim de capitalibus occurrat, sententiam *S. Bonaventurae* rectiorem putat. Ratio est, quia in priori casu dici potest, saltem probabiliter, incommodum privatum debere bono communi cedere, cum tantum non sit. Secus autem in posteriori casu: ideoque tunc innocentem damnare intrinsece malum videtur.

3. — Quaer. 2° *An judex munera pro ferenda sententia possit accipere?*

Resp. Negative; hoc enim ab omni jure prohibetur. Etenim: 1° Jure naturali, saltem aliquo modo, quia munera mentem obcaecant et ad favendum plus aequo donatori impellunt. Hinc personarum acceptio sequitur. 2° Jure canon.; nam in *c.* Statutum (11.) *de rescriptis (I. 3.) in 6° §. Insuper Bonifacius VIII.* statuit, ut judices nullum munus vel quidquid aliud accipiant, nisi forsan esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum. 3° Consonat jus positivum tum romanum, tum gallicum. Sic in *art. 177. cod. poenalis* omnis magistratuum corruptio per dona et promissiones gravibus poenis plectitur tum in corruptis, tum in corrumpentibus.

Quaer. 3° *An autem judex teneatur ad restitutionem, si munera a litigantibus acceperit?*

Resp. Negative probabiliter ante sententiam, quia, licet illicite agat munera acceptando, non peccat tamen contra justitiam. — *Ita communius.* — *Lugo* — *Lessius* — *S. Antoninus* — *Azor* contra *alios,* qui etiam *probabiliter* affirmant. — *S. Lig. n. 216.* dicit utramque sententiam satis probabilem.

Nota: Judices saltem inducendi sunt ad munera accepta restituenda vel ad ea in pia opera eroganda. Posset aliquando hoc pro poenitentia injungi ad judicem a relapsu avocandum.

Quaer. 4° *An judex restituere teneatur, quod accepit ex pacto ad sententiam aliquam tali modo ferendam?*

Resp. 1° *Affirmative,* si acceperit ad sententiam *justam* ferendam seu ad faciendum vel omittendum id, quod ex justitia facere aut omittere debebat, quia hoc non potest esse materia contractus, utpote pretio non aestimabile. *A fortiori* restituere tenetur ea, quae extorsit vi, minis vel injusta vexatione, aut ad causam non protrahendam.

Resp. 2° Si acceperit ad ferendam sententiam *injustam,* certo tenetur ad restitutionem ante hujus sententiae lationem, ut patet; lata autem sententia *controvertitur* juxta dicta de contractu in materia turpi *p. 1. n. 760.*(1)

---

(1) Onus autem parti per injustam sententiam laesae damnum reparandi semper judici incumbit, si causa primaria istius injustitiae, scilicet donans, huic obligationi non satisfacit. Sequitur ex dictis de cooperatione.

4. — Quaer. 5° *An judex teneatur reparare damnum, quod non impedivit vel cujus reparationem non procurat, quando potest?*

Resp. Affirmative, quia est cooperator *injustus et efficax.* Recole dicta de cooperatoribus negativis *p. 1. n. 690. et seq.* et *alibi passim.*

Quaer. 6° *An obliget sententia judicis dubie justa, aut certo injusta?*

Resp. ad 1um *Affirmative* omnino. Praesumptio enim superiori seu judici favet. — *V. de conscientia n. 75. etc.*

Resp. ad 2um *Negative per se,* ut patet. Excipe tamen: si adsit ratio scandali vel perturbationis publici ordinis, quia bonum privatum semper bono publico cedere debet. Qui autem obtinet causam per sententiam injustam, rem sibi adjudicatam recipere nequit vel eam restituere debet, et insuper omnia damna parti adversae evenientia reparare tenetur. Si tamen in bona fide fuerit, hac evanescente rem alienam tantum reddere debet juxta dicta de possessore bonae fidei *p. 1. n. 635.*

APPENDIX I.

DE JURATIS.

5. — *Jurati,* sic dicti ob juramentum, quod praestant, de munere sibi credito recte obeundo, sunt viri selecti ex praecipuis civibus ad aliquam judicum partem obeundam. In causis criminalibus tantum adhibentur. Ipsorum est pronuntiare circa exsistentiam facti et culpabilitatem accusati; postea judices poenam juxta legem decernunt. Institutio juratorum, ab Anglis sumpta, creata fuit in gratiam accusatorum, ut factum examinetur a viris gravibus sorte designatis, nullo affectu maligno erga accusatum, ut plerumque sibi plane ignotum, occupatis, adeoque ut illud factum certius cognoscatur.

Jurati desumuntur ex civibus notabilibus et a lege determinatis. Corpus juratorum constat in Gallia ex duodecim civibus pro singulis causis judicandis.

Jurati, qui sorte ad sessionem curiae dictae *d'Assises* designantur, easdem contrahunt obligationes ac ipsi judices, quorum ex magna parte munus exercent, et proinde de juratis, sicut de ipsis judicibus generatim dicendum est.

6. — Quaer. *Utrum juratus dare possit votum contra accusatum juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

Resp. Negative. Ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis. Jurati enim pronuntiare debent tantum circa factum ac juxta intimam convictionem, quam de ejus exsistentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem sententiae suae. Imo ex ipsa lege non tenentur fundare sententiam suam nec ex tali numero testium, nec ex his vel istis rationibus a variis partibus in medium adductis etc. Ergo votum dare debent tantum juxta id, quod in foro conscientiae sentiunt. Itaque, spectato munere, quod juratis imponitur, facile patet, nullum circa eos locum habere controversiam illam, quae de judicibus agitatur sub *n. 2.*

APPENDIX II.

DE ARBITRIS.

7. — *Arbitri* dicuntur ii, qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar judicum admittuntur.

Pactum, quo ea facultas litem componendi ipsis tribuitur, vocatur compromissum (gallice *compromis*). Hoc pacto adversae partes mutuo consensu promittunt, se exsecuturas esse, quidquid arbitri statuturi sint. Compromissum autem confici potest sive scriptura privata, sive scriptura authentica a notario confecta, sive etiam ex consensu communi viva voce expresso coram ipsis arbitris. Sub poena nullitatis in eo tum res dijudicanda, tum etiam arbitrorum nomina referenda sunt.

Arbitri, quicumque sint, semel a diversis partibus admissi, judicum mu-

nere proprie gaudent eorumque vices omnes gerunt haud secus, ac si a publica auctoritate fuissent designati. Possunt igitur causam ad se delatam instruere, rem ad aliud tempus opportunius differre, testes audire et tandem, lata sententia, litem absolute dirimere. Attamen ex lege civili gallica talis sententia, ut in foro externo valeat, agnoscenda est a praeside tribunalis *primae instantiae* provinciae, in qua lata est.

8. — Cum arbitri judicum munera adimpleant, easdem circiter obligationes eademque onera subeunt. Hinc:

1° Non debent suscipere litem, pro qua dijudicanda doctrinam sufficientem non habent; secus in materia gravi peccant contra justitiam commutativam et restitutionis obligationem contrahunt.

2° Arbitri judicare tenentur juxta leges regionis, nisi partes eis facultatem rem ex bona gratia componendi impertierint. Tunc enim ex bono et aequo utriusque partis commodum promovere debent.

3° Cavere summopere debent ab acceptione personarum, ne odio, aversione aut nimio affectu abstracti contra regulas aequitatis sententiam ferant. Quoad cetera eadem dicenda sunt de arbitris, ac de ipsis judicibus.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATI ET PROCURATORIS.

Principia:

9. — I. *Advocati* et *procuratores* tenentur ex justitia legali erga societatem et justitia commutativa erga litigantes scientiam competentem habere, causam diligentia et studio debito suscipere ac persequi et dilationes litigantibus damnosas praecavere; secus graviter peccant et restitutioni sunt obnoxii, sicut supra de judicibus dictum est.

II. In materia civili nec advocatus rei, nec advocatus generalis causam *certo* injustam(¹) sustinere potest, ut patet; si igitur eam defendendo injustam sententiam obtineat, omnia damna inde sequentia reparare tenetur, quando non reparantur ab iis, in quorum gratiam injusta sententia lata est. — *S. Lig. n. 223.*

A fortiori in materia criminali nec advocatus suscipere potest partes accusatoris evidenter injusti, nec procurator generalis injuste accusatum persequi, si detegat ejus innocentiam sive in principio, sive in decursu aut in fine causae, sed accusationem inceptam derelinquere uterque tenetur.

III. Advocatus, a cliente interrogatus, debet ejus causam serio et ea diligentia, quam rei gravitas postulat, examinare, fidelitatem illi servare, justitiam et injustitiam aperire et probabilitatem eam obtinendi aut perdendi scrupulose indicare; secus enim clientem ad sumptus inanes impelleret, quos ipse resarcire teneretur.

In causa autem dicenda cavere debet a fraudibus, falsis probationibus aliisve mediis injustis contra partem adversam; secus enim pariter omnia damna inde sequentia compensare deberet.

Quaesita:

10. — Quaer. 1° *An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?*

Resp. 1° In causis *civilibus affirmative* cum sententia communi et certa, quia spem habere possunt, ut veritas elucescat. — *S. Lig. n. 222.* — *Layman* — *Sanchez* contra *paucos.*

Resp. 2° In causis vero *criminalibus* reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ipsius culpabilitate, mediis tamen honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis, fraudibus etc. Ratio est, quia advocatus reum defen-

(¹) sive sit directe injusta, sive dubia quidem in se, sed per dispositionem legis jam indubie decisa — Cf. *S. Lig. n. 222.*

dens nemini infert injuriam, et praeterea ex suo officio reo patrocinari debet, quantum potest. — *S. Lig. n. 220.*

Nota: Aliquando in causa criminali, dum procurator generalis sollicitat poenas statutas in reum, intervenit etiam pars civilis, cum civis privatus reparationem damni sibi ex crimine illati juridice repetit.

11. — Quaer. 2° *Ad quid teneatur advocatus ratione pretii?*

Resp. 1° in genere: Nihil potest accipere ultra justum pretium, quod vel a lege forte taxatum est, vel judicio prudentum determinandum, habita ratione negotii, peritiae advocati, laboris, quem impendit, et consuetudinis receptae.

Resp. 2° Quoad pauperes in particulari; 1° Tenetur gratuito succurrere versantibus in extrema necessitate, etiam cum gravi suo incommodo; 2° tenetur gratis patrocinari versantibus in gravi necessitate, et quidem sub peccato mortali, non tamen cum notabili suo incommodo; 3° tenetur etiam in communi necessitate causas pauperum tueri ex caritate, sed absque gravi incommodo; sufficit scilicet, ut aliquid ex superfluis temporis vel divitiarum eis largiatur. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 13. n. 69.*

Quaer. 3° *Quid exigere possit advocatus, si, postquam de pretio conventum est, cliens inceptam causam deserat?*

Resp. Potest totum pretium exigere, si per eum non stet, quominus litem prosequatur, non secus ac locans suam operam pro aliqua mercede illam exigere potest, si per conductorem stet, ne opera compleatur. Excipe tamen casum, in quo intervenit justa causa litem deserendi, cum haec conditio semper in conventione subintelligatur. — *S. Lig. n. 225.*

12. — Quaer. 4° *Ad quid teneatur advocatus, qui causa jam suscepta advertit, eam esse injustam?*

Resp. Debet statim admonere de injustitia causae et eam deserere, ne damno injusto cooperetur. Neque compositionem suadere potest, siquidem haec nonnisi in re dubia locum habere debet.(1) Si vero causam injustam scienter fuerit prosecutus, omnia damna utrique parti obvenientia compensare tenebitur. Parti enim adversae restituere debet(2) *ex peccato commissionis,* cum illi causa damni positiva fuerit; suo autem clienti, si in bona fide versabatur, *ex peccato omissionis,* siquidem eum *ex officio* de injustitia causae admonere tenebatur.

Advocatus tamen deserens causam, quam injustam esse detegit, non debet aliam partem juvare seu secreta suae causae alteri parti revelare, ut patet de jure naturali et expresse docet *S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 2.*(3)

Quaer. 5° *Ad quid teneatur advocatus, qui, advertens causam esse injustam, monet quidem clientem, sed eo volente causam prosequitur?*

Resp. 1° Ad nihil tenetur erga clientem, si causam perdiderit, quia *scienti* et *volenti* non fit injuria.

Resp. 2° Tenetur ad omnia damna, quae patitur pars adversa, compensanda titulo cooperationis positivae.(4)

13. — Quaer. 6° *An et quomodo peccet advocatus, qui causam justam mediis injustis defendit, v. g. si chirographum novum substituat loco prioris amissi etc.?*

Resp. 1° Peccat contra fidelitatem et veritatem, gravius quidem aut minus graviter pro ratione medii injusti adhibiti. Majoris peccati reus erit advocatus, si non tantum novum chirographum priori substituat, sed illud supponat, quod numquam exstitit. Nec

---

(1) Attamen alteri parti compositionem suadere potest, si vexationem ipsius a parte sui clientis praevidet; esset enim suadere redemptionem ab injusta vexatione.— *Scav.*

(2) ast solummodo secundo loco, si ipsius cliens in mala fide fuit, cum in tali casu hic, uti mandans, primario teneatur.

(3) Exceptionem, quae tamen rarissime suberit, indicat *S. Lig. n. 226. 10°.*, et fusius *Lugo disp. 41. n. 6.*

(4) V. *notam 2.* sub Q. 4°.

excusari potest ex fine bono obtinendo; non enim sunt facienda mala, ut veniant bona.

Resp. 2° *Per se* non peccat contra justitiam, cum causa justa supponatur. Attamen per accidens potest justitiam laedere et ad restitutionem obligari, nempe si inde damnum suae parti vel parti adversae adveniat; si v. g. fraus detegatur, facile evenire potest, ut causa, licet bona, in suspicionem deducatur et corruat.

Resolves:

14. — 1° Advocati peccant contra justitiam erga clientem, si, cum non sint sat periti et idonei, causas defendendas suscipiant; si fundamenta vel secreta causae parti adversae detegant, vel si parti utrique serviant; si motiva aliqua non spernenda negligant sub praetextu, quod peremptoria afferant, quia forsan judices per motiva ista neglecta moverentur; si ad causam dicendam non sufficienter se praeparent etc.

2° Iidem peccant contra justitiam erga partem adversam, si leges falsas aut abrogatas citent, aut in sensum alienum deflectant, dolum aut mendacium adhibeant, ex quibus judices aut jurati in injustam sententiam vel suffragium abstrahantur; si parti adversae crimina vel vitia imponant falsa etc. (1)

3° Procuratores partium peccant contra justitiam, si causas protrahant, dilationes indebite obtineant, si causam primo acceptatam priori loco non procurent, si partes ad iniquam compositionem adducant.

4° Procurator generalis peccat contra justitiam, si ex negligentia nimia, ex praecipitatione aut praejudicio, ex odio, acceptione personarum etc. traducat innocentem in detentionem, in judicium et in sententiam injustam subeundam. Item si accusationem sustinuerit, postquam in decursu causae innocentiam agnoverit aut graviter de ea dubitaverit; proinde de omnibus damnis accusato subsecutis tenetur.

Nota: Huc spectat etiam munus *referendarii*, qui aliquando in causis explanandis adhibetur. Ei quandoque committuntur acta litigantium discutienda eo fine, ut postmodum quasi in compendio eorum fundamenta judicibus referat. Ex his liquet, quanta scientia, diligentia, peritia et fidelitate gaudere debeat referendarius, ut causas debito modo referat et judices recte instruat.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS APPARITORIS.

15. — *Apparitor (huissier)* ille est, qui ex officio vadimonia (gallice *citations*) et mandata justitiae defert, executionesque a judice decretas perficit. Hinc apparitoris munus duplex est.

Cum apparitores sint ministri justitiae, summopere decet, ut perhumaniter et religiose suo fungantur officio, ut sui ministerii rigorem et asperitatem temperent, quantum fieri potest. Sufficienter instrui debent de omnibus, quae ad suum munus attinent. Fidelitatem quoque non mediocrem praestare debent in mandatis tribunalis exsequendis, aeque cavendo tum a negligentia in munere obeundo, tum a rigore et vexatione erga eos, quos justitia publica prosequitur. Specialiter etiam incumbere debent, ne ullas formalitates necessarias in actis suis omittant; secus justitiam non legalem tantum, sed saepe etiam commutativam laederent atque ad damna inde provenientia reparanda tenerentur.

16. — Injusti sunt praesertim apparitores:

1° Si pretio aut favore se corrumpi sinant in praejudicium clientis, v. g. significationes sententiarum protrahendo, negligendo, vel alia faciendo, unde causa sint, cur creditor solutionem accipere non possit. Item favendo quibusdam debitoribus solidariis,

(1) Non tamen peccant, si in causa manifeste justa adversario aliquid prudenter occultent, dummodo nulla utantur falsitate v. g. mendacio. — *S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 3. ad 3.*

ut eos in exsecutionibus non comprehendant.

2° Si tempus ad acta juridica conficienda praefixum non concedant; si diem falso adscribant *(fausses dates)*; si falsum affirment in actis verbalibus *(procès-verbaux)*; si tempore praescripto acta juridica sibi commissa non conficiant.

3° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant; si vim injustam aut aliam injuriam inferant; si falsum in actis suis enuntient.

4° Si excedant mandatum judicis aut legis statuta in rebus seu bonis privatorum capiendis; si non servent justum pretium in venditione rerum captarum etc.; si partem hujus pretii sibi retineant etc.

Quaesita:

17. — Quaer. 1° *An apparitores ad restitutionem teneantur, si pretium supra taxam lege determinatam titulo donationis acceperint?*

Resp. Affirmative per se. Ratio est, quia talis donatio generatim spontanea dici nequit. Unde, si excessus pretii sit quid grave, sub peccato mortali ad illum restituendum obligantur. — *Ita communiter* cum *Salmant.* — Attamen, si labori extraordinario et indebito vacavissent, aliquid supra pretium ordinarium accipere possent. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 13. n. 68.*

18. — Quaer. 2° *An apparitor multiplex salarium exigere possit, si diversa vadimonia unica et eadem vice deferat?*

Resp. 1° Ex lege naturali in se sola spectata affirmandum videretur, quia eamdem praestat utilitatem singulis eum requirentibus, quam si pro uno solo iter et operam susciperet, juxta dicta in *tract. de contr. in genere n. 757.* — *Ita S. Lig., Hom. apost. tr. 13. n. 68. etc.*

Resp. 2° Attendendum est ad statuta locorum particularia(¹). *Ex jure* autem *gallico* hoc absolute prohibetur. Si quis igitur id peragat, justitiam legalem et commutativam violat atque ad restitutionem tenetur. Unde parvi refert, quod plures citationes vel unicam solam eodem cursu deferant: idem pretium in utroque casu accipere debent. Hinc, si plurium res peragant, minus a singulis repetendum est.

(¹) et ad consuetudines *legitimas.*

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS SCRIBARUM ET NOTARIORUM.

I. De scribis seu secretariis.

19. — *Scriba* seu *secretarius* (gallice *greffier)* ille est, qui scripto refert testimonia, judicum sententias ceteraque omnia, quae in tribunalibus peraguntur. Hinc quasi dextera judicis et ipsius publicus et authenticus secretarius considerari solet.

Injustitias autem varias scriba committere potest, praesertim

1° Si diligentiam debitam non adhibeat ad omnia audita et statuta aut decisa exacte referenda; omissio enim in rebus hujus generis facile gravis evadere potest, ut patet.

2° Si attentione seria et constanti non utatur ad omnia in tribunali prolata et peracta in libros authenticos referenda: facillime enim defectus attentionis in scriba culpam gravem et restitutionis obligationem inducere potest, nisi omnino involuntarius sit. Quis enim non videt, quanta damna ex defectu etiam levi attentionis ex parte secretariorum subsequi possint?

3° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat, aut si tabellas publicas sibi commissas adulteret aut male custodiat; si debitas formalitates et subscriptiones non apponat aut apponi non satagat; si testimonia non fideliter transscribat, sive exaggerando, sive imminuendo, sive immutando aut invertendo.

4° Si in distribuendis litibus favori potius, quam ordini pareat; si ad augendum salarium acta distribuenda

faciat, v. g. scribendo in dua-
ginis ea, quae facile in unica
poterant.
i arcanum sibi commissum pro-
sententiam nondum publicatam
tet; si processus peractos sine
praescripto partibus ostendat.
i acta judicis partibus tradat,
m juxta formas legales sub-
fuerint. Tunc enim instrumen-
ıncum et falsum exhibet, cujus
o nullius valoris habetur. —
. *n. 229.*

II. De notariis.

— *Notarius* seu *tabellio* di-
e, qui auctoritate legitima con-
r ad scribenda acta seu instru-
publica, quae sive in judicio,
tra judicium fidem faciant.
apparet, quanti momenti sit
munus, quam late pateat et
sint ejus obligationes. Notarii
ıagna scientia, perspicuitate non
ıi et potissimum egregia fideli-
ɔrudentia et probitate gaudere
Etenim, cum negotia et con-
cujusvis generis pertractare de-
ex eorum negligentia, ignoran-
ıttentionis defectu summa mala
ietate et damna pro partibus
ıerentur.
— Notarii praesertim injusti
sequentibus casibus:
i ignorent, quae ad officium
ɔertinent, et ideo instrumenta
te conficiant; si cum detrimento
entium vel aliorum, qui ipsis
nt, ex negligentia solemnitates
rias praetermittant, uti idoneos
ıdhibere, subscriptiones appo-
diem, mensem, annum indi-
c.
i conficiant instrumentum fal-
surarium vel injustum; si fin-
instrumento ea, quae non sunt,
num alterius contrahentis aut
si adnotationes diei falsas ap-
aut veras immutent, etsi da-
non intendant. Item, si talia
nt; si conficiant acta, quae
ipsorum munus excedunt, vel si extra territorium sibi assignatum ministerium suum exerceant: tunc enim eorum actus ipso facto irriti sunt.

3° Si non describant fideliter voluntates contrahentium, vel per ambiguas redactiones litibus et injustitiis locum praebeant. Si partes non moneant de clausulis, quae eis nocere, aut de difficultatibus, quae inde nasci possunt; ad haec enim ex quasi-contractu cum partibus tenentur.

4° Si falso scribant, summam coram se vel antea jam solutam esse, cum damno alterius partis aut tertii. Item, si facile talia scribant, graviter suspicantes, quod a contrahentibus decipiantur; tunc enim eorum peccato cooperantur.

5° Si acta et instrumenta negligenter custodiant cum periculo damni partium; si differant instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueant; si amanuensi aliquid committant cum erroris periculo.

6° Si quid in protocollo *(la minute)* immutent, unde jus aliquod violetur aut impediatur; si testes falsos admittant; si testimonium aliquod necessarium suo clienti non exhibeant, occultent aut transscriptum denegent.

7° Si actus communicent aliis quam partibus; si culpa sua protocolla amittant; si juramenta vel secreta violent; si in dictis vel factis partium aut testimoniis testium aliquid addant vel detrahant; si sincere omnia, prout se habent, non transscribant.

8° Si negligant invigilare in suos ministros, et propterea instrumenta male conficiantur: notarii enim pro omnibus, quos adhibent ministros, respondere tenentur; si subscribant instrumenta sive ab aliis notariis, sive a propriis ministris confecta, quin diligenter ea recognoverint et notitiam perfectam de iis, quae in ipsis continentur, habuerint; item, si, ubi plures notarii requiruntur, absentes tamquam praesentes declaraverint.

9° Si pretium ultra taxam vel pro-

batam consuetudinem petant, vel si scripturas amplificent vel majori vel magis extenso charactere scribant, ita ut numerus paginarum notabiliter augeatur; si negotia pertractanda ratione salarii adaugendi protrahant; si pecunias mutuo petant, ut easdem supra taxam legalem iterum mutuo tradant.

In his omnibus et in multis aliis similibus tenentur notarii sub gravi *per se* ad restitutionem ut injusti damnificatores aut cooperatores, ut patet ex dictis in *tract. de justitia.* — *S. Lig. n. 230. 231.*

Quaesita:

22. — Quaer. 1° *An notarius teneatur ad restitutionem erga fiscum, si in conficiendo instrumento venditionis aut inventarii, postulantibus partibus vel etiam ipso innuente, non verum rei pretium inscribat, sed aliud minus, ut tributum solvendum imminuatur?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant, quia sic cooperatur defraudationi tributorum, quod iniquum est et injustum ex parte magistratus, cui respublica confidit. Alii negant, dummodo infimum saltem pretium in scripto authentico referatur. Alii tandem eum totaliter excusant, quia ex consuetudine generaliter recepta, etiam proborum, non solet totum pretium etiam infimum declarari, sed tantum declaratur paulo ultra mediam partem, vel circa duae tertiae partes hujus pretii; si autem non peccant partes, verum pretium dissimulando, nec peccat notarius ex cooperatione: ipse enim non constituitur sicut praepositus vectigalium ad tributa exigenda, sed ad instrumenta conficienda.(1)

23. — Quaer. 2° *An peccet notarius, qui instrumenta conficit die dominica vel die festo?*

(1) Ad solvendam hanc quaestionem ratio quoque habenda videtur legum alicujus regni, ut ex his forte dignoscatur, quaenam officii species notariis in conficiendis hisce instrumentis incumbat.

Resp. Ex consuetudine nunc generali possunt conficere instrumenta, quae non respiciunt jurisdictionem contentiosam, i. e. negotia forensia. Sic possunt conficere contractus, testamenta aegrotantium, conventiones matrimoniales, processus electionum ad officium publicum et alia similia.

Scripta autem ad forum contentiosum pertinentia nequaquam diebus festis conficere possunt. Id non solum lege canonica(1), sed ipsa lege civili gallica prohibetur. Si igitur notarius tales actus die festo conficeret et diversam diei assignationem simularet, peccaret contra legem ecclesiasticam et civilem, et falsum instrumentum conscriberet.

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS ACCUSATORIS ET REI.

I. De accusatore.

24. — *Accusator* est ille, qui in causis *criminalibus* crimen defert judici, ab eo vindictam ob bonum commune postulat et obligationem crimen objectum probandi suscipit: in causis vero *civilibus* ille, qui velut pars laesa adversarium ad judicem compellit, *actor* dicitur.

Accusator differt a denuntiatore, qui superiori vel judici crimen aliquod defert, quin obligationem illud probandi subeat. — *S. Lig. n. 235.*

Accusatores esse possunt ex *jure romano* omnes, qui non sunt specialiter lege prohibiti. Prohibentur vero pupilli, impuberes, mulieres, magistratus, infames, proxime conjuncti, scilicet filii respectu parentum et vice versa, fratres respectu fratrum, uxor respectu mariti et e converso. — Ex *jure* autem *canonico* arcentur ab officio accusatoris 1° clerici in judicio saeculari, praesertim in causa sanguinis; 2° laici respectu clericorum, nisi crimen sit immane vel cedat in

(1) Cf. *p. 1. n. 355. II.*

ium Ecclesiae nocumentum; 3° haetici non tolerati et excommunicati spectu fidelium.(1) — *S. Lig. n. 38.* (2)

Accusatores ex eodem *jure romano,* de calumnia convincantur, poenam *lionis* incurrunt seu poenam, quam o accusato requirebant, ipsi subire bent.

Nota: In Gallia nemini privato accusanem instituere fas est, sed totum mus accusandi crimenque probandi magiratui ad id constituto seu generali gurnii procuratori unice demandatur. Unde t, ut etiam *ministerium publicum* nunpetur, quia partes communitatis et borum morum contra reos suscipit atque etur.

II. De reo.

Reus dicitur ille, qui in judicio re criminali, sive civili accusatur, re sit nocens, sive innocens. De o varia occurrunt dubia, praesertim rca criminis confessionem et fugam. inc

Quaesita:

25. — Quaer. 1° *An reus a ji dice interrogatus veritatem fater teneatur?*

Resp. 1° *Negative,* si non sit legitime interrogatus, quod fit, quando judex non est legitimus, vel quando formam judicialem non servat, uti si interroget sine praevia accusatione etc.: addunt etiam, quando non habetur saltem semiplena probatio delicti.(1) — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 272.* (2)

Resp. 2° *Affirmative,* si reus sit legitime interrogatus, quia justo judicis praecepto obedire debet. Excipe satis probabiliter casum, in quo de magna poena subeunda agitur, quia lex non censetur reo imponere adeo arduam obligationem, quae vires humanas superare videtur, nempe ut ipse per criminis confessionem sponte ad gravissimam poenam se condemnet, modo tamen grave damnum publicum ex silentio rei non immineat. Hanc exceptionem sat probabilem etiam *intrinsece* dicit *S. Lig. n. 274.*, quamvis contrarium vocet probabilius.(3)

Quaer. 2° *An reus innocens ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris?*

Resp. Affirmative, modo 1° crimen

---

1) Cf. infra *n. 968.*

2) ubi vide et alias exceptiones.

bligantur vero ad accusationem, si m habet, secus ad denuntiationem: li, qui a republica vel a dominis ideo ndium recipiunt, sub poena restituendi ia. (Cf. etiam infra *n. 35.*) — 2° Quiprivatus, si agatur de communi davitando et crimen probari possit. Si ri nequit, denuntiatio rei sufficit, ut monitus vigilet; imo generatim in su denuntiationem sufficere ajunt. Item quilibet ad denuntiationem tesi grave damnum innocenti immi-Tum tamen haec postrema obligacaritatis tantum officio enascatur, si denuntians sic grave incommobire prudenter timeret. — 4° Tedem aliquis denuntiare, imo etiam delinquentem, si hoc sit necessavitandum seu resarciendum dapriae familiae, quae alias relehonorata vel destituta alimen-*Lig. 236. 237.*

do autem denuntiationi juxta correctio evangelica praemitpraesertim si delictum redunmnum solius delinquentis. — *240. 241.; Hom. ap. tr. 13.*

---

(1) Ita ex jure can. — Cf. *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Accusatus *n. 10.*

Semiplena probatio autem in genere illa dicitur, quae facit quidem aliquam fidem rei gestae, sed non tantam, quae sufficiat ad definiendas controversias. In causis criminalibus habetur praesertim per indicia gravia et probabilia vel per unicum testem omni exceptione majorem; sola infamia vero non sufficit. — V. *Lugo disp. 37. n. 140.; disp. 40. n. 11.*

(2) Cf. etiam *p. 1. n. 444. 3°.*

(3) Omnes autem conveniunt, addit *ib. S. Lig.*, confessarium, si reus sit in bona fide et difficulter ad crimen revelandum induci possit, eum in bona fide relinquere debere, ut evitet peccatum formale.

Item, ajunt, reus non tenetur fateri, si rationabiliter dubitat, an judex legitime interroget, et ipsi grave damnum ex confessione imminet. — *S. Lig. n. 273.*

sit *verum*(1); 2° revelatio sit *absolute necessaria* ad suae innocentiae defensionem, et 3° ipse aliter grave damnum sit passurus. — *S. Lig. n. 277.*

26. — Quaer. 3° *An liceat reo innocenti fugere vel resistere?*

Resp. Licet ei quidem fugere et e manibus satellitum sese eripere; sed non ei licet vim vi repellere occidendo(2) aut vulnerando, quia hoc bono communi nocivum foret. — *S. Lig. n. 279.*

Quaer. 4° *An reo, qui vere deliquit, etiam fugere licent?*

Resp. Affirmative, si nondum ad poenam sententia juridica sit damnatus, quia nemo ante sententiam poenam solvere tenetur. Item, si jam sit damnatus ad poenam gravissimam et carcer sit ei assignatus ad custodiam, donec poena statuta plectatur.(3) — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 280.*

Negant autem *communius,* si carcer ad poenam per sententiam judicis jam fuerit assignatus. Ratio est, quia reus tenetur obedire in exsecutione sententiae justae. Excipiunt tamen plures: si ei non dentur necessaria vel si carcer sit durissimus, quia videtur supra vires humanas, aliquem obligari ad se non liberandum a poena gravissima, cum id sine vi et resistentia peragere possit. — *Ita S. Lig. ibid.*

Quaer. 5° *An reo liceat fugere, etiamsi inde damnum custos sit passurus?*

Resp. Affirmative, quia utitur jure suo et nulli facit injuriam, nisi tamen caritas aliud suadeat ob damnum custodis multo praestantius. Attamen non licet reo, custodem pecuniis corrumpere, ob cooperationem, quae a peccato nullatenus excusari potest, quia custodi obligatio incumbit reum non dimittendi.(1)

(1) Cf. *prop. 44.* damnatam ab *Innocentio XI.*

(2) Cf. etiam *prop. 18.* damnatam ab *Alexandro VII.*

(3) Non tamen ipsi licet. ad hunc finem positive resistere. — *S. Lig. n. 279.*

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONIBUS TESTIUM.

27. — I. Nemo tenetur ex justitia sponte se offere ad testificandum; at quandoque datur talis obligatio ex caritate, v. g. si possit quis testimonio suo innocentem facile liberare, gravem injustitiam impedire etc. — *S. Lig. n. 264.*

II. Testis legitime citatus tenetur sub gravi coram judicibus se sistere et juramentum jure praescriptum emittere(2), nempe dicendi totam veritatem et nihil praeter veritatem, et deinde postulatis(3) simpliciter juxta conscientiam respondere. — *Ita omnes.*

III. Testis, qui falsum malitiose deposuit, est perjurus et justitiae violator, si quis inde detrimentum patiatur, et proinde tenetur ad omnium damnorum reparationem, necnon ad falsi juramenti revocationem cum pari suo damno, etiam cum periculo vitae, si vi falsi testimonii innocens ad mortem fuerit damnatus. — *S. Lig. n. 269.*

Quaesita:

28. — Quaer. 1° *Ad quid teneatur testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, inadvertentia aut oblivione inculpabili?*

Resp. Tenetur cum levi incommodo falsum testimonium aperire et damnum eo modo, quo potest, impedire; non autem ad hoc tenetur cum gravi incommodo, cum falsum asserendo nullatenus peccaverit. Non enim tenetur ex re accepta, neque ex delicto; ergo ex sola tenetur caritate, quae non obligat cum tanto incommodo.(4) — *S. Lig. n. 269.* cum *Busembaum.* — Idem dicendum foret *probabilius,* si

(1) Cf. etiam *p. 1. n. 390. Q. 4°.*

(2) Cf. *p. 1. n. 306. not.*

(3) legitimis — *S. Lig. n. 266.*

(4) Cf. *p. 1. n. 662. Q. 3°.*

venialiter tantum peccasset, juxta dicta *de restitutione n. 665.*

Quaer. 2° *Quid de illo, qui scripturam, chirographum aut epocham supponit vel adulterat ad supplendos actus perditos vel ad jus certum prosequendum?*

Resp. 1° Peccat saltem venialiter in omni casu ratione mendacii; quia, utcumque res se habeat, chirographum, quod exhibetur, diversum est ab illo, quod in judicio fidem facere debet.

Resp. 2° Potest aliquando peccare graviter contra caritatem erga seipsum, se exponendo proximo periculo gravissimarum poenarum, si falsitas detegatur, quod facile evenire potest.

Resp. 3° Nullatenus peccat contra justitiam commutativam, et proinde ad nullam restitutionem tenetur.(1)

29. — Quaer. 3° *Quandonam testis excusetur a testimonio praestando?*

Resp. Excusatur in sequentibus casibus: 1° si rem tantum acceperit sub secreto confessionis, ut patet; 2° si rem noverit sub secreto naturali vel etiam sub secreto tantum commisso(2); 3° si rem acceperit a viris non fide dignis; 4° si sciat, reum non peccasse mortaliter, v. g. propter ignorantiam; 5° si ex testimonio grave sibi vel suis damnum imminent. Excipe: si damnum commune vel privatum alienum praevaleat.(3) — *S. Lig. n. 268.*

Quaer. 4° *An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. g. quod ipse solus novit?*

Resp. 1° *Affirmative,* si spectetur nova legislatio Galliae et aliorum locorum similium, in quibus unicus testis sufficere potest ad rei damnationem et nihil aliud a juratis exigitur, nisi ut asserant, se habere intimam facti convictionem, quin testimonium suum in ullo probationum genere fundare debeant.

Resp. 2° *Negative probabilius,* si attendatur ad jus romanum, ex quo necessario duo testes requiruntur, ut reus damnetur, etiam habita ipsius confessione. Hinc axioma: *Testis unus, testis nullus.*(1) — *S. Lig. n. 266. etc.*

30. — Quaer. 5° *An et quomodo peccet testis, qui se abscondit, ne citetur a judice, vel qui post citationem fugit?*

Resp. ad 1um Non peccat 1° contra justitiam legalem, quia nemo tenetur obedire praecepto superioris, antequam ei imponatur; 2° neque contra justitiam commutativam, quia mere negative se habet. Potest tamen peccare contra caritatem, ut supra dictum est.

Resp. ad 2um Peccat graviter contra justitiam legalem seu contra obedientiam judici debitam in re gravi et ad societatem necessaria; sed *probabilius* non peccat contra justitiam commutativam, quia citatio illa non imponit obligationem justitiae, sed tantum obedientiae. — *S. Lig. n. 270.* — *Vogler n. 337.* — *Billuart* — *Lessius.*

Quaer. 6° *An teneatur ad restitutionem testis, qui legitime interrogatus celat veritatem, quin falsum dicat?*

Resp. Negative probabiliter. Ratio est, quia testis tunc mere negative se habet, nec tenetur veritatem deponere, nisi ex praecepto judicis, et proinde eam celando contra solam legalem justitiam peccat. — *S. Lig. ibid.* — *Lugo* — *Lessius.*

---

(1) *Cf.* etiam supra *n. 13.*

(2) Ita *S. Lig. n. 268.*, qui tamen hic sub secreto naturali intelligit secretum, quod cum aliquo communicatur ratione officii, quo fungitur, ad consilium petendum etc. Secretum naturale in propria significatione enim obligationem testimonium ferendi non auferit. — V. *p. 1. n. 468. et seq.*

(3) Propinquos proximiores ipsae leges ab onere testificandi eximunt. — Cf. *Pruner, Lehre vom Recht tom. 2. §. 90.*

(1) Ad poenas minores tamen quandoque etiam unicus testis sufficere potest. — Alias exceptiones, quas axioma hoc patitur, cf. v. g. apud *Reiffenstuel, jus can. l. 2. tit. 20. §. 8. n. 253. et seq*

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM, CHIRURGORUM ET PHARMACOPOLARUM.

31. — Tenentur ante omnia sub gravi: 1° habere scientiam et peritiam sufficientem; 2° adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei, quae ipsorum curae committitur. Si autem in his deficiant, tenentur de omnibus damnis, quae inde sequuntur.

In curandis autem infirmis sequentes regulas servare debent, scilicet:

I. Tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas, saltem ordinarie, quia periculum aegroti ex probabilitate removeri non potest.

II. Quando certum est, aliquod pharmacum infirmis profuturum esse, tenentur illud adhibere omisso dubio; si autem certum desit, illud, quod probabilius est, praeferre debent.

III. Quando nulla apparet spes de sanitate infirmi restituenda, nec adest remedium, nisi dubium seu de quo dubitatur, an profuturum vel nocituram sit, illud adhibendum videtur. — *S. Lig. n. 291.*

Hinc peccat graviter medicus in sequentibus casibus: 1° Si absque sufficiente capacitate gravem morbum curare tentet.(1) — 2° Si incurrenti gravi et insolito morbo specialem operam non impendat. — 3° Si medicamenta inexplorata explorandi gratia adhibeat. — 4° Si non bene perspecta morbi natura temere insumat remedia periculosa, praesertim cum discrimine vitae vel gravis laesionis. — 5° Si agnito aegroti periculo opportune non adsit, die-noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia media apta ad morbum propellendum non adhibeat. — 6° Si medicos alios advocari non permittat, ubi oporteret, vel si alios convocando consulendi causa ad amicitiam potius, quam ad peritiam attendat. — 7° Si econtra sine necessitate alios medicos advocet cum expensis inutilibus pro aegroto, aut si contra suam conscientiam eorum consiliis adhaereat. — 8° Si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; si pretium nimium exigat. — 9° Si ad favendum pharmacopolis amicis pharmaca superflua praescribat. — 10° Si abortum aut media illum procurandi suadeat aut ipsemet exsequatur. — 11° Tandem graviter et gravissime peccat medicus, si non praemoneat de gravi periculo aegri, ut ipsi sacramenta conferantur. — *S. Lig. n. 291.* et *de 2. praec. n. 182.*(1)

32. — Pharmacopolae, si pauca excipias, peccant saepe sicut medici in casibus modo expositis, praesertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad foetum ejiciendum media subministrando, mandata medici non fideliter exsequendo, v. g. unum medicamentum pro alio porrigendo etc. — *S. Lig. n. 291.*

Nota: Medici et chirurgi opem gratuito ferre debent pauperibus in necessitate versantibus, ut dictum est supra de advocatis *n. 11.*

Quaesita:

33. — Quaer. 1° *Ad quid specialiter teneatur medicus ratione animae aegrotantis, cujus curam suscepit?*

Resp. Tenetur sub gravi *per se* eum admonere de gravi periculo, in quo versari potest, et de obligatione sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, viatico et extrema unctione. Constat 1° ex lege naturali seu ex praecepto caritatis.(2) — Con-

(1) Cf. *p. 1. n. 662. Q. 2°. etc.*

(1) Peccat praeterea, si quid suadeat pietati contrarium, v. g. si sine sufficiente causa a jejunio liberet; si morbos pudendos etc. cum aegri infamia sine causa sufficiente pandat; si pauperem in necessitate curare negligat (cf. notam sub *n. 32.*). — *Scav.*

(2) Haec obligatio vel ex ipsa lege naturali subsistit, si morbus est actualiter mortalis aut periculosus; vel si actuale periculum mortis quidem non urget, ast rationabiliter timetur et simul impotentia

stat 2° ex *decretali* notissima *Innocentii III.* edita in concilio generali Later. ann. 1215. *(Cap.* Cum infirmitas (13.) *de poenit. et rem.* (V. 38.), confirmata et renovata ab aliis subsequentibus SS. Pontificibus.(¹) Non tamen semper est necessarium, ut medicus directe et per se moneat aegrum de proximo mortis periculo. Sufficit interdum, ut curet eum admoneri indirecte a propinquis vel amicis, ita ut benevole sacerdotem admittat atque ad recipienda sacramenta inducatur. Si aeger notum habeat confessarium, satis erit, si iste de statu poenitentis sui moneatur; tunc enim eum invisendo efficacius ipsum movere poterit ad saluti animae suae providendum. Caveat autem medicus, ne diutius exspectet ad debitam monitionem faciendam. Non enim protrahere debet, usquedum certum sit mortis periculum, sed suam obligationem adimplere tenetur, quando advertit, illud periculum gravitatem prae se ferre. Si talem servarent morem medici, non adeo aegroti admonitionem reformidarent, nec adeo a confessione abhorrerent.

34. — Quaer. 2° *An peccet graviter medicus, qui tempore pestis aegrotos deserit, ne luem contrahat?*

Resp. Affirmative per se, nisi sint alii medici numero sufficientes, qui opem sint aegrotis praestituri. Ratio est, quia medici ex officio ad bonum commune societatis constituuntur; unde in communi periculo non sibi, sed societati consulere debent; privatum enim incommodum publico bono cedere debet. — *Ita omnes theologi.*

Quaer. 3° *An medicus remedia dubiae efficaciae applicare possit, ubi de infirmo desperatur?*

Resp. 1° Adhibendum est remedium probabiliter profuturum, si aliud certius non habeatur. Ratio est, quia meliori modo, quo potest, infirmo providendum est; tunc vero absque ullo damni periculo ipsi succurritur.

Resp. 2° Non potest applicari infirmo, etiam desperato, remedium, de quo simpliciter dubitatur, utrum sit salutare aut noxium, ad experimentum pro aliis infirmis faciendum. Ratio est, quia omnino illicitum est, experimentum in vita alicujus infirmi quaerere.

Resp. 3° Si remedium sit certo non nociturum et dubie profuturum, omnino est applicandum. Ratio patet: spes enim aliqua affulget infirmum morti eripiendi, nec ullum incurritur periculum.

Resp. 4° In mero dubio, an remedium sit profuturum vel nociturum, extra casum, ubi aeger est desperatus, non est praebendum, sed exspectandum, ut natura Deo auxiliante seipsam sublevet. — *Ita S. Antoninus,* cujus haec sunt verba *p. 3. tit. 7. c. 2.: „Si dubitat* (medicus) *de medicina, „an debeat obesse aut prodesse, male „facit dando, quia in dubio potius „debet dimittere infirmum in manu „Creatoris.“* (¹)

CAPUT VIII.

DE OBLIGATIONIBUS CUSTODUM.

35. — Custodes ii sunt, qui custodiae sylvarum, agrorum etc. a principe vel a communitate vel a domino privato praeficiuntur. Praeter pecca-

---

ex parte aegroti, satisfaciendi officiis catholici, posito tamen, quod metuatur, ne aegrotus sit in mortali, vel quod necessitas probabiliter adsit, ipsum de rebus suis disponere v. g. ad tollendas lites etc.

(¹) Plura de hisce Pontificum decretis cf. in *Anal. J. P. ser. 4. col. 1720. et seq.;* item apud *S. Lig., de 2. praec. dec. n. 182. etc.; de poenit. n. 664.*

(¹) *Tenetur* vero infirmus, ubi remedia simpliciora inutilia sunt, saltem tunc medicum, cum potest, adhibere, si morbus est periculosus vel obligatio satisfaciendi muneribus sui status curationem morbi expostulat, ejusque praeceptis obedire, casu saltem in genere excepto, quod remedia molestiam omnino extraordinariam importent. (Cf. *p. 1. n. 391. 1°. et seq.)* — *Scav.*

tum, quod faciunt contra juramentum, deficiendo diligenti custodiae, peccant contra justitiam commutativam erga damnificatos tenenturque de damnis culpa sua non impeditis in defectu damnificantium, praesertim in sequentibus casibus:

1° si vere delinquentes in materia gravi non deferant intra tempus determinatum. *Probabilius* tamen tenerentur tantum ratione damni, non vero mulctae;(1) 2° si delationem debite factam postea coram judice non sustineant; si munera accipiant ad non deferendum; 3° si innocentes deferant ex odio, vindicta etc., aut si denuntient pro damnificatione mere casuali (2). — *S. Lig. n. 237.; Hom. apost. tr. 13. n. 73.*

36. — Quaer. *An custodes semper teneantur delinquentes denuntiare?*

Resp. Tenentur denuntiare, quoties damnum notabile est, nisi delinquentes sponte se offerant ad illud secreto compensandum. Possunt autem aliquando mitius agere cum damnificatoribus, v. g. si damna sint minoris momenti nec sint saepe repetita; vel si prudenter praesumi possit, nolle dominum, ut delinquens deferatur; vel si delinquens sit valde pauper nec solitus sit delinquere etc.: sed caveant sedulo custodes, ne in his plus aequo indulgeant.

CAPUT IX.

DE STATU ARTIFICUM ET OPIFICUM.

37. — Artifices et opifices sedulo a confessario examinandi sunt; plerumque enim tacent in confessione injustitias et peccata suae arti et conditioni propria.

I. In genere injusti sunt opera aut non vendendo, aut non locando justo pretio; occultos operum defectus non manifestando juxta dicta de venditione; negligentia culpabili tempus terendo; alios operarios a labore avertendo; opus male exsequendo sive nimia praecipitatione, sive rerum necessariarum omissione etc.

II. In particulari autem praecipue injusti sunt:

1° Aurifabri et argentarii, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes infra valorem ab ignorantibus emunt aut compositos pro naturalibus vendunt.

2° Pannifices et lanifices, qui lanam minoris pretii bonae immiscent tantique divendunt, quanti vendere possent, si tota materia foret ejusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui, decepti in pannis emptis, alios pariter vendendo decipiunt.

3° Molitores, qui grana immutant aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, uti fabas, ad augendum pondus et massam; qui pro salario detinent aliquid de frumento vel farina ultra praxim timoratorum.

4° Pistores, qui male coquunt; qui farinae triticeae aliam ex siligine, hordeo, fabis etc. malitiose immiscent; qui pondus imminuunt vel augent fraudulenter.

5° Laniones, qui corruptas carnes vendunt aut deteriorem qualitatem pro meliori tradunt.

6° Sartores et sutores, qui male secant; qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur; qui partem panni sibi traditi retinent, fingentes, se totum in opere conficiendo adhibuisse.

7° Opifices petasorum, qui petasos rursum stipatos aut tinctos pro novis, aut a longiori tempore in officina exstantes vendunt.

8° Typographi, qui exemplaria excudunt in majori numero, quam conventum est, et sibi ea retinent; qui adulterinas editiones contra jus privilegium habentis faciunt; qui emendatores habent imperitos; qui papy-

(1) Cf. *p. 1. n. 693. Q. 7°.*
(2) saltem si hanc ut culpabilem denuntient.

ı non adhibent ejusdem qualitatis, in programmate promiserunt etc. *Vide S. Lig. n. 292.*

PARS II.

DE STATU CLERICORUM.

gendum: 1° de obligationibus comibus clericorum; 2° de obligationibus ım peculiaribus.

CAPUT I.

OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM.

liae sunt positivae; aliae vero negae.

ARTICULUS I.

E OBLIGATIONIBUS POSITIVIS CLERICORUM.

bligantur praecipue clerici: 1° ad visanctitatem; 2° ad caelibatum; 3° ad itum ecclesiasticum et tonsuram; 4° ad as canonicas.(1)

§. I.

e vitae sanctitate et aedificatione.

8. — Quanta debeat esse clerico- interna sanctitas et exterior aeatio, nec demonstratione, nec exione indiget. Id enim manifeste t ipsa sola clericatus et sacerdoea. Perpaucis igitur declarabiclericos pios, sanctos et modesse debere, tum ex eorum status , tum ex scriptura, patribus et is.

Ex natura status clericalis. —

ligantur praeterea ad scientiam ntem (cf. etiam infra *n. 606. et 11.),* ad ecclesiasticum ministeruenter adimplendum et ad obeet reverentiam debitam episcopo fanti praestandam, quod obseerdotes insuper in ordinatione miter promittunt. Hinc, si cleiscopo infestus eumve accuset ur, infamis fit et a clero subonasterium detrudendus est ad enitentiam omnibus vitae suae Bull. *Clerum Vestrae Greg.* etiam *Trid. sess. 22. c. 1. erraris, Bibl. Prompt. ad rt. 8. — Anal. J. P. ser. et seq.*

Sanctissimum est clericorum mi rium, cum semper ad res sacras sacramenta fidelibus conferenda, laudes divinas solemniter nomine clesiae persolvendas, ad christiai populum de via salutis aeternae e cendum necnon ad sacrosanctum n sae sacrificium celebrandum proxi vel saltem remote conferatur. C enim sunt clerici et sacerdotes in E clesia constituti? Ut sint, teste evar gelio, sal terrae et lux mundi. Porr tales non possunt esse, quin insign et praeclara morum sanctitate praefulgeant. Non solum adimplendorum officiorum sublimitas et excellentia, sed etiam vestes, quibus induitur clericus, clamant, ipsum sanctitatem profiteri debere. Hinc ait *S. Hieronymus (epist. 58.): „Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem.“*

2° *Ex scriptura.* Sic de sacerdotibus antiquae legis ajebat Dominus *Levit. 21. 6.: „Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus; incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.“* Item apud *Isai. 52. 11.* dicitur: *„Mundamini, qui fertis vasa Domini!“* Porro si tanta vitae sanctitas requirebatur in sacerdotibus, qui boves aut oves aut alia animalia Deo offerebant, quid requirendum erit in iis, qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Et si tanta mundities requirebatur in iis, qui vasa Domini ferebant, quaenam animi puritas requirenda est in iis, qui in manibus Dominum ipsum portant? Lege etiam *D. Paulum ad Titum, Timoth. etc.*

3° *Ex patribus.* Sic *S. Chrysost. (Hom. 10. in ep. ad Tim.):* „Sacerdos „debet vitam habere immaculatam, ut „omnes in illum veluti in aliquod ex„emplum excellens intueantur; idcirco „enim nos elegit Deus, ut simus quasi „luminaria et magistri ceterorum ac „veluti angeli versemur in terris.“ — *S. Thomas* docet, sanctitatem majorem in sacerdote requiri, quam i

simplici religioso, inquiens *2. 2. q. 184. art. 8.:* „Per sacrum ordinem „aliquis deputatur ad dignissima mi„nisteria, quibus ipsi Christo servitur „in ministerio altaris; ideo ad hoc „requiritur major sanctitas interior, „quam requirit etiam status religio„nis.“ Et *suppl. q. 35. art. 1. ad 3.:* „Ad idoneam exsecutionem ordinum „non sufficit bonitas qualiscumque, sed „requiritur bonitas excellens, ut, sicut „illi, qui ordinem suscipiunt, super „plebem constituuntur gradu ordinis, „ita et superiores sint merito sancti„tatis.“

4° *Ex conciliis.* Innumera habentur in jure canonico de sanctitate clericorum, quae etiam conciliis permultis confirmantur. Sufficiat autem referre, quod habet *concilium Trid.* in solemni decreto *sess. 22. c. 1. de reformat.:* „Sic decet omnino clericos in sortem „Domini vocatos vitam moresque suos „omnes componere, ut habitu, gestu, „incessu, sermone aliisque omnibus re„bus nil nisi grave, moderatum ac re„ligione plenum prae se ferant.“ (1)

§. II.
De caelibatu.

39. — Clerici omnes, *sacros* ordines suscipientes, ipso facto obligationem caelibatus contrahunt. Constat ex variis juris canonici decretis; sed praesertim ex c. Nullum (1.) *dist. 28.,* ubi *D. Gregorius* sic praescripsit: „Nullum subdiaconum facere praesu„mant episcopi, nisi qui se victurum „caste promiserit, quia nullus ad mi„nisterium altaris accedere debet, nisi „cujus castitas ante susceptum mini„sterium fuerit probata.“ — Item ex *conc. Trid. sess. 24. can. 9.,* ubi sic definitum est: *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.*

Quaesita:

40. — Quaer. 1° *An obligatio caelibatus sit de jure divino?*

Resp. Negative cum sententia communi contra plures, sed est ex mera institutione ecclesiastica, scilicet ex vi praecepti Ecclesiae vel etiam ex voto sacris ordinibus adnexo. Ratio est, quia caelibatus tantum ex praecepto Ecclesiae vel apostolorum fuit introductus. Patet insuper ex *canone Trid.* supra relato, ubi dicitur: *non obstante lege ecclesiastica etc.* — *Ita communiter theologi.* — *S. Lig., de ordine n. 807.* — Potest igitur Ecclesia ab illa obligatione dispensare. Sed numquam dispensat cum constitutis in sacris, ut matrimonium inire possint, nisi ea lege, ut ab officiis clericalibus omnino arceantur (1). Sic *Pius VII.* convalidavit sacrilega matrimonia nonnullorum sacerdotum, qui tempore perturbationis gallicae nuptias inierant.

41. — Quaer. 2° *An obligatio caelibatus procedat immediate ex praecepto Ecclesiae, vel mediate, scilicet ex voto, quod in ipsa ordinatione emittitur?*

Resp. Controvertitur. Duplex sententia probabilis, ait *S. Lig. ib. n. 808.* Alii dicunt, obligationem illam repetendam esse ex sola lege Ecclesiae, quia videtur inutiliter adstrui votum, cum praeceptum Ecclesiae sufficiat. Alii vero *probabilius et communius*, ait idem *S. Lig. ibid.,* dicunt, hanc obligationem oriri ex voto, quia, si lata obligatio caelibatus esset ex lege Ecclesiae, posset Papa *omnes* etiam sa-

(1) De poenis contra clericos fornicarios cf. *Pruner, Lehre vom Recht tom. 2. §. 56. etc.*

(1) et nisi intercedat causa gravis et (saltem pro presbytero vel diacono) publica sive, ut *S. Thomas* ait, „si com„munis utilitas totius Ecclesiae aut unius „regni vel provinciae (id) exposceret.“ — *Schmalzgrueber, jus can. in l. 4. decr. tit. 6. n. 13.* — *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Impedim. matr. *art. 3. n. 3. et seq.*

cerdotes ab illa absolvere; hoc autem est contra communem sententiam doctorum, qui dicunt, Papam posse tantum dispensare in urgentissimo casu, et cum solis subdiaconis et diaconis. (1)

Ceterum haec quaestio non est tanti momenti, imo practice parvi admodum pensanda est, quia conveniunt communiter theologi, quod etiam ille, qui ignoraret, castitatis votum esse emittendum, adhuc ex praecepto Ecclesiae ad caelibatum teneretur. — *S. Lig. ib. n. 809. etc.*

42. — Quaer. 3° *An obligatio caelibatus sit universalis in Ecclesia?*

Resp. Datur aliqua exceptio ex tolerantia Ecclesiae apud solos Graecos. In illa parte Ecclesiae sacerdotes quidem numquam matrimonium inire possunt post ordinationem sacerdotalem et etiam post diaconatum; sed conjugati ante diaconatum possunt ad ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus suis conversari. Excipiuntur episcopi, qui omnes aequaliter perfectam castitatem constanter servare debent. Apud Graecos autem subdiaconatus inter sacros ordines non adnumeratur. Hinc praeceptum castitatis clericis non conjugatis in ordinatione diaconatus imponitur.

Quaer. 4° *An teneretur ad caelibatum, qui expresse nollet castitatem vovere?*

Resp. Ille teneretur nihilominus ad caelibatum, non quidem ex voto, cum nemo voveat invitus, sed ex praecepto Ecclesiae, quae ex motivo religionis eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret. (1) — *Ita communiter* cum *S. Lig., de ord. n. 809.* — Alii volunt, talem obligari ad votum castitatis emittendum; sed non apparet ratio ad talem coactionem recurrendi, cum sufficiat Ecclesiae praeceptum ad obligationem castitatis imponendam, et de tali praecepto ex communi interpretatione constet.

43. — Quaer. 5° *An et quandonam conjugatus vivente uxore sacros ordines suscipere valeat?*

Resp. Licite potest conjugatus ad sacros ordines promoveri ex licentia uxoris expressa et omnino spontanea, modo ipsa castitatem voveat. Non autem tenetur tunc uxor ingredi religionem juxta communem sententiam, contra *Sanchez etc.* Excipiunt tamen plures: si vir fiat episcopus vel religiosus, et uxor sit juvenis. — *Ita S. Lig. ib. n. 812.* Alii dicunt, quod tunc uxor tenetur quidem monasterium ingredi, sed non profiteri: alii tandem ab omni obligatione praeter votum castitatis illam eximunt.

---

(1) Melius forte pro hac communiore sententia allegaretur c. Cum olim (6.) *de cler. conjug. (III. 3.)*. De hoc voto vero ita *Gregor. de Valentia (Comment. tom. 4. disp. 9. qu. 5. punct. 5.)* „Neque .. in susceptione sacri ordinis necesse est votum expressum fieri ab eo, qui ordinatur, sed hoc ipso, quod sacrum ordinem una cum adnexa obligatione ad continentiam perpetuam suscipere vult, idque propter Dei cultum, qui alias in votis expressis respici solet, dicitur implicite vovere continentiam. Item ea ipsa obligatio vocatur votum *solemne*, quatenus non solum impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum, i. e. efficit, ut, si quis sacris initiatus matrimonium inire tentet, matrimonium non valeat."

(1) Idem dicendum, si quis obligationem istam sacris ordinibus adnexam invincibiliter ignoraret, maxime si intenderet (ut supponi debet), ordinem suscipere cum obligatione, quacum communiter suscipitur ab aliis, excepto forte casu ignorantiae positivae, ut si quis sacris initietur, ratus, sibi propria uxore uti licere, quia Graecos novit illa uti. — Qui metu gravi et injusto ad suscipiendum ordinem sacrum adigitur, *probabilius* tali obligatione non obstringitur; in praxi vero ipsi consulendum, ut dispensationem petat. — In infantili aetate ordinatus vero juxta const. *Eo quamvis Benedicti XIV. d. d. 4. Maji 1745.* diserte interrogandus erit (si sui compos evasit) super intentione permanendi in ordine collato et, nisi palam assenserit, neque ad castitatem, neque ad alia onera ordini adnexa tenetur. Item ordinatum post usum rationis, sed ante pubertatem non obligant theologi, si expressa vel tacita ratihabitio non supervenerit, nec contradicit Pontifex. — *Scav.* — Cf. etiam *S. Lig., de ord. n. 809. et seq.*

44. — Quaer. 6° *An uxor, quae vovit castitatem extra religionem, post viri ordinationem possit eo defuncto valide matrimonium contrahere?*

Resp. Duplex sententia probabilis.

Iª Sententia *negat* et innititur juri can., scil. *c.* Quia sunt (10.) *dist. 28.*, ubi dicitur de tali matrimonio: *„Qui male sociati sunt, disjungantur.“* Ratio autem hujus decisionis est, quia Ecclesia ob reverentiam ordinis a primo viro assumpti reddit eam inhabilem ad subsequens conjugium. Hanc sententiam vocat communiorem et valde probabilem *S. Lig. ib. n. 812.*

IIª Sententia *affirmat.* Ratio est, quia non constat, tale matrimonium esse irritum. Etenim 1° irritum non est ratione voti simplicis castitatis a tali uxore emissi. 2° Nec est irritum ex speciali lege Ecclesiae; nam ex eo, quod jubeantur conjuges separari, non sequitur, eorum matrimonium esse invalidum; separatio enim juberi potest in poenam secundi matrimonii contra votum et prohibitionem contracti. Hoc dicit sat probabile idem *S. Lig. ibid.*

§. III.

De gestatione habitus et tonsurae.

45. — Clerici majoribus saltem ordinibus initiati obligantur ad ferendam tonsuram et vestem clericalem. Constat ex universo jure can., praesertim ex *conc. Trid. sess. 14. cap. 6. de reformat.*, ubi dicitur: *Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant* etc. Insuper *ibid.* injungitur episcopis, ut praevaricatores serio moneant et, si non obtemperent, eos a sacris functionibus amoveant.

Habitus autem clericalis varius est pro variis regionibus. Standum est igitur tum consuetudini, tum particularibus locorum statutis.

Quaesita:

46. — Quaer. 1° *An peccent graviter clerici non deferentes habitum?*

Resp. Affirmative per se, nisi adsit justa ratio, vel excuset materiae levitas seu temporis exiguitas. — *S. Lig., de ord. n. 825.* — *Ben. XIV., de synodo dioeces. l. 11. cap. 8.* — — *Ferraris, ad v.* Clericus.

Admittunt communiter, esse veniale tantum, semel aut iterum habitum relinquere. Quantum autem temporis spatium requiratur ad peccatum mortale, non in genere, sed ex solis circumstantiis potest determinari.

Permittitur iter agentibus habitus contractior, sed nigri coloris et in quo decorum et honestas status clericalis eluceat. Potest autem habitus clericalis totaliter relinqui ex gravi causa, v. g. si immineret persecutio, vel si per loca haereticorum, infidelium vel impiorum hominum esset transeundum etc.

47. — Quaer. 2° *An etiam clerici non constituti in sacris teneantur sub gravi vel sub levi ad habitum clericalem deferendum?*

Resp. Negandum videtur quoad utrumque. Ex communi enim sententia ad id non tenentur sub gravi, secluso scandalo: nec probabiliter sub levi *stricte loquendo* et *per se*, quia obligatio videtur tantum imposita clericis in sacris ordinibus constitutis. Attendendum tamen est ad jura particularia et ad locorum consuetudinem. Ceterum etiam simplices clerici, quamdiu clerici esse volunt, vestes modestiam clericalem redolentes deferre debent.

Excipiendi tamen sunt clerici beneficiati, qui, licet non sint in sacris, eadem lege tenentur, ac clerici superiores, ad habitum deferendum, et quidem sub poena suspensionis a beneficiis et omni ecclesiastica dignitate, ut constat ex bulla *Sixti V. Cum sacrosanctae, die 9. Jan. 1588.*

48. — Quaer. 3° *An peccent graviter clerici non deferentes tonsuram seu coronam?*

Resp. 1° Clerici, qui non sunt in sacris constituti, numquam graviter peccant, nisi sint beneficiati. — *Ita communissime.*

Resp. 2° Clerici, etiam in sacris, non peccant saltem graviter, nisi omittant deferre tonsuram per tempus notabile, quale non est tempus unius vel alterius mensis. — An vero sit grave, tonsuram non deferre per annum integrum, non liquet. *Communius* affirmant theologi; sed non clare probatur. — *Vide S. Ligor., de ordine n. 826.*

§. IV.

De recitatione horarum canonicarum seu divini officii.

49. — Horae canonicae dicuntur collectio orationum et lectionum a personis ad id deputatis, certis horis, singulis diebus(¹) recitandarum. Hinc *horarum* vocabulum. Dicuntur etiam: 1° *officium divinum,* quia in honórem Dei recitantur; 2° *officium ecclesiasticum,* quia nomine Ecclesiae persolvuntur; 3° *officium canonicum,* quia juxta canonum regulas recitandae sunt; 4° *breviarium,* quia officium illud est compendium veteris et novi testamenti, necnon sententiarum patrum et vitae sanctorum.

Origo divini officii quoad substantiam ab ipsis apostolorum temporibus videtur esse repetenda, ut colligitur ex variis locis *Act. Apost.,* ex testimoniis patrum et ex variis documentis.

Decursu temporum varia fuit forma et quantitas breviarii. *Concilium Trid. sess. 25. (ad calcem)* novam reformationem breviarii romani fieri mandavit. — *S. Pius V.* illud correxit, additionibus nonnullis auxit atque bulla *Quod a nobis d. d. 7. Julii 1568.* omnia alia breviaria, quae ab institutione seu legitima consuetudine non superabant 200 annos, prohibuit. Nihilominus in Gallia infeliciter invaluit consuetudo, ut episcopi plerique sua propria breviaria habeant et immutent. Diu tacuit Ecclesia propter temporum calamitates, adeo ut hanc consuetudinem tolerare crederetur. Sed ultimis hisce temporibus in variis rerum adjunctis benigne mentem suam aperuit, atque exinde fere omnes episcopos gestientes ad unitatem liturgicam redire pia mater laetabunda cernit.

Totum officium divinum in septem horas dividitur, scilicet matutinum cum laudibus, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas et completorium.

Agendum 1° de obligatione breviarii; 2° de tempore ad horarum recitationem statuto; 3° de modo eas recitandi; 4° de causis a recitatione excusantibus.

PUNCTUM I.

De obligationibus recitandi.

Principia:

50. — I. Obligantur ad horas canonicas quotidie(¹) recitandas: 1° *Clerici* omnes in sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati. Constat ex variis locis juris can.: ex *concilio Lateran.* ann. 1215.(²); ex bulla *S. Pii V. Quod a nobis.* — 2° *Beneficiati* omnes, qui habent jus in re(³) et plenum dominium beneficii(⁴). Erui-

(¹) juxta Ecclesiae praescriptum —

(¹) Cf. *prop. 35.* damn. ab *Alexandro VII.*

(²) Cf. *c.* Dolentes (9.) *de celebr. miss. (III. 41.)*

(³) Subsistit etiam haec obligatio, si per malitiam vel negligentiam possessio realis differatur. — *Scav.*

(⁴) etsi nondum in sacris constituti sint, dummodo agatur de beneficio ecclesiastico proprie dicto (cf. *n. 127.),* non vero solummodo de capellania mere laicali, de coadjutoria beneficii etc.

Beneficiatus vero, qui *culpabiliter* in materia gravi officium non recitat, non solum graviter peccat, sed etiam, si id post elapsos sex menses ab adepta beneficii possessione contingit, pro rata hujus omissionis ante omnem sententiam judicis *(prop. 20. Alex. VII.)* fructus beneficii vel fabricae ipsius beneficii vel pauperibus (cf. *prop. 33. Alex. VII.)* restituere tenetur. — Ita ex decreto *conc. Later. V.* et ex bulla *Pii V.* — Fuse de hac quaestione *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 663. et seq.; de praec. part. n. 151. et seq.* — *Scav.*

tur ex *concilio Lateran.* sub *Leone X.*, necnon ex bulla *Pii V. Ex proximo.* — 3° *Religiosi* omnes utriusque sexus in ordine ab Ecclesia approbato professi (¹) et ad chorum destinati. Liquet ex consuetudine, necnon ex decreto *Gregorii X.* etc. — *S. Lig. n. 140. et seq.*

II. Hi omnes peccant graviter, si totum officium vel ejus partem notabilem absque legitima causa omittant. Ratio patet; legem enim Ecclesiae in re gravi praetermittunt. — *S. Lig. n. 146.* et *alii communissime.*

III. Obligatio recitandi horas est affixa diei, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit: talis enim obligatio ex mente Ecclesiae cum die sibi assignata cessat, ita ut *onus diei* nuncupetur.

Quaesita:

51. — Quaer. 1° *Quaenam sit materia gravis in omissione officii?*

Resp. Communissime conveniunt theologi, omissionem unius parvae horae, vel completorii, vel partis nocturnorum saltem unius parvae horae quantitati aequivalentis esse materiam peccati mortalis; omissionem vero minoris partis peccatum veniale non excedere. — *S. Lig. n. 147. etc.*

Dicunt plures cum *Concina*, esse peccatum mortale, omittere tertiam partem horae etiam parvae, quia talis pars respectu illius horae jam est materia notabilis; sed *probabilius* hoc est negandum. Ratio est, quia, licet illa pars sit notabilis respectu horae parvae, est tamen levis in se et respectu totius officii. Unde circa parvitatem materiae quantitas totius officii respicienda est, non autem horae cujuslibet. Igitur, si quis non omittat horam aliquam omnino integre, excusari potest a gravi peccato, quia *probabilius* leve est omittere minus quam horam integram. — *S. Lig. n. 147.* — *Elbel n. 397.* — *Lacroix n. 1202. etc.*

52. — Quaer. 2° *An sit grave, omittere vesperas in sabbato sancto?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* quia materia est levissima tum in se, tum respectu totius officii. — *S. Lig. ibid.* et *alii communiter.*

Plures tamen hanc materiam gravem reputant, non quidem in se materialiter nec respectu totius officii, sed ratione significationis specialis, quam singulae horae videntur habere.

Quaer. 3° *An unum vel multiplex peccatum grave committat, qui omittit integrum officium?*

Resp. Unum solum peccatum grave committere videtur. — *Ita communiter theologi* cum *S. Lig. n. 148.* post *S. Antoninum 3. part. tit. 13. c. 4.*, ubi dicit: „Qui omittit omnes horas „unius diei, non propterea committit „septem peccata mortalia, sed unum, „et tanto gravius, quanto plus de of„ficio omittit, quia totum officium diei „cadit sub uno praecepto.“ Possent tamen committi plura peccata ex intentione mala pluries interrupta et resumpta, v. g. si quis intendat omittere officium vel aliquam horam, postea proponat dicere et iterum a bono proposito avertatur. — *S. Lig. n. 148.*

53. — Quaer. 4° *An, si quis dubitat, utrum omiserit aliquid in officio, teneatur id recitare?*

Resp. Negative, si dubium sit positivum, i. e. si *probabiliter* judicet se satisfecisse. — *Ita S. Lig. n. 150.*, qui dicit, esse sententiam communissimam, cum *Sanchez, Lacroix, Azor, Navarr., Tambur. etc.* (¹)

Hinc, ajunt, bene excusaris a repetendo officio, si non memineris dixisse

(¹) exceptis tamen *conversis*, licet professis — Cf. infra *n. 146. Q. 11°.*

(¹) Cf. quae notavimus in *p. 1.* ad *n. 80.* Hinc tenendum: Qui dubitat, utrum obligationi suae satisfecerit, tenetur adhuc satisfacere *(p. 1. n. 76. VI. 1°.)*, nisi praesumptio legitima *(ib. 2°.* et *n. 75. I.)* pro soluto officio adsit, quae utique in exemplis ab auctore supra allatis habetur, vel nisi de scrupuloso agatur.

aliquid, sed habeas justam conjecturam credendi, quod dixeris: puta si recorderis, te incepisse psalmum vel lectionem aliquam aut horam, et postea distractus ad finem psalmi, lectionis, horae deveneris, quin recorderis, an totum recitaveris; praesumptio enim tibi favet, quia soles integre recitare ea, quorum recitationem incepisti. Si vero deveneris ad aliquam horam, v. g. sextam, et dubites, utrum praecedentem recitaveris, eamdem tenere potes decisionem, quia non soles recitare horam posteriorem, nisi priorem praemiseris; prudenter igitur credere potes, te nihil omisisse. — *S. Lig. n. 150.* — *Lacroix* etc.

54. — Quaer. 5° *An religiosi, qui justa de causa choro non interveniunt, teneantur sub gravi officium privatim recitare?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia principalis obligatio pro religioso non cadit in chorum, sed in recitationem officii ratione religionis, quae onus illud ex suo instituto suscepit. Haec obligatio constat ex universali consuetudine religiosorum, qui, cum choro interesse non possunt, se credunt sub gravi obligatos ad officium privatim recitandum. Consuetudo enim universalis, quae cum magno incommodo a religiosis et monialibus constanter observata fuit, argumentum sufficiens praebet de gravi obligatione suscepta. Unde non est probabilis opinio aliquorum, qui dicunt, obligationem officii non urgere religiosum extra chorum.(1) — *S. Lig. n. 142.* et *alii communiter.*

55. — Quaer. 6° *An peccet graviter religiosus, qui officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit?*

Resp. Negative. Obligatio enim chori, licet sit gravis pro communitate, ut levis habetur pro singulis privatis, modo tamen chorus non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti seu validi et liberi(1) ad chorum sustinendum. Si vero religiosi sint pauciores, nullatenus obligantur ad officium in choro recitandum; sed a recitatione privata non eximuntur, ut modo dictum est. — *S. Lig. n. 143.* et *alii communiter.*

Quaer. 7° *An obligati ad officium teneantur supplere omissa in choro ob functiones chori, v. g. pulsando campanas vel organa, aut psalmos perquirendo, et ob alia similia?*

Resp. Negative. Ratio est, quia per socios omissio in choro suppletur, modo nimia non sit. Sic satisfacit, qui aliis recitantibus tussit etc., et probabiliter etiam, si integer psalmus interea dicatur.(2) *A fortiori* repetere non tenetur, quia aliqua partis adversae non audivit(3). — *Ita S. Lig. n. 143. Not. 3.* et *alii communiter.*

56. — Quaer. 8° *Quonam breviario utendum sit?*

Resp. Ex jure communi solo breviario a *S. Pio V.* reformato utendum est; constat ex bulla ejusdem *S. Pii V. Quod a nobis,* data die 7. Julii 1568. In hac bulla Pontifex tollit et abolet omnia alia breviaria, quae ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. Permittit tamen, ut etiam ducentis annis antiquiora possint in breviarium romanum immutari, si episcopus et universum capitulum consentiant. Praecipit vero, observari hoc breviarium toto orbe cum sola exceptione modo relata. Imo declarat, omnes ad horas obligatos non satisfacturos muneri suo, si alio breviario utantur.

57. — Quaer. 9° *Quid sentiendum de iis, qui recitant aliud bre-*

(1) Ceterum cf. tum constitutiones, tum consuetudines legitimas alicujus ordinis.

(1) i. e. non legitime alias occupati —

(2) Ast non satisfacit, qui, dum officium cantatur, choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculos suae partis proferat. — *S. Lig. ib.*

(3) etiamsi de parte notabili agatur, dummodo sufficienter attenderit. — Cf. *S. Lig. n. 163. Q. 2.*

viarium ex consuetudine loci servatum?

Resp. 1° Nulla difficultas pro locis, ubi tale breviarium a ducentis annis ante *S. Pii V.* bullam jam in tali dioecesi praevaluerat, si talia adhuc exsistant, quae immutata permanserunt. Ex decreto supra citato constat.

Resp. 2° Breviaria a S. Pontifice reprobata, sive ante bullam exstiterint, sive postea inducta fuerint, materialiter juri adversantur, ut evidenter constat ex praefata constitutione, nisi approbatione sive expressa, sive saltem implicita S. Pontificis confirmata fuerint. Confirmatur ex responsione sequenti *S. Congregationis Rit.* ad canonicum Cenomanensem directa.

DECRETUM

S. Congreg. Rit. circa hodiernam Cenomanensis ecclesiae liturgiam. (10. Jan. 1852.)

1° Utrum licita fuerit annis 1748 et 1749 innovatio breviarii missalisque Cenomanensium a ritu romano prorsus alienorum, amotis prius veteribus ad formam romanam correctis breviario et missali, sola episcopi et capituli ecclesiae Cenomanensis auctoritate, et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata?

2° Quatenus negative, utrum saltem hujusmodi liturgia vi praescriptionis seu consuetudinis saecularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?

3° Quatenus iterum negative, an quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam canonicus et parochus, statim teneatur in conscientia tum et horas canonicas persolvere missamque celebrare juxta ritum romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat: tum et insuper omnibus quibus potest modis Rmo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro divino officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

Ad III. Consulat conjunctim utramque constitutionem *S. Pii V.*, videlicet illam, quae incipit *Quod a Nobis,* 7. Idus Julii 1568., et aliam, quae incipit *Ex proximo,* 12. Calendas Octobris 1571.

Nota: In constitut. *Quod a Nobis* praescribitur omnibus novum *S. Pii V.* breviarium; in constitut. *Ex proximo* declarantur fructus suos non facere beneficiati non persolventes horas canonicas modo debito.

58. — Licet autem omnes Galliae episcopi ad ritum romanum redire exoptent, ut S. Sedi morem gerant, omnes tamen difficultates statim de medio tollere nequeunt; unde concludit *Card. Gousset,* posse privatos sacerdotes breviarium dioeceseos interim recitare([1]).

Nota: Ecclesiae, quae olim uti poterant beneficio exceptionis a *S. Pio V.* factae, ut breviarium proprium retinerent, ad veterem liturgiam non amplius redire possunt, si hanc semel abjecerint in gratiam breviarii romani. — *S. Congreg. Rit. 15. Mart. 1608.* (apud *D. Bouix, de jure liturgico).* Pariter privilegium suum amiserunt, si quaevis additamenta aut immutationes in sua liturgia fecerunt. Constat ex variis declarationibus *S. Congreg. Rit.,* et nuperrime ex responsione S. Sedis ad archiepiscopum Bisuntinum directa die 28. Aug. 1856. *(L'Univers, die 24. Febr. 1857.)*

59. — Quaer. 10° *An sacerdos licentia episcopi indigeat ad breviarium romanum recitandum in locis, ubi aliud in usu habetur?*

Resp. Negative. Constat ex responsione *S. Congreg. Rit.,* cui quaestio ista recenter proposita fuit. Eminentissimi enim Cardinales in palatio Vaticano adunati, perpenso quaesito,

([1]) Exsistunt dioeceses in Gallia, quarum liturgia, magis vel minus diversa a liturgia romana, nec sanctione temporis, nec sanctione Sedis Apostolicae gaudet. Interim ecclesiastici harum dioecesium officium divinum ex breviario, quo hucusque usi sunt, persolvere possunt, fidentes sapientiae episcoporum quoad reformationem de jure necessariam. Nostris temporibus episcopi omnes nituntur restituere in suis ecclesiis, in quantum est possibile, unitatem liturgiae; ast si ex una parte haud fas sibi esse ducunt, substituere propria auctoritate qualemcumque ritum ritui legitime constituto vel introducere aut pro arbitrio componere breviarium diversum ab illo, quod ab ecclesia Romana, matre et magistra omnium ecclesiarum, praeceptum est, nequeunt semper ex altera parte sine maximis incommodis violenter supprimere abusus, qui vigent in ipsorum dioecesibus. — *Gousset n. 698.* — (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

unanimi consensu *negative* responderunt. — *(L'Univers 18. Jan. 1856.)*

60. — Quaer. 11° *An teneantur clerici, ad breviarium obligati, uti proprio dioeceseos?*

Resp. Affirmative, dummodo proprium illud a *S. Congr. Rit.* recognitum et approbatum fuerit. Ratio est, quia, etsi concessio haec officiorum propriorum habeat rationem privilegii, tenentur tamen omnes privati uti privilegio toti communitati concesso. — Excipitur, ut patet, casus, quo privati virtute indulti apostolici possent proprio dioeceseos non uti.

Quaer. 12° *Daturne adhuc obligatio recitandi psalmos graduales, officium parvum B. M. V. et officium defunctorum?*

Resp. 1° *Negative* prorsus pro clericis, qui officium privatim recitant.

Resp. 2° *Negative* etiam pro recitantibus officium in choro, nisi ubi aderat consuetudo officia praedicta recitandi tempore *S. Pii V.*(¹) — Sic *S. Congregat. Rit.* pluries declaravit.

61. — Quaer. 13° *An obligati ad officium sub gravi recitare debeant officium defunctorum in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, necnon litanias in die festo S. Marci et in triduo rogationum?*

Resp. ad 1um *Affirmative* juxta omnes. Debent autem recitari vesperae, matutinum et laudes tantum. — *S. Lig. n. 161.*

Resp. ad 2um *Affirmandum* etiam videtur juxta communem sententiam. Ratio est, quia in rubrica breviarii fer. 2. post dom. 5. post pascha sic dicitur: *Hoc triduo, qui non intersunt processionibus rogat., privatim post laudes dicant litanias cum suis precibus et orationibus.* — Verbum autem *dicant* grave praeceptum importat, quando materia est gravis, qualis sane est materia litaniarum. Insuper ubique viget consuetudo litanias recitandi his diebus. Consuetudo autem est optima legum interpres. Negant tamen plures, qui dicunt, non constare de praecepto, praesertim gravi. — *S. Lig. n. 161.* dicit: *Multo magis mihi arridet prima sententia; non audeo tamen dicere secundam improbabilem.*

(¹) Haec obligatio adesse videtur, si consuetudo praedicta officia recitandi post bullam *Quod a nobis S. Pii V.* in aliquo choro viguit vel adhuc viget. — Cf. *dictam bullam* et *decisiones S. C. R. 28. Jan. 1606. in Suess.* (apud *Gardellini n. 287.*); *10. Jan. 1609. in Pacen. (ib. n. 401.); 11. Jun. 1629. (ib. n. 813.); 20. Mart. 1660. in Nolana (ib. n. 2043.).*

PUNCTUM II.

De tempore, loco et situ debito ad horas recitandas.

I. Quoad tempus.

62. — 1° Tempus ad integram officii recitationem adimplendam praefinitum incipit a media nocte et ad mediam noctem sequentem explicit, ita ut semper a peccato gravi sit eximendus ille, qui intra hoc tempus integrum recitat officium, quacumque hora muneri satisfaciat. Ratio est, quia satisfacit quoad substantiam totum officium in die naturali recitando. (¹) Imo matutinum et laudes ex privilegio ab Ecclesia concesso pridie sub vespere recitari possunt.

2° Matutinum et laudes a sacerdotibus ante missae celebrationem recitari debent. Constat ex rubrica missalis *tit. 1. de praeparat. sac.*, ubi legitur: *Sacerdos celebraturus missam, saltem matutino cum laudibus absoluto* etc. — Item ex constitutione *Innocentii IV. ann. 1254.*

3° Omnes horae parvae tempore

(¹) Etiam levis defectus saltem relate ad illos, qui non obligantur officium in choro recitare, removetur, si propter aliquam utilem vel honestam causam, v. g. propter periculum supervenientis occupationis, majorem devotionem, tempus aptius ad studia etc., tempus accidentale pro recitatione requisitum non observant. — *Scav.*

matutino recitari possunt; duae quidem priores ante meridiem recitandae sunt, duae vero posteriores toto tempore tum matutino, tum vespertino dici possunt. Vesperae et completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In quadragesima tamen a sabbato (inclus.) ante primam dominicam vesperae ante prandium recitari possunt in memoriam antiquae disciplinae, juxta quam jejunium ante vesperarum recitationem non frangebatur. Die dominica vero vesperae anticipari non possunt, quia jejunium hac die non servatur.

Quaesita:

63. — Quaer. 1° *An horae parvae etiam ante auroram absque ulla causa recitari possint?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia, ex quo sublata est antiqua consuetudo horas illas tempore determinato recitandi, nulla alia lex vel nova consuetudo obligationem imposuit, eas tempore solum auroram subsequente persolvendi. Imo graves theologi expresse asserunt, has horas toto tempore matutino, seu a media nocte ad meridiem, recitari posse. Sic expresse *S. Lig., Hom. apost. append. 3. (Examen ordinandorum) n. 74.* — *Saettler, de horis art. 2. Quaer. 3° etc.*

Quaer. 2° *An obligatio recitandi matutinum et laudes ante missam urgeat sub gravi?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* secluso contemptu. Ratio est, quia nulla est connexio inter officium et missam, et proinde recitatio matutini non videtur dispositio ad celebrandum, cum sacerdos aliter orando possit etiam sese pie ad sacrum disponere; dein, quia non apparet gravis obligatio ex rubrica supra relata, nec sub gravi generatim apprehenditur. — *Ita communiter* cum *S. Lig., de euch. n. 347.* et *Benedicto XIV.* in opere *de sacrificio missae lib. 3. c. 13.* contra *Antoine* et *alios paucos,* qui contendunt, esse grave seclusa causa excusante.

64. — Quaer. 3° *Quaenam vero causa ab illa obligatione excusare possit?*

Resp. Excusabit quaelibet causa mediocriter gravis(¹); v. g. si quis postulans a sacerdote, ut missam pro ipso celebret, exoptet, ut statim celebretur, tunc sacerdos, licet matutinum non recitaverit, sacrum facere posset. Item, si exspectet populus aut aliqua persona gravis; si superior praecipiat; si tempus celebrandi advenerit, nec possit differri celebratio sine aliquo incommodo; si major studii commoditas vel major utilitas ex studiis percipienda hoc expostulet; si aliquod negotium inexspectatum advenerit; si poenitens aliquis ante fuerit audiendus, et similia. — *S. Lig. ibid.*

65. — Quaer. 4° *Quanam hora liceat incipere recitationem matutini vespere diei praecedentis juxta privilegium supra relatum?*

Resp. Ex communi sententia theologorum licet incipere hora vesperarum, quae habetur, quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet; tunc enim juxta omnes incipit dies ecclesiasticus, cum tunc priores vesperae decantari soleant. Hoc universali consuetudine confirmatur. Hinc in variis regionibus confici solent tabellae horam hanc diversis anni temporibus determinantes. — *S. Lig. n. 174.*

Quaer. 5° *An debeat iterari recitatio matutini, si ante tempus praedictum habita fuerit?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia breviarium est onus diei; ergo in ipsa die assignata recitari debet. Porro si fiat praedicta anticipatio, jam extra diem recitatur officium, haud secus, ac si recitarentur horae parvae diei sequentis ante mediam noctem. Hinc, si quis ex errore, licet bona fide, anti-

(¹) quaelibet mediocris causa rationabilis, ait *S. Lig. ib.*

cipaverit totum officium ante debitum tempus, recitatum iterari debet. — *Ita S. Lig. n. 174.* cum *aliis communiter* contra *Dianam*(1).

66. — Quaer. 6° *An matutinum officii defunctorum et litaniae pro festo S. Marci et diebus rogationum pridie vespere recitari possint?*

Resp. ad 1um *Affirmative probabilius.* Constat ex universali consuetudine, necnon ex rubrica, quae sic habet: *Dicto Benedicamus Domino, absolute incipit matutinum defunctorum.* Ergo, cum matutinum octavae festi omnium sanctorum soleat anticipari, consequenter etiam anticipari potest matutinum defunctorum.

Negant *plures* cum *Lacroix,* innixi decreto *S. Congr. Rit.* Sed decretum illud videtur respicere tantum recitationem in choro faciendam, juxta *S. Lig. n. 174.*(2)

Resp. ad 2um *Negative.* Ratio est, quia litaniae affixae sunt diei, nec *per se* ex natura sua videntur conjungi cum matutino et laudibus, sed sunt quid omnino distinctum. Insuper recitantur loco assistentiae ad processionem, quae assistentia omnino diei est affixa. Praeterea, si festum *S. Marci* transferatur, non debent transferri litaniae; ergo nec stricte matutino inhaerent, imo nullam connexionem cum illo habent. — *S. Lig. n. 174. Quaer. 3.* — *Lacroix.*

67. — Quaer. 7° *An praevidens impedimentum pro recitatione officii in ipsa die obligationis teneatur recitare matutinum et laudes in vespere vigiliae?*

Resp. Negative. Ratio est, quia, licet matutinum et laudes recitari possint pridie, non tamen debent. Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem; ergo non est ipsi antea satisfaciendum. Ergo, stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, tollitur obligatio. Convenit tamen valde, ut recitatio anticipetur.

68. — Quaer. 8° *Quanam hora incipi possit recitatio vesperarum mane tempore quadragesimae?*

Resp. Dicunt *Salmanticenses tract. 16. c. 3. n. 15.,* vesperas in quadragesima recitari ab hora undecima, seu una hora ante meridiem. Regula autem generalis est, vesperas privatim recitari posse eadem hora, qua in choro recitari solent. Porro in choro recitari debent post missam conventualem et nonam. Hora autem missae conventualis a consuetudine locorum pendet.

Nota 1° Non datur obligatio vesperas recitandi ante meridiem tempore quadragesimae, sed est merum privilegium, quo nemo uti tenetur(1). Completorium autem praedicto privilegio non gaudet; unde omni tempore post meridiem recitandum est.

Nota 2° Olim sic horae recitabantur: matutinum post mediam noctem, laudes ad auroram, prima post solis ortum, tertia ad horam nonam matutinam, sexta ad meridiem, nona ad horam tertiam pomeridianam, vesperae ad solis occasum, completorium ad noctis crepusculum. Hinc clericus ordinatus subdiaconus tenetur tantum ad recitandas horas tempori ordinationis correspondentes. Igitur, si ordinatio fiat ante

---

(1) et *plures,* qui censent, matutinum anticipari posse hora 2a post meridiem. *S. Lig.* hanc sententiam, quam et ipse secutus erat, postea reformavit in *retract.* sub *Q. 51.* — V. *S. Lig. ib.*

(2) An non obstante decreto 1. Sept. 1607. aut alio quocumque possit (supplicans) in festo omnium sanctorum post 2as vesperas etiam vesperas vigiliae defunctorum una cum matutino et laudibus recitare... aut an obligetur die 2a Novembris dictum matutinum cum laudibus recitare?

Resp. S. R. C. 4. Sept. 1745. in Ratisbon. (apud *Gardellini n. 4177.*): *Privata officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas festi omnium sanctorum. In choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die 2a Novembris, nisi, ut populi commodius et frequentius illi interesse possint, contraria jam faceret consuetudo.*

(1) extra chorum; conveniens tamen est, etiam extra chorum hanc rubricam servare. — *Scav.*

horam nonam matutinam, tenebitur ad tertiam recitandam, non vero ad horas antecedentes.(1)

II. Quoad locum et situm.

69. — 1° *Quoad locum.* Officium chori in ipso loco ad hoc destinato seu in choro vel in ecclesia recitari debet.(2) Officium vero privatim recitandum dici potest in omni loco decenti, sive in oratorio, sive domi, sive rure, aut etiam in via deambulando aut iter agendo, dummodo locus attentioni requisitae et devotioni congruus sit. — *S. Lig. n. 179.*

2° *Quoad situm*, privatim recitari potest officium in omni situ decenti, sive genibus flexis, sive stando, sive sedendo, sive deambulando. Ita praxis universalis, cui concinunt omnes theologi.

Quaesita:

70. — Quaer. 1° *An liceat recitare officium decumbendo in lecto?*

Resp. Negative, seclusa rationabili causa; talis enim situs aliquam sapit irreverentiam. Idem etiam dicendum est de quolibet alio situ mollitiem redolente. Attamen haec irreverentia numquam peccatum veniale excedit. — *Concina* et *Viva* apud *S. Lig. n. 179.* Quaecumque autem causa mediocris ab omni culpa excusabit, v. g. morbus aut infirmitas quaelibet, dolor capitis, defatigatio; item, si quis nocte dormire nequeat, officium recitare posset, quin surgere teneretur.

Quaer. 2° *An liceat officium recitare in curru vel equo?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia id nulla lege prohibetur; nec aliunde obstat attentioni, nec reverentiae orationi debitae, etiamsi alii essent itinerantes et simul confabulantes. Ita enim obtinuit generalis etiam piorum consuetudo. — *Ita communiter.*

71. — Quaer. 3° *An sit culpa, non servare rubricam, ex qua preces quaedam genibus flexis sunt recitandae?*

Resp. 1° *Negative,* si agatur de recitatione *extra chorum.* Etenim ex consuetudine et communi interpretatione haec rubrica solum chorum respicit. Idem autem dicendum de signo crucis et de aliis signis in choro usitatis. Haec quidem laudabiliter fiunt in privata recitatione, sed citra culpam omittuntur. — *S. Lig. n. 179.* et *alii communiter.*

Resp. 2° Si agatur de recitatione *in choro, controvertitur.* Affirmandum videtur, quia rubrica aliquid praescribens praeceptum imponit. Attamen talis omissio numquam culpam venialem excedere potest. — *S. Lig. ibid. etc.* contra *plures.*

Quaer. 4° *An sit peccatum breviarium recitare in loco indecenti?*

Resp. Probabilius negandum videtur *per se,* secluso contemptu, nisi locus attentioni debitae obesset v. g. ob populi frequentiam, strepitum etc.; secus enim indecens foret orare in loco indecenti, quod falsum est, siquidem, cum Deus sit ubique, etiam ubique est orandus et adorandus, ut patet ex verbis apostoli *1. Tim. 2. 8.: Volo viros in omni loco orare.* — *S. Lig. n. 179.* — *Lacroix n. 1320.* et *alii* contra *plures,* qui dicunt, adesse peccatum veniale, quia hoc aliqua irreverentia non caret.

---

(1) Ita *S. Lig. n. 140.* contra *Lacroix et alios,* qui defendunt, subdiaconum illum ad eam tantum partem officii obligari, quae post ordinationem de jure in choro recitanda remanet. Hinc si v. g. ante missam conventualem juxta rubricas generales missalis *de hora celebrandi missam (n. XV.)* dicenda erat tertia, obligabitur a sexta; si nona, a vesperis. Haec sententia verior videtur (saltem si agatur de ordinatione publica), utpote actuali disciplinae Ecclesiae magis conformis.

Probabilius vero non satisfacit, si partem officii, ad quam tenetur, recitat ante ordinationem. — *S. Lig. ib.,* licet etiam oppositam sententiam probabilem putet.

(2) Quoad recitationem in sacristia cf. *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Officium div. *art. 4. n. 28. et seq.*

PUNCTUM III.

De modo horas recitandi.

Horae sunt recitandae: 1° juxta ordi-em praescriptum; 2° cum debita pronun-atione; 3° cum attentione et devotione ufficiente.

I. Quoad ordinem.

72. — Duplex est ordo servandus ı breviarii recitatione, scilicet ordo fficiorum et ordo horarum. 1° Ordo fficiorum describitur ex calendario estorum et in rubricis pro illorum ranslatione, ubi plura simul concur-ant(¹); 2° ordo horarum ille est, qui in breviario exponitur, nempe recitetur primo loco *matutinum* cı *laudibus*, deinde subjungantur hor parvae seu *prima, tertia, sexta, non* et tandem sequantur *vesperae* cu *completorio*.

Quaesita:

73. — Quaer. 1° *An praecepto recitandi horas satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud officium loco officii diei recitat?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia non praesumitur, Ecclesiam velle aliquem uno die bis ad tantum onus obligare. Hinc axioma vulgare, quod veluti regula in tali casu habetur: *Officium pro officio valet.* Nulla igitur est obligatio, completa recitatione aliud officium recitandi. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 161. Quaer. 3.* — *Lacroix n. 1251.* — *Collet* — *Concina.*

Consilium tamen est, inquit *Layman* cum *aliis*, non vero obligatio, subjungere propria officii omissi. Sed in casu, quo officium esset notabiliter brevius, v. g. officium sancti alicujus loco officii dominicae, fieri debet compensatio recitando novem psalmos ex 1° nocturno. — *S. Lig. ibid.*

74. — Quaer. 2° *Si quis ex errore recitaverit aliquam partem tantum officii indebiti et dein ad errorem advertat, an possit prosequi inceptum officium, aut teneatur recitare reliqua de officio diei?*

Resp. Datur libertas juxta communem sententiam theologorum. Potest igitur vel prosequi, vel reliqua recitare de officio debito, finito tamen psalmo vel oratione inchoata. Attamen melius est officium mutare juxta multos, qui statuunt hanc regulam: *Error corrigatur, ubi deprehenditur.* Sed hoc est ex mero consilio, non vero ex

---

(¹) Estne in casibus dubiis adhaerendum calendario dioecesis, sive quoad offi-ıum publicum et privatum, sive quoad ıissam, sive quoad vestium sacrarum ɔlorem, etiamsi quibusdam probabilior idetur sententia calendario opposita? et uatenus affirmative, num idem dicendum e casu, quo certum alicui videretur er-ıre calendarium?

Resp. *S. R. C. 23. Maji 1835. in Na-ıurc. sub 2.* (apud *Gardellini n. 4746.*): *'tandum calendario.*

Quando quis causa itineris vel studii l aliis de causis extra patriam sive ɔecesim versatur, debetne recitare offi-m sui capituli, ecclesiae et beneficii etiam simpliciter dioecesis, an vero cium illius loci, in quo reperitur?

'esp. *S. R. C. 12. Nov. 1831. in Mars. 50. (ib. n. 4669.): Beneficiarii tenen-semper ad officium propriae eccle-; simplices vero sacerdotes confor-i possunt officio loci, ubi morantur.* ıd vagos consultius est, ut dioecesis iae calendario utantur, quia secus ı confusio officiorum oriretur.)

clerus adscriptus alicui ecclesiae pa-li, choro tamen illius non obligatus ıdens beneficio, et clerus sub ea-ırochia tantum degens et alteri ec-non addictus teneatur recitare par-ı officia illius paroeciae, i. e. dedi-, titularis vel alicujus sancti ob in-ejus reliquiam, eo quod in illa parochiali fuerit inducta consue-itandi praedicta officia a sacerdo-a clericis adnotatis ante bullam 7. de breviario romano editam 8, ita ut, si officium juxta ca-suae dioecesis dumtaxat cele-n adimpleant onus horarum ca-?

. *R. C. 20. Sept. 1806. in Bri-16. (ib. n. 4500.): Posse, sed non teneri, ideoque adimplere onus horarum canonicarum se conformando in recitatione officii calendario dioecesano.*

ıecepto. — *S. Lig. n. 161. Quaer.* — *Lacroix n. 1255.* — *Tamır. etc.*

75. — Quaer. 3° *An, cum jam ixeris unum officium pro altero, ıossis officium omissum recitare die, ɹua occurret officium jam a te rexitatum?*

Resp. Negative, sed officium recitatum iterum est recitandum. Ratio est, quia Ecclesia tunc solum praescribit officium transferri, quando est impedimentum propter dominicam vel officium majus; insuper adest obligatio se conformandi ritui communi Ecclesiae. — *Sic Lugo, Resp. mor. lib. 5. dub. 8.* — Hoc dicit *probabilius S. Lig. n. 161. Q. 5.;* sed ut moraliter certum habendum est ex decreto *S. R. Congreg. die 17. Junii 1673.* apud *Gardellini n. 2634. (edit. III.)*

76. — Quaer. 4° *An et quomodo peccet, qui* scienter *aliud officium pro officio diei recitat?*

Resp. 1° Nullum peccatum facit, si rationabili de causa id faciat, v. g. si officium proprium habere facile nequeat, vel si caritatis causa recitet cum socio officium diversum dicente, modo officium illud sit a S. Sede approbatum et sit aequale vel fere aequale; imo sola ratio societatis sat rationabilis apparet, ait *S. Lig. n. 161. Quaer. 3.*

Resp. 2° Seclusa ratione erit quidem peccatum, sed veniale tantum, si officium in aequale aut fere aequale mutetur, servato eodem ritu recitanti licito, quia satisfit obligationi quoad substantiam, modo tamen raro fiat. — *S. Lig. ibid.* — *Roncaglia* — *Sporer* etc. contra *Concina* et *alios,* qui dicunt, semper esse mortale.

Resp. 3° Si officium notabiliter brevius recitetur, grave peccatum est, quia tunc non satisfit substantiae obligationis. Patet tum ex natura rei, tum ex *prop. 34.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic sonat: *In die palmarum recitans officium paschale ıisfacit praecepto.*

77. — Quaer. 5° *Quale sit peccatum, ordinem invertere in recitatione horarum?*

Resp. 1° In recitatione *privata* numquam excedit veniale, secluso contemptu, quia talis ordinis inversio gravem deformitatem non continet: ordo enim servandus non est, nisi sub praecepto secundario et tamquam circumstantia minoris momenti. Si autem ex aliqua justa causa ordinem mutes, v. g. ad recitandum cum socio, qui jam ulterius in recitatione processit, omni prorsus culpa carebit. Dicunt *plures* cum *Concina,* inversionem ordinis esse peccatum mortale, si frequenter fiat; sed *probabilius* negandum est cum *S. Lig. n. 170.*

Resp. 2° In recitatione *publica controvertitur,* utrum sit peccatum grave necne, invertere ordinem aut mutare tempus horarum. Alii *affirmant,* si inversio vel temporis mutatio sit notabilis, nec adsit causa excusans. Ratio est, quia canones pluries repetunt, horas statutis temporibus esse recitandas. — *Azor etc. Negant* vero alii, quia hujusmodi circumstantia non pertinet ad praecepti substantiam, sed est mere accidentalis. Utraque sententia probabilis est; sed secunda probabilior, quia de gravi praecepto non constat. — *Ita S. Lig. n. 171.*

78. — Quaer. 6° *Quaenam sit causa justa horarum ordinem invertendi?*

Resp. Quaelibet causa rationabilis excusat. Possunt autem assignari sequentes, scilicet: 1° si inviteris ab amico ad aliquam horam cum ipso recitandam, et tu horam praecedentem aut praecedentes nondum recitaveris; 2° si mane non habeas breviarium ad manum nec commode possis exspectare, tunc posses ex diurnali, quod habes, recitare horas diurnas, postea matutinum recitaturus; 3° si non habeas lectiones ad manum, potes recitare psalmos matutini et laudum, imo et reliqua, dilatis lectionibus; 4° si venias ad chorum hora jam incepta,

ɜrgere cum aliis canere et post-
ɔ omissa sunt, supplere. Item,
s ad chorum una hora jam
, potes cantare cum choro po-
n, et postea supplere priorem.
S. Lig. n. 170. — *Lacroix*
). *1311.* et *alii communiter.*
— Quaer. 7° *An sit peccacere matutinum diei sequentis solutum officium diei prae-*

. Est quidem peccatum, sed
tantum, si absque causa fiat.
lem est peccatum, quia, licet
non fiat unum officium nec
ır inter se habere ordinem, et
servetur ordo debitus in of-
ei, tamen voluntas Ecclesiae
prius solvatur obligatio praei-
iei, quam alterius inchoetur;
ab aliqua deformitate excusari
si absque causa fiat. 2° Haec
as non excedit veniale, quia
us substantiam officii respicit,
:. Sufficiens causa vero est,
is ab alio, ut cum ipso reci-
ıtinum diei sequentis, quamvis
vesperas diei praesentis reci-
Et generatim omnis causa
s ad inversionem ordinis inter
jusdem diei etiam in praesenti
fficit. — *Lacroix n. 1315.*
— Quaer. 8° *An peccet, qui :itat commemorationes juxta ı per rubricam assignatum?*
. *Negative.* Rubrica enim illa,
e, quae respiciunt situm cor-
:l signa crucis, extra chorum
e directiva, non vero prae-
Idem dicendum est de ordine
ɔ inter commemorationes in
') — *Bouvier, de ordine art.*
:. (²)

Quoad pronuntiationem.

— Pronuntiatio debet esse:
integra, continuata.
'ocalis. Officium recitari debet

—

tamen *n. 403. Resp. 1°.*
. etiam *n. 962. 4°.*

voce, et quidem distincta; non autem sufficit, ut sola mente legatur aut tantum oculis pervolvatur; nec satis est, si recitetur gutture vel intra dentes, aut syncopando linguave titubante abbreviando. Ratio est, quia oratio proprie *vocalis* praecipitur; porro non censetur proprie *vocalis*, nisi voce distincta fiat. — *Ita omnes.*

2° *Integra.* Officium integre recitari debet. Ad integritatem pertinent *Pater, Ave, Credo* in principio et fine horarum, prout in rubricis adnotatur. Non autem pertinent ad integritatem officii orationes: *Aperi Domine,* et *Sacrosanctae*(¹); illae enim sunt de solo consilio recitandae.

3° *Continuata.* Quaecumque notabilis interruptio intra unam horam canonicam est peccatum, quia unitas ab Ecclesia praescripta rumpitur; sed peccatum veniale non excedit. — *S. Lig. n. 166.*

Quaesita:

82. — Quaer. 1° *An recitans officium debeat se audire, ut satisfaciat?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia ad horarum obligationi satisfaciendum non praecipitur auditio, sed tantum recitatio, i. e. pronuntiatio verborum, quae dicitur vocalis; sufficit igitur, si ille, qui recitat, sentiat, se verba pronuntiare. — *Layman* — *Spor.* — *Salm.* Et hoc dicit sat *probabile S. Lig. n. 163.* contra *alios.*

83. — Quaer. 2° *Quaenam sint causae justae officium interrumpendi?*

Resp. Quaelibet causa rationabilis sufficit ad horam quamcumque interrumpendam. Rationes autem sequentes praesertim adnumerantur: 1° quaelibet utilitas propria vel aliena, quae sine aliquo incommodo differri non posset; — 2° ratio urbanitatis vel caritatis, aut ratio exsequendi mandata superio-

(¹) Oratio *Sacrosanctae* ad indulgentiam obtinendam est flexis genibus recitanda. — V. *n. 1084. 1°.*

rum; — 3° si excipienda sit confessio alicujus, qui non libenter exspectaret; — 4° si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g. ne obliviscaris etc., modo tamen non frequenter fiat, quia frequens interruptio ob talem causam aliqua irreverentia non caret; — 5° licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio inter orandum vel aliquis interdum pius cordis affectus. — Non tamen liceret, meditandi gratia in istis diutius et frequenter immorari, quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur; item, si vocalis oratio longior et minime pertinens ad officium diceretur: pars enim notabilis adderetur horis, quod esset veniale, utpote contra formam praescriptam. — *S. Lig. n. 168.* — *Salmant. tr. 16. c. 3. p. 1. n. 4.* — *Lacroix n. 1307.* et *alii communiter.*

84. — Quaer. 3° *An matutinum separari possit a laudibus?*

Resp. Affirmative juxta communem sententiam et praxim etiam timoratorum. Sic enim *S. Lig. n. 167.*: „Commune est, quod matutinum potest a laudibus separari sine ulla causa, ut dicunt *Salm., Bonac., Concina, Suar., Sanch., Navarr., Lacroix, Lessius.*" Tunc autem finito matutino dicendum est *Pater noster*, ut fieri debet post quamcumque horam.(¹)

85. — Quaer. 4° *An nocturni separari possint sine causa?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius.* Constat ex universali consuetudine, cui nulla lex opponi potest. Imo, olim ex praxi Ecclesiae separabantur, cum in variis noctis horis recitari solerent. Quare igitur nunc separari non possent? — *Ita Salmant.* et *alii communius* contra *alios.* Dicunt non pauci, intervallum etiam trium horarum interponi licere inter singulos nocturnos *sine causa speciali.* Si autem adsit *justa causa,* cujus gratia nocturni separari debeant, intervallum illud pro ratione illius causae protrahi etiam potest.(¹) — *Ita Busemb., Bonac., Salm., Viva,* quorum sententiam merito *probabilem* appellat *S. Lig. n. 167.*

86. — Quaer. 5° *An et quomodo peccet ille, qui, recitato uno vel altero nocturno in vigilia, reliquam matutini partem tota nocte interjecta recitat?*

Resp. 1° A peccato mortali semper eximendus est, quia substantiae praecepti satisfacit. Etenim ex regula generali tradita a *S. Lig. n. 172.* et ab *aliis communiter* praecepti substantiae satisfit, quoties officium integre recitatur in die naturali vel ecclesiastico, ita ut numquam peccatum veniale tunc excedatur, quantacumque interruptio, etiam seclusa causa, intercedat. Ergo casus praesens excludi non debet.

Resp. 2° A peccato veniali etiam excusandus est ille, qui rationabili de causa ita agit, v. g. si officium sit valde productum, ut officium dominicae, et recitato primo nocturno sit valde defatigatus vel somno obrutus etc. Ratio ex dictis sequitur, siquidem justa de causa interruptio quaelibet licita est.

87. — Quaer. 6° *An et quatenus repetenda sit aliqua hora propter notabilem interruptionem interpositam?*

Resp. 1° Hora integra numquam est repetenda, etiamsi interruptio absque justa causa interposita fuerit. Ratio patet ex modo dictis. Insuper singuli psalmi singulaeque lectiones vel orationes suam completam significationem habent, et satis uniuntur per intentionem continuandi.

Resp. 2° Imo *per se,* rigorose loquendo, nihil est repetendum, etiamsi

(¹) Cf. *n. 89. Q. 11°. 12°.*

(¹) Neque tunc adest obligatio praemittendi recitationi 2ᵃ et 3ᵃ nocturni *Pater et Ave,* siquidem nullum hac de re adest praeceptum. — *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Officium divinum *art. 3. n. 38.*

interruptio in medio psalmo fiat, modo non sit in medio versiculo vel in media oratione, quia etiam singuli versiculi suam particularem significationem habent. Attamen, si psalmus sit brevis, suadendum est, ut ab initio hujus psalmi repetatur. — *S. Lig. n. 168.* et *alii communiter* contra *plures.*

Quaer. 7° *An in recitatione officii liceat aliquid ex devotione miscere vel apponere?*

Resp. Negative, quia in officiis nihil est addendum vel immutandum, nisi a Sede Apostolica fuerit concessum. — Sic *S. Congr. Rit. die 10. Junii 1690.*(1)

88. — Quaer. 8° *Ad quid teneatur ratione pronuntiationis recitans horas cum socio vel cum choro?*

Resp. Requiritur ad satisfaciendum obligationi 1° ut recitatio alternis versibus fiat. Si autem plures quam duo recitent, debent, facto duplici choro, alternatim recitare, quia ille solus modus Ecclesiae consuetudine admittitur. 2° Dicantur successive et non simul, nec unus debet resumere, antequam alter suum expleverit; secus, si esset notabilis anticipatio, recitatio iteranda foret. 3° Quae ab uno dicuntur, ab aliis audiantur(2), ut communicent et fiat una oratio moralis. Non autem necesse est, ut audientes submissa voce partem aliorum pronuntient. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 162.*

Quaer. 9° *An satisfacias, si recites horas cum laico aut alio non obligato, aut cum distracto vel non attento?*

Resp. Affirmative ad omnia. Ratio est, quia haec non impediunt, quominus tu recites horas juxta morem Ecclesiae. Defectus enim obligationis vel attentionis ex parte alterius tuam recitationem non immutat, nec vitiat. Ergo, si socius sit obligatus et non attendat, ipse non satisfacit, non communicando tecum; sed tu sufficienter cum eo communicabis, si ille recte pronuntiet et tu recte audias. — *Lacroix n. 1295.*

89. — Quaer. 10° *An tenearis repetere, quae recitasti cum imperfecta seu mutilata pronuntiatione?*

Resp. 1° *Affirmative,* si mutilatio sit valde notabilis, ita ut sensus verborum sit corruptus et destructus, etiamsi involuntarie(1) feceris, quia vitium substantiam recitationis afficit. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Negative,* si syllabas ita mutiles, ut sensus verborum non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate; culpa enim tua tunc non afficit substantiam obligationis, et proinde veniale non excedit. Imo, nullo modo peccas, si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam vel balbutiem aut inveteratam consuetudinem, quae difficulter vinci possit(2).

Quaer. 11° *An oratio dicenda sit post matutinum, quando laudes separantur?*

Resp. Negative probabiliter, sed sufficit post matutinum recitare *Pater noster.* Ratio est, quia *probabiliter* matutinum et laudes unam horam moraliter efficiunt, et aliunde oratio in sola nocte nativitatis Domini praecipitur. — *Ita S. Lig. n. 167.* — *Salmant.* — *Sanchez* — *Viva* — *Voit p. 2. n. 1064. etc.*

Affirmant tamen etiam *probabiliter* plures, quia, ajunt, probabile est, matutinum et laudes esse duas horas

(1) *in una ord. S. Ben. sub 3. in fine (Gardell. n. 3222.).*

(2) Cf. *n. 55. Q. 7°.*

(1) dummodo non obstet impossibilitas, v. g. balbuties. Fecit enim tunc recitans, quod potuit.

(2) modo tamen hanc consuetudinem emendare studeas.

Nec teneris repetere, si recites cum socio, nisi tibi certo constet, socium mutilando notabilem partem omisisse. Vix vero excusatur a veniali, qui ultro se tali sociat, nisi forte rationabilis causa adsit, v. g. quia persona gravis eum ad hoc invitavit etc. — *S. Lig. n. 165.*

distinctas. Sic *Gavantus, Bonacina, Navarr.*, et *probabile* dicit *S. Lig. ibid.*

Quaer. 12° *An vero ante laudes a matutino separatas dicendum sit* Pater *et* Ave, *ut ante alias horas?*

Resp. Alii affirmant absolute, quia tunc laudes sunt hora distincta a matutino. Sic *Saettler etc.* Alii negant *probabilius,* quia id nullibi praescribitur. Nec valet ratio, quod laudes tunc sint instar horae distinctae; nam *Pater* et *Ave* non dicuntur initio completorii, quamvis hoc sit hora distincta. — *Ita Voit p. 2. n. 1064.* — *Lacroix n. 1305.*

III. Quoad attentionem et devotionem.

90. — Officium recitandum est *attente* et *devote*(¹), cum sit oratio, et quidem publica seu a ministro publico ab Ecclesia deputato recitanda. Hinc voluntarie distractus in horis recitandis peccat saltem venialiter. An autem aliquando peccet graviter, mox in quaesitis dicetur.

Non autem solae distractiones, quae intenduntur, voluntariae sunt, sed etiam eae omnes, quae volitae sunt in causa, scilicet eae, quae proveniunt ex negligentia, levitate, nimia praeoccupatione negotiorum peragendorum, ex curiositate ad objecta externa circumspicienda, ex circumstantiis loci vel temporis non opportuni, seclusa sufficienti ratione voluntariae dicendae sunt. — *Bouvier etc.*

Quaesita:

91. — Quaer. 1° *Quotuplex distinguatur attentio?*

Resp. Duplex, interna scilicet et externa. Prior consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur; posterior ea est, quae excludit omnem externam actionem physice cum recitatione incomposibilem, ut esset fabulari, scribere etc.(¹)

Rursus attentio interna triplex est, scilicet 1° *spiritualis,* quae est ad Deum ipsum ut orationis terminum; 2° *literalis* seu ad sensum verborum et rerum significationem; 3° *materialis,* scil. ad verba tantum, seu ad ea rite proferenda, ne error fiat. — *Vide p. 1. n. 344.*

Quaer. 2° *An attentio interna sub gravi requiratur?*

Resp. Duplex est sententia inter theologos.

I^a Sententia *probabilior* et *communior affirmat.* Ratio est: 1° Quia oratio sine attentione interna non est oratio. Etenim oratio est elevatio mentis ad Deum; atqui, seclusa interna attentione, nulla habetur ad Deum mentis elevatio. Praeterea ad horas persolvendas requiritur saltem aliqua intentio colendi Deum; atqui haec intentio haberi nequit sine aliqua attentione interna. 2° Quia credendum non est, Ecclesiam intendisse materialem tantum attentionem in divino officio persolvendo praescribere. Imo, *concilium Trid.*(²) expresse, attentionem internam necessariam esse, videtur declarasse dicendo, officium esse recitandum reverenter, distincte et devote.

(¹) Cf. *Concil. Lateran. IV. c.* Dolentes (9.) *de celebr. miss. (III. 41.)* — *Conc. Trid. sess. 24. de ref. c. 12.*

Requiritur etiam, si in genere de recitatione officii loquimur, intentio seu voluntas generalis orandi, per quam attentio ad debitum finem dirigatur. Sufficit vero virtualis implicita. — Cf. *p. 1. n. 344. not. 1.* et *p. 2. n. 91. Q. 2°. I^a Sent. 1°. etc.* — *S. Lig. n. 176.* Quam insanum vero sit, de debita intentione dubitare, dum quis cum sufficiente attentione de facto et obligationis suae habitualiter conscius, imo per quotidianam recitationem ex voluntate virtuali ei obsequens officium dicit, quin expresse aliam intentionem cum oratione incomposibilem conceperit, nemo est, qui non videat.

(¹) Persaepe non tam ex natura actionis, quam ex modo, quo aliquem afficit, quin forte eumdem effectum in alio producat, desumendum erit, utrum ita incomposibilis sit cum recitatione, ut essentialiter attentionem externam destruat. — Cf. *S. Lig. n. 176.*

(²) *loco citato* —

3° Si nulla requireretur attentio interna, non esset ratio, cur voluntaria distractio jure divino prohiberetur. — *Ita Sanchez — Azor — Roncaglia — Concina* et *alii multi.*

IIa Sententia *negat* et dicit, sufficere absolute attentionem externam ad satisfaciendum substantiae recitationis et ad peccatum mortale removendum. Ratio est, quia, si requireretur attentio interna, non satisfaceret suae obligationi, qui involuntarie distractus horas recitaret; etenim, destructa quamvis inculpabiliter rei essentia, res ipsa destructa est. Hoc tamen neque adversarii admittunt. Sic autem concludit *S. Lig. n. 177.*: „Prima sententia probabilior videtur „saltem ob auctoritatem extrinsecam, „et omnino ut tutior consulenda est; „sed secunda tum ob doctorum auctoritatem, quae non est contemnenda, „tum ob rationes non levibus fundamentis innixas satis probabilis apparet.“ (1) Huic conclusioni libenter adhaereo. — *Recole dicta de auditione missae p. 1. n. 345.*

92. — Quaer. 3° *Quaenam attentio interna requiratur juxta priorem sententiam?*

Resp. Quaelibet certo sufficit, quia, sive sit spiritualis, sive literalis, sive materialis, mens ad Deum elevatur et fit vera oratio, etiamsi attentio esset tantum ad verba. Hinc non requiritur attentio spiritualis vel literalis, quae impossibilis est pro multis, scilicet pro monialibus et pro nonnullis religiosis linguam latinam ignorantibus. Ergo satis est, si habeatur attentio materialis; sufficit enim attentio ad verba cum intentione generali colendi Deum. Imo non requiritur attentio ad singula verba, sed sufficit attentio moralis et generalis, qua quis curet, recte omnia dicere, cum intentione orandi. — *Ita S. Lig. n. 176.* — *Lacroix n. 1344.*(1)

Quaer. 4° *Quaenam sint remedia ad distractiones repellendas?*

Resp. Alia sunt *negativa*, et alia *positiva*. Remedia *negativa* reducuntur ad subtractionem earum rerum, quae sunt causa distractionis, v. g. impedire, quominus circamvagentur oculi; a majori hominum strepitu se subducere; ad negotia diversa non properare etc. — Remedia vero *positiva* sunt: 1° sub initio recitationis efformare intentionem Deum laudandi; 2° renovare intentionem in fine psalmorum, quando dicitur *Gloria Patri;* 3° Dei praesentiam saepe in mentem revocare; 4° sibimet exhibere passionem Domini nostri, distribuendo varias illius passionis circumstantias per horas singulas. — *S. Lig. n. 177.*(2)

PUNCTUM IV.

De causis excusantibus a recitatione horarum.

Causae a recitatione divini officii excusantes sunt: 1° impossibilitas; 2° caritas; 3° dispensatio.

93. — I. *Impossibilitas,* sive physica, sive moralis, quae consistit in

---

(1) Licet secunda sententia pro praxi commendari omnino nequeat, optime tamen inservire potest pro tranquillitate scrupulosorum et involuntarie distractorum.

(1) Ita quoad *objectum* internae attentionis. Quoad ipsius *actum* vero sufficit attentio virtualis, quae solummodo per distractiones voluntarias eliditur. Notamus vero praesertim pro scrupulosis: ut distractiones impediant, quominus quis officio satisfaciat, non sufficere, si distrahatur, sed insuper requiri, ut *plene* advertat, se distrahi in materia notabili, dummodo non agatur de habituato in hujusmodi distractionibus, qui habitum istum eliminare non studet. — Cf. *S. Lig. n. 177. §. Ceterum etc.* — *Scav.*

Qui vero recitat in peccato mortali, juxta sententiam veriorem et communiorem satisfacit nec graviter peccat. — *S. Lig. n. 178.*, quem confer.

(2) Nec desunt ad distractiones vitandas media alia quamvis simplicia, omnino tamen efficacia, sed magis a dispositione individui pendentia. Hinc cuique suadendum, ut praeter media generalia inquirat ea, quae suae indoli specialius conveniunt, ut sic distractiones efficacius cohibeantur.

gravi difficultate officium recitandi.(1) Hinc excusantur:

1° Qui non habet breviarium, quia v. g. illius, iter suscipiendo, oblitus est aut illud in itinere perdidit etc.(2) Si tamen culpa sua oblitus fuerit aut perdiderit aut projecerit, graviter peccavit, et omissio horarum ipsi imputanda est; sed si sincere doleat, novum non admittit peccatum horas tempore suo omittendo.(3)

2° Qui gravi morbo laborat, v. g. febri, dolore intestinorum vel capitis; vel qui juste timet, ne ex recitatione in gravem infirmitatem incidat etc. Unde satis excusatur, qui prudenter credit vel timet, ne ob officii recitationem ei notabilis capitis gravedo vel cruditas stomachi, aut virium lassitudo proveniat, vel si ex tali labore judicet febrim serius esse recessuram. — *S. Lig. n. 154. Not. I.*

3° Convalescens ex gravi morbo per aliquot dies excusari potest ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Et adhuc hoc admitti potest, etiamsi infirmus jam missam celebraret. — *S. Lig. ibid. Not. II.*

4° Excusatur etiam, qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione breviarii prodatur; item, qui graviter oculis laborat etc. — *S. Lig. n. 156. 157.* et *alii communiter.*

II. *Caritas erga proximum,* i. e. gravis et repentina occupatio, quae sine scandalo aut notabili detrimento proximi omitti nequit. Talis occupatio excusat a recitatione officii, quia praeceptum naturale caritatis praevalet legi ecclesiasticae. Hinc excusaris a recitatione horarum, sive totaliter, sive partialiter:

1° Si sub nocte officium, v. g. vesperas recitaturus advoceris statim ad moribundum, et ad officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi non suppetat.

2° Si tota die occuperis in excipiendis confessionibus, quae ob peculiares circumstantias differri non possunt, v. g. in fine missionis, cum sis discessurus etc.

3° Si concionem sine scandalo aut famae detrimento omittere non posses, nec tamen eam praeparandi suppeteret tempus, si recitandum esset officium.

4° Si occuperis tota die in sedandis jurgiis aut assistendis infirmis, v. g. tempore morbi contagiosi etc. — *S. Lig. n. 156.* et *alii.*

94. — III. *Dispensatio legitima* seu a legitimo superiore concessa.

1° Obligatio divinum officium recitandi, cum sit de jure ecclesiastico, a superioribus ecclesiasticis tolli potest.

2° Papa hanc dispensationem concedere potest valide in omni casu, etiam sine causa; licite autem ex causa rationabili, v. g. ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos etc.

3° Episcopus etiam dispensare potest in hac lege, sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo in particulari, ad tempus, scilicet: 1° quando dubitatur de impotentia morali aut de gravitate detrimenti metuendi; 2° quando difficilis est recursus ad Papam; 3° quando dispensatio petitur ob causas, quae frequenter recurrunt, v. g. ob infirmitatem; 4° quando petitur dispensatio ad breve tempus. — *Ita S. Lig. n. 159.* — *Recole dicta in tract. de legibus p. 1. n. 115.*

Quaesita:

95. — Quaer. 1° *Quid agendum in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum necne?*

Resp. 1° Potest infirmus se committere judicio medici, ut colligitur ex c. Fraternitatis (6.) *de frig. et malef. (IV. 15.);* 2° potest acquiescere judicio superioris, qui in tali dubio

(1) Cf. etiam *propositionem 21. Alexandri VII.*

(2) cum impotentia, aliud sibi comparandi.

(3) *Per se* novum peccatum ob omissionem recitationis non admittit, cum ipsi jam impossibile sit (uti supponitur), obligationi suae satisfacere.

ispensare valet; 3° potest se
e judicio probabili viri pru-
4° imo probabiliter potest
tare proprio judicio, si tale
ı ipsemet ferre possit. — *S.*
154.(¹)

ır. 2° *Ad quid teneatur in-*
si certus sit, se integrum of-
persolvere non posse, dubitet
partem recitare valeat?

. *Probabiliter* ad nihil tenetur.
im infirmus rationabiliter a toto
xcusatur, ne valde scrupulis
nesciens, quousque possit ac
recitare; nam talis anxietas
nocumentum ipsi afferret. —
n. 154. Not. IV.

— Quaer. 3° *An impeditus*
ando integro breviario te-
ad partem, quam recitare

. *Affirmative prorsus.* Ratio
est; obligatio enim breviarii
singulas ejus partes, cum res
a sit divisibilis. Constat etiam
ositione 54. damnata ab *In-*
XI., quae sic jacet: *Qui*
test recitare matutinum et
potest autem reliquas horas,
l tenetur, quia major pars
ad se minorem. Igitur, qui
eviario et nihil aliud scit me-
quam laudes vel completorium,
b gravi recitare tenetur.

ır. 4° *An tenearis ad psal-*
citandos, si hos tantum ad
habeas vel scias memori-

—

sic dubium solvi nequit, haec

excusatur, qui timet, ne recitatio
alutem graviter laedat; praevalet
s naturale servandae valetudinis.
ig. n. 154. Not. III.
tiam hoc deficiente videtur in ge-
usandus, qui probabiliter judicat,
ausam liberantem, cum tunc adsit
de extensione legis. — Cf. *p. 1.*
ot. 2. — Aliter *S. Lig. l. c.*
videtur judicandum, si cum du-
um illa causa excuset, concurrat
, utrum haec causa revera adsit;
enim non est praesumendum.

ter, relictis lectionibus cum respon-
soriis?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia, cum possis partem notabilem officii recitare, nulla est causa, cur ab ea excuseris. Constat etiam ex *prop. damn.* modo relata. — *S. Lig. n. 158.* — *Lacroix n. 1220.*(¹) — *Sporer etc.* contra *plures,* qui dicunt, te ad nihil teneri in tali casu, quia tunc deficit forma a *S. Pio V.* praescripta. — Sequens autem regula traditur a *S. Lig.* et *aliis: Si potes recitare, quantum est parva hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars seorsim sumpta non censetur aestimabilis ad finem a lege intentum.*(²)

97. — Quaer. 5° *An tenearis socium adhibere, si non valeas solus horas recitare?*

Resp. Affirmative, si facile aliquem invenias et commode eum adhibere possis. Ratio est: 1° quia in hoc casu non datur proprie dicta impotentia ad breviarium recitandum; 2° quia praecepta Ecclesiae requirunt diligentiam ordinariam ad sui impletionem; porro nullum medium est magis ordinarium, quam socium in recitatione adhibere. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 158.* — *Salmant. etc.*

Quaer. 6° *An vero tunc tenearis adhibere socium stipendio soluto, si alium commode non invenias?*

Resp. Negative juxta sententiam communem. Ratio est, quia hoc medium est omnino extraordinarium, cum fieri non soleat, et etiam incommodis plenum: unde ad illud Ecclesia non censetur obligare. Imo, si non prompte occurrat socius tecum gratis recitaturus, non teneris aliquem cum anxietate et sollicitudine quaerere, quia

(¹) ut *probabilius.*

(²) Caecus tamen non obligatur, horas memoriter discere, cum hoc sit medium extraordinarium. — *Scav.*

hoc evaderet medium extraordinarium. — *Ita Salmant. c. 3. n. 44.* — *Suarez, de religione t. 2. l. 4. c. 8. n. 12.*(1)

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONIBUS NEGATIVIS CLERICORUM, SEU DE IIS, QUAE CLERICIS PROHIBENTUR.

98. — Generatim prohibetur clericis, ne iis se dedant, quae statum ecclesiasticum dedecent, v. g. ne artem macellariam, tabernariam, medicam et chirurgicam exerceant, excepto casu necessitatis; ne agant judicem in causa sanguinis, vel advocatum vel patronum aut tabellionem in pactis saecularibus. Item prohibetur, clericos armatos(2) incedere, tabernas ingredi(3), et alia complura.(4) Maxime vero clericis prohibentur sequentia: 1° habitatio cum mulieribus; 2° ludus aleatorius; 3° gestatio armorum et venatio; 4° negotiatio.(1) De singulis breviter.

§. I.
De habitatione cum mulieribus.

99. — Habitatio sub eodem tecto cum mulieribus a prioribus Ecclesiae temporibus clericis sacris canonibus generatim prohibita fuit. Sic in *concilio Nicaeno I. can. 3.: Vetuit omnino magna synodus, ne liceat episcopo aut presbytero, nec diacono, nec uni penitus eorum, qui sunt in clero, introductam*(2) *habere mulierem, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem effugiunt.* Constat etiam ex *cap. 1.* et *9. de cohabit. cler. (III. 2.) etc.* Hinc in plerisque locis et ipsi episcopi in synodis suis praescripserunt, ut clericis cohabitare fas esset cum iis solis mulieribus, quae stricto consanguinitatis vel affinitatis vinculo, primo scilicet et secundo gradu conjunctae sunt(3). Nec permiserunt ab ipsis admitti ancillas, nisi compertae probitatis forent. Imo, in plerisque statutis synodalibus prohibitum reperitur, ne clerici ancillas secum habeant, nisi aetatem 40 annorum completorum illae attigerint. Ratio autem praecepti est tum removendum periculum, quod, attenta humana fragilitate, incurrere possent clerici, tum praecavenda calumnia, quae facile innocentibus alias impingi posset. Hinc dicitur in scriptura *Eccli. 42. 12.:*

---

(1) Etiam quoad beneficiarium sententia negans nobis moraliter certa videtur, licet illum *S. Lig.* saltem quandoque ad hoc obliget. — Cf. *S. Lig. n. 158.*

(2) aut personatos —

(3) choreis vel comoediis interesse. Hoc tamen non prohibet, advertit *Scavini*, quominus honestae recreationis et exercitationis causa clerici agant vel intersint (uti fert usus) iis repraesentationibus, quae in communitatibus habentur, servatis tamen modestiae et temperantiae regulis et ceteris servandis.

Sunt etiam quaedam publica spectacula, quae *non adeo* clericos dedecere videntur, v. g. cursus equorum etc. In hisce judicandum est (nisi leges dioecesanae de his particulariter jam statuerint) ex motivo, ex usu regionis, loco, periculo, scandalo, ex frequentia, ex qualitate personae etc.

Quoad publicas politicas demonstrationes (uti vocant) declaravit *S. Congr. Episc. et Reg. die 15. Jan. 1848.:* „Quamvis clerus gaudere et exsultare debeat de institutionibus utilibus et sapientibus, quae in administratione reipublicae contingunt, tamen non convenit, ecclesiasticos habere partem in tumultibus, qui illas sequuntur, et multo minus extendere eosdem usque in sanctuarium, destinatum ad preces et ad sacrarum functionum exercitium.“ — Cf. etiam de iis, quae clericis prohibentur, *Decretal. l. 3. tit. 1. et 2.; Ben. XIV., de synodo dioec. l. 11. c. 10.*

(4) Cf. etiam infra *n. 150. Q. 2°.*

---

(1) Non vero haec omnia *omnibus* clericis indistincte prohibentur, sed aliqua constitutis in sacris solummodo vel beneficiatis. Sed haec ad jus canon. potius spectant.

(2) i. e. extraneam — Cf. *Ben. XIV., de synodo dioec. l. 11. c. 4. n. 4. 5.*

(3) modo nullam causam praebeant suspicionis scandalosae. — *Trid. sess. 25. c. 14. de ref.*

Sed etsi nulla suspicio, nullum periculum per se adsit, quam provide se gerere debeat sacerdos in hisce, ne periculum oriatur, quis non videt?

ıdio mulierum noli commorari; ıtimentis enim procedit tinea, nuliere iniquitas viri.

). — Mens autem Ecclesiae est, rici non solum abstineant a cotione cum mulieribus, sed etiam ıeant ab illis frequenter invisen- ıl alloquendis. Ita commonent patres. Audiendus inter alios *nbrosius*, sic clerum suum in- s *(lib. 1. offic. 20.)*: „Vidua- ac virginum domos, nisi visi- i gratia, juniores adire non est , et hoc cum senioribus, hoc est, episcopo vel, si gravior est causa, presbyteris. Quid necesse est, ımus saecularibus obtrectandi lo- ' Quid opus est, ut illae quo- ıisitationes crebrae accipiant au- tatem? Quid si aliqua illarum labatur? Cur alieni lapsus sub- invidiam? Quam multos enim s illecebra decepit! Quanti non ıunt errori locum, et dederunt cioni! Cur non illa tempora, ıs ab ecclesia vacas, lectioni ndas? Cur non Christum revi- Christum alloquaris? . . .“

§. II.

De ludo alearum.

.. — Ludus alearum ille est, ıtus situs est in pura sorte et exitus a mero casu pendet, quin is industria partem ullam in eo at; talis est v. g. ludus talorum. lus alearum severe prohibetur s, saltem in ordinibus majoribus tutis et beneficiatis. Constat 1° ıcilio *Later. IV. can. 16. (de t hon. cler. III. 1. c. 15.)*, ubi :: *Clerici ad aleas et taxillos ludant, nec hujusmodi ludis int.* — Constat 2° ex *concilio sess. 22. c. 1. de reformat.* ctatis hujusmodi legibus is ut peccati reus habebatur commu- qui sacris initiatus talibus ludis eret lucri gratia et in quantitate li. — *S. Lig., de 7. praec.* ı. *896.* At ex praesenti consuetudine antiquorum canonum prohibitio valde videtur temperata.

Solvitur in praesenti ab omni peccato juxta multos clericus ille, qui parce, moderate, privatim et sine scandalo ludit aleis chartisque, cujus ludi exitus a fortuna pendet, si ludat, ubi praefati canones non rigide observantur. — *S. Lig. ib. n. 899.* — *A fortiori* omni culpa vacaret ille, qui recreationis causa, secluso scandalo, illis sese ludis recrearet, v. g. si nullum aut minimum sit lucrum, aut si lucrum pauperibus tribuatur, quia consuetudo hoc pacto canones sacros interpretata est.

102. — Quaer. *An ludus chartarum quilibet censeatur aleatorius?*

Resp. Negative. Distinguendus enim est duplex chartarum ludus. Alius est purae sortis et omnino aleatorius; alius vero mixtus, seu partim aleatorius et partim a peritia vel industria ludentis pendens. Hoc posterius ludi chartarum genus non est habendum ut illicitum *per se*, si moderate, absque scandalo et pro parva quantitate pecuniae ludatur, nisi alicubi speciali lege prohibeatur; sic enim fert interpretatio legis et universalis consuetudo. Caveant tamen clerici in ludendo ab excessu, a nimia levitate et animi dissipatione, nec ab aliquo cupiditatis vel passionis affectu abstrahantur. Expedit imprimis, ut a ludendo cum saecularibus generatim abstineant, nisi sint viri prudentiae et gravitatis non communis, quia sanctum eorum ministerium grave detrimentum inde pateretur. Quam maxime a temporis jactura et a fidelium scandalo abhorrere debent.(¹)

§. III.

De gestatione armorum et venatione.

103. — Gestatio armorum, seclusa necessitate, clericis prohibetur. Con-

(¹) Cautiores adhuc ceteris esse debere episcopos et religiosos, dubium esse nequit. — Cf. *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 901. 902.*

stat ex c. Clerici (2.) *de vita et honest. cler. (III. 1.)*, ubi dicitur: *Clerici arma portantes . . . excommunicentur.* etc. — Ratio hujus est, quia gestatio armorum dedecet characterem clericorum, qui ad exemplum Christi esse debent mites et humiles corde. Aliunde clericorum arma debent esse mere spiritualia, cum ad illos spectet, contra potestates tenebrarum militare. Unde dicunt omnes theologi cum *Bened. XIV., Inst. 101.*, peccare graviter clericos in sacris, qui militiam amplectuntur.(¹) Non tamen reprehendendi sunt, qui bello justo cooperantur consilio, adhortatione vel etiam auxilio, modo arma non gerant nec officio ducis fungantur. De his ex variis locis juris can. constat. — Dixi: *extra necessitatem;* quia necessitas legem non habet.

104. — Venatio prohibetur clericis; sed tantum venatio clamorosa et strepitosa, seu quae fit cum canibus et armorum strepitu vel accipitribus; non vero venatio quieta, v. g. cum laqueis aut aliis instrumentis.(²) Constat ex variis locis juris can., sed praesertim ex *concilio Later. IV. can. 15.*, ubi dicitur: *Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus; unde nec canes nec aves habere praesumant. Item ex concilio Trid. sess. 24. c. 12. — Vide S. Lig., de 7. praec. dec. n. 606.*

Controvertitur autem, an venatio clamorosa sit peccatum grave, si raro fiat. Negat *S. Lig. per se* seu secluso scandalo, quod tamen raro aberit. Pariter non videtur stricte prohibita *per se* venatio cum sclopeto et uno cane; sed generatim magnam indecentiam involvit in sacerdote et facillime scandalum creat, nisi forte raro fiat, absque cursu v. g. in horto etc.(¹)

§. IV.
De negotiatione.

105. — Negotiatio(²) prohibetur omnibus clericis, praesertim iis, qui sacris initiati sunt(³). — Constat ex innumeris textibus juris can., etiam ex *concilio Trid. sess. 22. c. 1. de reform.*

At non continentur in illa prohibitione clerici, 1° qui fructus venditant, quos ex suis agris percipiunt; — 2° qui artem exercent conditioni ac statui proprio consentaneam et opera vendunt; — 3° qui res omnigenas parvo emunt pretio, cum adest copia, ut eas, ingruente annonae caritate, eodem pretio amicis, propinquis ac pauperibus vendant; — 4° qui emunt pecora, quae in propriis praediis saginata vendant: secus vero, si in alienis septis saginentur; — 5° qui emunt fructus aliorum agrorum ad animalia saginanda et saginata vendenda, saltem *probabiliter* cum sententia communi contra *plures;*(⁴) — 6° qui emunt, ut utantur, et deinceps vendunt, si pretium crescat, ut vilius simile ematur; — 7° qui emunt plurima, ut tutius sibi prospiciant, et, quod superest, carius etiam vendunt.

Nota: Non licet clericis negotiationi vacare etiam pro necessitate alendae familiae(⁵) sine licentia Sedis Apost. inter

(¹) Cf. infra *n. 1028. 5°. not.*

(²) Cum tamen sententia, quae negat, venationem quietam clericis licitam esse, juri conformior sit *(Ben. XIV., de syn. dioec. l. 11. c. 10. n. 8.)*, insuper praeceptum scandali vitandi obliget, quaestio potius ex consuetudine legitime alicubi exsistente dirimenda videtur.

(¹) Perpendatur insuper diligenter, ne haec occupatio mentem a Deo, a studiis, a oratione piisque exercitiis et ab operibus caritatis non distrahat.

Piscatio vero clericis non per se illicita est. — *Scavini.*

(²) proprie dicta, quando scil. aliquid emitur eo animo, illud idem non vel [illegible] mutatum carius vendendi — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 831.*

(³) Juxta communem sententiam non prohibetur clericis in minoribus. — *S. Lig. l. c.*

(⁴) Cf. *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 8[illegible]*

(⁵) vel si ad mercatoris haereditat[illegible]

:piscopi extra Italiam. Ex
:nt. XIII. const. *Cum pri-*
temb. 1759.— Vid. S. Lig.,
dec. n. 832. 833.

:APUT II.

ΓIONIBUS PARTICULARI-
3 CLERICORUM.

obligationibus 1° episcopo-
:horum; 3° canonicorum.

ARTICULUS I.
ΛTIONIBUS EPISCOPORUM.

Episcopus dicitur *ordina-*
dinaria jurisdictione utitur
:esi. Dicitur etiam *dioe-*
one territorii sibi subjecti,
eus ratione *metropolitani*,
. Ejus ecclesia *cathedra-*
ex eo, quod in ea sit se-
lis seu *cathedra*.
um obligationes praeter
in die consecrationis ju-
adstringunt, reducuntur
am, orationem, praedica-
ioeceseos visitationem.

I. *Quoad residentiam.*
:et cardinales sint, tenen-
vino(¹) in sua episcopali
ırari, ut colligitur ex *con-*
sess. 6. c. 1. de reform.
eod. loco.
ıtem sunt causae excusan-
ım a perpetua et continua

as christiana, v. g. si ali-
ı in magno haereseos dis-
saretur et opem illi ferre
si ipsius mediatio sit ne-
componendam pacem etc.
ısitas urgens, v. g. si epi-
periclitaretur a morbo, ab
ıentia, a persecutione per-
non vero propter gene-
um v. g. tempore conta-

ientia debita, scilicet cum

Cf. etiam constit. *Apostolicae*
len. XIV.
.en *Ben. XIV., de syn. dioec.*

111. not. 1.

Pontifex episcopum aliquem advocat, ut ei negotii alicujus curam demandet; sic cardinales Romano Pontifici assistentes sufficientem causam habent, ut ab ecclesiis saepius absint.

4° *Bonum evidens Ecclesiae*, ad ejus jura defendenda v. g. in concilio provinciali vel generali. — *S. Lig. n. 125.*

Nota: Permittitur episcopis, ut singulis annis duobus aut tribus mensibus(¹) abesse possint sive continue, sive diversis vicibus ex honesta causa et sine ullo gregis detrimento. Ex *concilio Trid. sess. 23. c. 1. de reform.*

108. — II. *Quoad praedicationem.* Episcopi strictissima tenentur obligatione verbum Dei praedicandi per se vel saltem per alios, si fuerint ipsi legitime impediti. Constat ex scriptura sacra; sic apostolus *2. Tim. 4. 2.: Praedica verbum: insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina etc.* — Constat etiam ex *concilio Trid. sess. 5. c. 2. de reform.*

III. *Quoad orationem.* Episcopi apostolorum instar, in quorum locum successere, debent orationi saepe dare operam et in divinarum rerum contemplatione se exercere, divinumque lumen sibi, clero populoque universo continenter efflagitare.

Frequenter et saltem diebus dominicis ac festis sacrum pro dioecesi universa facere debent et populum ad orationem saepius incitare, orandi modum edocendo, privatas publicasque preces in praecipuis necessitatibus indicendo, supplicationesque decernendo etc. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 7. n. 65. 66.*

109. — IV. *Quoad visitationem episcopalem.* Episcopus, ut totius diocceseos pastor, magnam animarum ejus sollicitudini ac laboribus commissarum curam gerere debet. Quare diligenter diversas suae jurisdictionis ecclesias obire adstringitur, ut oves

(¹) exceptis principalioribus diebus festis — Cf. *Trid. ibidem.*

suas, uti par est, cognoscat, earum necessitates detegat, media illis occurrendi pervestiget. Ad haec omnia jure divino et naturali obligatur, neque ulla consuetudine lex haec abrogari vel imminui potest, ut apertum est ex *concilio Trid. sess. 24. c. 3. de reform.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 7. n. 59. 60.*

Episcopi, qui dissitas immensasque dioeceses administrant, ut in Gallia, non possunt eas quotannis neque altero quoque anno integras perlustrare: excusantur igitur ob impossibilitatem, modo id, quod possunt, faciant, et magnam dioeceseos partem invisant.(1)

In omnibus, quae ad visitationem et morum correctionem pertinent, episcopi jus habent ea ordinandi, moderandi, puniendi, exsequendi juxta canonum sanctiones, quae pro eorum prudentia ad emendationem subditorum et dioeceseos utilitatem necessaria videbuntur. Sic ex *concilio Trid. sess. 24. c. 10. de reform.*(2)

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

110. — Parochus, semel canonice constitutus, ordinaria gaudet jurisdictione(3) in populum sibi demandatum, et sine nova approbatione episcopi jus habet ad omnia munia parochialia obeunda. Nullus ergo clericus, dempto episcopo et ejus vicario generali eorumque delegatis, sacris quibuslibet fungi in ejus ecclesia aut parochia sine ipsius consensu expresso aut rationabiliter praesumpto ulla ratione licite potest. — Parochi, ut episcopi, tenentur praecipue: 1° ad residentiam; — 2° ad orationem; — 3° ad praedicationem; — 4° ad administrationem sacramentorum; — 5° ad correctionem ovium; — 6° ad visitationem aegrotorum et parochiae.

111. — I. *Quoad residentiam.* Parochus jure divino(1) ad residentiam obstringitur, quia, cum administrationem parochiae sibi susceperit, sese jure naturali et divino strictissime obligavit ad animarum saluti consulendum eamque pro virili parte procurandam. — *Concilium Trid. sess. 23. c. 1. de reform.* — *S. Lig. n. 121.*(2)

Debet parochus in domicilio presbyterali commorari vel, si non sit, in propiore domo intra parochiae fines.(3) Potest in domo paterna versari et agere, modo facile adiri possit, neque ipse in residentiae munere obeundo impediatur. Ut vero residentiae muneri satisfiat, non tantum debet esse parochus praesens corpore, sed etiam per se ipse debet parochiae deservire. — *S. Lig. n. 124. 127.*

Nota: Parochi possunt, si veniam ab ordinario obtineant, justa de causa abesse

---

(1) V. de hoc *concilium Trid. l. c.*

(2) Nec datur a decretis in visitatione extra formam judiciariam factis appellatio ad effectum suspensivum, sed tantum ad devolutivum. — Cf. *Trid. l. c.*; *Ben. XIV.* in bulla *Ad militantis.*

Sed de his et aliis episcoporum officiis specialiora proponit jus canonicum; alia facile dignoscentur ex munere omnino sublimi ipsis commisso regendi Ecclesiam Dei. — Idem valet cum proportione de officiis parochorum etc., quae in sequentibus explicantur.

(3) Quoad jurisdictionem stricte dictam v. infra *n. 546. 3°.*

(1) Cf. *Ben. XIV., de syn. dioec. l. 7. c. 1.*

(2) Parochi vero contra hanc legem graviter delinquentes non solum peccati mortalis rei fiunt, sed etiam ipso facto et absque praevia judicis sententia fructus omnes tempori absentiae respondentes vel, si quaedam munia ipsis incumbentia impleant, saltem partem fructuum omissioni onerum residentiae adaequatam fabricae ecclesiae vel pauperibus loci restituere debent, quod verius etiam valet pro casu inutilis residentiae *(S. Lig. n. 127. Dub. 3.)*. Crescente vero eorum contumacia acrioribus adhuc poenis compesci possunt. — Cf. *conc. Trid. sess. 23. c. 1. de ref.* — Late de hisce disserit *S. Lig n. 120. et seq.*

(3) Etiam parochus *regularis* tenetur habitare in domo parochiali, non vero in monasterio distanti a cura, cogique potest ab episcopo, ut apud ecclesiam parochialem resideat. — *S. C. C. 5. Apr. 1621.*

ı per bimestre (¹), modo vicarium per episcopum sibi substituant. (²) linarii necessaria est, etiamsi per lam abesse velint. Attamen per l alterum diem possunt abesse iali licentia ex causa, quae ipsis legitima, modo vicario idoneo n commendent. (³)

uoad orationem. Tenetur pa- ut episcopus, sacrum pro pa- acere festis ac diebus domini- patebit ex dicendis in *tractatu aristia.* Item tenetur orare er pro suis ovibus, ut sibi ac gratias ad salutem necessarias stes benedictiones imploret. (⁴) erea curare maxime debet pa- ut omnes addiscant orare, ut ent suosque doceant orare. Ad ducet maxime, si quandoque,

ra bimestre ex *concilio Trid.* :. *c. 1. de ref.)* abesse nequeunt, gravi causa et cum licentia epi- graves causae autem sunt eae, ensentur sub *n. 107.* Attamen isantur ratione pestis a residentia, piscopi, quibus tamen per se non ur, in locis tutioribus dioeceseos et inde providere. — *Scav.* Cf. *IV., de syn. dioec. l. 13. c. 19.*

parochi viciniores actu exercen- m animarum possint invicem se re?

S. C. C. 8. Febr. 1747.: Nega- id fiat sine licentia ordinarii. brevi absentia serventur consti- dioecesanae vel consuetudines *le-*

clesiae mentem dignoscendam in- etiam sequentes decisiones *S. C. 9. Febr. 1747.:*

parochus villae, in qua non est erdos, etiamsi nullus infirmetur, scopi licentia gratis ubique con- abesse possit a parochia per 2 es, nullo idoneo relicto vicario?

: *Negative.*

saltem abesse possit a mane us- vesperas, et quid, si hôc semel in ada evenerit?

: *Affirmative, dummodo non sit o, et nullus adsit infirmus, et in anno contingat.*

l celebrandas vero publicas preces oritate civili v. g. ob publicam causam forte praescriptas ex *en. XIV. Quemadmodum preces 3. Mart. 1743.)* indiget consensu . — *Scav.*

praesertim festis diebus et dominicis, necnon tempore adventus et quadragesimae matutinas orationes ac serotinas publice agat. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 7. n. 35. et seq.*

112. — III. *Quoad praedicationem.* Parochi tenentur saepius ad populum verba facere, eum salutaribus pabulis alere saltem diebus dominicis singulis et singulis festis majoribus. — Sic *concilium Trid. sess. 5. c. 2. de reform.* (¹)

Graviter ergo peccant parochi, qui per tempus notabile abstinent a praedicatione. Tempus vero notabile a multis habetur, si per integrum continuumque mensem praedicatio deseratur, aut per tres menses non continuos seu in anno divisos. — *Ita S. Lig., de 3. praecept. dec. n. 269.* — Neque obligationi illi satisfaciunt, qui praedicationem audientium captui non satagunt accomodare.

Nomine praedicationis non veniunt sermones arte perfecti atque elaborati, elegantiis referti memoriaeque commendati; hi sermones enim quamquam sint utiles et aliquando necessarii, plerumque tamen parochus hujusmodi sermones habens muneri suo nullo pacto satisfaceret, quia juxta *Trid.* docere debet, quae magis sunt necessaria, et modo utiliore et maximae auditorum parti accomodatiore. At illi non sunt minus reprehendendi, qui nulla usi praeparatione, quidquid in buccam venit, effutiunt sine ordine, claritate, pietate ac zelo. Hi verbum Dei deturpant, et nauseam fastidiumque creant auditoribus. — *Ita omnes.*

Nota: Parochus, qui pias lectiones auditoribus habet, non obit munus suum praedicandi (quia lectio non est praedicatio), nisi quis adeo sit labilis memoriae, ut aliter facere non possit; tunc vero identidem per alium debet populo sermones habere, vel episcopum de impedimento commonefacere. (²)

(¹) Cf. etiam *ib. sess. 24. c. 4. de ref.* et *sess. 22. c. 8. de sacrificio missae.* — *S. Lig., Hom. ap. tr. 7. n. 35. 55.*

(²) Huc pertinet etiam officium grave

113. — IV. *Quoad administrationem sacramentorum.* Parochi tenentur per se ipsi sacramenta ministrare, non modo instante tempore praecepti et gravis necessitatis, sed etiam, quod spectat ad sacramenta, quae possunt iterari, toties quoties oves debite seu non intempestive petunt, nisi sint legitime impediti vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Vide complura alia hac super obligatione in *tractatu de sacram. in genere, n. 213. et seq.*

V. *Quoad correctionem.* Tenetur parochus sub gravi, subditos in peccato mortali vel in proximo peccati mortalis periculo versantes corrigere, etiamsi vitae discrimen adeundum ipsi esset,(1) si tamen spes emendationis affulgere aliqua videatur. Debet etiam, in quantum potest, cum debita prudentia scandala de medio tollere vel praecavere per se aut per alios, directe vel indirecte, mandato, consilio, cohortatione, precibus etc. *Ita communiter,* et *probabilius* quidem ex justitia, non vero ex caritate tantum. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 7. n. 30. et seq.*

Hinc parochi bono spirituali subditorum prospicere maxime et consulere debent juxta illud apostoli *Rom. 12. 8.: Qui praeest in sollicitudine.* — Debent igitur parochianorum mores investigare, delinquentes corrigere, sustinere vacillantes et satagere, ut omnes suas obligationes obeant, semper in memoria tenentes, se pro eorum animabus strictam esse aliquando rationem reddituros.

catechizandi parvulos. — *Conc. Trid. sess. 24. c. 4. de ref.* — *S. Lig., Hom. ap. l. c.*

Surdomutis quoque tenetur parochus meliori, quo potest, modo providere, ut instruantur saltem in iis, quae credenda sunt necessitate medii, in praeceptis decalogi etc., cum in genere parochianos rudes instruere obligetur. — Cf. *Scav.*

(1) et non solum in extrema, sed etiam in gravi eorum necessitate — *S. Lig., de 4. praec. dec. n. 360. 6°.*

114. — VI. *Quoad visitationem aegrotorum et parochiae.* Abusus est valde animarum saluti noxius, si parochus aegrotos non invisat, antequam ab ipsis accersatur. Cum autem aegrotos inviserit parochus eosque sacramentis refecerit, non arbitretur, se munus suum adimplevisse, sed illos saepius visitet consoleturque. Legantur et pia meditatione recolantur monita ritualis romani circa infirmorum curam et visitationem.

Quoad parochianorum visitationem haec habet *concilium Suessionense anni 1849. tit. 15. c. 1.:*

„Quia, ut ipse ait Christus, bonus „pastor cognoscit oves suas et vocat „eas nominatim, ideo parochus cogno„scere debet fideles sibi commissos. „Non ergo negligat hunc morem tam „salutarem singulas paroeciae suae fa„milias certis temporibus visitandi, „hocque munus adimpleat cum gravi„tate simul et modestia, necnon et „singulari caritate. Quamvis enim a „quolibet inutili per paroeciam dis„cursu abstinere debeat, non tamen „officio suo satisfecisse arbitretur, si „domi inclusus exspectet, ut ad ipsum „veniant parochiani. Semper equidem „valuit, sed hisce praesertim tempo„ribus valet hoc praeceptum Domini: *„Ite ad oves, quae perierunt, domus „Israel!“*

ARTICULUS III.
DE OBLIGATIONIBUS CANONICORUM.

115. — Canonici, sic nuncupati ex eo, quod olim communi regulae subjiciebantur, constituunt generale consilium episcopi(1) et variis adstringuntur obligationibus relate ad cultum divinum, ad altare, ad chorum et, vacante sede, ad dioecesis administrationem.

Canonici constituuntur imprimis, ubi habetur sedes episcopalis seu ecclesia cathedralis. — Templa, quae aliquando praeter cathedralem collegium

(1) Hoc intellige de capitulo ecclesiae cathedralis.

habent canonicorum, *collegiata* appellantur.

Canonici sunt alii *regulares*, qui sub praeposito communem vitam votis adstrictam agunt, et hi nunc pauciores inveniuntur; alii vero *saeculares*, qui seorsim vivunt ex beneficiis seu pensionibus ecclesiasticis et institutum canonicum servant quoad varia munia in ecclesia obeunda.

Praecipuae obligationes canonicorum reducuntur: 1° ad residentiam; 2° ad officium chori; 3° ad missam conventualem; 4° ad assistendum episcopo; 5° ad eorum munera sede vacante.

I. Quoad residentiam.

116. — 1° Canonici tenentur ad residentiam. Sic enim statuit *concilium Trid. sess. 24. c. 12. de reform.*: „Non liceat (canonicis) vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses . . quolibet anno abesse, salvis nihilominus ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt; alioquin anno primo privetur unusquisque dimidia parte fructuum etc.“

2° Non omnes canonici simul abesse possunt; abesse scilicet nequeunt ultra tertiam partem capituli, quia vacationes conceduntur quidem canonicis, non vero capitulo; cultus enim divinus, cui addicti sunt canonici, vacare non debet. Nec indigent canonici licentia neque capituli, neque episcopi ad discedendum intra dioecesim: si autem extra dioecesim vadere velint, licentia episcopi ipsis necessaria est. Sic statuit *S. Congreg. Concil.* Neque indigent canonici aliqua speciali ratione, ut abesse possint, ut expresse declaravit eadem *Congreg. Conc. 4. Maji 1737.*

Nota: Tempus vacationis incidere non debet in majores solemnitates paschae, pentecostes, nativitatis Domini etc., neque in earum octavas, neque in tempus adventus vel quadragesimae.

117. — Quaer. 1° *An episcopus possit longiorem absentiam permittere?*

Resp. Si adsit legitima causa, episcopus potest permittere absentiam quatuor mensium, imo et diuturniorem de causa extraordinaria, scilicet propter christianae caritatis officia, infirmam valetudinem, saevientem persecutionem vel ob indubiam Ecclesiae vel reipublicae utilitatem.

Quaer. 2° *An canonici absentes teneantur aliquem substituere?*

Resp. Negative. Ita declaravit *S. Congreg. Conc. Trid.* Ratio est, quia alii canonici praesentes supponuntur sufficere pro assistentia chori cultuque divino peragendo. Hinc potioris sunt conditionis, quam parochi, qui numquam abesse possunt, quin alium idoneum sacerdotem sibi substituant.

II. Quoad officium chori.

118. — Omnes canonici tenentur ad officium divinum in choro canendum vel psallendum. Constat ex *concilio Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* Nec excusantur ex eo, quod forte sint pauci; nam *Congreg. Conc.* definivit *13. Mart. 1696.*, canonicos etsi paucos, puta duos vel tres, officium in choro canere aut recitare teneri. Hinc non sufficit, si canonici intersint tantum choro vel officiis, sed tenentur ad cantum vel recitationem ipsi pro posse concurrere voce elata et pio cordis affectu.(1) Nec satisfaciunt etiam praesentes cum privata recitatione, ut constat ex const. *Bened. XIV. Cum semper, 19. Aug. 1744.* — Peccant igitur graviter canonici, qui notabiliter absunt a choro ultra tempus a *concilio Trid.* permissum, et venialiter, si per breve tempus, v. g. per tres aut quatuor dies. —

(1) „Decet, ut canonici voce non impediti alte canant in choro, coadjuvantes alios, et possunt episcopi illos ad id faciendum *hortari*.“ — Ita *S. C. R. d. 23. Nov. 1602. in Egitan. sub 4°.* Aliud enim est psallere in choro, aliud canere alta voce. Ad hoc posterius non sunt cogendi canonici, licet alii cantent; ad prius vero omnino tenentur. — *Scav.*

Ita communiter cum *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 675.* Sed episcopus justa de causa ab assistentia dispensare potest.(¹)

119. — Quaer. 1° *An episcopus permittere possit, non omnes horas cantari?*

Resp. Negative. Etenim *S. Congr.* nuperrime interrogata a capitulo ecclesiae Molinensis, utrum sustineri possit statutum *DD. Antonii de Pons,* primi hujus sedis episcopi (an. 1822.), quo talis concedebatur licentia canonicis, respondit: *ordinationem praefatam non esse attendendam.* — Episcopo tamen eadem Congregatio licentiam concessit, ut res in veteri statu retineantur, usquedum quaedam circumstantiae immutentur. (Apud *D. de Conny, Des usages et des abus en matière de cérémonies,* ad calcem operis).

Quaer. 2° *An officium defunctorum, B. Mariae V. et psalmi graduales debeant sub peccato recitari in choro?*

Resp. Negative, quia non sunt de praecepto rigoroso, sed de rubrica directiva seu de consilio. — *Ita communiter canonistae.* — *Recole dicta supra de horis can. n. 60. Qu. 12°.*

III. Quoad missam conventualem.

120. — 1° Canonici tenentur sub gravi juxta communem sententiam theologorum et canonistarum missam conventualem quotidie canere. — *S. Lig., de euchar. n. 314. 326.* Constat ex bulla *Bened. XIV. Cum semper etc.,* necnon ex responsione *Leonis XII.,* qui a capitulo Cenomanensi interrogatus eo sensu respondendum esse jussit. — *Bouvier, de quarto decalogi praecepto.*

2° Missa autem conventualis 1° quotidie canenda est; 2° fundatoribus et benefactoribus ecclesiae in genere est applicanda. — Attamen haec obligatio reduci potest a *S. Congreg. Conc.* ad dies festos, si canonici sint adeo pauperes, ut retributionibus missarum indigeant ad vivendum. — Ita expresse quoad haec omnia *Benedictus XIV.* in bulla citata.

IV. Quoad assistentiam episcopi etc.

121. — 1° *Concilium Trid. sess. 24. c. 12. de reform.* sic statuit de canonicis cathedralium: „Omnes compellantur, . . . episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire.“ Consonat caeremoniale episcoporum *(l. 1. c. 15.)* et declarat,

(¹) Nimis vaga haec assertio, prout alia similis sub *n. 117. Q. 1°.* In genere canonici abesse nequeunt a choro, nisi ob causas in jure expressas. — V. de his *Fagn. in 3. l. decr. de praebendis (tit. 5.) c.* Licet (32.), praes. *n. 37. 75. 135.* — *Reiffenstuel, jus can. l. 3. tit. 4. §. 4. et seq. etc.* Videtur vero ex ipso jure competere episcopo potestas, tribus vacationis mensibus a conc. Trid. concessis addendi justa de causa quartum. — Cf. *Fagn. l. c. n. 47.* — *Ferraris ad v.* Canonicatus *art. 5. n. 12.* Nolumus insuper negare, posse occurrere casus, in quibus episcopus juxta principia alias data a choro dispensare potest, v. g. ad breve tempus ex rationabili causa, ut docet *Palaus* (apud *Schmalzgrueber l. 3. tit. 4. n. 98.).* Secus ad S. Sedem recurrendum erit.

Canonici autem, qui sine justa et gravi causa choro non assistunt, amittunt ipso facto distributiones et fructus absentiae respondentes; ad poenas vero pro non residentibus a concilio Trid. (cf. supra *n. 116. 1°.)* constitutas incurrendas sententia judicis requiritur. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 13. n. 51.*

Juste vero absentes a choro propter infirmitatem, rationabilem corporis necessitatem vel evidentem Ecclesiae utilitatem lucrantur et fructus et distributiones; si vero absint ex causa justa quidem, sed diversa a praedictis vel ob ferias trium mensium a concilio Trid. concessas, lucrantur quidem fructus, sed non distributiones. — *S. Lig., de praec. part. n. 129. 130.* — V. etiam *Bouix, de capit. p. 3. c. 2. §. 13. et seq.*

Huc faciunt etiam decisiones sequentes *S. C. C.*: Absens a choro lucratur distributiones, si senio confectus vel caecus, non autem si surdus sit. Canonicus autem, qui per annos 40 laudabiliter chorum frequentavit, potest abstinere a servitio, quin amittat fructus aut distributiones, obtenta prius a S. C. absolutione. Si tamen cultus detrimentum patiatur, adhuc cogi potest ad inserviendum. — Cf. *Scav. tom. 1. app. 2. n. 10.*

omnes canonicos teneri convenire in habitu canonicali ad locum designatum, et episcopum ad ecclesiam progredientem pontificalia exercendi causa et deducere et redeuntem pariter comitari. — Sed hoc intelligendum, quando in solemnioribus festis vel caeremoniis accedit episcopus ad ecclesiam celebraturus vel sacro interfuturus, cappa indutus aut pontificalibus perfuncturus. — Non autem tenentur canonici episcopo privatim celebranti assistere.

2° Canonici etiam componunt consilium generale episcopi. Episcopus enim, nisi adsit contraria consuetudo, postulare debet consilium canonicorum, antequam mandata ferat; sed eorum consensu non indiget, ut ea statuat et urgeat, nisi in casibus a jure determinatis. Sic enim *Benedictus XIV., de syn. dioeces. l. 13. c. 1. n. 9.*: „Necesse utique non est, ut episcopus novas constitutiones in synodo promulgaturus totius cleri sententiam efflagitet; sed satis est, si *sui capituli consilium* exposcat, *etsi illud sequi non teneatur*, nisi in ipsis constitutionibus aliquid decernatur de re, ... ad quam jura majoris partis capitularium exigunt consensum. Quinimo ab ipsa obligatione petendi capituli consilium solutus erit episcopus, qui per legitime praescriptam consuetudinem jus sibi acquisierit novas leges condendi et publicandi, inconsulto capitulo." (1)

V. Quoad munera canonicorum sede vacante.

122. — 1° Capitulum sede vacante succedit episcopo in jurisdictionem ordinariam, non vero in delegatam a Summo Pontifice. Ita ex jure canonico, consentientibus omnibus canonistis.

2° Capitulum tenetur intra octo dies vicarium generalem constituere, aut existentem confirmare. Quod si non fecerit, jus eum constituendi ad metropolitanum devolvitur, et ipsius defectu ad antiquiorem suffraganeum. Sic statuit *conc. Trid. sess. 24. c. 16. de reform.* (1)

3° Tota jurisdictio (2) episcopalis transit in vicarios generales capitulares regulariter electos, quin ejusdem vel minimam partem capitulum penes se retinere possit. Vicarii autem electi a capitulo jam destitui non possunt, nisi ex causa, quae a *S. Congreg. Episcoporum et Regularium* ut sufficiens agnita fuerit. — Nec capitulum conditiones ullas etiam electioni vicarii apponere potest. Hinc potestas vicariorum capitularium est indefinita et perdurat, usque dum episcopus electus et a Papa institutus literas suae institutionis capitulo ecclesiae suae ostenderit et sic possessionem adeptus fuerit.

Nota 1° Vicarii capitulares ea possunt facere, quae requirit praesens dioecesis gubernatio. Non autem omnes episcopi facultates ipsis tribuuntur. Sic specialiter jure canonico prohibentur aliquid innovare, jura episcopalia imminuere, indulgentias tribuere, literas dimissorias ante annum elapsum concedere, titulos inamovibiles conferre etc.

Nota 2° In Gallia mos est, ut plures vicarii capitulares eligantur. Haec autem consuetudo Romae implicite saltem approbata fuit ultimis hisce temporibus, cum omnia concilia provincialia a S. Sede recognita de pluribus vicariis capitularibus mentionem faciant. (3)

---

(1) *Cf. p. 1. n. 85. 3°. not.*

(1) Si autem episcopo ab Apostolica Sede vicarius datus erat, hic etiam illo defuncto officium retinet. — *Card. de Petra, comment. tom. 1. in const. 2. Leonis IX. sect. 5. n. 42.*

(2) *ordinaria* (cf. *1°.*), aliquibus tamen per ipsum jus exceptis (cf. infra *Nota 1°.*) —

(3) „Sede vacante unus tantum vicarius est eligendus. Ceterum non est eo decreto (scil. concilii Tridentini) sublata consuetudo duos aut plures eligendi, praesertim immemorabilis." — Ita *S. C. C. d. 21. Apr. 1592.* Alias vero respondit, consuetudinem duos vicarios nominandi posse tolerari. — V. *Archiv für kath. Kirchenrecht 1863. fasc. 3. p. 444.*

APPENDIX I.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

I. De privilegiis clericorum in communi.

123. — Clerici variis fruuntur privilegiis ex jure can. et ex jure civ. rom., imo juxta plures ex jure divino, scilicet privilegio immunitatis, ne a curia laicali puniantur, et exemptionis a foro laicali, quod spectat ad bona propria tum ecclesiastica, tum patrimonialia. Verum haec privilegia et alia pleraque in Gallia et in compluribus aliis locis non amplius agnoscuntur a potestate civili.

Unum tantummodo privilegium restat apud nos, nempe privilegium illud, quod vocatur *canonis*, ratione cujus excommunicationem subeunt, qui manus in clericos injuste inferunt, *ex concilio Later. II.*, in quo dicitur: *Si quis suadente diabolo . . . in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.*

Hoc privilegio fruuntur: 1° religiosi omnes cum tironibus; — 2° clerici omnes vel simplici tonsura donati; — 3° imo complectitur moniales omnes et omnes religiosas sub regula in communitate degentes, necnon tertiarios utriusque sexus Franciscanae et Dominicanae familiae habitum gestantes et in communitate viventes.(1) — *S. Lig., de leg. in append. de privilegiis c. 2.; Hom. ap. tr. 20. c. 2.*

II. De privilegiis episcoporum.

124. — Privilegia episcoporum respiciunt: 1° censuras et irregularitates; — 2° impedimenta matrimonii; — 3° vota et juramenta; — 4° alios casus speciales, ut videre est apud *S. Lig., de leg. in append. de privilegiis c. 3.; Hom. apost. tract. 20. c. 3.*(2)

I. *Circa censuras et irregularitates:*

1° Absolvere subditos possunt a quibuscumque casibus papalibus occultis, demptis casibus bullae *Coenae.*

2° Possunt dispensare ab omnibus irregularitatibus et absolvere ab omnibus suspensionibus ob delictum occultum, dempta irregularitate ex homicidio voluntario.

3° In irregularitatibus etiam dubiis ex defectu. *(Probabiliter.)*

4° In irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad ordines minores et beneficia simplicia. — *Trid. sess. 24. c. 6. de ref.* — *Vide S. Lig., de leg. in append. de priv. n. 49. et seq.*

125. — II. *Circa impedimenta matrimonii* episcopi dispensare possunt:

1° In impedimentis *impedientibus*, exceptis voto castitatis perpetuae, voto ingrediendi religionem, sponsalibus et impedimento disparitatis cultus inter catholicos et haereticos.

2° In impedimentis *supervenientibus* contracto matrimonio in ordine ad debitum petendum, v. g. si affinitatem contraxerint ex eo, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit(1); vel si unus castitatem voverit. Imo episcopus etiam dispensare potest conjugem a voto perpetuae castitatis, quod ille ante matrimonium emisit, ut jura matrimonialia exercere queat.(2)

3° In impedimentis *dirimentibus dubiis.* — *S. Lig., de leg. in append. de priv. n. 55.*, ubi dicit, esse sententiam communissimam.

4° *Per accidens* in impedimentis *dirimentibus certis* tum ante, tum post contractum matrimonium, quando

---

(1) V. infra *n. 972. 4°.*

(2) Omnino conferri debent, quae de hisce suo loco disseruntur.

(1) Etiam per facultates triennales episcopis tribui solet potestas „dispensandi cum incestuoso sive incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea sive consanguineo sive in 1°, sive in 1° et 2°, sive in 2° gradu suae uxoris seu respective mariti etc.“ — Cf. *Ben. XIV., Inst. 87. §. Haec potissimum (22.)*

(2) V. etiam *p. 1. n. 333. Q. 4°.*

recursus ad Papam est valde difficilis, vel quando adest periculum in mora seu ubi instat periculum scandali, infamiae, incontinentiae etc. — *S. Lig. ibid. n. 56. et seq.*

5° In *bannorum* publicationibus. — *S. Lig. ibid.* — *Vide dicenda in tract. de matrimonio.*

III. *Circa vota et juramenta* episcopi dispensare possunt:

1° In omnibus votis simplicibus, exceptis quinque Papae reservatis, nempe castitatis perpetuae, religionis et peregrinationum Hierosolymas, ad limina apostolorum et ad S. Jacobum in Compostella. *(p. 1. n. 333. Q. 3°.)*

2° In omnibus juramentis, si juramenta excipias a tertio acceptata, quae metu aut fraude non fuerunt extorta. — *S. Lig. passim.*

126. — IV. *Circa casus alios particulares* episcopi dispensare possunt:

1° In rebus omnibus levioris momenti tum ex consuetudine, tum quia recursus ad Papam esset nimis incommodus.

2° In omnibus, quae communiter eveniunt, v. g. in jejunio, in abstinentia, in officio divino pro casibus particularibus vel ad breve tempus etc.

3° In omnibus statutis, ubi est clausula: *donec dispensetur.* Utrum vero possit episcopus dispensare in statutis canonicis non expresse reservatis, negativam sententiam omnino tenendam censuit *S. Lig., de leg. n. 191.*

4° Ad faciendum sacrum a meridie.(1)

5° Possunt sibi eligere confessarium extra dioecesim, quem valent secum educere in diversa loca; at si non est ipsis subditus, debet ab ordinario suo esse approbatus. (Idem possunt cardinales, sed Romae tantum, etsi illum, quem elegerint, extra Romam secum possint educere.) — *S. Lig., de leg. in append. de priv. n. 65.*

(1) Facultates quinquennales episcopis potestatem quoque „celebrandi per unam horam ante auroram et aliam post meridiem" et communicandi hanc facultatem sacerdotibus idoneis largiuntur.

6° Possunt ab interstitiis dispensare ad ordinationem. — *S. Lig., de ordine n. 795.*

7° Possunt absolvere a nonnullis casibus papalibus, quinque numero, qui Clementini vocantur a *Clemente VIII.*, auctore reservationis, nempe: 1° a levi percussione clerici; — 2° ab abortu foetus animati; — 3° a communicatione in eodem crimine *criminoso* cum excommunicatis ab episcopo (crimen vero criminosum illud est, quod sub censurae comminatione vetitum est); — 4° a culpa convalescentis censurati, in mortis periculo indirecte absoluti(1), qui non se superiori sistit; — 5° a culpa fratrum minorum, qui tertiarios ad officia divina admittunt. — *Vide S. Lig., de censuris n. 213.*(2)

APPENDIX II.

DE BENEFICIIS CLERICORUM.

Materia de beneficiis, etsi fuerit a plerisque theologis fuse tractata, tamen innumeris implicatisque difficultatibus referta est, quae omnino in Gallia evanuerunt, ex quo tempore mediante concordato inter *Pium VII.* et gallicum gubernium de medio fuere sublata beneficia et cum pensione quotannis a gubernio persolvenda commutata.

Breviter nobis dicendum est de beneficiis in genere tantum spectatis, scilicet: 1° de beneficiorum natura; 2° de acquisitione et 3° de amissione eorumdem.

(1) a censura episcopo reservata —

(2) et *de leg. in app. de priv. n. 46.* Enumerat auctor sub 7°. aliqua delicta, quae excommunicatione puniuntur, a qua absolvendi potestas per jus episcopis reservatur. — V. etiam *Thesaurus, de poenis eccles. p. 2. sub* Absolutio *c. 3.* — Casum sub *5°.* autem sic intellige: religiosi minores S. Francisci, qui tempore interdicti generalis localis, quod ab ecclesia cathedrali etc. observatur, suos tertiarios in suis ecclesiis ad divina officia admittunt, excommunicationem incurrunt Papae reservatam, a qua tamen episcopus absolvere valet, si satisfactio praestita fuerit. — *Thesaurus ib.* Censura *c. 14. III.*

I. De natura beneficiorum.

127. — Beneficium est jus perpetuum fructus percipiendi ex bonis Ecclesiae propter officium aliquod spirituale, Ecclesiae auctoritate constitutum.

Beneficium aliud est simplex, aliud duplex.

1° Beneficium simplex est illud, quod nullam obligationem habet adnexam, nisi obeundi officia divina, ut canonicatus, capellaniae etc.

2° Beneficium duplex illud est, quod adnexam habet jurisdictionem, administrationem et curam animarum, ut episcopatus, munus parochiale etc. Duplex dicitur propterea, quod duplici oneri subjaceat, cum praeter recitationem precum omnibus communem aliquam administrationem habeat atque eminentiam.

Nota: Pensio, quae episcopis a gubernio in Gallia solvitur, et canonicis et parochis, cum fuerit in beneficiorum locum suffecta, eorum locum obtinet, ac propterea ut bonum ecclesiasticum spectanda est, ut patet ex variis S. Poenitentiariae responsis. *(p. 1. n. 563.)*

II. De acquisitione beneficiorum.

128. — Triplex est acquirendi beneficii via: 1° per *electionem*, qua clericus a toto capitulo eligitur et a superiore confirmatur; 2° per *praesentationem*, qua quis a patrono offertur superiori, a quo instituitur, si idoneus reperiatur; 3° per *collationem*, cum libere beneficium solo jure praelati datur, nec juri patronatus subest. — *S. Lig., de praec. part. n. 85.*(1)

In qualibet dioecesi episcopus est proprius beneficiorum collator, nisi ex legitima praescriptione tale jus alteri competat(2). Papa vero est supremus et universalis collator omnium beneficiorum non patronatorum. — *S. Lig. ib. n. 86.*

Jus patronatus duplex est: 1° *ecclesiasticum*, si ex aliquo Ecclesiae titulo ortum sit(1); 2° *laicum*, si ab aliquo laico per fundationem ecclesiae fuerit acquisitum. Patronum constituunt *os, aedificatio, fundus*, scilicet: patrocinium, aedificatio ecclesiae et donatio fundi. — *S. Lig. ib. n. 87.*

Quaesita:

129. — Quaer. 1° *Quaenam qualitates requirantur ad beneficium possidendum?*

Resp. Requiritur 1° ut persona idonea sit et habilis, i. e. ut sit clericus non illegitimus, bene moratus etc.; 2° ut satis scientiae peritiaeque habeat ad munus beneficio adnexum recte obeundum. — *S. Lig. ib. n. 112.*

130. — Quaer. 2° *An sit obligatio digniores ad beneficium eligendi?*

Resp. 1° *Affirmative*, et quidem *sub gravi per se* quoad beneficia curata seu duplicia(2), quia id Ecclesiae bonum postulat. At, ut peccatum grave sit, requiritur, ut eligens existimet, electum esse evidenter et multo minus dignum omnibus rei adjunctis recte spectatis. Major autem dignitas non est absolute accipienda, sed relative ad utilitatem Ecclesiae et fidelium.

131. — *Resp.* 2° *Affirmative* etiam *probabilius* et *communius* quoad beneficia simplicia, quia id etiam emolumentum Ecclesiae et justitia distributiva postulant, nisi raro minus dignus eligatur et de beneficiis agatur minoris momenti etc. — *S. Lig. ib. n. 91. et seq.*(3)

---

(1) Provisionem vero per aliquem ex dictis modis factam sequitur *institutio canonica*, demum *possessio* sive institutio corporalis, a qua jura et onera beneficiati maxime incipiunt.

(2) vel ex ipsa lege communi; sic canonici ecclesiae cathedralis sunt collatores ordinarii canonicatuum hujus ecclesiae simul cum episcopo. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1817.*

(1) et proinde a persona ecclesiastica tamquam ecclesiastica exerceatur —

(2) quod valet etiam de beneficiis majoribus, scil. cardinalatu et episcopatu — *S. Lig. l. c.* — Cf. etiam *prop. 47. Innoc. XI.*

(3) Attamen electio minus digni *probabilius* in omni casu est valida, nec onus

132. — Quaer. 3° *An liceat alicui plura possidere beneficia?*

Resp. Negative generatim, nisi fuerint simplicia et ad residentiam non obligent.(1) Quinimo, non possunt simul plura beneficia haberi etiam ex dispensatione Pontificis, si non adsit cohonestans causa, quia id contra jus naturale est, cum unum sufficiat ad honestam sustentationem, et varia munera ab uno eodemque recte nequeant obiri. — *S. Lig., de praec. part. n. 117.*

133. — Quaer. 4° *Quaenam causae pluralitatem beneficiorum cohonestent?*

Resp. Sunt hae communi doctorum judicio: 1° necessitas Ecclesiae, scilicet si desint alii ministri idonei; 2° utilitas Ecclesiae, nempe si unus solus, licet absens, censeatur magis esse profuturus sua auctoritate, doctrina prudentiaque, quam per se alius; 3° praerogativa meritorum, scilicet si quis doctrina, consilio, scriptione inter omnes praestaret etc. — *S. Lig. ib. n. 118.*

III. De amissione beneficiorum

134. — Beneficia possunt quatuor modis amitti: 1° per mortem beneficiati, quia personae tantum conceduntur; 2° per dispositionem juris ipso facto, propter enormia quaedam crimina(1); 3° per sententiam judicis propter crimina non tam enormia; 4° per dimissionem spontaneam seu resignationem.

Resignatio vero duplex est: 1° *tacita*, v. g. si quis religionem ingrediatur; 2° *expressa*, si fiat coram superiore acceptante. Haec vero est vel simplex, vel conditionata seu in favorem alterius, prout fit simpliciter sine conditione, vel conditione aliqua apposita, nempe ut certae personae designatae conferatur etc. — *S. Lig. ib. n. 133. 134.*

135. — Quaer. *Quaenam sint conditiones, ut valeat resignatio vel permutatio beneficii?*

Resp. Requiruntur subjectae conditiones: 1° ut libere fiat; 2° ut fiat coram episcopo vel Papa;(2) 3° ut acceptetur a praelato, in cujus manibus fit, et ab illo, cui confertur; 4° ut adsit consensus patroni vel electorum, prout beneficium est patronatum vel electivum. — *Vide S. Lig. ib. n. 135.*(3)

---

restitutionis per se inducit. — *S. Lig. ib. n. 102. et seq.*

Si vero, qui resignat alicui beneficio in favorem alterius, minus dignum eligit, tota ratio culpae desumenda est ex ratione damni, quod sic ecclesiae obveniret. — *S. Lig. n. 98. 99.*

Si autem indignus ad beneficium eligitur, electio nulla est ipso facto, quando haec indignitas respicit carentiam earum qualitatum, quae stricto jure requiruntur ad validam beneficii consecutionem, v. g. aetatem, caelibatum etc.; non quidem ipso facto irrita est electio pro foro saltem externo (cum hoc, saltem circa beneficia incurata, jus non statuat), irritanda tamen ex praecepto *concilii Trid. (sess. 7. c. 3. de ref.)*, si ista indignitas solam ineptitudinem respicit ad officia praestanda ipsi beneficio inhaerentia. Patet vero, mortaliter peccare tum eum, qui se indignum promoveri, tum illum, qui talem scienter promoveri curat, et insuper restitutio ecclesiae fieri debet pro damno inde exorto. — *Scav., tom. 3. tract. 11. app. de benef. ecclesiast. c. 3. Q. 2.* — *S. Lig. n. 107.*

(1) Accuratius *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Beneficium *art. 6.*, praes. sub *n. 4. 6. 51—76.*

(1) quae tamen regulariter ad plenum effectum sortiendum requirit sententiam judicis criminis declaratoriam. — Cf. *p. 1. n. 133. not.*

(2) Legitimus superior quoad minora non exempta beneficia dioecesis et in resignatione pura est episcopus, etiamsi beneficia sint reservata, quo in casu resignationem ipse recipit et collationem a reservante exspectat; quoad majora deinde ac exempta beneficia et in resignatione conditionata regulariter est solus Pontifex. — *Ferrari, Summa instit. can. l. 2. tit. 23.*

(3) Adsunt et aliae conditiones necessariae ad valorem resignationis, de quibus cf. canonistas.

Ut vero licita sit resignatio, requiritur etiam justa et proportionata causa, praesertim in beneficiis curatis, ne beneficiatus mercenariorum modo stationem sibi creditam vilipendere videatur; minor vero

Nota: Ad beneficium refertur pensio ecclesiastica, quae est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. Pensio vero triplex est: 1° *laica*, quae datur laicis ob obsequium temporale in Ecclesiam; 2° *ecclesiastica*, quae datur clericis propter ministerium spirituale; 3° *mixta*, quae datur clerico tantum propter honestam sustentationem.

Requiritur autem ad pensionis validitatem: 1° ut sit dispensatio Papae(¹); 2° ut detur justa de causa; 3° ut ordinarie non excedat tertiam beneficii partem.

PARS III.

DE STATU RELIGIOSO.

136. — Praeter viam mandatorum, per quam omnes homines ad Deum consequendum tendere debent, datur via consiliorum seu perfectionis specialis, quae est mere consilii et paucis tantum proponitur a Deo ipso selectis, qui mundo valedicentes vitam communem in monasteriis ducunt.

Duplicem hanc viam Christus ipse nos docet in variis sancti evangelii locis; v. g. *Matth. 19. 17.* dicit adolescenti de via salutis inquirenti: *Si . . vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et *v. 21.: Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me.*

Adest etiam tertia quaedam via media inter utramque praecedentem, nempe via castitatis seu caelibatus in saeculo ipso servandi.

Hinc classis triplex hominum ratione mediorum ad Deum consequendum propositorum statuitur seu triplex vitae status datur, scilicet: 1° status matrimonii; 2° caelibatus; 3° vitae religiosae. Hinc etiam triplex gradus perfectionis: caelibatus enim, ut declaravit *S. Paulus* et definivit *concilium Trident.*, perfectior est matrimoniali statu; vita autem religiosa est omnium, ut patet, perfectissima. Status sacerdotalis, licet dignitate omnium praestantissimus sit, ratione tamen perfectionis vitae religiosae longe cedit.(¹) Quemadmodum autem *mirabilis est Deus in sanctis suis*, ita etiam in variis modis, quibus eos ad sanctitatem promovet.

Agendum: 1° de natura status religiosi; 2° de vocatione religiosa; 3° de obligationibus religiosorum vi votorum; 4° de privilegiis regularium: quibus accedet appendix de conditione religiosorum in Gallia.

CAPUT I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

137. — Status religiosus est stabile vitae institutum ab Ecclesia approbatum pro fidelibus, qui certa sub regula in communi vivendi modo tendere volunt ad perfectionem per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiae.

Dixi 1° *stabile vitae institutum*, quia religiosus per tria vota religionis se in perpetuum Deo devovet.

Dixi 2° *ab Ecclesia approbatum;* status enim religiosus, cum sit sacra quaedam communitas, a potestate spirituali institui debet. Olim quidem haec approbatio a propriis episcopis pro dioecesi sua concedebatur; sed statutum est postea in *concilio Later.* sub *Innocentio III. c.* Ne nimia (9.) *de statu monach. (III. 36.)*, ne nova religio inducatur, nisi a Summo Pontifice approbata fuerit. — *S. Lig., de praec. part. n. 1.*

Dixi 3° *qui . . . tendere volunt ad perfectionem.* Religiosus enim *vi suae professionis* tenetur *sub gravi* ad progrediendum, saltem aliquo modo, in via perfectionis, quia vi suae professionis tenetur velle servare suum

---

sufficit ad permutationem beneficiorum, quae ceteroquin eumdem auctorem requirit, ac translatio, idcoque quoad beneficia reservata episcopo non competit. — Cf. *Ferrari loco citato.*

(¹) Possunt tamen episcopi eam constituere, si agatur de vicario deputando illiteratis et imperitis parochiarum rectoribus. — *Conc. Trid. sess. 21. c. 6. de ref.* — Cf. etiam *S. Lig., Hom. ap. tr. 13. n. 59.*

(¹) Cf. *S. Thom. 2. 2. q. 184.*, praesertim *art. 6.* et *8.*

statum, qui est status perfectionis. — Non tenetur autem religiosus vi suae professionis esse perfectus, sed solum perfectioni studere. — *Ita omnes.*

Resolves:

138. — 1° Ad essentiam religionis non requiruntur vota *solemnia*, sed sufficiunt vota *simplicia*. Omnes enim conditiones ad essentiam hanc habentur cum votis simplicibus, siquidem per ea homo potest se perpetuo mancipare Deo in ordine ab Ecclesia approbato. Constat insuper ex bulla *Greg. XIII. Ascendente Domino*, in qua declaravit Pontifex, esse veros religiosos in Soc. Jesu etiam illos, qui sola vota simplicia emittunt.

2° Sunt religiosi illi, qui in religione approbata secundum certam regulam tria vota essentialia emittunt. Contra autem non sunt religiosi *proprie dicti* ii, qui licet tria haec vota emittant et in communi vitam ducant, regulam tamen a Sede Apostolica approbatam non profitentur. Hinc variae congregationes virorum aut piarum foeminarum ab episcopo tantum approbatae ordines stricte religiosos non constituunt. Attamen illi, qui in hujusmodi congregationibus vota simplicia emittunt et sub communi regula atque superioris rigorosa dependentia vivunt, eodem merito coram Deo, ac religiosi proprie dicti gaudere possunt, siquidem eamdem sui abnegationem Domino faciunt. (1)

3° Religiosi non sunt ii, qui edito voto perpetuae paupertatis et castitatis obedientiam confessario aut episcopo vovent. Ratio est, quia tali voto non subjiciuntur jurisdictioni spirituali, quae a Deo, mediante ejus vicario, provenire debet.

Nota: Ex decreto *Pii IX.* religiosi ordinum (virorum), in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum perfecto novitiatu vota *simplicia* tantum emittent saltem ad triennium; subinde ad *solemnia* vota admittentur, si a superioribus suis digni reperiantur. Justis autem de causis professio solemnis diutius poterit differri (1).

---

(1) Quamvis hodie ex tolerantia Ecclesiae conservatoria cum communi vita, votis simplicibus et habitu proprio ab episcopo saepius erigantur, imo etiam sine erectione per episcopalem auctoritatem similia conservatoria exsistant (quae tamen in spiritualibus episcopo subduntur et *laicalia* vocantur), attamen religiosa instituta in sensu juris canonici dici nequeunt, cum haecce ex dispositione legum ecclesiasticarum, expostulante bono Ecclesiae, approbatione Sedis Apostolicae *essentialiter* indigeant. Talia conservatoria, auctoritate solummodo episcopi erecta, omnino ab episcopo pendent et ab eo etiam supprimi possunt, cum exsistentia canonica, si stricte loquamur, destituantur.

Si vero quaeratur, *an vota simplicia in ejusmodi conservatorio tolerato emissa valida sint*, distinguendum esse censemus. Si emittantur cum intentione, se obligandi dicto pio sodalitio *tamquam ordini vel congregationi religiosae proprie dictae*, vota nulla sunt, cum intercedat error essentialis.

Si vero vovens hanc intentionem non habeat, sed v. g. in genere alicui pio instituto vel huic determinato nomen dare, vel independenter a sodalitio et a regula vota simplicia tamquam mere personalia emittere velit, vota ut talia saltem in foro conscientiae habenda et interpretanda erunt. — Cf. *Anal. J. P. ser. 4. col. 1888. et seq.; ser. 5. col. 52. et seq.*

Notamus, ex hodierna praxi Sedem Apostolicam nova instituta religiosa non approbare tamquam ordines proprie dictos *cum professione votorum solemnium*, sed solummodo tamquam congregationes religiosas (sive strictius ad modum loquendi S. Sedis: tamquam congregationes saeculares) *cum votis simplicibus*, quibus proinde privilegia votis solemnibus concessa non jam per se competunt. — Cf. *Anal. J. P. ser. 2. col. 2311.; ser. 4. col. 2083. 2156.* — V. etiam *Archiv für kath. Kirchenrecht 1864. fasc. 5. p. 205. et seq. etc.*

(1) non tamen ultra aetatem annorum 25 expletorum. — Cf. *Anal. J. P. ser. 2. col. 2954.*

Addimus ex declarationibus *S. Congr. Regul.* datis *die 25. Febr. 1859 etc.*, praefatum decretum attingentibus: Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua sunt ex parte voventis eorumque dispensatio S. Pontifici reservatur; attamen vota praedicta etiam ex parte ordinis per dimissionem professorum solvi possunt, ita ut data dimissione professi ab omni dictorum voto-

— Constat ex epistola encyclica *S. Cong. Reg.* ad superiores ordinum religiosorum, *die 19. Mart. 1857.* — *Vide fol. l'Univers, 25. April. 1857.*

---

rum vinculo eo ipso liberi fiant. Licet autem haec dimissio processum aut judicii formam non praerequirat, tamen superiores summa caritate et ex justis solummodo causis procedere debent; nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium exortae dimitti poterit. — Professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato ordine legitime fruuntur; dominium radicale suorum bonorum retinere possunt, non vero administrationem et redituum erogationem atque usum; anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur, et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, quatenus et prout habent solemniter professi etc. — Cf. *Anal. J. P. ser. 4. col. 1891.*

Eadem S. Congregatio quoad aliqua dubia huc spectantia, ab archiepiscopo Mexicano proposita, nempe:

I. Possuntne novitii post emissa simplicia vota ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante constitutione *Romanus S. Pii V., die 12. Nov. 1568.* in lucem edita?

II. Possunt provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium ad hoc, ut his ordines conferantur?

III. Qui forte habitum religionis induerunt majores jam 25 annorum aut huic proximi aetati, possunt expleto jam novitiatus anno ad vota solemnia et professionem admitti, an etiam cum similibus exspectandum est ulterioris probationis triennium?

IV. Si novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur, quid cum eis agere debet ordinarius, si aut ad sacros ordines, aut ad matrimonium forsitan adspirent?

respondit ex audientia SS. *20. Jan. 1860:*

Ad I. *Negative quoad ordines sacros.*

Ad II. *Affirmative quoad primam tonsuram et ordines minores, quatenus provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.*

Quaesita:

139. — Quaer. 1° *Quaenam requirantur ad valorem professionis?*

Resp. Requiruntur sequentes conditiones:

1° Aptitudo voventis, scilicet ut decimum sextum annum aetatis suae integre expleverit; ut annum integrum novitiatus cum religioso habitu transegerit; ut nullum habeat impedimentum, quod ex statutis a S. Pontifice confirmatis substantiale esse consetur.

2° Consensus et acceptatio expressa vel tacita praelati ordinis vel capituli, ubi requiritur. — Error autem circa substantiam tam ex parte profitentis, quam admittentis, professionem irritam facit.

3° Libertas voventis, i. e. ut professio sponte fiat, secluso gravi metu vel etiam metu reverentiali conjuncto cum precibus importunis saepius repetitis, blanditiis, imperio aut gravi offensione vel indignatione diu continuata consanguineorum. — *S. Lig., de praec. part. n. 5. et seq.; de matr. n. 1047. et seq.* (1)

140. — Quaer. 2° *Ad quid te-*

Ad III. *Negative ad 1am partem, affirmative ad 2am.*

Ad IV. *Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab ordine sive per apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis, prout cum ceteris suis dioecesanis se gerere debet.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 2157.*

Si vero quis post matrimonium ratum, non consummatum ordinem ingressus fuerit, ideoque conjux in saeculo remanens exspectare deberet quoad celebrationem aliarum nuptiarum, donec ille solemniter professus sit, recurri poterit ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia. — V. *Archiv für kath. Kirchenrecht 1863. fasc. 3. p. 437. et seq.*, ubi decisiones Sanctae Sedis hac de re collecta invenies.

(1) Debet autem professus reclamare de nullitate suae professionis intra quinquennium, quo elapso non auditur, nisi ab Apostolica Sede restituatur. — *Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de regular.* — *S. Lig., de praec. part. n. 8.*

tur episcopus quoad puellas re-onem ingressuras?

Resp. Tenetur *sub gravi* ex statuto *cilii Trid.* explorare per se vel, impedito, per vicarium aut de-itum voluntatem illarum puellarum ante susceptionem habitus, tum professionem. Non tamen gravis itaretur omissio unius e duobus minibus. — Non autem invalida t professio, si examen utrumque tteretur, modo puellae in profes-e emittenda liberae fuerint. — uiritur hujusmodi examen, etiamsi asterium, in quod puella ingres-est, exemptum esset a jurisdi-ne episcopali, quia tunc episcopus a Sancta Sede ad id delegatus. *S. Lig. n. 5.*

Quaer. 3° *An integritas anni no-atus requiratur ad validitatem?*

Resp. Affirmative, ita ut anno bis-ili sit exspectandus lapsus diei, qui endus est. Sic expresse declaravit *ra Congr. Conc. Tridentini.* Tem-autem novitiatus incipit a mo-ito susceptionis habitus.

41. — Quaer. 4° *An interru-novitiatus validitati professio-officiat?*

Resp. Affirmative. Constat ex de-o *S. Congr. Conc.*, quae statuit, itium, qui e monasterio abierat, aliam religionem ingrederetur, et bus tantum horis in alio conventu sactis facti poenitens redierat, no-probationis annum incipere teneri.

Quaer. 5° *Quandonam annus pro-onis interrumpi censeatur?*

Resp. 1° Censetur interrumpi prae-e: 1° Quoties novitius egreditur onasterio sine licentia cum animo revertendi, etiamsi statim rever-r, ut ex modo dictis constat. — Quoties dimittitur absolute a supe-ibus et deinde iterum admittitur. 3° Si discedat privata auctoritate, agrediatur aliam domum vel aliam rinciam etiam ejusdem ordinis.

Resp. 2° Non censetur autem in-umpi novitiatus: 1° Si novitius aegrotet in domo, etiam notabili tempore, licet exercitiis novitiorum adesse minime possit. — 2° Si violentia coactus e domo discedat et postea redeat. — 3° Si, accepta licentia, brevi tempore divertat ad parentes vel alios sanitatis recuperandae aut negotiorum agendorum gratia. — 4° Si falsa accusatione dimittatur et postea, cognita veritate, rursum admittatur. — 5° Si iter agat jussus a suis superioribus, quia tunc sub eorum dependentia remanet. — Sunt plures alii casus dubii, qui apud auctores perpenduntur.

142. — Quaer. 6° *Quibus mediis teneatur religiosus tendere ad perfectionem?*

Resp. 1° Tenetur tendere *primario* per media *essentialia* status religiosi, nempe per observationem trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae. Haec enim si plerumque saltem non observet, religiosus tantum *nomine et habitu*, non autem *re* nuncupari potest.

Resp. 2° Tenetur etiam tendere *secundario* per media *accidentalia*, scilicet per proprias ordinis regulas, saltem ea auxilia non contemnendo. Tunc autem censetur religiosus regulas praetermittere ex contemptu, quando eas transgreditur animo non subjacendi illis vel praelatis suis, vel si eas ut inanes habeat. — *S. Lig. n. 9. 10.* — *Layman* — *Busemb.* — *Sanchez* — *Lessius etc.*

143. — Quaer. 7° *Quandonam religiosus graviter peccet contra praeceptum tendendi ad perfectionem?*

Resp. In hoc graviter delinquit: 1° Si vota saepe saepius infringat in *re gravi*, ut patet, quia praetermittit media ad hanc obligationem servandam essentialia et consequenter omnino necessaria. — *Ita omnes.* — 2° Si regulas ex contemptu generatim praetermittat, ut modo dictum est. Secus vero, si eas omittat ex concupiscentia ductus, vel quia putat, eas non esse sibi necessarias ad salutem, vel si judicet, eas non praecipi sub gravi.

Ideo transgredi regulas in rebus parvae materiae, etiam ex consuetudine, praeciso contemptu veniale non excedit. — *Ita expresse S. Lig. n. 10.* cum *S. Thoma, Salmant.* et *aliis communiter.*

Non desunt tamen theologi, qui contendunt, peccare graviter contra obligationem tendendi ad perfectionem religiosum, qui frequenter aut saltem plerumque regulas infringit, etiam secluso contemptu, quia sunt media efficacia, licet secundaria, ad religiosum in via perfectionis dirigendum. Sed prior sententia, quae communis est, verior apparet, modo omissio regularum in gravem et frequentem votorum violationem non inducat.

144. — Quaer. 8° *An peccet graviter religiosus, qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi et de ceteris nullatenus curare?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis:*

Iª Sententia absolute *affirmat,* quia ipsum propositum non curandi de regulis etiam non praecipientibus sub peccato, saltem gravi, est virtualis earumdem contemptus. — *Lacroix*(¹) *l. 4. n. 57.* — *Elbel* — *Sylvius etc.*

IIª Sententia *negat.* Ratio est, quia eo ipso, quod religiosus velit adimplere plura, quae respectu sui obligant sub gravi, jam tendit ad perfectionem, cum velit adimplere plura, quae respectu aliorum non obligant, sed sunt meri consilii. — *Ita Sanchez* — *Salmant. etc.*, et hanc sententiam vocat *communiorem* et *probabiliorem S. Lig. n. 11.*

Ceterum recte advertit *S. Lig. ib.*, religiosum ita dispositum difficillime excusari a peccato mortali ex aliis capitibus, v. g. ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum inferendi religioni quoad disciplinam etc.

145. — Quaer. 9° *An et quatenus obliget sub peccato regula distributive sumpta seu attentis singulis regulis in particulari?*

Resp. In plerisque ordinibus regula *generatim loquendo* et *per se* non obligat sub peccato, ne veniali quidem. Constat ex ipsis constitutionibus variorum ordinum et ex communi interpretatione theologorum. — Excipiendi sunt soli ordines, in quibus constitutiones oppositum expresse statuunt(¹).

Dixi 1° *generatim loquendo;* quia ea omnia, quae cadunt sub votis aut praeceptis expressis superiorum, non carent culpa, et quidem gravi pro gravitate materiae, ut infra de singulis votis dicemus.

Dixi 2° *per se;* quia theologi conveniunt, transgressionem regulae per accidens seu ob rationes extrinsecas rarissime omni culpa vacare. Dicit *S. Lig. n. 10.*, talem transgressionem vix umquam a veniali excusandam esse, quia fere semper aderit aliqua culpa ratione negligentiae, concupiscentiae, scandali, contemptus, pigritiae aut alterius cujuslibet motus inordinati. — *Ita* etiam *Layman* — *Suarez* — *Busemb.* — *Sanchez etc.*

146. — Quaer. 10° *An peccet graviter praelatus leves defectus subditorum corrigere negligens?*

Resp. Affirmative, si defectus plures sint et tales, ut disciplinam valeant relaxare. Ideo tenetur praelatus defectus subditorum in damnum totius communitatis vergentes non solum corrigere, sed etiam inquirere, ut corrigat, seclusa tamen nimia sollicitudine. Expedit autem aliquando, ut dissimulet, si defectus scandalum non afferant vel si praevideat, subditum ex correctione pejorem fieri, vel si tempus opportunius sit exspectandum. Sic enim ad majus bonum obtinendum aut ma-

(¹) potius *Busembaum* —

(¹) quo in casu graviter vel leviter obligat pro ratione materiae et verborum, dum in priori casu solummodo obligatio exsistit parendi superiori poenam pro transgressione statuenti. — Cf. *Scav., de leg. c. 5. art. 1. Q. 2.* — *S. Lig., de praec. part. n. 41. 42.*

lum removendum suadet prudentia. — *S. Lig. n. 13.* et *alii communiter.*

Quaer. 11° *An et quaenam obligatio recitandi officium divinum oriatur ex professione religiosa?*

Resp. 1° Nulla est obligatio *vi professionis religiosae ipsius*, cum varii sint ordines religiosi, quorum professi nullatenus ad horas obligantur, nisi in sacris sint constituti.

Resp. 2° Datur obligatio *sub gravi* recitandi officium divinum statim a facta professione in omnibus ordinibus ad chorum destinatis, ita ut impediti a choro privatim horis canonicis satisfacere debeant, sive clerici, sive laici, sive viri, sive foeminae, exceptis tamen *conversis*(¹). — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 141.* contra *paucos.*

Nota 1° Adstringuntur huic obligationi soli ordines religiosi proprie dicti, non vero congregationes, quae ex solo episcopi beneplacito sub regula vivunt.

Nota 2° In communitatibus, quibus praeter officium diei recitare incumbit officium Beatae Virginis aut defunctorum, aut 7 psalmos poenitentiales, obligatio illa non afficit privatim recitantes extra chorum; imo nec recitantes in ipso choro, saltem communiter, ut dictum est *supra n. 60. Qu. 12°.* — *S. Lig. n. 143.*

147. — Quaer. 12° *An Papa a votis solemnibus dispensare possit?*

Resp. Affirmative gravissima de causa. Ratio est, quia solemnitas votorum ex solo jure ecclesiastico instituta fuit, ut constat ex *extrav. Joan. XXII. tit. 6.* et ex bulla *Ascendente Domino,* in qua *Gregorius XIII.* dicit: *Nos considerantes, voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiae inventam esse etc.* Ergo Summus Pontifex dispensare potest in votis solemnibus, sicut in votis simplicibus, siquidem illud, per quod illa ab istis discrepant, est de mera institutione ecclesiastica. Atqui juxta omnes dispensare potest in votis simplicibus. Ergo etc. Constat etiam ex variis exemplis in historia ecclesiastica relatis, plures Summos Pontifices hujusmodi potestate usos fuisse. Ultimis praesertim temporibus *Pius VII.* plures hujus generis dispensationes monachis ac monialibus solemniter professis concessit ad matrimonia sacrilege inita revalidanda. — *Ita Bouvier,* qui dicit, communissimam esse nunc theologorum sententiam contra *Billuart* et nonnullos *alios.*(¹)

(¹) et, ut per se patet, novitiis, cum nondum regulam sint professi. — Cf. supra *n. 50. 54. 55.* Si vero laici seu conversi per regulam obligantur ad recitationem quarumdam precum loco officii (quae *laicorum officium* appellantur), ad illas eodem modo tenentur, ac ad alia praecepta regulae. — *Lezana, Summa quaest. regul. vol. 1. p. 1. c. 12. n. 4.* — *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Officium div. *art. 1. n. 39. 41.* — *Scav.*

Sunt tamen nonnulli monialium ordines, qui loco officii majoris tenentur ad officium parvum B. Virginis. De hujus obligationis vi cf. constitutiones illarum religiosarum et decisiones S. Sedis pro ipsis datas. — Alia v. apud *S. Lig. n. 141. et seq.*

(¹) Quamvis status regularis valide susceptus de sua natura perpetuus sit, tripliciter tamen mutatio praeter modo expositam contingere potest, scil. 1° per *ejectionem* e religione, quo in casu ejecti tum substantialibus religionis, tum ceteris sui ordinis peculiaribus votis indubie per se obstringuntur, ita tamen, ut castitatis quidem votum sine exceptione ab eisdem sit custodiendum, reliqua vero paupertatis, obedientiae, et si qua alia eorum professioni adnexa sint vota, moderationem quamdam in ipso usu et praxi patiantur, quae peculiaribus cujusque circumstantiis aptetur et congruat; ordinarii vero loci jurisdictioni subesse et ejus mandatis obsequi debent (cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 11. n. 16. et seq.*); — 2° per *transitum ad religionem strictiorem,* qui juxta jus novissimum S. Sedis licentiam requirit; — tandem 3° per *indultum saecularisationis,* quod quandoque ex justa causa a Summo Pontifice conceditur, plerumque tamen sub cautela, ut, quantum fieri potest, tria emissa vota serventur et ut aliquod religiosi habitus vestigium in saeculo jugiter deferatur. — *Ferrari, Summ. inst. can. l. 1. tit. 20.*

Religiosi autem, qui ad episcopatum assumitur, vota non eo ipso solvuntur (cum vota personalia comitentur personam), quamvis eorum observatio sub his

CAPUT II.

DE VOCATIONE RELIGIOSA.

148. — Certum est, dari vocationem divinam seu actum divinae providentiae, quo Deus aliquos prae aliis ad statum excellentiorem et perfectiorem vocat et simul dotes et gratias ad illum rite exsequendum et servandum largitur, praesertim quoad statum ecclesiasticum et religiosum. Constat enim, omnia in ordine naturali a Deo gubernari modo singulis entibus proprio; ergo *a fortiori* in ordine supernaturali. Aliunde ad statum perfectiorem amplectendum et prosequendum requiruntur dotes et gratiae speciales, quae a solo Deo, supremo dispensatore, concedi possunt. Constat insuper ex variis s. scripturae locis. Sic de sacerdotio in particulari dicit apostolus *Hebr. 5. 4.: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Idem *a fortiori* dicendum est de vita religiosa, quae est status perfectior et multo difficilior. Constat praeterea ex unanimi ss. patrum et theologorum omnium consensu.(1)

Quaesita:

149. — Quaer. 1° *An et quomodo peccet, qui se ad religionem vocatum sentiens divinae vocationi non obsequitur?*

Resp. 1° *Per se rigorose loquendo* nullatenus peccat, quia divina consilia *per se* non obligant ad culpam, cum in hoc praecise a praeceptis differant.

Resp. 2° Non potest tamen excusari ab aliqua culpa ratione periculi aeternae salutis, cui se committit. Imo, non excusaretur a peccato gravi, qui(1) putaret, se magnum periculum salutis aeternae incurrere, si in mundi

---

circumstantiis modificetur. Potest enim promotus bona legitime acquirere; sed usum sibi, proprietatem vero ecclesiae, cui praeest, acquirit, cujus bonorum est dispensator. Item votum obedientiae non cessat, sed per accidens est, quod ad obedientiam regularem non teneatur, cum superiorem non habeat, uti etiam in abbate monasterii contingit. — *C.* Statutum (un.) *caus. 18. q. 1.* — *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11. ad 4.* — *Scav., de oblig. relig. art. 3. §. 1.* — *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Haeres *n. 12.*

Probabilissimum tamen est, episcopum regularem non obligari regulis sui ordinis, quibus tamen *probabilius* obstringitur regularis promotus ad parochiam, nisi dispensetur. — *Scav. l. c.* — Cf. etiam *S. Lig., de praec. part. n. 2. et seq.*

(1) Prohibentur religionem ingredi indigni, non vocati et ii, qui non sunt sui juris, v. g. conjuges matrimonio consummato etc. (cf. etiam *p. 1. n. 369. Q. 2°. not. 2.; n. 718. Q. 4°.*); tenentur vero vocati et ii, qui religionem voverunt.

Qui porro eam vovit *in genere*, tenetur diligenter aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina. Si, inventa aliqua, ab ea rejiciatur, *probabilius* aliam inquirere debet adhibendo mediocrem diligentiam, si spem habeat, quod recipiatur. — Qui vovit religionem *in specie*, aliquam illius ordinis domum tenetur ingredi et, ubi ab una repellatur, alias domos tentare debet, quamdiu spes aliqua affulgeat et agatur de monasterio sito in propria natione vel provincia: qui enim aliquid promisit, tenetur mediis ordinariis curare promissum. (Foeminae vero tunc ne quidem obligantur quaerere monasterium extra patriam, longe a suis.) — Qui tandem eam vovit *in individuo*, ita determinando locum, ut alium non intendat, liber est, si in domum praefixam non possit admitti. — Ita *Scav.* — Cf. etiam *S. Lig. n. 72.*

Non satisfacit vero voto, si religionem sine justa causa iterum deserat, nec si sua culpa ejiciatur, quin adhibuerit sufficientem diligentiam, ut se habilem redderet. Sed etiam hac adhibita *probabilius* tenetur ejectus adhuc procurare, ut voto suo satisfacere possit, mediocrem diligentiam impendendo, usquedum spes probabilis apparet. — *S. Lig. l. c.* — V. etiam *Gury, Casus consc. p. 1. n. 320. et seq.*

Episcopus autem non potest impedire clericum, etiam curam animarum gerentem, quominus ordinem religiosum amplectatur (quod saltem ex aequitate etiam ad illos extendendum est, qui congregationi religiosae aggregari desiderant); potest tamen eumdem revocare etiam post professionem, si secus grave detrimentum obveniret ecclesiae, cui addictus erat. — Cf. *S. Lig. n. 74. et seq.* — *Scav., de obligat. episcopi.* — Cf. etiam *n. 717.*

(1) omnibus circumstantiis accurate perpensis —

periculis remaneat, cum in grave salutis discrimen sese injiciat.

An vero sint in malo statu illi, qui certi moraliter de vocatione divina ad religionem nituntur sibi persuadere, se salutem suam aeque facile consequi posse manendo in saeculo vel ad illud redeundo? — Non videtur dubitandum, quod isti magno discrimini salutis se exponant, quia, manendo in saeculo contra Dei vocationem, non habebunt congrua gratiae auxilia, quae Deus in religione ipsis praeparavit, et ideo illis destituti difficulter saeculi tentationibus resistent. Attamen *S. Lig.* non audet, de hoc(1) judicium certum ferre. — *S. Lig. n. 78.* et *alii communiter.*

150. — Quaer. 2° *Quomodo peccet, qui, non vocatus ad statum perfectiorem religionis vel clericatus, nihilominus illum suscipit?*

Resp. Peccat *graviter*, si defectum vocationis clare noverit, ob reverentiam sacris ordinibus et religioni debitam, ob injuriam Deo illatam, sed praesertim ob periculum salutis, quod ipse incurrit suscipiendo obligationes, quibus moraliter satisfacere non poterit, utpote carens specialibus auxiliis, quae solis a Deo vocatis conceduntur.(2)

Quaer. 3° *An peccent graviter parentes vel superiores, qui avertunt filios vel subditos a statu religioso?*

Resp. 1° *Affirmative,* si eos avertant injuriose per minas, vim, fraudem aut preces importunissimas, quia illos impediunt a consecutione magni boni, ad quod jus habent.

Resp. 2° *Affirmative* etiam plerumque, etsi eos tantum avertant precibus et promissionibus, quia hoc esse non potest sine gravi illorum damno. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 77.*, qui dicit, hanc sententiam esse omnino tenendam, contra *plures.* — Non autem peccant parentes, qui se opponunt ad tempus piis desideriis filiorum juniorum ad inconstantiam eorum praecavendam vel ob aliam justam causam.(1)

Quaer. 4° *An peccent filii religionem ingredientes invitis aut insciis parentibus?*

Resp. Negative per se loquendo, licet in praxi hoc ordinarie non sit suadendum. Ratio est, quia filii omnino liberi sunt circa status vitae electionem. — *Recole dicta de 4. praec. n. 369. Q. 2°.*

151. — Quaer. 5° *Quaenam sint signa vocationis religiosae?*

Resp. Generatim loquendo seu in providentia ordinaria duo requiruntur et sufficiunt ad vocationem divinam probandam, scilicet debita aptitudo et inclinatio.

1° Per *aptitudinem* intelligitur idoneitas ad statum religiosum in genere, et in particulari ad observantiam *tali ordini* propriam. Aptitudo autem illa consistit praesertim in recto judicio, in indole bona, in animo jugo obedientiae submisso, in scientia relative sufficienti et in carentia defectuum corporis et animi, qui tali generi vitae repugnant.

2° *Inclinatio naturalis* et *constans,* quae proinde non sit frequentibus mutationibus obnoxia, non obstante tamen aliqua praeterita tergiversatione ex daemonis tentationibus vel naturae repugnantia exorta. Non tamen requiritur, ut inclinatio ex spontaneitate seu propensione magis, quam ex persuasione seu intima convictione procedat. Inclinatio autem illa debet esse *recta,* seu debet procedere ex intentione pura,

(1) utrum scilicet graviter peccent, an leviter — *S. Lig. n. 78. coll. Hom. ap. tr. 13. n. 26.*

(2) V. etiam infra *n. 720.*

(1) Idem valet de aliis, qui non sunt superiores. Quodsi vi vel fraude id efficiant, peccant graviter contra justitiam non solum versus seductum, quem proinde in pristinam libertatem restituere tenentur *(p. 1. n. 723. 3°.)*, sed etiam versus religionem, cui damnum resarcire obligantur juxta aestimationem commodi, quod ex seducto sperandum erat. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 662.*, et fuse *Lugo disp. 9. n. 27. et seq.*

ex mero desiderio suam salutem facilius consequendi, majorem Dei gloriam vel etiam animarum salutem procurandi. (1)

Nota: Dixi: *generatim loquendo* seu in providentia ordinaria; quia adsunt evidentiora vocationis signa, nempe 1° divina revelatio, ut vocati sunt S. Paulus, S. Aloysius Gonzaga, S. Stanislaus Kostka etc.; 2° inspiratio singularis, quae consistit in interno motu, quo quis vehementer ad vitam perfectiorem subito impellitur et quasi abstrahitur.

152. — Quaer. 6° *Quid faciendum sit in dubio de vocatione?*

Resp. Est diutius examinandum, ferventius orandum atque, donec majus lumen affulgeat, exspectandum. Si autem non obstante hac diuturna probatione dubium perduret, remanendum est in statu inferiori; nemo enim debet ascendere ad statum superiorem, nisi de vocatione divina moraliter certo constare ipsi videatur. Sed res prudenti confessario et superioribus a Deo ad id constitutis dirimenda relinquatur. (2)

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM VI VOTORUM.

ARTICULUS I.
DE VOTO PAUPERTATIS.

153. — I. Religiosus, etiam simplici voto paupertatis ligatus, nihil omnino proprium habere potest i. e. nequit rem quamlibet temporalem pretio aestimabilem possidere nec quoad *dominium* (3), nec quoad *usum* et *usumfructum sine superioris licentia.* — Constat ex *conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regularibus.*

Hinc religiosus est omnino inhabilis ad quemlibet proprietatis actum exercendum circa rem ullam sive monasterii, sive parentum aut externorum, proindeque de nulla re disponere potest per acceptationem, donationem, venditionem, commodatum, mutuum, usum, mutationem, meliorationem etc. absque licentia sive generali, sive speciali superioris.

Hoc valet, etiamsi ordo non fuerit a S. Sede approbatus, sed tantum ab episcopo, quia semper eadem est voti simplicis efficacia; vovens enim se omnino spoliat jure de re qualibet *sine licentia* disponendi vel usum servandi, seu quemlibet *proprietatis* actum exercendi, nisi ordinis constitutiones aut legitima consuetudo aliquid excipiant. Religiosus tamen non solemniter professus potest dominium directum bonorum suorum servare, quia hoc non repugnat voto paupertatis, dummodo de nulla re disponere possit absque consensu superiorum. Ex constitutionibus variorum ordinum, praesertim *Societatis Jesu,* apertum est.

154. — II. Religiosus voto *solemni* paupertatis obstrictus seu religiosus quilibet in ordine a S. Sede approbato *solemniter* professus omnino incapax est *in particulari* seu *personaliter* cujuslibet dominii rei temporalis pretio aestimabilis, etiam *de licentia superioris.* Constat ex *concilio Trid. sess. 25. c. 2. de regular.* (1) —

(1) Inquiratur ergo etiam finis, quo quis ad religionem amplectendam movetur (intentio enim probat opus!) et num observantia et fervor vigeant in instituto, ad quod vocari se putat, quia secus difficillime poterit perfectionem sectari. — *Scav.*

(2) Dubia tamen inania omnino contemnenda sunt. — Cf. *S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 10.*

(3) Renuntiatio dominii directi tamen non est de essentia voti paupertatis, ut ex sequentibus constabit.

(1) Notat *S. Lig. n. 15.*, hodie rigorem concilii Trid. temperatum esse, ita ut religiosus, *ubi consuetudo legitima adest*, de superioris consensu peculium habere possit, quo sibi provideat ad usus necessarios vel honestos, sub conditione tamen, ut paratus sit, bona haec ad nutum superioris abdicare. — Quae sententia, si agatur de rebus mobilibus minoris momenti, ne quidem praecepto concilii adversari videtur. — Cf. *n. 163. Nota.*

Nec obstat votum solemne, quominus taliter professi in regnis, ubi leges civiles eorum inhabilitatem possidendi bona tamquam propria et substitutionem mona-

Communitas vero bona acquirere et possidere potest sive per se, sive per subditos, nisi obstent ejus constitutiones. Hinc pervulgatum axioma juris canonici: *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.*

Nota: Praeter peccata contra *votum* paupertatis dantur etiam non raro peccata contra *virtutem* paupertatis, licet illaesum votum remaneat, v. g. si religiosus nimium sentiat affectum ad res, quas ex licentia praelati detinet; si commodis plus aequo indulgeat; si a superioribus superflua postulet vel obtenta retineat et similia.

Quaesita:

155. — Quaer. 1° *Quodnam sit discrimen inter votum et virtutem paupertatis?*

Resp. Votum respicit tantum actus *externos* proprietatis; virtus vero ad *internos* cordis affectus etiam extenditur. — Voti enim objectum est, religiosum bonis temporalibus exterius exspoliare. Virtus autem pro scopo habet, omnem inordinatum cordis affectum ad res terrenas penitus praescindere. Votum igitur paupertatis est velut medium relate ad virtutem, quae est ipse finis consequendus. Hoc posito nemo non videt, virtutem paupertatis multo latius patere, quam votum; quoties enim quis votum infringit, simul et virtutem laedit, non autem vice versa.

Dixi: votum afficere solos actus proprietatis *externos;* attamen violari posset votum per actum internum, qui actum externum respiceret et attingeret, scilicet per desiderium agendi externe contra votum, siquidem desiderium induit omnem malitiam et speciem actus externi, ut dictum est in *tract. de peccatis p. 1. n. 167.*

Quaer. 2° *An religiosus, servans dominium directum bonorum, possit* valide *de his disponere absque licentia?*

Resp. Affirmative probabilius, quia est vere dominus, quamvis *illicite* agat disponendo ratione voti paupertatis. — *Negant* tamen *plures,* quia, ajunt, religiosi se habent ut pupilli, qui bona sua valide donare nequeunt.

Quaer. 3° *Ad quae se extendat dominium directum religiosi non solemniter professi?*

Resp. 1° Ad bona temporalia, quae possidebat ante vota; — 2° ad fructus seu reditus eorumdem bonorum; — 3° ad ea, quae ipsi de jure adveniunt sine nova acceptatione, ut haereditas paterna, legata etc.; — 4° ad omnia bona, quae a parentibus, cognatis, amicis etc. accipit de superiorum licentia. Attamen, si haec sint usu consumptibilia, in communem monasterii usum juxta morem applicanda sunt, saltem generatim loquendo.

156. — Quaer. 4° *An religiosus servare et alio transferre possit propria manuscripta absque superioris licentia?*

Resp. Affirmative juxta communem sententiam; manuscripta enim habentur ut aliquid spirituale, cum sint

---

terii vel ordinis quoad ipsorum jura non agnoscunt, *cum indulto S. Sedis* actus proprietariorum exerceant, apparenter quidem proprio nomine, revera autem nomine communitatis, scilicet cum debita a superioribus legitimis dependentia. Ita colligitur v. g. ex decreto S. Poenitentiariae, lato mense Decembri 1820, ubi inter alia haecce invenies: *S. Poenitentiaria . . . intelligens, velle omnino gubernium, ut retus illud decretum diei 18. Febr. 1809 a regularibus regni belgici observetur, quo proprietas, possessio et administratio bonorum, quae ad eas communitates pervenerunt, singulis religiosis vindicatur, concedit de expressa Apostolica auctoritate regularibus utriusque sexus jam solemniter professis, ut ea bona acquirere, retinere et administrare, deque iis in pios honestosque usus disponere possint, non obstante paupertatis voto, dummodo cum debita a superioribus legitimis dependentia haec fiant. . . Non est propterea, cur ii, qui jam solemniter professi sunt, metuant, ne, si decreti illius (sc. gubernii) ratio habeatur, votis solemnibus renuntiare videantur.* — Plura v. in *Archiv für kath. Kirchenrecht 1865. fasc. 6. p. 344. et seq.*

partus ingenii. Praeterea pertinent ad scientiam, quae non cadit sub voto paupertatis. Sed ratio potior est, quia talis habetur communis et recepta consuetudo inter regulares. — *S. Lig. n. 14.* — *Salm.* et *alii communiter.* — Idem etiam de sanctorum reliquiis opinantur.

Quaer. 5° *An peccet contra votum paupertatis religiosus, si quid de rebus ad suum usum concessis in alium usum impendat?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia in his religiosus habet tantum *usum facti,* idque *precario,* quamdiu superiori videbitur, estque actus proprietatis seu dominii, de re aliqua ad proprium arbitrium disponere. Voluntas enim seu licentia superioris ad usum adsignatum restringitur, nisi aliud manifestum sit. — *S. Lig. n. 19.* et *alii communiter.*

157. — Quaer. 6° *An possit religiosus sine licentia donare, quae parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus ad usum concessis?*

Resp. Negative generatim loquendo. Ratio patet ex responsis ad quaesitum praecedens. — Excipiunt: si certa quantitas ita religioso assignetur, ut nec monasterium teneatur aliquid ei praestare, nec ipse rationem reddere. — Dicit *S. Lig. n. 23.,* permitti communiter ab auctoribus, ut religiosus possit elargiri, cui voluerit, suas *pietantias,* quae *limitate* ei praebentur, ut ova, carnes etc., nisi superior id expresse vetuerit. — *S. Anton.* — *Sylvius etc.*

Quaer. 7° *An peccet contra votum paupertatis religiosus, qui accipit ab extraneo pecuniam ad libitum in opera pia impendendam?*

Resp. Affirmative. Ratio patet ex dictis: etenim sic agendo religiosus faceret *actum proprietatis,* nisi licentiam sui superioris haberet. — Secus autem, si opera pia *in specie infima* determinarentur a donatore, quia tunc religiosus non esset nisi canalis seu velut commissionarius donatoris. Hinc non peccat contra votum paupertatis religiosus, qui ab extraneo accipit pecuniam erogandam tali pauperi, tali monasterio, ecclesiae, causae piae etc. Imo non peccat, si ipse sine licentia superioris ab extraneo postulet pecuniam alteri determinato tradendam. Attamen, si agatur de re magni momenti, suadet prudentia et requirit rectus ordo religiosae disciplinae, ut subditus nihil peragat, quin prius assensum superioris obtinuerit, etiamsi violandae paupertatis periculum nullum incurrat.

158. — Quaer. 8° *An peccet contra votum paupertatis religiosus, qui recusat ea, quae sibi ab extraneis offeruntur?*

Resp. 1° *Negative,* si agatur de meris donationibus, eleemosynis aut muneribus, ad quae jus non habebat. Ratio est, quia non obligat votum paupertatis ad recipiendum ea, quae nondum acquisivit seu ad quae jus strictum non habet ipse, neque monasterium. Attamen, si nullam haberet rationem recusandi, peccaret contra caritatem impediendo bonum suae religionis, non autem contra justitiam. — *S. Lig. n. 20.* — *Lugo* — *Sanchez etc.*

Resp. 2° Secus, si agatur de rebus jam acquisitis, v. g. de legatis, de mercede religiosi laboribus debita vel de donis jam acceptis etc. Ratio est, quia horum jus monasterium immediate acquirit juxta axioma: *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.* — *S. Lig. ib.*

159. — Quaer. 9° *Quaenam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis?*

Resp. 1° In peccatis, quae sunt simul contra religionem et justitiam, generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quae peccatum mortale in furto constituit. — *S. Lig. n. 24.* — *Lugo* — *Sanchez* et *alii communiter.*

Plures tamen graves theologi dicunt, eam tantum materiam gravem

esse, quae requiritur in furtis filiorum familias ad peccatum mortale constituendum, nempe materiam circiter duplo majorem, quam in furtis apud extraneos commissis. — Ita *Elbel n. 646.* Sed hoc non videtur admittendum. Ratio est, quia filii sunt in spe bonorum familiae domini, non autem religiosi. Insuper magis inviti sunt superiores pro furtis subditorum, quam parentes pro furtis filiorum. Praeterea detrimenta majora sequuntur quoad animam in prioribus, quam in posterioribus. — *S. Lig. ib.*

Nota: Monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparantur. Hinc in iis quinque franci (seu scutatum romanum) generatim materiam gravem constituunt. (¹) Si autem sint opulenta, paulo major quantitas requiritur. Major etiam requirenda est, si religiosus res monasterii in usum proprium usurpet vel aliis ejusdem communitatis donet, ac si in extraneos easdem erogaret, quia eae in domo remanent; major etiam in furtis minutis, quae, etiam interposito notabili intervallo, in gravem materiam non coalescunt; major iterum in esculentis, ut de famulis diximus *p. 1. n. 608.*

160. — *Resp.* 2° In peccatis contra solam religionem seu contra solum votum commissis crescit difficultas et major est theologorum dissensus. Communius tamen eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt, ac in casu praecedente, ubi justitia violatur, quia actus proprietatis ejusdem gravitatis esse videtur. Attamen *non improbabiliter* nonnulli graves doctores majorem requirunt quantitatem ad peccatum grave in eo casu constituendum. — Sic *Elbel n. 646.* — *Salm. c. 6. n. 12.*

Communiter autem conveniunt, valorem multo majorem requirendum esse ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios eroganda, quia tunc multo minor est proprietatis actus, quam si haec in proprium usum retinerentur. — *S. Lig. n. 24.* et *alii communiter.* Imo, *plures* tunc requirunt ad graviter peccandum 60 argenteos seu valorem 30 fr. circiter. — Sic *Diana* — *Leander* etc. *apud S. Lig. ibid.*

Generatim vero non peccat graviter religiosus clam accipiens rem aliquam ex communitate, v. g. librum, ad usum proprium etiam diuturnum, sed non in perpetuum, si id ita non occultet, ut a superioribus inveniri nequeat: quia tunc praelatus non censetur invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum. — *S. Lig. ibid.* — *Suarez* — *Salm. etc.*

Nota: Quoad res mutuo acceptas vel habitas generatim loquendo non peccabit graviter contra votum paupertatis, res ad usum suum vel etiam non ad usum suum concessas sine praelati licentia extraneis mutuando, modo sit certus de restitutione facienda nec tali mutuo grave damnum inferat communitati ex eo, quod v. g. haec careat usu rei graviter hic et nunc necessariae. Multo minus adhuc graviter peccabit, si res ad usum mutuet aliis religiosis ejusdem monasterii. Ratio est, quia, etsi aliquem actum proprietatis in his faciat, non tamen gravem juxta communem theologorum interpretationem. — *S. Lig. n. 27.* — *Layman l 4. tr. 5. c. 7. n. 4.* — *Sanchez etc.*

Resolves:

161. — 1° Religiosus peccat contra votum paupertatis, si quid sine superioris consensu domi seu foris etiam ex iis, quae ad victum aut vestitum pertinent, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet vel commodet. Item, si absque licentia superioris pecuniam vel res alias mutuo vel commodato ab extraneis accipiat.

2° Peccat etiam contra votum paupertatis, qui res in usum suum obtentas in alium usum expendit aut culpabiliter amittit vel destruit, ut patet.

3° Peccat contra votum, qui apud externos comedit aut bibit sine praelati facultate, quia actum proprietatis ponit, aliquid sine licentia accipiendo. Generatim tamen non videtur per hoc mortaliter peccare. — *Lacroix l. 4. n. 105.* — *Suarez* — *Sanchez etc.*

(¹) Cf. *p. 1. n. 607.*

4° Si religiosus acceptet ab extraneis rem superiori tradendam, facillime licentiam praesumptam supponere potest. Si autem eam supponere nequeat, contra paupertatem peccare videtur; attamen generatim peccatum illud veniale non excedet. — *Lacroix ib. n. 118. etc.*

5° Peccat contra votum paupertatis religiosus, qui servat rem cum licentia ad usum acceptam ultra limites temporis a superiore praefixi; qui eam ad alium usum(1) adhibet cum ejusdem detrimento; qui rem servat *animo domini*, nempe cum intentione eam subducendi liberae dispositioni superioris, v. g. si eam occultet, ne videatur: nec excusari potest ex eo, quod licentiam prius obtinuerit.

6° Peccat contra votum paupertatis, qui sine facultate superioris aliquid emit, etiam pro communitate, quia agit ut proprietarius. Aliquando tamen licentiam praesumere potest, nempe quando novit, id superiori pergratum fore, nec recursus facilis ad eum patet, v. g. in itinere. Hujusmodi autem licentia facilius in rebus minoris, quam majoris momenti praesumi potest.

7° Religiosus iter agens divertere nequit ad alia loca extra rectam viam ad res curiosas videndas, nisi forte valde brevis sit distantia et nullae aut admodum modicae expensae fieri debeant, nisi in casu particulari licentia superioris ex gravitate causae merito praesumi possit. Secus enim peccaret tum contra paupertatem, tum etiam contra obedientiam.

8° Religiosus nullum depositum proprie dictum sine licentia accipere potest. Ratio est: 1° quia actum proprietatis faceret juxta *communem* sententiam contra *plures;* 2° quia depositum est contractus, religiosus autem nullum contractum circa res temporales inire potest absque superioris facultate.

(1) praeter ordinarium —

162. — 9° Dona omnia, quae religiosis *solemniter* professis fiunt, eo ipso acquiruntur monasterio, non exceptis quidem legatis et haereditatibus, ex notissimo principio juris canonici: *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.* Hoc principium etiam aliis religiosis est applicandum intra limites voti paupertatis, quod pro illis non excludit facultatem acquirendi et possidendi. Hinc legata et haereditates accipere valent, licet de iis sine licentia disponere nequeant. Quoad ceteras donationes, monasterio obveniunt, nisi fiant speciatim intuitu personae privatae, non quatenus religiosae. Tunc vero religiosus acceptare nequit absque licentia saltem praesumpta, seu sub conditione licentiae obtinendae.

10° Opera manualia, quaecumque sint, quae a religiosis conficiuntur, ad communitatem pertinent. De iis igitur privati, licet opifices, disponere nequeunt nec ullum emolumentum ex illis percipere possunt. Idem dicendum est de honorariis, quae regularibus pro missis vel aliis spiritualibus ministeriis tribuuntur.

11° Peccant contra votum paupertatis religiosi, qui omissione voluntaria debitae curae auctores sunt, cur res ad proprium usum concessae deteriores fiant. Idem dicito de illis, qui defectu curae debitae sinunt res officii ipsis commissi perire vel detrimentum pati.

163. — 12° Non est contra paupertatis votum, acceptare aliquid sub conditione licentiae obtinendae, aut etiam donare, dummodo res recuperari possit, si negetur licentia, quia actus reipsa suspenditur. — *Lacroix l. 4. n. 108.* — *Lugo etc.*

13° Sufficit licentia *praesumpta* ad licite acceptandum vel expendendum, quando superior adiri nequit et urget occasio. Sed res dono acceptata ex praesumpta licentia debet postea superiori manifestari, quando conveniri potest, nisi consumpta fuerit.

— *Suarez* — *Lacroix ibid. n. 109—111.* (¹)

14° *A fortiori* sufficit licentia *tacita* ad dandum vel acceptandum; imo valet, etiamsi superior adiri possit, quia licentia tacita censetur de facto exsistere, v. g. quia virtute in alia continetur, vel quia ex circumstantiis prudenter colligitur adesse, dum licentia praesumpta non supponitur de facto exsistere, sed tantum exstitura, si peteretur. — *Lacroix ib. n. 109.* — *Suarez etc.*

15° Si superior antecedens dederit tibi licentiam aliquam rem determinatam habendi, adhuc valet, etiamsi ipse ab officio discesserit. — *Lugo* — *Lacroix ib. n. 115.*

16° Si habeas licentiam dandi aliquid Paulo, et des Petro, non peccas, nisi superior dederit licentiam pro Paulo ob peculiarem rationem, negaturus, si pro Petro hanc petivisses. — *Lacroix ib. n. 119.* — *Pellizarius etc.*

17° Si Titius religiosus licentiam habeat dandi aliquid quibuslibet, Cajus ejusdem communitatis habet eo ipso facultatem acceptandi, quia dare et accipere sunt correlativa, et proinde licentia ad unum censetur etiam esse ad alterum. — *Sanchez* — *Pellix. etc.*

Nota: Haec de paupertate religiosa in genere. Sed attendendum ad constitutiones particulares variorum ordinum vel ad consuetudinem a superioribus toleratam; nam in pluribus monasteriis permittitur religiosis petere, accipere aut sibi comparare plura necessaria ad victum, vestitum, libros aut alia id genus.

ARTICULUS II.
DE VOTO CASTITATIS.

164. — Votum castitatis multo praestantius paupertatis voto habendum est, cum per illud religiosus non jam bonis sibi extrinsecis, sed intrinsecis, corporis scilicet et sensuum voluptatibus, renuntiet.

Duo complectitur ejus objectum, nempe ea, quae de jure naturali et divino jam prohibentur, necnon ea, quae in legitimo matrimonio licita fieri possent. Haec igitur est voti castitatis efficacia, ut id, quod prius licitum erat, religioso illicitum fiat; ea vero, quae omnibus sunt prohibita, ipsi duplici obligatione effugienda sint, scilicet virtutis castitatis et religionis.

Votum simplex castitatis impedimentum matrimonii impediens tantum constituit seu matrimonium illicitum, non vero invalidum efficit. Votum autem solemne connubium subsequens prorsus dirimit.

Quaesita:

165. — Quaer. 1° *An peccata luxuriae mere interna etiam voto castitatis adversentur?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia religiosus vi voti castitatis tenetur vinculo religionis abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea sive *interna,* sive *externa,* ita ut, si castitatem laedat, duo patret peccata, luxuriae scilicet et sacrilegii.(¹) — *S. Lig. n. 37.*

Juxta *plures* votum castitatis solis peccatis externis luxuriae violatur, quia, ajunt, religiosus Deo dicat tantum 1° bona externa, quibus se spoliat per votum paupertatis; 2° corpus, cujus voluptatibus renuntiat per votum castitatis; 3° animam seu mentem et voluntatem, quam tradidit superiori moderandam per votum obedientiae. Sed doctrina communissima et vera est, votum castitatis violari, et quidem graviter, solis peccatis mere internis, quia vovens promittit simpliciter Deo

(¹) Imo, si sit subitum periculum, cui oportet statim occurri, etiam contra praescriptum superioris religiosus dare vel accipere potest; tunc enim ipsa necessitas habet dispensationem adnexam, cum necessitas non subdatur legi. — *S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 6. in corp.* — Cf. etiam infra *n. 168. III.*

(¹) Probabilissime insuper contra bonum commune peccat, si periculum sit, ne per ejusmodi flagitia religio infametur. — *S. Lig. n. 37.* — Cf. etiam *p. 1. n. 424.*

abstinere ab omni delectatione absque ulla distinctione.

166. — Quaer. 2° *Quaenam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?*

Resp. Haec regula generalis statuenda est: eadem prorsus est gravitas peccati contra votum, quam contra sextum et nonum decalogi praeceptum, scilicet peccatum mortale aut veniale est contra religionem, prout mortale aut veniale est contra castitatem. Parvitas autem materiae admittenda non est in peccatis luxuriae *directe* volitae, nisi ex imperfecto consensu, juxta dicta *p. 1. n. 412.*

167. — Quaer. 3° *An et quaenam sit differentia inter virtutem et votum castitatis?*

Resp. 1° Nullum datur discrimen ratione objecti, cum ex dictis votum tam late pateat, quam ipsa virtus. Attamen in hoc differunt, quod in iis, quae virtute prohibentur, duo dantur peccata, si votum violetur, dum unicum committitur peccatum in eo, quod solo voto interdicitur. Si quis enim voto simplici religionis ligatus matrimonium contraxisset, unicum peccatum, scilicet contra religionem, in usu conjugii patraret. Potest igitur quandoque violari votum, quin ipsa virtus laesionem patiatur.

Resp. 2° Virtus castitatis praeter strictas obligationes, quas imponit, mera consilia ad majorem perfectionem ducentia etiam suadet, dum votum solam materiae obligationem afficit.

Nota: Ad majorem autem castitatis custodiam introducta est clausura, vi cujus moniales egredi non possunt e monasterio, nisi de licentia episcopi, quae in solis extraordinariis casibus dari potest.(1) Religiosi vero e domo abesse nequeunt absque praelati licentia. Sic ex const. *Clem. VIII. Nullus etc.* Hinc:

Quaer. 4° *Quale sit peccatum, egredi e monasterio sine licentia?*

Resp. 1° Pro monialibus *claustratis* erit semper grave, cum Ecclesia id prohibeat sub poena gravissima, nempe excommunicationis.

Resp. 2° Pro religosis erit grave, si saepius vel cum scandalo fiat aut de nocte furtive; veniale autem tantum, si quis semel aut iterum, aut interdum tantum de die egrediatur. — *Plura de clausura et de poenis in ejus violatores inflictis in tract. de censuris n. 989. et seq.*

(1) Cf. infra *n. 990. 4°.*

ARTICULUS III.
DE VOTO OBEDIENTIAE.

Votum obedientiae est omnium votorum religionis praestantissimum, cum per illud religiosus bona maxime sibi intrinseca et excellentissima, voluntatem scilicet et intellectum ipsum, Deo offerat et omnino consecret. Hinc dicitur *1. Reg. 15. 22.: Melior est enim obedientia quam victimae.* Et *Prov. 21. 28.: Vir obediens loquetur victoriam.*

Principia:

168. — I. Religiosus ex voto obedientiae tenetur ad omnia, quae superior praecipit secundum regulas et constitutiones ordinis sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. — *S. Lig. n. 38.* — Attamen, ut sit peccatum contra votum, requiritur, ut superior vere *praecipiat* et non tantum suadeat, quod ex ejus verbis, modo loquendi aut ex variis rerum adjunctis patebit.

II. Superior jus habet praecipiendi non solum ea, quae explicite habentur in regula vel constitutionibus, ut sunt abstinentia, silentium etc., sed etiam ea omnia, quae *implicite* in eis continentur, ut poenas in transgressores, statuta ad eorum observationem legitime condita et quidquid pertinet ad officia communitatis rite obeunda aut ad ejus rectam administrationem. Ratio est, quia religiosus, se obligando ad constitutiones speciales ordinis servandas, se obligat ad ea omnia, quae ad hunc finem consequendum sapienter statuta sunt vel praecipiuntur.

III. Religiosus non tenetur obedire vi voti sui superiori rem impossibilem aut evidenter illicitam aut graviter sibi damnosam praecipienti. — *S. Lig. n. 47. etc.* Etenim non potuit se obligare ad rem impossibilem, cum ad impossibile nemo teneatur; neque ad rem certo illicitam, siquidem votum nequit esse vinculum iniquitatis; neque obligatus est ad rem graviter sibi damnosam, quia hoc a mente religionis alienum est, et actus heroici non cadunt *communiter* et *implicite* sub voto, sicut non cadunt sub praecepto. Excipe tamen: si agatur de officiis intra limites vitae religiosae adimplendis, v. g. de curandis *religiosis*(¹) pestiferis etc.

Hinc non tenetur subditus obedire praelato jubenti, ut incedat super aquas etc.; si autem referantur exempla, ex quibus constat, talem obedientiam a Deo approbatam et miraculis confirmatam fuisse, dicendum est, divinum placitum superno lumine tum praecipienti, tum obedienti fuisse manifestatum.

Quaesita:

169. — Quaer. 1° *Quodnam discrimen intercedat inter virtutem et votum obedientiae?*

Resp. Idem est, quod jam fuit adnotatum supra de paupertate *n. 155.*, scilicet objectum voti est exsecutio externa mandati superioris, dum virtus usque ad internam animae submissionem pertingit eamque perficit.

A religioso autem sedulo praecavenda sunt non solum peccata contra votum, sed etiam contra virtutem, quae quidem frequentius laedi solet. Accidit enim (utinam rarius!), ut subditus praelati mandato actione quidem externa integre obsequatur, sed reluctante, moesta et aegra voluntate. Tunc vero, licet voto satisfaciat, a virtute tamen longe recedit.

Religiosus igitur superiori vere praecipienti inobediens duplex peccatum admittit, alterum contra praeceptum naturale, quod submissionem legitimo superiori praescribit, et alterum contra votum. Hinc in piis congregationibus virorum vel mulierum *in communi* sub eadem regula vitam degentium absque votorum vinculo inobedientes a peccato non eximuntur ex eo, quod contra superiores sint rebelles; sed unicum peccatum committunt.

170. — Quaer. 2° *Quomodo votum solemne obedientiae a voto simplici differat?*

Resp. 1° Dispensatio multo facilius obtineri potest a voto simplici, quam a voto solemni, quod nonnisi a Papa et gravissima de causa solvi potest.

Resp. 2° Votum simplex reddit quidem illicitam obligationem sine consensu superioris contractam, non tamen eam *per se* invalidam efficit, licet superior vi potestatis in voluntatem subditi hujusmodi obligationem irritare valeat. Votum autem solemne ita inferioris voluntatem dicatione absoluta, perpetua et irrevocabili in ordine religioso auctoritati superioris obstringit, ut religiosus nullam amplius obligationem, neque naturalem, neque civilem, valide contrahere possit.

Quaer. 3° *An teneatur religiosus obedire in dubio, utrum res praecepta sit licita necne?*

Resp. Affirmative, quia in eo casu praesumptio superiori favet. Insuper opposita sententia rectum perturbaret ordinem in religiosis familiis, ut manifestum est. — *S. Lig. n. 47.* et *alii communiter.*

171. — Quaer. 4° *Quandonam religiosus peccet graviter contra votum obedientiae?*

Resp. Peccat graviter in sequentibus casibus, qui raro occurrunt, scilicet: 1° quando recusat obedire superiori praecipienti *in virtute sanctae obedientiae* vel *in nomine Jesu Christi*

(¹) Si enim de extraneis agatur, nulla obligatio obediendi adest, nisi constitutiones ordinis id praecipiant, vel nisi deesset, qui ipsis sacramenta necessaria administraret. — *S. Lig. n. 40.*

aut per alias similes formulas, quae rarissime a superioribus sunt adhibendae(1); 2° quando superiori praecipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam,* aut aliud simile, quod contemptum formalem auctoritatis praecipientis redoleat; 3° quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, sive subditorum, sive saecularium, aut grave incommodum pro communitate aut pro aliis, v. g. pro salute animarum etc.

In ceteris casibus inobedientia peccatum veniale non excedit. Cum autem praedicti casus peccati mortalis raro accidant, communiter peccata religiosorum contra obedientiam ut venialia tantum reputanda sunt. — Multo rarius adhuc peccata in solam virtutem commissa mortalia evadent.

172. — Quaer. 5° *Quibusnam obediendum sit?*

Resp. Obediendum est non tantum superioribus ipsis majoribus, sed omnibus etiam inferioribus seu ministris vel praepositis ex ipsorum parte praecipientibus, cum tunc eadem sit auctoritas, quae mandatum injungat.

Quaer. 6° *Quomodo obediendum sit?*

Resp. Obediendum est: 1° *Ex motivo supernaturali,* ut praescribit apostolus *Coloss. 3. 22.: Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes. . . Domino Christo servite.* Secus enim obedientia, etiamsi a peccato immunis esset, omni tamen merito careret et mere materialis foret. — 2° *Alacriter* seu cum gaudio et animo volenti; *hilarem enim datorem diligit Deus. 2. Cor. 9. 7.* — 3° *Diligenter,* i. e. statim vel tempore praescripto et cum debita cura, absque segnitie. — 4° *Ex integro* seu totum opus praescriptum perficiendo; secus obedientia suo careret complemento.

(1) Ad peccatum *grave* insuper requiritur, ut agatur de re gravi.

CAPUT IV.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM.(1)

173. — Privilegia, quibus gaudent religiosi, praecipue versantur circa exemptionem a jurisdictione episcopali, — sacramentum poenitentiae, — casus reservatos et censuras, — irregularitates, — quaedam vota et vincula, — missam et communionem — aliosque casus particulares. — *Vide S. Lig., de leg. in append. de privilegiis c. 4.; Hom. apost. tract. 20. c. 4.*

I. Circa exemptionem a jurisdictione episcopali.

1° Regulares in genere(2) gaudent privilegio exemptionis a jurisdictione episcoporum, quia praelati regulares habent jurisdictionem quasi episcopalem in monasteriis et ecclesiis suis.

2° Eximuntur a visitatione episcopi tam quoad personas, quam quoad monasteria et ecclesias suas. Excipe 1° monasteria monialium regularibus non subjectarum, et etiam valde probabilius subjectarum, quia episcopi sunt deputati apostolici ad clausurae custodiam; 2° ecclesias saecularium, quarum parochus esset religiosus; 3° ecclesias regularium, si sint parochiae, sed quoad ea tantum, quae parochiam et parochum spectant.(3)

(1) Iis, quae auctor hac de re disserit, paucissima solummodo addentes, generatim lectorem ad fontes canonicos remittimus, cum limites hujus operis quaestiones difficiles huc pertinentes vix attingere permissuri essent. — Cf. etiam *n. 138.* not. *sub fine.*

(2) Non enim religiosi, etiam professi cum solemnibus votis, eo ipso, quia religiosi, a jurisdictione episcopi eximuntur. — Cf. *Anal. J. P. ser. 2. col. 2311.*

(3) Adsunt etiam aliae restrictiones ex statutis concilii Trid., quas *Scav.* breviter ita proponit:

a) Episcopus tamquam Sedis Apostolicae delegatus monachos extra claustra visitat, corrigit, si deliquerint, et, ubi opus est, punit.

b) Sacramentorum administrationem, curam animarum et alia id genus, quae regulares habent cum exteris, episcopus dirigit.

3° Privilegio exemptionis gaudent non tantum professi et conversi, sed etiam novitii et tertiarii(¹). Item famuli regularium, qui actu famulantur et resident intra claustra monasteriorum, quoad censuras et communionem paschalem.(²) — *Trid. sess. 24. c. 11. de ref.* — *Vide S. Lig., de leg. in append. de privilegiis n. 72. et seq.*

II. Circa sacramentum poenitentiae.

174. — 1° Regulares sacerdotes de superioris sui licentia absolvere possunt religiosos ejusdem ordinis absque ulla episcopi loci approbatione. Sic ex privilegiis a jure ipsis concessis. — *S. Lig. ib. n. 110.*

2° Regulares *in conventu* degentes confiteri debent sacerdotibus ordinis a superiore designatis, nec possunt ab aliis quibuslibet valide(³) absolvi absque licentia superioris, sive intra, sive extra domum. Sic ex privilegio ordini concesso.

3° Tempore *jubilaei* possunt regulares etiam moniales, confiteri cuilibet sacerdoti approbato, sine superioris licentia. — *S. Lig. ib. n. 112.*(¹)

4° Regulares *in itinere,* si socium ejusdem ordinis idoneum habeant, illi confiteri debent. Si vero desit socius idoneus, confiteri possunt cuilibet sacerdoti approbato, sive regulari, sive saeculari.

Quaer. *An vero possint regulares deficiente socio idoneo confiteri etiam cuilibet sacerdoti non approbato, modo idoneus sit?*

Resp. Negative. Constat ex sequenti decisione *S. Congr. Conc.*

POSTULATUM EPISCOPI HILDESHEIMENSIS.

Quaer. 1° An tales confessiones (factae nempe a regularibus sacerdoti simplici, etiam de licentia suorum superiorum) sint licitae? — 2° An ignorante episcopo fuerint validae? — 3° An, episcopo sciente et contradicente, in posterum peragendae validae futurae sint?

Sacra Congregatio Concilii die 18. Nov. 1769. respondit: *Negative in omnibus, et amplius.* (Apud *Giraldi, Expositio juris pontificii p. 2. sect. 105. sub fine.*)

Nota: Oppositam tenet sententiam *S. Lig., de leg. in append. de privileg. n. 111.*(²) cum *aliis non paucis.* Sed vel nondum exsistebat praecedens declaratio, vel a s. auctore ignorabatur.(³)

c) Regulares neque in suis ecclesiis sine episcopi benedictione, neque in aliis sine episcopi licentia populo praedicent verbum Dei.

d) In censuris evulgandis, servandis festis et eorum ritibus custodiendis ceterisque ad publicam divini cultus politiam spectantibus episcopo dioecesano regulares omnes omnino parere debent.

Permulta alia quoad restrictionem exemptionis vide apud *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Regulares *art. 2.*

(¹) si tamen pro tertiariis conditiones per constitutionem *Dum intra Leonis X.* etc. requisitae adsint. — Cf. *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Tertiarii *n. 1. et seq*

(²) Cf. *p. 1. n. 484. Q. 7°. not.* et infra *n. 564.*

(³) Hoc intellige de religiosis proprie dictis, qui scil. vota solemnia emittunt et quorum superiores vera jurisdictione in subditos gaudent. Poterunt tamen superiores locales, nisi ordinis statuta obstent, permittere, ut religiosi confiteantur sacerdoti etiam saeculari, ab ordinario approbato. Constat ex decisione *S. C. Episc. et Reg. d. d. 3. Jun. 1864.:* Quidam regularis (ordinis eremitarum S. Augustini), utens facultate obtenta a priore sui conventus, confitetur sacerdoti saeculari, et quidem approbato.

Quaer. 1° An valide? Et quatenus affirmative:

2° Utrum prior possit suis subditis hanc facultatem concedere necne?

Resp. *In ordine eremitarum S. Augustini affirmative ad utrumque, dummodo sacerdos fuerit ex approbatis ab ordinario loci. Pro aliis ordinibus standum constitutionibus et statutis.*

Religiosi vero alicui congregationi saeculari adscripti *de jure communi* valide quidem sacerdoti saeculari ab episcopo approbato confitentur; sed contra instituti regulas agunt. — V. *Anal. J. P. ser. 7. col. 886.*

(¹) Moniales tamen nequeunt eligere confessarium non approbatum in specie ad audiendas monialium alicujus monasterii confessiones, unde ordinarii tempore jubilaei plures confessarios, quos moniales ipsae exoptaverint, approbare debent. — Cf. *Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Jubilaeum *art. 2. n. 8. et seq.* — Infra *n. 1062. not.*

(²) et fusius *de poenit. n. 575.*

(³) Nihilominus alii *S. Ligorio* adsti-

III. Circa casus reservatos.

175. — 1° *Quoad subditos:* Possunt illos absolvere 1° ab omnibus casibus et censuris *papalibus* non reservatis Papae, licet reservatis episcopo, ut est percussio levis clerici; 2° ab omnibus casibus papalibus *occultis*(¹) eodem modo, quo episcopi suos dioecesanos absolvere possunt; 3° ab excommunicatione ob percussionem etiam gravem et publicam clericis inflictam.

2° *Quoad saeculares:* 1° Possunt illos absolvere (supposita episcopi approbatione ad audiendas confessiones) a casibus *papalibus occultis,* exceptis illis bullae Coenae; 2° probabilius absolvere possunt a casibus in jure aut ex consuetudine episcopis reservatis et quos episcopi ipsi sibi non reservaverunt. — *S. Lig. n. 95. et seq.*

IV. Circa irregularitates et impedimenta.

1° *Cum suis* dispensare possunt: 1° in irregularitatibus occultis ex delicto, ut episcopi cum dioecesanis; 2° in irregularitatibus quoad defectum animae ob dementiam, si periculum ejus cessavit; — quoad defectum corporis, v. g. si oculus alicui deesset; — quoad defectum natalium (haec irregularitas ex se cessat per professionem religiosam); — quoad bigamiam etiam veram et defectum publicum lenitatis.

2° *Cum saecularibus:* 1° Possunt dispensare in irregularitatibus occultis ex delicto, ut episcopus; 2°. possunt dispensare et commutare vota et juramenta, in quibus episcopus dispensat etc.; 3° dispensare possunt cum conjugibus in impedimento debiti propter incestum commissum cum consanguinea compartis, de licentia tamen alicujus e suis superioribus(¹). — *S. Lig. n. 108.* — Insuper religiosi mendicantes possunt dispensare in voto castitatis cum conjugibus in ordine ad usum matrimonii, sive ante, sive post initum matrimonium illud votum emissum fuerit.

V. Circa missam, communionem et ultima sacramenta.

176. — 1° Regulares possunt celebrare missam una hora ante auroram, i. e. tribus horis ante ortum solis, sed tantum in ecclesiis propriis, in quibus id etiam facere possunt sacerdotes saeculares ex eodem privilegio. *(Gregorius XIII.)*

2° Possunt celebrare tribus horis post meridiem, attamen cum justa causa (ex privilegio *Eugenii IV.);* sed causa mediocris sufficit.(²)

---

pulantur, asserentes, decisionem illam dubium non dirimere, cum agat de loco, ubi regulares illi confessarios approbatos etiam ejusdem ordinis invenire poterant. Revera hisce verbis casus S. Congregationi proponebatur: „Usus invaluit in civitate Hildesim., ut nonnulli regulares ad civitatem ipsam pluribus infra annum vicibus accedentes ibique per aliquot dies commorantes soleant sibi eligere presbyterum saecularem ab episcopo non approbatum, qui eis sit a confessionibus, quamvis non desint, qui vel ex saecularibus, vel ex regularibus propriaque cujusque ordinis familia de episcopi vel praelati regularis licentia confessiones excipiant. Id minime ferri posse, censet laudatus episcopus; sed ne in re tam gravi quidquam decernat inconsulta Sede Apost. pro eximia in eam opinione ac reverentia, dubia, quae in calce exhibentur, declaranda proponit.... 1° An tales confessiones licitae sint *in casu* etc."

Sed quidquid sit de extensione hujus decisionis, sententia negativa tam validis argumentis propugnatur, ut contrariam *S. Lig. aliorumque* minus certam censeamus. — V. *Thesaurum resol. S. C. C. tom. 38. sub 16. Sept. 1769. p. 141.,* ubi invenies rationes in hac quaestione a relatore causae allatas. — *Fagn. in l. 5. decr., de poenit. et remiss.* c. Ne pro dilatione (16.), ubi plura ad rem. — Cf. etiam *decisionem S. C. Ep. et Reg. supra n. 174.* 2° in nota.

(¹) Alii hanc restrictionem non apponunt.

(¹) ut dicetur in nota sub fine *n. 176.*

(²) Quoad horam missae consulantur privilegia alicui ordini post Tridentinum data; antea enim concessa sublata sunt. — V. *Lezana, Summa quaest. regul. tom. 1. p. 1. c. 21. n. 2.* — *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Missa *art. 5. n. 6.* — *Ben. XIV., Instit. 68. §. Haec ita.*

3° Possunt ministrare eucharistiam in suis ecclesiis omnibus fidelibus, excepto paschatis die.

4° Possunt administrare communionem paschalem, extremam unctionem et viaticum suis subditis, novitiis et famulis. — *S. Lig. n. 121—123.* (3)

VI. Circa casus particulares.

1° Possunt dispensare cum causa in praeceptis ecclesiasticis cum suis, ut episcopi, v. g. circa officium divinum, jejunium, abstinentiam etc., quia habent jurisdictionem quasi-episcopalem. Hoc valet *a fortiori* in dubio, utrum res dispensatione indigeat.

2° Possunt superiores regulares permittere subditis simpliciter tonsuratis, ut in ecclesiis praedicent. *(Gregorius XIII.)*

3° Religiosi mendicantes communicant in totum inter se de omnibus privilegiis tum circa personas, tum circa loca. At non communicantur, quando sunt odiosa vel contraria propriis statibus, ita ut bono seu communi observantiae religionis praejudicent etc.

Nota: Haec privilegia religiosis familiis a jure canonico vel a Sancta Sede concessa solis competunt superioribus, qui ea pro sapientia sua subditis communicant.

APPENDIX.

DE STATU ACTUALI REGULARIUM IN GALLIA.

Permulta monasteria tum virorum, tum foeminarum versus finem saeculi decimi octavi in Gallia numerabantur. Sed immani rerum omnium perturbatione, quae subsecuta est, omnia dissoluta fuerunt. Sedata tempestate multae monialium domus restitutae sunt juxta formam a S. Sede approbatam. Plures aliae sub variis formis ab episcopo sancitis conditae sunt. Subinde nonnulli etiam virorum conventus restituti fuere, eosque nunc in dies multiplicatos cernimus. Plura autem exorta sunt dubia, quae a nobis perpendenda sunt. Circa moniales praesertim difficultates occurrunt. Hinc

Quaesita:

177. — Quaer. 1° *An moniales in Gallia emittant* vota solemnia, *et an sint* religiosae proprie dictae?

Resp. Negative ad utrumque. 1° Non emittunt vota solemnia. Etenim propter temporum difficultates post gallicam perturbationem servarunt facultatem bona possidendi et acquirendi, non obstante voto paupertatis. Sic pluries a S. Sede fuit declaratum. Ergo votum paupertatis, quod emittunt, non est solemne. Ergo etiam duo alia nequeunt esse solemnia; nam juxta solemnis professionis naturam et Ecclesiae leges votum unum non potest esse solemne sine alio. Ergo votum castitatis non constituit impedimentum matrimonii dirimens, donec placuerit Summo Pontifici, restituere monialibus votorum solemnitatem vel statuere, ut votum simplex fiat impedimentum dirimens.

2° Monasteria monialium in praesentibus temporum adjunctis habenda sunt tantum ut pii coetus foeminarum, et proinde moniales non sunt spectandae ut religiosae proprie dictae. Etenim, licet vota solemnia non requirantur ad essentiam religionis, ut dictum est *supra n. 138.*, necesse est tamen, ut vota simplicia approbentur ab Ecclesia velut veram religionem constituentia: porro non ita est, ut constat ex declarationibus S. Sedis infra referendis, praesertim *n. 180.* et *183.*

178. — *Responsum S. Poenitentiariae ad episcopum Lemovicensem directum anno 1820.*

S. Poenitentiaria, diligenter perpensis expositis, ven. in Christo patri episcopo Lemovicensi *(Limoges)* respondit: *Votum solemne illud esse, quod ab Ecclesia ut tale acceptatur et voventem inhabilem reddit in perpetuum et immutabiliter (spectata lege ordinaria et seclusa dispensatione Pontificia) ad matrimonium contrahendum et ad dominia rerum acquirenda vel retinenda, prout cum ce-*

(3) Cf. *p. 1. n. 484. Q. 7°. not.* et infra *n. 564.*

teris ss. canonum tractatoribus loquitur P. Pirrhing in 3. decret. tit. 54. §. 1. Cum ergo (ut praemissa ab episcopo oratore significant) modo Galliarum moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, sic paupertatis votum emittant, ut minime se abdicent dominio rerum suarum, sed eas ut proprias retineant ac de iisdem, cum opus fuerit, juxta leges civiles disponere intendant, ideo hoc earum votum, sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne certe non est, neque ut tale ab Ecclesia acceptatur. Quod si hujusmodi paupertatis votum solemne non est, nec solemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obedientiae; quippe cum secundum solemnis religiosae professionis naturam atque Ecclesiae disciplinam votum unum sine alio solemne esse non possit.

179. — Quaer. 2° *An nihilominus moniales in Gallia lucrari valeant omnes indulgentias concessas religioni, in qua vota solemnia emittuntur?*

Resp. Affirmative. Constat ex sequenti responso *S. Poenitentiariae* ad *DD. Bouvier* directo.

Beatissime Pater!

Episcopus Cenomanensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, rogat humiliter responsionem ad sequentia dubia:

1° An moniales tempore perturbationis gallicanae suppressae, postea restitutae, sed in aliis locis vel aedificiis, aut etiam ab aliis dioecesibus in Cenomanensem translatae vere nihilominus sint moniales, antiquis privilegiis suis gaudentes?

2° An conventus monialium recenter fundati secundum proprias instituti approbati regulas, sed cum sola episcopi auctoritate, spiritualibus ordinis sui privilegiis aliisque communicatis gaudeant?

Pleraque monasteria in Galliis nunc exsistentia non fuerunt restituta aut fundata.

Sacra Poenitentiaria venerabili in Christo patri episcopo oratori respondendum censuit: *Moniales, quae ante gallicanam perturbationem solemnem religiosam professionem emiserunt, veras religiosas esse easque, sicut et ceteras sorores monasteriorum Galliae, lucrari posse indulgentias omnes, quae religioni seu instituto aliarum monialium solemnia vota emittentium secundum institutum seu regulam respectivam concessae fuerunt; idque ex indulto S. P. Pii VII. et a SS. D. Papa Gregorio XVI. iterum confirmato.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria *die 3. Febr. 1841.*

(Ami de la Religion, 13. Apr. 1841.)

180. — Quaer. 3° *An episcopus dispensare possit moniales a votis religionis in Gallia?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad vota paupertatis et obedientiae. Etenim, si sint piae congregationes ab ipso vel praedecessoribus sancitae, ab illis votis dispensare potest tamquam superior; si vero agatur de monialibus, quarum ordo fuit ab Ecclesia approbatus, id etiam potest tamquam a S. Sede delegatus, attentis praesentibus temporum circumstantiis.

Resp. 2° *Negative* generatim quoad votum castitatis, si fuerit absolutum et perpetuum; quia votum hujusmodi est Papae reservatum et adhuc inter saeculares servari potest. Excipe casum, in quo mulier vovendo noluisset se obligare, nisi in quantum esset in monasterio permansura. Sed casus ille communiter non occurrit.(1)

(1) Plura in hujus quaestionis solutione distinguenda.

1° Vel agitur de illis religiosis, quae olim vota solemnia profitebantur, nunc autem ex dispositione S. Sedis simplicia emittunt, et nullum est dubium, episcopum super hisce votis dispensare posse, in quantum talis potestas ipsi a Sede Apostolica conceditur, uti concessa est v. g. episcopis Galliae, saltem quoad vota paupertatis et obedientiae. — V. *decisionem textui appositam.*

2° Vel agitur de religiosis, quae vi sui instituti vota simplicia tantum dicant quaeque decretum laudis vel approbationem sui instituti a S. Sede obtinuerunt. Dispensatio horum votorum reservata est Summo Pontifici nec delegari solet episcopis, saltem si agatur de religiosis, quae a superiorissa generali pendent. — Cf. *Gury, Casus conse. p. 2. n. 135.*

3° Vel tandem agitur de religiosis, quae absque S. Sedis interventu vitam regularem agunt *(n. 138. not.).* In hoc casu potestas dispensandi a votis sane competit episcopo, si vel per ipsas regulas ei tribuatur, vel vota ad tempus tantum emittantur. Major difficultas quoad vota perpetua, non solum ob votum perpetuum castitatis, si absolutum sit, sed etiam ex eo, quod tales religiosae ex justitia instituto isti devinciri videntur, ut colligitur

Ad haec referenda est sequens *S. Poenitentiariae* responsio:

POSTULATUM

DD. Bouvier, episcopi Cenomanensis.

Cum ex pluries decisis vota monialium in Gallia uti simplicia a S. Sede aestimentur, sequentia nascuntur dubia: 1° An votum ingrediendi religionem Sedi Apostolicae adhuc sit reservatum? 2° An ordinarius super votis a monialibus emissis, data ratione sufficiente, dispensare possit, voto perpetuae castitatis remanente? 3° An de votis virorum idem dicendum sit, ac de votis monialium, ut videtur?

Tale autem fuit responsum *die 2. Jan. 1836.:* Sacra Poenitentiaria, perpensis diligenter propositis dubiis factaque praemissorum relatione Sanctissimo Domino *Gregorio* Papae *XVI.*, respondit:

Ad 1um *Affirmative; sed votum mulieris, cujus intentio respexerit ad monasteria, prout nunc in Galliis exsistunt, non est reservatum, quia scilicet monasteria eadem a Sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tamquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiae foeminarum aestimantur.*

Ad 2um *Ex Sanctitatis Suae declaratione, rebus sic stantibus, posse dispensare.*

Ad 3um *Decreta per Sacram Poenitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales.*

181. — Quaer. 4° *An leges clausurae quoad monasteria monialium in Gallia rigorose servari debeant, et an clausuram violantes poenas canonicas incurrant?*

Resp. ad 1um Non rigorose leges illae urgent de jure communi. Nam cum moniales in Gallia hisce temporibus ut *proprie dictae* religiosae non habeantur, *strictae* clausurae non subjacent. Clausura igitur solum ex regula, quae eadem remanet, necnon ex auctoritate episcoporum, qui eam praecipiunt, a praedictis monialibus servanda est. Constat ex responsione *S. Poenitentiariae* ad *D. Gely,* Nannetensem canonicum, *die 23. Jan. 1821.* Attamen lex clausurae in monasteriis, in quibus vi constitutionum exsistere debet, abjici non potest sine culpa *per se* mortali, quia sic videtur communiter apprehendi et episcopi sic obligare velle censentur, cum haec disciplina summe necessaria semper habita fuerit. — *Ita Bouvier de 2° praec. dec.* in fine.

Resp. ad 2um Ex dictis etiam deducendum est, poenas spirituales latas in moniales e monasterio egredientes vel in extraneos earum monasterium ingredientes in praesentibus rerum adjunctis locum non habere. — *P. X. Gautrelet, traité de l'état religieux t. 1. part. 2. c. 2.*

182. — Quaer. 5° *An urgeat obligatio officii divini pro monialibus in Gallia?*

Resp. Negative per se seu ratione legis Ecclesiae. Etenim cum moniales in Gallia attentis praesentibus rerum adjunctis inter congregationes tantum adnumerandae sint, non videntur rigorose *per se* obligari ad divinum officium sub gravi recitandum, nisi ex ordinis constitutionibus ad id graviter adstringantur, quod rarissimum est; licet enim pertineant ad ordinem olim (vel etiam nunc alibi) vota solemnia profitentem, nunc de facto ad talem non pertinent. Rigorosa autem obligatio horas recitandi non urget, nisi religiosas in ordine pro votis solemnibus approbato professas. Nec censeri debet Ecclesia velle tantam imponere obligationem iis mulieribus, quas jam ut proprie religiosas non agnoscit. — Attamen *practice loquendo* generatim habendae sunt ut lege divini officii constrictae, tum quia

---

ex animadversione S. C. Episc. et Reg. ad constitutiones alicujus congregationis: „Dimissio sororum ob infirmam valetudinem caritati adversatur, ac etiam justitiae, si agatur de sororibus, quae vota perpetua emiserunt.“ (V. *Anal. J. P. ser. 4. col. 2396. sub 10.)* Nihilominus etiam in hoc casu saltem vota obedientiae et paupertatis ab episcopo dioecesano solvi posse censemus, si sat gravis causa ex parte religiosae adsit vel bonum communitatis id exigat, cum haec vota ab Ecclesia acceptata non sint, ejusmodi pia instituta episcopo ut judici ordinario omnino subjaceant, ei itaque interpretatio istius pacti competat.

pro hac obligatione stat consuetudo generalis(¹), quae semper in praedictis monasteriis servata est, tum etiam, quia ipsae piae mulieres religionem ingrediendo se ad breviarium adstrictas reputant. His positis expedit, ut earum superiores et directores quaestionem hac de re non moveant, nisi episcopus aliquid statuerit. Sinant igitur has pias foeminas bona pace recitationi divini officii vacare. Attamen ex dictis facilius, data justa causa, poterunt ab obligatione dispensare et scrupulos et anxietates circa peractam recitationem compescere. — *P. X. Gautrelet S. J., traité de l'état religieux tom. 2. c. 3. art. 2.*

183. — Haec doctrina sequenti responsione S. Sedis confirmari potest:

POSTULATUM

episcopi Petrocorensis circa obligationem recitandi breviarii pro monialibus in Gallia.

Beatissime Pater!

Episcopus Petrocorensis in Galliis, ad pedes S. V. provolutus, ab ipsa sequentis dubii solutionem efflagitat humillime.

Ex pluribus Sacrae Poenitentiariae responsis patet, moniales in Gallia non esse vere et proprie moniales, sed tantum piarum foeminarum congregationes, ipsarumque vota non esse solemnia. Hinc pluribus videtur, illas moniales, quae vi regulae suae ad divini officii recitationem tenentur, ut *Carmelitae, Clarissae, moniales Visitationis B. Mariae Virginis etc.*, ad id non teneri sub gravi, cum hujus obligationis gravitas non videatur attingere, nisi moniales vota solemnia emittentes. Alii aliter censent, quia, licet vota solemnia non emittant, videntur in se suscepisse obligationes de jure adnexas regulae, quam professae sunt. In hac varietate sententiarum episcopus orator a S. V. expostulat humillime:

Utrum moniales, attenta earum conditione in Galliis, teneantur sub gravi ad divini officii recitationem; an vero, cum vota earum non sint solemnia, ad illud non gravius teneantur, quam ad aliud quodlibet suae regulae punctum?

Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis a ven. in Christo patre episcopo Petrocorensi, respondendum censuit, prout respondet: *Moniales votis solemnibus obstrictas teneri sub gravi quotidie officium recitare ex consuetudine jam praescripta; cum vero moniales in Galliis nec vota solemnia emittere, neque esse moniales stricte tales, sed piarum tantum foeminarum societates, pluries responsum fuerit, ideo illae non alia obligatione tenentur, quam ea, quae ex respectivis constitutionibus resultat.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria *die 26. Novembris 1852.*(¹)

184. — Quaer. 6° *An vota religiosorum habenda sint hodie ut solemnia in Gallia?*

Resp. Affirmative. Ita *collator Aniciensis (conférences du Puy) — P. Gautrelet, traité de l'état religieux t. 1. c. 6. art. 3. etc.* contra *plures.*

Prob. Admittendum est, dari posse hujusmodi vota, nisi ostendatur, aliquid nunc obstare vel ex potestate civili, vel ex potestate ecclesiastica; si enim nihil obstet ex alterutra parte, servatur integrum jus emittendi vota solemnia ordinibus stricte religiosis ab Ecclesia concessum. Porro nihil prorsus obstat ex alterutra parte.

1° Nihil obstat ex parte potestatis civilis. Etenim 1° lex civilis, quaecumque sit, afficere nequit votum paupertatis neque *directe,* cum sit res omnino spiritualis, quae ex natura sua potestati saeculari subjacere nequit, neque *indirecte,* cum paupertas religiosa, quocumque modo promissa fuerit, nullatenus regimini politico officere possit. — 2° Constat etiam ex absurdis, quae inde sequerentur. Hoc enim admisso vota solemnia non possent emitti in regionibus, quae principibus infidelibus aut haereticis subjiciuntur, quod tamen praxi et doctrinae constanti Ecclesiae adversatur; imo, im-

(¹) Haec consuetudo tamen ex observatione regulae, quae, ut supponimus, recitationem officii injungit, ortum habere potest. Si vero persuasio monialium accedat, adesse obligationem ad divinum officium ipsis votis instituti inhaerentem, haec nihil efficiet, utpote in errore fundata. — Cf. *p. 1. n. 137. II. not. 6.*

(¹) De monialibus in Statibus Unitis Americae septentrion. cf. *Anal. J. P. ser. 8. col. 1774.*

possibilis foret professio religiosa in tota Ecclesia, si ubique talis legislatio admitteretur. — Praeterea religiosus v. g. societatis Jesu, frequenter mutans domicilium, hodie professus foret in Italia ac proinde dominii incapax, cras autem in Gallia non esset etc. Haec vero dici nequeunt.

2° Nihil quoque obstat ex potestate ecclesiastica. Si quid enim obstaret ex hac parte, esset lex aliqua vel decretum, ex quo constaret de expressa S. Pontificis voluntate, privilegiis religiosorum derogante. Sed nulla constitutio apostolica, decretum nullum, nec ulla declaratio alicujus congregationis afferri potest, ex qua talis voluntas S. Pontificis innotescat. — Imo, ex authentico testimonio constat, religiosos S. Benedicti *de Solesmes* emittere vota solemnia; ergo possunt dari et dantur de facto talia vota. Ergo non obstat Ecclesiae potestas efficaciae solemnitatis votorum. — *Vide annot. R. P. Guéranger, abbatis monasterii de Solesmes*, contra *sententiam oppositam D. Carrière in folio publico: l'Ami de la Religion t. 106. 7. Sept. 1840.*(1)

185. — Haec pauca referre nobis satis erit:

Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium ad propositam quaestionem: An concedi debeat facultas superiori, cum reversus fuerit in monasterium *(de Solesmes)*, admittendi ad *solemnem professionem* omnes illos, qui cum ipso per 4 annos vixerunt? respondit: *Affirmative pro his, qui* vota simplicia *emiserunt, praeviis spiritualibus exercitiis, et pro his actu in monasterio exsistentibus, qui 18 menses in novitiatu expleverint, arbitrio superioris cum suo capitulo.*

Quoad fratres conversos seu laicos vero habetur in literis Apostolicis, quibus approbantur praefatorum benedictinorum Solesmensium constitutiones: *Expleto biennio et die a publica susceptione cappae professionem emittent; sed eorum vota erunt tantum* simplicia. . . .

Ergo vota praedicti ordinis regularium choro assistentium *solemnia* sunt; ergo idem dicendum de aliorum ordinum regularibus.

Objectiones:

186. — *Obj.* 1° Lex civilis reapse obstat professioni solemni: lex enim statuit, omnes cives habiles esse ad contractus ineundos et successiones accipiendas. Ergo etc.

Resp. 1° Lex civilis nullatenus obstare potest neque votis solemnibus, neque votis perpetuis, quia materia voti, cum mere spiritualis sit, lege civili attingi non potest, ne indirecte quidem; secus enim potestas civilis Ecclesiae leges dirimere posset, quod repugnat. — *Vide P. Gautrelet in opere supra citato*, et *P. de Ravignan* in opere *de instituto S. J.* (1) Hinc *Pius VI.* valide reclamavit contra constitutionem civilem cleri gallicani, qua declarabatur, *gubernium nequaquam recognovisse* solemnia *religiosorum vota.* (Breve *Quod ali-*

(1) et *Bouix, de jure regul. p. 3. sect. 3. subs. 1. c. 3.*

(1) Mais, me dit-on, les voeux qui constituent le religieux ne sont pas reconnus par la loi: que m'importe? La loi ne s'occupe pas de ces voeux; on peut les faire, elle les ignore; les violer, elle demeure indifférente; mais les proscrire, elle ne le peut sans armer le pouvoir de l'inquisition et de l'intolérance les plus odieuses.

Interdire à des hommes qu'on proclame libres le fait tout intérieur et privé de la vie religieuse, c'est tomber dans une contradiction flagrante, c'est attenter à la liberté de conscience dans ce qu'elle a de plus intime et de plus sacré.

Aux yeux de l'état, des hommes, des prêtres réunis dans des habitudes communes et purement religieuses, peuvent sans doute n'avoir aucun droit politique ou civil de corporation; et nous ne réclamons rien à cet égard; mais ces prêtres réunis, qui du reste n'exercent en dehors d'autres fonctions que celles qu'ils tiennent, comme les autres prêtres, de la juridiction épiscopale, sont légalement inattaquables, ou bien la liberté religieuse est un mensonge, et le droit public des Français, la loi fondamentale, une déception; car alors les paroles ont perdu leur vrai sens, et les mots n'expriment plus les idées. — P. de Ravignan, *De l'existence et de l'institut des Jésuites.* — (Nota auctoris.)

quantum, *10. Mart. 1791.)* — Et nuperrime *Pius IX.* inter usurpationes, quas detestatur apud quasdam americanas gentes, istud reponit, scilicet: *Religiosas familias neminem sine gubernii permissu ad vota solemnia nuncupanda admittere posse.* (Allocutio in consistorio, 15. Dec. 1856. — *L'Univers, 15. Jan. 1857.)*

Resp. 2° Lex spectanda est ut effectus mere externos habens, et sic omnia componuntur. Insuper habilitas legalis ad possidendum cunctis civibus competens est commodum; commodo autem privati cives renuntiare possunt. Quis enim ad contrahendum v. g. cogi potest?

187. — *Obj.* 2° Non licet ex lege renuntiare successioni nondum apertae. Ergo religiosus renuntiare nequit saltem bonis futuris, v. g. haereditati paternae, vivente adhuc patre ante professionem. Sed neque id posset facta solemni professione, quando scilicet est aperta haereditas, siquidem cujuslibet dispositionis incapax factus est. Ergo, stante lege, est impossibilis professio solemnis.

Resp. 1° Semper religiosus, etiam facta solemni professione, haereditates vel legata acceptare potest pro monasterio de consensu superiorum, ut juris canonici statuta permittunt, licet pro se nihil acceptare possit. Excipe paucos ordines, in quibus specialiter obstant constitutiones.

Resp. 2° Potest etiam religiosus, non obstante lege civili, disponere de bonis futuris pro aliis, v. g. pro fratribus, ante votorum solemnium emissionem. Etenim de jure naturali renuntiare potest bonis verum valorem hic et nunc habentibus; atqui spes futurae haereditatis verum habet valorem praesentem; ergo religiosus potest spei renuntiare valide actu interno vel etiam testamento ante professionem confecto, statuens, ut omnia bona sibi tempore mortis legaliter pertinentia talibus vel talibus obveniant, vel ut haeredibus suis naturalibus juxta cursum legis civilis et (subaudiendo) intentionem praedeterminatam ante votorum emissionem cedant. Tunc autem externa declaratio hujus renuntiationis haberi non potest ut actus proprietatis, sed tantum ut manifestatio dispositionis jam antea peractae. (1)

188. — *Obj.* 3° Vota monialium omnium sunt declarata *simplicia* a S. Sede; ergo ex analogia idem etiam dicendum est de votis religiosorum.

Resp. 1° Non est verum, omnia vota monialium in Gallia fuisse declarata *simplicia.* Nam ex responsione *S. Poenitentiariae* relata *supra n. 179.* constat, moniales, quae ante gallicam perturbationem solemniter voverunt, adhuc fuisse *veras religiosas.* Porro ex variis responsionibus memoratis inter se collatis evidenter patet, idem sonare juxta modum loquendi S. Sedis verba *verae religiosae* et *solemniter professae.*

Resp. 2° Ex eo, quod in variis responsis S. Sedes unice loquatur de *monialibus,* conjici merito potest, in his decretis non comprehendi *religiosos.* Imo, declaratio a *Gregorio XVI.* approbata expresse decernit, decreta hac de re edita spectare solummodo ad moniales. — *Vide supra n. 180. responsum ad DD. Bouvier.*

Resp. 3° Non eadem est conditio religiosorum et monialium in politicis perturbationibus. Discrimen enim praecipue consistit in eo, quod foeminae multo difficilius sibi providere valerent, si e monasterio ejicerentur, quam viri, quorum plerique sunt sacerdotes, missionarii aut diversarum scientiarum professores etc. Sed ratio disparitatis, quae maxime urgere videtur, est, quia difficilior evasit observantia perfectae clausurae, quae a civili potestate non agnoscitur nullumque proinde ab ea patrocinium accipit. Porro clausura pro monialibus specialem habet connexionem cum solemni professione. Haec autem ratio pro religiosis non valet.

(1) Cf. supra *n. 154. not.*

TRACTATUS
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

„Quum omnis christianae doctrinae „pars scientiam diligentiamque desi„derat, tum sacramentorum disciplina, „quae et Dei jussu necessaria, et uti„litate uberrima est, parochi facul„tatem et industriam postulat singu„larem, ut ejus accurata ac frequenti „perceptione fideles tales evadant, qui„bus praestantissimae ac sanctissimae „res digne et salutariter impertiri „possint, et sacerdotes ab illa divini „interdicti regula non discedant: *No„lite sanctum dare canibus, neque „mittatis margaritas vestras ante „porcos.*“ — *Catech. concilii Trid. pars 2. de sacr. c. 1. q. 1.*

189. — Cum tanta sit sacramentorum dignitas et utilitas pro sanctificatione animarum, pro quibus non dubitavit Christus Dominus sanguinem suum fundere crucisque subire tormentum, quam maxime juvat, ut divini verbi praecones frequenter ad populum sermonem de eis habeant, scilicet eorum institutionem, necessitatem, praecellentem dignitatem et miram efficaciam fidelibus exponendo, eosque de requisitis dispositionibus ad uberes gratias per illa recipiendas accurate edocendo. — Hinc *concilium Trid. sess. 24. c. 7. de reform.* haec habet:

„Ut fidelis populus ad suscipienda „sacramenta majori cum reverentia „atque animi devotione accedat, prae„cipit sancta synodus episcopis omni„bus, ut non solum, cum haec per „seipsos erunt populo administranda, „prius illorum vim et usum pro sus„cipientium captu explicent, sed etiam „idem a singulis parochis pie pruden„terque . . . servari studeant . . .: „necnon ut inter missarum solemnia „aut divinorum celebrationem sacra „eloquia et salutis monita singulis „diebus festis vel solemnibus . . ex„planent, eademque in omnium cordi„bus, postpositis inutilibus quaestioni„bus, inserere atque eos in lege Do„mini erudire studeant.“

Agendum: 1° de natura et divisione; 2° de materia et forma; 3° de ministro; 4° de subjecto sacramentorum.

CAPUT I.

DE DEFINITIONE, NUMERO ET DIVISIONE SACRAMENTORUM.

190. — I. Definitio: Sacramentum est signum sensibile a Christo permanenter institutum ad significandam et conferendam homini gratiam.

Hinc tria necessario in omni sacramento requiruntur, scilicet: 1° signum sensibile; 2° divina institutio; 3° vis producendi gratiam a Christo promissam.

Omnia sacramenta tribus perficiuntur: 1° rebus tamquam materia; 2° verbis tamquam forma; 3° persona ministri conficientis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. — Constat ex *concilio Florentino* in *decreto unionis.*

Sacramenta praeter gratiam sanctificantem producunt aliam gratiam sacramentalem, h. e. conferunt auxilia specialia ad obtinendum finem, ad quem quodlibet sacramentum fuit institutum. Sacramenta operantur ex *opere operato,* i. e. *necessario* positis debitis conditionibus, vi divinae institutionis, independenter ab *opere operantis,* scilicet ministri et subjecti sacramenti.

Hinc sacramenta distinguuntur a sacramentalibus, quae sunt quaedam res vel actiones sacrae ab Ecclesia institutae, ut sunt aqua lustralis, variae rerum benedictiones et consecrationes, Agnus Dei(1) etc.

(1) *Agnus Dei* dicuntur imagines quae-

191. — II. Numerus. Sacramenta sunt septem, ut constat ex *Trid. sess. 7. can. 1.: Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Domino nostro Jesu Christo instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: baptismum, confirmationem, eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, anathema sit.*

III. Divisio: Sacramenta juxta varias suas proprietates sic distinguuntur:

1° *Necessaria* vel *non necessaria.* Iterum necessaria sunt vel necessitate medii, vel necessitate praecepti. Necessaria sunt necessitate medii: *baptismus*, qui est janua Ecclesiae et regni coelorum, et *poenitentia* pro iis, qui in statu peccati mortalis versantur; necessaria necessitate praecepti sunt cetera omnia ultimis duobus exceptis, quae non sunt necessaria pro privatis, sed tantum pro communitate.

2° *Imprimentia* vel *non imprimentia characterem* in anima. Characterem imprimunt baptismus, confirmatio et ordo; cetera non imprimunt. — *Trid. sess. 7. can. 9.*

3° *Formata* vel *informia*, prout gratiam producunt, dum suscipiuntur, aut, intercedente obice, effectum suum suspendunt, donec obex removeatur.

4° Sacramenta *vivorum* vel *mortuorum*, prout gratiam *sanctificantem* seu *primam gratiam* jam supponunt eamque tantum adaugent, aut ex primaria sua institutione eamdem conferunt.

Quaesita:

192. — Quaer. 1° *An sacramenta* mortuorum *secundam gratiam conferre possint?*

Resp. Affirmative. Hoc autem in duplici casu fieri potest: 1° quando sola venialia clavibus subjiciuntur, quod frequenter contingit, ut patet; 2 quando poenitens, reus peccati mortalis, accedit ad sacramentum cum contritione perfecta. Hujusmodi enim peccator justificatur ante sacramenti receptionem, siquidem proprium est contritionis perfectae hominem justificare cum voto sacramenti; ergo sacramentum in eo casu non primam, sed secundam tantum gratiam confert.

Quaer. 2° *An vero sacramenta* vivorum *primam gratiam seu gratiam sanctificantem aliquando conferre valeant?*

Resp. Affirmative probabilius, non quidem *per se*, ut patet ex eorum institutione, sed *per accidens* seu mediante caritate vi sacramenti infusa in subjecto obicem non ponente. Etenim fieri potest, ut quis peccati mortalis reus et ejus inscius bona fide ad sacramentum vivorum *attritus* accedat, quo in casu sacramentum vivorum debet gratiam sanctificantem in animam infundere adeoque peccatum mortale delere. Nam sacramentum illud effectum suum ordinarium, nempe gratiam sanctificantem, producere debet, siquidem sacramenta semper gratiam conferunt non ponentibus obicem, ut constat ex *Trid. sess. 7. can. 6.* Porro obex non ponitur a subjecto bonae fidei; ergo. Atqui sacramenta vivorum gratiam secundam producere non possunt, quin primam infundant; ergo *per accidens* gratiam primam infundere possunt. — *Ita communiter.* — *S. Thom. part. 3. quaest. 72. art. 7.* — *Suarez* — *S. Lig. n. 6.* et *269.*, ubi sic ait de *eucharistia:* „Aliquando *per accidens* conferre potest „etiam primam gratiam, nempe si quis „ignorans, se esse in peccato mortali, „vel credens habere contritionem, accedit ad communionem cum sola attritione; *tunc de attrito fit contritus.*"

193. — Quaer. 3° *An requiratur*

---

dam cereae, figurae ovalis, a S. Pontifice solo benedictae atque ab eodem sacro chrismate delibutae, quibus forma *agni* impressa est. — (Nota auctoris.) Plura de his *Agnus* v. *Anal. J. P. ser. 8. col. 1475. et seq.*

et sufficiat attritio, ut sacramenta vivorum primam gratiam conferant?

Resp. Affirmative ad utrumque. 1° Quidem *requiritur*, quia prima gratia infundi nequit, nisi per destructionem peccati mortalis; porro haec peccati mortalis destructio sine ejusdem detestatione, i. e. sine contritione vel saltem attritione, fieri nequit. 2° *Sufficit*, quia ex dictis sacramenta vivorum possunt aliquando primam gratiam conferre; hoc autem fieri non posset, si attritio non sufficeret, siquidem peccator semper justificatus per contritionem perfectam ad sacramentum accederet. — *S. Lig. n. 6. etc.*

Quaer. 4° *In quo consistat character sacramenti?*

Resp. Licet de fide sit, characterem imprimi in baptismo, confirmatione et ordine, non conveniunt tamen theologi, in quonam praecise consistat, et vix aut ne vix quidem explicari potest. Nobis satis erit scire, ut docet *concilium Trid.*, *characterem esse signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea (sacramenta) iterari non possunt. (Sess. 7. can. 9.)*

194. — Quaer. 5° *An peccatum originale deleatur in baptismo valido quidem, sed informi ob defectum dispositionis in adulto baptizato?*

Resp. Negative. Ratio est, quia nullum peccatum dissolvens ab amicitia Dei condonari potest, nisi per reconciliationem seu unionem cum Deo, i. e. per justificationem. Hoc autem fieri nequit, quin infundatur prima gratia. Sed haec gratia prima infundi nequit, ubi dispositiones animae deficiunt. — Remoto autem obice sive per contritionem perfectam cum voto sacramenti, sive per sacramentum cum attritione, reviviscit seu cessat suspendi gratia sacramentalis baptismi et delentur peccatum originale atque omnia peccata actualia ante baptismum commissa. Sacramentum vero poenitentiae delet peccata post baptismum commissa et peccatum *fictionis* seu pravae dispositionis, cum qua susceptum est baptismi sacramentum, saltem in quantum prava haec dispositio post baptismum perseveravit.(1)

195. — Quaer. 6° *Quales sint effectus gratiae sacramentalis singulis sacramentis propriae praeter gratiam sanctificantem omnibus communem?*

Resp. 1° Effectus *gratiae baptismatis* est, omnem culpam et culpae poenam remittere(2), mentem illuminare, concupiscentiam imminuere et animam ad opera christiana foecundare. Haec autem gratia habitualis affert baptizato jus obtinendi auxilia, quibus feliciter hos effectus assequatur.

2° Effectus *gratiae confirmationis* est robur ad fidem, si opus fuerit, coram persecutoribus profitendam et ad eam data opportunitate propugnandam. Ideoque affert animae jus ad auxilia, quibus tales actiones praestet.

3° Effectus *gratiae eucharistiae* sunt: alere vitam spiritualem, eamdem augere, nauseam rerum mundanarum generare, unionem cum Deo attrahere, et ideo affert jus, ut haec omnia communicantes consequantur.

4° Effectus *gratiae poenitentiae* est, conferre vim ad fugienda peccata et ad perseverandum in statu gratiae, et confert jus ad auxilia his actionibus praestandis opportuna.

5° Effectus *gratiae extremae unctionis* est, tollere peccatorum reliquias, aegrotantis animam allevare, fiduciam corroborare, morbi incommoda minus molesta reddere, ad tentationes extremas repellendas robur conferre, et jus ad auxilia his proportionata confert.

6° Effectus *gratiae ordinis* est, reddere Christi ministros sacris ministeriis obeundis idoneos, ut haec de-

---

(1) Cf. *n. 232. 233.*

(2) Quamvis hic effectus gratiae sacramentali in sensu auctoris aliqua ratione vindicari possit, aptius tamen *gratiae sanctificanti hujus sacramenti* tribuendus videtur.

bita pietate peragant, et jus confert ad auxilia opportuna.

7° Effectus *gratiae matrimonii* sunt: refraenare inordinatam concupiscentiam, vires conferre ad onera status conjugalis sustinenda, ad fidem conjugalem servandam et ad prolem christiane educandam, et ideo jus confert ad auxilia pro his omnibus adimplendis necessaria. — *Cuniliati tr. 13. c. 1. §. 4. III.* et *alii.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

I. De natura et unione materiae et formae.

196. — Definitiones: *Materia* est res sensibilis, quae adhibetur ad esse sacramentale determinandum (1). Hinc materia est id, quod in sacramento est magis indifferens et minus perfecte significat sacramentum, ideoque per aliud determinari debet ad illud significandum.

Materia duplex est: alia *remota* et alia *proxima*. *Prior* est ipsa res sensibilis, quae in sacramento adhibetur, seu res, circa quam actio sacramentalis exercetur. *Posterior* est ipsamet applicatio seu usus materiae remotae in actione sacramentali.

Forma vero est pars sacramenti, quae determinat materiam ad producendum effectum sacramentalem et quae, ordinarie saltem, consistit in verbis a ministro prolatis.

Principia:

197. — I. Materia et forma omnino sunt necessariae ad sacramenti validitatem, ita ut, alterutra deficiente, sacramenta confici nequeant. Nemo enim sacramentum conficere potest, nisi eo modo, quo illud instituit Christus, qui solus est auctor sacramentorum. De fide est. Constat insuper ex variis definitionibus, praesertim ex *concilio Florentino* in *decreto unionis* etc.

II. Materia et forma (extra casum necessitatis) moraliter certae esse debent in sacramento conficiendo. Ratio est, quia non licet uti probabilitate, ubi agitur de valore sacramenti, nisi urgeat necessitas. Probabilitas enim periculum invaliditatis non removet. (1)

III. Materia et forma uniri seu applicari debent ab eodem ministro et erga idem subjectum. Ratio est, quia, si unus materiam et alter formam poneret, verba formae non verificarentur; minister enim, qui v. g. diceret: *Ego te baptizo*, dum alter effunderet aquam, falsum proferret, siquidem non baptizaret. (2)

II. De mutatione materiae et formae.

198. — Duplex datur mutatio tum in materia, tum in forma, scilicet *substantialis* et *accidentalis*.

Mutatio substantialis erit in materia, si haec eadem dici non possit juxta hominum usum et aestimationem, ac ea, quae a Christo determinata est; in forma vero, si sensus verborum a Christo intentus in alium mutetur. Mutatio autem accidentalis dicitur ea, quae versatur tantum circa rei qualitates aut quae verborum sensum non mutat. — *S. Lig. n. 11.*

Principia:

199. — I. Omnis mutatio *substantialis* in materia et forma sacramenti invalidat sacramentum, quia non est amplius idem ritus; et, si voluntaria sit, peccatum grave constituit, quia auctori ritus gravem infert injuriam.

(1) Forte accuratius: ad sacramentorum confectionem. — *Scav.*

(1) Cf. *p. 1. n. 57. 4°.*

(2) Requiritur insuper ad conficiendum sacramentum simultas materiae cum forma, quae in eucharistia omnino physica esse debet, ad validitatem ceterorum sacramentorum autem saltem moralis, ita ut spectata cujusvis sacramenti natura verba juxta moralem hominum aestimationem simul applicentur cum materia, sic unum totale moraliter efficiendo. — *S. Lig., de sacram. in gen. n. 9. 10.*

II. Nulla mutatio *accidentalis* in materia et forma sacramentum invalidat; peccatum tamen grave aut leve inducit *per se,* prout notabilis est, vel non. Sequitur ex dictis.

Forma sacramentorum mutari potest variis modis, scilicet: subtractione syllabae vel verborum, additione, variatione idiomatis aut vocum, transpositione verborum, corruptione eorumdem, v. g. literas mutando, et interruptione. Haec sequentibus versiculis exhibentur:

Nil formae demas, nil ponas, nil variabis,
Transmutare cave, corrumpere verba, morari.

Nota: Mutatio multo facilius erit substantialis in principio, quam in fine verborum, quia facilius pro audientibus sensus mutabitur, v. g. in nomine matris pro patris. In praxi praesertim a praecipitatione caveas. (1)

III. De iteratione sacramentorum in dubio de valida applicatione materiae et formae.

200. — Triplex regula statuenda est:

I. Sacramenta iterari *possunt,* quoties datur dubium prudens de ipsorum valore. Ratio est, quia, si forte sacramentum non valeret, qui ad illud suscipiendum accedunt, ejus fructu privarentur. Timor prudens tanti incommodi est ratio sufficiens, cur sacramentum iterari possit, ut patet ex notissimo axiomate: *Sacramenta propter homines.*

II. Sacramenta generatim iterari *non possunt* sine peccato gravi, quando non habetur dubium prudens de eorum valore. Ratio est, quia inutiliter prorsus iterarentur et eis gravis injuria irrogaretur, dum in vanum materia et forma sacramentalis applicarentur.

III. Sacramenta repeti *debent,* quoties, posito prudenti dubio de eorum valore, id postulat caritas, justitia et religio, i. e. quoties ex justitia, caritate et religione confici aut administrari debuissent. Ratio est, quia nullitas sacramenti, si forte adesset, in damnum proximi et aliquando in contemptum vel irreverentiam religionis cederet. Sed conditionate tantum tunc repetenda sunt, ut reverentiae sacramenti consulatur. — *Voit p. 2. n. 29. et seq.* — *Vide S. Lig. n. 27. et seq.*

Resolves:

201. — 1° Facilius iteranda sunt sacramenta magis necessaria et quae semel tantum conferuntur, scilicet baptismus et ordo, etiamsi pro valore sacramenti militet multo major probabilitas contra rationes dubie aut tenuiter probabiles in oppositum. — *Ita communiter.*

2° Repetenda est absolutio in poenitentem in statu peccati mortalis versantem, si prudenter dubitetur de prolatione debita formae. Si autem poenitens non sit in statu peccati mortalis, formam repetere necesse non erit, cum ei communio permitti potuisset, quin prius absolveretur.

3° Minister, qui leviter dubitat nescitque cur timeat, aut solum non recordatur reflexe, se verba formae pronuntiasse, mortaliter *per se* peccat, si formam iteret aut etiam verbum unum ter aut quater repetat. Ratio est, quia mutat formam inducitque novum ritum circa actionem omnium gravissimam. Insuper Christum, quem repraesentat, ridicule loquentem exhibet. In praxi tamen scrupulosi, qui formam repetunt, plerumque a peccato mortali, imo saepe etiam a veniali, excusandi sunt, quia nimiis agitati scrupulis ex perplexitate vel sine advertentia ad irreverentiam ita stulte agunt. — *Ita Voit p. 2. n. 27. 31.* — *Elbel n. 14.* — *Gobat tr. 3. n. 94. etc.*

4° Si in missa post consecrationem dubium tibi oriatur de formae debita prolatione vel de totali omissione, nihil repetere debes nec potes, cum alias haec omittere non soleas: judicandum enim est ex communiter contingenti-

(1) Cf. *S. Thom. p. 3. q. 60. art. 8.*

bus, nisi tamen valde probabiliter dubites, ut loquitur rubrica. — *Vide S. Lig., de euchar. n. 224.*

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Minister sacramentorum est ille, qui nomine Christi, cujus vices gerit, actionem sacramentalem peragit.(1)

Agendum: 1° de requisitis in ministro ad sacramenta conferenda; 2° de officio ministri in sacramentorum administratione.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM

seu

De attentione, intentione, fide et probitate ministri.

§. I.

De attentione ministri.

202. — Definitio: Attentio est voluntaria applicatio mentis ad ea, quae peraguntur, seu est actus intellectus, quo homo considerat id, quod agit.

Divisio: Attentio duplex distinguitur: alia *interna*, quae consistit in advertentia ipsa mentis ad id, quod agitur; alia *externa*, quae excludit omnem actionem cum attentione interna physice incomposibilem. — *Vide dicta supra n. 91.* et *p. 1. n. 344.*

Principia:

I. Ad *validitatem* collationis sacramentorum non requiritur alia attentio, nisi ea, quae in omni actu *humano* invenitur. Possunt igitur valide ministrari sacramenta communiter etiam a ministro distracto seu de aliis negotiis simul cogitante. Ratio est, quia moralitas actus non ab attentione actuali, sed ab intentione saltem virtuali agentis procedit. Insuper attentio saepe a voluntate hominis non pendet; Christus autem conditionem aliquando impossibilem in ministro sacramentorum requirere non potuit. — *Ita S. Lig. n. 14.* et *alii communiter.*

II. Ad *liceitatem* collationis sacramentorum requiritur attentio talis, ut absit omnis voluntaria distractio. Ratio est, quia reverentia sacramento debita exigit, ut cum attentione tractetur. Voluntaria autem distractio ordinarie peccatum veniale non excedit juxta communem sententiam theologorum, nisi periculo in forma graviter errandi exponat. — *S. Lig. ibid.*

Excipiunt tamen *probabilius* et *communius* eucharistiam, in cujus confectione omnem voluntariam distractionem peccatum mortale reputant ob majorem sacramenti dignitatem. — *S. Lig. ibid.* — *Negant* tamen *non improbabiliter Lacroix lib. 6. part. 2. n. 443.* — *Mazzotta* et *alii.*

§. II.

De intentione ministri.

203. — Definitio: Intentio est actus voluntatis in aliquem finem tendentis, vel actus voluntatis, quo quis intendit aliquid agere aut omittere.

Divisio: Multiplex est, scilicet: 1° *actualis, virtualis, habitualis* et *interpretativa;* 2° *interna* seu *vera,* vel *externa,* quae solum actum exter-

(1) Distinguitur minister *ordinarius,* qui per legitimam ordinationem, ideoque munere proprio ac vi dignitatis suae (unum excipe matrimonium!) sacramenta conficit, et *extraordinarius,* qui aliqua quidem sacramenta conficit, sed solum ob peculiare privilegium vel ob specialem delegationem vel urgentem necessitatem. — *Scav.* Parochus seclusa episcopi reservatione dare potest simplici sacerdoti licentiam administrandi sacramenta, excepta poenitentia (intellige: quoad sacerdotem *non approbatum),* neque sine causa prohibendus est ab episcopo. — *S. C. E. 20. Aug. 1602.*

Sine pastoris consensu vero (praescindendo a privilegio et casu urgentis necessitatis) nemo sacramenta administret. Sufficit vero juxta hodiernam praxim saltem in genere pro administratione eucharistiae (v. *n. 289. IV.)* et poenitentiae (cf. *n. 553.)* consensus interpretativus; pro administratione autem baptismi et extremae unctionis requiritur consensus in gravibus ac particularibus circumstantiis certo praesumptus, pro assistentia ad matrimonium tandem omnino consensus positivus et datus (v. *n. 849. Q. 5°.).* — *Scav., de euch. c. 1. art. 3. q. 5. Not.*

num respicit; 3° *determinata* vel *indeterminata* seu in confuso; 4° *absoluta* vel *conditionata*. — Recole definitiones passim datas, v. g. in *tract. de act. hum.*, ubi de voluntario, *p. 1. n. 5.*

Principia:

I. Requiritur in ministro ad validitatem sacramenti voluntas aliqua *vera et seria* saltem faciendi id, quod facit Ecclesia(¹). — Constat ex *concilio Trid. sess. 7. de sacr. in gen. can. 11.*

II. Non requiritur intentio *actualis*, sed sufficit *virtualis*. Ratio est, quia intentio actualis, etsi optima et desideranda, est saepe impossibilis, saltem moraliter; virtualis vero satis influit in actionem ministri, ut vere humana et deliberata dici possit. — *Ita omnes.*(²)

III. Non sufficit intentio *habitualis*, nec *interpretativa*. Ratio est, quia ad actum humanum requiritur intentio, quae aliqua ratione actu exsistat in animo. Jam vero nec intentio habitualis, nec interpretativa ulla ratione actu in animo exsistunt: non prior, quia nec actu a voluntate elicitur, nec aliquando elicita in aliquo effectu vel in serie actionum actu perdurat; non altera, quia nec actu elicitur, nec umquam actu elicita fuit, sed tantum eliceretur, si ejus cogitatio in mentem veniret. — *S. Lig. n. 16.*(³)

Quaesita:

204. — Quaer. 1° *An requiratur intentio interna*(⁴)?

Resp. Affirmative, quia, si minister solum intenderet actum externum, non haberet veram intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ecclesia enim intendit ponere ritum sacramentalem; hoc autem non intendit, qui solum ritum externum facere proponit. — *S. Lig. n. 20. 23.*

Constat etiam ex *propositione 28.* ab *Alexandro VIII.* damnata, quae sic sonat: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*(¹)

Quaer. 2° *An requiratur in ministro intentio faciendi, quod facit ecclesia Romana?*

Resp. Negative, dummodo habeat intentionem saltem implicitam, faciendi id, quod facit vera Ecclesia, etiamsi ex errore putaret, suam ecclesiam heterodoxam esse veram Ecclesiam. — *S. Lig. n. 21.*

Quaer. 3° *An requiratur in ministro intentio conficiendi sacramentum?*

Resp. Negative, saltem *explicite*, modo haec intentio non excludatur. Sufficit enim, ut intendat in genere et *implicite* facere, quod Ecclesia facit. — *S. Lig. n. 22.* et *alii communiter.*

205. — Quaer. 4° *An intentio ministri debeat esse determinata ad certam materiam et personam?*

Resp. Affirmative. Ratio est: 1° *quoad materiam*, quia secus remaneret in statu indifferentiae; non potest enim ab eo statu erui et ad sacramentum determinari, nisi per ministri intentionem, ut patet; 2° *quoad personam*, quia effectus sacramenti nequit applicari in genere, sed tali subjecto; secus nulla fieret applicatio.(²)

(¹) vel aequivalens, faciendi v. g. quod Christus instituit vel quod videt per parochum fieri, in genere: conformatio cum intentione Ecclesiae. — *Scav.* — *S. Lig. n. 20. et seq.*

(²) Nec obstat (si matrimonium excipias), quod forte metus et coactio intercedant, cum ista voluntarium non auferant. — *S. Lig. n. 19.*

(³) Cf. etiam *p. 1. n. 6. 6°.*

(⁴) *praeter eam, qua minister mere actum externum ponere intendit* —

(¹) A potiori non sufficit intentio, quam vocant *mimicam*, qua quis solummodo per jocum, absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia, materiam et formam modo praescripto applicat. — *S. Lig. n. 22.*

(²) Attamen error in persona validitati sacramenti non obstat, nisi in matrimonio

Quaer. 5° *An validum sit sacramentum cum intentione conditionata collatum?*

Resp. 1° *Negative,* si conditio apposita sit de futuro, quia conditio suspendit intentionem ministri et proinde impedit, quominus forma hic et nunc applicetur materiae; nec postea applicari potest, purificata conditione, cum materia et forma jam desierint adesse.(1)

Resp. 2° *Affirmative,* si conditio sit de praeterito aut de praesenti, modo verificetur, quia hic et nunc transit intentio conditionata in intentionem absolutam. Si autem non verificetur conditio, tunc nulla est intentio, utpote restricta ad conditionem non exsistentem. — *S. Lig. n. 26.* et *alii communiter.*

206. — Quaer. 6° *An licita sit collatio sacramentorum cum intentione conditionata in dubio, utrum valide collata fuerint?*

Resp. 1° Quoad sacramenta characterem imprimentia certum est, licitam esse et ab omnibus admissam. Constat ex jure can. c. De quibus (2.) *de bapt. (III. 42.),* ubi indicatur haec forma in dubio de baptismo collato: *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.*

Resp. 2° Quoad alia sacramenta etiam licita est, si adsit causa gravis conditionem ponendi.(2) Ratio est, quia *sacramenta sunt propter homines,* et conditionata collatione sacramenti consulitur, in quantum fieri potest, bono eorum, qui ad sacramentum accedunt, si forte illius sint capaces, et consulitur simul reverentiae sacramenti adjecta conditione ex causa gravi. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 27. 28.* contra *plures.* Certum autem est, in extrema necessitate, ubi non adest materia, nisi dubia, ministrum non modo posse, sed et teneri sub gravi sacramentum ministrare sub conditione. — *S. Lig. n. 29.*

Quaer. 7° *An conditio verbis exprimi debeat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam sacramenti, ut mente concipiatur. Apponi tamen ore debet, ubi hoc praescribit rubrica, ut in baptismo conditionato, praesertim si publice conferatur, ne adstantes credant, baptismum absolute iterari. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 14. n. 3.* — *Lacroix n. 83. etc.*

§. III.

De fide et probitate ministri.

Principia:

207. — I. Nec fides, nec probitas seu status gratiae requiritur in ministro ad valorem sacramentorum. Constat 1° ex praxi et perpetua traditione Ecclesiae, quae numquam baptizatos ab haereticis et improbis rebaptizari voluit; 2° ex definitione Ecclesiae *(Trid. sess. 7. can. 12. de sacr. in gen.* et *can. 4. de bapt.).*

II. Requiritur autem ad licitam sacramentorum administrationem fides et probitas in ministro, saltem si is ad sacramenta conferenda *consecratus* sit et ea conficiat *solemniter* i. e. cum integro ritu ab Ecclesia praescripto. Graviter igitur peccat, qui in mortali sacramenta ministrat; minister enim fide destitutus vel improbus irrogat gravem injuriam Deo et Christo, sancta indigne tractando et, quantum in ipso est, contaminando. Insuper, cum minister sacramentorum repraesentet Christum primarium ministrum, qui est Sanctus sanctorum, ejusque personam gerat, necesse est, ut et ipse sit sanctus.

---

vel nisi minister suam intentionem certae personae exclusive allegaret. Sed etiam in hoc casu eucharistiam, ut patet, valide distribueret. — *S. Lig. n. 19.*

(1) Idem resolve pro casu, quod conditio est de impossibili et serio apponitur. Valet tamen sacramentum, si conditio est de futuro necessario, dummodo sacramenti suspensio non revera intendatur. — *Scav.*

(2) Cf. *n. 200.*

Quaesita:

208. — Quaer. 1° *An peccet graviter minister, qui confert in mortali sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus, v. g. si mulier baptismum in statu peccati ministret?*

Resp. Negative probabiliter, quia obligatio in ministro habendi sanctitatem non oritur praecise ex ipsa sanctitate Christi et sacramenti secundum se, sed ex ministri consecratione in ordine ad sacramenta conferenda. — *Billuart diss. 5. art. 4.* — *Concina, de ministro sacram. §. 5. quaest. 8.* et *alii multi.*

Affirmant tamen *alii* non pauci; *sic Collet* — *Lacroix* — *Lugo etc.* — *S. Lig.* vero *n. 32.* admittit probabilitatem utriusque sententiae, in affirmativam tamen magis inclinat.(¹)

Quaer. 2° *An peccet graviter sacerdos (seu minister consecratus) ministrans quidem sacramentum in mortali, sed non solemniter, v. g. baptismum absque caeremoniis in casu necessitatis?*

Resp. Controvertitur, ut in quaesito praecedenti, eaedemque afferuntur auctoritates et rationes pro alterutra parte et contra. Hinc *probabiliter* dicendum est, eum non peccare graviter, quia, licet sit *per se* consecratus ad sacramenta ministranda, non agit tamen ut consecratus seu deputatus, sed tantum ut laicus ex caritate, ad succurrendum proximo in necessitate versanti.

Quaer. 3° *An peccet graviter minister consecratus et solemniter ministrans in mortali, si urgeat gravis necessitas?*

Resp. Negative rigorose loquendo, nempe si periculum sit ita urgens, ut actum contritionis elicere nequeat. Sed haec hypothesis generatim neganda est. A mortali autem excusandus non est minister, qui, conscius gravis culpae, casum necessitatis facile praevidere potest, ut parochus et alii, qui ex officio sacramenta ministrare debent, et proinde speciali obligatione in statu gratiae habituali permanere tenentur. — *S. Lig. n. 33.* et *alii communiter.*

209. — Quaer. 4° *An peccet graviter ministrans eucharistiam in mortali, quin missam celebret?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia gravem injuriam irrogat sanctissimae eucharistiae. Licet enim ipse non agat ut causa efficax in conficiendo sacramento, est tamen illius dispensator ad id specialiter consecratus ac gravissimum obit ministerium, quod immediate sanctificationi animae cooperatur. — *S. Lig. n. 35.* et *alii communiter*(¹).

Quaer. 5° *An peccent graviter ordinati sanctissimam eucharistiam in mortali tangentes aut deferentes sive mediate, sive immediate?*

Resp. Controvertitur. Triplex est sententia probabilis:

Iª Sententia *probabilior affirmat* in utroque casu, quia rem sanctissimam, scil. corpus Christi, indigne tractant. Hanc sententiam valde probabilem vocat *S. Lig. n. 35.*

IIª Sententia *negat,* quia hoc non est administratio sacramenti, nec videtur materia tam gravis, ut peccatum mortale inducat. — *Ita Lacroix n. 101.* — *Salmant. tr. 1. c. 7. p. 11. n. 106.* — *Busemb.* et *S. Lig.* dicunt, hoc non esse improbabile.

IIIª Sententia sic *distinguit:* Peccant quidem graviter tangentes *immediate* sanctissimam eucharistiam in mortali, non vero tangentes *mediate.* Ratio repetitur ex gradu valde diverso irreverentiae inter primum casum et secundum. — Ita *Billuart.*

210. — Quaer. 6° *An peccent graviter exercentes in mortali alias functiones sacras?*

(¹) Quoad sponsos, qui in peccato mortali matrimonium contrahunt, adverte, eos non solum esse ministros, sed simul suscipientes. — Infra *n. 773.*

(¹) contra *plures,* qui negantem sententiam saltem *probabilem* censent. — *V. S. Lig. l. c.*

Resp. Negative, quia omnia alia exercitia ordinum praeter confectionem et administrationem sacramentorum non videntur sub gravi exigere sanctitatem conferentium, cum non sint proxime ordinata ad animae sanctificationem. — *Ita communiter et probabilius.* — *Salm.* — *Mazzotta*, et hoc *sat probabile* dicit *S. Lig. n. 37.*(¹)

Quaer. 7° *An teneatur minister confiteri ante confectionem sacramenti, si reus sit peccati mortalis?*

Resp. 1° *Affirmative*, si agatur de missae celebratione, nisi ipsi copia confessarii desit, quia omnes fideles communicaturi confessionem praemittere debent *ex decreto concilii Trid. sess. 13. cap. 7.*

Resp. 2° *Negative* vero *probabilius*, si agatur de aliis sacramentis, quia nulla lege ad confessionem obligatur; absolute enim sufficit, ut actum contritionis eliciat. Excipe tamen: si ipsi de sua contritione moraliter non constet. — *Ita S. Lig. n. 34.* — *Elbel* — *Lacroix* — *Lugo etc.* contra *plures.*

211. — Quaer. 8° *An peccet graviter, qui audit confessionem in mortali, sed non absolvit?*

Resp. Negative probabilius, quia confessarius, audiendo confessiones, non conficit sacramentum. — *S. Lig. n. 36.* et *alii communiter* contra *plures.*

Quaer. 9° *Quot peccata committat confessarius plures poenitentes successive in mortali absolvendo?*

Resp. Committit tot peccata, quot personas absolvit; singulae enim absolutiones constituunt tot actiones morales distinctas, totidem judicia completa atque sacramenta in statu peccati collata, proindeque totidem peccata. — Hanc sententiam *S. Lig. n. 36. veriorem* dicit contra *plures.*

212. — Quaer. 10° *Quot peccata committat, qui in mortali pluribus eucharistiam ministrat?*

Resp. Probabilius unicum tantum, si unica vice faciat, quia minister unicam actionem moralem ponit; singulae enim distributiones per modum unius habentur et unicam administrationem unumque convivium constituunt. — *S. Lig. n. 35.*

Nota: Sacerdotes in amplis nosocomiis aut in castris ministrantes in statu gratiae speciali obligatione semper esse debent, ut digne sacramenta conferre valeant, cum ibi necessitates morientium frequenter occurrant. Idem pariter de parochis et de aliis curam animarum habentibus dicendum est. — *S. Lig. n. 33.*(¹)

ARTICULUS II.
DE OFFICIO MINISTRI.

Scilicet: 1° quoad obligationem ministrandi sacramenta; 2° quoad obligationem ea aliquando denegandi; 3° quoad modum illa conferendi.

§. I.
De obligatione ministrandi sacramenta.

Principia:

213. — I. Pastores animarum tenentur sub gravi ex justitia sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter(²) petentibus. Pastores enim curam animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt.

II. Alii non pastores non tenentur ministrare sacramenta ex justitia; aliquando tamen tenentur ex caritate, scilicet in gravi necessitate proximi. Ratio utriusque patet. — *S. Lig. n. 58.*

(¹) Difficulter tamen a peccato gravi excusabitur praedicator, qui concionatur, exsistens publicus peccator, quia et in quantum scandalum praebet finemque doctrinae impedit. — *S. Lig. n. 41.*

(¹) Cf. supra *n. 208. Q. 3°.*

(²) si scilicet urget commune praeceptum illa suscipiendi, vel si privata petentis necessitas vel utilitas administrationem exigit, v. g. si petens praevideat aliquod periculum vel in tentatione versetur et gratia sacramenti indigeat, vel si devotionem statui suo congruentem exercere, indulgentiam lucrari etc. velit. — *Scav., de oblig. disp. 1. cap. 2. art. 2. §. 3. n. 3. Q. 6.* — Cf. etiam supra *n. 113. IV*

Quaesita:

214. — Quaer. 1° *Quinam veniant nomine pastorum animarum?*

Resp. Sunt ii omnes, qui ex officio seu titulo speciali superioritatis seu jurisdictionis spiritualis aut delegationis aliquam partem ovilis Christi pascere debent. Tales igitur sunt episcopi, parochi, vel qui curam subsidiariam animarum habent ex commissione seu munere publico, ut sunt coadjutores seu vicarii parochorum. Item respectu regularium ipsorummet praelati seu superiores proprii. — *S. Lig. n. 58.* — *Lacroix n. 133.*

Quaer. 2° *Quaenam sacramenta in necessitate ministranda sint etiam cum periculo mortis sive a pastoribus, sive ab aliis?*

Resp. 1° Ministri, qui *non sunt pastores, certo* tenentur tantum ad ministranda sacramenta absolute necessaria ad salutem, scilicet baptismum et poenitentiam vel extremam unctionem in casu, quo quis nullo modo confiteri queat. Ratio est, quia non tenentur, nisi ex sola caritate ad subveniendum proximo in gravissimo salutis periculo versanti. Praefata autem sacramenta sola sunt ad salutem necessaria. Ergo etc. — *Ita communissime theologi* cum *S. Lig. n. 58.* et *de praec. caritatis n. 27.*

Resp. 2° Ministri *pastores,* etiam *probabilius,* tenentur ad sola praefata sacramenta quocumque periculo ministranda. Ratio est, quia alia sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut pastor illorum ministrandorum causa teneatur prodere vitam. — *Ita S. Lig., de eucharistia n. 233.,* innixus in declaratione *Gregorii XIII. (12. Oct. 1576.)* et in alia declaratione *S. Congr. Concilii* ab eodem Pontifice approbata. (¹) — Sed pastores animarum tenentur vitam exponere non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, dum alii ministri in sola necessitate extrema ad id obligantur. — *S. Lig., de praec. car. n. 27.* — *Lacroix l. 3. p. 1. n. 755. et seq.*

215. — Quaer. 3° *An teneatur quis exponere vitam ad ministranda praefata sacramenta cum probabilitate tantum successus vel necessitatis?*

Resp. Negandum videtur, quia nimis durum est, exigere actum adeo heroicum ad proximum adjuvandum, si non adsit spes moraliter certa sive successus, sive necessitatis. — Hinc non teneris exponere certo vitam ad aliquem baptizandum vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam munus sacrum erga illum adimplere possis, vel probabiliter praesumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actus contritionis perfectae. — *Collet in contin. Tourn., de decal. c. 1. sub concl. 2. art. 3. sect. 4. punct. 1.* et *S. Lig. l. c. n. 27.*

Resolves:

216. — 1° Peccant graviter pastores animarum non tantum sine ratione ministerium suum denegantes, sed etiam, qui se morosos et difficiles saepe praebent: quia tali modo agendi fideles videntur a sacramentis deterrere idemque est, ac si sacramenta ipsis denegarent.

2° Mortale tamen non est, extra necessitatem uni vel alteri aut eidem semel vel iterum petenti denegare sacramentum poenitentiae vel eucharistiae; damnum enim illud facile reparari potest, ita ut subditus ideo non censeatur graviter invitus.

3° Si subditi irrationabiliter petant,

(¹) Cf. tamen infra *n. 292. Q. 4°.*
Potest autem parochus haec sacramenta ministrare per se vel per alium idoneum, imo videtur ad ministrationem per alium teneri, si secus sani deterrerentur a sacramentorum necessariorum susceptione. — Cf. *S. Lig., de euch. n. 233.,* praesertim vero *Benedictum XIV., de syn. l. 13. c. 19. n. 6. et seq.,* qui *ib. num. 11. et seq.* etiam de modo conferendi sacramenta peste infectis loquitur.

nullum est peccatum. Hinc non tenetur pastor quotidie cum scrupuloso vel devotulis tempus terere, cum iis non expediat tam frequens confessio, nec jus strictum ad absolutionem tam frequentem habeant.

4° Si parochus idoneos habet vicarios, non tenebitur adeo rigorose confessiones subditorum excipere; debet tamen fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi impeditus sit aut poenitentes libenter alium confessarium sint adituri.

5° Peccant graviter, generatim loquendo, pastores, qui subditorum confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis, quia auctores sunt, cur fideles in statu peccati diu remaneant et a sacramentis suscipiendis deterreantur. — *Vide S. Lig. n. 58.* et *alibi passim.*

Vide plura, ubi de singulis sacramentis, et recole dicta de officio parochorum in *tractatu de statibus partic. n. 113. et seq.*

§. II.

De obligatione aliquando denegandi sacramenta, nempe indignis petentibus.

Principium generale:

217. — Minister tenetur sub gravi, *per se loquendo,* sacramenta indignis denegare, quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter et juxta ejus voluntatem dispensanda; porro voluntas certa Christi est, ut sacramenta non conferantur indignis, juxta illud *Matthaei 7. 6.: Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* (1)

Regulae speciales:

218. — *Regula* I^a Peccatori *publico* sive occulte, sive publice petenti denegandum est sacramentum, quia nulla ratio adest, cur a regula generali exceptio fiat; imo grave scandalum fidelium inde sequeretur.(1) — *S. Thom. p. 3. q. 80. art. 6.* — *S. Lig. n. 44.*

Regula II^a Peccatori *occulto occulte* petenti pariter negandum est sacramentum, quia sine religionis detrimento et aliorum scandalo denegari potest.(2) — *S. Thom. p. 3. q. 80. art. 6.* — *S. Lig. n. 50.* — *Salmanticenses.*

Regula III^a Peccatori *vere occulto publice* petenti non est denegandum sacramentum. Ratio deducitur ex incommodis, quae sequerentur ex sacramenti denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et praesertim fideles in suspicionem adducti, ne a sacramentis prohibeantur, ab ipsis recederent. — *Ita omnes*

---

(1) Attamen nulla, saltem in genere, inquisitione de petentis dispositione opus est; insuper, ut sacramentum denegetur, constare debet de hac indignitate, quae proinde in dubio praesumenda non est, nisi forte agatur de crimine certo et ex adjunctis praesumi prudenter nequeat, delinquentem poenitentiam egisse.

Excipe casus illos, in quibus minister non solum administratoris, sed simul judicis partes agit; tunc utique de statu poenitentis inquirere et sibi de suscipientium dignitate prudens judicium positivum comparare debet; sic in poenitentia de poenitentis actibus, in baptismo adultorum de consensu et dispositionibus etc. — *S. Lig. n. 43. 48.*

(1) Observandum, ministrum etiam ex sola ratione scandali aliquando obligari ad dilationem sacramenti alicujus, praesertim eucharistiae *(S. Lig. n. 47.),* respectu ejus, qui hucusque publicus peccator fuit et publico scandalo nondum satisfecit.

Sincere poenitenti tamen, advertit *Scavini*, non negandum est sacramentum poenitentiae, nisi specialiter prohibitum sit v. g. ob censuram reservatam, ob defectum satisfactionis antea exhibendae etc. Idem extende ad sacramenta convenientia in casu mortis, etiam si sensibus destitutus inopinato in eo puncto collocetur; praesumitur enim tunc animus poenitens ideoque gratia sacramentorum adjuvandus est, ne forsan pereat, qui per ea salvari potest. (Cf. *n. 505. 506.*) Etiam matrimonium gravi interveniente causa quandoque permitti potest, ut v. g. Ecclesia aliquando permittit cum haeretico contrahere. — Cf. *n. 769.*

(2) Excipe semper: si indispositio nota sit ex confessione. — Cf. *n. 667.*

cum *S. Thom. p. 3. q. 80. art. 6.* — *S. Lig. ibid.*(¹).

Confirmatur ex *rituali romano de euch.*, ubi sic legitur: „Occultos pec„catores, si occulte petant et eos non „emendatos agnoverit, (minister) re„pellat: non autem, si publice petant „et sine scandalo ipsos praeterire ne„queat."

Quaesita:

219. — Quaer. 1° *Quandonam censeatur peccator* publicus *et* notorius, *vel* occultus; *aut* occulte *vel* publice *petens sacramentum?*

Resp. 1° Peccator *publicus* ille dicitur, cujus crimen vel pessima vita communiter cognoscitur.(²) Quod si infamia ejus nondum venerit quidem in communem notitiam, sed ita tamen cognoscatur, ut celari jam amplius non possit, dicitur peccator *notorius;* si vero absit periculum, ne indignitas nota fiat, peccator *occultus* nuncupatur.

Resp. 2° Peccator *occulte petens* dicitur ille, qui reperitur solus cum ministro vel cum aliis paucis nullius fere momenti, ut sunt pueruli etc. Secus publice petere censetur.

Quaer. 2° *An sit negandum sacramentum indigno publice petenti, cujus crimen est notorium quidem, sed nondum publicum?*

Resp. Negative juxta sententiam *probabiliorem*, quia non potest dici adhuc peccator publicus, et variis incommodis obnoxia esset denegatio sacramenti. Imo *probabilius* non est denegandum sacramentum, etiamsi plerique ex praesentibus crimen noverint, dum non est simpliciter publicum. — *S. Lig. n. 45.*

220. — Quaer. 3° *An denegandum sit sacramentum peccatori, quando crimen ejus non est publicum in eo loco, in quo petit, si publicum sit in alio?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* quia ex una parte ministrando ei sacramenta non adest scandalum aliorum, et ex altera parte eadem denegando nascerentur incommoda atque damna, quae ex denegatione peccatori occulto facta proveniunt. — *S. Lig. n. 46.*(¹) et *alii communius.*

Quaer. 4° *An liceat simulare administrationem sacramenti, ne indigno conferatur?*

Resp. Duplicem simulationem distinguunt theologi, aliam *formalem,* qua minister directe intendit decipere, aliam vero *materialem,* qua quis non intendit directe decipere, sed ex alio motivo ad simulandum inducitur, v. g. si gravi metu coactus sit etc.

Dico: Numquam licet ne *materialiter* quidem sacramentum simulare. Ratio est, quia omnis simulatio est injuria et irreverentia gravis in Christum, cui illudit minister abutendo rebus sacris ab ipso institutis et quem sic falso operantem inducit. — Constat

---

(¹) Excipe tamen 1° sacramentum ordinis, a quo indignus ob bonum publicum etiam cum sua infamia repellendus est, si aliter arceri nequit, licet delictum juridice probari non possit. Nec obligatur episcopus ad manifestationem causae repulsus, nec repulso competit appellatio, sed solummodo recursus ad S. Sedem. — *S. Lig. n. 52.* — *Bened. XIV., de syn. l. 12. c. 8. n. 3. 4.* — 2° Matrimonium, si parochus extra confessionem aliquod impedimentum cognoscat vel sciat, sponsos ignorare rudimenta fidei, ob prolis legitimitatem atque educationem tuendam. — *Scav.* — *S. Lig. n. 54.*

(²) Accuratius *Benedictus XIV.* in encyclica *Ex omnibus christiani orbis regionibus (16. Oct. 1756.),* quam invenies apud *Voit p. 2.* sub *n. 360.*, ubi Pontifex de hac publicitate disserens eam ad publicitatem juris (si scil. quis vel post sententiam a judice competente prolatam reus declaratus est vel reatum suum in judicio confessus) et facti extendit, sed dein advertit, requisitam certitudinem de subsistentia facti minime adesse in casibus, „in quibus crimen nititur conjecturis, praesumptionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis aut qui praejudicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur etc."

(¹) qui tamen *ib.* excipit: si notitia illius criminis facile est isthuc perventura.

etiam ex *propositione 29.* ab *Innoc. XI.* damnata, quae sic jacet: *Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.* In hac autem damnatione reprobatur evidenter simulatio materialis, cum de ea specialiter in hac propositione agatur. — Constat iterum ex auctoritate *Innocentii III., c.* De homine (7.) *de celebratione missarum (III. 41.),* ubi dicitur, quod ille, qui fraudulenter praesumpserit simulare, se consecrare, gravius peccat, quam si celebraret in mortali, quia Deo videtur illudere.

221. — Quaer. 5° *In quo praecise consistat simulatio sacramenti?*

Resp. Non conveniunt theologi. Aliqui dicunt, eam consistere in eo omni, quod suscipientes aut alios in errorem inducere potest. *Probabilius* juxta communem sententiam consistit in appositione ficta formae ad materiam aut in ficta formae prolatione, seu videtur haberi tantum, ubi ponitur *ficte* illud, quod *essentialiter* pertinet ad rem, quae simulatur, ita ut proximus necessario decipiatur.(¹) — *Mazzotta tr. 5. disp. 1. quaest. 2. c. 5. Quaer. 5°.*

(¹) Distinguunt sic *simulationem* a *dissimulatione*, quae habetur, quando defectus est exterior et per se loquendo agnosci potest, uti v. g. si in confectione non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a sacramento. Haec dissimulatio ex causa licita est, cum sic veritas solummodo occultetur nec sacramentum irreverenter tractetur, secluso tamen scandalo, contemptu, intentione fallendi etc. *(Scav.* — Cf. infra *n. 222. 3°. et 5°. — p. 1. n. 440. not.)* Hinc Congregatio S. Officii, si aliquando contigit, ut parentes infideles offerrent infantes ad baptismum, non ut christiani fierent, sed ut a quibusdam morbis praeservarentur, numquam permisit, infundere aquam sine prolatione formae, ut sic parentes ab importunis precibus desisterent, cum „baptisma sit janua omnium sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi possit.“ — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1807.*

Hinc resolves:

222. — 1° *Gravissime* peccaret sacerdos, qui in missa pronuntiaret verba consecratoria super panem et vinum, intentionem consecrandi excludens. Neque bona fide excusari possunt, qui crassa ignorantia laborantes et in mortali celebrantes consecrationem simulant, ne sacrilegii rei evadant, etiamsi verba consecrationis omnino omittant.

2° *Graviter* peccaret confessarius, qui verba absolutionis proferret sine animo absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a poenitente indisposito et absolutionem instanter petente, aut etiam gravissimo metu hoc exigente. — Dicunt plures, posse confessarium in hoc casu dicere: Ego te *non* absolvo etc., pronuntiando *то non* ita demisse, ut non audiatur a poenitente. Non improbabile hoc judicat *S. Lig. n. 59.;* sed confessarius alias voces aut preces tunc facile pronuntiare posset loco formae absolutionis. Ceterum casus iste fere chimaericus esse videtur.

3° Non autem simulat sacramentum poenitentiae confessarius, qui recitat preces super poenitentem indispositum, ne adstantes advertant, illum sine absolutione dimitti. Constat enim apud omnes, quod poenitentes saepe cum sola benedictione dimittantur, et quod ipsi sine intentione confitendi aut confessionem perficiendi ad sacrum tribunal accedant. — *S. Lig. n. 59.* et *alii communiter.*

4° *Graviter* peccat sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit etiam *scienti et consentienti,* ut evenit quandoque sacerdotibus perditis moribus cum complice, famae servandae gratia ad sacram mensam accedente. Ratio est, quia hostia non consecrata tunc exponitur adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam scienter recipientis cum reverentia externa, quae idololatriam externam et materialem, et proinde

quid intrinsece malum constituit. — *S. Lig. n. 61.*

5° Non tamen peccant saltem graviter, qui metu gravi coacti matrimonium inire simulant, juxta sententiam communem. Ratio est, quia, cum desit voluntarius consensus, deest materia et forma (saltem juxta sententiam communiorem et probabiliorem[1]), quae tenet, sponsos esse hujus sacramenti ministros) et proinde non est simulatio sacramenti, sed tantum simulatio contractus. Aliunde error sufficienter adverti posset ex circumstantiis, et sic deceptio necessaria non est. — *S. Lig. n. 62.*

§. III.

De modo sacramenta conferendi.

223. — Non satis est, ut minister ea, quae ad materiam et formam spectant, diligenter observet, sed omnes S. Ecclesiae leges circa sacramentorum administrationem studiose servare debet. Curet, ut omnia graviter, religiose et cum fidelium aedificatione perficiat. Caveat, ne propter nimiam celeritatem aut agendi consuetudinem vel etiam memoriae defectum quidpiam omittat. Tutius erit generatim, si in precibus recitandis rituale prae oculis habeat.

Quaesita:

224. — Quaer. 1° *Utrum de praecepto sit, uti rituali romano in administratione sacramentorum?*

Resp. Affirmative. Etenim non semel declaravit S. Congr. Rit., *illos solos libros adhibendos et in illis tantum benedictionibus, quae rituali romano sunt conformes, nec alios adhibendos esse, dummodo non constet, ab hac S. R. Congr. fuisse approbatos. (S. C. Rit. 7. Apr. 1832. in Arimin.* et *23. Maji 1835. — V. Gardellini 4681. 4747.)*

Nuperrime vero ad hanc quaest. *S. C. Rit.* oblatam:

(1) imo certam —

Etiamsi ecclesia Cenomanensis sibi de breviario et missali iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad pontificale, caeremoniale episcoporum, martyrologium et rituale romanum, ita videlicet, ut praeceptivas praedictorum librorum regulas, tolerante nempe, permittente aut etiam aliter quidpiam statuente reverendissimo episcopo, canonici aliive sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere, sicque reverendissimi episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio? — respondit S. Congregatio: *Negative et amplius. (S. C. Rit. 10. Jan. 1852.)*

Nota: Advertendum est, quod praeter editionem ritualis romani a *Benedicto XIV.* editam vix datur genuina et authentica praefati ritualis editio, et praesertim in Gallia. Non minori diligentia curandum est, ne adhibeantur benedictionum formulae saepe saepius rituali romano additae, quin constet, ipsas a S. Congr. Rit. fuisse approbatas. (1)

225. — Quaer. 2° *Quaenam vestes sacrae requirantur ad sacramentorum administrationem?*

Resp. Secluso casu urgentis necessitatis *stola* et *superpelliceum* generatim requiruntur. — Dicitur *superpelliceum;* nam quicumque possit esse multis in locis usus contrarius, *rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam tonsuram et minores ordines necessario superpelliceo utendum.* — Sic *S. C. Rit. 10. Jan. 1852. in Cenomanensi.*

226. — Quaer. 3° *An sacerdos necessario stolam deferre debeat in administratione sacramenti poenitentiae?*

Resp. Negative. Equidem rubrica ritualis romani in *ordine ministrandi sacr. poenitentiae* dicit, *stolam violaceam* adhibendam; sed est rubrica *directiva*(2). Episcopi vero praecipere

(1) Prostat editio ritualis romani, 1864 typis S. Congr. de Prop. Fide facta, *cum nova appendice benedictionum et instructionum.*

(2) sive potius: rituale rom. ipsum exceptiones permittit, addendo *ib.:* „prout

possunt, ut stola in omnibus adhibeatur. — *Ita S. Congr. Rit. 28. Aug. 1628. in Casert.*(1)

Nota: Stola vero non deferri debet, nisi in sacramentorum et sacramentalium confectione, et in actu praedicationis, ubi exsistit consuetudo, necnon in quibusdam aliis functionibus in rituali romano(2) determinatis. Usus autem stolam deferendi ut signum jurisdictionis et praeeminentiae tamquam abusus reprobatur. — *Sic S. Congreg. Rit. 7. Sept. 1816.; 11. Sept. 1847* et *7. Sept. 1850.*

Plura circa modum administrandi sacramenta, ubi de singulis in particulari agetur.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

227. — Subjectum sacramenti dicitur ille, qui sacramentum suscipit et est capax effectus sacramenti.

Subjectum sacramentorum est solus homo *viator,* quia, ut scripturis et traditione patet, pro solis hominibus viatoribus sacramenta instituta sunt. Non tamen omnes homines sunt omnium sacramentorum recipiendorum capaces. Sic mulieres sacramentum ordinis suscipere nequeunt, nec infantes ratione nondum utentes suscipere possunt sacramenta poenitentiae et extremae unctionis, ut patet.

Ratio autem, cur solus homo viator sit capax sacramentorum, est *a priori* voluntas Christi Domini, institutoris sacramentorum. Ratio autem convenientiae est, quia juxta ordinem praesentis providentiae solus homo viator est capax primae gratiae vel augmenti gratiae, non autem sunt capaces gratiae beati vel animae in purgatorio detentae, quibus jam determinata est mensura gloriae respondens gratiae, quam in vita mortali habuerunt. Multo autem minus capaces sunt gratiae damnati, utpote a Deo jam in aeternum separati. His positis

Agendum: de requisitis tum ad validam, tum ad licitam sacramentorum receptionem.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD VALIDAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

Principia:

228. — I. Nulla requiritur probitas, nec proprie fides in subjecto ad sacramenta valide suscipienda, si poenitentiae sacramentum excipias. Constat ex praxi Ecclesiae, quae numquam permisit iterum baptizari et ordinari haereticos et improbos homines rite baptizatos et ordinatos. Constat etiam quoad fidem ex definitione expressa *concilii Trid. sess. 7. can. 13. de baptismo.*

II. Nulla requiritur dispositio nec intentio in infantibus aut perpetuo amentibus, ut valide recipiant sacramenta, quorum sunt capaces, videlicet: baptismum, confirmationem, ordinem et eucharistiam, quae olim ipsis ministrabatur. Constat ex praxi Ecclesiae et sensu communi etc.

III. Requiritur in adultis intentio aliqua ad sacramentorum validam susceptionem, quia non est conveniens, ut adultus sanctificetur, nisi velit. Sed sufficit pro plerisque sacramentis intentio habitualis(1), etiam quandoque

---

tempus vel locorum feret consuetudo" et alibi *(De iis, quae in administratione sacramentorum generaliter servanda sunt):* „nisi in sacramento poenitentiae ministrando occasio vel consuetudo vel locus interdum aliter suadeat."

(1) Item in *publica administratione* hujus sacramenti stola adhiberi debet. — *S. C. R. 7. Dec. 1844.* et *11. Sept. 1847 in Patav.*

(2) in aliis rubricis vel per authentica indulta — *(Cf. Gardellini.)*

(1) Quoad *objectum* hujus intentionis notamus, non opus esse voluntate suscipiendi sacramentum, sed satis esse, si quis sincere id suscipere velit, quod eo ritu praestat Ecclesia, licet illud inane credat, ut jam diximus de ministro *n. 203. et seq.* — *Scav.*

Non sufficit vero intentio *neutralis,* qua quis ita animo comparatus est, ut neque consentiat, neque dissentiat. — *S. Lig. n. 81.* De tali enim dici nequit, eum *velle* suscipere sacramentum.

Quamvis vero sacramenta etiam dormientibus, ebriis et lapsis in amentiam, dummodo debita intentio antea non de-

confusa tantum seu implicita, spectata cujusque sacramenti natura; collatio enim sacramentorum est quaedam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit intentio habitualis. Aliud autem est de conferente sacramentum, quia, cum agere debeat modo humano, necesse est, ut intentionem saltem virtualem habeat.

IV. Ad cetera sacramenta valide suscipienda praeexigitur susceptio baptismi; proin homo non baptizatus nullatenus est capax aliorum sacramentorum. Etenim cetera sacramenta sunt instituta pro sola Ecclesia; porro per solum baptismum fiunt homines de corpore Ecclesiae etc. Sic definivit *Eugenius IV. in decreto pro Armenis.*

Quaesita:

229. — Quaer. 1° *An requiratur attentio in subjecto adulto, ut sacramentum valide suscipiat?*

Resp. Negative prorsus. Sufficit enim intentio, ut jam explicatum est in principiis, etiam in sacramentis, quae requirunt intentionem virtualem, quia actus humanus non procedit ab *attentione,* sed a voluntate seu ab *intentione.* — Praeterea pleraque sacramenta, ut dictum est, ne requirunt quidem intentionem virtualem; ergo *a fortiori* non requirunt attentionem ex parte subjecti. Insuper non requiritur attentio in ministro ad conficiendum sacramentum, ut constat ex dictis *supra n. 202.;* ergo *a fortiori* non requiritur in subjecto ob easdem rationes. — *Sporer n. 157.*

Hinc frustra scrupulis agitantur aliquando poenitentes ex eo, quod distractiones passi fuerint tempore, quo absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint.

230. — Quaer. 2° *Quaenam intentio requiratur in adultis pro singulis sacramentis suscipiendis?*

Resp. 1° Ad baptismum valide recipiendum requiritur in adultis intentio saltem *habitualis,* quae fuerit antea expressa et numquam retractata. (1) Aliqui tamen dicunt, sufficere voluntatem baptismi implicitam, qualis esset in eo, qui haberet voluntatem peragendi omnia ad salutem necessaria. (2)

2° Ad confirmationem sufficit voluntas *habitualis,* etiam *implicita* vel, ut dicit *S. Lig., interpretativa.* — Sic conferri potest moribundo sensibus destituto. Hoc tamen a praxi Ecclesiae alienum est ex eo, quod ad salutem confirmatio necessaria non sit. — *S. Lig. n. 82. etc.*

3° Ad poenitentiam requiritur intentio vel *actualis* vel saltem *virtualis,* nec proinde intentio habitualis sufficit. Actus enim poenitentis pro materia proxima hujus sacramenti requiruntur; tales autem actus absque intentione saltem virtuali hoc sacramentum recipiendi haberi non possunt. — *S. Lig. n. 82.* (3)

4° Ad extremam unctionem sufficit intentio *habitualis,* vel *implicita* seu *interpretativa,* ut dicunt communiter theologi, et constat ex *rituali romano,* ubi de ea dicitur: Hoc sacramentum est praebendum sensibus destitutis, qui antea illud petierunt seu verisimiliter petiissent. — *S. Lig. ibid.*

5° Ad ordinem certo non sufficit in adulto intentio *interpretativa,* quia sine voluntate explicita nullus adultus potest gravissimam obligationem status clericalis subire. Sufficere videtur intentio *habitualis.* In praxi autem

---

fuerit et cetera necessaria adsint, *probabilius* valide conferantur, id tamen propter reverentiam sacramentis exhibendam illicitum est, nisi urgeat probabile mortis periculum vel impedimentum usus rationis censeatur perpetuum. — *S. Lig. n. 81.*

(1) In dubio autem de requisita voluntate baptismus urgente necessitate conferendus est sub conditione: si es capax. — *S. Lig., de bapt. n. 139.*

(2) Censet *S. Lig. n. 82.* cum *Lugo,* hanc sententiam solummodo in infideli, qui semper invincibiliter veram fidem ignoravit (necessaria tamen necessitate medii callet), locum habere posse.

(3) Nota tamen dicenda sub *n. 505. 506.*

requiritur intentio *actualis* vel saltem *virtualis*. — *S. Lig. n. 82.*

6° Ad matrimonium requiritur intentio saltem *virtualis*, quia matrimonium perficitur ratione contractus, ad quem deliberatio et plena voluntas necessaria est. — *S. Lig. ibid.*(1)

ARTICULUS II.
DE REQUISITIS AD LICITAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

Principia:

231. — I. Ad *sacramenta vivorum* licite et fructuose(2) recipienda praeter intentionem positivam ea suscipiendi praerequiritur status gratiae. Haec enim ex primaria sua institutione a Christo sunt ordinata non ad conferendam primam gratiam, sed ejus augmentum, cum primam gratiam jam in subjecto supponant. Hinc graviter peccant, qui sacramenta vivorum in mortali suscipiunt, et gravius quidem ac illi, qui indigne ministrant aut conficiunt. — *S. Lig. n. 86.* — Status autem gratiae desideratus mediante confessione procurandus est, si ad eucharistiam accedendum sit, vel saltem per contritionem perfectam, si agatur de aliis sacramentis recipiendis, ut supra dictum est de ministro. Satius vero est, quantum fieri potest, confessionem omnium sacramentorum vivorum receptioni praemittere.

II. Ad *sacramenta mortuorum* ab adultis licite recipienda requiruntur actus saltem impliciti fidei(3) et spei juxta haec apostoli *Hebr. 11. 6.: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Requiritur insuper actus doloris de peccatis, quia nulli datur venia peccatorum sine retractatione aut dolore supernaturali de peccatis commissis. Nec dolor supernaturalis concipi potest, quin voluntas fide et spe erigatur. Haec autem in sacramento poenitentiae etiam ad validitatem necessaria sunt, quia ad dispositionem poenitentis pertinent. — *Trid. sess. 14. de poenit. c. 4.* — Sufficit autem attritio, ut dicetur, ubi de his sacramentis in particulari agendum erit. — *S. Lig. n. 86.*

Quaesita:

232. — Quaer. 1° *An sacramenta valide, sed illicite suscepta remoto obice reviviscant seu gratias sibi proprias producant?*

Resp. Affirmative, saltem pro plerisque sacramentis. Ratio est, quia per accidens tantum fit, quod effectus suos proprios non producant, nempe propter obicem, et proinde effectus illi remanent suspensi, stante obice; hoc vero remoto animae applicari debent. Hoc ut certum pro sacramentis characterem imprimentibus admittitur. Idem *probabiliter* etiam dicendum est de sacramentis extremae unctionis et matrimonii, quae, stante eodem morbo aut eodem conjugio, iterari nequeunt.(1) — *S. Lig. n. 6.* et *87.*

Quaer. 2° *Qualis dispositio requiratur in subjecto, ut sacramentum informe reviviscat?*

Resp. Statuitur communiter haec regula generalis: requiritur ea dispositio, quae deerat et cujus absentia causavit obicem effectui sacramenti, seu debet praecise poni id, quod necessario requirebatur in susceptione sacramenti. Unde *per se* sufficit attritio pro reviviscentia baptismi et ex-

(1) Pro eucharistia tandem sufficit intentio *interpretativa.* — *S. Lig. n. 82.*

(2) Quamvis enim in casu gravis necessitatis sacramenta vivorum in statu peccati mortalis etiam sine contritione suscipere communius licitum asserant, tamen sic nullus fructus exinde perciperetur. Id contingeret v. g., si laicus scamno communicantium accumbens subito peccati mortalis nondum deleti recordaretur. — *S. Lig. n. 86. Not. II.* — *Scav.* — Cf. supra *n. 208. Q. 3°.*

(3) Cf. quae de necessario sciendis necessitate medii et praecepti diximus *p. 1. n. 194. et seq.*

(1) Sententiam, quae hisce sacramentum poenitentiae addit, *S. Lig.* in *Examine ordinand. n. 4.* communem et veriorem vocat.

:mae unctionis. Requiritur autem ntritio perfecta vel attritio cum consione pro ceteris sacramentis, sciet pro confirmatione, ordine et mamonio. — Item si informis fuerit ptismus ob solum fidei defectum, riviscet per actum fidei cum attri- ıne peccati infidelitatis Ratio est, ia, quemadmodum inductus fuit obex opter carentiam alicujus dispositio- requisitae, ita tollitur per ejusdem sitionem nulla enim tunc superest tio, ut effectus sacramenti remaneat spensus. — *Ita S. Thom. p. 3. q.). art. 10. (pro bapt.)* — *Lugo d. n. 50. et seq.* — *Lacroix n. 207* **233.** — Quaer. 3° *An sufficiat tritio, ut baptismus informis reviscat, si suscipiens alia peccata avia post baptismum commiserit?* *Resp. Negative,* quia peccata post ptismum commissa sunt materia nessaria sacramenti poenitentiae et proıle remitti non possunt, nisi per illud :ramentum vel per contritionem pertam cum voto sacramenti poeniten- : in ea incluso. *Lugo d. 9. n. et seq.* — *Lacroix n. 207.*

uaer. 4° *An liceat petere sacratum a ministro indigno?*

:sp. 1° Non licet sine ulla causa, sic induceretur minister indignus e ratione ad graviter peccandum, fieri nequit; caritas enim exigit, ediamus peccatum proximi, quod impedire possumus. — *S. Lig.* et *alii communiter.*

). 2° Licet autem, si sacramen- n possit facile peti ab alio sanec possit facile differri ejus): nemo enim tenetur e jure re cum magno incommodo ad peccatum alterius impedienne sacramentum petens perpliciter peccatum, sed pecnon est. — *S. Lig. ibid.* autem sufficiens foret v. g. paschale implendum, vel ıs diu in statu peccati morre vel communione privari

Quaer. 5° *An vero liceat p sacramentum a ministro excomm cato vel haeretico?*

Resp. Si minister sit excommı catus *vitandus,* non licet, nisi in trema necessitate(¹) si vero sit *to ratus,* licebit etiam sine gravi causa(quia *concilium Constantiense* absolu concessit fidelibus communicationeı cum haereticis toleratis.(³) — *Vid* dicenda in *tractatu de censuris.*(⁴)

(¹) Cf. *n. 960. 1°.* cum *not. 2. et 3.*
(²) V. *Quaer. 4°.*
(³) Quid vero de ministro haeretico in sensu obvio sic dicto, qui scilicet societati heterodoxae aggregatus est? — Cf. infra *n. 964. 3°. not.*
(⁴) Quoad *caeremonias* in administratione sacramentorum ab Ecclesia praescriptas peccat minister, qui eas contemnit, sine causa sufficiente omittit aut mutat *(conc. Trid. sess 7 de sacr. can. 13.),* pro materiae gravitate, ideoque graviter, si negligat vel caeremonias *integrales* (quae scil. sacramenti actionem complent ejusque effectus clarius indicant, uti exorcismi in baptismo), vel etiam *accidentales* (quae ad actus ornamentum et decorem pertinent, ut genuflexiones) in magna quantitate aut cum scandalo gravi aut ex contemptu. — *Scav.*

Sacramentalibus (cf. *n. 190.)* autem praeter alios effectus etiam inest vis augendi gratiam et remittendi peccata venialia, et quidem, ut ait *Ferraris (Bibl. Prompt. ad v.* Peccatum *n. 52.),* „ex opere operato, remote tamen et mediate, quatenus nempe per preces Ecclesiae junctas rebus sacramentalibus, dum iis pie utimur, movetur Deus *(etsi non infallibiliter),* ut in nobis excitet pios illos motus, quibus adnexa est remissio venialium; partim ex opere operantis, quatenus homo iis sacramentalibus pie utitur in remedium ac remissionem peccatorum suorum cum piis motibus displicentiae peccatorum, conversionis in Deum, amoris, adorationis et hujusmodi. Et haec videtur esse mens *d. Thomae p. 3. q. 87. art. 3.*" — Cf. etiam *S. Lig. n. 90. et seq.,* qui monet, consultum esse, in usu sacramentalium ad actus doloris vel amoris se excitare.

Sacramentalibus accensendae sunt *benedictiones,* quae fiunt per Ecclesiae ministros. Quamvis enim laici quoque illis benedictionibus uti possint, quibus non aliqua res consecratur, sed prospera alicui adprecamur vel Deum super aliqua re oramus, ut salutaris fiat ea utentibus, hae tamen sacramentalia non sunt. Benedi-

ctiones autem, quae nomine Ecclesiae fiunt, aliae soli Romano Pontifici competunt, aliae soli episcopo (eae scil., in quibus intervenit sacra unctio et quae ipsi praeterea juxta rubricas missalis et ritualis rom. reservatae sunt — *De Herdt*), aliae parocho vel ab ipso deputatis, aliae tandem etiam sacerdotibus simplicibus.

Statuunt vero *Catalani* et *Quarti* generalem regulam, illas benedictiones etiam a simplici sacerdote sine laesione jurium parochialium fieri posse, quae in missali vel rituali praescribuntur faciendae per „sacerdotem" sine addito, non vero illas, quae fieri debent a „parocho vel ab alio sacerdote" vel „de licentia ordinarii"; subintelligitur enim, sacerdotem tunc indigere licentia parochi vel ordinarii. — Cf. *Scav. tom. 3. tract. 9. annot. D.* Ast haec regula nobis pro praxi minus utilis videtur. Singillatim benedictiones, quae de jure communi (praescindendo a consuetudine immemoriali vel saltem centenaria, legibus dioecesanis, indultis specialibus vel conventione) parochis exclusive competunt quaeque simplicibus etiam sacerdotibus, recensent *Ferraris ad v.* Benedictiones et *ad v.* Confraternitas *art. 2.; De Herdt, Sacrae liturgiae praxis tom. 3. p. 5. n. 37.;* conferenda vero imprimis *instit. 105. Bened. XIV.* sub tit.: „Leges observandae in civitate ac dioecesi Bononiensi pro iis controversiis, quae inter parochos etc.", praesertim *§. 3. et seq.* — V. etiam *Gardellini.*

Benedictiones porro simplicibus sacerdotibus competentes a quolibet sacerdote fieri possunt, non tamen 1° in alterius ecclesia neque in capellis vel oratoriis adnexis ecclesiae, pastore seu rectore invito seu contradicente; — 2° nec publice et solemniter in locis alterius jurisdictionis; — nec 3° si conventiones, leges dioecesanae, consuetudines legitimae etc. obstent. — *De Herdt l. c. n. 3.* Imo, aliquando etiam a privatis ejusmodi benedictionibus abstinendum erit, ne pax turbetur etc.

Quoad ritum vero in benedictionibus adhibendum cf. *n. 224.*

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

Agendum: de natura, proprietatibus et necessitate, — materia et forma, — ministro, — subjecto et solemnitatibus accessoriis baptismi.

CAPUT I.
DE NATURA, PROPRIETATIBUS ET NECESSITATE BAPTISMI.

234. — Vox *baptismus* aut *baptisma* idem significat, ac immersio et lavatio; unde baptismus dicitur etiam *lavacrum,* quia peccata abstergit.

Baptismus definitur: sacramentum regenerationis per aquam in verbo. — Sic *catech. rom.* Vel: est primum novae legis sacramentum maximeque necessarium ad spiritualem hominis regenerationem, a Christo institutum.

A baptismo aquae, qui vocatur *fluminis,* distinguitur baptismus *flaminis* et *sanguinis*, quibus suppleri potest baptismus *proprie* dictus, si hic sit impossibilis. Prior est ardens desiderium(¹) recipiendi baptismum aquae, cum plena conversione ad Deum seu cum contritione aut caritate perfecta. Posterior est effusio sanguinis seu mors tolerata pro fide aut pro alia virtute christiana.(¹) Sed solus baptismus aquae proprie *baptismus in re* vocatur(²). Baptismus flaminis et sanguinis *baptismi in voto* dicuntur.

235. — Effectus baptismi tres numerantur potissimi, nempe: 1° remissio peccati originalis et peccatorum actualium, si quae sint, per gratiae

(¹) etiam implicitum — *S. Lig. n. 96.*

— Cf. etiam *cap.* Apostolicam (2.) *de presbyt. non bapt. (III. 43.)*

(¹) *Probabilius* tamen ad baptismum sanguinis in adultis etiam contritionem vel caritatem perfectam requirunt juxta *1. Cor. 13. 3. — S. Thom. p. 3. q. 66. art. 12. ad 2.; 2. 2. q. 124. a. 2. ad 2. — S. Lig., de bapt. n. 98.*

(²) et ipse solus characterem imprimit. — Cf. *S. Lig. n. 96.*

sanctificantis infusionem(¹); 2° remissio totalis poenae aeternae et temporalis peccatis debitae(²); 3° impressio characteris, quo baptizatus signatur filius Dei et cohaeres Christi, et redditur incapax baptismi denuo suscipiendi. Constat quoad 1um ex *Trid. sess. 5.* in decreto de peccato originali; quoad 2um ex *Trid. ibid.* et ex *conc. Florent.* in decreto pro Armenis; quoad 3um ex *conc. Florent. ibid.* et ex *Trid. sess. 7. de baptismo.*

Baptismus igitur est velut janua Ecclesiae et regni coelorum. Hinc, si quis non fuerit valide baptizatus, nullum aliud sacramentum valide recipere potest, quia baptismus est necessario primum omnium sacramentorum.

Baptismus aquae in re vel in voto est omnino necessarius ad salutem(³) necessitate medii ex institutione divina. Constat ex verbis Christi *Joan. 3. 5.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Et ex *Trid. sess. 7. can. 5. de baptismo: Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.*

(¹) cui additur nobilissimus omnium virtutum comitatus — *Cat. conc. Trid., de bapt. Q. 39.* — *Conc. Trid. sess. 6. cap. 7.*

(²) non tamen liberatio a poenalitatibus vitae praesentis, sive, ut ait *S. Thom (p. 3. q. 69. art 3.)*, „baptismus habet „virtutem auferendi poenalitates praesen„tis vitae, non tamen eas aufert in prae„senti vita: sed ejus virtute auferentur „a justis in resurrectione, quando mortale „hoc induet immortalitatem. . . Et hoc „rationabiliter etc.“

(³) post sufficientem evangelii promulgationem — Cf. *Trid. sess. 6. cap. 4. de justif.* — *p. 1. n. 124.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

DE MATERIA TUM REMOTA, TUM PROXIMA BAPTISMI.

§. I.

De materia remota baptismi.

Principia:

236. — I. Materia valida baptismi est sola aqua naturalis seu elementaris, apta ad abluendum. Est de fide. Constat 1° ex verbis Christi *Joan. 3. 5.: Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* — Constat 2° ex variis conciliis, praesertim ex *conc. Florent.* in decreto pro Armenis et ex *Trid. sess. 7. can. 2. de baptismo: Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto“ ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

II. Materia licita baptismi extra casum necessitatis(¹) est sola aqua benedicta seu consecrata, et chrismate immixta juxta ritum Ecclesiae, saltem pro baptismo solemni. Constat ex jure can. *(Vide infra de caeremoniis baptismi.)* Peccat autem certo graviter peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida aut foetulenta, licet talis materia sit valida.(²) — *S. Lig. n. 102. etc.*

(¹) Hic casus necessitatis interdum in missionibus contingit. Rescripsit hac de re *C. Propagandae* 1806 vicario apostolico Tonkinensi: „ . . . Ubi aquam praescripto ritu benedictam asservari gravis sit incommodi aut periculi, licebit eo casu missionariis vel cuilibet alii, qui ad hoc sacramentum conferendum pro rerum opportunitate aptus erit, uti aqua communi, praesertim si benedicta fuerit, pro aqua fontis baptismalis, quae nonnisi gravi cum incommodo aut periculo haberi possit.“ — *Anal. J. P. ser. 8. col 1571. n. 95.*

(²) 1° Utrum valide baptizetur cum aqua, quae, etsi suam liquiditatem omnino servet, magnum tamen et injucundum foetorem exhalat? 2° Utrum, posita validitate

III. In periculo mortis, si non possit haberi materia certo valida, debet adhiberi dubia sub hac conditione: *si haec materia sit sufficiens.* Sufficit autem in tali casu etiam tenuis probabilitas de valore materiae, quia in necessitate succurrendum est proximo omni meliori modo possibili. Si vero baptizatus tali modo supervixerit, habita copia materiae certo validae iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* — *Antoine etc.*

Resolves:

237. — 1° Materia valida est: 1° aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; 2° aqua pluvialis, aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; 3° aqua sulphurea vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis etc.;(1) 4° aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certo praedominans, ita ut juxta usum aut aestimationem hominum adhuc aqua dici possit. — *S. Lig. n. 103.* — *Elbel n. 8.* et *alii communiter.*

2° Materia invalida est: 1° Lac, sanguis, lacrymae, sudor, saliva, sputum, urina; 2° vinum, oleum, succus expressus ex floribus(1), cerevisia, jus densum ex adipe etc.; 3° lutum, atramentum; 4° nix, glacies, pruina, et alia similia nondum resoluta, quia in hoc statu non sunt aqua naturalis.

3° Materia dubia est: 1° Jusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto; 2° aqua artificialis per artem chimicam deducta ex plantis, floribus aut radicibus. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 103. 104.*

§. II.

De materia proxima baptismi.

238. — Materia proxima baptismi est ablutio, quae tribus modis fieri potest, scilicet *immersione, aspersione* et *infusione,* juxta praxim diversarum ecclesiarum(2), ita ut morali hominum judicio baptizatus censeatur esse lotus. Constat ex verbis formae et perpetua praxi Ecclesiae, necnon ex *Ephes. 5. 26.: Mundans lavacro aquae in verbo vitae.*

Quaesita:

239. — Quaer. 1° *An possit valide baptizari puer in utero matris?*

Resp. Affirmative probabilius, si puer attingatur aqua in utero matris medio aliquo instrumento, quia talis infans, cum exsistat jam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat illud, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia haec est veluti pars infantis.(3) Sed sub conditione baptizandus est, quia non constat, utrum valida sit talis baptismi collatio. Si puer nascatur, iterum sub conditione baptizandus est(4), quia

---

baptismi cum tali aqua, si altera bona sacro chrismate foecundata non habeatur, melius sit uti ista aqua putida, quam aqua pura et naturali, chrismate non foecundata?

Resp. S. Offic. die 17. Apr. 1839: *Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis, et in casu necessitatis praeferendam esse aquam naturalem; sed providendum esse renovationi aquae fontis baptismalis juxta rituale romanum.* — *Anal. J. P. l. c.*

(1) Aqua simpliciter distillata cum rosis aut aliis floribus est vera aqua naturalis ideoque materia valida, non tamen per se licita. — Aqua vero fluens e vite aliisve plantis ut materia dubia habetur. — *S. Lig. n. 104. Dub. 1. et 3.*

(1) V. *not. praec.*

(2) V. *rituale rom. de forma bapt.* Haec praxis servanda est sub gravi. — *Scav.*

(3) Addit auctor in recentissima editione gallica, nunc a medicis secundinam mediante aliquo apto instrumento absque foetus damno disrumpi, ita ut aqua, alio instrumento intromisso, ad ipsum foetus corpus immediate tangendum perveniat.

(4) etiamsi aqua baptismi capiti infantis immissa fuerit, ut satis colligitur ex *de-*

prius baptisma incertum est. — *S. Lig. n. 107.*(1)

Quaer. 2° *An valeat baptismus, si aqua tantum tangat vestes aut crines baptizandi?*

Resp. 1° Si aqua tangat tantum vestes, *certo* invalidus est baptismus, quia sic homo non potest dici ablui; 2° *probabilius* autem validus est, si aqua crines tangat. Sed in praxi tutior pars sequenda est.(2) — *S. Lig. ibid. Q. 3.*

Quaer. 3° *An valeat baptismus collatus in alia parte, quam in capite?*

Resp. Affirmative probabilius, praesertim si baptismus in alia parte principali conferatur, v. g. in pectore, scapulis etc. Attamen, si necessitas id exigeret, postea iterandus foret baptismus, in quantum fieri posset.(3) — *S. Lig. ibid. Q. 4.*

240. — Quaer. 4° *An una vel altera gutta aquae ad baptizandum sufficiat?*

Resp. Negative probabilius, praesertim si aqua non fluat, quia nequit ici ablutio, quae ad baptismum omino requiritur. — *Ita communiter.* - Attamen videtur esse materia du-, quae in casu necessitatis foret hibenda.(4) — *S. Lig. ib. Q. 6. Elbel n. 16.*

Quaer. 5° *An trina ablutio baptismum requiratur?*

Resp. 1° Certo non requiritur validitatem; unica enim sufficit, ut q censeatur vere ablutus. — *Ita omn* cum *S. Thom. part. 3. quaest. 6 art. 8.*

Resp. 2° Requiritur autem ad l ceitatem, et quidem sub gravi, in ec clesiis, ubi praescribitur haec trin aquae effusio, ut in *rituali romano*

ARTICULUS II.
DE FORMA BAPTISMI.

241. — Forma baptismi est: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.“ Sic definivit *concilium Trid.* juxta illud *Matth. 28. 19.: Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Apud Graecos autem dicitur: „Baptizetur servus Christi in nomine Patris etc.“ vel: „Baptizatur servus Christi etc.“ Haec forma est valida ex instructione *Eugenii IV. ad Armenos;* sed in sola ecclesia graeca licita est.

Multipliciter haec forma vitiari potest, sive accidentaliter, sive substantialiter, ut supra dictum est *in tract. de sacram. in genere n. 198.*

Omissio verbi *ego* non pertinet ad essentiam formae, nec excederet peccatum veniale. — *S. Lig. n. 112.* — Idem dicendum videtur, saltem *probabilius,* de omissione conjunctionis *et,* praesertim si semel tantum omittatur et nomini tertiae personae praeponatur(1); idem etiam *probabilius*

S. C. C., relata in *Anal. J. P. 5. col. 1110.*

Cf. de hoc *Bened. XIV., de syn. c. 5. n. 6.* et *Anal. J. P. l. c.*

(vero) infans caput (ex utero) emi- et periculum mortis immineat, bapti- in capite, nec postea, si vivus eva- erit iterum baptizandus. At si aliud rum emiserit, quod vitalem indicet , in illo, si periculum impendeat, tur: et tunc, si natus vixerit, erit nditione baptizandus . . .: *Si non tizatus etc.*“ — Ita *rit. rom.*

inc, si baptizandus sit capillatus, tis sinistrae manus caesariem ejus net sacerdos, dum dextera aquam vel in fronte eum baptizet. —

supra *Q. 1°. not. 4.*

tismum per aspersionem conferri onstat ex rituali romano. Hinc

validus erit, si aqua in sufficiente quantitate aspersa revera defluat. Item sat certus videtur, ut innuit *S. Lig. l. c.,* si baptizans motu digiti madefacti abluat partem corporis baptizandi. — V. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 187. et seq.*

(1) *S. C. C.* formam: „Ego te baptizo in nomine Patris et Filii, Spiritus sancti“ validam declaravit. — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1608. n. 141.* — Item saepius formam: „Ego te baptizo *cum* nomine etc.“ bona fide et recta intentione prolatam. — *Ib. n. 140. 144. 145.*

de verbo *in*, licet plures graves theologi contradicant. Cetera autem verba omnino ad validitatem requiruntur.(1)

Quaesita:

242. — Quaer. 1° *An valida sit forma baptismi, si dicatur: Ego te baptizo in nomine* Sanctissimae Trinitatis, *vel in nomine* Christi?

Resp. ad 1um *Negative*, saltem *probabilius*, quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulae personae Sanctae Trinitatis, siquidem vox Trinitas tantum *confuse* et *implicite* personas significat; Christus autem voluit, ut *distincte* exprimerentur, prout patet ex *Matth. c. ultimo.* — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 111.*

Resp. ad 2um *Neg.* etiam *a fortiori*, quia nullatenus exprimitur Trinitas per ro *in nomine Christi.* — *Ita omnes*, saltem nunc, post *S. Thomam p. 3. q. 66. art. 6.*, et constat ex jure can. in c. Si revera (30.) *de consecrat. dist. 4.* — *S. Lig. n. 112.*

Quaer. 2° *An valeat baptismus, si formae consuetae addatur:* Et in nomine beatae Mariae Virginis?

Resp. Distinguendum est. Non valet, si quis hoc faciens intendat baptismum conferre in nomine beatae Virginis, tribuendo scilicet talibus nominibus veram efficaciam in baptismi valorem. — Secus vero, si id faciat ex importuna devotione. — *S. Lig. n. 111.*(2)

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Minister baptismi alius est *ordinarius*, et alius *extraordinarius*. Iterum minister extraordinarius est duplex, nempe minister *solemnitatis* et *necessitatis*.

Principia:

243. — I. Omnis et solus sacerdos vi suae ordinationis est minister *ordinarius* baptismi. Constat ex variis locis juris can. et ex *concilio Florent. in decreto unionis*, necnon ex universali Ecclesiae praxi.

II. Diaconus est minister *extraordinarius* et *solemnitatis*, i. e. valens *solemniter*(1) baptizare, sed tantum ex delegatione de gravi causa. Constat ex *jure can.*, ex *pontificali romano* seu ex instructione episcopi ad diaconos in ordinatione etc.(2)

III. Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, sive catholicus, sive haereticus, sive fidelis, sive infidelis, est minister *extraordinarius* baptismi, ita ut semper valide et *in necessitate* etiam licite baptizare possit(3). Eruitur ex iisdem fontibus, ac supra I. principium.

IV. Licet omnis sacerdos vi ordinationis potestatem habeat baptizandi, non potest tamen ea licite uti, etiam privatim, extra casum necessitatis, nisi jurisdictionem ordinariam vel delega-

---

(1) *Dub.* Plures theologi, inter quos S. Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt, veniale esse omittere vocem: *Amen* in fine formae baptismi, quae tamen vox non reperitur in rituali romano. Quaeritur ergo, utrum adhibenda sit vel omittenda?

Resp.: *Strictim servetur in casu rituale romanum.* — *S. R. C. 9. Jun. 1853. in Cochinch.*

(2) Aliam formulam praeter eam, quam *Alex. VIII.* in *prop. 27.* damnat, rejecit *S. Officium d. 23. Jun. 1840.*, scil.: „Ego volo ministrare tibi sacramentum baptismi peccatorum in nomine Patris etc.“ — *Anal. J. P. l. c. n. 146.*

(1) scil. cum praescriptis ritibus et caeremoniis. Hunc baptismi conferendi modum aliqui etiam *publicum* vocant ad distinctionem a *solemni*, quo administratur hoc sacramentum in solemnitatibus paschae et pentecostes (cf. *rit. rom.*), et a *privato*, qui fit in necessitatis casu caeremoniis omissis.

(2) An diaconus hoc sacramentum jure conferat, si sit parochus canonice institutus, non liquet. — V. *Anal. ser. 8. col. 1704. n. 186.*

(3) privatim tamen (cf. *not. 1.*), cum ex dictis sub II. solemniter baptizare nec diacono sine commissione episcopi vel parochi competat. — Cf. *S. Lig. n. 116.*

tam habeat.(¹) Constat ex *jure can.* et ex *rit. rom. de baptismo.*

Resolves:

244. — 1° Nec parochus, nec episcopus absque commissione extra suam dioecesim vel parochiam, vel infra eam alienos licite baptizant. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui praelati alieno deferunt suam prolem baptizandam, siquidem jus parochi violant. — *S. Lig. n. 114.*

2° Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in ecclesia, quam elegerint. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda, nisi forte ille pagus a pago proprio parum distet. — *S. Lig. n. 115.*

3° Juxta communiorem et probabiliorem sententiam possunt advenae recipere baptismum et alia sacramenta a parocho loci, ubi jam quasi-domicilium contraxerunt. — *S. Lig. n. 115.*

4° Alienus autem baptizari potest de licentia sive expressa, sive rationabiliter praesumpta proprii sacerdotis. — *S. Lig. n. 115.*

5° Possunt religiosi baptizare in casu necessitatis vel de eadem parochi et proprii superioris licentia, cum nulla lege hoc prohibeatur. — *S. Lig. ibid.*(²)

Quaesita:

245. — Quaer. 1° *Quis ordo servandus sit inter ministros baptismi?*

Resp. In *rituali romano* sic habetur: „Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat foeminam potius, quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam et modum baptizandi(¹)." — *Vide S. Lig. n. 117.*

Quaer. 2° *An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate, praesente sacerdote, baptizat?*

Resp. Affirmative cum sententia communi. Ratio est, quia vere tunc usurpat jus sacerdotis, cui ex potestate ordinis commissum est munus baptizandi. Ideo etiam sacerdos ipse graviter peccaret, si laico administrationem cederet. — *S. Lig. ibid.*(²)

246. — Quaer. 3° *An peccet graviter laicus baptizans coram diacono?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis* affirmat, quia diaconus ex vi ordinationis ad baptizandum deputatur, licet ex praxi actuali Ecclesiae solemniter baptizare non possit, nisi de gravissima causa et parochi licentia.

IIª Sententia, etiam *probabilis*, negat, quia diaconus baptizans in casu necessitatis sine commissione non baptizat ex officio, sed eodem modo ac clericus inferior vel laicus. — *S. Lig. ibidem* dicit, utramque sententiam probabilem esse.(³)

(¹) Competit enim de jure administratio hujus sacramenti episcopo vel parocho. — V. *Ben. XIV., Inst. 98. §. Pervenit.*

(²) 6° Pater et mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet. — Ita *rit. rom.* — Cf. *S. Lig. n. 117.*

(¹) Ob hanc rationem communiter obstetricibus occurrente periculo baptismum conferre permittitur; sint tamen examinatae et approbatae. — V. *Anal. J. P. ser. 8. col. 1608. n. 141.; col. 1691. n. 171.* — Infra *n. 249. Q. 4ª. not.*

(²) Si adsit praeter laicum sacerdos, sed excommunicatus, ex veriore sententia sacerdos postponendus est. — *S. Lig. l. c. Dub. 2.* — Cf. etiam *n. 960. 1°.*

(³) *Qua vero infantium aetate hoc sacramentum conferendum erit, cum lex ecclesiastica generatim eosdem baptizare praecipiat?* — R. Quam primum fieri potest, licet mortis periculum non urgeat. — Cf. *rit. rom.* — Bull. *Cantate Eugen. IV.* etc. Specialius *C. S. Off.* die 30 Julii 1771. statuit, *obligandos esse parochos ad baptizandos infantes absque ulla mora, si mortis instet periculum; si vero periculum non adsit, ultra tertiam diem post nativitatem non differendam baptismi administrationem. (Anal. J. P. ser. 2. col. 1807.)*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Subjectum baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus.(1)

Resolves:

247. — 1° Valide baptizantur infantes; item perpetuo amentes, qui numquam usi sunt ratione et proinde censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Si autem aliquando ratione usi fuerint, *probabilius* non valet baptismus, nisi ante amentiam illum petiverint. In praxi tamen ii sub conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat, eos baptismum non postulasse, tum etiam quia juxta plures satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria. — Cf. *de sacram. in genere n. 228. 230.*

2° Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione. Hinc recte censent generatim theologi, omnes foetus abortivos, si per aliquem motum dent signum vitae, semper esse baptizandos sub conditione: *si vivant,* maxime cum hodie vigeat opinio communiter a peritis recepta, nempe foetum ab initio conceptionis vel saltem post paucos dies anima informari.(2)

3° Valide baptizatur is, quem minister putat esse alium, aut licet sit foemina, quam putat esse masculum, quia praesentem et non alium baptizare intendit.

4° Valide plures simul baptizantur hac forma: *Ego vos baptizo etc.*, modo simul abluantur. Sed extra necessitatis casum hoc prorsus illicitum est.(1)

Quaesita:

248. — Quaer. 1° *An filii infidelium licite possint baptizari?*

Resp. 1° *Affirmative* in sequentibus casibus, scilicet 1° si habeant usum rationis et consentiant, etiamsi parentes repugnent; 2° si parentes defecerint a fide, ut sunt haeretici etc., quia Ecclesia jus habet ad parentes coërcendos(2); 3° si filii sint mox

---

Consentiunt porro omnes, esse grave peccatum, per longum tempus exspectare. Dilationem tamen, quae 10 vel 11 dies non excedit, gravem esse, *S. Lig. n. 118. Not. 2. probabilius* negat.

Adultorum autem baptismus bene differri potest, ut plenius instruantur. Nimis tamen differre caritas prohibet. — *Scav.*

(1) Quid vero resolvendum, si sit monstruosus vel membra geminata habeat, cf. *rit. rom.* et *S. Lig. n. 125.*

(2) Foetus abortivus, utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitae, absolute baptizandus est. Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis et vitae, foetus baptizandus est sub conditione: *si es homo.* Idem dicendum de informi productione, nisi manifesta putrefactionis, decompositionis vel desorganisationis signa jam exhibeat (et dummodo appareant lineamenta foetus humani propria, per quae a mola aliisque frustraneis genituris distinguitur). — Ita *Scav.* — Cf. *p. 1. n. 402. II. not. 2.* — Plura v. *Anal. J. P. ser. 5. col. 1112. et seq.; ser. 6. col. 1280. et seq.*

(1) Quoad *instructionem adultis necessariam* ad suscipiendum hoc sacramentum permultae prostant *Congregationis S. Officii* decisiones, praesertim ad quaesita missionariorum, ex quibus eruitur, adultos, licet rudes, qui tamen incapaces omnino non sint, baptizari non posse, nisi pro captu instructi sint saltem in necessariis necessitate medii, uti sunt praecipua mysteria Trinitatis et Incarnationis. Hoc etiam pro ejusmodi moribundis valet, qui proinde baptizandi erunt sine conditione, si baptizans prudenter censet, aegrotum mysteria praedicta juxta captum suum sufficienter cognoscere, ipsis revera fidem praebere et sincere promittere, se officiis hominis christiani satisfacturum esse; secus vel non baptizari debent, si contrarium moraliter certo constet, vel sub conditione, si necessariae hae dispositiones dubiae sint, baptismus differri non possit et aliunde collationi hujus sacramenti nil obstet. — Nec licet adultum baptizatum vel baptizandum quoad praecepta legis positivae in bona fide relinquere (ne quidem quoad illa, quibus forte difficulter obediturus est), sed debent ipsi omnia legis positivae praecepta intimari. — Cf. *Anal. J. P. ser. 2. col. 1804. 1805.*

(2) *Gousset (tom. 2. n. 81.)* tamen ad

morituri, quia urget necessitas, nec ullum timendum est periculum; 4° si unus parentum consentiat, altero reluctante. — *S. Lig. n. 126. et seq.*(1)

Resp. 2° *Negative* in ceteris casibus utroque parente reluctante, si filii mansuri sint in potestate parentum, ob perversionis periculum. Constat ex decreto *Congregationis S. Officii 1703.*, et pro Hebraeis in particulari ex constitutione *Julii III.* — *S. Lig. n. 132.*(2)

Quaer. 2° *An baptismus aliquando repeti possit vel debeat?*

Resp. Potest et debet repeti sub conditione, quoties adest aliquod dubium non spernendum de ejus valore; secus iterari non potest sine peccato gravi(1), quia est sacrilegium, conari ministrare sacramentum incapaci.(2) — *Recole dicta supra n. 200.*(3)

249. — Quaer. 3° *An infantes expositi sint baptizandi?*

Resp. Affirm., si isti expositi fuerint absque testimonio baptismi, nisi aliunde constet, eos rite baptizatos fuisse. — Si vero expositi sint cum schedula attestante, ipsos fuisse baptizatos, *controvertitur.* Sententia *communior* et *verior* docet, hos omnes *sub conditione* baptizandos esse.(4) — *S. Lig. n. 135.*

Quaer. 4° *An sint rebaptizandi infantes sive ab obstetricibus, sive a laicis baptizati?*

Resp. Negative, nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato baptismo. Ita communissima et vera sententia, inquit *S. Lig. n. 136.*, ubi in decisione *S. Congr.* innititur.(5)

---

graviora mala vitanda hoc omittendum censet, si parentes omnino renuerent.

(1) Addunt etiam: si parentes sint alicujus mancipia; — si filius positus sit extra curam parentum (v. g. expositus), quin timendum, ne ad ipsos sit reversurus; — si sit perpetuo amens. — *S. Lig. n. 130.* — *Ferrari, Summa inst. can. l. 2. tit. 2.*

(2) In genere non licet baptizare infantes usum rationis nondum adeptos contra voluntatem parentum infidelium, cum hoc periculosum esset et quodammodo justitiam naturalem laederet. Secus vero, si infans usum rationis jam adeptus hoc sacramentum peteret; nam tunc „jam quantum ad ea, quae sunt juris divini vel naturalis, incipit suae potestatis esse.“ — Ita *S. Thom. p. 3. q. 68. art. 10.* In dubio vero de usu rationis ante annum septimum plerique theologi in favorem infantis partem affirmantem sequuntur, saltem si baptismus absque periculo differri nequeat. — V. etiam *S. Lig. n. 128.*

Praedictum jus parentum tamen non adeo strictum est, ut numquam ipsis invitis infantem ante usum rationis baptizare liceat. — Cf. *Resp. 1°.*

Ceterum non desunt casus, in quibus Ecclesia, licet parentes infideles consentiant vel etsi ab his ipsis infantes offerantur, hisce baptismum (secluso tamen mortis periculo) conferre prohibet, si nempe ex circumstantiis non „prope certum apparet, quod iidem infantes, postquam adoleverint, sint in christiana religione educandi.“ *(Instr. Pii VI. 27. Jul. 1775.)* Hinc in genere non conceditur hoc sacramentum, si ambo parentes sunt infideles et infans sub eorum potestate relinqui debet; facilius, si alter parentum sit christianus. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1805.; ser. 4. col. 1447.*

(1) V. etiam *n. 1032.*

(2) Notamus: 1° Sufficit ex jure etiam unicus testis (licet foemina), de quo suspicio non occurrit, ut collatio baptismi probata censeatur, praesertim si de proprio facto testetur. — Cf. *Bened. XIV., De syn. l. 7. c. 6. n. 2. et seq.; Inst. 8. sub fine.*

2° Non sunt baptizandi, neque sub conditione, adulti, qui nati sunt ex parentibus christianis et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti baptismi, modo pro contraria parte graves non occurrant rationes. — *S. Lig. n. 134. Not. II.*

3° Quoties iterandum est baptisma adultorum, secreto id faciendum est ad vitanda scandala etc. — *Scav.*

(3) Cf. etiam *n. 419. 420.*

(4) Nullum dubium, baptizandos esse tales infantes, ut patet etiam ex decisione *S. C. C. (Ben. XIV., Jnst. 8. §. Evenit quoque)*, nisi schedula talis sit, ut certitudinem pariat, v. g. subscripta indubie a parocho noto. — *S. Lig. ib.*

(5) Hinc parochus curet, ut fideles rectum baptizandi ritum probe teneant ac servent; praesertim vero quoad obstetrices hoc munus ei incumbet, cui invigilare episcopi est. — Cf. *Rit. Rom.* et *Bened. XIV., Jnstit. 8.*

Quaer. 5° *An baptizati ab haereticis rebaptizari debeant?*

Resp. Certum est de fide ex *Trid.*, validum esse baptismum collatum ab haereticis, quando omnia requisita ad sacramentum adhibentur. Sed merito putant communiter theologi, pueros baptizatos a ministris protestantibus omnes esse *sub conditione* baptizandos, quia facile dubitari debet de materia, forma et intentione talium ministrorum, cum ipsi hoc sacramentum absolute necessarium non judicent. — *S. Lig. n. 137.*(1)

CAPUT V.

DE SOLEMNITATIBUS ACCESSORIIS BAPTISMI, NEMPE DE PATRINIS ET CAEREMONIIS.

ARTICULUS I.

DE PATRINIS.

Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant et in suam curam, defectu parentum, suscipiunt.

Principia:

250. — I. Debet adhiberi sub gravi saltem unus patrinus in baptismo solemni(2), sive vir, sive mulier, nec possunt adhiberi licite plures quam duo. Sic statuit *concilium Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione matrim.* Si autem parochus plures patrinos, quam duos, admitteret, graviter peccaret, quia laederet praeceptum Ecclesiae sub gravi impositum, ne multiplicentur cognationes. — *S. Lig. n. 154. in fine.*

II. Ut quis sit vere patrinus, requiruntur sequentes conditiones: 1° ut usum rationis habeat et ipse sit baptizatus; 2° ut a parentibus vel parocho fuerit designatus ut patrinus(1); 3° ut tangat baptizatum per se, vel saltem per alium(2); 4° ut habeat verum animum munus patrini gerendi. — *S. Lig. n. 143. 146.*

Quaesita:

251. — Quaer. 1° *Quaenam sint obligationes patrinorum?*

Resp. Tenentur adimplere officium magistri in casu necessitatis seu deficientibus filioli parentibus. Hinc tenentur instruere baptizatum circa fidem, mores, obligationes varias etc. Ab omni autem obligatione solvuntur, quando prudenter praesumere possunt, quod baptizatus diligenter a parentibus instruatur. — *S. Lig. n. 147.*

Quaer. 2° *An in baptismo privato patrinus necessario adhiberi debeat?*

Resp. Negative, quia non videtur requiri ab Ecclesia, nisi pro baptismo solemni. Attamen etiam in baptismo privato adhiberi potest et laudabilius adhibetur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 147. etc.*

Quaer. 3° *An patrini possint esse duo mares aut duae foeminae?*

Resp. Negative, quia *Trid.* statuit, posse adhiberi ad summum duos patrinos, nempe virum et foeminam. Sed probabile est, esse tantum veniale, si ita fiat. Plures tamen cum *Bonacina* esse mortale opinantur. — Hoc verius videtur, ait *S. Lig. n. 155.*, si patrini essent diversi sexus ac infans, quia sic multiplicarentur cognationes, quod *Trid.* prohibere voluit; secus, si essent ejusdem sexus.

252. — Quaer. 4° *An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse* masculus *et foeminae* foemina?

Quomodo vero se gerere deberet parochus, si adverteret, plurimos ab obstetrice etc. invalide baptizatos esse, cf. apud *Voit p. 2. n. 168. versus fin., Layman* etc. Notat tamen *Scav.*, in casu consulendum esse episcopum.

(1) Nihilominus quaestio diversimode decidenda videtur juxta diversitatem locorum et personarum. — Cf. *S. Lig. ib.*

(2) Cf. *n. 243. II.* cum *not. 1.*

(1) Cf. *n. 805. II.*

(2) *physice* (quod probabilius etiam quoad adultos baptizandos valet — *S. Lig. n. 148.*), et quidem in ipsa ablutione, ita ut non sufficiat, si inter caeremonias fiat. — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1736. n. 221.* etc.

Resp. Negative probabilius, quia *Trid.* dicit: *sive vir, sive mulier;* ergo indiscriminatim vir aut mulier adhiberi potest. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 5° *Quinam prohibeantur esse patrini?*

Resp. Valide quidem, sed illicite, sunt patrini sequentes: 1° abbas et monachus, seu religiosus et monialis cujuslibet ordinis(¹); 2° conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum; 3° omnes, qui sunt pravis moribus et perdita fama, haeretici(²) etc. — *S. Lig. n. 156.*(³)

Nota: Sacerdos collato baptismo monere debet patrinos de contracta obligatione eorumque cognatione.(⁴) — De cognatione autem per baptismum contracta dicemus, ubi de impedimentis matrimonii.

ARTICULUS II.
DE CAEREMONIIS BAPTISMI.

Mortale est omittere caeremonias omnes baptismi aut aliquam ex iis notabilem, quia tunc violatur praeceptum grave Ecclesiae.(⁵)

Resolves:

253. — 1° Seclusa necessitate mortale est baptizare sine chrismatis unctione, quia haec specialem et gravem habet significationem. — *S. Lig. n. 141.*

2° Mortale est, extra necessitatis casum(¹) solemniter baptizare cum aqua non consecrata, quia hujusmodi omissio in caeremoniis baptismi valde gravis est. *Probabilius* etiam idem dicendum est, si agatur de baptismo privato, ut censent *Salmant.*, *Roncaglia, Diana.* Attamen oppositam tenet sententiam, nec *improbabiliter, Lacroix l. 6. p. 1. n. 263.* — *Gobat* — *S. Lig. ibid.* et *Hom. apost. tr. 14. n. 8.*

3° Mortale est, sine necessitate

(¹) neque procuratorem substituere possunt. — *Ferraris ad v.* Regulares *art. 1. n. 14.* Nec facultas a S. Sede concedi solet, nisi viris, et quidem procuratorio nomine. Monialibus ejusmodi licentia omnino negatur, licet extra monasterium sanitatis causa degant. — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1706. n. 192. et seq.*

Haec prohibitio generalis tamen ad ordines religiosos proprie dictos restringenda. — *Gousset n. 112.*

(²) Cf. *Voit p. 2. n. 202. 4°.*

(³) Cf. *rit. rom.*, quod etiam advertit: „Hos patrinos saltem in aetate pubertatis ac sacramento confirmationis consignatos esse, maxime convenit.“ — V. etiam infra *n. 969. 2°. not.*

(⁴) Parochus vero sedulo notet nomina baptizati, parentum etc. in libro baptismali; negligentiam enim in hoc multi auctores damnant peccati mortalis. — *Scav.*

(⁵) Excipe: si ob gravem causam et citra contemptum v. g. urgente necessitate omittantur. — *S. Lig. n. 144.* — Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 222.*

Omissae caeremoniae vero postea suppleadae erunt, nisi tamen quoad haereticos valide baptizatos et ad cath. Ecclesiam venientes „rationabili de causa episcopo aliter videatur.“ — *Rit. Rom.* — Cf. *Annot. Gardell. ad Decretum S. R. C. 27. Aug. 1836. in Rhedon.* Haec vero obligatio gravis censenda est. — *S. Lig. n. 144.* Cf. etiam *Bened. XIV., Jnstit. 98.*

Huc facit instructio *S. C. Prop.* sub *Pio VI.* edita, praecipiens missionariis, si parentes negant licentiam portandi ipsorum infantes in ecclesiam, baptismum conferendum esse in domibus privatis omissis sacris ritibus et caeremoniis, ut hae quam primum suppleantur in ecclesia; quod si praevident, nec hoc umquam concessuros esse parentes, praestare, baptismo etiam sacras caeremonias jungere, ne infantes baptizati bonis spiritualibus priventur, quae eorum animabus sacrae caeremoniae afferunt. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1804.; ser. 8. col. 1704. n. 185.*

Debebit tamen baptismus etiam in aedibus privatis solemniter conferri, si agatur de filiis principum etc. *(S. Lig., Hom. ap. tr. 14. n. 18.* — *Ferrari, Summa instit. can. l. 2. tit. 2. n. 2.* — V. infra *n. 253. 3°. not.)* vel si in regione illa ecclesia omnino desit, ut contingere potest in missionibus. Ad quaesitum enim episcopi Tunkinensis: „An in his locis, ubi non est ecclesia seu oratorium commune, liceat sacerdoti solemniter, i. e. adhibitis omnibus caeremoniis et precibus in rit. rom. praescriptis, baptizare liberos christianorum in eorum domibus privatis?“ *S. C. Prop. d. 21. Jan. 1789.* respondit: „Non solum licere, sed debere.“ *(Anal. J. P. ser. 8. col. 1703. n. 185.)*

(¹) V. supra *n. 236. II.*

baptizare extra ecclesiam, nisi proximum immineat mortis periculum vel aliud magnum adsit incommodum (¹). — *S. Lig. n. 142.*

4° Mortale est, omittere unctionem olei catechumenorum vel alia similia, quia est materia gravis, saltem ex fine Ecclesiae, sicut commixtio aquae cum vino in sancto eucharistiae sacramento. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 14. n. 29.*

Quaesita:

254. — Quaer. 1° *Si baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus, an etiam caeremoniae repetendae sint?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia *probabilis.* Unde caeremoniae non sunt necessario repetendae: suadendum tamen, ut repetantur, si absque scandalo vel infamia fieri possit.

Quaer. 2° *Quomodo intelligenda prohibitio utendi chrismate veteri seu alterius anni?*

Resp. 1° Rigorose sumenda est, quando chrisma novum jam habetur. Graviter igitur peccaret sacerdos, qui, chrismate recenti posthabito, vetere uteretur.

Resp. 2° Licet autem in baptismo solemni uti chrismate anni praecedentis, usquedum chrisma recens consecratum acceptum fuerit. Igitur omitti non debet chrismatis et olei unctio ex eo, quod olea recens benedicta non adhuc haberi potuerint, nec eorum defectus ratio est baptismum differendi ad aliud tempus quantumvis breve. — Ita contra *theologos non paucos* ex decisione recenti *S. Congr. Rit.* data *die 23. Sept. 1837. in Oriol. (Gardell. n. 4820.)*

Nota: Benedictio fontis baptismalis in sabbato sancto fieri debet cum chrismate praecedentis anni, nisi parochus olea recentia sibi comparare potuerit, nec debet omitti infusio chrismatis et olei, usquedum aliud accipiatur. — Ita ex decisione *Congr. Rit.* modo citata. (¹)

255. — Quaer. 3° *An interrogationes, quae ex rubrica ritualis romani patrinis faciendae sunt, lingua vernacula fieri possint?*

Resp. Negative; sed omnia fieri debent, prout in rituali romano jacent. Sic nuperrime *S. Congr. Rit. die 12. Sept. 1857. Dub. 17.* (²)

APPENDIX.

DE OPERATIONE CAESAREA *in ordine ad baptizandum infantem nondum natum.*

Operatio seu sectio caesarea in hoc consistit, quod uterus matris gravidae

(¹) vel nisi baptizandi forte sint regum aut magnorum principum filii (aut descendentes — cf. *S. Lig. n. 118. Not. 3.*), id ipsis ita deposcentibus, dummodo fiat in eorum capellis seu oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta. — Ita *rit. rom.* — *Clement. c.* Praesenti (un.) *de bapt. (III. 15.)*

(¹) Aqua autem sic benedicta in sabbato sancto debet reservari usque ad vigiliam pentecostes, in qua benedicitur fons cum novis oleis. — Cf. *eamdem decisionem.*

(²) *Anal. J. P. ser. 3. col. 342. 355.* Excipiendus tamen erit casus necessitatis, quae legem non habet, scil. impossibilitas respondendi. Ceterum ex decreto ejusdem *S. R. C. 30. Apr. 1808. in Siam.* nihil obstat, quominus lingua vernacula explicentur, quae pertinent ad ipsum sacramentum baptismi. —

Quamvis non sit peccatum, imponere in baptismo nomen alicujus non sancti, dummodo non sit „obscoenum, fabulosum, ridiculum, inanium deorum vel impiorum ethnicorum hominum" *(rit. rom.)*, servetur tamen consuetudo perantiqua Ecclesiae, nomina sanctorum eligendi. — Cf. *Ben. XIV., de canoniz. sanct. l. 4. p. 2. c. 19. n. 18. 19.;* const. *Omnium solicitudinum d. d. 12. Sept. 1744. §§. 3. 14. (Bull. tom. 1. n. 107.);* const. *Quod provinciale d. d. 1. Aug. 1754. (Bull. tom. 3. p. 2. n. 37.)*

Neque illicitum videtur, nomen in baptismo impositum propria auctoritate mutare; proculdubio in confirmatione id licet. — *S. Lig. n. 145.* Huc facit etiam decisio *S. C. R. d. 20. Sept. 1749. in Jaurin.:* An confirmandus tempore confirmationis, quando episcopus dicit: „*N.* Signo te signo crucis", praeter nomen suum baptismale possit aliud nomen sancti sibi imponi curare? — Resp. *Posse. (Gardell. n. 4205.)*

ıperiatur, ut foetus ex eo extrahatur. Duplex praecipua quaestio occurrit, scilicet an et quando fieri possit, aut lebeat.

256. — Quaer. 1° *An et quando fieri possit?*

Resp. Statuendae videntur sequen-:es regulae:

Iª *Regula.* Mortua matre certum est, posse fieri operationem caesaream, et quidem statim, ac de ejus morte constat. Admonendus tamen est loci praefectus seu praepositus, et adhibendi sunt testes ab ipso approbati ad mortem recognoscendam, tum ad majorem rei certitudinem, tum ne operationis auctor tamquam homicidii reus traducatur. Ratio autem, cur fieri possit, evidens est. Si quid enim obstaret, esset periculum pro matre; sed ex hypothesi de ejus morte certo constat ex judicio virorum peritorum et prudentum, et aliunde salvari potest vita spiritualis, imo forte et temporalis infantis. — *Vide Gangiamila* in opere, ui titulus: *Embryologia sacra.*

IIª *Regula.* Vivente matre num-ıam licite fieri potest operatio cae-rea, quoties adest periculum proxi-ım seu probabile mortis matris ex a secuturae, quamvis, ea non facta, ter et proles certo periturae sint. io est, quia esset directe matrem dere quod numquam licitum esse st. — *Ita S. Thom. p. 3. q. 68. 11. ad 3.,* ubi dicit: „Non de-ıomo occidere matrem, ut bapti-ɔuerum.“ — *S. Lig. n. 106.* fieri non potest operatio, quando chirurgus valde peritus, nec ɔ mater adeo est morbo debili-ıt operatio, alias non periculosa, iculum mortis proximum ex cir-ntiis inductura etc.

— IIIª *Regula.* Vivente ma-e fieri potest operatio caesarea, ıis circumstantiis, scilicet: 1° ıaturaliter parere non possit itura sit, antequam pariat, imo periculo mortis infantis, n baptizari potuerit; 2° si ex judicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. Pote autem abesse tale periculum, si mate sit robusta, ut constat ex innumeri exemplis et sententia communiori medicorum et chirurgorum, quorum ars nostris praesertim temporibus multo provectior et perfectior evasit. — *Vide Embryolog. sacr. lib. 3. c. 9.* — *Elbel n. 60. etc.* — Ratio patet; nullum enim est periculum, vel saltem valde leve et remotum, ita ut, si forte mors sequatur, *per accidens* tantum subsequi videatur.

258. — Quaer. 2° *An et quando fieri debeat?*

Resp. 1° Mortua matre certo facienda *sub gravi* in omni casu, et etiam invitis aut reluctantibus parentibus vel propinquis, si fieri possit, quia ex lege caritatis omni cura et labore salus aeterna infantis procuranda est. — *Ita S. Thom. ibid.,* ubi addit: „Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur.“ — Sic etiam statuit *rituale rom.* Hoc praesertim valet, si mulier sit propinqua tempori partus, quia, cum foetus sit robustior, major spes illum baptizandi affulget.

Non ideo praetermittenda est operatio, si cognoscatur, matrem e brevi tempore esse gravidam, quia ex multis exemplis constat, animationem foetus fieri paulo post conceptionem seu statim ac corpusculum infantis est sufficienter efformatum, quamvis tempus animationis praecise determinari nequeat.(¹) — *Vide Embryolog. sacr. lib. 1. c. 7.*

Nota: Sedula cura adhibenda est, ut regio uteri defunctae servetur calida, usquedum facta fuerit operatio; secus enim infans facilius e vita cederet, antequam baptizari potuerit.

259. — *Resp.* 2° Vivente matre etiam facienda est operatio, si ex judicio peritorum non possit infans aliter baptizari. Mater autem tenetur

(¹) Cf. *p. 1. n. 402. II. not. 1.*

per se et speculative loquendo *sub gravi* illam pati, si fieri possit sine proximo mortis periculo. Ratio est, quia tenetur quodlibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem et aeternam infantis servandam. Hoc sequitur ex lege generali caritatis. — *Ita communiter* cum *Elbel n. 60.* — *S. Lig. ibid.* — *Embryol. sacr. l. 3. c. 4.*

Dixi: *per se et speculative loquendo;* nam in praxi confessarius cavere debet urgere matrem *sub gravi* obligatione ob nimium periculum, ne consensum negando moriatur in statu peccati mortalis et sic, volendo salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater. Satis igitur erit, illam adhortari ad incisioni consentiendum.

Ceterum, cum constet ex praxi, saepissime supervivere foetum matri defunctae, affulget magna spes, illum, ea mortua, baptizandi, et proinde minor obligatio incisionis permittendae pro matre subsequitur.

Nota: Mater non tenetur subire operationem, si, non facta operatione, ipsa sola judicetur peritura, quia nemo tenetur mediis extraordinariis et tam arduis vitam servare. — Si autem modica tantum spes esset servandae prolis, mater posset quidem, sed non teneretur subire operationem, quia caritas non adeo urget in tanta incertitudine eventus. — *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.*(¹)

(¹) Ceterum, addit auctor in editione recentissima gallica, ex nova medicorum arte infans moraliter certo baptizari potest in utero matris instrumenti alicujus ope, ut supra *(n. 239. Q. 1°. not. 3.)* dictum est, quin ad operationem caesaream recurrendum sit.

TRACTATUS
DE CONFIRMATIONE.

260. — Confirmatio definitur: sacramentum novae legis, quo per chrismatis unctionem(¹) sub certa verborum forma datur baptizatis plenitudo Spiritus Sancti ad firmiter credendum et ad fidem intrepide confitendam.

Constat, confirmationem esse verum sacramentum, a baptismo distinctum: 1° Ex definitione Ecclesiae. Sic enim *Eugenius IV.* in decreto fidei: *Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide.* — *Vide* etiam *Trid. sess. 7. can. 1. de confirm.* — 2° Ex eo, quod inveniantur in ea tria essentialiter requisita et sufficientia ad omne sacramentum, scilicet: ritus exterior, promissio gratiae et institutio Christi. Etenim 1° ritus exterior habetur in rebus et verbis, seu in materia et forma; 2° promissio et etiam ipsa collatio gratiae asseritur *Act. 8. 14.,* ubi dicitur, quod Petrus et Joannes missi in Samariam ad confirmandos fideles jam baptizatos, *imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum;* 3° institutio divina satis intelligitur ex ipsa potestate, qua apostoli post baptismum per impositionem manuum conferebant Spiritum Sanctum, id quod ex propria auctoritate non poterant.

Quandonam autem institutum fuerit hoc sacramentum, non certo constat. *Probabilius* institutum est post resurrectionem, quando Christus dixit apostolis *(Joan. 20. 21.): Sicut misit me Pater, et ego mitto vos etc.,* dum eis dedit plenam potestatem episcopalem in corpus mysticum Ecclesiae. Juxta alios Christus instituit sacramentum confirmationis in coena post ipsam eucharistiae institutionem.

(¹) in sensu exposito sub *n. 261. II.* et fusius apud *S. Lig., de confirm. n. 164.*

Agendum: 1° de materia et forma confirmationis; 2° de ejus ministro; 3° de ejusdem subjecto.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS I.
DE MATERIA CONFIRMATIONIS.

261. — I. Materia *remota* confirmationis est chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum et ab episcopo benedictum. — *Ita communiter,* et constat ex *concilio Florent. in decreto de sacramentis.* Dici etiam potest, materiam remotam partialem esse manum episcopi *formaliter* tantem, quatenus scilicet impositio manus est materia proxima partialis, ut mox dicetur.

II. Materia *proxima* est unctio chrismatis confirmandis applicata ab humus sacramenti ministro per manus impositionem. Constat ex declaratione Benedicti XIV. in epistola encycl. *Ex quo primum*(1), ubi haec habet: „Quod itaque extra controversiam est, sic dicatur: nimirum in ecclesia latina confirmationis sacramentum confirmati adhibito sacro chrismate sive oleo olivarum balsamo commixto et ab episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte confirmantis, dum idem minister formae verba profert."

Ergo materia proxima confirmationis non consistit partialiter, ut olim fuerunt plures, in generali impositione manus ab episcopo in omnes confirmandos facta. — V. *S. Lig. n. 162. in fine.*

Quaesita:

— Quaer. 1° *An balsamum necessitate sacramenti requiratur?*

Affirmative probabilius, ut ex decreto *Eugenii IV. pro Armenis,* ubi dicit, confirmationis materiam esse chrisma confectum ex *oleo et balsamo.* Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis et in ea parva quantitate, quae satis est, ut sui odorem dare possit, nec est necessarium ut omnibus olei partibus misceatur. — *S. Lig. n. 162.*

Quaer. 2° *An chrisma debeat necessario esse benedictum?*

Resp. 1° *Affirmandum* absolute est, si sermo sit de necessitate praecepti. — *Ita omnes* cum *S. Lig. n. 163.*

Resp. 2° *Affirmandum* etiam videtur, si sermo sit de necessitate sacramenti. Id enim suadet praxis constans Ecclesiae et decretum *Eugenii IV.,* ubi legitur, materiam confirmationis esse chrisma *benedictum.* — *Ita communiter* cum *S. Lig. ibid.* An vero chrisma debeat necessario esse benedictum ab *episcopo,* dicetur infra, ubi loquemur de ministro.

263. — Quaer. 3° *An chrisma debeat necessario esse illius anni?*

Resp. Hoc non requiritur de necessitate sacramenti, quia sive sit vetus, sive novum, materia non mutatur essentialiter, ut patet; sed requiritur ex praecepto Ecclesiae. Hinc peccaret graviter episcopus, qui confirmaret cum chrismate veteri, non confecto hoc anno. In hunc enim finem novum chrisma consecratur in *coena Domini,* vetere combusto. — *S. Lig. n. 163.* et *alii communiter.*

Quaer. 4° *An oleum debeat necessario esse olivarum ad valorem sacramenti?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia hoc proprie oleum dicitur. Hinc oleum ex alia materia confectum, v. g. ex nucibus, non est materia valida confirmationis, quia non venit simpliciter sub nomine olei. — *Ita communiter* cum *S. Thom. p. 3. q. 72. art. 2.* — *S. Lig. n. 162.*

264. — Quaer. 5° *Quomodo unctio fieri debeat?*

Resp. Debet fieri per modum crucis pollice dextro episcopi in fronte confirmati. Valida tamen foret unctio,

1. *Mart. 1756. §. 52.*

si ab alio digito episcopi fieret, etiam manus sinistrae, quia vere fieret per impositionem manus episcopalis. Graviter(1) autem peccaret episcopus, qui id sine necessitate ageret, quia recederet a praxi universalis Ecclesiae in re gravi, et quia ad hunc effectum ungitur pollex dexter episcopi in ejus consecratione. — *S. Lig. n. 165.* et *alii communiter.*

Quaer. 6° *An unctio medio instrumento valide fieri possit?*

Resp. Negative. Ratio est, quia deficeret immediata impositio manus ministri, quae ex dictis omnino requiritur. Nec dicas, quod extrema unctio valide ministretur medio instrumento; nam in illo sacramento impositio manus non requiritur ad valorem, sicut in confirmatione. — *S. Lig. n. 166.* et *alii communiter.*

ARTICULUS II.
DE FORMA CONFIRMATIONIS.

265. — Forma sacramenti confirmationis consistit in his verbis: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Sic definivit *Eugenius IV.* in citato decreto. — Constat etiam ex constanti Ecclesiae praxi.

Per verba: *signo te signo crucis* significatur, quod, sicut miles insignibus ducis sui ornari solet, ita homo in hoc sacramento cruce exterius et charactere invisibili interius tamquam signo militari Christi signetur. — Per verba: *confirmo te chrismate salutis* exprimitur, quod homo in hoc sacramento instar athletae exterius chrismate, interius vero Spiritus Sancti gratia et robore ungatur. — Per reliqua autem verba *in nomine Patris etc.* exprimitur causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quae est *Sanctissima Trinitas,* simulque praecipuum fidei christianae mysterium, quod homo suscepit in baptismo credendum quodque in hoc sacramento tenendum et palam profitendum proponitur. — *S. Thom. p. 3. q. 72. art. 4.*

Quaesita:

266. — Quaer. 1° *Quaenam verba hujus formae sint essentialia?*

Resp. Sunt omnino essentialia sequentia ad validitatem sacramenti, scilicet: 1° verbum: *confirmo,* nisi alio verbo synonymo suppleatur; 2° expressio *Sanctissimae Trinitatis,* ut in baptismo; 3° verbum: *te,* quo subjectum sacramenti designatur; 4° verba: *signo te signo crucis,* necnon verba: *chrismate salutis.* Dicere autem *corroboro* pro *confirmo,* vel *sanctificationis* pro *salutis* esset tantum mutatio accidentalis. — *S. Lig. n. 168.* cum *aliis communiter.*

Quaer. 2° *An valeat haec forma apud Graecos usitata:* Signaculum doni Spiritus Sancti?

Resp. Affirmative cum sententia communi theologorum. Sensus enim est: *hoc signo donantur munera Spiritus Sancti,* omisso verbo more Graecorum. Secus dicendum foret, Graecos sacramentum confirmationis non habere, quod valde durum est. Constat insuper ex declaratione *Benedicti XIV.* in epistola encyclica *Ex quo primum* ad episcopos ritus graeci, *1. Mart. 1756.* (Apud *S. Lig. n. 164.*)

CAPUT II.
DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

267. — I. Solus episcopus est minister ordinarius hujus sacramenti. Ita declaravit *Innocentius III.* et *concilium Trid. sess. 7. can. 3. de confirm.: Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit.*

II. Simplex sacerdos confirmare potest tamquam minister extraordinarius ex delegatione speciali Summi Ponti-

(1) Hoc peccatum mortale esse, minime constat. — V. *S. Lig. l. c.*

cis. Constat ex praxi Ecclesiae in ıriis locis, et ex bulla *Benedicti XIV.* 'o *quamvis tempore.* — Vide *S.* ıg. *n. 170.* Sed sacerdos uti debet ırismate ab episcopo benedicto. Conat ex decreto *Eugenii IV.,* ubi ditur, materiam confirmationis esse ırisma ab episcopo benedictum.

Quaesita:

268. — Quaer. 1° *An Papa con-ıdere possit, ut simplex sacerdos ırismate ab episcopo non benedicto 'atur in confirmatione*(¹)?

Controvertitur. Affirmant non pauci ım *S. Lig. n. 163. 170.;* at plures ii negant.

Quaer. 2° *An episcopus possit ınfirmare fideles non subditos?*

Resp. 1° *Quoad validitatem* omnes ınfirmare potest, ut sequitur ex ornis potestate.

Resp. 2° *Quoad liceitatem* non ıtest eos confirmare, nisi in sua dioesi reperiantur. Et peccaret graviter ıfirmando etiam suos subditos in ı dioecesi, quia confirmatio est exitium jurisdictionis fori externi, d peragi nequit sine licentia ordi-ı loci.

'otest autem confirmare extraneos ıa dioecesi, quia semper praetur tacitus consensus aliorum epi-ırum, nisi aliter constet. Sic ıbilius et *communius.* — *S.* n. *171. et seq.*

). — Quaer. 3° *Quandonam pus teneatur confirmare?*

ɔ. 1° Tenetur confirmare pequoties commode potest, si ad mpus proximum differre nequeat.

. 2° Tenetur etiam aliquoties ıitatem suis subditis praebere ramentum suscipiendi. Hinc graviter, si longo tempore ıatione conferenda abstineret, octo aut decem annos, nec dioecesim circumiret saltem per pı cipua loca, nisi morali impossibilit excusaretur. — *S. Lig. n. 175. Lacroix n. 388.* et *alii communiti*

Quaer. 4° *An peccet graviter ep scopus omittens confirmare moribu dum petentem sacramentum?*

Resp. Negative, saltem *probabili ter.* Ratio est, quia, cum hoc sacramentum non sit necessarium ad salutem, excusat incommoditas, quae adesset pro episcopo, adeundi aegrotos in propriis domiciliis decumbentes. Praxi etiam communi confirmatur. — *S. Lig. n. 175.* — *Lacroix n. 390.*

CAPUT III.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

Subjectum sacramenti confirmationis est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus, etiam carens usu rationis. Confirmatio enim perficit vitam spiritualem, quae in baptismo accipitur, et pro omnibus, ut baptismus, instituta est.

Nota: Ex praxi generatim in Ecclesia vigente non sunt confirmandi pueri, qui usum rationis non adepti sunt, nisi id ferat legitima locorum consuetudo, ut fit apud Graecos et in Hispania.(¹)

Quaesita:

270. — Quaer. 1° *An et qualis sit obligatio pro fidelibus sacramentum confirmationis recipiendi?*

Resp. 1° Non est obligatio de necessitate medii; nam per solum baptismum haberi potest remissio peccatorum et vita aeterna.

Resp. 2° Est obligatio *sub gravi* de necessitate praecepti divini, saltem decurrente vita et data opportuna occasione. Ita tenendum est post declarationem *Benedicti XIV.* in bulla *Etsi pastoralis*(²) de ritibus et do-

ɔotius: *An Papa etiam simıloti delegare valeat potestaıendi chrisma?* — Cf. *Ben. c. 8. n. 1. 2.*

(¹) Cf. etiam *cat. rom., de sacr. confirm. Q. 17.* — Licite tamen confirmarentur, si justae accederent causae, v. g. periculum mortis, longa absentia episcopi etc. — *S. Lig. n. 178.*

(²) *d. d. 26. Maji 1742.*

gmatibus Graecorum. Sic enim ait *§. 3. n. 4.*: „Monendi sunt (qui non „sunt confirmati) ab ordinariis loco„rum, eos gravis peccati reatu teneri, „si, cum possunt ad confirmationem „accedere, illam renuunt ac negli„gunt.“ (¹)

Quaer. 2° *Quid agendum in dubio, an aliquis sit confirmatus?*

Resp. Potest sub conditione confirmari, ut patet ex dictis in *tract. de sacrament. in genere n. 206.* Sed ad id non tenetur, si vere probabiliter credat, se jam sacramentum recepisse. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 14. n. 48.*

271. — Quaer. 3° *Quaenam dispositiones in confirmandis requirantur?*

Resp. Sunt sequentes:

1° Character baptismalis ad validitatem sacramenti, et insuper in adulto intentio sacramentum recipiendi, ut constat ex dictis *de sacramentis in genere n. 230.*

2° Status gratiae, quia confirmatio est sacramentum vivorum. Unde, qui conscius est peccati mortalis, ad sacramentum poenitentiae recurrere debet, nisi perfecte conteratur.(¹) Mos generalis est, ut nullus confirmetur, nisi schedulam parochi chirographo subsignatam exhibeat.

3° Ut confirmandus rudimentis doctrinae christianae imbuatur, praesertim iis, quae sunt de necessitate medii et quae spectant ad sacramenta poenitentiae et confirmationis. — *Ita communiter.*

Quaer. 4° *An confirmandus debeat esse jejunus?*

Resp. Negative attenta consuetudine hodierna.(²) Leges enim canonicae, quae jejunium praescribebant ad recipiendam confirmationem, in desuetudinem plane abierunt. Unde etiam invaluit usus conferendi illud sacramentum tempore vespertino. — *S. Lig. n. 184. in fine* et *alii.*(³)

(¹) Non desunt, qui censent, hoc praeceptum valere solummodo pro illis, qui a presbyteris graecis invalide confirmati sunt, cum Pontifex de his solis loquatur et ratio particularis pro hisce urgeat, ne scil. priorem confirmationem validam habere videantur. Hanc interpretationem tamen textui minus convenire putamus.

(¹) Confessio enim juxta verba pontificalis rom. est *per se* solummodo de consilio. — V. etiam *S. Lig. n. 179.*

(²) Idem valet de confirmante. — *Scav.*

(³) Potest autem conferri quovis die. — *S. Lig. ib. Not. 4.*

Etsi pro *privata* baptismi collatione patrini congruentius quidem adhibeantur, non tamen praecipiantur *(n. 251. Q. 2°.)*, in collatione confirmationis econtra semper requiruntur, excepto casu, quod haberi non possent. — Alia de patrinis v. apud *S. Lig. n. 185.* et infra *n. 805. II. not.*

TRACTATUS
DE EUCHARISTIA.

Veneranda, miranda et summe adoranda eucharistia est velut compendium omnium mysteriorum, quae divina sapientia et infinita bonitas et misericordia excogitavit atque perfecit ad hominum salutem et sanctificationem operandam, juxta illud *psalmi 110. 4. 5.: Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.*

Hinc *S. Augustinus* exclamat *tractatu 26. in Joan.*: „O sacramentum „pietatis! O signum unitatis! O vin„culum caritatis! qui vult vivere, ha„bet unde vivat. Accedat, incorpore„tur, ut vivificetur!“

Eucharistia considerari potest vel

mentum, vel ut sacrificium. rs duplex in praesenti tractatu.

PARS I.

UCHARISTIA UT SACRAMENTO.

um: 1° de natura et efficacia; ateria et forma; 3° de ministro; bjecto eucharistiae.

CAPUT I.

URA ET EFFICACIA EUCHARISTIAE.

itur eucharistia sacramentum et sanguinis Christi sub spepanis et vini ad spiritualem m refectionem.

est sacramentum novae legis o Domino institutum ad spi- animae refectionem, in quo et sanguis Christi vere, realisubstantialiter continetur sub s panis et vini. — Constat *ilio Trid. sess. 13. c. 2. et 3.*

enda de fide:

— I. In sacramento eucha- Christus est realiter praesens et anima, una cum divinitate. 1° ex verbis *promissionis* ss. tiae apud *Joan. 6. 52.: Pa- em ego dabo, caro mea est di vita etc.;* — 2° ex verbis *onis* ss. eucharistiae in ultima *atth. 26. 26.: Hoc est corpus* tc.; — 3° ex tota traditione, ex definitione Ecclesiae. Sic *id. sess. 13. can. 1.: Si quis it, in sanctissimae euchari- cramento contineri vere, rea- substantialiter corpus et san- una cum anima et divinitate nostri Jesu Christi, ac pro- tum Christum, sed dixerit, nodo esse in eo, ut in signo a aut virtute, anathema sit.* n sacramento eucharistiae toistus continetur sub utraque t in qualibet speciei parte, salsibili separatione facta, et quirmanenter.

Hinc Christus continetur tantum sub alterutra specie, quantum sub utraque; tantum in minima parte utriusque speciei, saltem facta separatione, quantum in parte majore vel in specie integra. Corpus igitur Christi integrum habetur sub specie vini haud secus, ac sub specie panis. Quamvis enim vi verborum corpus sub specie panis, et sanguis sub specie vini ponatur, totum tamen corpus indivisim sub singulis speciebus exsistit. Ratio est, quia omnes partes corporis Christi, cum sit vivum, vi naturalis concomitantiae sunt inseparabiles, siquidem *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur,* ut ait apostolus *(Rom. 6. 9.).* Divinitas quoque sub utraque specie exsistit propter admirabilem unionem hypostaticam, qua corpus et anima ei conjunguntur. De his omnibus constat ex *Trid. sess. 13. c. 3.* et *can. 1. et 3.* — Item ex decreto *concilii Florent. ad Armenos.*

III. In sacramento eucharistiae datur vera transsubstantiatio seu realis conversio totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ita ut peracta consecratione nihil de pane et vino remaneat, solis speciebus exceptis. Constat: 1° ex scriptura sacra, nempe ex verbis Christi: *Hoc est corpus meum* etc.; significant enim simpliciter, materiam praesentem esse corpus Christi, nec essent simpliciter vera, si remaneret substantia panis simul cum corpore Christi; 2° ex tota traditione et ex definitione Ecclesiae in multis conciliis, praesertim in *Trid. sess. 13. can. 2.*

Quaesita:

273. — Quaer. 1° *Quamdiu Christus maneat realiter praesens in eucharistia?*

Resp. Remanet, quamdiu species remanent integrae; desinit vero sub eis inesse statim, ac species ita corrumpuntur, ut juxta consuetum loquendi modum non videantur esse panis et vinum. — Tunc vero, eo instanti, ex

lege a Deo in institutione hujus sacramenti stabilita speciebus substituitur eadem materia, quae pani et vino corruptis succederet. — *S. Lig. n. 225.* — *Lugo d. 10. n. 36.* — *Lacroix l. 6. p. 1. n. 474.*

Quaer. 2° *Quamdiu sacrae species censeantur remanere integrae post sacramenti sumptionem?*

Resp. Non constat: alii dicunt, post minutum, alii post quinque minuta, alii post medium quadrantem eas deficere. Diutius autem remanent in sacerdote, qui in missa sub utraque specie et cum hostia majore communicat, quam in laico, qui de more parvam hostiam tantum sumit. — *S. Lig. ibid. etc.*

274. — Quaer. 3° *An eucharistia sit unicum vel duplex sacramentum?*

Resp. Est unicum specie sacramentum, licet sint plura signa. Etenim, licet adsit *pluralitas physica* signi, est tamen *unitas moralis;* nam sacramentum eucharistiae, quamvis speciebus panis et vini physice distinctis sit compositum, ordinatur tamen ad unam specie refectionem spiritualem tamquam ad finem et effectum significatum, sicut cibus et potus materialis ordinantur ad unicam refectionem corporalem. Sic in extrema unctione sunt plures unctiones, et tamen unicum sacramentum, quia istae plures unctiones ordinantur ad unum finem et effectum, qui est tollere reliquias peccatorum. — *Ita communissime et certo cum S. Thoma p. 3. quaest. 73. art. 2. ad 2um.* — *S. Lig. n. 190. 191.* — *Billuart diss. 2. art. 2.*

275. — Quaer. 4° *Quinam sint effectus sacramenti eucharistiae in anima?*

Resp. Praecipui sunt sequentes, scilicet: 1° *Augmentum gratiae sanctificantis,* quod praecipuum eucharistiae effectum constituit. Etenim juxta verba Christi *(Joan. 6. 56.): Caro enim mea vere est cibus* hoc sacramentum est institutum ut alimentum spirituale; alimentum autem supponit vitam in eo, qui illud suscipit: sequitur inde, per hoc alimentum vitam ipsam animae, quae in gratia sanctificante praecipue consistit, corroborari et augeri. — 2° *Adeptio gloriae aeternae;* Christus enim, largitor gloriae, hanc promittit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum (Joan. 6. 52. etc.).* — 3° *Largitio uberrima gratiarum actualium,* quae fluunt a gratia habituali et habitibus infusis. — 4° *Debilitatio habituum malorum et emendatio vitiorum,* praesertim libidinis. — 5° *Remissio peccatorum venialium.* Constat ex *Trid. sess. 13. c. 2.,* ubi eucharistia vocatur antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur. — 6° *Remissio poenae temporalis peccato debitae,* non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris, ut ait *S. Thomas p. 3. q. 79. art. 5.* — 7° *Unio specialis cum Christo et membris ejus,* ut patet ex *Joannis 6. 57.: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.* — 8° *Praeservatio a peccatis futuris,* quod duplici modo fit, tum quia, aucta caritate per hunc cibum, anima fit validior contra naturam corruptam, tum quia est efficax memoria dominicae passionis, per quam victi sunt daemones. — *S. Lig. n. 269.; Hom. apost. tr. 15. n. 5.*(1)

Quaer. 5° *An aliquando eucharistia peccatum mortale delere possit?*

Resp. Affirmative probabilius, non quidem *per se,* sed *per accidens,* scilicet mediate per infusionem gratiae, quando scilicet aliquis ignorans, se versari in statu peccati mortalis,

(1) Licet sacra eucharistia, qua susceptio sacramenti, ex opere operato non prosit, nisi sumentibus, tamen ex opere operantis etiam aliis, tam vivis, quam defunctis, prodesse potest, ratione scil. communionis omnium membrorum inter se, vi cujus opera nostra in caritate facta aliis applicare possumus et his prosunt. Hinc mos communicandi pro defunctis non est rejiciendus. — *Scav.*

accedit ad eucharistiam bona fide et cum attritione de peccatis in antecessum commissis. Tunc enim nihil obstat, quominus sacramentum suum producat effectum; sed effectum producere nequit stante peccato mortali. Ergo debet peccatum illud *indirecte* delere. — *S. Lig. n. 268.* — *Recole dicta de sacramentis in genere n. 192.*

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIAE.

Agendum: 1° de materia; 2° de forma eucharistiae.

ARTICULUS I.
DE MATERIA EUCHARISTIAE.

I. De materia remota.

Principia:

276. — I. *Panis et vinum* sunt materia sacramenti eucharistiae remota. Constat 1° ex institutione ipsa hujus sacramenti: Christus enim in ultima coena accepit panem et vinum et ea consecravit in corpus et sanguinem suum; 2° ex definitione Ecclesiae in *concilio Lateranensi c.* Firmiter (1.) *de summa Trinitate (I. 1.)*, in *concilio Florent.* in decreto unionis et in *Trid. sess. 13.* in omnibus fere capitibus. — Accedit his omnibus unanimis traditio utriusque Ecclesiae, latinae et graecae.

II. Solus panis *triticeus*(1) et solum vinum *de vite*(2) sunt materia valida sacramenti eucharistiae. Constat ex *concilio Florent.* in decreto supra citato, ubi dicitur: *Tertium est eucharistiae sacramentum, cujus materia est* panis triticeus *et* vinum de vite. — Concordat etiam perpetua traditio et praxis utriusque Ecclesiae, latinae et graecae.

277. — III. Aqua modicissima vino permiscenda est, non tamen necessitate sacramenti, sed praecepti ecclesiastici tantum.

Ratio 1mi deducitur 1° ex perpetua Ecclesiae praxi et universali patrum traditione; 2° ex declaratione variorum conciliorum, praesertim *Florentini*, quod declarat, materiam calicis esse *vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet,* et *concilii Trid. sess. 22. c. 7.*

Ratio 2di deducitur ex eo, quod Christus in institutione hujus sacramenti solum vinum designaverit, et varia concilia, de hac mixtione mentionem faciendo, de solo praecepto loquantur, uti *Trident.* loco citato. Accedit doctrina catechismi ejusdem concilii(1), qui, postquam docuit, hanc mixtionem non posse sine peccato mortali praetermitti, addit: „Si aqua desit, sacramentum constare potest.“

Quaesita:

278. — Quaer. 1° *An sit materia valida panis ex siligine seu secali?*

Resp. Controvertitur. Alii *affirmant,* quia siligo, ajunt, videtur esse ex eadem specie ac triticum, licet sit diversae qualitatis. Alii vero *multo communius* et *probabilius negant,* quia panis siliginis est speciei omnino diversae, nec dicitur simpliciter panis, nec a divitibus adhiberi communiter solet. In praxi igitur haec materia sub gravi omnino prohibetur. — *Vide S. Lig. n. 200.*

Quaer. 2° *An sit materia valida panis ex farre seu spelta* (gallice *espiotte* vel *épeautre*, sorte de blé)?

Resp. Pariter *controvertitur,* ut de siligine. Unde illa materia etiam ut

(1) per aquam confectus; hinc panis triticeus alio liquore v. g. lacte, butyro etc. subactus non est materia apta vel saltem valde dubia. — *S. Lig. n. 198. 199.*

(2) sive sit exterum, sive indigenum, album vel rubrum. — *S. Lig. n. 207. etc.*

Mustum adhibere in genere sola necessitas licitum facit; succus vero ex uvis omnino acerbis est materia inepta. — *S. Lig. n. 207. 206.*

In genere autem admixtio modica materiae ineptae speciem non solvit. — *S. Thom. p. 3. q. 74. art. 3. ad 3.*

(1) *p. 2. c. 4. Q. 17.*

dubia et proinde graviter illicita habenda est. — *S. Lig. ibid.* et *alii communiter.* Attamen animadvertendum est, dari in variis regionibus diversas frumenti species, quae nomine *speltae* veniunt. Unde videtur attendi debere ad communem hominum aestimationem.

279. — Quaer. 3° *An panis tam azymus, quam fermentatus sit materia valida et licita eucharistiae?*

Resp. 1° *Quoad validitatem affirmative.* Ratio est, quia uterque est panis verus et simpliciter dictus, et sic in scriptura vocatur; nam uterque fit ex farina triticea, aqua naturali subacta. Constat etiam ex definitione Ecclesiae. Sic enim *concilium Florent.* in decreto unionis: *Definimus, in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi confici.*

Resp. 2° *Quoad liceitatem* latini tenentur sub gravi consecrare in *azymo,* et graeci in *fermentato,* singuli juxta Ecclesiae suae ritum. Constat 1° ex praxi utriusque Ecclesiae; 2° ex *concilio Florent.* in decreto citato, ubi additur: *Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suae ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem.*(1)

Quaer. 4° *An peccet graviter sacerdos consecrans in vino acescente?*

Resp. Affirmative, licet illud vinum sit adhuc materia valida sacramenti. Imo admittitur peccatum mortale, non tantum, si vinum sit aceto proximum, ob periculum nullitatis sacramenti, sed etiam, si certo incipiat acescere et corrumpi, quia videtur tunc gravis injuria sacramento irrogari. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 207.* — Constat etiam ex *rubrica tit. 4. n. 2.,* ubi sic dicitur: *Si vinum coeperit acescere vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre . ., conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

Probabiliter tamen dicunt *Gobat, Sporer, Lacroix,* quod, deficiente alio vino, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens sive non notabiliter acidum. — *S. Lig. ibid.* Unde rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes, etiam primos gradus acrimoniae, sed tantum illos, qui proxime incipiunt constituere vinum acescens. — *S. Lig., Exam. ordinand. n. 98. (Hom. apost., append. 3.).*

280. — Quaer. 5° *An vinum congelatum sit materia valida?*

Resp. Controvertitur. Affirmative probabilius(1). Ratio est: 1° quia remanet substantialiter vinum, cum retineat eumdem colorem, saporem, odorem; 2° quia ex rubrica missalis species vini congelatae post consecrationem debent liquefieri admotis pannis calefactis et deinde sumi ut verum sacramentum. *(Rubr. de defect. tit. 10. n. 11.)* Ergo supponit, speciem vini congelati retinere sanguinem Christi; ergo sacrae species non alterantur substantialiter per congelationem post consecrationem; ergo nec ante. — *Ita S. Lig. n. 207.,* ubi dicit, esse sententiam veriorem ob rationem ex citata rubrica deductam.

Quaer. 6° *Quaenam quantitas aquae sit in calice immiscenda?*

Resp. Sufficit aquae modicissima quantitas, ut dicit *concilium Florent.* supra *n. 277. Probabiliter* potest infundi aqua usque ad octavam partem vini, imo usque ad quintam partem juxta *Lugo disp. 4. n. 38.* Addit *Busembaum,* sufficere, si aqua tertiam partem non excedat. Sed in praxi haec ultima sententia non est admittenda, quamvis tertia pars non corrumpat vinum, si sit generosum. Ge-

(1) Potest vero sacerdos latinus, transiens per regiones Graecorum, in quibus nulla ecclesia sui ritus adest, consecrare in fermentato; item vice versa. — *S. Lig. n. 203. Dub. 1.*

(1) est tamen materia illicita. — *S. Lig. n. 207. Q. II.*

neratim consulendum est, ne sacerdos excedat octo vel decem guttulas. Quod si casu nimiam aquae quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini erit adjicienda. — *S. Lig. n. 210.*(1)

II. De materia proxima seu de usu materiae requisitae in ipsa consecratione.

Principia:

281. — I. Ad validam consecrationem praeter materiam aptam seu consecrabilem requiritur: 1° ut materia consecranda sit *physice praesens,* quia id necesssario exigunt pronomina demonstrativa formae *Hoc, Hic:* aliter enim forma foret falsa, siquidem demonstraretur praesens id, quod non esset praesens; 2° ut intentione ministri in individuo sit determinata, quia, sicut non consecrat minister, nisi intendat consecrare, ita nec hanc materiam consecrat, nisi eam intendat determinate consecrare. Non requiritur tamen determinatio actualis, sed virtualis sufficit. — *S. Lig. n. 211. 214.*

II. Ad licitam consecrationem requiritur, ut sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiae, praesertim rubricis nissalis romani determinato. Hinc imrimis necesse est, ut materia conseranda sit decens et munda ob reveentiam tanto sacramento debitam;(2) ° ut sit reposita in altari et in corrali; 3° ut ciborium vel calix conrandus sit discoopertus; 4° ut fiat npore canonis in rubrica praescripto. *Vide S. Lig. n. 218. 219.*

Resolves:

82. — 1° Valide consecrantur ho- sub aliis latentes aut aliter te- . Item valide consecratur vinum alice velo, palla aut alio quovis cooperto, quia sufficit ad veram riae praesentiam, ut per pronomina vel *hic* demonstrari possit. — *S. Lig. n. 212. etc.* et *alii commu nissime.*

2° Valida est consecratio, si sacerdos putet, unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive ab ipso, sive ab alio positae. Ratio est, quia sacerdos semper praesumitur velle consecrare, quidquid est decenter consecrabile. Unde, si celebrans advertat post consecrationem, duas hostias esse simul junctas, utramque ut consecratam sumat juxta rubricam missalis. Si vero ante consecrationem, postquam obtulit, id advertat, alteram seponat, et post missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum. — *S. Lig. n. 216.* et *alii omnes.*(1)

3° Idem dicendum, si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis hostiis jam super altari positis, vel rationabili modo animadverterit, ab alio eas afferri, ut consecrentur, etsi, dum consecrat, earum non ita expresse meminerit aut etiam ad oblationem eas non detegat, modo sint praesentes in corporali; quia intentio praecedens virtualiter perseverat. — *S. Lig. n. 216. 217.*

4° Non consecrarentur hostiae inscio sacerdote etiam in corporali positae, quia sacerdos penitus inscius intentionem illas consecrandi non habuit.

5° Si parvae hostiae pro communicando afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem, licite eas consecrare poterit, suppleta oblatione mentaliter.(2) — *S. Lig. ibid.*

Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 2.* 9. cum *not.*

tem ex ecclesiae latinae praecepto : ut hostia sit formae rotundae, integra et recens. — Cf. *S. Lig.* — *Scav.* — Infra not. 2. post *n. 315.*

(1) Si quo casu hostiae non consecratae misceantur consecratis, totus cumulus consecretur sub conditione: *si non sint consecratae.* — *S. Lig. n. 216.*

(2) Plura vide apud *Gury, Casus consc. p. 2. n. 261.* — Cf. etiam infra *n. 303. Q. 14°.*

Numquam vero *unam* speciem consecrare licet. Talis consecratio tamen *probabilius* valida est, etiamsi sacerdos positivam intentionem habuerit, alteram speciem non consecrandi. — *S. Lig. n. 196.*

Quaesita:

283. — Quaer. 1° *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis affirmat.* Ratio est, quia jam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in principio missae, nec illa voluntas fuit retractata; ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis.

IIª Sententia *probabilior* et *communior* omnino *negat.* Ratio est, quia intentio illa consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, et proinde sacerdos illam habuisse non praesumitur.

In praxi ciborium illud denuo consecrandum erit sub conditione in alia missa.(¹) Possunt etiam illae particulae absumi post utramque communionem, sed ante purificationem. — *S. Lig. n. 217.*

Quaer. 2° *An censeatur consecratum ciborium positum quidem in corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore consecrationis?*

Resp. Affirmative. Ratio est: 1° qnia certe possunt valide consecrari hostiae in ciborio clauso, ut supra dictum est; 2° quia sacerdos semper censetur habere intentionem absolutam consecrandi, quidquid ipso sciente est supra corporale et est honeste consecrabile et per modum continui. — *Ita Reuter etc.*

Objicies: Ex dictis in quaesito praecedenti *probabilius* non est consecratum ciborium extra corporale relictum, quia sacerdos non censetur velle peccare; ergo a pari in praesenti casu ob eamdem rationem.

Resp. Nego paritatem. Licet enim Ecclesia velit ciborium aperiri pro majore reverentia, attamen, cum haec irreverentia non videatur notabilis possitque hoc frequentius contingere, praeceptum non urget, ut alterum praeceptum prohibens consecrare extra corporale. Asserit *Reuter,* esse communem doctorum sententiam.

284. — Quaer. 3° *An censeantur consecratae guttae vini inhaerentes calici sive exterius, sive interius?*

Resp. 1° Guttae exterius inhaerentes numquam censentur consecratae. Ratio est, quia merito praesumitur, intentionem sacerdotis esse tantum consecrare, quod est licite consecrabile; illicite autem et irreverenter seu cum magno irreverentiae periculo absque ulla utilitate illae guttulae consecrarentur. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 215.*

Resp. 2° *Probabilius* nec consecratae censentur guttae interius inhaerentes et omnino a cumulo separatae. Ratio est, quia non videtur esse intentio Ecclesiae, adeoque nec sacerdotis, consecrare, nisi vinum, quod per modum unius potabile est et in calice reperitur congregatum. — *Ita communius* cum *Suarez* — *Layman etc.* contra *plures.* — *Vide S. Lig. ibid.*

Quaer. 4° *Quale vero sit peccatum consecrare sine rationabili causa hostiam fractam vel maculatam?*

Resp. Secluso scandalo est tantum veniale, nisi macula vel fractura sit enormis. Si tamen deprehendatur aliqua fractura vel macula etiam notabilis in hostia, post oblationem licite talis hostia consecrabitur, quia jam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata. — *S. Lig. n. 204.* et *alii communiter.*

ARTICULUS II.
DE FORMA EUCHARISTIAE.

Sicut in sacramento eucharistiae duplex est distincta materia, duplex quoque est forma consecrationis, una panis et altera vini.

(¹) Cum *Benedictus XIV. (de sacr. missae l. 3. c. 18. n. 6.;* al. *sect. 2. n. 159.)* id consulat, non est, cur sine ratione speciali ab eo recedamus.

Principia:

285. — I. Forma pro consecratione panis consistit in his verbis: *Hoc est enim corpus meum.* Haec autem verba aut aequivalentia sunt omnino formae essentialia, si verbum *enim* excipias.

Constat 1° ex universali praxi Ecclesiae et ex ejus praecepto in missali romano; — 2° ex *concilio Florent. in decreto unionis* et *Trident. sess. 13. c. 1.*; — 3° ex ipsa institutione divina, in qua Christus transsubstantiavit panem in corpus suum, praedicta verba proferendo.

II. Forma pro consecratione vini sic habetur: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Constat pariter: 1° ex praxi et praescripto Ecclesiae; 2° ex variis evangelistis, qui, etsi non omnino eadem verba referant, perfecte tamen quoad sensum concordant.

Resolves:

286. — 1° Valida, sed illicita est consecratio, si consecrans dicat: *Hic cibus est corpus meum, hic calix est sanguis meus.* — Item, si proferat *meus* pro *meum*, *es* pro *est*, *calis* pro *calix etc.* Hinc deducitur, non posse excusari a peccato veniali, qui debitam diligentiam non adhibet ad verba consecrationis rite pronuntianda. — *S. Lig. n. 221.*

2° Invalida erit consecratio, si dicas: *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum, hoc corpus est meum* vel *hic sanguis est meus*, quia haec verba non videntur operari, quod significant. — *S. Lig. ibid.*

3° Dubia est consecratio, si dicas: *Haec est caro mea, illud est corpus meum, ille est sanguis meus.* — *S. Lig. ibid.*

4° Debent verba formae proferri in persona Christi *formaliter* et *assertive*, seu *recitative* simul et *significative*, non vero *historice* tantum: scilicet proferenda sunt verba Christi applicando eorum significationem ad materiam praesentem, ut illa transsubstantietur in corpus et sanguinem Christi. Attamen scrupulus non est habendus de prolatione verborum in utroque sensu relato; nam quivis sacerdos praesumitur habere intentionem faciendi id, quod Christus fecit et instituit, et sic intendit sufficienter verba consecratoria proferre in utroque praefato sensu. — *Elbel n. 34.* — *S. Lig. n. 220. etc.*

Quaesita:

287. — Quaer. 1° *An omissio vocis* enim *in forma consecrationis sit gravis?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis negat*, quia vox illa non reperitur in verbis a Christo prolatis, et aliunde non videtur efficere materiam gravem in praecepto Ecclesiae. — *Ita S. Lig. n. 220.*

IIª Sententia *affirmat* cum *Concina etc.*, et hanc dicit *non improbabilem S. Lig.* Ratio est, quia in re tam gravi non videtur levis materia in quacumque mutatione deliberata.

Quaer. 2° *An in consecratione requirantur ut essentialia illa verba antecedentia:* Qui pridie quam pateretur etc. Simili modo etc.?

Resp. Negative cum sententia communi, quam tenent *S. Lig. n. 222.* — *Lugo* — *Concina* — *Billuart.* Ratio est, quia haec verba historice tantum referuntur, nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Plures tamen contradicunt.(¹)

Quaer. 3° *An in consecratione calicis sola haec verba:* Hic est calix sanguinis mei *sint de essentia formae?*

Resp. Affirmative. Ratio est: 1° Quia verba consecrationis panis sunt

(¹) Si vero aliquando ob dubiam consecrationem forma repetenda erit, ex rubricis incipiendum erit a verbis: *Qui pridie* et *Simili modo.* — Cf. *S. Lig. n. 222.*

haec: *Hoc est corpus meum.* Ergo *a pari* verba consecrationis vini sunt haec alia: *Hic est sanguis meus* vel alia aequivalentia tantum. — 2° Quia illa verba *per se* sola exprimunt praesentiam sanguinis Christi sub speciebus vini. — *Ita communiter* contra *plures.* — *Vide S. Lig. n. 223.*(¹)

Quaer. 4° *An valeat forma, si dicatur:* Hoc enim corpus meum, *subintelligendo* est, *ut in lingua latina frequenter fieri solet?*

Resp. Negative. Nam licet in continua oratione verbum substantivum facile subintelligi possit, in casu tamen praesenti fieri nequit, tum quia non habetur oratio continua, tum praesertim, quia in re, de qua agimus, non habet tantum sensum assertorium, ut in sermone communi, sed etiam habet vim productivam corporis Christi. — *S. Lig. n. 223.* et *alii communissime.*

CAPUT III.

DE MINISTRO EUCHARISTIAE.

Agendum: 1° de potestate ministri; 2° de ejusdem obligatione; 3° de requisitis, ut debite ministret; 4° de modo s. eucharistiam infirmis ministrandi; 5° de modo eam asservandi.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE MINISTRI EUCHARISTIAE.

Minister eucharistiae duplex est, scilicet alius consecrationis, alius dispensationis.

Principia:

288. — I. Omnis et solus sacerdos est minister eucharistiae conficiendae. Constat: 1° Ex scriptura; Christus enim sacramentum instituens omnibus et solis apostolis cum ipso recumbentibus, et proinde omnibus et solis sacerdotibus eorum successoribus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* (*Luc. 22. 19.*) Ergo omnes et soli sacerdotes hanc potestatem a Christo acceperunt. — 2° Ex *concilio Trid. sess. 22. can. 2.* — 3° Tandem ex universali et perpetua traditione.

II. Soli episcopi et presbyteri sunt ministri ordinarii dispensationis eucharistiae. Constat: 1° Ex *concilio Trid. sess. 13. cap. 8.*, ubi dicitur: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent.* — 2° Ex praxi universali Ecclesiae.

289. — III. Diaconi vi suae ordinationis sunt ministri eucharistiae extraordinarii, ita ut possit eis (¹) committi hujus sacramenti dispensatio (²). Constat: 1° Ex praxi priorum saeculorum, in quibus diaconi passim ex commissione episcoporum vel presbyterorum, sive generali, sive particulari, eucharistiam ministrabant. — 2° Ex variis conciliis, v. g. ex *Nicaeno I. generali, Carthaginiensi IV. etc.* — *S. Lig. n. 237.*

IV. Jure ordinario solus parochus aut illius superior potest eucharistiam dispensare. Ad hoc enim requiritur jurisdictio, non quidem pro valore actus, ut in absolutione, sed pro debito ministrandi modo et ordine. Constat: 1° Ex variis conciliis, praesertim ex *Carthag. I. can. 7.* et *Milevitano can. 18. etc.* — 2° Ex universali Ecclesiae praxi. Hinc qui sine licentia pastoris, saltem praesumpta, eucharistiam ministraret, jus ejus in re gravi violaret ideoque graviter peccaret. Quando autem parochus concedit aliis licentiam celebrandi in sua ecclesia, semper censetur etiam concedere li-

(¹) qui tamen ibidem sub *II.* notat, cum etiam sententia contraria (quam fusius exponit) probabilis sit, consecrationem per haec sola verba factam repetendam esse sub conditione.

(¹) ex sufficiente causa (v. infra *Q. 1°.*) —

(²) quae commissio seu jussio saltem tacita ad liceitatem hujus actus et ad vitandas poenas in contravenientes statutas (*c.* Si quis (1.) *de cler. non ord. (V. 28.)* — v. etiam c. Religiosi (1.) *de priv. (V. 7.) in Clem.)* certe pro publica et solemni administratione ipsis prorsus necessaria est. — *Scav.* — *S. Lig. n. 237.*

centiam ministrandi eucharistiam, nisi contrarium exprimat; hoc etiam praxi communi confirmatur. — *S. Lig. n. 230. et seq.*(1)

Quaesita:

290. — Quaer. 1° *An, ut diaconus ministret, necessitas debeat esse extrema?*

Resp. Negative cum sententia communi, sed sufficit necessitas gravis, nempe cum nullus adest sacerdos, qui commode eucharistiam ministrare possit. — *Ita S. Lig. n. 237.* — *Lugo.*(2)

Quaer. 2° *An et in quibusnam circumstantiis religiosi sanctissimam eucharistiam ministrare possint?*

Resp. 1° Semper eucharistiam ministrare possunt in suis ecclesiis vel per se, vel per alios sacerdotes, excepto die paschatis. Sic ex variis privilegiis SS. Pontificum, praesertim *Pauli III.* et *Pauli IV.*

Resp. 2° Non possunt autem eucharistiam ministrare: 1° in suis ecclesiis die paschatis, ut modo dictum est(3); 2° in aliis ecclesiis, nisi de licentia saltem praesumpta parochorum aut superiorum; 3° nec extra ecclesias in periculo mortis seu ratione viatici, nisi de licentia expressa parochorum, secluso necessitatis casu. Si autem facere id praesumant, excommunicationem latae sententiae incurrunt. — *Elbel n. 57.* — *Billuart* — *Lugo etc.* — *Vide S. Lig. n. 240.*

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM DISPENSANDI.

Principia:

291. — I. Pastor seu quivis sacerdos habens curam animarum tenetur ex justitia eucharistiam subditis ministrare non solum in paschate et in morte, sed etiam, quoties rationabiliter petunt, seclusis tamen legitimis impedimentis. Ratio est, quia pastori incumbit ex quasi-contractu providere non solum, ut fideles adimpleant praecepta, sed etiam ut habeant ea, quae valde suo profectui prosunt. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 15. n. 8.*

II. Sacerdos quilibet sive saecularis, sive regularis, tenetur deficiente pastore eucharistiam morituro ministrare; secus in aliis casibus. Ratio 1mi est, quia quilibet ex caritate tenetur proximo suo in tanta extremitate constituto succurrere per hoc salutare et efficacissimum remedium; talis enim obligatio ex generali regula caritatis evidenter sequitur. Ratio 2di patet. Nulla enim intervenit obligatio, neque ex justitia, cum nullus sit contractus, neque ex caritate, cum non supponatur adesse casus necessitatis.

Quaesita:

292. — Quaer. 1° *An parochus teneatur etiam investigare infirmos*

---

(1) Non tamen ita facile praesumenda est licentia, si agatur de susceptione eucharistiae *ex obligatione.* — Cf. *S. Lig. n. 235.* Quapropter quoad communionem paschalem consuetudo observanda erit; item viaticum extra casum necessitatis sine licentia parochi administrare illicitum (v. *Bouix, de parocho p. 4. c. 8.*).

Pueris vero primam communionem administrare non est de juribus parochialibus, cum nulla lex generalis id parochis reservet. Observanda tamen erunt statuta dioecesana vel etiam legitima consuetudo, si alicubi vim legis forte habeat. — Cf. *Bouix, de jur. regular. t. 2. p. 5. sect. 3. c. 2. Q. 12.*

Quoad admissionem horum puerorum ad primam communionem v. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 278. et seq.*

(2) In necessitate vero extrema diaconus, absente sacerdote, juxta omnes *tenetur* viaticum ministrare ex tacita jussione. — *S. Lig. ib. Q. I.*

(3) Intellige: si sermo sit de personis saecularibus, monasterio non inservientibus (*cf. p. 1. n. 484. Q. 7°. 3°. not.*), etsi jam antea praecepto annuae communionis in propria parochia satisfecerint. Ita saepius *S. C. C.* — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 16. n. 3—5.* — Aliqui tamen asserunt, adesse constantem consuetudinem in contrarium, quae jus praebet. — *S. Lig. n. 240. 5.*

eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministret?

Resp. Affirmative, saltem si sint in gravi mortis periculo. Ratio est, quia officium est boni pastoris investigare, ut media tam utilia et efficacia ovibus in tanto periculo constitutis suppeditentur. Colligitur praeterea ex jure canonico, c. Presbyter (1.) *de celebratione missarum (III. 41.).*

Quaer. 2° *An parochus teneatur per seipsum eucharistiam subditis ministrare?*

Resp. Negative. Sufficit enim, ut provideat, ne *opportune* illud sacramentum petentes vel illo graviter indigentes eodem careant. Potest igitur ordinarie suam obligationem etiam per alios adimplere. Attamen praecavere debet scandalum, quod intervenire facile posset, si videretur otiosus et incurius, munia sua habitualiter per alios adimplendo. — *Ita omnes.*

Quaer. 3° *An graviter peccet parochus toties, quoties eucharistiam denegat rationabiliter petenti?*

Resp. Negative. Si enim raro id faciat, v. g. erga unum aut alterum, secluso scandalo et gravi petentium contristatione, non peccabit, nisi venialiter. Ratio est, quia in his raris et particularibus casibus non resultat gravis injuria, nec grave damnum fidelibus petentibus, vel damnum illud est facile reparabile. — *Ita omnes.* — *Recole dicta de sacram. in genere n. 216.*

Quaer. 4° *An parochus teneatur eucharistiam etiam cum vitae periculo ministrare, v. g. tempore pestis vel morbi contagiosi?*

Resp. Negative valde *probabiliter* cum *S. Lig. n. 233.* — *Vide dicta n. 214. Q. 2°.* — *Affirmant* tamen *plures* innixi in doctrina *Bened. XIV., de syn. dioec. l. 13. c. 19.*(¹)

293. — Quaer. 5° *Quandonam censeatur excusari ab eucharistia subditis petentibus ministranda?*

Resp. Legitime excusatur: 1° quando ob varias circumstantias non rationabiliter subditi petunt, v. g. si petant ante missam et possint exspectare sine magna difficultate, vel si nimis importune petant etc.; — 2° si ipse parochus ob infirmitatem aliasve occupationes necessarias impeditus sit etc.; tunc enim communionem ex mera devotione faciendam licite denegaret aut in aliud tempus commodius differret. Attamen in hoc caute agendum est, quia ex hujusmodi denegatione fideles facile possent scandalum accipere et, amissa fiducia debita in pastorem, a sacramentis saepius recipiendis arceri. — *Ita omnes.*

ARTICULUS III.
DE REQUISITIS AD LICITAM SANCTAE EUCHARISTIAE DISPENSATIONEM.

Principia:

294. — I. Requiritur praeter jurisdictionem, ut minister sit liber ab omni excommunicatione, interdicto et suspensione a sacris; secus enim graviter peccaret et irregularitatem incurreret.

II. Requiritur, ut minister sit in statu gratiae, quia augustissimum et sanctissimum Christi corpus impuris manibus tractari non debet. Unde toties peccat graviter sacerdos reus peccati mortalis, quoties communionem distribuit, licet probabiliter non tot peccata gravia committat, quot sunt personae in eadem distributione eucharistiae.(¹) — *S. Lig. n. 30. et seq.*

III. Requiritur, ut minister eucharistiam distribuat ritu Ecclesiae consueto. Ratio patet; ordinationes enim legitimae Ecclesiae sub peccato obligant, saltem *per se.* Hinc, generatim loquendo, omittenda est hujus sacramenti administratio, cum more solito

(¹) Et sane, pro hac obligatione ministrandi viaticum, si quosdam casus excipias, rationes valde graves militant. — *Cf. Ben. XIV. l. c. n. 8—10.*

(¹) Cf. *n. 212.* — Non tamen peccaret, si se dignum reddiderit non per confessionem, sed per solam contritionem. — Ita *communiter.*

a rituali romano vel loci proprii praescripto fieri nequit. — *Vide S. Lig. n. 241. et seq.*

Resolves:

295. — 1° Minister eucharistiae cum magna reverentia tractare debet illud augustissimum sacramentum, quo praesente venerantes tremunt potestates et supplex adorat tota curia coelestis. Sed non satis est, ut sacerdos digne et devote sanctam eucharistiam tangat et fidelibus ministret; ad officium ejus pertinet, si parochus sit aut ejus adjutor, ut eam asservet in loco honesto seu in tabernaculo decenti. Omissio notabilis curae ad hoc debitae facile mortalis evadere potest. — *Elbel n. 76.* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 15. n. 8.* et *alii omnes.*

2° Eucharistia non est ministranda, nisi modo decenti, nempe cum stola, superpelliceo et lumine.

3° Peccat graviter juxta communem sententiam, qui praeter casum necessitatis distribuit communionem sine ulla veste sacra, quia hoc est valde indecens et contra grave praeceptum Ecclesiae. — *S. Lig. n. 241. 245.* — Si tamen sola stola omittatur, videtur pluribus et gravibus theologis esse tantum veniale, quod sat probabile censendum est. — *S. Lig. n. 241.*

4° Veniale tantum reputatur, ministrare eucharistiam sine lumine vel sine praemissa solita confessione *Confiteor etc.* — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 241.* — Similiter veniale tantum habetur, eucharistiam transferre sine vestibus sacris de loco ad locum, v. g. de altari ad aliud, vel de ciborio in ciborium vel ostensorium. — *Reuter n. 168.* — *Mazzotta.*

Quaesita:

296. — Quaer. 1° *An sacerdos, laborans infirmitate in pollice et indice, eucharistiam aliis digitis ministrare possit?*

Resp. Negandum videtur, saltem *probabilius*, secluso casu gravissimae necessitatis. — *Ita S. Lig. n. 244.* — Ratio est, quia, licet tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiae ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati.

Quaer. 2° *Quid faciendum, si hostia in terram decidat?*

Resp. Locus, in quem sancta hostia decidit, statim tegendus est aliqua re munda et postea abluendus. Si cadat in mappam seu linteolum, quo manus communicantis obteguntur, locus spinula statim signandus est et pariter postea abluendus. Ita *rubrica,* quae tamen non obligat sub gravi juxta communem sententiam. Graviter tamen obligaret ad abluendum locum, in quem decidissent sacrae species vini, cum ipsae imbibantur; non est tamen opus, eas(1) comburere. — *S. Lig. n. 250.* — *Lacroix l. 6. p. 1. n. 494.*

Quaer. 3° *Quid faciendum, si hostia decidat in vultum, barbam aut vestes communicantis?*

Resp. In praefatis casibus omittenda est purificatio, quia melius est vitare admirationem, turbationem aut offensionem populi, quam servare rubricam, sub levi tantum obligantem. — *S. Lig. n. 250.* et *alii communiter.*

Quaer. 4° *Quid faciendum, si hostia incidat in sinum vel intra vestes mulieris?*

Resp. Ipsa mulier hostiam extrahere debet et porrigere sacerdoti, ab eo illam receptura. — Sic *Bened. XIV., de sacrificio missae sect. 2. n. 176.*(2) Digiti vero mulieris abluantur et ablutio in piscinam dejiciatur. Si mulier nequeat facile hostiam ibidem eximere, seorsim recedat v. g. in aliquod sacellum vel in sacristiam etc.

297. — Quaer. 5° *Qua hora communio dispensari possit?*

Resp. Hodie ministrari non potest nisi horis, quibus missam celebrare

---

(1) objectum, in quod sacer sanguis incidit — ait *Lacroix l. c.*

(2) *Ben. XIV. l. c.* (alias *l. 3. c. 20. n. 7.*) ait: particulam sive fragmentum suis ipsa manibus sibi ad os ferat.

licet. Constat ex decreto *S. Congr. Rit. die 7. Sept. 1816. in Tuden.* — Haec enim quaestio proposita fuit: An die magni concursus ad indulgentiam plenariam vel jubilaeum possit ministrari sacra eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem? Respondit *S. Congr.: In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa ecclesia missae celebrantur vel ad formam rubricae, vel ad formam indulti eidem ecclesiae concessi.*(1)

Nota: Ex decreto *S. Congreg. Rit. 20. Apr. 1641. in Pisaur.* non debet dari communio in missa nativitatis Domini, quae media nocte celebratur. — Apud *S. Lig. n. 252.* Attamen privilegium id permittendi quandoque conceditur, et nuperrime nonnullis Galliae episcopis concessum est ea lege, ut nullum scandali periculum adsit.(2)

298. — Quaer. 6° *An communio extra missam dari possit?*

Resp. Danda est generatim loquendo, in quantum fieri potest, post communionem sacerdotis. Sic ex *rituali rom.* Potest tamen facile dari communio ex usu recepto ante vel post missam vel etiam alio quolibet tempore, quo missa celebrari potest, ut supra *(n. 297.)* dictum est: sed requiritur aliqua justa causa, v. g. si deficiant missae vel communicantes non possint facile exspectare etc. Imo, ubi est magna communicantium affluentia, expedit differre communionem ad absolutum sacrificium, ne missae assistentes nimio tempore in ecclesia detineantur et taedio afficiantur. Facillime concedenda est communio extra missam infirmis, pueris, senibus et iis omnibus, qui ob stomachi debilitatem jejunium protrahere nequeunt. — *Ita S. Lig. n. 249. Dub. 3.* cum *aliis communiter* post *Bened. XIV., de sacrificio missae sect. 2. n. 162.* — Imo, *probabiliter* juxta plures nullum exsistit nunc rigorosum praeceptum dandi communionem intra missam tantum, ob hodiernam consuetudinem. — *Sic Billuart diss. 7. art. 4.*(1)

299. — Quaer. 7° *An communio dari possit cum paramentis nigris immediate ante vel post missam defunctorum?*

Resp. Negative. Constat ex consuetudine et ex *rituali rom.*, a quo praescribitur, ut in administratione eucharistiae sacerdos utatur stola coloris officio illius diei convenientis, ut colligitur ex declaratione *S. Congr. Rit. 12. Mart. 1836. in Trid. ad dub. 13.*, quae sic habet: *Juxta ritualis romani rubricam stola pro ministranda s. eucharistia extra missam debet esse coloris officio convenientis.*(2) Hinc sacerdos cum pa-

(1) Hoc responsum quidem solum casum indulgentiae plenariae vel jubilaei attingit, ideoque rationem aliquam extrinsecam urget; nihilominus idem generatim valere censemus (quidquid veteres moralistae hac de re senserint — v. *S. Lig. n. 252.*), cum ratio intrinseca, relatio scilicet communionis ad sacrificium, semper valeat, quae relatio etiam ex eo colligitur, quod ad ministrationem s. communionis in ecclesia extra missam color officii adhiberi debet.

(2) Item nequit dari tempore interdicti localis et tempore a repositione ss. sacramenti in feria V. majoris hebdomadae usque ad finem missae solemnis in sabbato sancto; attamen, *ubi consuetudo adest,* etiam inter hanc missam permittitur. — Cf. *S. Lig. n. 252.* — *S. R. C. 23. Sept. 1837. in Mutin. etc.*

Quod vero ad *locum* attinet, administrari potest in omnibus ecclesiis aut oratoriis *publicis;* ut vero administretur in *privatis,* requiritur expressa ordinarii licentia. — *S. C. C. 12. Febr. 1679.* — *Ben. XIV., Inst. 34.* — Cf. etiam *n. 290. Q. 2°.*

(1) Patet ex decr. *S. R. C. 7. Dec. 1844. in Januen.*, non posse negari communionem fidelibus extra missam, et *Ben. XIV.* in encycl. *Certiores effecti sit,* convenientem quidem esse atque exemplo Christi consentaneam communionem, per quam adstantes hoc sacrosanctum sacrificium in ipsa missa participant; attamen non propterea jus competere fidelibus, importune insistendi, si ab episcopo ob peculiaria motiva aliter fuerit ordinatum.

(2) Ratio ab auctore allata ex rituali rom. rem non evincit, cum nemo dubitet quin liceat ante discessum ab altari post missam v. g. votivam, cujus color officii

ramentis nigris celebraturus communionem immediate ante missam dare non debet, nec immediate post missam, nisi iis paramentis depositis. — *S. Lig. n. 249. Dub. 3.*

Quaer. 8° *An vero communio dari possit cum paramentis nigris intra missam de Requiem?*

Resp. 1° *Affirmative.* si communio detur cum solis hostiis in hac missa consecratis. Ratio est: 1° quia hoc non fuit umquam prohibitum; 2° quia *concilium Trid.* supra citatum exoptat, ut fideles in singulis missis communicare possint, nec distinguit inter missas vivorum et missas defunctorum; ergo, si adsistant missae cum nigris paramentis celebratae, in eadem communicare possunt. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si autem communio danda sit ex hostiis praeconsecratis, major est difficultas. Docet *Bened. XIV., de sacrificio missae sect. 2. n. 165.*, sic ministrari posse s. eucharistiam. Sed postea id prohibuit *S. Congr. Rit.* decreto *ann. 1741.* (Cf. apud *S. Lig. n. 249. Dub. 2.)* Denuo interrogata *S. Congr.* ab episcopo Veronensi, an liceat eucharistiam ministrare fidelibus in paramentis nigris cum hostiis praeconsecratis, respondit: *Negative.* (*Die 23. Maji 1835.)* — Sed iterum interrogata ab episcopo Mutinensi, utrum saltem tolerari posset usus distribuendi eucharistiam ex praeconsecratis cum nigris paramentis, ubi viget talis consuetudo, respondit: *Dilata*, i. e. differtur responsio.(¹) Igitur tolerari potest mos exsistens, usquedum prohibeatur.

300. — Quaer. 9° *An possit dari communio cum paramentis violaceis etiam ante vel post missam?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia, licet prohibitum fuerit dare communionem in paramentis nigris, saltem extra missam, numquam tamen prohibitum est, dare eam in violaceis, scilicet quoties color violaceus est color officii, ut ordinarie in feriis.

An autem missae defunctorum celebrari possint in paramentis violaceis, ut communio dari queat fidelibus cum hostiis praeconsecratis? *Resp. Affirmandum* quidem est ex decreto *S. Congr. ann. 1670.* apud *S. Lig. n. 249. Dub. 2.* Attamen, licet rigorose loquendo paramenta violacea adhiberi possint in missis defunctorum, illorum usus non absolute permittitur, sed tantum propter aliquam necessitatem. Sic ordo divini officii pro clero Urbis *ann. 1854.*(²)

301. — Quaer. 10° *Quomodo ministranda sit communio extra missam?*

(¹) Postulatum *de communione in missis defunctorum:* „Perdurat adhuc „in quibusdam ecclesiis mos communi„candi in missa defunctorum cum parti„culis praeconsecratis, propterea quod de„creta *S. Congr.* hac super re edita cen„sentur a multis non authentica aut sal„tem revocata. Hinc quaeritur:

„An idem mos possit permitti, vel ab „episcopo prohibendus sit, adeo ut solum „liceat communicare in dictis missis cum „particulis in ipsis consecratis?"

Respondit S. Congregatio *22. Sept. 1837. in Mutin.: Dilata.* — (Nota auctoris.)

(²) Utrum . . . color niger sensu exclusivo debeat intelligi, ita ut indulgentiam altaris privilegiati non consequatur, qui (v. g. ad ministrandam eucharistiam per modum sacramenti) cum paramentis violaceis missam de Requiem celebret?

Resp. *Ut fruatur altari privilegiato, sacerdos diebus non impeditis celebrare debet missam defunctorum et uti paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis. — S. C. J. d. d. 16. Febr. 1852.* (apud *Prinzivalli* sub *n. 619.)*

dei non respondet, s. communionem distribuere. Hinc potius ratio decentiae urgenda est. Quamvis enim non sit contra ritum, etiam ante discessum post missam de Requiem sacram communionem praebere in paramentis nigris cum particulis inter ipsam missam consecratis, quo in casu tamen benedictio post communionem omittenda est *(S. R. C. 24. Jun. 1683. in Albing. ad dub. 2.)*, tamen „neque convenienа, neque decens est, extra missam in paramentis nigri coloris tale sacramentum administrari", ut ait *Merati.*

Resp. 1° Si communio ministranda sit immediate ante vel post missam, agendum est sicut in ipsa missa; sed, s. ciborio in tabernaculo reposito, benedictio manu dextra danda est cum formula: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris etc.*(1)

Resp. 2° Si alio tempore distribuenda sit: 1° Duae accendendae sunt candelae, juxta *Merati* et communem sententiam theologorum, licet eucharistia cum uno solo lumine deferri possit. Si tamen urgeret tempus nec facile duae candelae accendi possent, una sufficeret. 2° Sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola(2) indutus ministrat(3), ut supra, et ad altare rediens dicit antiphonam *O sacrum convivium* cum versiculis et oratione, quae tamen non sunt de praecepto, sed de consilio(4), digitos abluit in vasculo ad hoc destinato, ciborium in tabernaculo recondit et dat benedictionem manu dextra, non vero cum pyxide, nisi super infirmos.

302. — Quaer. 11° *Quid faciendum, si minister sacerdoti desit: an vir communicaturus vel mulier supplere possit?*

Resp. 1° Sane quilibet communicaturus, si sit vir, sacerdoti inservire potest; vel ipse sacerdos suppleat, dicendo *Confiteor* et respondendo *Amen.* — *Ita omnes.*

Resp. 2° Mulier supplere non potest, nisi sit monialis intra claustrum, juxta morem receptum; tunc igitur ipse sacerdos omnia peragere debet. Nec dicas, quod in necessitate mulier missae respondere potest, modo a longe stet; nam in missa sacerdos solus ad omnia respondere non posset. — *Ita communiter.* — *Bouvier, de eucharistia c. 4. art. 2.* — *Gousset n. 212.*

Quaer. 12° *An dari possint plures particulae uni communicanti, vel una major devotionis gratia etc.?*

Resp. Negative. Hoc enim expresse fuit prohibitum decreto *S. Congr. Concilii*, approbato ab *Innocentio XI. die 12. Febr. 1679.* Verba autem decreti haec sunt: „Episcopi, parochi „seu confessarii admoneant, nulli tra„dendas plures eucharistiae formas seu „particulas, neque grandiores, sed con„suetas.“ — Apud *Bened. XIV.*

303. — Quaer. 13° *An particulae frangi possint, si deficiant? et quid agendum, si supersint nec sit tabernaculum, in quo reponantur?*

Resp. ad 1um *Affirmative* ex communi sententia et praxi generali, modo adsit causa justa, v. g. si desit alia missa vel fideles exspectare non possent. Attamen sacerdos hostias tunc dividere debet tantum in duas vel ad summum in tres partes, quia secus cum debita reverentia communionem dare non posset; imo esset periculum, ne communicantes sacramentum non reciperent, siquidem particula nimis parva in ore facile dissolvi posset, antequam deglutiatur. — *Lacroix n. 508.*(1)

---

(1) Insuper, postquam omnes communicaverunt, dici potest antiphona *O sacrum convivium* additis versiculis et oratione conveniente, respondente ministro, quae omittenda sunt, si communio populi fit intra missam. Ante repositionem ss. sacramenti vero digiti abluantur. — V. *rit. rom.*, sub *ordine administrandi s. communionem.*

(2) coloris officio illius diei convenientis — Cf. *n. 299. Q. 7°.*

(3) S. pyxis pro administratione communionis etiam extra missam *de praecepto* reponenda est super corporali (quod in bursa deferatur), nec sufficit palla. — *S. R. C. 27. Febr. 1847.*

(4) Ad quaesitum: An in communione fidelibus ministranda post v. *Panem de coelo etc.* dici omnino debeant ante orationem alii versus: *Domine exaudi etc.* et *Dominus vobiscum?* resp. *S. R. C. 24. Sept. 1842.: Affirmative, ut praescribitur in rituali romano.*

(1) Postulatum: Utrum ex toto sequi valeat regula ritualis Parisiensis sic expressa: Si, quando communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus hostiarum, poterunt aliquot hostiae dividi in plures particulas, quae singulis distribuantur?

S. Congregatio Rit. respondit *die 1* [illegible].

Resp. ad 2um Sumendae sunt a celebrante ante ablutiones, si facile fieri possit seu si non sint in nimia quantitate.(1) Secus ad tabernaculum proximum cum ritu consueto deferendae forent. Sed non ideo licet plures hostias fidelibus ministrare. Caveat autem sacerdos, in quantum fieri potest, in pari casu, ne nimiam particularum quantitatem consecret. — *Ita omnes.*

Quaer. 14° *An possit sacerdos, deficientibus hostiis minoribus, detrahere partem majoris a se sumendae ad fideles communicandos?*

Resp. 1° *Affirmative* in casu viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis. — *Ita omnes.* — 2° *Affirmative* etiam, si esset communicaturus unus vel alter fidelis, qui secus diu communionem exspectare deberet(2). — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 217.*

ARTICULUS IV.
DE MODO EUCHARISTIAM INFIRMIS MINISTRANDI.

Sequentia statuit rituale romanum:

304. — I. Praemoneat parochus, ut aegri cubiculum mundetur et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua sanctissimum sacramentum decenter deponatur. Parentur luminaria, duo vascula, alterum cum vino post communionem infirmi ei tradendo, ut facilius sanctam hostiam deglutiat, alterum cum aqua ad abluendos sacerdotis digitos; praeterea linteum mundum ante pectus communicandi reponendum. Saepe additur vas aquae benedictae, si nempe cum sanctissimo sacramento deferri non solet. Saepe etiam usus vini non adhibetur.

II. Eucharistia deferri debet ab ecclesia ad privatas domos aegrotantium decenti habitu, superposito mundo velamine, *manifeste* atque *honorifice*(1), cum omni reverentia et timore, semper lumine et tintinnabulo jugiter agitato praecedente. Sacerdos autem indutus superpelliceo et stola(2) impositoque prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum sanctissimo sacramento ante pectus gerendum, et deinde baldachinum seu umbellam subeat, si haberi possit, nudo capite processurus. Eundo autem dicit *Miserere* et alios psalmos, et redeundo *Laudate Dominum de coelis* et alios psalmos et hymnos: sed haec de consilio tantum.

III. Sacerdos, cum ad domum infirmi advenerit, dicat: *Pax huic domui.* Resp. *Et omnibus habitantibus in ea.* Tunc depositum super mensam ss. sacramentum adorat; aspergit aqua benedicta infirmum et cubiculum, dicens: *Asperges me etc.* et alias orationes in rituali rom. positas. Postea interrogato et adhortato infirmo ss. eucharistiam solito more porrigit. Sed, si agatur de viatico, non dicit: *Corpus Domini etc.*, sed: *Accipe, frater, viaticum corporis Domini N. J. C. etc.*, ut in rituali(3).

Nota: Imminente morte pleraeque preces, vel etiam omnes omittuntur. — Sacerdos, ablutis digitis perfectisque orationibus, si remaneant particulae, benedicit infirmum cum ciborio, nihil dicens. Ex *rituali rom.* ablutiones debent infirmo dari. — Sacerdos redux ad eccle-

---

Mart. 1833. in Veron.: Servetur consuetudo dividendi consecratas particulas, si adsit necessitas. — (Nota auctoris.)

(1) Cf. infra *n. 315.*

(2) et in genere, si praeter ipsam petitionem causa aliqua rationabilis adesset. — Cf. *Lacroix l. 6. p. 1. n. 508.*

(1) Cf. etiam *conc. Trid. sess. 13. can. 7.*

(2) Stola, pluviale et bursa sint albi coloris. — Cf. *rit. rom.*

(3) qui ritus sine ulla mutatione etiam tempore paschali servandus est. — *S. R. C. 11. Febr. 1702. in Lerien.* Idem valet pro administratione viatici in die parasceves, excepto quod psalmi consueti per vias publicas private et submississima voce recitandi sunt: insuper, si quis defert private (i. e. sine processione proprie dicta) pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione dimittat feria VI. in parasceve. — *S. R. C. 15. Maji 1745. in Luc.*

siam, ciborio super altare posito, recitat versiculos et orationem de ss. sacramento (1).

Quaesita:

305. — Quaer. 1° *An eucharistia possit deferri infirmis nocte?*

Resp. Negative; hoc enim expresse prohibetur, excepto verae necessitatis casu. Sic *rituale rom.*, cujus haec sunt verba: *Noctu autem hoc sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat.* Urgente vero necessitate seu periculo proximo mortis infirmi deferendum est qualibet hora noctis, sed sine strepitu et campanulae sonitu. Hoc autem non respicit communitates, quae ss. eucharistiam in suo sacello asservant, cum cesset irreverentiae periculum, propter quod lex lata est.

Quaer. 2° *An eucharistia deferri possit infirmis secreto?*

Resp. Negative generatim loquendo. Constat ex *rituali romano* supra citato, ubi dicitur: „Deferri de„bet hoc sanctum sacramentum *mani„feste* atque *honorifice.*" Excipiuntur tamen variae circumstantiae, v. g. loca haereticorum, ubi *manifeste* deferri nequit. Item aliquando etiam loca catholicorum, si aliter aegroto sanctum viaticum (2) deferri non possit sine proximo irreverentiae periculo. Sed absque episcopi licentia secreto deferri non debet. (3)

306. — Quaer. 3° *An sacerdos urgente necessitate possit viaticum ministrare sine ulla veste sacra?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia non est praesumendum, quod Ecclesia, tam benigna mater, voluerit, ut ritus illi serventur in administratione viatici cum tanto moribundorum detrimento; sacramenta enim specialier ad animarum salutem instituta sunt. Attamen numquam celebrandum est sine ullis vestibus sacris ad viaticum ministrandum. — *S. Lig. n. 241.*

Quaer. 4° *An liceat currere deferendo viaticum, urgente necessitate?*

Resp. Affirmative probabiliter. Ratio est, quia urgens necessitas (1) deferendi viaticum moribundo excusare potest a majori decentia in incessu. — *Ita S. Lig. n. 242.* — *Lacroix.*

Quaer. 5° *An liceat tempore pestis porrigere eucharistiam medio aliquo instrumento?*

Resp. Affirmative probabiliter, quia tanta necessitas a ritu solito Ecclesiae excusare videtur. — *S. Lig. n. 244.* (2)

307. — Quaer. 6° *An liceat deferre eucharistiam cum capite cooperto in itinere?*

Resp. Negative generatim loquendo

(1) et cum sacramento facit signum crucis super populum, nihil dicens.

(2) Non enim licet ss. sacramentum sic deferre ad infirmum non graviter aegrotantem, qui ex sola devotione communicare desideraret, nisi forte circumstantiae extraordinariae id exposcerent. — Cf. v. g. *S. Lig. n 241.*

(3) „Non licet parocho vel alii sacerdoti, „deferre eucharistiam ad aegrotum secreto, „clandestine et sine ulla caeremonia. Ex„cipimus casum, ubi administranda foret „fideli, qui in magno versatur periculo „et cujus parentes impii, tolerantes, sa„cerdotem ad aegrotum accedere, abso„lute prohibent, aliquam caeremoniam re„ligiosam in ipsorum domo celebrari. Hic „casus accidit infauste aliquando in hoc „saeculo tolerantiae (uti vocant) et liber„tatis." — *Gousset n. 240.* (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.)

Praescindendo autem ab ejusmodi particularibus casibus, caute circumstantiae perpendantur, cum ex comparatione decretorum S. R. C. pateat, solummodo in casu verae necessitatis sive, ut ajunt indulta, „si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii" et cum dispensatione episcopi (quam largiri episcopis Germaniae vi quinquennalium conceditur) viaticum deferri posse sine lumine, ut semper, si non pompa, saltem decentia servetur.

(1) et quidem *specialis;* secus ita agere nobis a mente Ecclesiae alienum videtur.

(2) Decentior forte modus inter varios, quos auctores proponunt, erit, deponere ss. sacramentum in loco apto, v. g. in patena vel alio vase mundo, et sic aegroto propinare, qui s. hostiam sumat ore admoto. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 19. n. 28.*

ob reverentiam sacramento debitam. Si tamen urgens ratio sit gravis, i. e. si non possit sacerdos incedere nudo capite sine vero incommodo ob infirmitatem vel aëris inclementiam aut pluviam, potest cooperiri pileolo seu bireto aut etiam galero. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 15. n. 12.* — Hoc confirmatur declaratione *S. Congr. Rit. 5. Mart. 1635. in Auscul.* et *10. Jan. 1693. in Trevir.*(1)

Quaer. 7° *An sacerdos deferre possit s. eucharistiam insidens in equo?*

Resp. Affirmative, si deferenda sit ad infirmum longe distantem, vel per iter arduum, aut si periculum sit in mora. Sed equus debet esse mansuetus, ita ut absit periculum lapsus et irreverentiae in sacramentum. Non autem licet sacerdoti pyxidem dare portandam laico, quantumvis ipse sit fatigatus; sed tunc in bursa collo suspensa illam gestare debet. Constat ex *rit. rom., de eucharistia,* necnon ex decisione *S. Congr. Rit.*(2) — *Vide S. Lig. n. 243.*

308. — Quaer. 8° *An pluries deferri possit eucharistia infirmis non jejunis seu per modum viatici?*

Resp. Affirmative, et non solum si recurrat novum mortis periculum, sed etiam si idem perduret. — *Ita communis* et vera sententia, ait *S. Lig. n. 285.* Confirmatur auctoritate *Bened. XIV.,* qui *de syn. l. 7. c. 12.* testatur, nullum theologum alicujus nominis hanc sententiam negare, et addit *ibid. n. 5.:* „Episcopus insinuet „parochis, posse et debere viaticum „in eadem infirmitate iterum ac tertio „administrari, praesertim, si aegrotus „exposcit; et, si velit, poenam etiam „in parochos decernat, qui post plu„rimum temporis eucharistiam ad eum„dem infirmum, eam devote efflagi„tantem, falsis quibusdam et emendi„catis praetextibus denuo deferre ob„stinate detrectant. . ."(1)

309. — Quaer. 9° *An eucharistia frequenter deferri possit decumbentibus?*

Resp. Affirmative per se. Sed pendet a variis circumstantiis, scilicet a particularibus eorum dispositionibus, a frequentia majori vel minori, qua ad mensam eucharisticam antea accedebant. Parochus infirmos saepe invisere debet, eosque ad frequentem communionem adhortari. — *Gousset n. 235.*

Quaer. 10° *Quid agendum sacerdoti, si ad infirmum cum sancto sacramento adveniens ejusque confessionem excipiens eum indispositum invenerit?*

Resp. Imprimis satagere debet confessarius omni modo possibili, poenitentem ad meliorem frugem adducere. Si res non succedat seu si infirmus v. g. occasionem proximam peccati abrumpere aut restitutionem gravem et certo debitam facere non promittat, absolvi non potest. Quid autem de communione? Inducendus enixe est poenitens, ut, peracta confessione, declaret publice, se nolle adhuc s. eu-

(1) Valeat responsio auctoris pro singulari casu necessitatis, pro brevi infirmitate, si alius sacerdos haberi nequit, vel forte, si legitima consuetudo ob gravissimam causam, v. g. ob aërem excessive frigidum, alicubi vigeat. Sed ex citatis decretis et aliis posterioribus ejusdem S. R. C. patet, si agatur de impedimento diuturno, recurrendum esse pro indulto ad S. Sedem, quae concedere solet usum pileoli „in itinere dumtaxat extra oppidum". — Cf. *Maier, Die liturgische Behandlung des Allerheiligsten p. 507. et seq.* Sic *S. R. C. d. 13. Nov. 1862.* indulsit, „ut sacerdotes sacrum viaticum delaturi infirmis in dioecesi Coloniensi incedant, tempestate praesertim hyemali, capite laneo pileolo tecto, qui exigente necessitate esse poterit talis amplitudinis, ut aures etiam cooperiat." — *Anal. J. P. ser. 6. col. 1944.*

(2) Ut viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem a parocho deferri posset *equitando, S. Rit. Congr. indulsit,* de consensu tamen episcopi, *die 23. Jan. 1740. in Laudensi.* — (Nota auctoris.)

(1) Cf. *n. 334. 335.*

charistiam suscipere. Quod si hanc declarationem praestet, jam evanescit difficultas; patet enim, eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget atque communicare velit, eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum intactum confessionis sigillum. — *Gousset n. 237.* et *alii.*

ARTICULUS V.
DE MODO S. EUCHARISTIAM ASSERVANDI.

Haec tenenda:

310. — I. In qualibet ecclesia parochiali(1) servanda est s. eucharistia, ut opportune petentibus semper dari possit. Sic ex *rituali romano etc.* Potest etiam asservari in ecclesiis regularium(2) de jure communi(3). In aliis autem ecclesiis asservari nequit absque speciali licentia Papae(4). Sic statuerunt *SS. Congreg. Concilii* et *Episc.* apud *Ferraris, ad v.* Eucharistia *art. 1. n. 46. et seq.*

II. Asservanda est eucharistia in tabernaculo mundo, bene clauso(5), et in pyxide decenti super corporale reposita et albo velo cooperta. — Sic *rit. rom.*(1)

III. Nullibi conservanda est s. eucharistia sine lumine semper ardente. Sic enim statuitur: „*Lampades coram „eo* (tabernaculo) *plures vel saltem „una diu noctuque perpetuo collu„ceat.*“ — *Rituale rom. ibid.* Sic etiam statuerunt variae *Congreg.*, quae volunt, ut, si ecclesia esset nimis pauper, instituatur *collector eleemosynarum,* ut oleum sufficiens habeatur. — *Vide Ferraris, ad v.* Eucharistia *art. 1. n. 45.*(2)(3)

---

(1) Idem dic de ecclesiis filialibus, quae habent sacerdotem proprium, functiones parochi et praesertim administrationem viatici ibidem obeuntem, vel quae aliquando fuerunt ecclesiae parochiales et jura parochialia adhuc servant, vel in quibus pro asservatione eucharistiae ob praebendum viaticum gravis necessitas urget.

(2) non tamen in ecclesiis vel capellis monialium, quae professionem solemnem non emittunt nec in clausura vivunt. — *S. C. E. 30. Dec. 1626.* — Cf. etiam *S. Lig. n. 424. versus finem.*

(3) item in cathedralibus, ut patet ex *caeremoniali episcoporum.*

Quoad collegiatas vero res dubia videtur (cf. *Petra, Comment. in constit. I. Urb. VIII.* Transiturus *sect. 1. n. 24.*), nisi vel sint simul ecclesiae parochiales, vel canonici etc. ad ipsam pertinentes nulli alii parochiae subdantur quoad administrationem communionis paschalis et viatici.

(4) vel immemorabili consuetudine, quae hujusmodi indulti praesumptionem inducit. — Ita *Ben. XIV.* in constit. *Quamvis justo.*

(5) in medio altaris posito — *S. R. C. mense Aug. 1863.* (V. *Anal. J. P. ser. 7. col. 629.*)

(1) *Stabiliter* vero solummodo in *uno* altari eam asservare licet, non in duobus. — *S. C. E. 13. Oct. 1620.* — *S. R. C. 21. Jul. 1696. in Aug. Praet.*

(2) Nullum invenitur exemplum, ab hac lege aliquando dispensatum esse.

Nonnulli Galliarum antistites, serio perpendentes, in multis suarum dioecesium ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante ss. eucharistiae sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt, utrum in casu, attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo Sacra porro Rituum Congregatio, etsi semper sollicita, ut etiam in hac parte, quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur, attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem episcopis prolatas; ac proinde... rescribendum censuit: *Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus. — 14. Julii 1864. — Acta ex iis decerpta, quae apud S. S. geruntur, vol. 1. fasc. 1. col. 38. et seq.* — Fuse de hac re *Anal. J. P. ser. 7. col. 847. et seq.*

(3) Non licet praeter casus in jure ipso concessos ss. sacramentum *publice* adorandum exponere sine licentia ordinarii, qui eam ex rationabili causa concedere potest; ad *privatam* expositionem autem (illam scil., in qua solummodo tabernaculum aperitur et s. pyxis *clausa et velata* vel monstrantia *velata* populo conspicienda praebetur, quin extrahatur

Quaesita:

311. — Quaer. 1° *An aliae res sacrae in tabernaculo reponi possint?*

Resp. Negative. Constat ex *rituali romano, de eucharistia.* Hinc nec reliquiae, nec chrisma, nec oleum infirmorum in eo reponi possunt.

Quaer. 2° *An ciborium debeat esse consecratum et argenteum?*

Resp. ad 1um Non debet necessario esse consecratum(1), sed sufficit, si sit benedictum. Constat ex *rituali rom.*, in quo benedictio pyxidis adnotatur inter ea, quae unctione chrismatis non indigent. Item ex *pontificali rom.* — *Vide S. Lig. n. 248.* et *infra n. 396.*

Resp. ad 2um Nihil in jure communi reperitur. Videtur aequiparandum calici et patenae, quae debent esse ex auro vel argento, vel saltem ex stanno, si ecclesia sit valde pauper. Sed non potest esse ex aere, nec ex ligno, vitro etc. *(De consecr. dist. 1. c. 45.).* Si vasa sacra non sint ex auro, intus deaurari debent.

Quaer. 3° *An graviter peccet, qui negligit asservare lumen coram sanctissimo sacramento?*

Resp. Affirmative per se, si tempus sit notabile. — *Ita communiter theologi* cum *S. Lig. n. 248.* Imo plures auctores dicunt, tempus esse *notabile, si integro die fiat.* — Sic *Busembaum,* cujus verba refert et implicite approbat *S. Lig. ibid.*

312. — Quaer. 4° *Quid faciendum de fragmentis hostiarum, quae reperiuntur?*

Resp. 1° Si sacerdos inveniat fragmenta sui praesentis sacrificii, ea sumere debet etiam post ablutiones, sive sint parvae, sive sint magnae, quia ad idem sacrificium spectant. — Sic ex *rubrica missalis tit. 7. n. 2.* — Hoc autem tenendum est non solum immediate post missam, sed etiam, si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 251.* post *Bened. XIV., de sacrificio missae s. 2. n. 147.* (al. *l. 3. c. 17. n. 2. et seq.)*

Si vero sacerdos jam sit exutus vestibus sacris, quando fragmenta detegit, ea reponere debet in tabernaculo, si adsit, vel reservet alteri sacerdoti ibidem mane celebraturo. Si neutrum fieri possit, ipse ea sumat. — *S. Lig. ibid.*

Resp. 2° Si autem reliquiae fuerint in alia missa consecratae, non sunt sumendae post ablutionem, nisi in loco decenti reponi nequeant et adsit grave periculum irreverentiae. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.* Ratio est, quia rubrica permittit tantum sacerdoti *non jejuno* sumere reliquias, quae ad *idem* sacrificium spectant.

Resp. 3° Si laicus fragmenta inveniat, moneat quamprimum sacerdotem, si quis prope sit, vel accersat, si fieri possit. Sacerdos autem, fragmentum reverenter colligens, reponet in ciborio vel in loco decenti et tuto, si tabernaculum deficiat, ut in proxima missa sumi queat. Si autem sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponatur intra corporale aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit.

313. — Quaer. 5° *Quid agendum, si inveniatur in altari vel alibi hostia certo vel dubie consecrata?*

Resp. 1° Si hostia credatur certo consecrata et aliunde videatur munda et recenter consecrata, reponenda est

— cf. *Gardellini ad Instruct. Clement. §. 36. n. 2. 10.)* licentia ordinarii opus non est, ut constat ex collatione variorum decretorum etc. super hac re editorum.

Omnes vero in eo conveniunt, licet frequens expositio ss. sacramenti (in debita semper forma et facultate ordinarii obtenta) laudabilis sit, nimis frequentem esse reprobandam. — Cf. v. g. *S. Lig. n. 424. Refert hic.*

(1) Pyxis, item monstrantia et lunula non consecrantur, nisi forte pyxis aliquando, remoto operculo, ut calix ad s. sacrificium inservire debeat.

cum aliis in ciborio. Potest etiam sumi a celebrante ante ablutiones. Si autem non sit munda, vel non extracta a loco mundo, aut non sit recenter consecrata, non est immiscenda cum aliis, sed celebrans eam sumere poterit ante ablutionem, et melius faciet, si nimiam repugnantiam non experiatur; secus hostiam reponet seorsim in tabernaculo in vase mundo, donec corrumpatur et in piscinam dejici possit. — Cf. *rubricam missalis tit. 7. de defectibus n. 3.*

Resp. 2° Si dubie sit consecrata, sumenda est a sacerdote in missa ante ablutiones; vel, si nimiam nauseam ipsi provocet, reponenda est in tabernaculo seorsim, donec corrupta fuerit, ut modo dictum est. — Sic conformiter ad rubricam missalis citatam.

Quaer. 6° *Quid faciendum, si infirmus sacras species rejecerit?*

Resp. 1° Si appareant, debent sedulo in vase mundo colligi, in ecclesiam deferri et in loco tuto et bene clauso servari, donec sint omnino corruptae, ita ut in piscinam sine irreverentia projici possint.

Resp. 2° Si non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtae, quidquid fuerit rejectum, stuppis colligendum est et os infirmi exsiccandum; deinde combustis stuppis, cineres in piscinam sunt projiciendi. — *Reuter n. 167.* — *Gousset n. 232.*

314. — Quaer. 7° *An et quando renovandum sit ciborium?*

Resp. 1° Ciborium certo interdum est renovandum, ne species consecratae corrumpantur. Imo *renovandum est frequenter,* ut praescribit *rituale romanum.*

Resp. 2° Juxta *Bened. XIV.* renovandae sunt particulae consecratae *singulis octo* aut saltem *quindecim diebus (De sacrif. missae App. 3. §. 6. n. 4. et 5.)*(¹). Haec est praxis communior, licet *caeremoniale episcoporum (l. 1. c. 6. n. 2.)* praescribat, renovationem particularum octavo quoque die faciendam esse.

(¹) et in const. *Etsi pastoralis d. d. 26. Maji 1742.*

315. — Quaer. 8° *Quomodo renovandum sit ciborium?*

Resp. Renovatio ciborii facienda est in ipso missae sacrificio. Celebrans, sumpto pretiosissimo sanguine, artiquas hostias sumet, licet numerosae sint; potest autem 20 aut 30 hostias sic consumere juxta *Elbel n. 77.*, imo 50 vel 60 juxta *Lacroix n. 501.* — Raro eveniet, ut plures futurae sint, quia consecrari non debent, nisi in eo circiter numero, qui sufficiens esse videtur. Si autem aliquando multo major quantitas hostiarum absumenda foret, eas sacerdos in pluribus missis divisim, aut etiam plures sacerdotes successive celebrantes sumere possent.

Particulas autem minutiores in ciborio repertas conjiciet sacerdos in calicem, eas superinfuso vino sumet et novas hostias in ciborio omnino vacuo deponet. Potest etiam vinum in ciborium infundere(¹) ad minimas particulas colligendas. Sed tunc non erit a ciborio bibendum, sed in calicem refundendum. — *Lacroix n. 502.* — Similiter vinum infundendum, quando ciborium purificandum est, ut in sacrarium referatur.

Nota 1° Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare ciborium et sumere reliquias, eo quod pro sumptione moraliter una reputatur. — *Ita Lacroix n. 502.* — *Elbel n. 77.* — *Tambur., de communione c. 2. n. 34.*

Nota 2° Particulae consecrandae debent esse recentes. Optandum foret, ut non excederent quindecim dies vel ad summum mensem a tempore, quo confectae sunt. Incuria parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest, ait *Gardellini.* — Consuetudo consecrandi hostias a tribus vel sex mensibus confectas est ingens abusus omnino destruendus. Quodsi hujusmodi abusum tolerare videatur parochus, ejus vicarii aut alii sacerdotes istis hostiis uti nequeunt. — *S. Congr. Rit. 16. Dec. 1826.* in *Gandav.*

(¹) Sufficit unica purificatio. — Cf. *Instruct. S. R. C. 11. Mart. 1858.*

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EUCHARISTIAE.

Solus homo baptizatus eucharistiam sacramentaliter recipere potest, quia solus baptizatus est capax sacramentorum. Hinc infidelis eucharistiam recipiens vere quidem, sed *materialiter* tantum, non vero *sacramentaliter* reciperet. Homo autem baptizatus, sed *indispositus*, sumit quidem *sacramentaliter*, sed non *spiritualiter*, seu sine fructu recipit. Baptizatus vero *dispositus* tum *sacramentaliter*, tum *spiritualiter* seu cum fructu sumit. — *Ita conc. Trid. sess. 13. c. 8.*

Agendum: 1° de obligatione eucharistiam sumendi; 2° de dispositione ad eam digne recipiendam requisita.

ARTICULUS I.
DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM.

Principia:

316. — I. Sumptio realis eucharistiae non est necessaria necessitate medii ad salutem neque pueris, neque adultis. Constat: 1° ex praxi universali Ecclesiae, quae non dat communionem parvulis, nec adultis infirmitate impeditis, v. g. ad vomitum proclivibus, phreneticis etc.; 2° ex definitione Ecclesiae pro parvulis, et inde infertur etiam pro adultis. Sic enim *concilium Trident. sess. 21. can. 4.: Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, anathema sit.*

II. Sumptio eucharistiae necessaria est necessitate praecepti divini. Eruitur ex verbis Christi *Joan. 6. 54.: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Constat etiam ex verbis Christi *Luc. 22. 19.: Hoc facite in meam commemorationem.* — *S. Lig. n. 295.*

317. — III. Sumptio eucharistiae etiam necessaria est ex praecepto Ecclesiae. Probatur ex *concilio Lateranensi IV. cap.* Omnis (12.) *de poenit. et remiss. (V. 38.)*, ubi dicitur: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, . . . semel saltem in anno confiteatur . . . suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi susceptione duxerit abstinendum.* Constat etiam ex *Tridentino sess. 13. can. 9.*

IV. Sumptio eucharistiae non est necessaria sub utraque specie, nisi pro solis sacerdotibus in actu celebrationis missae. Probatur ex *Trid. sess. 21. can. 1.*, ubi sic: *Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi eucharistiae sacramenti sumere debere, anathema sit.* Constat etiam ex universali praxi, licet prioribus saeculis diversa fuerit.

Quaesita:

318. — Quaer. 1° *Quonam tempore urgeat praeceptum divinum communicandi?*

Resp. 1° Obligat *per se* in articulo vel periculo proximo mortis, et quidem sub gravi. Ratio est, quia eucharistia instituta est ut viaticum confortans adversus hostes salutis. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 295.*

Resp. 2° Obligat etiam *per se* saepius in vita. Constat ex eo, quod eucharistia instituta sit per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur et confortetur; cibus enim saepius sumendus est. Eruitur etiam ex scriptura sacra supra citata, necnon ex conciliis modo allatis. Christus tamen, quoties ad hoc sacramentum accedendum sit, non determinavit, sed Ecclesiae suae id praefiniendum reliquit. Ecclesia autem communionem annuam tempore paschali faciendam statuit. Unde per communionem semel in anno factam praecepto divino simul et ecclesiastico satisfit. — *S. Lig. n. 295.*

Resp. 3° Obligat praeceptum hoc *per accidens* aliquando et forte etiam saepius in anno, si eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen raro evenit, cum ad hoc sufficere possint alia remedia, orationes, poenitentiae etc. — *S. Lig. n. 295.*

319. — Quaer. 2° *An teneatur quis suscipere sacrum viaticum instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit?*

Resp. Affirmandum videtur, saltem *probabilius.* Ratio est, quia hoc praeceptum ex interpretatione Ecclesiae urget in periculo mortis, ut contra hostes spirituales hoc divino praesidio muniamur; ergo non impletur per communionem ante morbum factam, quia, licet quis opus praescriptum impleverit, non tamen implevit tempore, quo tenebatur. — *S. Lig. n. 285. Dub. 2.* — *Billuart* — *Salmant. etc.*

Negant tamen *plures* cum *Lugo d. 16. n. 39. et seq.* Ratio eorum est, quia praeceptum communionis in substantia jam adimpletum est. *S. Ligorius* dicit, hanc sententiam esse satis *probabilem,* saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia in illo brevi tempore antecedenti jam moraliter coepit imminere, quamvis fuerit ignoratum.

Quaer. 3° *An, qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit urgente periculo mortis viaticum sumere?*

Resp. Triplex est sententia *probabilis* juxta *Bened. XIV., de synodo lib. 7. c. 11.*

Iª Sententia *affirmat,* teneri, quia tunc suscipiendum est viaticum ad praeceptum divinum adimplendum, siquidem non adhuc urgebat tempore, quo communio facta est.

IIª Sententia dicit, non teneri, sed posse communicare: 1° quidem *non teneri,* quia tempus, in quo communicavit, est moraliter idem, cum sit eadem dies; 2° *posse,* quia, licet rigorose non videatur teneri, non ideo tamen prohibetur: favores enim sunt ampliandi.

IIIª Sententia contendit *nec teneri, nec posse* communicare. Ratio est, quia praeceptum obligat ex intentione Ecclesiae et praxis Ecclesiae est, ut nemo bis in die communicet; nec adest ratio, cur casus iste sit excipiendus. — *Vide S. Lig. n. 285. Dub. 3.* In praxi igitur pro libertate standum est(1).

320. — Quaer. 4° *An possit dari eucharistia aegro, qui tussi laborat?*

Resp. Affirmative, quia, licet phlegma, quod ejicit, plerumque de pectore ascendat, non est tamen periculum rejiciendi sacras species, cum via, per quam sputa tussiendo excutiuntur, non sit oesophagus seu via cibi et potus ad stomachum, sed est aspera arteria seu via respirationis ad pulmones. Ad hoc tamen requiritur, ut hostia sacra in stomachum descendere possit; nam si tussis ita foret assidua, ut id non permitteret, tunc a communione abstinendum esset. — *Ita rituale romanum.* — *S. Lig. n. 292.*

Quando autem aeger jugi vomitu laborat, communicare nequit, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuerit. In dubio autem, an infirmus sit sacram particulam revomiturus, ei dari non debet. — *S. Lig. ib.*

Quaer. 5° *An in periculo mortis communio tribuenda sit pueris, qui nondum ad sacram synaxim admissi sunt?*

Resp. 1° *Negative,* si usum rationis nondum adepti fuerint. Ratio est, quia forte esset periculum irreverentiae erga tantum sacramentum et praesertim, quia est contra disciplinam actualem Ecclesiae. Qui igitur faceret, graviter peccaret. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Affirmative* vero quoad

(1) uti expresse notat *Ben. XIV. l. c. n. 2.*

pueros, qui sunt rationis compotes(1). Imo non solum communio eis dari potest, sed etiam dari debet(2). Ratio est, quia ex una parte pueri in tali periculo constituti tenentur ex praecepto divino communicare; ex alia parte utilitas eucharistiae tunc majorem dispositionem non exposcit. Graviter igitur errant parochi, qui viaticum hujusmodi pueris administrare nolunt. — *S. Lig. n. 301.* — *Billuart diss. 6. art. 1. §. 2. Petes 4°.* — *Gousset n. 233.*(3)

321. — Quaer. 6° *An communio danda sit in periculo mortis amentibus, semifatuis, delirantibus et sensibus destitutis?*

Resp. 1° *Quoad amentes:* 1° Si fuerint perpetuo amentes, numquam communio eis danda est. Sic ex *rituali rom., de euch.* — 2° Si lucidis intervallis saepius gavisi fuerint et desiderium communicandi manifestaverint, communio eis dari poterit, imo et debebit, secluso irreverentiae periculo. — *S. Thom. p. 3. q. 80. art. 9.* — *Catech. conc. Trid.* — *S. Lig. n. 302.*

Resp. 2° *Quoad semifatuos:* Ipsis danda est communio, quando sufficientem habent discretionem, ut coelestem hunc cibum ab aliis distinguere possint; sed raro, scilicet tantum in articulo mortis et ubi urget strictum communicandi praeceptum. — *S. Lig. n. 303.* et *alii communiter.*

Resp. 3° *Quoad delirantes:* Ipsis communio dari potest, si communicare valeant secluso periculo irreverentiae erga ss. eucharistiam. Optima autem praxis est, ut infirmo antecedenter detur particula non consecrata ad experiendum, si decenter sacram hostiam sumere possit. — *S. Lig. n. 302.*

Resp. 4° *Quoad destitutos sensibus:* Ipsi sane a praecepto dispensantur, cum nullius legis observandae sint capaces. Sed non ideo dispensatur pastor ab obligatione eucharistiam ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem praeparati fuerint, nisi adsit periculum irreverentiae vel timeatur, ne hostiam deglutire non valeant. Sacramenta enim *ex opere operato* operantur in eis, qui cupierunt ea recipere, antequam usum rationis amiserint. — *Ita communiter.* — *Gousset n. 232.*

322. — Quaer. 7° *An communio danda sit surdis-mutis, obsessis et epilepticis?*

Resp. 1° *Quoad surdos-mutos: Affirmative,* si ex signis constet, eos discretionem habere et esse rigorose sufficienter instructos(1). Si vero non qualicumque, sed notabili discretione gaudeant, saepius communicare poterunt. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 303.*

Resp. 2° *Quoad obsessos* distinguendum est: neganda est ipsis communio, quando non sunt sui compotes; secus concedenda est. Imo expedit, ut tales pluries in anno, juxta prudentiam confessarii, communicent, cum eucharistia sit speciale remedium ad daemones arcendos.

Resp. 3° *Quoad epilepticos:* Communio eis dari non potest, quando versantur in *paroxysmo* actuali, ob proximum irreverentiae periculum;

---

(1) ita ut cibum illum coelestem et supernum a communi et materiali discernere possint. — *Ben. XIV., de syn. l. 7. c. 12. n. 1. 3.*

(2) etsi praeceptum communionis paschalis ipsos nondum obligaret (cf. *p. 1. n. 480. 1. not. 2.*). — *Ben. XIV. ib. n. 3.*

(3) Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 277.*

(1) i. e. si praeter instructionem in genere necessariam et juxta captum ipsorum sufficientem (cf. *n. 112. not. 2.*) praeterque poenitentiam requisitam (cf. etiam infra *n. 503.*) satis distinguant particulam consecratam a pane naturali, licet ipsorum idea tam clara non sit, quam parvulorum, qui usu omnium sensuum gaudent. — Talibus communio danda est, si urget praeceptum. Inquirat tamen parochus, num sint jejuni. — *Scav.*

Surdis-mutis et simul caecis a nativitate communio deneganda est. — *S. Lig. n. 303.*

ceteris autem temporibus non est deneganda, si dispositi videantur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 303.*

323. — Quaer. 8° *An dari possit communio capite damnatis?*

Resp. Nihil *per se* obstat. Non abnuit quidem *Bened. XIV. (de syn. l. 7. c. 11. n. 3.), eam consuetudinem sequendam esse, quae in unoquoque loco respective esse dignoscitur.* Sed *magis conformem pietati christianae* vocat usum ss. eucharistiam ministrandi reis ad mortem damnatis et *S. Pii V.* testimonium hac de re profert. Pium hunc usum nuperrime commendaverunt plura Galliae provincialia concilia, v. g. concilium Suessionense, Auscitanum etc. Hanc praxim quam maxime suadet *Gousset n. 230.*(1)

Vide ea, quae speciatim ad communionem paschalem attinent, in *tract. de praec. Ecclesiae n. 480. et seq.*(2)

ARTICULUS II.
DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBJECTO EUCHARISTIAE.

1° Quoad animam; 2° quoad corpus.

§. I.
De dispositionibus animae.

Principia:

324. — I. Requiritur status gratiae, saltem prudenter existimatus(3), ad recipiendum eucharistiae sacramentum. Secus horrendum committitur sacrilegium. Ratio patet ex rei natura, necnon ex verbis apostoli *1. Cor. 11. 28.: Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

II. Non sufficit, ut status gratiae acquiratur per contrionem perfectam, sed requiritur, ut praemittatur confessio peccatorum mortalium et absolutio sacramentalis recipiatur, excepto necessitatis casu, nempe quando deest copia confessarii nec potest omitti communio absque gravi infamia(1), vel quando a sacerdote celebrandum est, ut populus die festo missae intersit. — *Trid. sess. 13. c. 7.* — *Vide S. Lig. n. 256. et seq.*

Quaesita:

325. — Quaer. 1° *Quandonam confessarii copia deesse censeatur?*

Resp. Censetur deesse in sequentibus casibus:

1° Si nullus confessarius sit praesens, et aliquis absens sine magna difficultate adiri nequeat, spectatis circumstantiis debilitatis, aetatis, negotiorum, distantiae, aëris, brevitatis temporis etc.

2° Si non adsit alius, nisi confessarius ignarus idiomatis, vel carens jurisdictione(2), vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. Requiritur tamen in his casibus contritio perfecta et propositum confitendi quamprimum(3). Non autem censetur deesse copia confessarii, si absit is, cui soles confiteri, sed debet deesse quilibet approbatus. — *S. Lig. n. 264.*

Rarissime autem occurrit causa excusans a confessione pro laicis. Facilius quidem adesse potest quoad sacerdotes; sed caveant, ne vano praetextu aut pudore et verecundia deterriti chimaericam impossibilitatem sibi fingant.

Quaer. 2° *Quaenam requiratur distantia, ut sacerdos deesse censeatur?*

Resp. Non potest rigorose determinari, sed pendet a variis circumstantiis. Alii requirunt distantiam

(1) Et quidem etiam non jejuno danda est, si commode aliter fieri non possit, quod in ejusmodi circumstantiis persaepe continget. — *S. Lig. n. 284. 1.* — Infra *n. 333. Q. 9°. 1°.*
(2) Cf. etiam *n. 564.*
(3) Cf. *n. 481.*

(1) Cf. etiam *n. 231. I. not.*
(2) Cf. *n. 577. 578. Q. 4°.*
(3) Cf. *Q. 4°.* et infra *n. 454. II.; 455.*

duarum leucarum; alii leucam cum dimidio vel quadrante; alii leucam unam tantum. Sed praeter rationem itineris saepe urgent aliae rationes, v. g. infirmitas vel temporis brevitas. Sic sacerdos jamjam celebraturus potest etiam excusari a confessione, si confessarius distet 50 passibus. — *S. Lig. n. 264.*

326. — Quaer. 3° *An, qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione non declaravit, teneatur illud ante communionem confiteri?*

Resp. 1° *Negative* certo, si poenitens jam sacrae mensae assideat, vel adsit causa gravis communicandi nec absque magna difficultate iterum confiteri possit. Ratio est, quia praeceptum confessionis non urget cum periculo scandali, nec etiam cum tanto incommodo. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si poenitens possit sine ullo incommodo confiteri vel communionem omittere, *controvertitur. Probabilius* neque confiteri tenetur, neque a communione abstinere, quia peccatum involuntarie omissum est certo remissum, etsi indirecte tantum, ac proinde communioni accipiendae nullatenus obstat. Nec dicas, urgere praeceptum *Trid.* confitendi ante communionem; poenitens enim, cum jam fuerit rite confessus et justificatus per sacramentum poenitentiae, est sufficienter probatus, etiam juxta mentem concilii Tridentini. — *S. Lig. n. 257.* — *Collet* — *Pontas* — *Gousset n. 249.* et *alii* contra *alios*, qui *non improbabiliter* contradicunt, quorum sententia ceteroquin communior est. — *S. Lig.*, qui *priori* sententiae magis accedit, *secundam* in praxi omnibus suadendam censet, modo causa aliqua in oppositum aliud non suadeat. — *Hom. apost. tr. 15. n. 23.*

327. — Quaer. 4° *An sacerdos, qui celebravit, vel laicus, qui communicavit conscius peccati mortalis absque confessione ob urgentem necessitatem*, quamprimum *confiteri teneatur?*

Resp. 1° *Quoad sacerdotem affirmative.* Sic enim expresse *Tridentinum s. 13. c. 7.*, ubi verbis supra relatis additur: *Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque praevia confessione celebravit,* quamprimum *confiteatur.*

Resp. 2° *Quoad laicum negative probabilius.* Ratio est, quia *concilium Trident.* loquitur tantum de sacerdotibus, ut ex textu patet. — *Ita communissime,* ait *S. Lig. n. 268.*

Quaer. 5° *Quomodo intelligendum sit praeceptum illud sacerdotibus impositum confitendi* quamprimum?

Resp. Probabilius sufficit, si sacerdos intra triduum confiteatur, quia, cum hoc praeceptum sit tantum ecclesiasticum, non censetur Ecclesia velle ad illud obligare cum tanto rigore(¹). — *S. Lig. n. 266.* et *alii.* — Attamen talis sacerdos non potest iterum celebrare, quin fuerit confessus, quia non fuit excusatus a confessione, nisi propter *instantem* necessitatem. Hinc, si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti et possit confiteri, confessionem ad alium diem remittere nequit.

328. — Quaer. 6° *An teneatur confiteri* quamprimum *sacerdos celebrans post confessionem, in qua* inculpabiliter *alicujus peccati mortalis oblitus est?*

Resp. 1° *Negative,* si meminerit peccati post celebrationem, ut patet, quia non celebravit conscius illius peccati, ut loquitur *Trident.* — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Negative* etiam *probabilius,* si meminerit peccati ante celebrationem, quia, cum confessionem praemiserit, licet alicujus peccati gravis fuerit oblitus, revera non potest dici celebrasse conscius peccati mortalis sine praevia confessione. Hanc sententiam probabilem dicit *S. Lig.*

(¹) Cf. *prop. 38. 39. Alex. VII.*

n. 267. post *Lacroix* et *alios* contra *Suarez, Lugo etc.*

Quaer. 7° *An teneatur confiteri* quamprimum *sacerdos celebrans* sacrilege *non urgente necessitate vel, si urgeat, non deficiente copia confessarii?*

Resp. Negative. Ratio est, quia praeceptum *concilii Trid.* ordinatur tantum ad incutiendum metum iis, qui praetextu necessitatis confessionem differunt, non vero celebrantibus *sacrilege*, quibus praeceptum hujusmodi valde raro profuturum foret; illi enim, qui contempto praecepto divino audent sacrilege in peccato gravi celebrare, facilius sane praeceptum Ecclesiae contemnerent. — *Ita communissime* et *verius.* — *S. Lig. n. 266.*

Quaer. 8° *An affectus ad aliquod peccatum veniale totum fructum communionis impediat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia voluntas bene potest pios motus experiri erga Deum et sacramentum, licet affectum aliquem leviter deordinatum ad rem particularem sentiat; proinde communicans cum tali affectu non privatur omni fructu eucharistiae. — *S. Lig. n. 270.* et *alii communius.*

§. II.

De dispositionibus corporis.

Duplex dispositio requiritur ex parte corporis, scilicet: 1ª jejunium; 2ª decentia.

PUNCTUM I.

De jejunio ad communionem requisito.

Principia:

329. — I. Requiritur ex praecepto Ecclesiae ad communionem jejunium *naturale* seu abstinentia *totalis* a re qualibet, quantumvis minima, quae sumitur per modum cibi et potus post mediam noctem, certis tamen exceptis casibus. Constat: 1° ex universali Ecclesiae consuetudine et unanimi traditione; 2° ex omnibus catechismis et ritualibus ab Ecclesia approbatis, ex variis conciliis et praesertim ex *concilio Constantiensi sess. 13.*

II. Ad jejunium illud frangendum tres requiruntur conditiones juxta communem sententiam; unde triplex regula statuitur:

Iª *Regula.* Requiritur, ut, quod sumitur, *ab extrinseco* sumatur. Quod enim non provenit ab extrinseco, etsi voluntarie deglutiatur, non dicitur *manducatio;* res enim, quae manducantur, ab extra proveniunt. Hinc sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis non frangit jejunium. — *S. Lig. n. 279.* — *Elbel n. 91. etc.*

IIª *Regula.* Requiritur, ut quid sumatur *per modum comestionis et potationis.* Ratio est, quia juxta sensum communem hominum eo modo tantum frangitur jejunium naturale. Unde quidquid per modum respirationis aut salivae hauritur, jejunium nullatenus frangit. Sic jejunus remanes, licet per respirationem pulverem vel muscam deglutieris. — *S. Thom.* — *S. Lig. n. 280.*

IIIª *Regula.* Requiritur, ut res sumpta habeat *rationem cibi* aut *potus*, i. e. ut sit quid alterabile in stomacho. Ratio est, quia secus juxta communem concipiendi modum non esset comestio, nec potatio. Nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, lignum etc. — *Ita communiter theologi* cum *S. Thoma p. 3. q. 80. art. 8.* — *S. Lig. n. 281.*

Quaesita:

330. — Quaer. 1° *An trajectio reliquiarum cibi, quae inhaerent inter dentes, frangat jejunium?*

Resp. 1° *Negative,* si sit *involuntaria,* quia non habet rationem cibi. Constat etiam ex *rubrica missalis (de defect. disp. corp. n. 3.).* — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si sit *voluntaria, controvertitur.*

Iª Sententia *probabilis negat,* quia tales reliquiae non sumuntur per

modum cibi, licet ex proposito, sed er modum salivae.

IIa Sententia *communior affir-ıat*, quia hujusmodi trajectio, cum ɪ industria fiat, nova comestio vide-ır *Ita S Thomas, Roncaglia etc.*

Hanc sententiam dicit probabilio-ɜm et omnino consulendam *S. Lig.* . *279.*(1)

Quaer. 2° *An guttulae aquae ıum saliva mixtae aut jusculi de-ustati frangant jejunium, si deglu-ıantur?*

Resp. 1° *Negative,* si casu praeter ıtentionem trajiciantur, modo non sint ı magna quantitate. Item de guttu-s, quae involuntarie trajiciuntur os ıvando. Ratio est, quia non sumun-ır per modum nutritionis, juxta se-ındam regulam supra traditam. Con-ıat etiam ex *rubrica missalis (de de-ect. disp. corp. n. 3.).*

Resp. 2° *Affirmative,* si ex pro-osito deglutiantur. Ratio est, quia ınc nihil deest, ut rationem cibi aut otus habeant licet ad hunc finem on sumantur — *S. Lig. n. 279.*

331 Quaer. 3° *An solvat jeju-ium pulvis tabaci sumpti per nares?*

Resp. Negative, etiamsi aliquid in ɪomachum transmittatur. Ratio est, uia, licet talis materia sit nutritiva, ımen non sumitur per modum come-tionis, sed attractionis. — *Sic com-ıuniter.* — *S. Lig. n. 280.*

Quaer. 4° *An solvat jejunium ·umus tabaci aut similis?*

Resp. Negative cum sententia *com-ıuniori* et *probabiliori*, quia fumus abaci neque est cibus nec potus, ne-ıne sumitur per comestionem aut po-ıationem secus dicere deberemus, fran-ɜere jejunium etiam eos, qui in culina iborum fumum excipiunt. Et hoc cur-it, etiamsi fumus voluntarie immitta-ır in stomachum. — *Ita S. Lig. bid.* — Idem videtur dicendum de ıeco seu odore camphorae, qui per modum fumi tabaci exhauritur (gallice: *cigarette de Raspail).*

332. — Quaer. 5° *An solvat jejunium, qui sumit folium tabaci vel aroma, ut dentibus conterat et phlegmata exspuat?*

Resp. Negative probabiliter, et hoc, etiamsi deglutiatur praeter intentionem aliquid modicum succi salivae nseparabiliter mixti, quia, si casu id deglutiatur, non per modum cibi, sed per modum salivae trajicitur. Omnes autem conveniunt, hujusmodi masticationem esse indecentem ante communionem; unde non videtur excusanda a culpa veniali, nisi aliqua causa subsit. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 6° *An possit communicare, qui positive dubitat, utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit aut in ipso die aliquid deglutierit?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia non constat de violato jejunio et proinde non constat, esse prohibitam communionem in tali casu; factum enim violati jejunii esset probandum, priusquam invocetur lex prohibens eucharistiam non jejuno. — *Ita S. Lig. n. 282.* et *alii.*

333. — Quaer. 7° *An liceat edere et bibere statim post communionem?*

Resp. Olim praecipiebatur quidem jejunium post communionem usque ad *sextam.* Sed hoc praeceptum jamdudum abrogatum est, ut omnes conveniunt. Attamen ex decentia servari debet aliqua mora inter sumptionem hujus sacramenti et alios cibos, saltem quamdiu species consecratae in stomacho incorruptae perseverant nisi adsit aliqua rationabilis causa aliquid statim sumendi: secus talis comestio a veniali culpa non excusatur. — *S. Lig. n. 283.* — *Billuart* et *alii communiter*

Quaer. 8° *An sit illicitum exspuere post communionem?*

Resp. Negative per se, modo nullum hostiae fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum

(1) licet in hoc non sit scrupulose agen-ıum, ut addit s. auctor *ib.* cum *Suarez.*

irreverentiae erga species sacras; nam via, per quam sputa ejiciuntur, non est oesophagus seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Omnes tamen conveniunt, congruum esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum abstineant ab exspuendo. — *S. Lig. n. 283.*

Quaer. 9° *Quandonam liceat aliquem non jejunum communicare?*

Resp. Non jejunus licite communicat in sequentibus casibus: 1° in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat; 2° in periculo, ne eucharistia pereat vel male tractetur v. g. ab hareticis, impiis; 3° in periculo proximo gravis scandali ex omissione sacrificii et communionis; 4° in necessitate perficiendi sacrificium vel communionem, v. g. si pro speciebus vini sacerdos sumpserit aquam etc. — *S. Lig. n. 284. et seq.* (1)

334. — Quaer. 10° *An requiratur certitudo moralis periculi mortis, ut viaticum non jejuno ministari possit?*

Resp. Negative, sed sufficit dubium fundatum seu probabilitas periculi, praesertim quando timendum est, ne aeger repentina morte corripiatur. Imo graviter arguendi sunt parochi et parentes aut cognati infirmorum, qui incuria aut vano timore administrationem sacri viatici protrahunt cum periculo, ne isti absque eucharistia deficiant. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 15. n. 46.* (2)

Quaer. 11° *An liceat aliquando dare communionem infirmo non jejuno nec periculose decumbenti, si morbus sit* diuturnus?

Resp. Negandum est, attenta praxi actuali Ecclesiae. — Attamen theologi nonnulli id aliquando permittunt, si morbus sit diuturnus nec umquam aeger omnino jejunus communicare valeat, modo raro fiat, v. g. pluries in anno. Sic *Elbel n. 90.* Sed contradicit sententia communissima theologorum cum *Suarez,* qui merito asserit, solum Papam hac in lege dispensare posse. De facto S. Pontifex raro et gravi tantum de causa dispensare solet (1). Videtur vero esse ratio sufficiens in tali casu, ut eucharistia post mediam noctem infirmo administretur pluries in anno, vel saltem ad praeceptum paschale adimplendum. (2)

335. — Quaer. 12° *An liceat communionem iterum ministrare infirmo non jejuno, qui jam viatico munitus est?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia hoc sacramentum aegrotis non datur praecise ad satisfaciendum praecepto, sed in praesidium contra tentationes, quae tempore mortis magis urgent. Quamobrem licet non solum, si novum recurrat periculum, sed etiam, si idem perdurct. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 285.* — *Recole dicta supra n. 308.*

Quaer. 13° *Quanto tempore debeat distare una communio ab alia, si aegrotus non jejunus communicet?*

Resp. Sententia communior docet,

---

(1) Cf. etiam *n. 312. Q. 4°. R. 1°.*

(2) Si tamen aegrotus *facile* die sequenti jejunus viaticum suscipere posset, teneretur exspectare. Sed curatus hac in re non scrupulose procedat, cum concilium Constantiense periculose infirmos generatim a lege jejunii excipiat. — *Scav.*

Ex communissima vero sententia non licet sacerdoti non jejuno celebrare, ut alii viaticum ministret, nisi forte infirmus hoc sacramento absolute indigeret. — Cf. *S. Lig. n. 286.*

(1) Interdum etiam privatis personis ejusmodi indulta conceduntur, vi quorum non jejuni semel, ter aut etiam pluries in anno communicare possunt. — *Ferrari, Summa inst. can. l. 2. tit. 3. 3°.*

(2) V. etiam *Gury, Casus conse. p. 2. n. 295. 297. 298.* — Indulgentior tamen auctor in recentissima editione gallica hujus compendii quoad communionem paschalem, addens in nota, juxta doctissimos theologos Romae interrogatos quoad hanc nullum dubium esse, cum non mero jure ecclesiastico, sed etiam divino praecipiatur, et divinum mandatum humano praestantius sit.

:e debere octo diebus circiter. *non improbabiliter* plures cum *g. ib.* dicunt, infirmum assuetum, us ex devotione communicare, bis ebdomada communionem absque io suscipere posse.(¹) Sed ad vaocorum, personarum, statutorumparticularium circumstantias atndum est. Facilius autem conpotest communio infirmis reli- vel aliis personis piis in mona- degentibus, sive sint jejunae, non, quam ceteris, quia tunc mihabetur apparatus populique adio, cum sacra eucharistia non sit ce per plateas deferenda.

PUNCTUM II.

De corporis decentia.

Principia:

6. — I. De jure naturali requiexterior habitus et corporis como, quae internam animi reverenet devotionem exhibeat. Ratio ; debetur enim huic augustissimo mento non solum interna, sed . externa veneratio et adoratio, ipse Christus mediis speciebus ɔili quodam modo in eo exsistat ıctetur. — *Ita omnes.*

Nulla prorsus corporis macula e impedit a communione suscia, cum eucharistia sit tantum ciımimae, cujus puritas requisita ɔbscuratur corporis maculis, quae ɔnitatem vel malitiam moralem conferunt. — *S. Lig. n. 271.* — Decentia tamen et reverentia sacramento debita exigit, ut, si s, saltem visibiles, facile possint ri, diligenter auferantur.

. Nulla est obligatio abstinendi nmunione propter maculas coroccultas, vel etiam visibiles, sed ebiles. — *S. Lig. ibid.* — Si ı maculae externae hic et nunc indelebiles sint valde notabiles et brevi cessare debeant, differenda est communio, cum commode fieri potest. Quando vero diutius durant, non est ratio, cur aliquis alimonia coelesti privetur. — *Ita communiter* cum *Antoine c. 2. quaest. 4.* et *aliis.*

Resolves:

337. — 1° Mulieres accedere debent ad sacram communionem in ornatu sancto, modestiam redolente, et pectore cooperto; si quae valde indecentes se praesentarent, communio eis neganda esset, cum debitis tamen cautionibus ad scandala, quantum fieri potest, praecavenda. — *Ita omnes.*

2° Lepra, fluxus sanguinis et similia, quae sine patientis culpa eveniunt, per se non prohibent a communione, quia labes illae non obstant verae devotioni, quae est dispositio requisita ad communionem. — *S. Lig. n. 275.*(¹)

3° Sacerdos infectus lepra aut alia infirmitate horrorem excitante etiam celebrare potest, sed non in publico; sic enim in jure canonico statuitur. — *S. Lig. ibid.*

4° Convenit ex decentia et humilitate christiana, ut milites communicaturi ad sacram mensam depositis armis accedant. Nulla tamen lege ad id obligantur. — *S. Lig. ibid.* — Idem dicatur de laicis chirothecas *(gants)* deferentibus.(²)

Imo, quandoque etiam altero die post ptum viaticum nil obstare censemus, cumstantiae id consulant et pericunortis perduret. — *Anal. J. P. ser. l. 1996. et seq.* — *Layman etc.*

(¹) Post *voluntariam* paulo ante habitam pollutionem ad s. communionem accedere, etsi quis contritus et confessus sit, veniale ajunt, nisi scandalum vel alia justa causa communionem exigat; idem valet post *involuntariam* vel etiam *venialiter malam,* si perturbationem in mente relinquat: excipiunt tamen, si communicaturus hanc pro posse repellere conetur vel aliqua justa causa necessitatis vel devotionis adsit. Ita ob reverentiam tanto sacramento debitam. — *Rubr. miss., de def. tit. 9. n. 5.* — *S. Lig. n. 272.* — Cf. etiam *n. 914. 7°.*

(²) Sacerdotes more laicorum communicantes ex praescripto rit. rom. stolam deferre debent. Clericos vero superpelliceo indutos communicare conveniens est.

APPENDIX I.

DE COMMUNIONE FREQUENTI.

338. — Nomine communionis frequentis communiter cum *S. Lig.* intelliguntur in sensu strictiori communiones illae, quae praeter dies dominicos vel festa fiunt diebus ferialibus, etiam sine praevia confessione.

Nulla regula omnino praecisa et determinata circa frequentem communionem statui potest. Generales igitur quasdam tantum indicabimus.

Certum est, frequentem communionem, etiam quotidianam, semper fuisse in Ecclesia optatissimam. Constat 1° *ex communi suffragio patrum*, qui semper enixe cum fidelibus commendarunt. — Constat 2° *ex concilio Trid. sess. 22. c. 6.*, ubi sic ait: „Optaret quidem sancta synodus, ut singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi *hujus sacrificii fructus uberior proveniret.*“ — Constat 3° *ex decreto Innocentii XI. ann. 1679.* Igitur communio frequens est magnopere laudanda, atque a parochis simul et confessariis maxime fidelibus suadenda. Certum est, non posse generaliter constitui dies ad sacram eucharistiam suscipiendam, nec esse ab ea arcendos eos, qui frequenter accedere cupiunt, nisi indigni videantur. Hoc igitur totum relinquendum est judicio confessariorum, qui pro conscientiae puritate et fructu e sacro convivio percepto id, quod singulis magis profuturum existimant, praescribere debent. — *Ex eodem Innocentii XI. decreto*(¹).

339. — Referre juvat praecipua, quae de hac re habet *S. Lig.* in libro *Praxis confessarii* (qui versus finem operis majoris reperitur).

„Loquimur hic dumtaxat de modo, „quo confessarii debent se gerere in „concedenda communione suis poenitentibus. In hoc quidam errant ob „nimiam indulgentiam, alii ob nimium „rigorem. Non est dubium, quin er„ror sit, ut advertit *Bened. XIV.* in „aureo suo libro *De synodo*, conce„dere communionem frequentem iis, „qui saepe in peccata gravia labuntur „nec solliciti sunt de agenda poeni„tentia ac de sua emendatione, aut „iis, qui accedunt ad communionem „cum affectu ad peccata venialia *sine „ullo desiderio se ab iis liberandi.*“

„Expedit quidem, aliquando conce„dere communionem aliquibus, qui es„sent in periculo labendi in peccata „lethalia, ut vires recipiant ad resi„stendum; sed respectu earum perso„narum, quae non exsistunt in tali „periculo et econtra committunt ordi„narie peccata venialia deliberata, et „nulla in eis emendatio neque deside„rium emendationis effulget, optimum „erit, non permittere eis communio„nem plus quam *semel in hebdomada;* „imo poterit expediens esse, illis ali„quando per integram hebdomadam „communionem interdicere, ut majo„rem concipiant horrorem in suos de„fectus et majorem erga sacramentum „hoc reverentiam.“ *(n. 149.)*

340. — „Errant e contrario certe qui„dam directores et multum se elongant a „spiritu Ecclesiae, dum sine ullo respectu „ad exigentiam aut progressum negant „indiscriminatim communionem fre„quentem, non alia ratione ducti, quam „quia frequens est. Ipse *catechismus „romanus,* explicans desiderium *conci„lii Trident.*, ut omnes adstantes sa„crificio communicent, docet, esse of„ficium parochi, sedulo hortari fideles „ad communionem non modo frequen„tem, sed quotidianam, cum obliga„tione instruendi illos, quod sicut cor„pus, ita et anima eget quotidiano „alimento . . .“ *(n. 150.)*

„Et quamvis aliquo die a commu„nione abstinere sit etiam virtus, ta„men inquit *P. Granada* in suo *Tract. „de communione,* esse communem do„ctorum opinionem, quod melius sit

(¹) Cf. *S. Lig., de euch. n. 254.*

accedere quotidie ad communionem ob amorem, quam abstinere ob reverentiam. Et hoc confirmat *S. Thomas p. 3. quaest. 80. art. 10. ad 3.*, dicens: *Et ideo utrumque pertinet ad reverentiam hujus sacramenti, et quod quotidie sumatur, et quod aliquando abstineatur. . . Amor tamen et spes, ad quae semper scriptura nos provocat, praeferuntur timori. . .“ (n. 151.)*

341. — „Ceterum considerando relatas doctrinas videtur non posse director sine scrupulo negare communionem frequentem, etiam quotidianam, quibusdam animabus eamdem desiderantibus, ut proficiant in divino amore; semper vero, ac illae vivendo alienatae ab affectu cujuscumque culpae venialis incumbunt insuper multum orationi mentali et conantur tendere ad perfectionem, et amplius non labuntur in peccata etiam venialia plene voluntaria. . . Excipe, ordinarie loquendo, unum diem in quavis hebdomada, ut facere solent aliqui prudentes directores, et excipe tempus illud, quo privare velint suos poenitentes communione ad probandam eorum obedientiam aut humilitatem, aut ob aliquam aliam justam causam. . .“ *n. 152.)*

„Et quamvis anima aliqua caderet aliquando in veniale peccatum voluntarium ob meram fragilitatem, sed cito postea doleret emendationemque proponeret, si deinde communionem desideraret ad robur accipiendum a sacramento, ne cadat, et ad progrediendum in via perfectionis, qua de causa ei esset deneganda communio? . . .“ *(n. 153.)*

342. — „Notandum insuper id, quod *S. Fr. Salesius* in sua *Philothea (Vita devota p. 2. c. 21.)* in hoc proposito dicit: *Si quaerunt a te, cur ita frequenter communices, responde illis, quod duplex personarum genus debet saepius communicare, perfecti et imperfecti: perfecti, ut se in perfectione conservent; imperfecti, ut ad perfectionem valeant „pervenire: fortes, ne debiles fiant; „debiles, ut fortes evadant: infirmi, „ut curentur; bene valentes, ne in„firmentur . . .: qui mundanis nego„tiis non sunt implicati, debent sae„pius communicare, quia habent op„portunitatem; qui vero hujusmodi „negotiis detinentur, quia egent com„munione. . .“ (n. 153.)*

„Quod si postea dignoscatur, non „obstante frequentia communionis ani„mam nihil proficere in via perfectio„nis, neque se emendare a culpis de„liberatis, licet venialibus, ut si ad„haereat voluptatibus sensuum in vi„dendo, audiendo, edendo, cum aliqua „vanitate vestiendo, tunc certe consulto „restringendus erit usus communionis, „etiam ut serio cogitare incipiat de „sua emendatione et suae perfectioni „spirituali consulere. Ceterum adver„tendum est, quod, licet, ut possit „quis ad communionem accedere, re„quiratur, ut *cum magna devotione „accedat,* nihilominus non est neces„sarium, ut illa sit summa vel aperte „sensibilis.“ *(n. 155.)*

343. — „Sufficit directori, dete„gere in intimo voluntatis sui poeni„tentis quamdam alacritatem ad ex„sequenda, quaecumque Deo placuerint. „Qui a communione abstineret, quia „non sentiret in se magnum quemdam „fervorem, inquit doctus *Gerson,* esset „comparandus illi, qui nimis frigescens „nollet ad ignem accedere, quia nul„lum in se calorem experitur. Unde „docet *P. Granada* cum *Cajetano,* „personas pusillanimes, quae ob in„ordinatum timorem suae indignitatis „communionem omittunt, magnum suo „proprio progressui inferre praejudi„cium. Neque ad prosequendas com„muniones, inquit *S. Laurentius Ju„stinianus,* oportet, ut anima sentiat „aut aperte in se discernat augmen„tum fervoris, quoniam non raro hoc „sacramentum operatur absque eo, quod „ipsi advertamus. . . Quapropter quem„admodum, quando anima sentit se

„maximopere ad communionem incli-„natam, expedit identidem eam morti-„ficare, communionem differendo, prae-„sertim si advertatur, quod per illam „prohibitionem turbetur (hujusmodi „enim contristatio argumentum est su-„perbiae, quae eam vere reddit indi-„gnam), ita ex opposito, quando sen-„tit in se ariditatem et taedium ad „eucharistiam suscipiendam, expedit „tunc, illam saepius ad communionem „impellere, ut a sacramento vires ac-„quirat. . ." *(n. 155.)*

344. — Ex dictis juxta mentem *S. Lig.* et *aliorum* ab ipso relatorum doctrina de communione frequenti paucis et generalibus regulis constringi potest.

Ia Regula. — Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiam fidelibus negotiis saecularibus implicatis; secus enim valde difficile est, eos posse diu in divina gratia perseverare ob innumeras occasiones et rerum aeternarum in mente quasi obliterationem. — *Ita communiter.*

IIa Regula. — Communio *hebdomadaria* permittenda est, imo et consulenda iis, qui graves culpas ex habitu non committunt, licet illis, si pluribus vitiis levibus laborent nec sint de emendatione solliciti, utile sit, communionem aliqua hebdomada interdicere, ut majori alacritate ad ea abjicienda excitentur. — *S. Lig., Praxis conf. n. 149.*

IIIa Regula. — Communio *frequens* seu *pluries in hebdomada* permitti potest aut etiam consuli iis fidelibus, qui, licet debiles, ea, quae sunt boni christiani, servant, Deum amare, colere et orare gestiunt, orationi mentali, cum possunt, aliquod tempus libenter quotidie tribuunt, nec in culpas deliberatas ut plurimum labuntur. — *S. Lig. ib. n. 153.*

IVa Regula. — Communio *quotidiana* concedenda est iis, qui carent affectu etiam in culpas leves, malasque cupiditates majori ex parte superarunt, in christianam perfectionem serio tendere conantur, et ss. eucharistiae suscipiendae magno desiderio tenentur. Expedit tamen ordinarie, iis semel et aliquando etiam pluries in hebdomada communionem subtrahere. — *S. Lig. ib. n. 150.*(1)

APPENDIX II.

DE COMMUNIONE SPIRITUALI.

345. — Communio spiritualis dicitur *pium desiderium eucharistiae sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest.* Hinc ad eam requiritur: 1° *actus fidei*, quo spiritualiter communicaturus Christum vere in eucharistia praesentem sibi exhibeat(2); 2° *actus mentis,* quo in animo fingat, se jamjam ad sacram mensam accedere et hostiam de manu sacerdotis accipere; 3° *actus desiderii,* quo exoptet, Christum in sacramento suscipere et cum ipso toto corde uniri. Haec communio sanctis valde in deliciis fuit et commendatur a *concilio Trid. sess. 13. c. 8.* — Haec piis fidelibus valde utilis est. Etenim, si Deus praemio afficit pium cujuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A confessariis igitur fidelibus suis poenitentibus sedulo insinuanda et vehementissime commendanda est.

Communio spiritualis omni tempore et in omni loco fieri potest, tam mane, quam sero. Tempus tamen opportunius est ipsius missae tempus, quo scilicet sacerdos communicat; tunc enim, cum augustissimum sacramentum

---

(1) Hinc regula *Clericati: Nullus est, cui menstrua communio consuli non possit: pauci, quibus communio hebdomadaria sit prohibenda: paucissimi, quibus quotidiana sit concedenda* (si excipias aliquam peculiarem circumstantiam pro brevi tempore, v. g. novenam).

(2) Hunc actum sequi debent ceteri ad ipsam sacramentalem communionem requisiti.

Si quis vero est in mortali, poenitere debet, ut utiliter sic communicet. — *Scav.* — Cf. *Trid. sess. 13. c. 8.*

ıibeatur et vividius menti re-
tur, ardentius corda divino
flammabit. — *Scavini etc.*

PARS II.

CHARISTIA UT SACRIFICIO.

— Eucharistia non solum *sa-*
, sed etiam *sacrificii* ratio-
et.

·unt autem plurimum inter se
e rationes. Sacramentum enim
ıtione perficitur: omnis vero
i vis in eo est, ut offeratur.
ıacra hostia, dum in pyxide
:ur vel ad aegrotum defertur,
:nti, non sacrificii rationem

de etiam, ut sacramentum est,
ıi divinam hostiam sumunt,
causam affert et omnes illas
:s, quae supra commemoratae
t autem sacrificium est, non
i solum, sed satisfaciendi quo-
ficientiam continet; nam ut
s Dominus in passione sua
bis meruit ac satisfecit, sic
: sacrificium offerunt, quo no-
communicant, dominicae pas-
fructus merentur, ac satisfa-
— *Catechism. conc. Trid.,*
aristia Q. 69.

ıristia, ut sacrificium, *missa*
tur a verbo *mittere,* quia Chri-
est hostia a Deo *missa;* vel,
ios, quia in fine sacrificii po-
mittitur, dicente sacerdote vel
: *Ite, missa est.*

'um: 1° de natura et virtute sa-
ıissae; 2° de applicatione sacri-
ıae; 3° de obligatione missam
di; 4° de tempore et loco cele-
:; 5° de modo celebrandi.

CAPUT I.

'URA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSAE.

ficium generatim sumptum sic
ıiter definitur: oblatio externa
ıibilis cum ejus destructione
ıutatione, soli Deo facta per
legitimum ministrum in supremi ejus dominii protestationem.

Principia:

347. — I. Missa est verum novae legis sacrificium. Est enim oblatio a Christo instituta, in qua per consecrationem et sumptionem ejus corporis et sanguinis(¹) mystice mactatur ipse Christus et offertur ut victima Deo Patri in recognitionem ejus supremi dominii. Constat etiam ex definitione Ecclesiae in *Trid. sess. 22. can. 1.,* ubi sic dicitur: *Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit.*

II. Sacrificium missae rationes omnium sacrificiorum antiquae legis perfecte continet. Est enim: 1° *latreuticum* seu *honorarium* vel *holocaustum,* quatenus Deo offertur in agnitionem supremi ejus dominii, h. e. ad cultum divinum ei exhibendum; — 2° *eucharisticum,* quatenus specialiter Deo offertur in gratiarum actionem pro beneficiis ab eo acceptis; — 3° *propitiatorium* seu *satisfactorium* vel *expiatorium,* prout Deo offertur ad obtinendam remissionem peccatorum et poenae eis debitae; — 4° *impetratorium,* prout Deo offertur ad beneficia ab eo per merita Christi impetranda. Constat ex *concilio Trid. sess. 22. can. 3.*(²)

(¹) V. *n. 349. Q. 1°.*

(²) Vocatur hoc sacrum sacrificium *impetratorium,* quia nobis impetrat non solum bona spiritualia, sed etiam temporalia, in quantum haec ad salutem animae conducunt *(Trid. sess. 22. can. 3.); propitiatorium* vero, quia remittit peccata, non quidem immediate, ut sacramenta, sed mediate, conferendo auxilia gratiae, quibus excitamur ad veram poenitentiam *(Ferraris, Bibl. Prompt. ad v.* Missa *art. 1. n. 5.); satisfactorium* tandem, quatenus etiam poenas temporales peccati delet in hominibus justis, pro quibus offertur, et quidem immediate, uti communiter docent. — Cf. *Trid. sess. 22. cap. 1.* — *S. Thom. p. 3. q. 79. art. 5.* — *S. Lig. n. 311.*

348. — III. Missae sacrificium incruentum est profecto idem, ac sacrificium cruentum crucis, non solum, quia eadem persona offertur, sed etiam, quia eadem est formalis ratio sacrificii, cum offeratur in protestationem supremi dominii, quod habet Deus, vitae et mortis. Sacrificium igitur altaris non *essentialiter* quidem differt a sacrificio crucis, sed tantum *accidentaliter,* quoad modum scilicet illud offerendi. 1° Enim in sacrificio crucis mors *realis* intercessit; in hoc vero *mystica* tantum mors intervenit. — 2° Illud oblatum fuit per ipsum Redemptorem in ara crucis; hoc autem offertur sacerdotum ministerio. — 3° Illud fuit meritorium, quia in eo solutum est pretium nostrae redemptionis; hoc vero non est meritorium *per se,* sed in eo merita Christi tantum applicantur.

Quaesita:

349. — Quaer. 1° *In quo consistat essentia sacrificii missae?*

Resp. Controvertitur. Probabilius consistit in sola consecratione, quia in sola consecratione inveniuntur omnia requisita ad sacrificium constituendum, nempe oblatio et destructio seu immolatio mystica victimae. — *Ita communius.* Non pauci tamen tenent, essentiam sacrificii consistere in consecratione et partialiter in sumptione, quia in consecratione ponitur victima, et in sumptione consumitur. Hanc sententiam ut probabiliorem habet *S. Lig. n. 305.*

Quaer. 2° *Pro quibusnam possit offerri sacrificium missae?*

Resp. 1° Certum est, posse offerri hoc sacrificium pro omnibus fidelibus vivis et defunctis(¹), etiam pro peccatoribus *non excommunicatis,* sed tantum quoad fructum impetrationis(²). — Ex *Tridentino* constat.

Resp. 2° *Probabilius* etiam licet missam celebrare pro excommunicatis *toleratis,* quia, licet Ecclesia nihil ipsis indulgeat, fideles tamen non prohibentur cum illis communicare etiam in divinis, ut in *tractatu de censuris* dicetur. Idem etiam de infidelibus tenendum est(¹). — *S. Lig. n. 309.*

Resp. 3° Non licet offerre sacrificium nomine Ecclesiae pro excommunicatis *vitandis,* quia specialiter prohibitum est *jure can.* c. A nobis (28.) *de sent. excomm. (V. 39.)* — Licite autem potest sacerdos pro iis offerre missam nomine proprio. — *S. Lig. n. 308.* — *Lacroix n. 33.* — *Suarez etc.*(²)

350. — Quaer. 3° *Quotuplex sit fructus sacrificii missae?*

Resp. Fructus missae distinguitur ex duplici capite, nempe ex parte offerentis et ex parte victimae.

I. *Ex parte offerentis.* Duplex est offerens, scil. Christus et sacerdos. Hinc duplicis generis est fructus missae ex parte offerentis. Prior provenit ex Christo offerente et dicitur *ex opere operato*, quia recipitur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis. Alter provenit ex sacerdote offerente, quatenus recipitur intuitu meriti et devotionis sacerdotis celebrantis, et fructus *ex opere operantis* nuncupatur. — Ex hoc fit, quod sacrificium oblatum a sancto sacerdote, quatenus consideratur *ex opere operato*, non prosit magis, quam si ab indigno ministro offerretur, quia sic spectatum sacrificium est opus Christi et solummodo a meritis Christi fructus dimanat. Quare hoc sensu recte dici potest, missam mali sacerdotis tanti valere, quanti valet missa boni sacerdotis.

(¹) scilicet in honorem sanctorum *(Trid. sess. 22. can. 5. de sacrif. missae)* et pro animabus purgatorii *(ibid. can. 3.)*; pro damnatis enim inutiliter offerretur.

(²) in latiore sensu. — Cf. *Trid. sess. 22. cap. 2.* et supra *not.* ad *n. 347.*

(¹) pro quibus, si vivant, videtur sacrificium etiam directe offerri posse, saltem nomine privato sacerdotis et nomine Jesu Christi, excluso tamen fructu satisfactorio. — Cf. *Anal. J. P. ser. 6. col. 1539. n. 8. et seq.*

(²) Quoad *R.* 2°. et 3°. conferri debent, quae exponuntur sub *n. 964.*

Secus vero dicendum, si attendatur ad meritum *ex opere operantis;* quo enim dignior est sacerdos et majori devotione praeditus, dum ritus et orationes Ecclesiae peragit, tanto major illius missae fructus evadit.

351. — II. *Ex parte victimae.* Ex hoc capite triplex distinguitur fructus sacrificii, scilicet generalis, specialis, specialissimus.

1° Fructus *generalis* ille est, qui correspondet sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote ut operante nomine totius Ecclesiae. Omnes fideles, quamvis sacerdos de eis non cogitet, hunc fructum percipiunt. Sed ipsis tribuitur per modum *impetrationis* tantum, non vero per modum *satisfactionis*, ut videtur; quia ex millenis sacrificiis, quae quotidie offeruntur, quivis justus immensae poenae remissionem consequeretur etiam inscius, quod incredibile apparet. — De illo fructu generali modo abundantiori seu specialiori participant adstantes sacrificio, et *a fortiori* ad illud cooperantes, v. g. sacerdoti inservientes etc. Fructus ille, utpote *ex opere operantis,* eo uberior est, quo major est devotio et sanctitas adsistentium et cooperantium. Hinc, licet plures missam audiant vel ei ministrent, quisque totum fructum suae devotioni proportionatum percipiet haud secus, ac si solus esset audiens vel ministrans.

2° Fructus *specialis* est ille, qui advenit ei vel illis, quibus sacerdos specialiter sacrificium applicat. Hi *ex opere operato* participant de sacrificio, ut est *impetratorium* et *propitiatorium;* imo etiam, modo nihil obstet, ut est *satisfactorium.*

3° Fructus *specialissimus* ille est, qui obvenit sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. Si enim cooperatores quilibet de sacrificio suum percipiunt fructum omnino specialem, multo magis percipere debet sacerdos, qui ipse sacrificat. An vero hunc fructum applicare aliis possit sacerdos, incertum est. — *S. Lig. n. 312.*

352. — Quaer. 4° *An valor sacrificii missae sit infinitus?*

Resp. 1° Est certo *infinitus,* si spectetur *in se* seu in re oblata et in excellentia dignitatis Christi offerentis. Ipse enim Christus in hoc sacrificio est simul victima et principalis offerens. Quare missa est oblatio victimae infiniti pretii, facta a Christo primario offerente, qui meritum habet infinitum.

Resp. 2° Non potest esse *infinitus quoad applicationem* singulis hominibus factam, seu quoad effectum aut fructum. Ratio est, quia creaturae applicationis infinitae capaces non sunt; potest autem applicatio esse major vel minor, prout dispositio seu capacitas illius, cui applicatur, major vel minor invenitur.

Controvertitur autem, utrum applicatio fructus sacrificii sit ad certum gradum restricta, vel fiat *indefinite* juxta capacitatem illorum, pro quibus offertur.

Iª Sententia multo *probabilior* tuetur applicationem fieri *indefinite* juxta capacitatem fidelium, pro quibus offertur. Et haec est sententia hodie communissime recepta, ait *S. Lig. n. 312.* — Ratio est, quia valor sacrificii est in se infinitus; unde per se potest applicari innumeris hominibus, quin exhauriri possit. Ergo, si sacrificium offeratur pro centum vel mille personis, singulae tantum percipient fructum, quantum perciperet unica illa, pro qua sola offerretur.

IIª Sententia tenet, fructum missae ad certum gradum esse restrictum. Ratio est, quia, licet missa sit in se et quoad sufficientiam infiniti valoris, attamen effectus est limitatus et restrictus in certa quantitate ex voluntate Christi, qui hoc sacrificium instituit, ut *ex opere operato* certum effectum sive certum satisfactionis gradum produceret, independenter ab hominum dispositione. Attamen hujus sententiae

patroni concedunt, posse hunc gradum fructus augeri *ex opere operantis*, i. e. juxta majorem devotionem offerentis sacerdotis et personae, pro qua offertur. Sed, restrictionem a Christo factam esse, gratuito prorsus affirmant.

353. — Quaer. 5° *An missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?*

Resp. Affirmative. Etenim missa utiliter offertur pro defunctis, ut constat ex *Trid. sess. 22. cap. 2.* et *can. 3.* Porro id fieri nequit, nisi ex Christi promissione, quae perhibetur *Matth. 26. 28.: Hic est . . sanguis meus, . . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Constat etiam ex verbis formae in ordinis collatione: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Amen.*(1)

Quaer. 6° *An missa de Requiem magis prosit defunctis, quam missa de sanctis?*

Resp. Negative quoad substantiam seu *ex parte sacrificii;* secus accidentaliter seu *ex parte orationum,* qui defectus tamen per majorem devotionem recompensari potest. — *S. Lig. n. 310.* post *S. Thomam, Suppl. q. 71. art. 9. ad 5.*(2)

CAPUT II.

DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSAE.

Applicatio sacrificii missae est intentio, qua sacerdos vult, sacrificii fructum in utilitatem certae personae cedere.

Principia:

354. — I. Non requiritur sacerdotis applicatio, ut pars fructus *generalis* et *generalissimi* percipiatur, sed sufficit, ut ipse velit celebrare juxta mentem Ecclesiae; semper enim implicite talis applicatio in intentione generali celebrantis includitur. Item, ut ipsi sacerdoti fructus *specialissimus* proveniat, necesse non est, ut eum sibi specialiter applicare velit; hic enim ipsi *per se* semper applicatur. Imo sunt, qui fructum hunc putant nulli alteri applicari posse.

II. Requiritur autem applicatio sacerdotis, ut fructus *specialis* seu *ministerialis* alicui obveniat. Sacerdos enim, et quidem solus, personam Christi gerit; ergo, sicut ipse solus in persona Christi sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem applicat.

III. Sacerdos, licet nemini missam celebrare promiserit, aliquam applicationem fructus specialis sacrificii facere debet. Ratio est: 1° quia in sua ordinatione accepit ex Christi institutione potestatem sacrificium conficiendi et consequenter ejus fructum applicandi. Remaneret autem inutilis illa potestas, si sacerdos ea non uteretur; — 2° insuper nulla facta applicatione non esset ratio, cur uni prodesset magis, quam alteri, ita ut fructus non applicatus remaneret in thesauro generali Ecclesiae et proinde minus utilis foret. — *Billuart diss. 8. art. 4.*

Quaesita:

355. — Quaer. 1° *An applicatio fructus missae debeat esse actualis?*

Resp. Negative, sed sufficit, ut sit habitualis, scilicet sufficit, ut semel facta non retractetur. Ratio est, quia applicatio ista fit per modum donationis, adeoque per intentionem semel habitam sacerdos jam donavit fructum sacrificii sui et proinde ei, cui donavit, debetur et ei obvenit, cum missa celebratur, nisi donatio revocetur. — *S. Lig. n. 335. Qu. 1.*(1)

(1) Notat tamen *Perrone (Theol. dogm. vol. 8. n. 282.),* certum esse, . . . defunctis poenam temporalem non remitti certa lege, sed solum per modum suffragii iis prodesse, prout Deo placuerit illud acceptare.

(2) Cf. *n. 377. Q. 16°.*

(1) Observat *Ben. XIV., de sacrif. missae sect. 2. n. 143. (al. l. 3. c. 16.*

Quaer. 2° *Si sacerdos immemor prioris intentionis novam celebrando eliciat, quaenam valida censeri debeat?*

Resp. In genere definiri nequit. Videat sacerdos, qualis intentio in ejus mente praedominans fuerit. Ceterum in praxi parvi refert; etenim, cum una certo valida sit, satis erit, si sacerdos alia vice intendat sacrum applicare ei, cui defectu prioris intentionis applicatum non fuit.

Quaer. 3° *An intentio celebrantis debeat esse explicite determinata?*

Resp. Negative; sufficit, ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicas: „Offero sacrificium hoc pro eo, qui dedit stipendium, — pro quo superior vult sacrum fieri, — pro quo exigit fundatio, — pro maximo peccatore, — pro anima maxima tentatione afflicta, — pro anima purgante majori auxilio indigente aut magis Deo grata, — pro omnibus animabus purgatorii, — pro eo, cui applicare teneor (si de facto tenearis), — pro persona vel intentione scripto vel mente determinata in principio hebdomadae etc.“ — Econtra, non valet ista applicatio: „Offero, ut Deus sacrum illud applicet.“

356. — Quaer. 4° *Si sacerdos acceperit stipendia a 10 personis, an satisfaciat celebrando cum intentione confusa et indeterminata?*

Resp. Negative omnino, quia requiritur saltem intentio determinata ad certam personam; alioquin non est ratio, cur uni potius, quam alteri missa applicetur, et sic nulli applicaretur. — Attamen, si quamlibet missam intenderet applicare illis decem personis, singulis decimam partem cujuslibet missae applicando, obligationi satisfaceret, quia fructus sacrificii est divisibilis et unicuique tribuitur, quod ei debetur; unusquisque enim, in singulis decem missis decimam fructus partem percipiens, facto decimo sacro jam totum sibi debitum fructum est adeptus. — *S. Lig. n. 335. Qu. 2.* cum *aliis multis.*

357. — Quaer. 5° *Quomodo determinanda sit applicatio, ubi stipendia a multis ignotis dantur, ut in piis peregrinationibus evenire solet?*

Resp. Intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus; nec est difficultas, si ipse partem stipendiorum aliis sacerdotibus distribuat, quia illa eodem ordine, quo accepit, distribuere potest et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Difficultas autem major est, si sacrista vel alius multa stipendia a diversis collegerit et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuat. Casus ille obvius et frequens est. Quomodo autem tunc facienda est missae applicatio? Nihil aliud faciendum est, nihil etiam aliud moraliter et communiter fieri potest, nisi ut applicatio fiat pro ratione ordinis temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, juxta axioma in aliqua justitiae materia admissum: *Qui prior tempore, potior jure.* Imo nec est necessarium, ut sacerdos ad hoc explicite attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis aequitas. Hinc, si ex cumulo communi, v. g. ex arca in ecclesia posita(1) vel a missarum

---

n. 9.): „Sacerdos, ut se omnibus expediat difficultatibus, in praeparatione ad missam, antequam sacris se vestibus indaat, ne omittat, sacrificii fructum applicare.“ — Quod si id vel ante vel in ipsa consecratione saltem secundae speciei non fecerit, non potest postea sacrificium ulli (specialiter) applicare, saltem adaequate, quia producit effectum suum, quando existit. — *S. Lig. n. 335.* cum *Busemb.*

(1) Prohibentur ejusmodi arcae sine licentia ordinarii *(Ferrari, Summa inst. can. l. 2. tit. 3. 8°.)* et auferri debent, si missae manuales in illa ecclesia persolvendae jam tempore debito celebrari non possent. *(Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Missa *art. 2. n. 2. §. 9. coll. §. 21. dub. 12. 13.)*

distributore stipendia pro 20 missis acceperis, nulla alia cura tibi incumbere debet, nisi ut sacrum vicies facias *ad dantis intentionem*. Distributor ipse eamdem implicitam intentionem habere censetur, ut stipendia juxta temporis ordinem successive eroget. Potest tamen sacerdos praefatum ordinem intentione expressa interrumpere gravi de causa, puta, si aliqua alia missa urgeat vel majus stipendium acceperit, ut sacrum non differat etc.(1)

358. — Quaer. 6° *An valeat applicatio facta vivo, quem credis mortuum et pro quo mortuo celebrare teneris?*

Resp. Negative prorsus. Ratio est, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam ad ejus animam a poenis purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur. Unde sacerdos ob errorem stipendii sui jacturam facere debet.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

Sub triplici respectu spectari potest: 1° ratione sacerdotii; 2° ratione officii; 3° ratione stipendii.

ARTICULUS I.
DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE SACERDOTII.

359. — *Dico:* Omnes sacerdotes tenentur jure divino sub gravi ratione ipsius sacerdotii aliquando celebrare. Evincitur ex verbis Christi *Luc. 22. 19.: Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, teste concilio Tridentino, Christus apostolis eorumque successoribus praecepit, ut sacrificium offerrent. Insuper sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam *munus* et *officium* sacrificandi per se illi adnexum. Hinc apostolus *Hebr. 5. 1.* ait: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Porro quisque munus susceptum exsequi tenetur graviter in re gravi. — Sic *S. Thom. p. 3. q. 82. art. 10.* — *Vide S. Lig. n. 313.*

Quaesita:

360. — Quaer. 1° *Quoties in vita vel in anno sacerdos celebrare teneatur?*

Resp. Non clare constat. *Probabilius* videtur, non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno seu in festis solemnioribus. Imo, non improbabile apparet, suo muneri fecisse satis sacerdotem, si ter vel quater in anno sacrificium offerat quibuslibet diebus. — *S. Lig. n. 313. Dub. 2.*

Quaer. 2° *An eximatur ab omni peccato, qui tantum quater in anno celebrat?*

Resp. Negative; non videtur enim excusandus saltem a peccato veniali. Sic communiter juxta mentem *concilii Trid. sess. 23. c. 14. de reform.*, ubi dicitur: *Curet episcopus, ut ii* (presbyteri) *saltem diebus dominicis et festis solemnibus missas celebrent.* Imo exoptat s. mater Ecclesia, ut sacerdos singulis diebus sacrificium offerat, et pii sacerdotes rarissime illud omittere solent.

Hinc merito concludit *S. Lig. n. 359. in medio:* „Quapropter nescirem „a culpa levi excusare sacerdotem il„lum, qui quotidie celebrare posset „(una hebdomadis die excepta ob re„verentiam), et sine ulla justa causa, „sed tantum ob desidiam a celebrando „abstineret; sacerdos enim non tantum „pro se celebrat, sed etiam pro bono „totius Ecclesiae populique christiani, „cujus minister et intercessor est con„stitutus juxta illud apostoli: Omnis „Pontifex *ex hominibus assumptus „pro hominibus constituitur in iis, „quae sunt ad Deum, ut offerat dona „et sacrificia pro peccatis.*"

Merito igitur auctor eximii operis *Imitationis Jesu Christi l. 4. c. 5.*

(1) Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 345. 2°.*

„Quando sacerdos celebrat, Deum norat, angelos laetificat, Ecclesiam lificat, vivos adjuvat, defunctis reiem praestat et sese omnium borum participem efficit.“ — Sic m *S. Bonaventura, de praeparae ad missam c. 5.:* „Sacerdos, i non celebrat, quantum in ipso , privat Trinitatem laude et gloria, gelos laetitia, peccatores venia, jus subsidio et gratia, in purgatorio istentes refrigerio, Ecclesiam Chri- speciali beneficio et seipsum meina et remedio contra quotidiana xcata et infirmitates.“

ARTICULUS II.
OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE OFFICII.

61. — *Dico* I. Omnes animarum ores tenentur de jure naturali et no aliquando celebrare pro ovibus . Ratio est, quia eas agnoscere ascere debent. Constat etiam ex *ilio Trid. sess. 23. c. 1. de re-*n., ubi sic: *Cum praecepto di- mandatum sit omnibus, quibus narum cura commissa est, oves agnoscere, pro his sacrificium re etc.*

ico II. Iidem(1) tenentur de jure

---

et quidem non solum parochi saeres, sed et regulares; item ii, qui sonodo ad tempus vel amovibiliter, v. g. bsentiam vel infirmitatem parochi ad s officium deputati sunt (viceparochi), onere obstringuntur. — Cf. *Ben. XIV.* ncycl. *Cum semper.* Imo, obligatur chus duabus parochiis praepositus icem in festis applicare missam per el per alios, nisi unio illarum parorum sit plenaria et *exstinctiva,* ita r duabus ecclesiis parochialibus una us cum exstinctione tituli alterius erit. — *S. R. C. 11. Mart. 1774. ucen.* — Cf. *Anal. J. P. ser. 4. 1344. 1352.*

bitum vero, quod parochos ligat, a ori episcopis incumbit (post adeptam assionem), non vero vicariis capitula- *(S. R. C. 12. Nov. 1831. in Mars. 3.),* nec in genere illis, qui vero proque sensu animarum curam gerere non ntur. Hinc liberi sunt ab hac obliione coadjutores parochorum, vicarii ecclesiastico celebrare pro subditis omnibus diebus dominicis et festis, qui-

---

perpetui, nisi in solidum aeque ac parochi actualem obtineant curam, capellani carcerum, asylorum pro pauperibus et aliorum ejusmodi locorum. — *Anal. J. P. ser. 5. col. 585.; ser. 6. col. 2272.*

Addimus sequentes recentiores decisiones *S. Congr. de propaganda fide (23. Martii 1863.)* quoad obligationem missionariorum et episcoporum etc. ecclesiae orientalis:

Quaer. 1° An vicarii apostolici et missionarii, qui quovis modo suscipiunt animarum curam in aliquo determinato loco, teneantur indiscriminatim *ex justitia* applicare missam pro populo diebus festis?

2° An illis, qui ex justitia non tenentur, responderi debeat: *decere ex caritate* vel: *teneri ex caritate* ad applicandam missam pro populo?

Resp. ad 1um: *Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae jam sint, atque ad ea vicarius apostolicus et missionarii missi sint, ut legitimorum pastorum vices gerant.*

Ad 2um: *Vitandam esse locutionem:* teneri ex caritate; *dicendum autem esse:* decere ex caritate, *idque ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.* —

Quaer. 1° An obligatio applicandi missam pro populo, quae secundum jus ecclesiae occidentalis imponitur episcopis et parochis, locum pariter habeat in iisdem personis ritus orientalis? Quatenus *affirmative,*

2° An quoad dierum determinationem servari debeant leges et consuetudines rationabiles, quae vigere reperiantur in aliquibus dioecesibus ejusdem ritus?

3° An in defectu talium legum et consuetudinum ejusmodi dierum determinatio fieri debeat juxta normam et integram extensionem legum occidentalium?

4° An ob graves rationes et circumstantias locus fieri possit alicui reductioni dierum, qui determinati sunt a legibus occidentalibus, et deveniri etiam ad totalem dispensationem, obligatione tamen injuncta orandi pro populo in iisdem missis, quae applicari pro eodem deberent?

Resp. Ad 1um: *Affirmative.*

Ad 2um: *Affirmative.*

Ad 3um: *Negative.*

Ad 4um: *Provisum in tertio et ad mentem.* (Mens autem S. Congregationis fuit, quod secundum opportunitatem inculcaretur episcopis ecclesiae orientalis obligatio, qua, etiam in ea, gravantur animarum pastores applicandi aliqua vice missam

bus fideles missam audire debent. Constat ex variis Ecclesiae decretis, praesertim ex constitutione *Benedicti XIV. Cum semper die 19. Aug. 1744.* — *Vide S. Lig. n. 325.*

Quaesita:

362. — Quaer. 1° *An parochus valde pauper possit stipendium accipere pro missa die dominica celebranda?*

Resp. Negative per se. Constat ex declaratione *Benedicti XIV.* in praefata constitutione. Concedit tamen Pontifex episcopis Italiae, ut valeant cum tali parocho etc. dispensare, ut possit accipere quidem stipendium pro missa diei dominici vel festi, sed cum onere aliam intra hebdomadam pro populo celebrandi. — *Vide S. Lig. n. 325.*

Quaer. 2° *An obligatio missam pro populo celebrandi sit personalis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia ea parocho incumbit ut pastori. Hinc parochi debent per seipsos applicare missam pro populo diebus dominicis et festivis, nec ulla valet in contrarium consuetudo.

Ad dubium *S. C. Conc.* oblatum: „Quid censeri debeat de consuetudine, „vi cujus parochus diebus dominicis „et festis missam privatam pro pio „aliquo benefactore applicat, et nullo „legitimo impedimento detentus onus „celebrandi missam in alium sacerdo„tem transfert?“ S. Congregatio respondit: *Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam. (25. Sept. 1847. in Mechlinien.)* — *Vide Bouix, tract. de parocho p. 590.*

363. — Quaer. 3° *An praedictae obligationi satisfaciat parochus per missam privatam?*

Resp. Affirmandum omnino videtur, quia reapse praeceptum Ecclesiae adimplet; nec tenetur missam solemnem aut aliqua certa hora fixam celebrare, quamvis episcopus praescribere possit, parochos per seipsos solemniorem missam legere aut cantare. — *Ita Bouix ibid. p. 591. 592.*

Nota: Parochus vero diebus dominicis et festis missam celebrare debet in propria ecclesia, et non in alia, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. — Sic *S. C. Concil. 15. Sept.* et *17. Nov. 1629.* — *Bouix, tract. de parocho p. 591.*

Quaer. 4° *Si parochus vicarium commiserit ad missam pro populo celebrandam, an stipendium ipsi tribuere debeat?*

Resp. Affirmative. Constat ex responsione *S. Poenitentiariae die 20. Dec. 1845.*, ut sequitur:

Quaer. „An vicarii ecclesiae cathe„dralis Monasteriensis missam conven„tualem pro benefactoribus gratis ap„plicare teneantur, seu potius illis pro „hac applicatione stipendium debeatur „a capitulo solvendum in casu?“

S. Congr. respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* — *Mélanges théologiques etc. 2e sér. 3me cahier p. 490.*

Quaer. 5° *An parochus vel episcopus infirmus aut aliter a celebratione impeditus teneatur diebus festis per alium pro populo celebrare?*

Resp. Affirmandum est, quia onus illud non est tantum personale, sed reale, ut onus praedicandi, et consequenter per alium impleri potest et debet. — *S. Lig. n. 326.* — *S. Congr. Conc. 11. Maji 1720.*(1)

364. — Quaer. 6° *An pastores animarum teneantur pro populo celebrare in festis a Pio VI. suppressis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia Ecclesia solum eximit fideles ab obli-

---

pro populo: et in eo, quod ad determinationem spectat dierum, iisdem exponeretur disciplina occidentalis ecclesiae, ut ex hac normam habeant ad dignoscendum, usquedum ea convenire posset in eorumdem dioecesibus, et quocumque in casu ad proponendum S. Sedi eas moderationes, quas necessarias putaturi essent.) — V. *Acta vol. 1. p. 408. et seq.*

(1) Cf. etiam const. *Cum semper Ben. XIV. n. 17.*

ıudiendi missam et abstinendi
ɔus servilibus illis diebus(¹);
ere pergit obligatio parochi
lo celebrandi, sicut prius ur-
onstat ex variis declarationi-
Poenitentiariae, et recentius
nso ejusdem *Congr.* ad *R.*
ı S. J., in collegio romano
e professorem, *die 22. Febr.*

onstat inter alia ex encyclica
imi Redemptoris, a *Pio IX.*
ji 1858. data, ubi ita Pontifex:
Romani Pontifices .... festos
pto dies imminuendos censue-
ɔpuli hisce diebus servilia opera
rcerent, quin sacrum audire de-
ımen iidem praedecessores nostri
ndultis tribuendis integram in-
ue legem esse voluerunt, ut sci-
dictis diebus nihil in ecclesiis
nnovaretur quoad consuetum di-
ɔfficiorum ordinem et ritum ut-
a eo prorsus modo peragerentur,
peragi solebant." — V. etiam
n *S. C. C. d. d. 21. Mart. 1863.*
col. 1. pag. 601.
tulatum. Confessarius coactus
e certo sciendi, an teneantur
ochi missam applicare pro po-
diebus festis, quibus sublatum
ɔus praeceptum audiendi missam,
minentia Vestra Reverendissima,
ıre velit:
m in praesens regula tradita a
XIV., qua jubentur parochi
ties applicare pro populo, quo-
lus tenetur missam audire, vim
neat? Hinc:
m post reductionem dierum fe-
Pio VI. factam teneantur paro-
are missam pro populo iis die-
, quibus sublatum est praeceptum
ligans eamdem audire?
ıitentiaria, perpensis expositis,
no in Christo respondendum cen-
t respondet juxta responsionem
ım, nempe: *per Apostolicum*
super imminutione festorum
quibus sublatum est etiam prae-
ıudiendi missam, nihil deroga-
se obligationi parochorum ap-
missam pro populo etiam in
diebus, prout alias a S. Con-
se Concilii declaratum fuit in
en. 28. Mart. 1801. — Datum
S. Poenitentiaria *die 22. Febr.*
(Nota auctoris.)
ca vero supra memorata, quae
ıantissimi Redemptoris, de ista

Quaer. 7° *Quaenam sint illa festa a Pio VI. suppressa?*

Resp. Sunt sequentia: Festa apostolorum praeter SS. Petri et Pauli solemnitatem; duae feriae, quae pascha

---

obligatione quoad festa reducta haecce statuit: „.. Quamobrem hisce literis de„claramus, statuimus atque decernimus, „parochos aliosque omnes animarum cu„ram actu gerentes sacrosanctum missae „sacrificium pro populo sibi commisso ce„lebrare et applicare debere tum omnibus „dominicis aliisque diebus, qui ex prae„cepto adhuc servantur, tum illis etiam, „qui ex hujus Apostolicae Sedis indulgen„tia ex dierum de praecepto festorum nu„mero sublati ac translati sunt, quemad„modum ipsi animarum curatores debebant, „dum memorata *Urbani VIII.* constitutio „in pleno suo robore vigebat, antequam „festivi de praecepto dies imminuerentur „et transferrentur. Quod vero attinet ad „festos translatos dies id unum excipimus, „ut scilicet, quando una cum solemnitate „divinum officium translatum fuerit in „dominicum diem, una tantum missa pro „populo sit a parochis applicanda, quando„quidem missa, quae praecipua divini of„ficii pars est, una simul cum ipso officio „translata existimari debet."

„Nunc vero paterni animi Nostri cari„tate illorum parochorum tranquillitati pro„spicere volentes, qui ob assertam con„suetudinem memoratis diebus missam pro „populo applicare omiserunt, eosdem pa„rochos ab omnibus quibusque praeteritis „omissionibus auctoritate Nostra Aposto„lica plenissime absolvimus. Et quoniam „non desunt animarum curatores, qui pe„culiare aliquod reductionis, uti dicunt, „indultum ab hac Apostolica Sede ob„tinuere, concedimus, ut ipsi hujusce „indulti beneficio perfrui pergant, juxta „tamen conditiones in indulto expressas, „et donec parochorum officium exercue„rint in paroeciis, quas in praesentiarum „regunt et administrant."

„... Cum vero Nos minime lateat, pe„culiares casus contingere posse, in qui„bus pro re ac tempore aliqua hujus ob„ligationis remissio parochis sit tribuenda, „sciatis velimus, ab omnibus Nostram „Concilii Congregationem unice esse ad„eundam ad hujusmodi obtinenda indulta, „illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra „Congregatione fidei propagandae prae„posita pendent, cum opportunas utrique „Congregationi contulerimus facultates..."

Raro tamen ejusmodi remissio conceditur. — Cf. *Anal. J. P. ser. 6. col. 2070.*; *ser. 8. col. 2260.*

et pentecosten sequuntur; inventio s. crucis; festa S. Annae, S. Laurentii, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis et S. Josephi. — *Vide dicta p. 1. n. 476.*

365. — Quaer. 8° *An pastores animarum in Gallia teneantur missam celebrare pro ovibus diebus festis suppressis aut in dominicam translatis ex concessione Pii VII. anno 1802?*

Resp. Affirmative. Constat ex variis decisionibus Sanctae Sedis, praesertim ex declaratione *S. Congr. Conc. Trid.* a *Gregor. XVI.* approbata in responsum ad ill. DD. Bouvier, episcopum Cenomanensem, data *die 14. Jun. 1841.*, necnon ex responsione ad illust. arch. Tolosanum *die 6. Aug. 1842.*; iterum ex decisione *S. Congr. die 25. Sept. 1847.*, quas infra invenies.

Unde, ut obligationi huic satisfaciat parochus, non illi sufficit applicare missam pro populo dominicis, ad quas remittitur seu transfertur solemnitas epiphaniae D. N., corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, patroni loci (non autem titularis ecclesiae) et immaculatae conceptionis, ubi ex indulto Apostolico festum illud secunda dominica adventus celebratur, sed tenetur applicare missam ipso die, quo praefatorum festorum officia recitantur.

Nota: Titularis ecclesiae dicitur titulus, sub quo erecta fuit ecclesia, et nomen sancti vel aliquod mysterium, v. g. SS. Trinitatis etc., referre potest. *Patronus* vero ille protector est coelestis (sanctus, angelus aut B. V. Maria), quem ipsi pagi vel civitatis incolae sibi elegerunt. Ad hanc electionem necessario requiritur concursus triplex populi et cleri, episcopi et Sacrae Congreg. Rituum, alioquin electio est nulla et proinde nullum canonicum effectum habet. — Sic *S. C. Rit. 23. Mart. 1630.*(¹)

366. — Quaer. 9° *Daturne aliqua praescriptio vel consuetudo contra obligationem applicandi missam pro populo in festis suppressis aut translatis?*

Resp. Negative. Aperte constat ex declaratione *S. Congr. Concilii die 25. Sept. 1847.*(¹)

Quaer. 10° *Quaenam sint festa a Pio VII. suppressa aut in diem dominicam translata pro Gallia?*

Resp. Sunt sequentia: Circumcisio, epiphania, solemnitas corporis Christi, purificatio, annuntiatio, nativitas et immaculata conceptio B. M. V., festa SS. Petri et Pauli et patroni paroeciae. — *Recole dicta p. 1. n. 476.*

CONSULTATIO

circa obligationem celebrandi missam pro populo festis a Pio VII. in Gallia suppressis.

Beatissime Pater!

367. — Episcopus Cenomanensis in Galliis Paternitati Vestrae summa cum reverentia repraesentat, quod ab anno 1803. communis invaserit opinio, eos, qui curam animarum habent, missam pro populo sibi commisso applicare non teneri diebus festorum suppressorum aut translatorum virtute indulti Apostolici diei 9. Apr. 1802., idque ex dispositione constitutionis *Cum semper Benedicti XIV.*, quia tunc sublata erat obligatio pro fidelibus his diebus missam audiendi. Nunc autem quidam dicunt, felicis memoriae *Pium VII.* voluisse quidem obligationem audiendi missam his diebus supprimere, non vero obligationem eam pro fidelibus applicandi.

Idcirco dictus Cenomanensis episcopus pro sua et parochorum sibi subditorum conscientiae securitate veritatem circa hoc punctum frequentioris praxis cognoscere

(¹) Cf. *De Herdt, sacrae lit. praxis t. 3. p. 5. n. 34.*

(¹) Postulatum. *Quaer.* 1° An parochi debeant ss. missae sacrificium pro populo offerre diebus dominicis, et iis etiam festis diebus, qui per indultum Apostolicum die 9. Aprilis 1802. suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab episcopo dioecesano non fiat?

2° An consuetudo umquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicent pro populo ss. missae sacrificium aut dominicis, aut saltem praedictis festis diebus suppressis?

Resp. Ad 1um: *Affirmative.*
Ad 2um: *Negative.*

Die 25. Sept. 1847. in Mechliniensi. — Cf. etiam encyclicam *Amantissimi Redemptoris.*

d Sanctitatem Vestram cum filiali currit, ut absque ullo dubio sciat, dum sit. — Humiliter igitur ex-

eipsa, qui curam habent anissam pro fidelibus sibi commisare teneantur diebus festorum rum aut translatorum virtute in- 9. Apr. 1802.?
ypothesi, quod teneantur, quid sit pro missis hucusque omissis?
ium *die 14. Jun. 1841.: Juxta es alias editas ab eadem S. oncilii missam pro populo esse is applicandam omnibus die- , etiam reductis. Attentis vero bus circumstantiis ipsa Sancti- acultates necessarias et opporlem amplitudini tuae benigne : est condonandi singulis pa- i applicationem omiserint, inientum, celebrata ab unoquoque ssa in compensationem prae- omissionum.*

RESPONSUM

piscopum Tolosanum circa eamligationem, die 6. Aug. 1842.

. . . Juxta resolutiones alias Sacra Congregatione tenentur d applicationem missae pro pon iis festis diebus, qui suppressi igore indulti sanctae memoriae die 9. Apr. 1802. Attentis vero us circumstantiis ipsa Sanctitas tatem concedit amplitudini tuae, parochos dioecesis a praeteritis bus hujusmodi pro suo arbitrio tia gratis absolvendi iisdemque c de praeterito non applicatas, tamen unica missa ab unoquoho, gratis pariter condonandi, in reliquis eadem Sanctitate thesauro Ecclesiae. Quod vero m, ipsa Sanctitas Sua facultatem eidem amplitudini tuae per proximum tantum, cum iis paos vere indigere censuerit, suatione ejusdem missae pro pois diebus ut supra a *Pio VII.* memoriae suppressis pro suo arprudentia gratis dispensandi, en onere hujusmodi applicationis circumcisionis D. N. J. C., neceptionis, annuntiationis et natiM. V."
olium: L'Ami de la Religion, Julii 1841. — 18. Sept. 1841. pr. 1842. et praesertim *10. Maji*

ARTICULUS III.
DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE STIPENDII.

Principia:

369. — I. Licite accipi potest stipendium justum seu eleemosyna ad celebrandam missam, quam quis pro alio legere non tenetur. Stipendium enim non datur tamquam pretium vel compensatio missae, sed ut medium ad sustentationem ministri. Constat etiam ex scriptura sacra. *1. Cor. 9. 13.* ait apostolus: *Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

II. Tenentur sacerdotes ex justitia missam celebrare et determinate applicare ad intentionem eorum, qui ad hoc stipendium erogaverunt. Etenim intervenit cum alio pactum onerosum, quod sub peccato titulo justitiae servari debet, ut in quocumque alio contractu. Unde sacerdos, qui omittit missam applicare sive per se, sive per alium, juxta intentionem illius, qui stipendium erogavit, ad restitutionem stricto jure tenetur.

III. Non potest sacerdos per unicam missam duplici stipendio satisfacere, sed pro singulis sacrificium distinctum offerre debet. Ratio est: 1° quia non absolute constat, sacrum pro pluribus oblatum tantum singulis prodesse, quam pro uno solo applicatum prodesset, licet valde probabile sit; — 2° quia sic sacerdos excederet rationem honestae sustentationis in honorario percipiendo, ut patet; — 3° quia constat ex *propositione 8.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic jacet: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem.*

Quaesita:

370. — Quaer. 1° *Quodnam censeatur justum celebrationis stipendium?*

Resp. Quantitas stipendii justi universaliter determinari non potest. Licet exigere stipendium statutum ab episcopo vel a consuetudine.(¹) — *S. Lig. n. 319.* — Attamen, sicut ex caritate vel amicitia stipendium minus exigi potest, ita etiam ex dantis liberalitate majus recipere fas est. Potest pariter sacerdos plus recipere pro labore extraordinario, v. g. pro sacro tali hora vel tali loco incommodo etc.

Quaer. 2° *An graviter peccet sacerdos, qui accepto stipendio missam celebrare diu differt?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia violat contractum in re gravi. Constat etiam ex decretis *S. Congr. Concilii ann. 1625.* — *S. Lig. n. 317. Qu. II.*

371. — Quaer. 3° *Quandonam autem dilatio gravis censeatur?*

Resp. Controvertitur; certo gravis videtur dilatio, quae tres menses excedit. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 317. Q. II.* contra *plures*, qui annum integrum requirunt. *Probabilius* autem non peccat graviter sacerdos, qui missam promissam intra duos menses celebrat. In missis autem pro recenter defunctis celebrandis dilatio unius mensis gravis reputanda est. — *S. Lig. ibid.* — *Salm.* — *Lugo etc.* — Ad varia etiam episcoporum statuta est attendendum. Ceterum certo peccat graviter sacerdos, quoties ab ipso petitam et promissam missam pro aliqua instante gratia impetranda intra tempus celebrationi aptum celebrare omittit, et tenetur acceptum stipendium restituere, licet deinceps celebraverit.

Nota: Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, id non prohibetur. Sic *S. Congr. Conc.* — *Cavalieri t. 5. p. 107. ad 12um.*

Quaer. 4° *An peccet graviter sacerdos omittens celebrare missam, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis?*

Resp. Affirmandum omnino videtur, nisi forte adeo tenue sit, ut missa gratis promissa appareat. Ratio est, quia stipendium solvens notabile detrimentum spirituale patitur. — *Ita S. Lig. ib. Q. III.* et *alii communiter* contra *plures.*

372. — Quaer. 5° *An autem et quomodo peccet omittens missam gratis promissam?*

Resp. 1° Non peccat, quoties promissio non est verus contractus, sed promittens tantum benevolum propositum promissario ostendit.

Resp. 2° *Probabilius* peccat per se venialiter tantum, quando promissio est stricta, quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi, ut ait *Lugo*, promittens expresse sub gravi se obliget.

Quaer. 6° *An possit sacerdos per unum sacrum satisfacere pluribus missis gratuito promissis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia missae gratuito promissae obligationem contractus proprie dicti non inducunt, ne titulo quidem merae fidelitatis. Insuper valde probabilius applicatio sacrificii pluribus facta tantum singulis prodest, quantum uni soli prodest. Aliunde non urget hic ratio justitiae, quae exigit, ut pars tutior eligatur, cum nulla percipiatur retributio. — *Ita Elbel, de contr. n. 337. etc.*

373. — Quaer. 7° *An simoniae reus esset sacerdos, qui praecipuo intuitu stipendii celebraret?*

Resp. Negative per se seu nisi stipendium ut verum celebrationis pretium habere vellet; sed a peccato excusari non posset, ut patet, cum res odiosa et probrosa foret, quod sacro ministerio pecuniae lucrandae causa uteretur. Attamen non peccat sacerdos,

(¹) Huic regulae etiam regulares se conformare tenentur sub gravi. — *Ben. XIV., Instit. 56.* — *S. Lig. n. 320. Dub. 1.* Episcopus vero prohibere potest, ne accipiatur stipendium taxa minus, saltem quoad eleemosynam manualem. — *Ben. XIV. ib.* — *S. Lig. ib. Dub. 3.*

qui accessorie celebraret intuitu retributionis accipiendae, praesertim si ipsi necessaria foret. Nec ulla labe maculatur, qui accepto stipendio ad celebrandum determinatur, licet alias sacrum fuisset omissurus; tunc enim non ratione stipendii, sed obligationis adimplendae movetur. — *Ita communiter.*(1)

374. — Quaer. 8° *An sacerdos curare possit missam per alium celebrari minus dando, quam ipse accepit?*

Resp. Negative omnino. Ratio est, quia ob speciem turpis lucri id prohibuit *S. Congr. Concilii* decreto approbato ab *Urbano VIII.* et confirmato ab *Innocentio XII.*, ubi sic sancitum fuit: *Omne damnabile lucrum Ecclesia removere volens prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Hinc *Alexander VII.* damnavit etiam sequentem *propositionem* sub *n. 9.: Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Imo *Benedictus XIV.* in epistola encyclica *die 30. Jun. 1741. Quanta cura* ipso facto suspendit suspensione Pontifici reservata sacerdotem, qui, ubi juxta consuetudines vel statuta locorum majoris pretii stipendia pro missis celebrandis praebentur, eadem colligit et missas ibi vel in locis, ubi minora stipendia tribuuntur, celebrari curat, parte stipendiorum sibi retenta. — *Vide S. Lig. n. 321.*

Excipe: 1° si excessus stipendii traditus fuerit intuitu personae, amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis; aut 2° si alter sacerdos omnino sponte et non rogatus excessum priori remittat.(2) — *S. Lig. ibid. etc.* et *alii communiter.*(1)

375. — Quaer. 9° *An, qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem?*

Resp. Affirmative. Ratio 1° deducitur ex *propositione* damnata ab *Alexandro VII.* supra relata. Dicebat enim propositio, sacerdotem retinentem partem stipendii posse satisfacere per alium; ergo sequitur, contradictoriam esse veram, i. e. illum non posse satisfacere. Satisfactio autem non respicit tantum honestatem actus, sed etiam ejus justitiam: qui autem obligationi justitiae non satisfacit, ad restitutionem tenetur. 2° Quia sacerdos, dividens stipendium, agit contra voluntatem dantis; voluntas enim dantis est non solum, ut missa celebretur, sed ut pro tali stipendio celebretur. Non vult enim gratuito erogare quidpiam ei, qui non celebrat. — *Ita S. Lig. n. 322.*, ubi dicit, hanc sententiam esse tenendam. Cui autem fieri debeat restitutio, danti scilicet eleemosynam vel celebranti, *controvertitur.* Potius celebranti facienda videtur. — *S. Lig. ib.*

Quaer. 10° *An sacerdos, cui offertur pingue stipendium pro hodierna missa, possit, hoc retento, rogare alium sacerdotem, ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus?*

Resp. Controvertitur. I^a Sententia *negat.* Ratio est, quia hoc non posset excusari a specie turpis lucri. — *Ita S. Ligorius n. 322. Dub. 4.* Addit tamen, quod talis sacerdos de

(1) Cf. *p. 1. n. 289. Q. 3°.; n. 292. Q. 7°.*

(2) Observa accurate verba praedictae constitutionis: hoc fieri non posse, „etsi eidem sacerdoti missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset.“

(1) Excipe etiam, si is, cui v. g. ratione beneficii perpetuarum missarum celebratio incumbit, reditibus certis annuis in hunc finem constitutis, et cui per alium celebrare licet, hoc jure utitur; sufficit enim, si substituto taxam communem pro stipendio solvat. — Cf. *notam* ad finem *n. 377.*

gravi peccato damnandus non videtur. — IIª Sententia *affirmat* cum *Lacroix l. 6. p. 2. n. 134.* et *aliis.*(¹)

376. — Quaer. 11° *Quomodo taxandae sint missae, pro quibus legendis testator summam aliquam pecuniae reliquit?*

Resp. Taxandae sunt juxta ipsam loci consuetudinem vel dioecesis legem pro missis privatis vigentem. Si autem taxavit ipse testator, sed infra loci morem aut taxae receptae normam, ab ordinario juxta debitam proportionem missae sunt reducendae. — Sic statuit *S. Congr. Conc.*(²) apud *S. Lig. n. 320. Dub. 5.* — *Gousset n. 295.*

Quaer. 12° *An sacerdotes divites stipendium accipere possint?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia quisque operarius sive dives, sive pauper mercede sua dignus est, ut dicit ipse Christus *Luc. 10. 7.*, et juxta apostolum *1. Cor. 9. 14.* Aliunde, si stipendium accipere non possent, nec tenerentur sine stipendio celebrare, cum nulla adsit lex eos ad id obligans; unde saepius fideles missas obtinere non possent. Constat insuper ex universali Ecclesiae praxi. — *S. Lig.* et *alii communiter.*

Quaer. 13° *An administratores ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex eleemosynis ad missas datis pro expensis altarium, luminum etc.?*

Resp. Negative, nisi ecclesiae alios reditus non habeant, et tunc nullatenus excedi debet valor expensarum, quae pro ipso missae sacrificio necessario subeundae sunt.(¹) — Ita statuit

(¹) Addimus ex recentissima hujus operis editione gallica sequentia responsa *S. Poenitentiariae:*

Quaer.: Moderator cujusdam diarii religiosi a S. Poenitentiaria postulat, utrum tuta conscientia suum diarium dare possit sacerdotibus ea conditione, ut celebrent numerum missarum respondentem pretio, quod ab aliis pro diario solvitur?

Resp. *Affirmative, dummodo missae celebrentur. — Die 6. Oct. 1862.*

Quaer.: 1° Sacerdos sub praetextu libros religiosos divulgandi potestne tuta conscientia hos emere et postea vendere pretio currente apud bibliopolas, ita ut 20, 30 vel 40 pro centum lucretur?

2° Potestne missarum stipendia accipere pro venditis libris, et ementi afferre gratuito libros lucro percepto proportionatos?

3° Idem sacerdos potestne vendere praedictos libros aliis sacerdotibus stipendio missarum carentibus cum obligatione, missas pretio horum librorum respondente celebrandi, ita ut ipse lucrum 30, 40 vel 50 pro centum obtineat?

Resp. S. Poenitentiaria . . . rescribit, *quodlibet negotiationis vel mercaturae genus relative ad missas celebrandas sacerdotibus prohiberi jure canonico, et speciatim constitutione Benedicti XIV.* Apostolicae servitutis. *Quodsi praedicto sacerdoti dubium quodpiam remaneat, illud S. Poenitentiariae exponat. — Die 19. Nov. 1863.*

(²) Decisio allegata *S. C. C.*, quam invenies apud *Lacroix n. 93. ad 5.* et apud *Ferraris, ad v.* Missa *art. 2. n. 2. §. 22. ad 5.*, de hac praecise quaestione non agit, uti etiam ex verbis *S. Alphonsi l. c.* patet. Neque episcopo absque indulto Apostolico vel facultate ab ipso testatore tributa jus reductionis missarum in simili casu competit. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 5. c. 10.; l. 13. c. ult. n. 19.* — *Lucidi, de visitatione sacrorum liminum p. 1. vol. 2. §. 8. n. 79.* Hinc imprimis haeredi vel exsecutori testamenti cura incumbet providendi, ut voluntati defuncti satisfiat, v. g. quaerendo, si agatur de missis manualibus, sacerdotem, qui pro illo minori stipendio missas persolvat; inquirendo, an nemo sit, qui sponte summam suppleat, quae deest. Quod si absque nimia difficultate fieri nequit, episcopi, qua judicis ordinarii, esse censemus decidere, quae sit sub his circumstantiis obligatio haeredis vel exsecutoris. — V. *Ben. XIV. in cap. supra cit.*

Quoad fundationes missarum autem jam acceptatas cf. *n. 377. Q. 17°. not.*

(¹) Si fundationes missarum perpetuarum in aliqua ecclesia jam exsistant et ecclesia ita pauper sit, ut dictis expensis sufficere nequeat, nec per illos, qui providere forte debent (uti v. g. interdum haeredes fundatoris), vel per alios provideatur, ex reditibus fundationis pro hisce expensis necessariis aliquid retinere vel resp. postulare licet. Si vero etiam exinde subsidium desumi nequit, eo quod eleemosyna adhuc restans non amplius congrua esset, reductio illarum missarum peti potest. — Idem valet in simili casu quoad missas, quae per aliquem pium fundatorem institutae fuerunt vel quae a sacrarii custodibus plurimis congestis eleemosynis celebrandae indicuntur; imminutione ta-

S. Congr. Concilii (apud *Lacroix l. 6. p. 2. n. 95.* et *S. Lig. n. 322. in fine).* Archipresbyter autem non tenetur ad ministranda utensilia celebrantibus adventitiis, nisi expensis eorum solutis.(¹) — Sic *Congr. die 6. Jul. 1726.* (Apud *Bened. XIV., Inst. 56. §. Edictum in eamdem.* — *S. Lig. n. 322. Dub. 5.)*

377. — Quaer. 14° *An restituere debeat, qui, accepto stipendio ad missam in altari privilegiato celebrandam, eamdem in alio altari celebrat?*

Resp. Negandum videtur; sed teneretur ad lucrandam indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, ut sunt indulgentiae viae crucis etc. Sic enim proportionata compensatio tribuitur.(²) Si tamen stipendium majus ordinario accepisset ad hoc, excessum restituere teneretur. — *Ita S. Lig. n. 329.* — *Elbel n. 210.* — *Sporer n. 137.* et *355.*

Si autem quis accipiat stipendium, ut celebret in loco certo, v. g. ad statuam miraculosam vel in sacello, ut populus missam audiat, vel certo tempore, v. g. die sabbati in honorem B. Virginis, ita ut locus et tempus per se intendantur, non potest retinere stipendium, nisi missa tempore et loco praescripto legatur. Ratio est, quia alias dans stipendium graviter invitus esse censetur. Secus vero, si tempus et locus per se non intendantur.(³)

Quaer. 15° *An obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debeat legere missam de Requiem, quando ritus id permittit?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia hoc ad indulgentias lucrandas omnino requiritur. Diebus vero, quibus prohibentur missae de Requiem, sacerdos lucratur indulgentias legendo missam diei. Sic pluries a *S. Congr. Rit.* decisum est. — *S. Lig. n. 339.*(¹)

Quaer. 16° *An obligatus ex stipendio legere missam de Requiem vel votivam satisfaciat, si aliam missam dicat?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia missa eadem est quoad substantiam, et, si adsit justa ratio, nullum erit peccatum. Hinc, si rubricae non permittant, ea die legi vel de Requiem vel votivam, debet legi missa diei et sic vere satisfit obligationi.(²) Qui

---

men missarum obtenta, non licet simul et de stipendio detrahere. — Ita *Ben. XIV., Inst. 56.* — Cf. etiam *Anal. J. P. ser. 4. col. 1501.*

(¹) Nequit tamen expensas exigere, nisi ecclesia pauper sit et sacerdos ibidem celebrare omnino postulet. — *Ben. XIV. ib.*

(²) Cf. *n. 1089. Quaer. 1°. not.*

(³) Item beneficiatus etc. non satisfacit suae obligationi et lethaliter peccat, si ex fundatione missas celebrare debeat in ecclesia, in altari, die, hora a fundatore constituta, posito, quod saepius sine justa causa aut sine dispensatione id negligat et mandatum fundatoris in gravi motivo adhuc subsistenti innitatur. — Cf. *S. Lig. n. 329.*

(¹) *Postulatum* ... 3° Utrum, qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut privilegii indulgentiam consequatur?

Respondit *S. Rit. Congreg. die 11. Aprilis 1840.:* Ad 3um *affirmative.* — (Nota auctoris.)

Intelligenda tamen haec resolutio ad mentem interrogantis potius de missa de Requiem, quam de colore paramentorum. — Cf. *not.* ad *n. 300.* et *De Herdt, Sacrae Lit. praxis t. 1. p. 1. n. 21. R. I. Not.*

Alia de altari privilegiato v. infra *n. 1089.*

(²) Exceptiones quoad missas *cantatas* de Requiem vide apud *De Herdt, Sacrae Lit. praxis t. 1. p. 1. n. 21.* (in edit. recentiss. *n. 66. et seq.)*

Si autem postulata fuerit missa in honorem alicujus sancti vel mysterii, ex declarationibus *S. C. R.* dicenda est missa votiva. Excipe: 1° si missa acceptata jam sit pro die, in quo votivae prohibentur, et differri nequeat, quod v. g. contingit quoad missas votivas pro singulis diebus fundatas; 2° si missam aliquam votivam acceptatam rubricae prohibeant; 3° si postulans missam consentiat, ut missa de die celebretur. Talem vero consensum vel etiam intentionem merito praesumi censemus, si alicubi, dum petitur missa in honorem alicujus sancti etc., jam ab immemoriali missa diei celebrari soleat et afferentes stipendium de hoc non querantur vel aliam missam non diserte petant. Ceterum, etsi quis *expresse* missam voti-

autem absque legitima ratione id facit, a peccato veniali excusari non potest, nec propria devotio ut ratio sufficiens habetur. — *Ita S. Lig. n. 327. etc.*(1)

Quaer. 17° *An stipendium percipi possit pro missa in commemoratione omnium fidelium defunctorum celebranda?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia non omnes sacerdotes tenentur hac die missam applicare omnibus defunctis, imo nec celebrare obligantur. Unde sacrificia possunt applicari a sacerdotibus ad libitum, scilicet vel pro omnibus defunctis in purgatorio degentibus, vel pro aliquibus tantummodo. Constat de hoc ex decreto *S. Congr. Rit. die 4. Aug. 1663.* Hoc autem posito nihil prorsus obest, quominus stipendium pro talibus missis accipi possit. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 338.*(2)

APPENDIX

PRO PATRIBUS SOCIETATIS JESU.

378. — I. Sacerdos societatis neque pro se, neque pro alio stipendium

---

vam vel de Requiem postulaverit, non lethaliter peccare sacerdotem, qui absque sufficiente causa missam de die celebrat, censet *De Herdt l.-c.*, quem confer.

(1) *Quaer.:* 1° An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare missam de Requiem, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quaenam sit illius intentio, pro defunctis necne?

2° An liceat sacerdotibus uti paramentis nigris et celebrare missam de Requiem, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi pro vivis?

Resp. *die 29. Nov. 1856.: Em. et rev. patres sacris ritibus tuendis praepositi, singulis mature perpensis, tolerandum minime esse censuerunt abusum, de quo in precibus, in festis nimirum semiduplicibus paramenta tantum nigra offerendi sacerdotibus celebraturis, eosdemque hac ratione impediendi, quominus legere pro libitu possint missas vel festo respondentes vel votivas juxta permissionem rubricae, propositisque dubiis rescribere rati sunt:*

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Affirmative, dummodo non diverse praescripserit, qui dedit eleemosynam.* —

Valet autem responsio ad 2. pro solo casu, quod alia paramenta non offerantur.

(2) *De obligatione celebrandi ratione beneficii etc.* — Si sermo sit de beneficio cum onere missarum (capellania), non obstante quacumque consuetudine praesumendum est in genere onus applicandi illas missas pro fundatore, licet in documento fundationis simpliciter celebratio earum vel oratio pro fundatore praescribatur, nisi aperte pateat, fundatorem revera ad applicationem juxta determinatam intentionem obligare noluisse. — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1496.* — *Ben. XIV., Inst. 56.*

Obligantur vero beneficiati sub mortali ex justitia ad illum numerum missarum, qui in fundatione exprimitur. — *S. Lig. n. 330.* Possunt tamen per alium celebrare (tribuendo huic solummodo taxam communem, modo in fundatione ipsius beneficii aliud non praecipiatur — *S. Lig. n. 321. Excip. 3°.*), nisi contrarium clare in fundatione cautum sit, ut *S. C. C.* resolvit, et debent per alium satisfacere, si ipsi non celebrent. — *Ben. XIV., de sacr. missae sect. 2. n. 19.* (alias *l. 3. c. 3. n. 6.*)

Qui vero quotidie *per se ipsum* celebrare obligatur, justa de causa (ob „honestatem suam vel debitam devotionem," ut ait *Alexander III.*) *interdum* missam omittere potest, ita tamen, ut eo die pro se vel pro aliis celebrare ipsi non liceat, et tanto minus stipendium pro hujusmodi celebratione accipere. — Quamvis vero *S. C. C. 10. Maji 1623.* responderit, ratione honestatis et causa devotionis capellanum, qui per se quotidie celebrare tenetur, semel in hebdomada per alium celebrare *posse (Scav. t. 1. app. 2. sub 12. — Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Capellanus *n. 5.*), ad quaesitum tamen, num in tali casu *obligatus sit*, hisce diebus per alium celebrare, responsionem distulit. — *Ben. XIV., de sacrif. missae l. c.; inst. 56. n. 6.* Nihilominus certo affirmari potest, obligationem substituendi alium non subsistere, si capellanus raro, v. g. solummodo semel in mense (imo, non pauci id semel in hebdomada concedunt), a celebrando abstineat, dummodo tamen de contraria voluntate testatoris non constet expressis verbis vel ex circumstantiis, uti v. g. si intentio fundatoris sit, ut quotidie vel certa hora missa in aliqua ecclesia celebretur. — Cf. *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Capellanus *n. 6–9.* et *ad v.* Missa *art. 3. n. 18–24.*

Sufficit praeterea, si is, cui onus missam

missarum, quas legit, acceptare potest. Idem quoque asserendum est, si de aliis quibuslibet sacris ministeriis agatur. Constat ex *Instituto Societatis* passim. Vide praesertim *Epitome, nov. ed., p. 185.* — *Lacroix l. 4. n. 136.*

II. Si pecunia pro missis offeratur sacerdoti societatis vel communitati, potest per superiorem admitti, non quidem cum rigorosa obligatione, sed cum promissione lata dicendi aliquas missas vel etiam unam aut alteram singulis annis ex gratitudine. — *Ita Castropalao.* Sicque declarasse Mutium Vitelleschi generalem testatur *Burghaber centur. 3. cas. 25.* — *Lacroix l. 6. p. 2. n. 146.*

III. Item potest pecunia accipi liberaliter et vicissim liberaliter possunt promitti missae, ita tamen, ut posterior promissio non sit velut compensatio seu solutio reciproca pro stipendiis, sed mero eleemosynae titulo admittatur et offerens plane intelligat, accipi non posse alio nomine, et hoc eodem modo ipse largiatur. — *Lacroix l. 6. p. 2. n. 146.*

Hinc resolves:

379. — 1° Sacerdos societatis, cui pecunia offertur pro missis legendis, potest dicere offerenti, missas gratis legendas ad ipsius intentionem, et vi-

---

quotidie applicandi incumbit, in die natalis Christi Domini unam dumtaxat applicet, nisi institutor diserte 3 missas jusserit; in die autem commemorationis omnium fidelium defunctorum vel pro omnibus defunctis, vel pro aliquo particulari ad libitum applicare potest. — *Ben. XIV., de sacr. missae s. 2. n. 68.* (alias *l. 3. c. 9. n. 9.*)

Si vero capellanus infirmetur, per quindecim dies a celebratione abstinere potest, quin alium substituat (nisi certo voluerit fundator, missam numquam deesse), quod tempus pro eo, cui etiam per alium satisfacere licet, ulterius extendere fas non erit. Quoad ceteros autem, qui per se ipsos celebrare tenentur, sine indulto vel lege dioecesana vix alios quindecim dies concederem, praesertim si infirmus habeat sufficientes reditus ex beneficio, ut per alium sine gravamine satisfacere possit. — Cf. *Ferraris ad v.* Capellanus *n. 15—18.* — *S. Lig. n. 333.*

Non obligatur tandem ecclesia vel capellanus ad celebrationem talium missarum, quamdiu capitale ad hunc finem destinatum sine ipsorum culpa otiosum aut infructiferum remanet vel si perierit. — Ita ex decis. *S. C. C. 7. Jun. 1687.* apud *Scav. l. c.*

Quodsi reditus postea non sufficiant, ante omnia quaerendum, quid pro hisce circumstantiis fundator disposuerit. Si nil statuerit nec sit, qui defectum suppleat vel sponte, vel quia ad id obligatur, petenda est *reductio*, scil. imminutio missarum in posterum celebrandarum ex justa causa (*cf. S. Lig. n. 331.*) et legitima auctoritate facta.

Haec reductio, si in susceptione obligationis illas missas celebrandi, aliquis contractus intercesserit, ad episcopum spectat, qui, partes judicis assumendo, investigare debet, an ista diminutio talis sit, ut juxta juris recepti regulas ad rescindendum dictum contractum vel saltem ad eumdem ad justi et aequi normam redigendum sufficiat. — *Ben. XIV., de syn. l. 13. cap. ult. n. 26.*

Tali vero contractu non interveniente reductio, nisi forte fundator ipse episcopo hoc jus tribuerit, ex hodiernis legibus solummodo S. Sedi competit, quae eam per *S. C. C.* elargitur. Attamen communiter etiam episcopis indulta huc spectantia conceduntur, de quorum tenore et extensione late disserit *Ben. XIV., de syn. l. 13. cap. ult.*

Addit quidem *Scavini (t. 3. tr. 9. annot.* Q. *Q. 1.)* alium casum, in quo episcopis etiam nunc vi juris communis reducendi facultatem competere ait, sed immerito, ut colligitur ex *Ben. XIV. l. c. n. 19.*

Pro remissione vero missarum praeterito tempore non celebratarum, pro quibus tamen stipendium vel reditus beneficii percepti sunt, *condonatio* petenda est, quae privative in genere Summo Pontifici reservata est, qui eam (praeter indulta, quae concedit — cf. v. g. *Ben. XIV. l. c. n. 34.*) immediate per se, vel per Poenitentiariam Apostolicam, nonnumquam per Congregationem Concilii, frequentius autem per Congregationem Fabricae S. Petri largitur rationabili de causa, parva eleemosyna (quam *compositionem* vocant) aliisque juxta circumstantias piis operibus injunctis et cum clausulis opportunis, praesertim vero illa: *dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem.* — *Ben. XIV. l. c. n. 15.*

cissim rogare ipsum, ut liberaliter applicare velit pecuniam oblatam ad hanc vel istam piam causam; sic ipsum habiturum duplicatum fructum, ordinarium scilicet missae, deinde cooperationis ad illam piam causam. — *Ita* expresse *Lacroix ib.*

2° Titius, sacerdos societatis, legere potest missas ad intentionem Sempronii, sacerdotis saecularis, huic relinquens stipendia, quae pro missis legendis acceperat, si stipendia multa jam recepta sint a Sempronio, qui nec ea restituere possit, nec satisfacere pro omnibus missis; Titius enim in istis circumstantiis censetur gratis et ex pura caritate legere, uti ex declaratione *Claudii Aquaviva* colligit *Sanchez, in decalog. l. 7. c. 28. n. 24.* — *Lacroix l. 4. n. 138.*

3° Si Titius, sacerdos societatis, non recipiat quidem stipendium, attamen circa illud disponat, v. g. dicat Cajo: Da stipendium huic pauperi, et ego ad intentionem tuam offeram sacrum; vel si dicat Sempronio: Tu accepta stipendium, ego loco tuo sacrum offeram, illicite agit, quia sic disponendo circa stipendium per quemdam quasi-contractum tacitum *facio ut des* virtualiter accipit stipendium illudque redonat alteri, quorum utrumque est contra votum paupertatis. — *Pellizarius* — *Lacroix l. 4. n. 138.* — *Sanchez etc.*

4° Si Paulus, vir societatis, pro capellano ex fundatione obligato in canenda missa suppleat, minime peccat, quamvis capellanus pro hoc munere suum proventum recipiat, quia de nulla re disponit. Idem dicendum est, si concionetur aut aliud munus exerceat pro aliquo, qui inde consueta justa percipiet. — *Lacroix l. 4. n. 139.*

5° Si Sempronius parochus, accepto jam stipendio, roget Titium, sacerdotem societatis, ut pro eo suppleat in missa legenda, Titius licite supplebit, modo nihil de stipendio disponat. — *Lacroix l. 4. n. 139.* — *Vasquez* — *Salas* — *Castropalao* contra *Sanchez.* — Ratio est, quia acceptatur stipendium a Titio nequidem virtualiter, cum nihil disponat circa illud, estque omnino indifferens illi, qui stipendium erogavit, a quonam missa legatur. — *Confirmatur:* Si Titius iturus Parisios in favorem Sempronii gratis ferret literas, ad quas ferendas Sempronius esset mercede conductus, utique Titius non ageret contra paupertatem, nec censeretur sibi acquirere et Sempronio donare illam mercedem. — Ergo similiter in nostro casu. — *Lacroix ibid.*

Dices: Sempronius non habet jus vel titulum retinendi illa stipendia, nisi mediantibus missis Titii; ergo Titius legens missas confert illi jus et titulum retinendi illa stipendia ac proinde idem est, ac si stipendia acceptaret et daret Sempronio.

Resp. Neg. anteced.; nam jus et titulum retinendi habet ex vi donationis onerosae sive contractus innominati *do ut facias,* quo obligatur ad missas legendas sive per se, sive per alium, quo onere levatur a Titio, qui tantum ponit missas velut conditionem, sine qua non posset Sempronius frui illo jure et titulo retinendi stipendia. — *Lacroix ibid.*

Dices iterum: Saltem obstat decretum tertium *Congregationis XII^ae* prohibens ipsimet generali, ne missas, quae ad ejus intentionem celebrantur per societatem, applicet secundum intentionem cujuscumque alterius, qui inde lucrum reportare posset(¹).

Resp. Neg. anteced.; nam in positivis non valet illatio a majori vel a pari, et rationes sunt, cur haec prohibeantur generali, non vero aliis, necessitates v. g. societatis etc. Ergo istud decretum quoad alios nihil facit. — *Lacroix ibid.*

380. — *Nota:* 1° Religiosi societatis, qui preces et missas praescriptas non persolvunt, per se loquendo non peccant,

(¹) Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. ult. n. 14.*

quia non datur rigorosum praeceptum; non est enim alia obligatio, nisi ex regula, quae *per se* sub peccato non obligat. — *Suarez* et *alii communiter*. — Attamen peccabunt superiores, si ex negligentia curam non habeant, ut designentur, qui missas celebrent vel orent, praesertim pro benefactoribus et fundatoribus. Sic responsum est *Romae anno 1604*. — Non satisfaciunt vero regulae, qui missas legendas per alios legunt, quia est onus personale. Sic responsum *provinciae Rheni sup. 1634*. — Attamen satisfacit rogans alium, ut vice sua hodie vel hac hebdomada celebret, ita ut ipse sit alio die vel alia hebdomada compensaturus. Item satisfaciunt, qui, praevidentes difficultatem pro hebdomada sequenti, nunc sacra hebdomadaria anticipant. — *Lacroix l. 6. p. 2. n. 168.*

2° Missae pro defunctis societatis injunctae non obligant sub mortali, sive determinentur per generales ordinis constitutiones, sive ex particularibus regulis, sive ex superiorum praescripto. Ratio est, quia ista habent tantum rationem simplicis mandati, nisi praeceptum obedientiae accedat. Sic ex judicio omnium, ut testatur *Pelliz. tom. 1. tract. 5. c. 9. n. 12*. — *Lacroix ibid. n. 169.*

3° Missae affixae tempori, v. g. quae legi debent qualibet hebdomada vel quolibet mense, si hoc tempore ob impedimentum vel morbum non potuerint celebrari, non necessario postea supplendae sunt, sed omitti possunt. Sic responsum est *prov. Rheni ann. 1585*. — Econtra, si ex negligentia omissae sint, postea suppleri debent. Sic responsum fuit *prov. Tolosanae ann. 1629*. — *Lacroix ibid. n. 172.*

4° Si missae vel preces indicantur ad tempus indefinitum, satis est, eas dicere ad duos vel tres menses. Sic responsum est *prov. Neapol. ann. 1603*. — *Lacroix ibid. n. 173.*

CAPUT IV.

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS.

ARTICULUS I.
DE TEMPORE CELEBRATIONIS.

Principia:

381. — I. Licet celebrare semel quotidie, imo laudabile est, nisi obstet celebrantis indignitas aut specialis Ecclesiae prohibitio. Prohibet autem Ecclesia, ne celebretur in die parasceves seu feria VI. hebdomadae majoris; item, ne plura sacra fiant in eadem ecclesia absque necessitate (¹) feria V. et sabbato ejusdem hebdomadae. Sic ex variis *Congregationis Rituum* decretis constat. — *S. Lig. n. 350.*

II. Non licet *ordinarie* celebrare nec ante auroram, nec post meridiem, nec ante officii matutini recitationem, secluso speciali privilegio. Sic enim in rubricis missalis habetur: *Missa privata saltem post matutinum et laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.* — Licet tamen missam ante auroram inchoare, modo non ante ipsam auroram terminetur. Licet pariter celebrationem ultra meridiem protrahere, modo saltem meridie incipiatur; tempus enim aurorae et meridiei non *mathematice*, sed *moraliter* accipiendum est. — *S. Lig. n. 341.* et *alii.*

III. Pariter privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum: alioquin enim privilegium parum prodesset. — *Ita S. Lig. n. 346.* et *alii communiter.*

Quaesita:

382. — Quaer. 1° *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram aut post meridiem?*

Resp. Affirmative, si multum praeveniat aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum: secus vero, si mutatio

(¹) Prohibentur hisce diebus (si pauca indulta Apostolica excipias) sacra privata, non obstante quacumque consuetudine. Exceptiones aliquas quoad feriam V. vide apud rubricistas. Si v. g. in coena Domini occurrat festum annuntiationis B. V. vel S. Joseph, episcopis jus competit et onus providendi, ut aliquae missae privatae ante solemnem non desint sicque populus praecepto audiendi missam satisfacere possit; item in parochiis, ubi sacrae functiones majoris hebdomadae peragi forte nequeunt, parocho, petita quotannis ab episcopo venia, ob populi commoditatem privatim celebrare permittitur etc. — Cf. *Gardellini — Acta vol. 1. p. 492.* — *S. Lig. n. 350. etc.*

sit levis, vel etiam, posita justa causa, ab omni culpa vacabit. Qualis autem censeatur immutatio notabilis? *Controvertitur*. Juxta communiorem et probabiliorem sententiam ut gravis non habetur, nisi celebratio hora integra ante vel post tempus ratum fixumque incipiatur. — *S. Lig. n. 346.*

Quaer. 2° *Quandonam liceat tempus celebrationis invertere?*(1)

Resp. 1° In necessitate, v. g. ut morituro ministretur viaticum, quo casu(2) liceret etiam media nocte celebrare; — 2° ubi est mos rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane possint sacrum audire; — 3° ex privilegio a Papa vel episcopo(3) concesso. — *Vide S. Lig. n. 343. et seq.*

383. — Quaer. 3° *Quale peccatum sit celebrare missam ante recitationem matutini?*

Resp. Probabilius est peccatum veniale tantum, quia non videtur deordinatio gravis in tali omissione, nisi ex contemptu et habitualiter absque justa causa fiat. Causa autem quaelibet mediocris ab omni peccato excusat. — *Ita S. Lig. n. 347.* cum *aliis communiter.*

Quaer. 4° *An liceat saepius in die celebrare?*

Resp. Negative generatim loquendo ex hodierna praxi Ecclesiae, licet olim prohibitum non fuerit. Constat ex variis locis juris can. et ex decreto *Ben. XIV. 16. Mart. 1746.*

Excipe: 1° In festo nativitatis Domini, in quo licet celebrare tres missas. — 2° Si pastor ante ablutionem moneatur de communicando infirmo et suam jam hostiam sumpserit, nec alius sacerdos jejunus reperiatur.(4) — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 351.*

(1) Quo major tamen inversio, eo gravior requiritur causa. Pro parva inversione quaelibet rationabilis causa sufficit. — *De Herdt t. 1. p. 1. n. 36. V.*

(2) juxta *plures* — *De Herdt l. c.*

(3) Cf. *S. Lig. n. 344. 7°.*

(4) Vix verisimile est, hanc 2am exceptionem aliquando contingere. — Cf.

An vero liceat plures missas celebrare in duabus parochiis diversis ex gravi causa, scil. ne fideles unius parochiae missa careant, cum alius sacerdos haberi nequeat? — *Resp. Affirmative* de licentia episcopi. Imo juxta *Benedictum XIV.* haec est causa convenientior, ut altera missae celebratio eidem sacerdoti eadem die ab episcopo permittatur. — Fuit autem reprobatus a *S. C. R.* abusus celebrandi pluries in eadem ecclesia, in qua jam plura sacra diversis horis facta fuerant.(1)

Ben. XIV., de sacr. missae sect. 2. n. 38. (al. *l. 3. c. 5. n. 3.*)

(1) *d. 22. Maji 1841. in Ambian.*

Licet itaque sacerdoti de jure communi duas missas eodem die celebrare in casibus *verae necessitatis (c.* Consuluisti (3.) *de celebr. miss. [III. 41.]).* Haec necessitas porro praesertim habetur, si sacerdos duarum parochiarum curam gerat, quae longo satis intervallo ab invicem dissociantur, ita ut populus utriusque parochiae vix aut ne vix quidem in unam ecclesiam ad audiendum sacrum se conferre possit *(Ben. XIV., de sacrif. missae sect. 2. n. 36. 37.; de syn. l. 6. c. 8. n. 2. 3.).* vel si duo populi in eadem parochia adeo sejuncti sint, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, vel tandem, si una quidem sit ecclesia, ad eam tamen universus populus insimul convenire non possit (Constit. *Declarasti nobis Ben. XIV. §. Ea potissimum),* modo in hisce casibus alius desit, qui missam celebret, res ab episcopo cognoscatur et approbetur et per aliud remedium canonicum, v. g. per alterius sacerdotis delegationem vel parochiae dismembrationem, hisce incommodis provideri nequeat. — Constit. *Declarasti nobis Ben. XIV. d. d. 16. Mart. 1746. — Anal. J. P. ser. 4. col. 1347. etc.*

Hoc jus vero sine speciali indulto Apostolico non est extendendum ad circumstantias, in quibus solummodo de commoditate fidelium agitur *(S. C. R. 22. Maji 1841. in Ambian.)* vel de sola consuetudine absque necessitate (Const. *Declarasti nobis);* item intelligi nequit nisi pro illis solis diebus festis, quibus populus missam audire *obligatur (Anal. J. P. ser. 4. col. 1346.):* exceptis missionibus semel tantummodo *(19. Sept. 1859. in Argentin.)* ejusmodi facultatem, toties ab aliis petitam et semper negatam, per Sedem Apostolicam ad quinquennium con-

384. — Quaer. 5° *An liceat in nocte nativitatis Domini celebrare omnes tres missas ante auroram?*

Resp. Negative. Id enim expresse prohibet rubrica missalis, quae sic habet: *Prima missa dicitur in nocte, secunda in aurora et tertia in die.* Constat etiam ex decretis *S. Congr. Rit.*, editis v. g. *20. Apr. 1641.* et *3. Dec. 1701.*, ubi dicitur, *non licere in media nocte nativitatis Domini post cantatam primam missam celebrare successive duas alias missas et communionem sacram exhibere.* — *S. Lig. n. 343.*(¹)

Quaer. 6° *Per quale temporis spatium missa lecta durare debeat?*

Resp. Regula generalis est, missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes taedio afficiantur, nec breviorem tertiae horae parte, secus celebrans difficulter poterit a mortali excusari, licet missa sit ex brevioribus, juxta illud distichon:

Uno si fuerit brevior tua missa quadrante,
Mortalis culpae crederis esse reus.

Rationem affert *S. Ligorius*, nempe quia in tam brevi spatio necessario committi debent duo graves defectus, alter gravis irreverentiae erga sacramentum, alter gravis scandali erga populum.(²)

385. — Quaer. 7° *Quantum temporis, peracto sacro, gratiis Deo agendis impendi debeat?*

Resp. Nulla datur regula omnino determinata. Sed benigniores quartam horae partem saltem requirunt. — *S. Ligorius* enixe suadet, ut saltem semihora in hoc pio exercitio impendatur a sacerdote, qui fidelibus exemplum praebere debet.(³)

---

cessam scimus pro festo suppresso, quod tamen nunc est festum civile. — V. etiam *Acta vol. 1. p. 7. et seq.*

Possunt utique praeter casus supra enumeratos etiam alii similes contingere, v. g. in missionibus (cf. *Ben. XIV., de sacr. missae s. 2. n. 39.*), quibus tamen communiter per indulta provisum est. —

Necessitate vero illa deficiente indultum Apostolicum requiritur, ut quis licite plures missas eodem die celebret, quale sacerdotibus Hispaniae pro die commemorationis omnium fidelium defunctorum concessum est. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 6. c. 8. n. 22.; de sacr. missae sect. 2. n. 31. et seq.;* ejusdem breve *Quod expensis d. d. 26. Aug. 1748.*

Huc pertinent etiam facultates, binationem, quam vocant, concedendi, a S. Sede factae episcopis, quibus tamen caute, solummodo ex gravissimis causis et rarissime utendum est; item cum analogia ad indulta magis specialia, quae Sedes Apostolica directe concedit. —

Quando vero plures missae licite celebrantur, fas non est, pro ceteris missis praeter primam stipendium accipere; imo, ne quidem parochus, qui legitime duas missas celebrat, sed unam tantum pro populo applicare obligatur, pro altera stipendium recipere potest, a qua regula aliquam dispensatum est. — *Acta v. 1. p. 9. 11. 13.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1343. 1350.* Nec licet ex decreto *S. C. C.* pro 2ª missa stipendium accipere, quod in piam causam ab episcopo applicetur. — V. *Archiv für kath. Kirchenrecht 1863. fasc. 3. p. 445.* Permittitur tamen juxta prudens episcopi arbitrium remuneratio intuitu peculiaris laboris et incommodi. — *Acta l. c. p. 15.* Item eleemosyna pro 2ª et 3ª missa in die nativitatis Domini permissa est, cum hic agatur de ritu ordinario et prohibitio specialis non exstet, liceitas potius ex verbis *Benedicti XIV.* in brevi *Quod expensis* §. *Scimus etiam* sufficienter colligatur. — Quoad stipendium pro missis, quas celebrare die 2°. Novembris sacerdotibus Hispanis indultum est, praeter breve *Quod expensis* cf. *Anal. J. P. ser. 6. col. 2276.*

(¹) In genere non sunt celebrandae missae privatae in festo nativitatis Domini ante auroram sine indulto Apostolico. — *S. C. R. d. 18. Sept. 1781.*

(²) „Exclamant concionatores, exclamant „scriptores recte docentes, quod missae „absolutio infra quadrantem non potest „excusari a culpa gravi; sed quot sunt ii, „qui curam habent haec vitandi? Hujus„modi corruptela non quidem calamo, sed „lacrymis esset persequenda, dum quoti„die cernimus maximam partem sacerdo„tum hoc tremendum sacrificium peragere „pejus, quam tractant res temporales le„vioris momenti, ita oscitanter, ut nullam „de tanto mysterio fidem habere videan„tur.“ — *S. Lig. n. 400.* (Nota auctoris.)

(³) „Curet *(confessarius)* insinuare *(poe„nitenti)*, ut post communionem immore„tur in gratiarum actione pro eo tempore,

ARTICULUS II.
DE LOCO CELEBRATIONIS.

Principia:

386. — I. Non licet communiter celebrare, nisi in ecclesia, eaque consecrata vel saltem benedicta, quae non sit polluta, exsecrata aut interdicta. Constat ex *concilio Trident. sess. 22. decr. de observandis et vitandis in celebratione missae.*

Nota: Quoad ecclesiam pollutam et exsecratam vide infra *Quaer. 2°.* et *3°.;* de ecclesia vero interdicta in *tract. de censuris* versus finem dicemus.

II. Licet tamen aliquando celebrare extra ecclesiam in altari portatili consecrato: 1° ex licentia vel dispensatione episcopi, interveniente gravi causa. Episcopi autem non possunt amplius concedere, ut olim, ad libitum licentiam celebrandi in domibus privatis vel in locis ad cultum non destinatis. Patet ex *Trident. sess. 22. decr. modo cit.* Possunt vero episcopi etiam post praefatum decretum permittere, ut missa celebretur in aedibus privatis etc., modo licentia non sit *perpetua* et *indefinita.* — Ita ex communi interpretatione(¹). — *S. Lig. n. 357. et 359.* post *Suarez etc.*

III. Aliquando etiam, urgente gravi necessitate, missa celebrari potest extra ecclesiam absque licentia episcopi, si ad ipsum recursus non patet; v. g. 1° si ecclesia esset diruta vel continere non posset immensam multitudinem, quae die festivo secus missa careret(¹); 2° si sacerdos longam pere-

---

„quo potest. Paucissimi sunt directores, „qui sedulo id faciunt, scilicet inculcare „suis poenitentibus, ut per aliquod nota„bile tempus post susceptam eucharistiam „gratias agant, et ratio est, quia paucis„simi sunt sacerdotes, qui post missae „sacrificium cum Jesu Christo in gratia„rum actione subsistant, et ideo pudet eos „aliis insinuare, quod ipsi non faciunt. „Gratiarum actio ordinarie per integram „horam durare deberet; fiat saltem per „dimidiam, in qua anima in amando et „petendo se exerceat. Dicit *S. Theresia,* „quod post communionem Jesus exsistit „in anima tamquam in throno misericor„diae, ut illi gratias elargiatur, dicens: „*Quid vis, ut tibi faciam?* Et alibi: „Post communionem non omittamus tam „praeclaram opportunitatem negotiandi. „Non solet sua divina majestas male re„pendere hospitium, si bene in anima ex„cipiatur.“ — *S. Ligorius, Praxis confessarii n. 155.* (Nota auctoris).

(¹) cui tamen non solum obstant innumerae decisiones *S. C. C.*, sed etiam constitutiones Pontificiae, v. g. encyclica *Pauli V.*, decretum *Clementis XI.*, encyclica *Benedicti XIV.* — Hinc generalem regulam jamdiu in jure can. fixam enuntiant verba *S. C. C.* in decisione data *23. Jan. 1847. in Monast.: „Non licere ulli episcopo hujusmodi licentias* (erigendi scil. oratoria privata ibique missae sacrificium celebrandi) *quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem transeunte; hanc facultatem esse soli Romano Pontifici reservatam etc.“*, et quidem quacumque consuetudine non obstante, ut ex citatis documentis abunde constat.

Non ignoramus quidem responsum *S. C. C. d. d. 20. Dec. 1856.* Ad quaesitum scil.: „An episcopus possit justa interveniente causa facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu?“ respondit: „*Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum.*“

Sed si casus magnae necessitatis determinare velimus, ex variis decretis ejusdem Congregationis facile deduci potest, hoc jus vix ad casus extendi posse, ubi necessitas *publica* non intervenit, sed intelligendum esse pro circumstantiis, sub quibus episcopi in genere oblationem missae extra loca a jure permissa concedere possunt. — Cf. *Anal. J. P. ser. 3. col. 615. et seq.* — *Ben. XIV., de sacrif. missae sect. 2. n. 42. 47.* (al. *l. 3. c. 6.*) Ne quidem, ut aegroto, qui sine viatico decessurus est, hoc sacramentum praebeatur, episcopi id permittere valent. — *S. C. C. 22. Sept. 1575.* Licet tamen in tali casu necessitatis celebrare in oratorio domestico ex indulto Apostolico erecto et domui infirmi proximo, etiam absente indultario, et exinde sacramentum ad aegrotum deferre. — *S. R. C. 27. Aug. 1836. n. 8. in Veron.* Nec episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis, quamvis in eorum dioecesi sitis, altare erigere permissum est, ut ibidem missam celebrent vel celebrare faciant. — Cf. *Ben. XIV., de sacr. missae s. 2. n. 45. 46.*

(¹) Concursus populi non est causa suf-

grinationem perageret per loca deserta vel apud infideles; 3° si exercitus esset in castris etc. Sic ex variis locis juris canonici apud *S. Lig. n. 359.* Si tamen in his casibus licentia ordinarii peti possit, semper postulanda est. — *S. Lig. n. 356.*

Quaesita:

387. — Quaer. 1° *In quibus oratoriis episcopi possint dare licentiam celebrandi?*

Resp. Permittere possunt, ut sacrum fiat in omni loco religioso et pio. Locus autem *religiosus* ille dicitur, in quo pietatis et misericordiae opera exercentur, cum episcopi aut alterius praesulis ecclesiastici auctoritate erectus fuerit. Talia sunt monasteria, quaelibet(¹) religiosae communitates, seminaria etc. Locus vero *pius* ille vocatur, qui ad pietatis et misericordiae opera constitutus est et deputatur, etiam sine episcopi aut ecclesiastici praesulis auctoritate. Unde hospitalia et orphanotrophia quaelibet haberi debent ut loca pia, in quibus proinde episcopus permittere potest erectionem oratorii, etiamsi a potestate civili haec erecta et constituta fuerint. — Sic *S. C. C. 27. Mart. 1847.*(²)

388. — Quaer. 2° *Quomodo ecclesia polluatur, et quomodo reconciliari debeat?*

Resp. ad 1um: *Polluitur* seu *violatur* ecclesia, quando in ea exercentur actiones quaedam turpes vel indecentes et loco sacro injuriosae, ob quas indecens reputatur, ut ibi offeratur hostia immaculata et divina officia celebrentur, donec reconcilietur.

Polluitur autem ecclesia: 1° Per homicidium voluntarium et injustum. — 2° Per effusionem sanguinis hominis ex percussione aut vulnere graviter injurioso.(¹) — 3° Per effusionem humani seminis notabilem et voluntariam(²). — 4° Per sepulturam non baptizati seu infidelis. Excipe probabilius, si sit catechumenus, quia non censetur infidelis. Item, si sit infans, cujus parentes sunt christiani; quia tunc parentes pro ipso baptismum desiderant(³). — *Ita Pichler — Gousset n. 310.* contra *plures.* — 5° Per sepulturam baptizati nominatim excommunicati; non vero, si sit quidem excommunicatus, sed non nominatim vel haereticus(⁴). De his constat ex variis locis juris canonici. — *Vide S. Lig. n. 362. et seq.* — Sed ut ecclesia censeatur polluta, haec crimina debent

---

ficiens sine dispensatione superioris ecclesiastici. — *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Missa *art. 4. n. 4. Nota.*

(¹) Hinc etiam domus communitatum foeminarum, quae sunt erectae auctoritate episcopi, licet clausuram non servent — Cf. *Anal. J. P. ser. 5. col. 928.*

(²) Idem dicendum de capellis carcerum publicorum *(S. C. C. 14. Nov. 1648.)* et in genere de oratoriis publicis. Oratoria autem non exsistentia in loco religioso vel pio praesertim ex eo, publica dicuntur, quod ad usum omnium destinata sint, quin ullus privatus jus habeat impediendi ingressum et quin communicatio cum domibus particularibus (v. g. per portam vel fenestram) adsit. Ingressus vero omnibus patere dicitur, si via, quae ad oratorii portam fert, publica sit vel per se vel quia consuetudo legitima omnibus jus confert, dictam viam frequentandi etc., dummodo porta revera *publico* usui inserviat. Ita ex variis decisionibus *S. C. C.* Oratoria hujuscemodi porro episcopus, si aliae canonicae conditiones non deficiant, ad cultum divinum dicare in iisque celebrationem missarum permittere potest. Imo, non raro, si aliqua conditio non verificetur, indultum a Sede Apostolica conceditur, ut capella nihilominus juribus oratorii publici fruatur. — *Anal J. P. ser. 3. n. 615. etc.* — Cf. etiam *p. 1. n. 348.*

(¹) Requiritur vero, ut is, in quem talis saevities exercetur, *in ecclesia ipsa* eam patiatur, licet forte vulnerans extra ecclesiam sit, vel licet effusio sanguinis fiat mors extra ecclesiam sequatur. — *S. Lig. n. 364. Quaer.* — *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Ecclesia *art. 4. n. 35. 40. 41.*

(²) etiam per actum conjugalem, nisi necessitas id cohonestet. — *Ferraris l. c. n. 49.*

(³) Plurimi tamen contradicunt. — Cf. *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Ecclesia *art. 4. n. 52.*

(⁴) non denuntiatus nominatim. — *S. Lig. n. 366.* — *Ferraris l. c. n. 54.*

esse notoria, ita ut nullo modo celari possint. Debent etiam patrari in ipsa ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, in sacristia aliisve cameris ecclesiae adhaerentibus(1). — *S. Lig. n. 362. 364.*

389. — *Resp. ad* 2um: 1° Si ecclesia fuit tantum *benedicta,* reconciliari potest a sacerdote delegato ab episcopo cum orationibus consuetis ad benedictiones et aqua ab ordinario benedicta. Si tamen talis aqua facile non haberetur, ab ipso sacerdote delegato ad ecclesiam reconciliandam benedici posset. — *S. Lig. n. 363.*(2)

2° Si vero ecclesia illa fuerit *consecrata,* reconciliari debet ab ipso episcopo vel a sacerdote delegato a Papa juxta ritum Pontificalis Romani. Attamen, si non possint omitti divina officia sine gravi incommodo, episcopus aliquo impedimento detentus delegare posset sacerdotem ad ecclesiam benedicendam simplici benedictione, donec ipse eam consecrare possit.(3) — *Cabassut. etc.*

(1) Cf. etiam *p. 1. n. 285. Q. 2°. not. 2.*

(2) Juxta *S. R. C. d. d. 20. Jun. 1626. in Camerac., Ben. XIV. (de syn. l. 13. c. 15. n. 2. versus finem), Reiffenstuel (l. 3. tit. 40. n. 28.) etc.* ecclesia *simpliciter benedicta* et polluta, nulla praeobtenta delegatione, per simplicem sacerdotem adhibita aqua benedicta, quam sanctam vel lustralem vocant, reconciliari potest. Nihilominus praeter necessitatis casum non recedendum putamus a rituali romano, per ipsum *Benedictum XIV.* aucto et castigato, quod in *ritu reconciliandi ecclesiam violatam, si nondum erat ab episcopo consecrata,* sacerdotem „ab episcopo delegatum" requirit.

(3) *Benedictus XIV.* loco modo citato hujus exceptionis mentionem non facit. Conceditur tamen aliquando episcopis facultas, ad hunc actum (adhibita tamen regulariter aqua per episcopum benedicta) simplices sacerdotes delegandi. — *Ben. XIV. ib. n. 5.* — *Facultates quinquenn. episc. Germ. concessae n. 11.*

S. Ligorius vero *(n. 361.)* in tali casu cum licentia episcopi, si haberi potest, celebrari posse ait, nec dissentit *Benedictus XIV., de sacr. missae s. 2. n. 53.* (al. *l. 3. c. 7. n. 4.).* Nequit tamen ecclesia per hoc reconciliata dici. — *S. R. C. 19. Aug. 1634. in Oppid.*

Nota: Oratoria privata, licet benedicta(1) et ad cultum deputata, non censentur pollui et ideo reconciliatione non indigent.

390. — Quaer. 3° *Quomodo ecclesia exsecretur, et ad cultum idonea reddatur?*

Resp. 1° Ecclesia exsecratur, cum amittit suam benedictionem vel consecrationem. Censetur autem exsecrari, quando totaliter vel ex maxima parte corruit vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex majori parte, aedificari debeat, aut si omnis parietum crusta vel major saltem pars simul auferatur. — *S. Lig. n. 368.*

Resp. 2° Ecclesia exsecrata iterum benedicenda vel consecranda est juxta ritum et formam praescriptam pro benedictione vel consecratione ecclesiarum.

Nota 1° Vasa sacra, altaria et aliae res consecratae exsecrantur, quando formam suam amittunt nec amplius ad usum suum inservire possunt.

Nota 2° Ex dictis patet, quale sit discrimen inter pollutionem ecclesiae et ejus exsecrationem. Polluta ecclesiae parte, integra ecclesia pollui censetur, etiam cum coemeterio adjacente. Econtra, exsecrata ecclesia non ideo exsecratur coemeterium, nec altaria fixa et integra consecrationem amittunt.

Nota 3° Altare fixum consecrationem amittit, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur. — Sic *S. Congr. Rit. 15. Maji 1819. in Senogall.*(2) Altaria sive portatilia, sive fixa suam consecrationem amittunt per fractionem tumuli, in quo reconduntur sacrae reliquiae, et per earumdem amissionem. — Sic *S. Congr. Rit. 23. Maji 1835. in Constant.*(3) Nec sufficit, absque nova con-

(1) Oratoria privata numquam benedici possunt ritu pro publicis oratoriis praescripto; possunt tamen benedici benedictione loci vel domus novae, quae habetur in rituali rom. etc. — *De Herdt, S. Lit. prax. t. 3. p. 6. n. 42. I.*

Si autem tale oratorium de facto ad modum publici benedictum fuerit, privilegiis oratorii publici gaudere videtur. — Cf. *Anal. J. P. ser. 3. col. 653.*

(2) Idem dicendum quoad altaria cum integra mensa lapidea, si fractura mensae sit enormis. — *S. R. C. 13. Mart. 1821. in Carp.*

(3) *Quaer.:* Utrum altaria portatilia consecrationem suam amittant, quando fra-

secratione in illis tumulari alias reliquias authenticas, sed altaria denuo sunt consecranda. — Sic *S. Congr. Rit. 7. Dec. 1844. in Vivarien.*

CAPUT V.

DE MODO CELEBRANDI.

1° de requisitis ad missam; 2° de rubricis.

ARTICULUS I.
DE REQUISITIS AD MISSAM.

391. — Haec requiruntur: 1° altare lapideum, ab episcopo consecratum(¹); 2° mappa triplex ex lino vel cannabe confecta; 3° vestes sacrae seu ab episcopo benedictae(²); 4° calix et patena consecrata; 5° corporale lineum vel ex cannabe, ab episcopo benedictum; 6° palla pariter linea vel ex cannabe; 7° purificatorium lineum; 8° missale cum pulvillo; 9° crucifixus, non vero sola crux; 10° candela duplex(³) accensa ex cera; 11° bursa, velum, manutergium, urceoli; 12° minister masculus.

Quaesita:

392. — Quaer. 1° *An mappae necessario debeant esse benedictae?*

Resp. Affirmative probabilius(¹). Ratio est, quia id in rubrica praescribitur. *Negant* tamen plures *non improbabiliter.* Celebrare autem supra mappam non benedictam, culpam venialem non excedit, et proinde urgente rationabili causa hoc omni culpa careret. — *S. Lig. n. 375.*

Quaer. 2° *An sit mortale celebrare sine ulla veste sacra, aut sine stola, alba, casula, manipulo vel cingulo?*

Resp. 1° Est mortale, celebrare sine ulla veste sacra in omni casu ex quacumque causa. — *Ita omnes.* — 2° Item celebrare sine casula, vel alba, aut stola et manipulo simul. — 3° Probabiliter non est mortale, celebrare sine manipulo vel sine manipulo benedicto. Item celebrare sine amictu, saltem pro iis, qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Idem etiam dicendum de celebratione sine cingulo; unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.(²)

---

ctum est sigillum, quod reliquiis in sepulchro inclusis apponitur: an tantum, quando, ut loquuntur theologi, fractum est sepulchrum?

Resp.: Quoad primam partem *negative, nisi fractum sit sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam solummodo, si hoc amotum fuerit.* Quoad secundam partem *provisum in prima.* — *S. R. C. d. 23. Sept. 1848. in Bituric. (Verordnungsblatt für das Bisthum Regensburg 1859 p. 46.)*

(¹) vel fixum, vel portatile —

(²) *Certo* benedici debent corporale, amictus, alba, manipulum, stola, casula (et, uti nobis videtur, mappae); *probabilius* vero etiam cingulum et palla. Quoad cetera paramenta sacro ministerio propius inservientia benedictio in genere conveniens quidem est, sed non de praecepto. Amittunt vero dicta paramenta benedictionem ideoque de novo benedicenda sunt, si evadant ita lacera vel usu trita, ut morali hominum aestimatione ad finem suum adhiberi non possint, vel si amittant formam essentialem etiam per brevissimum tempus, ita ut stante hac separatione suo usui inservire nequeant: hinc etiam, si uno actu addatur pars, quae sit major parte benedicta, non autem, si reficiantur paulatim per partes minores. — *De Herdt, S. Lit. pr. t. 1. p. 1. n. 54.*

(³) Si missam celebrent sacerdotes quicumque episcopo inferiores, non licet in missis privatis plures quam duos cereos accendere, nisi solemnitas quaedam extraordinaria vel expositio Sanctissimi majorem numerum postulet. — *De Herdt, S. Lit. pr. t. 1. p. 1. n. 59. III.* Permittuntur etiam ex decisionibus *S. R. C.* plus quam 2 cerei in diebus solemnioribus pro missa lecta parochiali aut communitatis *(12. Sept. 1857. in Molin. ad d. 9.)* et magistratu interessente missae privatae, dummodo incedat in habitu consulari. *(10. Sept. 1718. in Velitern. ad 5.)*

(¹) imo *certo,* cum non appareat ratio sufficiens contra rubricam ajentem: *Hoc altare operiatur tribus mappis . . ., ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis.*

(²) Una est auctorum omnium sententia, culpae mortalis reos esse, qui cum ornatu sacerdotali notabiliter immundo et lacero missam celebrant, nulla admissa necessitatis causa. — Ita *Scav.* ex decreto *Pii VI. 25. Dec. 1775.*

393. — Quaer. 3° *An color vestium sit de praecepto?*

Resp. Affirmative, quia omnes rubricae, quae respiciunt caeremonias missam concomitantes, praeceptivae videntur. Attamen haec rubrica obligare sub gravi non videtur, nisi scandalum adsit, puta, si die paschatis vel in alia solemnitate missa festiva celebraretur vestibus nigris. — Hinc causa non adeo gravis a praecepto excusare potest. — *S. Lig. n. 378. Dub. 5.*

Quaer. 4° *Quinam colores in paramentis requirantur?*

Resp. Requiruntur paramenta *albi, rubri, viridis, violacei* et *nigri* coloris. — Omnino reprobantur paramenta ex telis sericis et vitreis confecta. — Sic *S. Congr. Rit. 11. Sept. 1847. in Atrebatensi.* — Pariter reprobantur paramenta varii coloris, quae propter flores cujusque coloris immixtos non pauci volunt omni festo posse adhiberi. Haec *S. Congr. Rit.* prohibuit *die 23. Sept. 1837. in Mutin. sub VIII. 2.*, ita ut illum colorem tantummodo repraesentare possint, qui primarius est et praedominans.

Prohibentur omnino paramenta *flavi* et *caerulei* coloris. — Sic *S. Congr. Rit. 16. Mart. 1833. in Veron. sub 4.* Permittuntur tamen paramenta ex aurea tela *(drap d'or)*, quae juxta usum *Urbis* pro albo colore adhibeantur, si solus sit color aureus.(¹) Si vero alius color legitimus esset praedominans, pro illo colore paramenta aurea vel argentea inservire possunt. Sic respondit *Card. Praef. S. Congr.*

394. — Quaer. 5° *An calix et patena sub gravi vel sub levi tantum consecrari debeant, et ex quanam materia sint conflanda?*

Resp. ad 1um: Consecrari debent *sub mortali;* praeceptum enim circa rem gravem versatur. — *S. Lig. n. 379.* — *Gousset n. 323.*

(¹) Vide etiam decis. *S. R. C. d. d. 29. Mart. 1851. in Adrien. ad 5.*

Resp. ad 2um: Ex praesenti disciplina cuppa saltem calicis debet esse aurea vel argentea, intus inaurata. In casu vero necessitatis calix ex stanno vel ex cupro adhiberi posset(¹). — Patena esse debet ex auro vel argento(²) inaurato.

Quaer. 6° *An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio pereat?*

Resp. Affirmative. Igitur post novam deaurationem consecratione nova indigent. Sic ex recenti declaratione *S. Congr. Rit. die 14. Junii 1845.*(³) Hinc dirimitur controversia theologorum, quae in antecessum exsistebat.

Nota: Est abusus, quod sacerdos exsecrare velit praedicta sacra, antequam ea reficienda vel iterum refundenda tradat artifici. Debent ergo tradi, si opus sit, quin sacerdos vel directe manu, vel aliquo mediante instrumento conetur ea exsecrare. — Sic *S. Congr. Rit.* in decreto gen. *die 20. April. 1822.*

395. — Quaer. 7° *An alba, amictus, mappulae, corporale, purificatorium, palla necessario debeant esse ex lino vel cannabe?*

Resp. Affirmative quoad omnia. Sic ex praxi et praecepto Ecclesiae. — Attamen ex decreto generali *S. Congr. Rit. die 15. Maji 1816.* *amictus, albae, tobaleae, mappulae,* si quae ex gossypio habentur, adhiberi interea possunt, usquedum consumantur; sed cum renovandae sunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe. Sed *corporalia, pallae, purificatoria* post lapsum unius mensis a publicatione hujus decreti linea omnino essse debent vel ex cannabe.

(¹) cujus tamen cuppa sit inaurata. — *De Herdt, S. Lit. pr. t. 1. p. 1. n. 55. I.*

(²) Juxta *Quarti* potest esse ejusdem materiae ac calix. — *De Herdt ib.*

(³) Ad quaesitum: Utrum calix et patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione? — Sacra Congregatio respondendum censuit *die 14. Jun. 1845. in Leod.: Affirmative: amittere nimirum et indigere juxta exposita.* — (Nota auct.)

396. — Quaer. 8° *An pyxis necessario consecrari debeat?*

Resp. Negative cum sententia veriori et communi(¹). Ratio est, quia in rituali romano benedictio pyxidis adnotatur inter res, quae non indigent unctione chrismatis. — *S. Lig. n. 384.*

Juxta tamen probabiliorem sententiam in praxi consulendam pyxis benedici debet. Hoc est conforme rubricae et rationi. — Idem dicendum est de circulo seu lunula, ubi reponitur hostia consecrata, cum exponitur in ostensorio. — *S. Lig. n. 385.*

Quaer. 9° *Quale peccatum sit, celebrare cum corporali non benedicto?*

Resp. Hoc excusari nequit a mortali, nisi urgeat gravis necessitas celebrandi. In casu necessitatis posset etiam sine corporali celebrari(²). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 387.* Pariter mortale est, uti corporali valde immundo; veniale vero erit, si non sit valde immundum. Imo in necessitate, nempe si urgeat praeceptum audiendi sacrum, nullum esset peccatum. — *S. Lig. n. 376.*

397. — Quaer. 10° *An sit mortale celebrare sine palla, vel cum palla non benedicta?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis affirmat.* Ratio est, quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur: unde, licet nunc separata a corporali, aeque necessaria est, ac illud.

IIª Sententia etiam *probabilis negat.* Ratio est, quia hodie non eadem currit ratio reverentiae pro palla, ac pro corporali, quod immediate sacras species tangit. In necessitate, palla deficiente, purificatorium aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest. — *Vide S. Lig. n. 388.*

Quaer. 11° *An liceat uti palla panno serico cooperta, et auro contexta?*

Resp. Affirmative. Licet enim id prohibitum fuerit, postulantibus pluribus Galliae episcopis subinde concessum est.(¹)

Quaer. 12° *An purificatorium sit benedicendum?*

Resp. Negative cum sententia communiori et probabiliori. Ratio est, quia in rituali nulla adest benedictio propria purificatorii, sicut nec veli, nec bursae. Imo, si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter licitum est, celebrare sine eo ejusque loco adhibere strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. — *S. Lig. n. 389.* — *Suarez* — *Gavantus etc.*

398. — Quaer. 13° *Quale peccatum sit celebrare sine ministro?*

Resp. Est mortale juxta omnes. Attamen communiter dicunt doctores, licitum esse, celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi viaticum. Idem concedunt plures, ut populus audiat missam de praecepto. — *Ita Lugo* — *S. Lig. n. 391. etc.*

Quaer. 14° *An sacerdos aliquando celebrare possit respondente muliere?*

Resp. Affirmative, si necessitas urgeat, praesertim apud moniales, modo mulier respondeat a longe, nec immediate ministret in altari porrigendo urceolos etc.; hoc enim non posset excusari a mortali, quia Ecclesia omnino interdicit mulieribus celebranti ministrare. — *S. Lig. n. 392.* — Confirmatur decreto *S. Congr. Rit. die 27. Aug. 1836. in Veron. sub X.*(²)

(¹) Cf. *notam* ad *n. 311. Q. 2°.*

(²) Juxta *Quarti* nonnisi in casu extremae necessitatis vitae. — *De Herdt t. 1. p. 1. n. 52. II.*

(¹) Postulatum. An, non obstantibus decretis a *S. Congr. Rit.* editis, liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta et auro contexta? — Respondit S. Congregatio: *Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa.* — *Die 10. Jan. 1852. in Cenom.* (Nota auct.)

(²) Postulatum. Potestne sacerdos, omnibus prius sibi commode dispositis,

399. — Quaer. 15° *An sit mortale celebrare sine cruce, et qualis crux esse debeat?*

Resp. ad 1um: *Negative;* hoc enim grave non apparet. — *Ita communiter theologi.*

Resp. ad 2um: Crux, quae requiritur in celebratione missae, non debet esse exigua, sed proëminere inter candelabra, ita ut sacerdos et populus facile et commode eam intueri possint. — Sic *Bened. XIV.* Constit. *Accepimus 16. Jul. 1746.* — Si in altari, in quo missa celebratur, adest magna statua crucifixi, haec sufficit, quin ponatur alia crux in medio candelabrorum. — *S. Congr. Rit. 16. Jun. 1663. in Rossan.* — Si missa celebratur in altari, ubi ss. sacramentum publice fuit expositum, crux ponatur vel non juxta locorum consuetudinem. — *Ita Ben. XIV. in constit. modo cit.*(1)

400. — Quaer. 16° *Quale peccatum sit celebrare sine lumine, et an aliquando licitum sit?*

Resp. ad 1um: Mortale est, celebrare sine ullo prorsus lumine. Veniale autem tantum erit, cum uno solo cereo accenso celebrare. — *Ex cap.* Literas (ult.) *de celebratione missarum (III. 41.)* — *S. Lig. n. 394.*

Resp. ad 2um: In casu unico licitum est sine ullo lumine sacrum peragere, scilicet quando peracta consecratione lumen exstinguitur nec aliud haberi potest; tunc enim urget ratio perficiendi sacrificii. Hinc 1° non licet celebrare sine lumine, ne ad viaticum quidem moribundo ministrandum; 2° si ante consecrationem lumen deficiat, a celebratione desistendum est. — *S. Lig. n. 394.*

Quaer. 17° *An liceat celebrare cum candelis ex sebo, vel uno lumine cereo?*

Resp. ad 1um: *Negative*, excepto casu necessitatis. Doctores communiter hoc ut peccatum mortale reprobant. — *S. Lig. n. 394. Dub. 1.*

Resp. ad 2um: *Negative* pariter cum sententia communiori et probabiliori. Sed, si fiat, veniale non excedit, et quaecumque causa rationabilis ab omni culpa excusabit: deficiente altero cereo sacerdos etiam ex mera devotione celebrare poterit. — *S. Lig. ibid. Dub. 2.*

401. — Quaer. 18° *An saltem licitum sit, perseverare in usu novarum candelarum ex stearina* (stéarine) *confectarum?*

Resp. Negative prorsus. Constat ex duplici declaratione *S. Congr. Rit.*, scilicet *die 16. Sept. in Massilienn* et *7. Sept. 1850. in Divion.*(1)

ARTICULUS II.
DE RUBRICIS.

402. — Maxima cura et sollicitudine sacerdotes servare debent leges Ecclesiae, quae spectant ad modum missam celebrandi, cum inter res sacras omnium est sacratissima ideoque summa reverentia et veneratione digna. Hac de re audiendus est *Clemens XI.* in *epistola encyclica ad omnes orbis episcopos die 10. Martii 1703.*:

„Majori super dicendi modum dili„gentia ac studio curare debet (epi„scopus), ut missae sacrificium, quo „nihil sanctius, nihil divinius excogi„tari potest, per solos presbyteros „celebretur, non tantum ea puritate, „quae ipsos decet, qui singulis diebus

---

quae ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis? — Sacra Congr. Rit. respondit: *Affirmative, urgente necessitate.* — (Nota auct.)

(1) Cruces altarium seu processionum non sunt benedicendae de praecepto. Potest tamen simplex sacerdos eas benedicere privatim, sed non solemniter. — *S. R. C. 12. Jul. 1704. in Urbis.*

(1) Petebatur scil. 1850 pro dioecesi Dijon facultas continuandi usum candelarum ex stearina confectarum. S. C. respondit: *Nihil innovetur. (Corresp. de Rome p. 198.)* Aliam decisionem *d. d. 7. Sept. 1850. pro missionibus in Oceania* v. apud *Gardellini.*

atri coeleste holocaustum Uni-
Filii, qui nostram mortalitatem
, offerunt, verum etiam sacras
ionias in rubricis praescriptas
pieque observent. Id etiam
ario requiritur ne sacerdos in-
omines Deumque positus ad
iracundiam sedandam, si ne-
ter immodesteque suo munere
ur, Deum magis irritet."

Quaesita:

— Quaer. 1° *An omnes ru-
missae sint praeceptivae?*

. 1° Rubricae, quae servantur
nissam, sunt omnes *praecepti-*
ta communem sententiam, cum
eo sacram respiciant. Obligant
sub gravi vel *sub levi* pro
e vel levitate materiae, ut in-
etur. — *S. Lig. n. 399.*(¹)

. 2° Rubricae vero, quae ser-
extra missam, i. e. ante vel
rum, habentur communiter ut
irectivae ut sunt v. g. ora-
ro praeparatione vel gratiarum
; possunt enim aliae orationes
. *Controvertitur* tamen quoad
es, quae ex rubrica recitandae
duendo vestes; sed tenendum
S. Lig. n. 410. Dub. 3., cum
ni sententia, earum omissionem
nialiter culpabilem. Plures ta-
nent cum *Suarez*, hanc omis-
omni culpa vacare.

— Quaer. 2° *An sacerdos
s celebrare possit, licet omnes
s observare nequeat?*

. *Affirmative*, si paucas et
tantum omittat, imprimis si
1 celebret. Imo plures gravis
uctores permittunt infirmo ce-
, ut etiam baculo utatur, si
. etc.(²)

Quaer. 3° *An usus parvi coch-
learis pro aqua in calicem infun-
denda sit omnibus licitus?*

Resp. Servandam esse rubricam. —
Sic *S. Congr. Rit. 7. Sept. 1850. in
Rupellen. ad 13.*

Quaer. 4° *Sacerdos, ss. eucha-
ristiam fidelibus distribuendo, potest-
ne eorum mento patenam supponere
eadem manu, qua pyxidem tenet?*

Resp. Negative. — *S. Congr. Rit.
12. Aug. 1854. in Lucion.*

405. — Quaer. 5° *Quamnam
missam legere debeat sacerdos cele-
brans in altera ecclesia?*

Resp. En *S. Congregationis Rit.*
de hac re decisiones

1° Servetur decretum *in Varsavien.
die 7. Maji 1746 ad 13.*, nimirum
missam concordare debere cum officio,
quod quis recitavit, dummodo cum
colore ecclesiae, in qua celebrat, apte-
tur. — *12. Novemb. 1831. in Mars.
ad 31.* Alioquin quando est duplex,
tunc celebrari debet de sancto cujus
particularis illa ecclesia celebrat offi-
cium. — *7. Maji 1746., ut supra.*

2° Sacerdos in alia ecclesia cele-
brans non potest dicere missam voti-
vam cum colore hujusce ecclesiae of-
ficio convenienti, nisi quando ritus
praefatae ecclesiae id permittat. —
11. Sept. 1847. in Lugdun.

3° In oratoriis privatis missa debet
semper concordare cum officio cele-
brantis. — *S. Congr. Rit. 12. Nov.
1831. in Mars. ad 31.*(¹)

---

etiam decis. *S. C. R. d. d. 10.
690. in Mediolan. sub fine.*
ec refert et approbat *S. Lig. n.*
Dicit *Lacroix n. 402* cum *Vas-
Dicastillo* et *Gobat*, eum, qui non
celebrare sine baculo, licite posse
. Additque *Gobat*, quod, si quis
t celebrare, nisi utroque brachio
„super altari innixo, licite sic celebraret
„privatim, non autem publice, nisi hoc
„faceret ex necessitate. Hoc tamen puto
„non excedere veniale, a quo videtur ex-
„cusari posse, qui ob infirmitatem nequi-
„ret rectus stare et ex sua devotione vel-
„let celebrare modo vitetur populi ad-
„miratio. Dicunt etiam *Lacroix n. 427.*
„et *P. Concina p. 510. n. 4.*, quod, si
„quis non possit elevare hostiam, sed
„possit reliqua, potest celebrare privatim,
„et etiam publice, si adsit necessitas et
„populus moneatur; sed puto satis esse,
„populum tantum monere, si quis ex de-
„votione celebret." — (Nota auctoris.)

(¹) Specialiora vide apud rubricistas.

406. — Quaer. 6° *Licetne orationes addere praeter orationes a rubrica assignatas vel permissas?*

Resp. Negative. Sic declaravit *S. Congr. Rit. 12. Aug. 1854. in Lucionen.*(1)

Quaer. 7° *Utrum in missa quotidiana defunctorum liceat orationes alias subrogare pro his, quae in missali apponuntur?*

Resp. Ultimo loco semper dici debet oratio *Fidelium omnium* (S. Congr. Rit. 2. *Sept. 1741. in Aquen. ad 4.)* et quoad primam orationem *servetur ordo missalis* (i. e. dicatur semper: *Deus qui inter apostolicos). — S. Congr. Rit. 27. Aug. 1836. in Veronen. ad 7.* Variari autem potest secunda oratio *Deus veniae largitor,* cui subrogabitur alia, v. g. pro eo, pro quo applicatur missa etc. — *S. Congr. Rit. 23. Sept. 1837. in Mutinen. sub 11.*

407. — Quaer. 8° *An aliquando liceat missam interrumpere?*

Resp. 1° Numquam licet missam interrumpere *essentialiter* seu ita, ut sacrificium inceptum remaneat truncatum, nisi aliter omnino fieri nequeat, ut in casu imminentis incendii aut hostis ad necandum irruentis tunc enim sacerdos posset sumere hostiam jam consecratam vel eam secum auferre effugiendo, omissa calicis consecratione. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si possit, vel, si non possit, secum auferat in loco vicino citissime sumendam. — *S. Lig. n. 352. et seq.*

Resp. 2° Licet interrumpere *accidentaliter* seu aliquid interponendo justa de causa *ante canonem,* scilicet: 1° Ob concionem post evangelium, ob preces pro defunctis recitandas, ob proclamationes bannorum faciendas vel ob processionem excipiendam etc. — 2° In gratiam supervenientis principis vel turbae peregrinorum die festo, si alias missam audire nequeant. Tunc, si oblatio facta non fuerit, sacerdos de novo incipere potest, ut totum sacrum audiant.(1) — 3° Si sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. g. se non esse jejunum vel in statu gratiae, vel esse irregularem, modo missa sine scandalo aut infamiae nota relinqui possit. — *S. Lig. ibid.*

Resp. 3° Non autem licet interrumpere etiam accidentaliter *incepto canone,* et a fortiori *peracta consecratione,* nisi gravissima de causa, v. g. si moriturus sit baptizandus vel absolvendus Non autem licet alia sacramenta ministrare inter consecrationem et communionem, quia non sunt tantae necessitatis. Attamen s. viaticum ministrari posset moribundo, qui esset in propinquo ita ut sacerdos vestes sacras exuere non deberet.(2) — *S. Lig. ibid.*

408. — Quaer. 9° *Quid agendum, si sacerdos morbo vel morte correptus sacrum perficere nequeat*

Resp. 1° Si sacerdos deficiat ante consecrationem nihil ab alio sacerdote agendum est, quia sacrificium non fuit proprie inceptum.

Resp. 2° Si vero deficiat post consecrationem etiam unius tantum speciei, tunc alius sacerdos jejunus, si adsit, supplere debet; si non adsit jejunus, alius etiam non jejunus suppleat sacrum perficiendo, quia praeceptum de integritate sacrificii procuranda validius urget. Imo etiam sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere deberet. Attamen, si statim alius sacerdos inveniri non posset, interjecta una hora probabiliter non amplius foret quaerendus, quia deesset unio moralis et proinde non censeretur idem

(1) V. *Anal. J. P. ser. 2. col. 2188.*

(1) Cf. *Ben. XIV., de sacr. missae s. 2. n. 119.* (al. *l. 3. c. 14. n. 16.)*

(2) Si celebrans pro viatici administratione *intra missam* altare e conspectu suo amittit, haec administratio non licet. — *S. R. C. 19. Dec. 1829. in Florent. ad 1.*

sacrum. Si autem sacerdos morbo correptus sacrum perficere valeat post aliquam interruptionem, melius est, ut ipse suppleat, quam alius, etiamsi jejunus non esset. — *S. Lig. n. 355.*

Quaer. 10° *An sacerdoti celebranti missam assistere possit presbyter stola aut pluviali indutus?*

Resp. Negative 1°, si agitur de missa privata, etiam novi sacerdotis prima vice celebrantis. — *S. Congr. Rit. 11. Mart. 1837. in Mathelic.* — 2° *Negative* pariter, si agitur de missa solemni. — *S. Congr. Rit. 15. Mart. 1721. in Pistor.* Excipiuntur tamen canonici, quando solemniter loco episcopi celebrant, aut quando ipsis suffragatur immemorabilis consuetudo. Sic *S. Congr. Rit.* pluries.

Resolves:

409. — 1° Celebranti illicitum est celebrare capite cooperto. Probabile tamen est, non esse illicitum celebrare cum pileolo *(calotte)* excepto canone et ex rationabili causa(¹), si celebretur in loco privato vel si causa ita celebrandi adstantibus sit manifesta. — *S. Lig. n. 397.*

2° Illicitum est de jure communi celebrare cum capillatione ficta *(perruque)*, idque sub poena suspensionis a divinis officiis. Ita ex decreto *Innocentii XI.*, ubi etiam prohibetur episcopis et nuntiis Apostolicis, hanc concedere licentiam. — *S. Lig. n. 398.* Sed haec prohibitio abiit in desuetudinem in variis locis, praesertim in Gallia, ut patet ex consuetudine contraria. — *Vide ritual. Bellic. t. 1. de euch. sect. 8.*

3° Non excusatur a veniali sacerdos, qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones etc. Idem de eo, qui advertenter non genuflectit ad terram vel mutat ordinem benedictionum contra rubricae praeceptum, aut ea nimis celeriter peragit. — *Lacroix etc.*

4° Est peccatum grave, nisi levitas materiae excuset, omittere partes missae, quae dicuntur ordinariae seu quae semper recitantur vel aguntur. Unde communiter dicunt doctores, esse mortale omittere confessionem cum aliis in principio missae, epistolam, evangelium, collectas principales, offertorium, fractionem hostiae et illius mixtionem in sanguine.

5° In canone missae mortale est omittere quamlibet orationem vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato reliqua verba sensum non faciant. — Idem dicendum, si omittatur *Pater noster* vel *Agnus Dei;* idem de *Libera nos; Domine, non sum dignus* et *Quid retribuam;* idem de *purificatione* patenae et calicis post sumptionem. — Idem, si quis omitteret decem vel octo nomina sanctorum. — *S. Lig. n. 405.* — *Salmant.*

410. — 6° Veniale est omittere unam ex tribus collectis principalibus, et mortale omittere duas. Si omissa sit prima oratio, ipsa cum secreta, ut videtur, est recitanda, non postea. — Mortale vero non erit omittere alias orationes, quae praeter collectam propriam in missa adduntur. — *S. Lig. n. 406.*

7° Mutilare verba aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo non est plus, quam veniale. — *S. Lig. n. 407.*

8° Omittere partes extraordinarias, scilicet quae non in omni missa dicuntur, non est nisi veniale, nisi tot partes omittantur, quae simul sumptae notabilem materiam constituant. — *Ita communiter.*(¹) Unde veniale tan-

(¹) Haec permissio ad summum pro casu aliquo extraordinario vel pro morbo minime diuturno praesumi potest. — Cf. *decretum Urbani VIII.* missali appositum. — *Ben. XIV., de sacr. missae s. 1. n.* 53. (al. *l. 1. c. 9. n. 3.*) — *De Herdt t. 1. p. 1. n. 50. V. 3°. 4°.*

(¹) Cf. *n. 233. Q. 5°. not. 4. sub init.* — Negligentia habitualis autem contemptum vix non sapiet.

agio salvaremur. *Misericordiae Domini, quia non sumus con-i* (1) et *beatam spem* semper *tare* (2) valemus! Sedes ergo ntialis vere thronus gratiae et l misericordiae appellanda est. oc maxime tractatu apparet di-s doctrinae inter varios theolo-Alii enim in rigorem, alii vero ignitatem forte plus aequo pro-e videntur. Nos vero vestigia ac magistri nostri *S. Alphonsi orio* fideliter de more premen-media via incedere, non decli-neque ad *dexteram rigorismi,* ad *sinistram laxitatis* pro mo-ostro conabimur, memores ta-lius principii *S. Antonini (part. 4. c. 4.):* „Melius Domino red-rationem de nimia misericordia, de nimia severitate."

dum: 1° de essentia sacramenti ntiae; 2° de ejus subjecto seu de poenitentis; 3° de ejusdem mini-u de confessario.

PARS I.

ESSENTIA SACRAMENTI POENITENTIAE

seu

jus natura, materia et forma.

CAPUT I.

NATURA POENITENTIAE.

. — Poenitentia generatim spe-dem sonat ac dolor animi, quem e experitur, postquam aliquid vel omiserit, quod non factum n omissum fuisse vellet. In sensu minus generali poenitentia si-t animi dolorem ob crimen pa-, non tamen habita ratione in-Deo illatae, sed tantum damni i inde subsequentis. Tandem et *proprio* sensu poenitentia imi dolor propter peccatum ex od sit injuria Deo irrogata.

Poenitentia, ut virtus, definitur: Virtus moralis, inclinans ad dolorosam peccati detestationem ex aliquo motivo supernaturali seu quatenus est offensa Dei, et ad propositum efficax illud in posterum vitandi et divinae justitiae satisfaciendi.

Poenitentia necessaria est peccatori necessitate medii ad salutem. Peccata enim remitti non possunt, nisi Deus peccatorem in suam recipiat amicitiam; repugnat autem, peccatorem impoenitentem a Deo in amicitiam recipi: secus enim simul amicus et inimicus Dei foret. — Est etiam necessaria necessitate praecepti divini, ut ex variis testimoniis s. scripturae patet, v. g. *Luc. 13. 5.: Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* etc.

Effectus autem poenitentiae duplex est: 1° remissio peccatorum, ut constat ex sexcentis s. scripturae locis; 2° remissio poenae aeternae: homo enim justificatus poenae aeternae obnoxius esse nequit. Constat etiam ex *Trid. sess. 6. c. 7.*

II. Poenitentia, ut sacramentum, definitur: Sacramentum novae legis a Christo institutum per formam judicii ad peccata post baptismum commissa remittenda homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem. *Vel brevius:* Est sacramentum constans actibus poenitentis et absolutione sacerdotis.

Differt praecipue sacramentum hoc ab aliis: 1° quia per modum judicii administratur: adest enim poenitens, simul reus, testis et accusator, et sacerdos, judex ferens sententiam; 2° quia in eo recipiens ipse ponit materiam sacramenti (1).

Statuenda:

413. — I. Poenitentia est verum novae legis sacramentum. — Constat 1° ex ratione theologica. In ea enim reperiuntur omnia, quae verum sacra-

---

Thren. 3. 22.
Tit. 2. 13.

(1) quod tamen etiam in sacramento matrimonii occurrit.

mentum constituunt, scilicet: 1° *signum sensibile* per confessionem etc.; 2° *institutio Christi modo permanente*, ut patet ex textu *Joan. 20. 22. 23.: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt;* 3° *promissio gratiae:* patet ex remissione peccatorum, siquidem peccata sine infusione gratiae remitti nequeunt.

Constat 2° ex constanti traditione et doctrina patrum, quibus accedit expressa definitio Ecclesiae. Sic enim *Trid. sess. 14. can. 1.: Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Idem habetur in *concilio Florentino* (decret. ad Armenos): *Quartum sacramentum est poenitentia.* — *Vide* dicenda infra *de necessitate confessionis n. 464.*

II. Sacramentum poenitentiae habet vim remittendi omnia peccata post baptismum commissa.

Constat 1° ex scriptura sacra. Etenim in textu supra citato Christus generaliter, sine distinctione ulla aut restrictione, dat potestatem remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata . . .* Imo, *Matth. 16. 19.* Christus dicit Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Et *cap. 18. 18.* ait omnibus apostolis: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*

Constat 2° ex traditione, patribus universis, necnon ex definitione Ecclesiae in variis conciliis, praesertim in *Trid. sess. 14. can. 1.* supra citato.(1)

(1) Restituuntur etiam per hoc sacramentum virtutes infusae, juxta mensuram tamen dispositionis *(S. Thom. 3. q. 89. art. 1. 2.)* et reviviscunt opera mortificata *(S. Thom. ib. art. 5.* — Cf. *p. 1. n. 35. Not.).*

414. — III. Partes essentiales(1) sacramenti poenitentiae sunt: 1° contritio; 2° confessio; 3° absolutio; 4° satisfactio, quatenus a poenitente acceptanda est. Sacramentum enim poenitentiae fuit institutum per modum judicii reconciliativi hominis cum Deo; hoc autem haberi nequit sine confessione dolorosa culpae, animi dispositione ad poenam injunctam subeundam et sacerdotis absolutione. — Satisfactio autem, quatenus imponenda aut implenda, est tantum pars integralis hujus sacramenti, quia effectus primarius, nempe gratia et remissio peccatorum quoad culpam et poenam aeternam, sine satisfactione hujusmodi haberi potest.

IV. Actus vero poenitentis ad peccatorum remissionem requisiti sunt: 1° contritio; 2° confessio; 3° satisfactio. Constat ex *concilio Trid. sess. 14. can. 4.: Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae tres poenitentiae partes dicuntur, . . . anathema sit.*

V. Sacramentum poenitentiae est necessarium *necessitate praecepti in re*, et *necessitate medii in voto*, saltem *implicito*(2), ad remittenda omnia peccata mortalia post baptismum commissa. Ita in lege nova pro divina bonitate et providentia statuit summus legislator et provisor Christus Dominus.

Hinc sacramentum poenitentiae est necessarium ad salutem omnibus reis peccati mortalis post baptismum commissi, saltem de *necessitate praecepti*, et poenitentia seu contritio est semper necessaria *necessitate medii*, cum

(1) melius: intrinsecae —

(2) Includitur tale votum in ipsa contritione, cum haec voluntatem servandi omnia praecepta requirat. — Cf. *n. 455. Q. 1°.*

voto sacramenti seu cum serio proposito vel desiderio peccata confitendi, data opportuna occasione.

Quaesita:

415. — Quaer. 1° *Quandonam sacramentum poenitentiae institutum fuerit?*

Resp. Fuit institutum praecipue, quando Christus post suam resurrectionem insufflavit in discipulos suos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* Tunc enim contulit eis potestatem judiciariam, ut declarat *concilium Trid. sess. 14. cap. 1.* — Attamen ante passionem jam illud Christus promiserat et praedicaverat; potestatem vero tantum illis contulit post resurrectionem. Unde *Tridentinum* dicit, istud sacramentum fuisse institutum praecipue post resurrectionem.

416. — Quaer. 2° *An et quatenus conveniant judicium sacramentale et forense?*

Resp. Partim conveniunt et partim disconveniunt, ut patet ex utriusque forma.

1° In judicio enim *sacramentali* sic proceditur: 1° Inter duas solas personas, scilicet judicem et reum, res tota peragitur. Reus, accusator et testis est ipse poenitens; judex vero est sacerdos, qui, causa cognita, fert sententiam, quam Deus ratihabet debitis conditionibus positis. Unde sententia non est nisi conditionata. — 2° Causae instructio et sententiae prolatio clam omnino habentur. — 3° Judex ad strictissimum sigillum circa rei crimina obstringitur.

2° In judicio autem *forensi* talis est processus: 1° Praeter Deum et judicem sunt assessores, qui consilio judicem juvant; — 2° sunt accusatores, qui reum tergiversantem convincunt; — 3° sunt procuratores et advocati, qui defendunt; — 4° sunt apparitores, satellites et aliquando carnifices, qui sententiam exsequuntur.

Praeterea datur etiam alia essentialis differentia inter utrumque judicium, scilicet quod judicia forensia tendant ad puniendum reum sintque judicia vindicativa, judicium vero sacramentale tendat ad absolvendum reum sive ad reconciliandum peccatorem cum Deo, quem offendit.

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI POENITENTIAE.

417. — Materia sacramenti poenitentiae alia est remota, alia vero proxima, ut in ceteris sacramentis. Prior est vel necessaria, vel sufficiens et libera.

Materia *remota* (et insuper *removenda)* sunt omnia peccata post baptismum commissa, quae dicuntur materia *circa quam,* quia circa illa destruenda versatur absolutio.

Materia *remota necessaria* sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa nec umquam vi clavium adhuc directe remissa, quia de praecepto divino hujusmodi peccata accusanda sunt. — Materia autem *sufficiens* vel *libera* sunt omnia peccata venialia. Dicitur *sufficiens,* quia quaelibet peccata etiam minima objectum veniae sacramentalis esse possunt. Dicitur autem *libera,* quia, Deo sic volente, aliter ac per sacramentum remitti possunt. De his constat ex perpetua praxi et traditione Ecclesiae, necnon ex definitione *concilii Trid. sess. 14. cap. 5.*

Materia vero *proxima* sacramenti poenitentiae sunt tres actus poenitentis, scilicet: contritio, confessio et satisfactio, quae dicuntur *quasi materia* hujus sacramenti, quia sunt instar materiae physicae, quae in aliis sacramentis formae subjicitur; per hos enim actus peccata proponuntur verbis formae destruenda. Constat praesertim ex *concilio Trid. sess. 14. can. 4.*

Quaesita:

418. — Quaer. 1° *An sint materia sufficiens sacramenti poenitentiae peccata jam rite confessa et per absolutionem remissa?*

Resp. Affirmative. Hoc est certum apud omnes, inquit *S. Lig. n. 427.*

Ratio est: 1° Quia peccatum, licet remissum, est semper peccatum commissum, et sicut potest repeti cum fructu ejusdem peccati contritio, ita et confessio: peccatum enim illud *per se* est capax remissionis, et tantum *per accidens* fit, quod non remittatur. — Nec obstat, quod tunc sacramentum non deleat peccatum: nam sufficit, ut habeat effectum *in actu primo,* nempe quod praebeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens *in actu secundo* peccatum non deleat. Aliunde sacramentum non carebit aliis effectibus, nempe augmento gratiae, remissione poenae etc., sicut iis non caret, si quis perfecte contritus ad confitendum accedat.

2° Praeterea sententia jam lata potest confirmari ad majorem rei securitatem majoremque consolationem et animae quietem, ut aliquando in civilibus fieri solet, et si forte peccatum clavibus submissum non adhuc fuerit remissum, tunc *directe* remitti poterit.

3° Constat etiam ex declaratione *Benedicti XI.* in jure canonico *(c.* Inter cunctas (1.) *de privil. (V. 7.) in extrav. comm.):* „Licet de necessitate „non sit iterum eadem confiteri pec„cata, tamen . . . ut eorumdem pec„catorum iteretur confessio, reputamus „salubre." — Constat insuper ex praxi constanti fidelium, approbante Ecclesia.

419. — Quaer. 2° *An adultus baptizandus sub conditione in dubio baptismi praecedentis, peccata jam accusata confiteri debeat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia illa peccata jam remissa sunt per sacramentum poenitentiae, si validus fuerit prior baptismus; si autem non fuerit validus, non sunt materia confessionis, sed per secundum baptismum remittentur. — *Reuter n. 118.*

Quaer. 3° *An vero adultus praefatus accusare debeat peccata nondum confessa seu ab ultima confessione commissa?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *probabilis negat,* quia, posita invaliditate probabili prioris baptismi, peccata ista per secundum baptismum probabiliter remittentur; ergo probabiliter non sunt materia capax sacramenti poenitentiae; ergo etiam probabiliter non sunt clavibus subjicienda: obligatio enim confitendi peccata sequi non potest, nisi consequenter ad baptismum rite collatum. Hinc, si forte haec peccata non remittantur per secundum baptismum invalidum ob prioris validitatem, remitti poterunt sive per contritionem perfectam, sive *indirecte* per absolutionem cum attritione. — *Lacroix, de baptismo n. 323.* et *alii.*

IIª Sententia etiam *probabilis affirmat,* quia urget obligatio confitendi peccata, quoties non constat, quod ante baptismum validum commisa fuerint. Haec secunda sententia saltem admodum suadenda est.

420. — Quaer. 4° *An adultus baptizandus et absolvendus conditionate, prius baptizari vel prius absolvi debeat?*

Resp. 1° *Per se* parvi interest. Ratio est, quia, si jam fuit valide baptizatus, absolutio producet effectum suum, sive ante, sive post baptismum conditionatum conferatur; si vero prior baptismus fuerit invalidus, nullus erit effectus sacramenti poenitentiae, sive ante, sive post secundum baptismum conficiatur: unicum enim tantum e duobus sacramentis efficaciam in tali casu habere potest.

Resp. 2° Ex convenientia melius est sequi ordinem naturalem, scilicet baptizare primum *conditionate,* et pariter *sub conditione* absolvere. Attamen expedit, praemittere confessionem baptismo ad meliorem baptizandi

ıem, et absolutionem imme-
baptismum conferre. — *Ita*
er in praxi.

– Quaer. 5° *An peccatum,*
ı *in genere tantum, ali-*
t materia sufficiens ad con-
validitatem *vel* liceita-
g. si quis dicat: peccavi
ccuso de omnibus pecca-
?

1° Quoad *validitatem affir-*
duplici casu, scilicet: 1° in
ssitatis seu quando poeni-
moribundus, nullum pecca-
ecie accusare potest. — *Ita*
sime cum *S. Thoma.* —
ative etiam *probabilius ex-*
ı *necessitatis,* si materia ne-
eficiat. Ratio est, quia es-
ramenti non mutatur pro
bus. — *Lacroix n. 620.*
- *Reuter n. 303.* — *Lugo*
8. et seq.

° Quoad *liceitatem negative,*
ecessitatis casu. Ratio est:
oc praxi Ecclesiae adversa-
?° quia sacramentum poeni-
stitutum est per modum ac-
et judicii; haec autem fieri
dinarie et per se loquendo
eriam certam et determina-
m *in specie;* — 3° quia
ologi dubitant de validitate
is omnino generalis, et tu-
er sequendum est, ubi de
ramenti extra casum neces-
tur. Insuper ex illo modo
varia sequerentur incom-
enitentes enim carerent mo-
siliis, directione confessarii,
ontritionem excitarentur nec
ıs judicium ferre posset de
ufficienti clavibus subjecta.
enim dicens: *Accuso me*
is meis non raro meras im-
s in mente haberet, et pro-
sacramentum periculo nul-
oneretur.(1)

ntia contraria tamen improba-
ıpparet. Neque enim confessio

422. — Quaer. 6° *An, poenitente materiam sufficientem dubiam tantum praebente, confessarius teneatur exquirere certam de vita praeterita, ut absolvere possit?*

Resp. 1° *Affirmative,* si velit absolvere, quia secus sacramentum periculo nullitatis exponeretur et graviter peccaret confessarius.(1)

Resp. 2° *Negative,* si nolit absolvere; sed potest dimittere poenitentem cum sola benedictione et communionem permittere, si opportunum judicaverit, quia poenitens nullum jus habet ad absolutionem, cum materiam certo sufficientem non afferat. — Item, si videatur habere dolorem dubium de solis venialibus, non tenetur confessarius magnam diligentiam adhibere ordinarie, ut ad dolorem illum commoveat, licet multo melius id faciat; caveat tamen, ne talibus facilius communionem permittat. Secus autem dicendum est, si de mortalibus dubiis ageretur, ob nimium animae poenitentis periculum.

Quaer. 7° *An sit necessario absolvendus poenitens, qui non affert materiam* necessariam?

Resp. Negative saltem *per se,* sed ei permittitur sacrae synaxis susceptio sine absolutione, quia, cum sit in statu gratiae, non requiritur sacramentum poenitentiae ad illum disponendum. Nec jus habet rigorosum ad absolutionem.(2) Attamen *ordinarie* expedit

in specie actibus absolute necessariis ad valorem hujus sacramenti adnumerari potest, nec de lege, quae accusationem materiae sufficientis in specie praecipiat, certo constat. Insuper asseri nequit, ejusmodi generalem accusationem simpliciter praxi Ecclesiae adversari, cum poenitentes non raro eam confessioni addant, v. g. me accuso praeterea de omnibus peccatis vitae meae. Nihilominus omnino consulenda accusatio saltem alicujus peccati in specie, cum commodis non careat et gravamen sane non afferat.

(1) Cf. etiam *n. 439. 6°.*

(2) Nimis generalis haec assertio, si poenitens dispositus saltem materiam sufficientem confessus fuerit et absolutionem exigat. — Cf. infra *n. 621. 623.*

talem absolvere, ut gratias sacramentales et faciliorem peccatorum venialium remissionem recipiat. — *Lacroix n. 1889.* cum *aliis.*

Dixi: *per se;* quia, si non receperit sacramentum a notabili tempore vel si indigeat auxiliis specialibus, ad tentationes v. g. superandas, ex caritate, si non ex rigorosa justitia, est absolvendus.

423. — Quaer. 8° *An sit necessario monendus dimissus cum sola benedictione ob defectum materiae necessariae vel etiam sufficientis certae?*

Resp. Negative cum *Lacroix n. 1889.* et *aliis* contra *plures.* Ratio est, quia ex hoc, quod non moneatur, nullum damnum ei obvenit. Ergo nulla causa est, cur necessario admoneri debeat. Aliunde judicium de danda vel neganda absolutione ad solum confessarium pertinet.

Nec dicas, tunc simulari sacramentum, cum credat poenitens, se absolvi, et non sit absolutus: nam juxta dicta in *tract. de sacram. in genere n. 222.* non simulat sacramentum, qui nullam ejus partem ponit, sed tantum rem ad sacramentum indifferentem, ut est facere signum crucis, orationes recitare etc. — *Lacroix, de sacram. in genere n. 158.*

In praxi tamen *generatim loquendo* admonendus est poenitens. — Secus, ubi prudenter timetur, ne poenitens scrupulosus vel nimis timoratus nolit discedere sine absolutione, vel jactura temporis sit habenda ad illum convincendum, quod absolutione non indigeat etc.(¹)

Resolves:

424. — 1° Materia sufficiens et licita confessionis sunt venialia aut mortalia alias confessa secundum speciem suam etiam genericam, v. g.: *accuso me de mendaciis meis . . . de peccatis vitae praeteritae contra castitatem vel caritatem,* praescindendo a numero et a circumstantiis quibuslibet. Ratio est, quia sic habetur confessio peccati et quidem determinati, saltem unius in specie. Nec est obligatio addendi numerum venialium vel mortalium jam remissorum; nihil enim est in forma absolutionis, quod determinationem alicujus peccati exigat. — *Reuter n. 302.*

2° Si quis de nullo peccato se accuset in particulari, dicendo v. g. *nihil scio, nisi quod saepe debui peccare, sicut ceteri homines,* examinetur, ut pueri examinari solent. Si nihil ab ultima confessione elici possit, interrogetur de vita praeterita: an numquam sit mentitus in vita sua; an numquam parentes offenderit, aut iratus fuerit, vel proximum traduxerit etc. (¹)

3° Cum mulierculis, devotulis et aliis ejusdem farinae, qui nonnisi confuse et de valde levibus confitentur, tibi conandum erit, ut tandem emungas aliquod saltem peccatum, etsi jampridem confessum. Verum ne incassum et poenitentem et teipsum vexando labores, noli ab ipso postulare, ut peccatum vitae praeteritae sponte exponat, quia saepe nesciens, quid velis, respondebit: *Omnia dixi . . . nihil aliud dicendum mihi superest:* sed statim propone illi aliquot species peccatorum juxta ipsius conditionem vel statum etc. Tunc vero eum ad dolorem supernaturalem et propositum excitare conaberis, et absolutum in pace dimittes. — *Elbel n. 19.*

4° Suadendum poenitentibus ad majorem securitatem et pro certiori fructu ex hoc sacramento percipiendo, ut praeter peccata dubia aut etiam levia quotidiana semper ex jam confessis subnectant aliud certum pecca-

(¹) Rarissime, censeo, omissio absolutionis absque monitione rationabilis erit; imo, non semper periculo absolute carebit.

(¹) Videat confessarius, annon poenitens simili formula utatur, quia ob peccata haud levia confessionem in specie subterfugere intendit.

um, de quo vehementius doleant et rmius propositum concipere possint, e forte sacramentum periculo frustraionis exponatur. — *Elbel ib.*

5° Monendi vero sunt poenitentes, ui praedictam praxim servant, ut caeant, ne ex quadam consuetudine tanum peccatum vitae praeteritae clavius iterum iterumque subjiciant, praertim si peccatum illud leve sit; quia ericulo defectus doloris sufficientis n hac accusatione exponerentur et roinde scopum tuendi validitatem et ructum sacramenti non attingerent.

6° Sufficit confessio *in genere*, si onfessarius plane agnoscat aliunde oenitentem, v. g. ex recenti confesione totius vitae etc., et sciat, illum ntendere se accusare de peccatis jam ibi notis; tunc enim satis erit dicere: *ne accuso de omnibus peccatis meis am tibi notis* — vel simpliciter: *de mnibus peccatis vitae praeteritae.*

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

Forma sacramenti poenitentiae dulex distingui potest: alia *essentialis* ro valore sacramenti, et alia *praeeptiva* tantum seu *rubricalis.*

425. — I. Forma *essentialis* conistit in verbis: *Te absolvo a peccais tuis.* Constat ex *concilio Trid. ess. 14. c. 3.: Docet Sancta Synolus, sacramenti poenitentiae formam, n qua praecipue ipsius vis sita est, n illis ministri verbis positam esse:* go te absolvo etc., *quibus quilem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur.*

426. — II. Forma *praeceptiva* seu *rubricalis* consistit in variis precibus, quae praecedunt vel subsequuntur formam essentialem. Sic autem habetur in *rituali rom.:* „Misereatur tui omni„potens Deus, et dimissis peccatis „tuis perducat te ad vitam aeternam. „Amen."

„Indulgentiam, absolutionem et re„missionem peccatorum tuorum tri„buat tibi omnipotens et misericors „Dominus. Amen."

„Dominus noster J. C. te absolvat, „et ego auctoritate ipsius te absolvo „ab omni vinculo excommunicationis „(suspensionis) et interdicti, in quan„tum possum et tu indiges; *deinde*(1) *„ego te absolvo a peccatis tuis in no„mine Patris et Filii et Spiritus „Sancti. Amen."*

„Passio Domini nostri J. C., merita „B. M. Virginis et omnium Sancto„rum, quidquid boni feceris et mali „sustinueris, sint tibi in remissionem „peccatorum, augmentum gratiae et „praemium vitae aeternae. Amen."

Nota 1° Elevatur manus a verbo *Indulgentiam* usque ad verbum *Passio Domini,* et fit signum crucis in poenitentem dicendo: *in nomine Patris etc.* — Vox *suspensionis* omittitur pro laicis.

Nota 2° Est pia consuetudo, ut confessarius ante confessionem, dum poenitentem benedicit, dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua*(2). Sed ad hoc sub peccato non tenetur. — *Ita omnes.*

In praxi facile omitti possunt preces *Misereatur* et *Indulgentiam,* ut constat ex *rituali rom.* Imo, juxta communiorem sententiam absque peccato semper omitti possunt. Idem etiam dicunt de orationibus, quae absolutionem sequuntur; sed, cum juxta sententiam probabilem elevent bona opera poenitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, convenit, ut quam rarissime omittantur. — Verba autem *Dominus noster etc.* non videntur posse omitti sine culpa veniali, nisi necessitas urgeat, cum dicat rituale rom.: *„In confessionibus fre-*

(1) *Quaer.:* Utrum verbum *deinde* in forma absolutionis, in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, omittendum sit?

Resp.: *Nihil est innovandum.* — *S. R. C. 11. Mart. 1837. in Veron.; 27. Febr. 1847. in Viglevan.*

(2) vel similem orationem recitet. — Cf. *rit. dioecesana.*

quentioribus satis erit dicere: Dominus noster etc." (1)

Quaesita:

427. — Quaer. 1° *An valida sit absolutio, si sacerdos dicat tantum:* absolvo *vel* absolvo a peccatis tuis *vel* te absolvo?

Resp. ad 1um *Negative.* — *Ita omnes.* Ratio est, quia verbum *absolvo* solum nullum sensum prae se fert determinatum et in nullum subjectum cadere potest: ergo nequit esse forma valida sacramenti poenitentiae.

Resp. ad 2um *Affirmative probabilius,* ut videtur, saltem intrinsece. Ratio est, quia his verbis subjectum sufficienter determinatur: pronomen enim *te* satis exprimitur in verbo *tuis.* — *Ita Lugo d. 13. n. 26.* — *S. Lig. n. 430. Dub. 1.* ut *probabilius etc. Negant* autem *non pauci,* quorum sententia ut tutior sequenda est, ait merito *S. Lig. ibid.*

Resp. ad 3um *Affirmative probabilius* cum sententia communi. Ratio est, quia totus effectus sacramenti in his verbis exprimitur, quin addatur *a peccatis tuis.* — Praeterea videtur etiam constare ex *catechismo Conc. Trid. part. 2. c. 5. n. 14.,* ubi dicitur tantum: *Est autem forma:* Ego te absolvo. Et nihil aliud ibi additur. — *Roncaglia* — *Lugo etc. Negant* tamen *plures* cum *Lacroix* non improbabiliter, et huic sententiae in praxi omnino standum est.

Quaer. 2° *An valida sit forma deprecatoria, v. g.* absolvat te Deus?

Resp. Negative, saltem *probabilius,* cum *S. Lig. n. 430.* — *Lacroix n. 639.* et *alii communissime.* — Ratio est, quia sacramentum poenitentiae institutum est per modum judicii et proinde voluit Christus, ut sacerdos judex ferret sententiam et hanc exprimeret; ergo peccata remitti debent ab ipso sacerdote tamquam Christi ministro; ergo non sufficit, ut Deum deprecetur, ut ea remittat. — Insuper ex *concilio Florent.* sola forma indicativa ut vera forma sacramenti poenitentiae praescribitur. (1)

428. — Quaer. 3° *An necessaria sit elevatio manus et formatio crucis in absolutione impertienda?*

Resp. 1° Certum est, non requiri *ad validitatem* sacramenti, quia non pertinet nec ad materiam, nec ad formam. Constat ex *conc. Florent.* et *Trid.*, necnon ex unanimi consensu theologorum, saltem post concilium Tridentinum.

Resp. 2° Nec requiritur sub mortali *ad liceitatem* juxta communem sententiam contra paucos, quia est tantum de rubrica, quae gravis non videtur. Imo plures graves auctores asserunt, hoc omitti posse sine peccato; sic *Busembaum* relatus et implicite approbatus a *S. Lig. n. 425.* — *Lacroix n. 653.* et *alii multi.* Saltem omitti potest sine peccato elevatio manus recitando preces, quae absolutionem formalem praecedunt.

Quaer. 4° *An sacerdos possit valide plures absolvere unica forma, dicendo:* ego vos absolvo a peccatis vestris?

Resp. Affirmative, quia omnia requisita ad validitatem reperiuntur. Et licite etiam sic fieri potest in casu necessitatis, v. g. in naufragio, ante praelium vel in ipso praelio etc. — Essetque talis absolutio multiplex, non quidem *formaliter,* sed *virtualiter* et *aequivalenter,* et essent tot sacramenta, quot homines forent, qui aliquam confessionem et contritionem ponerent. — *Lacroix n. 645. etc.* et *alii omnes.*

429. — Quaer. 5° *Quaenam praesentia poenitentis reputetur moralis in ordine ad absolutionem?*

Resp. Debet esse talis, ut verba *absolvo te* censeantur cadere in poeni-

(1) usque ad „*Passio Domini etc.*" *exclusive* ex decr. *S. R. C. 27. Febr. 1847. in Viglevan.*

(1) Validitas formae *imperativae* autem in genere dubia est. — *Lacroix n. 639.*

tentem juxta moralem hominum aestimationem: reputatur autem praesentia moralis sufficiens illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Multi eam extendunt ad 20 passus, praesertim si poenitens non sit extra adspectum confessarii. In necessitate absolvi potest et debet poenitens, quoties aliquo sensu percipitur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 429.*

Hinc: 1° Absolvendus est ille, qui conspicitur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi, saltem si non procul a confessario distet. 2° Si confessarius ob periculum infectionis aut ob aliam causam non possit cubiculum infirmi ingredi, illum ex janua absolvere debet. 3° Si poenitens recederet a confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans adspiceretur aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam: revocandus tamen foret, si commode posset fieri.

430. — Quaer. 6° *An per verba:* te absolvo a peccatis tuis *possit confessarius valide absolvere poenitentem tam a censuris, quam a peccatis?*

Resp. Affirmative, quia haec verba *absolvo te a peccatis tuis* involvunt absolutionem a quocumque vinculo orto ex peccatis, et nihil obstat, quominus confessarius dirigere possit intentionem ad absolutionem tum peccatorum, tum censurarum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 430. Dub. 4.* — *Lacroix n. 1567. etc.*

Quaer. 7° *An valida sit absolutio, si confessarius absolvat prius a peccatis, quam a censuris?*

Resp. Affirmative, quia censura non obstat validitati sacramenti, sed tantum licitae susceptioni vel administrationi. Peccaret autem graviter, qui vellet prius absolvere a peccatis, quam a censuris, quia contra gravem Ecclesiae prohibitionem ageret. Excipe: si non agatur de *excommunicationibus,* sed tantum de *suspensionibus* et *interdictis;* quia istae censurae non privant per se receptione sacramenti poenitentiae. — *S. Lig. n. 430. Dub. 4.* — *Lacroix* et *alii communiter.*

APPENDIX
DE FORMA CONDITIONATA.

431. — *Dico* I. Certum est, *validam* esse *in omni casu* absolutionem sub conditione *de praesenti* vel *praeterito* impertitam, modo adsint alia requisita ad sacramenti validitatem. Conditio enim nullo modo mutat sensum formae sacramentalis, quam nullatenus afficit, sed afficit tantum voluntatem confessarii, qui non intendit absolvere, nisi impleatur apposita conditio; hac autem impleta, forma evadit absoluta, et proinde nihil reperitur, quod ejus validitati officere possit. — *Ita S. Lig. n. 431.,* ubi dicit, *omnes de hoc convenire.* — *Concina diss. 3. c. 1.,* ubi dicit etiam, *convenire pene omnes.* — *Billuart diss. 6. art. 10. §. 7. sect. 2. Dico 1°,* ubi asserit, *esse sententiam communissimam.* — *Collet, de integr. conf. §. 5. concl. 3.* — *Antoine c. 2. etc.* — In paucos adversarios est adnumerandus *Pontas ad v.* Absolution. *Cas. 5.*(1); sed merito carpitur a *Collet* adnotatore *ibid.*(2)

Nota: Adversarii generatim distinguunt inter conditiones *facti,* v. g. *si vivis,* et conditiones *juris,* de quibus confessarius judicare debet, v. g. *si sis dispositus.* Permittunt priores, quia judicio confessarii non subjiciuntur; posteriores autem prorsus rejiciunt. Hinc:

432. — *Objiciunt* 1° Forma sacramenti poenitentiae debet esse judicialis. Atqui, si forma sit conditionata, non est judicialis; nam judicium de natura sua est absolutum. Hinc nulla foret sententia judicis civilis, qui diceret: Hoc tibi adjudico, si tuum sit.

---

(1) qui tamen *l. c.* valorem talis absolutionis non negat, sed liceitatem.

(2) Plura de hac controversia apud *Ben. XIV., de syn. l. 7. c. 15.*

Resp. 1° *Nego min.* Minime destruitur forma judicii per appositam conditionem, etiamsi conditio cadat in dispositiones poenitentis. Sacerdos enim judicat: 1° de peccatis expositis; 2° de poenitentia imponenda; 3° de dispositionibus probabilibus poenitentis; 4° de opportunitate impertiendi absolutionem, licet conditionatam ob maximum poenitentis bonum. Ergo non deest materia judicii.

Resp. 2° Non datur rigorosa comparatio inter judicium civile et judicium sacramentale. Imo in plerisque differunt, ut patet ex dictis *supra n. 416.* Attende, quaeso, imprimis ad id, quod nempe sententia judicis civilis effectum suum semper sortiri et exsecutioni mandari, ideoque definita esse debet; in foro autem poenitentiae non magis effectum suum obtinet sententia absoluta, quam sententia conditionata, siquidem non a satellitibus, sed ab occultis conditionibus soli Deo notis pendet effectus. Imo sententia confessarii ex natura sua est conditionata, etiamsi modo quantumvis absoluto feratur, cum effectus producendus ipsi plane sit incognitus.

433. — *Objiciunt* 2°: In controversiis de valore sacramentorum *pars tutior semper sequenda est.*

Resp. 1° *Nego suppositum,* scilicet quaestionem verae controversiae subjectam esse, cum sententia adversariorum nulla polleat probabilitate, ut satis patet ex dictis.

Resp. 2° Falsum est, tutiorem partem semper esse sequendam *in favorem sacramenti;* nam, cum sacramenta sint *propter homines*, dantur casus, in quibus exponendum est sacramentum periculo nullitatis ad subveniendum hominibus in necessitate spirituali versantibus.

Duplex autem hypothesis fingi potest in casu, quo concurrat simul necessitas et dispositio dubia poenitentis. Prima est casus absolutionis simpliciter denegandae; secunda absolutionis modo quocumque concedendae. En tibi adstat moribundus dubie dispositus. Eia! edissere, quid ages? Sinesne, ut hic poenitens tuus absque absolutione e vivis excedat? Numquid sic agens notam crudelitatis effugies? Si enim forte satis dispositus fuerit, licet dubites, nonne damnas salvandum? — Si vero absolvas hunc poenitentem, quomodo, quaeso, absolves? — Mehercule, forma absoluta! ais. — Optime; sed dic, amabo, numquid firmius feres judicium de dispositionibus poenitentis? Numquid judicabis *certo dispositum*, quem cognoscis *dubie dispositum?* Age nunc igitur, excludas, quantum volueris, conditionem et *oralem* et etiam *mentalem:* eritne ideo certior sententia tua sacramentalis? Velis igitur, nolis, in tali casu, si absolvas, necessario *conditionate absolves, et non aliter.* Imo sententia sacramentalis in poenitentia est *per se* et ex natura sua necessario conditionata, cum supponat in poenitente conditiones requisitas, quae facile deesse possunt.

434. — *Dico* II. Certum pariter est, absolutionem conditionatam esse *quandoque licitam;* etenim, si valida sit, licita etiam esse debet urgente necessitate. — *Ita communissime theologi* cum *S. Lig. ibid.* — *Lacroix l. 6. p. 1. n. 78.* — *Elbel* — *Sporer* — *Salmant. etc.*

Rejicienda autem est, ut laxismi plena et animarum pernicies, doctrina nonnullorum, qui tenent, dari posse absolutionem conditionatam levi de causa et fere in omni dubio de dispositione sufficiente poenitentis. Nemo enim non videt, quot sacrilegia induceret hujusmodi praxis. Jam confessarius non esset prudens dispensator sacramentorum, sed projiceret *margaritas ante porcos,* et causa foret tanta facilitate absolvendi, ut poenitentes in peccatis tabescerent. — *S. Lig. n. 432. etc.*

Verum non magis admittenda est doctrina eorum, qui cum *Collet, Concina* et *aliis non paucis* tenent, non esse impertiendam absolutionem sub

conditione, nisi in extrema necessitate seu in extremo vitae periculo; hujusmodi enim doctrina summe noxia est poenitentibus, qui difficile ad confessarium reverti possunt et dimissi absque absolutione periculum aeternae damnationis incurrunt.

In quanam ergo necessitate impertiri possit aut debeat absolutio sub conditione, non omnes conveniunt. Juxta doctrinam et praxim communem statuendae videntur sequentes

Regulae:

435. — I^a *Regula.* Absolutio dari potest et debet sub conditione, saltem *probabilius,* quoties absolute concessa exponeret sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata exponeret poenitentem periculo gravis damni spiritualis.

II^a *Regula.* Absolutio dari potest sub conditione, quin dari necessario debeat, quoties absolute concessa exponeret sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata privaret poenitentem aliquo bono spirituali *notabili* quidem, sed non *necessario.*

Hinc, servatis debitis conditionibus, praesertim urgente necessitate vel stante gravi et proportionata causa, licet absolvere conditionate in sequentibus casibus, scilicet: 1° in dubio, an poenitens sit vivus vel mortuus; 2° in dubio de materia sufficiente, v. g. in confessione annua etc.; 3° in dubio jurisdictionis ex parte confessarii(¹); 4° in dubio, utrum poenitens rite fuerit absolutus; 5° in dubio de usu rationis in pueris, amentibus etc.; 6° in dubio, utrum poenitens sit moraliter praesens; 7° in dubio, an moriens sensibus destitutus sacramentum petat; 8° in dubio de dispositione poenitentis, urgente non tantum *extrema*, sed etiam simpliciter *gravi* necessitate spirituali. — *S. Lig. n. 432.* — *Vide casus infra resolvendos n. 439.*

(¹) Cf. *n. 549. Q. 3°.*

Objectiones adversariorum:

436. — *Obj.* 1° Praxis illa absolvendi conditionate, praesertim dubie dispositos, est periculorum plena, fomentum iniquitatum etc.

Resp. Dist.: Praxis illa est periculorum plena etc., si adhibeatur *promiscue,* sine discretione, extra casum necessitatis vel gravis utilitatis, *concedo;* si vero traditae regulae serventur, *nego.*

Obj. 2° Poenitens dubie absolutus perget ad eucharistiam suscipiendam et sacrilege communicabit; hoc autem permitti nequit.

Resp. 1° Non erit sacrilega communio, sicut non est sacrilega confessio; supponitur enim, poenitentem in bona fide versari. Ad summum communio erit nulla seu nullos fructus producet.

Resp. 2° Non erit inutilis communio illa; varios enim virtutum actus et conatus, saltem nonnullos, ad Deum diligendum et malum fugiendum in communicante facile excitabit. Imo, juxta probabiliorem sententiam, si communicans sit in statu peccati mortalis, per communionem cum attritione factam statui gratiae restituetur. Nec difficilis erit ipsi attritio; accessus enim ad sacram mensam et corporis Christi receptio facillime in communicantibus bona fide pios motus doloris et amoris ciere solent.

437. — *Obj.* 3° Poenitens dubie absolutus non amplius confitebitur peccatum suum et, si non fuerit vere dispositus, in peccato morietur.

Resp. Peccatum illud dubie absolutum remitti poterit: 1° per eucharistiae susceptionem, ut modo dictum est; 2° in proxima confessione cum aliis *indirecte,* etiamsi poenitens peccatum suum clavibus numquam iterum subjiciat. — Nec dicas, quod forte ille non amplius ad sacramentum poenitentiae accedet; casus enim, quo non accedet, rarus erit et tamquam quid *per accidens* haben-

dus.(1) Multo autem majori periculo salutis fuisset expositus poenitens ille, si dimissus fuisset absque absolutione in casu gravis necessitatis, quam semper requirimus ad talem absolutionem impertiendam.

Obj. 4° Non licet uti opinione probabili in administratione sacramentorum, ut constat ex *propositione 1.* ab *Innocentio XI.* damnata. Ergo non licet dare absolutionem dubie valituram.

Resp. Dist.: ubi periclitatur tum valor sacramenti, tum bonum hominis, *conc.;* secus autem, ubi urget necessitas aut alia causa gravis. — *S. Lig., de sacr. in gen. n. 28. 29. 57.* et *de consc. n. 49.* et *alii communiter.* — Praeterea in propositione damnata non agitur, nisi de partibus essentialibus sacramenti, nempe de valore materiae et formae, prout a ministro dependent. — *Ita communiter* cum *Goritia, tabella V. de consc.* Hic autem materia a poenitente ministratur et proinde a ministro independens est. Secus enim plerumque poenitentes absolvi non possent, cum saepius nonnisi probabiliter de eorum dispositionibus constet.

438. — *Obj.* 5° Praxis absolvendi conditionate est saltem restringenda ad casus rarissimos extremae necessitatis, scilicet ubi moribundus est jam sensibus destitutus, vel ubi est jamjam moriturus; nam ipsiusmet culpa et maxima culpa est, si dubie dispositus videatur. — *Ita auctor anonymus epistolarum in eximium librum* Card. Gousset, cui titulus: *Justification de la doctrine de saint Liguori*(2).

Resp. In objectione plura falsa supposita inveniuntur. Etenim 1° falsum est, poenitentem dubie dispositum esse certo indispositum, saltem *per se;* est enim contradictio *in ipsis terminis.* 2° Falsum est, poenitentem semper esse culpabilem ex eo, quod non videatur certo dispositus: nam potest esse sufficienter dispositus, quin hoc confessarius certo resciat, siquidem quoties non est certo indispositus potest etiam esse vere dispositus. 3° Possunt dari graves rationes pro salute poenitentis, absolvendi potius, quam omittendi absolutionem, ut supra dictum est. Aliunde quandoque summa foret imprudentia in confessario, si absolutionem differret ad extremam necessitatem, in qua vix aut forte ne vix quidem poenitens erit capax sacramenti. — *Vide Gousset, Lettres à M. le Curé***, Epist. 8.*(1)

(1) Cf. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 393.*

(2) „ . . . Necessitas rarissime est ratio „sufficiens absolvendi dubie dispositum. „Nam si forte moribundo, adhuc rationis „usu fruenti, solummodo punctum tem„poris superesset, ipsius culpa accidit, si „contritione caret, quia est de fide, Deum „numquam gratias necessarias ad salutem „denegare, si cum fiducia postulantur, et „quia contritio est pro hujusmodi pecca„tore auxilium apprime necessarium. Si „igitur solummodo dubie contritus est, „id per ipsius culpam contingit, ac pro„inde non est jam *dubie dispositus,* sed „*certo non dispositus,* et consequenter „absolvi nequit. . . Restant ergo solum„modo circumstantiae, in quibus moribun„dus jam manifestare nequit, quid sentiat, „ne per signa quidem, in quibus proinde „uti possumus principio: *Sacramenta pro„pter homines. . .*" — *Auct. cit., Epist. 6.* (Nota auct. ex idiom. gall. versa.)

(1) „ . . . Exspectabisne, ut moribundum „ad reconciliationem admittas, donec mo„riens jam suam voluntatem manifestare „non possit? Exspectabisne, ut absolu„tionem certam reddas, donec ad extrema „pervenerit, ita ut dubitari debeat, an sus„cipiendi sacramenti adhuc sit capax? Quo„modo te gereres v. g. versus mulierem, „cujus partus proximus periculosus vide„tur, vel quoad militem, qui hostem ag„gressurus est? Negabisne ipsis absolu„tionem, si tibi dubie dispositi apparent, „etiam post graves adhortationes, quas „suppono a te majore animi motu et zelo „factas, quam in circumstantiis ordina„riis? . . . Exspectabisne, si hic miles, „qui post paucas horas telis hostilibus „conficietur, dubias solummodo disposi„tiones manifestat, donec ceciderit, ut sa„cramentum casui exponas? Et si reus, „qui capitis damnatur, tibi adhuc dubie „dispositus videtur, exspectabisne, ut ma„num eleves, quae ipsi beneficium recon„ciliationis annuntiat, donec carnifex bra-

Resolves:

439. — 1° Absolvendus est *sub conditione* poenitens versans in *mortali*, quoties prudenter dubitatur de impertita aut rite data absolutione nec potest de hoc facile certitudo haberi. — *Ita communissime theologi.*

2° Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi *omnes*, de quorum indispositione vel incapacitate certo non constat, ut infra fusius dicetur, ubi de integritate confessionis et de ministro. — *Ita* etiam *fere omnes.*

3° Item poenitentes dubie dispositi, qui versantur in notabili mortis periculo, v. g. mulier in partu difficili, nauta aut alius quivis in longam navigationem profecturus, miles ante praelium, infirmus ante operationem chirurgicam valde laboriosam et *a fortiori* reus capite plectendus etc. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 432.*

4° Absolvi probabiliter possunt(¹) *sub conditione* pueri et semifatui in dubio de usu rationis aut sufficientis dispositionis, praemissa seria diligentia ad eos, quantum fieri potest, disponendos, in sequentibus praecipue casibus: 1° si versentur in periculo mortis; 2° si urgeat praeceptum annuae confessionis; 3° si confessi sint aliquod peccatum mortale. — Ratio est, quia exponuntur periculo proximae damnationis, si mors urgeat, vel periculo remanendi diu in peccato mortali. Aliunde non est via et spes, quod, dilata absolutione, brevi dispositi redeant et securius absolvantur, sicut de aliis communiter sperari potest. — Imo absolvi poterunt conditionate pluries in anno, etiamsi afferant tantum levia, ne tamdiu gratia sacramentali priventur et remaneant in peccato mortali, si forte in illo versentur. — *Ita S. Lig. n. 432.* — *Lacroix l. 6. p. 2. n. 1797.* et *alii multi* contra *alios non paucos.*

5° Probabiliter etiam absolvi possunt *sub conditione* sponsi dubie dispositi proxime matrimonium contracturi: quia secus illud sacramentum sunt certo profanaturi, animo dejecti ex absolutionis denegatione ad confitendum non redibunt et in peccatis contabescent.

6° Absolvi etiam *conditionate* probabiliter possunt aliquando poenitentes pii in dubio, an materiam sufficientem clavibus subjiciant. Sed non potest fieri nisi raro, ne diutius priventur gratia sacramentali, nec est admittendum, si possint materiam certam de vita anteacta praebere, ut recte dicit *S. Lig. ibid.* — In *Hom. apostol. tr. 16. n. 6. absolute* dicit, tales poenitentes posse absolvi conditionate semel in mense.(¹)

„chium tollat, ictum mortiferum illaturus? „Repeto: cum sacramenta sint principa„lius propter homines, quam homines pro„pter sacramenta, manifeste recederes a „mente illius, qui ipsa in sua misericor„dia nobis dedit, a mente Ecclesiae, quae „ipsa ut mater dispensat, si praetendis, „solummodo, quando moribundus jam „manifestare nequit, quid sentiat, ne qui„dem per signa, nos uti posse principio: „*Sacramenta propter homines....*" — *Gousset l. c.* (Nota auct. ex idiom. gall. verss.)

(¹) et debent — v. etiam *p. 1. n. 478. Q. 1°.*

(¹) Quoad sacras vestes adhibendas in administratione poenitentiae ita *rituale rom. (De iis, quae in administratione sacramentorum generaliter servanda sunt):* „In omni sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus (sacerdos), et desuper stola ejus coloris, quem sacramenti ritus exposcit, nisi in sacramento poenitentiae ministrando occasio vel consuetudo vel locus interdum aliter suadeat," et *in ordine ministrandi sacr. poenitentiae:* „Superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo." — Hinc ordinarie et praesertim in publica administratione hujus sacramenti utendum erit stola *(S. R. C. 7. Dec. 1844. ad 3.* et *11. Sept. 1847. ad 1. in Patav.)* et superpelliceo *(S. C. Episc. 8. Nov. 1588. in Albang.* apud *Baruff.).* Consuetudo tamen v. g. quibusdam regularibus permittit, adhibere stolam absque superpelliceo; imo et superpelliceum omittere fas est, si necessitas urgeat vel sacramentum extra ecclesiam forte administretur, licet usus stolae, uti patet, semper commen-

PARS II.

DE SUBJECTO SACRAMENTI POENITENTIAE

seu

de actibus poenitentis.

Tres numerantur, scilicet: 1° contritio; 2° confessio; 3° satisfactio.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

440. — Contritio est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*(1) *cum proposito non peccandi de cetero.*

dandus sit. — V. *Baruffaldi — De Herdt.*

Quoad **locum**, ubi confessiones excipi debent, *rituale rom.* haecce jubet: „In ecclesia, non autem in privatis aedibus, (sacerdos) confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare. — Habeat in ecclesia sedem confessionalem, in qua sacras confessiones excipiat, quae sedes patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa."

Cautus vero sit sacerdos, ne exceptiones a regula generali nimis facile admittat, praecipue quoad mulieres, fingendo casus necessitatis. — *De Herdt, S. Lit. pr. t. 3. p. 6. n. 12. I. II.*

Nec in oratoriis privatis confessiones indultarii regulariter excipi possunt sine expresso indulto S. Sedis vel saltem licentia speciali ordinarii. — *Anal. J. P. ser. 3. col. 649.*

Quoad regulares autem declarat bulla *Superna Clementis X.:* „nullam facultatem fuisse tributam regularibus cujusvis ordinis etc., sacramentum poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a jure permissos." —

Quoad **tempus** tandem ex verbis ritualis supra adductis per se consequitur, non esse excipiendas confessiones, saltem mulierum, ante aut post lucem diei, vel, si tenebrae sint, lumen apponi debere. — *De Herdt l. c.*

Item ex decr. *S. R. C. (23. Mart. 1686. in Senen.)* „confessiones praecipue „mulierum audire non licet in ecclesia „ante auroram in nocte nativitatis Domini „et episcopo competit id interdicere," uti *Gardellini* in indice collectionis authenticae praefatum decretum citat.

(1) Thesis „Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali" damnata ab *Alex. VIII.* sub *n. 19.*

— Sic *Trid. sess. 14. c. 4.* Detestatio peccati, in qua praecipue consistit contritio, praeteritum respicit, propositum vero circa futurum versatur. Haec definitio praescindit a nova lege, in qua contritio efficaciam nullam habere potest sine voto confessionis. Ideo *Tridentinum* paulo infra addit: *cum voto praestandi reliqua, . . . quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum* (poenitentiae) *requiruntur.* Hinc congruit definitio *S. Thomae, suppl. q. 1. art. 1. Obj. 1.:* „Dolor pro peccatis „assumptus cum proposito confitendi „et satisfaciendi."

Hinc dicendum: 1° de contritione stricte dicta; 2° de proposito.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE PROPRIE DICTA.

441. — Contritio duplex distinguitur:

1° *Perfecta,* quae est detestatio peccati orta ex motivo speciali caritatis perfectae seu bonitatis(1) Dei *propter se* summe dilecti.

2° *Imperfecta* seu *attritio,* quae est detestatio peccati orta ex alio motivo supernaturali, v. g. ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu inferni aut ex amore beatitudinis aeternae. — *Trid. sess. 14. c. 4.*

Tria hic exponenda sunt: 1° necessitas; 2° dotes; 3° efficacia contritionis.

§. I.

De necessitate contritionis.

Statuenda:

442. — I. Contritio seu poenitentia, sive perfecta cum voto sacramenti, sive imperfecta cum ipso sacramento, est omnino necessaria *necessitate medii* ad justificationem et salutem consequendam.(2)

(1) i. e. perfectionis —

(2) Patet, hic sermonem esse de iis, qui usum rationis habent et peccato gravi inquinantur.

Sufficit vero contritio perfecta *virtualis,* scil. caritas, saltem si quis alicujus peccati non recordatur, dum actum amoris elicit. — V. *Lugo, de poenit. disp. 5. n. 93. et seq.* — *S. Lig. n. 437.* — Cf. *n. 449. V.*

; ex scriptura sacra. *Matth.* *itentiam agite; appropin-* *n regnum coelorum.* — *.: Nisi poenitentiam ha-* *nes similiter peribitis.* — *Si poenitentiam non ege-* *s similiter peribitis.* — *2.: Si poenitentiam non* *incidemus in manus Do-* *n in manus hominum.* — *i.: Age poenitentiam et* *a fac. Sin autem, venio* *vebo candelabrum tuum* *, nisi poenitentiam ege-* *. 3. 19.: Poenitemini igi-* *rtimini, ut deleantur pec-* .

at ex variis conciliis, prae- *ncilio Trid. sess. 14. c. 4.:* n quovis tempore ad im- veniam peccatorum hic s motus *necessarius.*" Et *6.*, ubi *odium* et *detesta-* *ato* inter praecipuas dispo- justificationem recensentur. at ex ratione. Etenim pec- cari nequit sine mutatione . e. sine poenitentia. Nam tificatus ex inimico fit ami- diante gratiae sanctificantis Atqui hoc fieri nequit sine seu poenitentia: secus enim esset et non esset, i. e. justificatus et proinde ami- hypothesi, et simul non remaneret inhaerens crea- ersus a Deo, siquidem non is. Quid autem absurdius? II. Contritio necessaria est *praecepti*, supposito pec- i, saltem aliquando in vita. eceptum colligitur ex ver- scripturae supra relatis, ex Ioannis Bapt. initio suae is et praesertim Christi riis sancti evangelii locis. autem cadere sub prae- ntritio, quae requiritur ad em, nempe contritio per- sacramentum vel attritio ento. — *S. Lig. n. 437. Dub. 1.* — *Billuart diss. 4. art. 3.* et *alii omnes.*

III. Praeceptum contritionis obligat modo *per se*, modo *per accidens.*

1° Obligat *per se*, quando urget necessitas gravis se reconciliandi cum Deo, scilicet in periculo etiam probabili mortis, ob praeceptum finem ultimum consequendi; item, quando quis versatur per longius tempus in peccato, ob proximum periculum moriendi in hoc misero statu vel in graviora vitia labendi. — *Ita communiter.*

2° Obligat *per accidens*, quando urget aliud praeceptum, quod sine contritione adimpleri nequit, praesertim in sequentibus casibus, scilicet quando urget praeceptum confessionis annuae; quando urget praeceptum actus caritatis; quando quis reus peccati gravis sacramentum suscepturus aut ministraturus est; quoties recipitur sacramentum poenitentiae etiam devotionis causa. — *S. Lig. ibid.*

Quaesita:

444. — Quaer. 1° *An praeceptum contritionis obliget statim post patratum mortale peccatum?*

Resp. Controvertitur; sed *negative*, ut nunc communiter censent. Praeceptum enim contritionis est affirmativum, nempe *Poenitentiam agite;* porro praeceptum affirmativum non obligat singulis momentis: ergo praeceptum contritionis non statim primo instanti post patratum peccatum urget. Secus enim multiplicarentur peccata pro numero instantium dilationis, quod sensui communi fidelium et praxi confessariorum adversatur. — *S. Lig. n. 437. Dub. 1.* — *Elbel n. 54.* — *Billuart etc.* contra *Collet* — *Concina etc.*

Quaer. 2° *Quaenam autem dilatio contritionis peccatum grave inducat?*

Resp. Non conveniunt theologi. Admittitur quidem communiter, dari dilationem contritionis gravem independenter a praecepto confessionis annuae,

praecipue ob laesionem gravem caritatis erga seipsum: quanta autem debeat esse dilatio haec, ut gravis censeatur, determinari non potest. Alii illam producunt ad annum, alii ad sex menses, alii ad mensem vel hebdomadam. *Probabilius per se* grave est differre actum contritionis ultra mensem, quia videtur adesse obligatio gravis eliciendi actum caritatis semel in mense: actus autem caritatis absque actu contritionis elici nequit. — *Ita S. Lig., Hom. apost. tr. 16. n. 10.* Dixi: *per se;* quia peccatores praesertim rudes ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam ut plurimum, imo fere semper excusari possunt. — *S. Lig. n. 437.*

445. — Quaer. 3° *An ille, qui in articulo mortis suscipit sacramentum poenitentiae cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis perfectae?*

Resp. 1° Non videtur teneri ad actum contritionis explicitum, cum moraliter certus sit, se fuisse justificatum per solam attritionem cum sacramento. — *Ita Lugo* et *alii communiter* contra *plures.*

Resp. 2° Tenetur autem juxta communem sententiam elicere actum caritatis perfectae, cujus praeceptum urget imprimis in articulo mortis. — In praxi autem semper moribundi excitandi sunt, quantum fieri potest, tum ad actum caritatis, tum ad actum contritionis perfectae. — *S. Lig. n. 437. Dub. 2.*

Quaer. 4° *An ad consequendam gratiam in sacramento praeter dolorem requirantur actus expliciti fidei et spei?*

Resp. Negative. Ratio est, quia nullo probabili argumento probari potest, hos actus explicite requiri. Ceterum poenitens, eliciens actum doloris, etiam *explicite* aliquo modo et *exercite* hos actus elicit, etsi non *reflexe,* quia tunc sine dubio credit *exercite* et sperat, sibi per sacramentum poenitentiae in virtute meritorum Christi peccata remittenda esse. — *S. Lig. n. 439.* et *alii communiter* contra *plures.*

446. — Quaer. 5° *An sit peccatum confiteri veniale aliquod sine dolore?*

Resp. Negative probabilius, modo dolor circa alia vel saltem unum non deficiat(¹). Ratio est: 1° quia ratione validitatis sacramenti sufficit, ut praebeatur aliqua materia certa, nempe ut adsit dolor de aliquo veniali, cum venialia non sint materia necessaria sacramenti poenitentiae et aliunde remitti possint alia sine aliis, siquidem amicitia Dei non privant; — 2° quia nulla inde injuria sacramento infertur, si ex bono fine, seclusa omni levitate, declarentur. Imo plerumque utiliter accusantur venialia, etiam quorum non habetur dolor, ad majorem conscientiae manifestationem et directionem, ad aliquam concipiendam confusionem etc. — *Vide S. Lig. n. 449.*

447. — Quaer. 6° *An contritio debeat praecedere confessionem?*

Resp. 1° Debet certo praecedere *absolutionem,* vel saltem ipsi coëxsistere, ut patet. Practice autem loquendo requiritur, ut dolor praecedat saltem absolutionem, quia nullus poenitens se indispositum sentiens absolutionem petere aut accipere potest.

Resp. 2° Non debet necessario dolor praecedere *accusationem* ad valorem sacramenti, quia adsunt omnia requisita ad sacramentum, modo absolutionem praecedat, nec probari potest praeceptum praemittendi dolorem efficacem confessioni explicitae peccatorum. — *Lugo* — *Suarez* et *alii communissime.* Ceterum, quando theologi dolorosam confessionem requirunt, nihil aliud videntur requirere, nisi ut confessio non sit mera peccatorum

(¹) et cetera venialia non addantur scienter tamquam materia sacramenti. Hoc enim *per se,* praescindendo scil. ab ignorantia vel inadvertentia, culpa gravi non careret. — V. *Lugo, de poenit. disp. 14. n. 126.*

narratio, sed ut sit accusatio sui in ordine ad absolutionem obtinendam.(1) — *S. Lig. n. 445.*

Quaer. 7° *Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum sacramentum?*

Resp. Hoc determinari nequit. Juxta sententiam communem perseverare potest per unum aut etiam plures dies, modo elicitus fuerit intentione confessionis faciendae et continuetur virtualiter aliquibus mediis, v. g. fuga occasionum, animi recollectione, oratione frequenti etc. — *Ita S. Lig. n. 446.* et *alii multi.* Ceterum in praxi valde suadendum est omnibus poenitentibus, ut semper renovent immediate ante confessionem actum contritionis prius elicitum, praesertim si postea animum ad alia diversa per notabilem moram converterint. — *S. Lig. ibid.*

448. — Quaer. 8° *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando poenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur?*

Resp. Controvertitur. Iª Sententia *communior* et *valde probabilior negat,* quia certo perseverat prior contritio, quae, ut universalis, extendebatur ad omnia peccata, etiam ex oblivione omissa, nec requiritur, ut contritio explicite ordinetur ad sacramentum. Praeterea videtur haberi dolor explicitus in actu illud peccatum accusandi. — *Lugo* — *Roncaglia* — *Reuter etc.* cum *S. Lig. n. 448.*

IIª Sententia *affirmat,* quia per absolutionem completum est judicium; ergo, si impertienda sit nova absolutio, nova requiritur materia proxima, et quamvis dolor in se perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem. — *Bonacina etc.*

Quamvis haec sententia levi fundamento innixa videatur, in praxi tamen, ut tutior, sequenda est ob auctoritatem plurium gravium theologorum et praesertim *S. Lig. ibid.*, qui illam probabilem vocat(1).

§. II.

De dotibus contritionis.

449. — Dotes necessario requisitae ad validitatem contritionis, tum perfectae, tum imperfectae, quatuor numerantur, scilicet: 1° ut sit interna; 2° supernaturalis; 3° summa; 4° universalis.

I. *Interna* seu *vera,* i. e. corde et animo vere concepta juxta illud *Joelis 2. 13.: Scindite corda vestra et non vestimenta vestra.* Contritio enim juxta *Trid.* est animi dolor; animus autem mentem et voluntatem significat.

II. *Supernaturalis,* i. e. elicita per auxilium gratiae et ex motivo supernaturali seu cognito per lumen fidei et ad Deum aliquatenus impellente. Dolor enim ex motivo mere naturali elicitus, v. g. ex timore infamiae, nihil conferre potest ad obtinendam justificationem(2): media enim naturalia ad finem supernaturalem conducere nequeunt.(3)

Motiva autem supernaturalia ad quatuor reduci possunt: 1° ad timorem poenae; — 2° ad spem praemii; — 3° ad turpitudinem peccati supernaturaliter apprehensam; — 4° ad bonitatem Dei. Quoties aliquis movetur ex uno horum motivorum per fidem cognito cum spe veniae a Deo impetrandae, supernaturaliter movetur.

III. *Summa,* i. e. ut peccator detestetur crimen suum plus, quam omne

(1) Si tamen hoc ipsum dubium esset, an scilicet confessio saltem in hoc sensu dolorosa exstiterit, confessarius poenitentem disponat et deinde ipsum adducat, ut se iterum modo omnino generali accuset. — Cf. *S. Lig. ib. versus finem.*

(1) attamen in *Hom. ap. tr. 16. n. 22.* expresse docet, priorem post sacramenti susceptionem recte teneri posse.

(2) immediate; potest tamen conferre mediate ut occasio, qua excitamur ad dolorem supernaturalem eliciendum.

(3) Cf. *prop. 57. Innoc. XI.*

aliud malum, et malit omnia perdere et pati, quam peccatum patrare. Etenim conversio ad Deum debet esse totalis, cum peccatum sit aversio totalis. Sed non esset totalis, nisi esset summa; imo nulla foret: nam homo adhaereret adhuc creaturae, cum eam adhuc Deo anteponeret.

IV. *Universalis,* i. e. includere debet omnia peccata gravia, saltem implicite, scilicet vel ex motivo universali unico, aut ex pluribus motivis particularibus, quae saltem simul sumpta se extendant ad omnia mortalia commissa, etiam memoriae non occurrentia. Ratio est, quia nullum peccatum actuale remittitur sine dolore; unum autem mortale sine alio remitti nequit, cum remissio fiat infusione gratiae, quae cum nullo mortali simul stare potest.(1)

Quaesita:

450. — Quaer. 1° *An contritio intensive summa esse debeat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia intensitas est quid mere accidentale; gradus enim doloris seu affectus vel conatus major aut minor non pertinet ad essentiam contritionis, cum absque ejusmodi intensitatis gradu contritio tota exsistere possit. Praeterea: undenam scires, hunc vel illum intensitatis gradum fore attingendum?(1) — Sufficit igitur, ut sit *appretiative* summa, i. e. ut peccatum aestimatione seu voluntate seria prae ceteris odio habeatur. — *S. Lig. n. 433.*

Quaer. 2° *An requiratur comparatio* formalis *in appretiatione inter varia mala ob Deum toleranda et peccatum?*

Resp. Negative, sed sufficit, ut peccator sincere et vere peccata detestetur et nolit omnino amplius peccare. Imo, valde imprudenter agunt confessarii, qui poenitentibus quasdam comparationes proponunt valde periculosas ad dolorem *summum* certiorandum, v. g. mallesne vivus comburi, vel omnia martyrum tormenta subire, aut reptilia venenosa manducare, quam iterum peccare? Tales enim comparationes vividius phantasiam movent, et accedente valida tentatione amittitur vera dispositio, quae antea in anima exsistebat. — *S. Lig. n. 433. 7.* — *Elbel n. 79.*

Quaer. 3° *Quaenam temporis diuturnitas ad veram ac summam contritionem concipiendam exigatur?*

Resp. Nulla *per se,* quia diuturnitas non pertinet ad essentiam actus, sed est ipsi mere accidentalis. Quamobrem satis est, ut actus sit substantialiter impletus, quod minimo etiam tempusculo fieri potest. Tutius tamen est, actum contritionis elicere intensiorem et productiorem, ne forte ex levitate aut nimia festinatione nullus quoad substantiam concipiatur. —

(1) Cf. *S. Lig. n. 433. 5.; n. 438.*
Si quis vero peccatum lethale ex oblivione, quam supponimus non graviter culpabilem, in confessione omitteret et motivum contritionis ad istud peccatum non se extenderet (quod tamen vix continget), confessio valida quidem, sed informis dicenda videtur. — V. *S. Lig. n. 444.* — *Anal. J. P. ser. 6. col. 1912.* — Supra *n. 232. Q. 1°. not.*
Addunt alii: Contritio sit
V. *Formalis,* i. e. expressa; non enim sufficit ad remissionem peccatorum *per sacramentum* contritio virtualis et implicita, prout continetur in actu caritatis, ne quidem quoad peccata venialia. — Cf. *S. Lig. n. 433. 2.*
Alii tandem in praxi omnino suadendum esse ajunt, contritionem *in ordine ad sacramentum* elicere, cum sententia docens, id non necessario requiri, saltem quoad dolorem, quem sequitur susceptio sacramenti, indubia non sit. Sed huic observationi insistendum esse non putamus, cum eo ipso, quod quis cum dolore requisito peccata ad obtinendam remissionem de facto clavibus subjicit (cf. *n. 447. Q. 6°.*), etiam relatio doloris ad sacramentum adesse videatur.

(1) Adde, intensitatem doloris non semper in nostra potestate esse. Hinc aliquando quoad sensum vehementius movemur per malum temporale, quam per offensam Dei, licet voluntas prompta sit, potius omnia mala temporalia pati, quam Deum offendere. — Cf. *S. Lig. n. 442. etc.*

S. Lig. n. 433. — *Reuter* — *Elbel* et *alii communiter.*

451. — Quaer. 4° *An contritio de venialibus debeat gaudere quatuor iisdem dotibus?*

Resp. 1° Debet gaudere necessario tribus prioribus, scilicet debet esse 1° *interna*, quia contritio, quae ex intimo corde non elicitur, vera non est; — 2° debet esse *supernaturalis,* quia, ut dictum est, contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem; — 3° debet etiam esse *summa* seu debet peccator detestari peccatum veniale plus, quam mala naturalia omnia.

Resp. 2° Non autem debet esse necessario *universalis,* sive in sacramento, sive extra sacramentum. Ratio est, quia unum veniale potest remitti sine aliis, ex eo quod peccatum veniale non sit incomposibile cum gratia sanctificante. — *S. Lig. n. 449.*

Quaer. 5° *An attritio* formidolosa *seu ex metu gehennae concepta sufficiat ad justificationem in sacramento poenitentiae?*

Resp. Affirmative, modo sit vere *supernaturalis,* absolute *efficax* et tantum *materialiter servilis,* non vero *formaliter* seu *serviliter servilis*(¹). Ratio est: 1° quia hujusmodi attritio est vera conversio ad Deum et vera aversio a peccato; 2° quia hoc clare eruitur ex *concilio Tridentino sess. 14. c. 4.,* ubi dicit, attritionem conceptam ex metu gehennae et poenarum esse honestam et disponere peccatorem ad justificationem in sacramento poenitentiae obtinendam.

452. — Quaer. 6° *An sufficiat attritio ex metu poenarum purgatorii pro peccatis venialibus?*

Resp. Affirmative cum sententia communissima et moraliter certa, quia hic valent omnes rationes adductae supra pro sufficientia attritionis ex metu gehennae.

Quaer. 7° *An sufficiat attritio ex metu poenarum temporalium hujus vitae pro peccato subeundarum, prout a Deo infliguntur?*

Resp. Affirmative probabilius, modo motivum sit vere supernaturale. Ratio est: 1° Quia constare videtur ex verbis *Tridentini.* Dicit enim: *Attritio ex metu gehennae et poenarum concipitur;* ergo distinguit inter poenas gehennae et alias poenas. — 2° Quia in ejusmodi metu omnes verae attritionis conditiones adesse possunt. Sed opposita sententia ut tutior in praxi sequenda est. — *S. Lig. n. 443.*

453. — Quaer. 8° *An requiratur initium amoris in attritione ad justificationem in sacramento poenitentiae obtinendam?*

Resp. 1° *Affirmative,* si per *initium amoris* intelligatur pius quidam motus supernaturalis, quo peccator efficaciter a peccato avertitur et vere ad Deum convertitur. Ratio est, quia nequit fieri vera conversio ad Deum, quin Deus, inchoative saltem, ametur.

Resp. 2° *Negative,* si per *initium amoris* intelligatur aliquis gradus caritatis perfectae seu caritatis praedominantis, qua Deus super omnia diligitur. Ratio est, quia non requiritur necessario in sacramento actus, qui extra sacramentum essentialiter justificat. Atqui actus caritatis, quantumvis debilis et remissus(¹), habet infallibiliter adnexam gratiam sanctificantem ex natura sua extra sacramentum: etenim actus caritatis, quantumvis remissus, est verus actus ami-

(¹) Vocatur timor *serviliter servilis,* si quis de peccato quidem dolet illudque vitat ob poenas, quas a Deo peccatori infligendas scit, sed adhuc paratus esset peccare, si poenae istae non subsisterent: ad differentiam a timore *simpliciter servili*, si quis scil. ob eumdem poenarum timorem a peccato abstinet, quin tamen his et nunc (ullo modo) in animo habeat peccare, si poenae illae non essent, sed ab hoc prorsus abstrahit. — Prior malus est, non quidem qua timor poenarum, sed ob pravam illam animi dispositionem. — *Scav.*

(¹) Cf. *n. 450. Q. 1°.*

citiae erga Deum, et proinde ex se justificare debet; caritas enim, cum intensitas essentiam ipsius non constituat, vel tota, vel nulla est; ergo etc. — *S. Lig. n. 440.*, ubi dicit, esse moraliter certum. — *Lugo* — *Suarez* — *Lacroix* contra *Concina* — *Antoine etc.*(1)

§. III.

De efficacia contritionis.

Principia:

454. — I. Contritio perfecta hominem justificat *per se* etiam extra sacramentum poenitentiae. 1° Constat ex ratione. Etenim contritio includit necessario caritatem perfectam: porro amare Deum perfecte est cum Deo conjungi; amor enim in unione consistit: porro conjunctio cum Deo necessario disjunctionem a peccato operatur, cum non possit quis unum extremum amplecti, quin ab extremo opposito totaliter recedat. — 2° Constat ex scriptura sacra. *Prov. 8. 17.: Ego diligentes me diligo.* — *Joan. 14. 21.: Qui . . diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* — *1. Petr. 4. 8.: Caritas operit multitudinem peccatorum.*(2)

II. Contritio perfecta non remittit peccata mortalia seu hominem non justificat, nisi cum voto confessionis. Peccata enim remitti non possunt, nisi per medium a Christo institutum, ut patet; atqui sacramentum poenitentiae in re vel saltem in voto est unicum medium a Christo institutum ad remittenda peccata post baptismum patrata. — Constat insuper ex *concilio Trid. sess. 14. c. 4.*

III. Attritio tamquam praerequisita dispositio sufficit ad obtinendam peccatorum etiam lethalium veniam in sacramento poenitentiae. Etenim certum est, peccata mortalia interdum remitti per sacramentum poenitentiae; ad hoc enim a Christo Domino institutum fuit et ab ipso traditae sunt apostolis seu ministris Ecclesiae claves regni coelorum etc. Atqui peccata numquam sacramentaliter delerentur, si attritio in sacramento concepta justificationi obtinendae non sufficeret; enimvero, si perfecta opus esset contritione, peccator semper ad sacrum poenitentiae tribunal accederet prius contritione justificatus. Nudum proinde ministerium exercerent sacerdotes, quod a *concilio Trid.* ut haereticum damnatum est. Constat praeterea ex eodem *Tridentino sess. 14. c. 4.*, attritionem disponere ad justificationem in sacramento poenitentiae.

IV. Attritio autem extra sacramentum hominem justificare non potest. Etenim attritio per se justificare nequit; justificatio enim consistit in perfecta conjunctione cum Deo; sed attritus, licet a creaturis discedat primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, non adhuc tamen est perfecte conversus. Nec propria virtute justificat attritio in sacramento, sed est tantum praerequisita conditio; ipsum autem sacramentum per gratiae infusionem justificat. Quare in sacramento poenitens est *actu* attritus et *habitu* contritus.

---

(1) Breviter, sed accurrate de hac quaestione inter theologos adeo agitata disserit *Ben. XIV., de syn. l. 7. c. 13.* Omnino autem ad mentem hujus Pontificis (cf. *ib. n. 10.*) pro praxi suadendum putamus, ut poenitens, ubi amor Dei propter summam ejus bonitatem in seipsa consideratam omnino abesse censetur, inflammetur per motiva, quae quasi natura sua saltem ad initium contritionis inducunt, cum vix aliquis tam plumbeus erit, ut v. g. beneficia Dei innumerabilia, naturalia et supernaturalia, considerans non *saltem aliquo modo* et ipsam divinam benignitatem et bonitatem directe diligat, licet fortasse motiva amoris perfecti non per se sola sufficerent, ipsum ad detestationem peccati super omnia evehere. — Ceterum ei, qui cum sola attritione ad sacramentum accedit, sane absolutio non est deneganda, ut colligitur ex sequentibus. — Cf. *S. Lig. n. 442. sub fine.*

(2) Cf. supra *n. 442. not.*

Quaesita:

455. — Quaer. 1° *An votum confessionis debeat esse* explicitum *in contritione?*

Resp. Negative cum sententia *communi,* quam tenent *Billuart diss. 1. art. 4. §. 2.* — *Salmant. c. 2. n. 23.* — *S. Lig. n. 437. Dub. 4. (probabilius) etc.* Ratio est, quia ad remissionem sufficit, ut quis vere conjungatur toto corde cum Deo per contritionem perfectam. Deus enim rejicere nequit peccatorem toto corde et ex perfectissimo motivo ad ipsum accedentem, ut patet ex dictis; atqui fieri potest aliquando, ut peccator eliciat talem actum perfectae contritionis, quin cogitet de confessione sive ex inadvertentia vel oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili. Ergo non est essentiale ad remissionem peccati per contritionem, ut votum confessionis sit explicitum.

456. — Quaer. 2° *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam poenam culpae debitam?*

Resp. 1° Remittit certo poenam aeternam, quia homo justificatus per contritionem nequit remanere reus aeternae damnationis, ut patet.

Resp. 2° Remittit partem poenae temporalis pro mortalibus deletis vel venialibus debitae juxta majorem vel minorem ejus intensitatem. Proinde contritio perfecta valde intensa potest etiam omnem poenam remittere; sed non necessario ex natura sua hanc efficaciam habet. Eruitur ex *Trid. sess. 6. c. 14. et can. 30.* — Item ex *sess. 14. de poenit. c. 8. et can. 12.*

457. — Quaer. 3° *An attritio remittat peccata venialia extra sacramentum?*

Resp. Controvertitur. Probabilius affirmandum videtur. Ratio est: 1° quia ex *concilio Trid.* variis modis remitti possunt peccata venialia: ergo non sola contritione perfecta remittuntur; 2° quia in opposita sententia non facilius remitterentur peccata venialia, quam mortalia: hoc autem sensui communi adversatur; 3° quia vis remittendi venialia communiter tribuitur sacramentalibus; falso autem tribueretur, si ad ea delenda contritio perfecta requireretur. — *Ita Suarez disp. 11. sect. 3.* — *Lugo disp. 9. n. 28.* et *alii multi.*

Negant tamen *non pauci,* quia ex *Trid. sess. 14. c. 5.* peccata venialia *utiliter* in confessione accusantur; non autem accusarentur *utiliter,* si attritione remitti possent. — Sed merito reponitur, peccata venialia *utiliter* exponi posse in confessione variis de causis independenter a remissione, v. g. ratione confusionis, directionis etc.

Quaer. 4° *An contritio vel attritio remittat venialia sine voto sacramenti?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia sacramentum ex institutione divina pro solis mortalibus necessarium est; ergo venialia deleri possunt absque sacramento poenitentiae; ergo nullum votum hujus sacramenti requiritur ad eorum remissionem. — *Ita omnes.*

ARTICULUS II.
DE PROPOSITO.

458. — Definitio: Propositum est vera voluntas non peccandi de cetero.

Divisio: Duplex est: 1° *explicitum* seu *formale,* quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare; 2° *implicitum* seu *virtuale,* quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus prae oculis habeatur.

Principia:

459. — I. Propositum saltem implicitum est omnino necessarium ad peccati remissionem, quia propositum est pars essentialis contritionis, ut ex hujus natura et definitione constat.

II. Propositum verum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur, ut sit firmum, efficax et universale.

1° *Firmum;* scilicet poenitens habere debet voluntatem omnino deter-

minatam non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo aut timore humano(¹): secus enim non vellet totaliter et sincere ad Deum converti.

2° *Efficax,* seu poenitens non tantum firmiter statuere debet, se non amplius peccare velle, sed etiam adhibere operam et omnia media necessaria pro vitandis peccatis fugiendisque proximis occasionibus etc. — Sufficit autem, ut propositum sit efficax *affective,* i. e. sufficit, ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda, quia futura vitatio peccati non est de essentia propositi.

3° *Universale,* seu extendi debet 1° ad omnia peccata mortalia patrata; 2° ad omnia peccata mortalia etiam non patrata, sed quae patrari possent. Ratio est, quia totalis et vera ad Deum conversio dari nequit absque lethalis cujuslibet peccati aversione. Secus enim homo inclinatione voluntatis in gravia delicta propendere et simul per gratiam sanctificantem justificari posset: eodem itaque tempore foret Dei filius ac mancipium diaboli, quod absurdissimum est.

Quod autem ad peccata venialia spectat, requiritur et sufficit ad sacramenti valorem, ut firmum et efficax propositum ex venialibus unum saltem vitandi habeatur.

Quaesita:

460. — Quaer. 1° *An propositum, ut sit firmum, debeat esse invariabile?*

Resp. Negative; saltem hoc non est absolute necessarium. Ratio est, quia propositum afficit praesentem voluntatem, quae ex natura sua omnino variabilis est. Hinc ex relapsu post confessionem colligi nequit propositi infirmitas, saltem ordinarie. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 451.* — *Lugo d. 14. n. 166. etc.* contra *Concina diss. 3. c. 2. §. 4. etc.*

(¹) V. supra *n. 450. Q. 2°.*

Dixi: saltem hoc non est absolute necessarium. Nam si poenitens statim et sine ulla fere resistentia relabatur, argumentum vel saltem magnam praesumptionem praebet, quod proposito vere firmo caruerit; qui enim firmiter proponit, non adeo facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, conatus adhibet ad resistendum tentationibus vel peccati occasionibus et difficilius rariusque cadit. — *Ita S. Lig. n. 459.,* ubi *de recidivo.* — *Lugo d. 14. n. 160. etc.*

Dices: Non mutuo traderes pecuniam tuam illi, quem adverteres habere inconstantem voluntatem restituendi, licet hic et nunc videatur habere firmum restituendi propositum. Ergo nec prudenter potes absolvere poenitentem, quem praevides relapsurum. — *Ita Concina.*

Resp. Jocatur *P. Concina* similem effutiendo objectionem. Nimis claudicat comparatio! Quid enim inde? Non teneor tradere pecuniam meam furi quantumvis contrito, et prudenter quidem agerem saepe, eam denegando praecise ob cognitam humanae voluntatis inconstantiam et facilitatem in eosdem habitus relabendi. Sed hoc non probat, furem non habere hic et nunc veram voluntatem non amplius furandi, quod tamen sufficit ad valorem sacramenti. Aliunde efficacia sacramenti hanc bonam voluntatem confirmabit, dum mea pecunia potius in malam partem eam converteret.

461. — Quaer. 2° *An firmum censeri debeat propositum illius, qui habet quidem animum non peccandi, sed credit certo, se relapsurum?*

Resp. Negative, speculative loquendo, quia ille, qui vere vult non peccare, a peccato abstinere potest. Ergo, si credat certo, se relapsurum, hoc arguit infirmitatem propositi: aderit enim semper divina gratia, quacum sperare debet, se non relapsurum esse. — Non tamen indispositus censendus est ille, qui ex praeterita fragilitate lapsum pertimescit. Hinc ve-

rum habet propositum poenitens ille, qui interroganti confessario de voluntate non peccandi respondet: „Fragilis sum valde, formido lapsum; non „tamen volo nunc casum.“ — *S. Lig. n. 451.*

In praxi vero indolem geniumque poenitentis inspicias. Reperies enim non raro peccatores asseverantes, se relapsuros esse, qui timent, ne propositum satis firmum habeant, quin tamen aliud ostendant praeter relabendi timorem suique diffidentiam. Hujusmodi poenitentibus dicendum est, non agi de his, quae forte probabiliter evenient, sed de actuali voluntate futurum respiciente et de fiducia summa in auxilio divino reponenda. — *Ita communiter.*

462. — Quaer. 3° *An requiratur propositum explicitum in contritione?*

Resp. Iª Sententia *communior negat.* Ratio est, quia propositum cum nota ejus efficacia includitur in *vera contritione;* ergo propositum implicitum sufficere debet ad valorem sacramenti, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali. — *Elbel n. 87.* — *Layman c. 4. n. 6.* — *Salmant. c. 5. p. 4. n. 54.*

IIª Sententia *affirmat,* quia, licet dolor includat necessario propositum, attamen propositum explicitum requiritur a *Tridentino* dicente in definitione contritionis (*sess. 14. c. 4.*): *cum proposito non peccandi de cetero.* — *Ita Concina diss. 3. c. 1.*

Accedit etiam IIIª sententia, quae sic distinguit: si poenitens cogitet de futuro, ad propositum explicitum tenetur; secus, si non cogitet. Sed ea, quae spectant ad valorem sacramentorum, non variant pro subjecti advertentia vel advertentiae defectu. Attamen poenitens de futuro cogitans nec propositum explicitum eliciens magnum praebet argumentum de propositi carentia. — *S. Lig. n. 450.* dicit, 2am sententiam non esse improbabilem, sed duas alias probabiliores.

In praxi autem secunda sententia sequenda est, quia in *materia sacramentorum* tutiorem partem semper servare debemus. — *Ita S. Lig. ibid.* (1)

463. — Quaer. 4° *Quale propositum requiratur et sufficiat pro venialibus?*

Resp. 1° Requiritur et sufficit ad sacramenti valorem, habere efficax propositum saltem unum veniale vitandi, quia sufficit dolere de uno ad materiam sacramenti sufficientem. Ergo *a fortiori* sufficit propositum efficax vitandi omnia venialia, quae accusantur.

2° Sufficit sibi proponere emendationem de aliquo genere venialium, v. g. de mendaciis, cogitando serio: *Nolo amplius mentiri.* Sequitur ex dictis.

3° Sufficit velle vitare omnia peccata deliberata, quia omnia haec vitari possunt, et semi-deliberata, in quantum fieri potest.

4° Sufficit velle *firmiter* et *efficaciter* minuere frequentiam et multitudinem venialium, quia propositum cadit saltem in aliquod ex illis, ut dictum est de contritione.

---

(1) Difficile erit determinare, quam obligationem *S. Alphonsus* in tali casu statuat *post factum,* si quis scil. sine proposito explicito sacramentum poenitentiae jam suscepit. Cf. locum in textu cit. cum *n. 505.* ejusdem auctoris et *Hom. ap. tr. 16. n. 26.*

In praxi 2am sententiam sane suadendam, sed confessionem cum proposito implicito factam non iterandam censemus, cum *Tridentinum* nullibi propositum ut actum explicite distinctum a dolore requirat, *verus* et *quoad appretiationem summus* dolor autem de aliquo facto sine vero proposito concipi nequeat. Accedit, quod *Benedictus XIII.* in concilio romano (Append. XXIX.: *Instructio pro parvulis prima vice ad sacramentalem confessionem admittendis p. 3.,* cujus instructionis mentio fit in ipsis concilii actis *tit. 32. c. 3.*) sententiam primam ab auctore relatam amplexus sit, ipsa itaque, licet in concilio provinciali proposita, tamen ut *specialiter* a S. Sede approbata ad minimum moraliter certa censeri debeat.

In praxi tutius est, elicere propositum de nonnullis peccatis determinatis, de his praecipue, quae ex habitu patrantur, eisque peccatum aliquod vitae anteactae adjungere. — *Reuter n. 295.*

Nota 1° Quando cernuntur fideles, etiam qui ut pii habentur seu frequenter confitentur, nullum aut fere nullum profectum facere post innumeras confessiones, signum probabile est, quod proposita nimis generalia et confusa et proinde torpida, languida et imbecillia concipiant; tunc autem merito timendum est, ne ob debilitatem doloris et propositi absolutio evadat nulla et forte sacrilega. — *Elbel n. 112.*

Nota 2° Nec raro inveniuntur poenitentes, praesertim mulieres, diu examini conscientiae incumbentes, minimas culpas cum maxima anxietate requirentes et confessiones suas ultra modum protrahentes, et tamen de dolore et efficaci proposito parum curantes. Tales igitur serio adhortandi sunt, ut, omissa anxia cura afferendi omnia peccata venialia in specie et numero, ea dumtaxat, quae conscientiam magis gravant et quae potissimum exstirpanda sunt, cum serio dolore et vero proposito emendationis clavibus subjiciant. Imo expedit, ut ex istis venialibus seligant unum aliquod praecipuum, in quod dolendum prae ceteris imprimis incumbant. — *Sporer n. 339.* — *Elbel n. 113. etc.*

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

Confessio est accusatio peccatorum post baptismum patratorum, facta sacerdoti approbato in ordine ad absolutionem.

Tria huc spectant, scilicet: 1° necessitas; 2° dotes; 3° iteratio confessionis.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

Principia:

464. — I. Confessio sacramentalis est omnibus post baptismum lapsis de jure divino necessaria.

Constat: 1° ex scriptura sacra. Christus enim dicit apostolis *Joan. 20. 22.*: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* — Et *Matth. 16. 19.* dixit Christus Petro: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* — Et *18. 18.* ait omnibus apostolis: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Unde sic: In locis citatis Christus instituit apostolos et sacerdotes judices et medicos, sine quorum sententia et curatione nemo lapsus post baptismum potest reconciliari et sanari. Atqui hoc duplici munere fungi non possunt incognita causa. Quomodo enim sacerdotes facerent discrimen inter peccata et alia remitterent, alia vero retinerent, quin judicium de singulis ferre possint? Quaenam esset ratio aliis condonandi, aliis autem veniam denegandi? Quorsum tenderet illa suprema clavium potestas apostolis et eorum successoribus a Christo tradita? Illusoria sane foret, si peccatores non tenerentur sacerdotes adire et ipsis peccata sua manifestare. Ergo necesse est, ut peccata post baptismum commissa potestati clavium seu judicio sacerdotum subjiciantur. Ergo confessio de jure divino necessaria est.

Constat 2° ex *concilio Trid. sess. 14. can. 7.* his verbis: *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, . . . anathema sit.* — Adde innumeras alias conciliorum et SS. Pontificum decisiones.

Constat 3° ex traditione et argumento praescriptionis. Confessio enim semper fuit in usu ab exordio Ecclesiae, ut constat ex innumeris testimoniis ss. patrum et videri potest apud auctores de theologia dogmatica tractantes. Ergo est instituta a Christo ut necessaria et per apostolos ad nos transmissa. Hoc evidens est juxta notissimam *S. Augustini* regulam *lib. 4. de bapt. contra Donatist. c. 24.* (al. *31.*): *Quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi aucto-*

ritate apostolica traditum rectissime creditur. Praeterea confessio peccatorum secretorum, pudendorum et saepe horrendorum est res adeo ardua et difficilis, ut numquam tot saeculis tanta perseverantia et universalitate observata fuisset, nisi a Christo ut necessaria fuisset instituta.

465. — II. Confessio est etiam necessaria *de jure ecclesiastico* saltem semel in anno omnibus fidelibus, qui graviter peccaverunt.

Constat ex variis conciliis, sed praesertim ex *concilio Lateran. IV.* sub *Innocentio III.* his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere . . . alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepulturâ*(1).

Quaesita:

466. — Quaer. 1° *Quandonam urgeat praeceptum divinum confessionis?*

Resp. 1° Obligat certo *per se* in periculo, eoque magis in articulo mortis, et aliquando in vita. Ratio *primi* est, quia omnia praecepta positiva obligant saltem tempore necessitatis; secus enim numquam obligarent frustraque ponerentur. Ratio *secundi* est, quia praecepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed etiam quando eorum impletio rationabiliter necessaria judicatur.

Resp. 2° Obligat *per accidens* in variis circumstantiis, scilicet: 1° cum eucharistia ab eo, qui graviter peccavit, suscipienda est; 2° quando urget praeceptum se reconciliandi cum Deo vel requiritur status gratiae, v. g. ad sacramenta administranda vel ad recipienda ea, quae dicuntur *vivorum,* nec elici potest actus contritionis perfectae; 3° quando urget gravis tentatio, quae secus superari nequit.

Quaer. 2° *An praeceptum divinum confessionis statim obliget ac patratum est peccatum: vel quonam tempore urgeat?*

Resp. 1° Non obligat statim post peccatum. Ratio est, quia talis obligatio in nullo fundamento certo niti videtur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 671.*

Resp. 2° Facile determinari nequit, quoties in vita et quo praeciso tempore urgeat praeceptum divinum. Quidquid sit, graviter peccare non videtur, qui semel in anno tantum confitetur, quia non constat, praeceptum divinum frequentius urgere; et juxta multos Christus reliquit obligationis tempus Ecclesiae determinandum. — *(Plura de necessitate confessionis in tractatu de praecept. Ecclesiae n. 477. et seq.)*

ARTICULUS II.
DE DOTIBUS CONFESSIONIS.

467. — Multae confessionis dotes a variis auctoribus assignantur, quae ut plurimum ad ejus validitatem non pertinent. Praecipuae autem in his versiculis referuntur:

Integra sit, simplex, humilis, discreta, fidelis,
Vocalis, moerens, pura atque parere parata.

1° *Integra,* i. e. ut complectatur omnia peccata mortalia nondum confessa, ut mox fusius dicemus.

2° *Simplex,* i. e. non intermixta sermonibus impertinentibus, nec fucata verbis neque figuris adornata, sed nuda, clara et brevis peccatorum declaratio.

3° *Humilis,* i. e. fieri debet cum vera humilitate cordis et corporis, scilicet genibus flexis, nisi excuset infirmitas, et nudato capite, si vir confiteatur; humilitas etiam apparere debet in sono vocis, ita ut poenitens cum verecundia, non autem per modum fabulae aut nudae historiae sua peccata enarret.

(1) Cf. *n. 317.* et *p. 1. n. 477.*

4° *Discreta,* i. e. debet fieri verbis honestis et discretis, maxime in explicandis peccatis contra castitatem, nec debent manifestari peccata aut defectus aliorum sine necessitate.

5° *Fidelis,* i. e. sincera, sine mendacio, praesertim in materia gravi et necessaria ad judicium sacramentale.(1) Fidelitas autem seu sinceritas non tantum consistit in peccatis commissis rite declarandis, quod pertinet ad integritatem, sed etiam in iis non exaggerandis vel in peccatis suppositis non adjiciendis.

6° *Vocalis,* i. e. fieri debet confessio ipsa voce, non autem scripto(2), neque signis absque necessitate(3).

7° *Moerens* seu *dolorosa,* ut supra dictum est de contritione *n. 442. et seq.*

8° *Pura,* nempe ob finem honestum seu ad veniam peccatorum gratiasque sacramentales obtinendas, non vero ad confessarii compassionem commovendam ejusve benevolentiam, aestimationem vel considerationem captandam etc.

9° *Parere parata,* i. e. poenitens debet esse dispositus ex animo parendi monitis confessarii tamquam judicis sententiam proferentis, puta in fugiendis occasionibus, in adhibendis remediis, in restitutione facienda, acceptanda poenitentia etc.

Inter praefatas confessionis dotes maxime praecipuae sunt integritas et contritio. Jam de *posteriori* satis dictum est; nunc autem speciatim de *priori* disserendum venit.

---

(1) Cf. *n. 474.*

(2) Confessio *scripto* facta est tamen valida; invalida vero foret confessio et absolutio *per literas.* Forma enim consistit in *verbis,* ut definivit *Eugenius IV. in decreto pro Armenis;* porro forma materiae praesenti applicari debet. — Constat insuper ex propositione a *Clemente VIII.* damnata *ann. 1602.* — (Nota auctoris.)

(3) vel gravi causa, v. g. ob verecundiam vehementissimam, ob impedimentum linguae. — *S. Lig. n. 429. 493.*

De integritate confessionis.

468. — Duplex distinguitur integritas, alia *materialis,* alia *formalis.*

1° Integritas materialis sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium post baptismum vel post ultimam confessionem validam et integram commissorum.

2° Integritas formalis consistit in accusatione omnium mortalium, quae quis hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest vel tenetur.

Hinc, quoties habetur integritas materialis, habetur etiam formalis, sed non vice versa.

Dicemus: 1° de necessitate integritatis; 2° de causis ab ea excusantibus.

§. I.

De necessitate integritatis.

1° In genere; 2° de peccatis dubiis; 3° de circumstantiis peccatorum; 4° de peccatis oblitis.

PUNCTUM I.

De necessitate integritatis in genere.

469. — I. Omnia peccata mortalia post baptismum patrata de jure divino in confessione accusari debent, quantum moraliter fieri potest.

Constat 1° ex scriptura sacra seu ex verbis ipsis institutionis sacramenti poenitentiae; sic enim Christus Dominus *Joan. 20. 23.: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde sic: His verbis Christus tum apostolis, tum eorum successoribus judiciariam contulit potestatem circa peccata remittenda. Atqui inutiliter prorsus hanc potestatem eis contulisset, nisi omnia peccata singillatim ipsis fuissent declaranda: etenim hujusmodi potestas nullatenus posset exerceri, siquidem judex incognita causa judicaret, nec discrimen ullum inter peccata in ordine ad ea remittenda vel retinenda inducere valeret. Ergo ex ipsa confessionis institutione per formam judicii sequitur rigorosa ob-

ligatio omnia peccata mortalia quoad numerum et speciem(1) declarandi.

Constat 2° ex verbis *Tridentini sess. 14. c. 5.*: „ . . . Universa Ecclesia semper intellexit, institutam „esse a Domino integram peccatorum „confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam „exsistere: quia Dominus noster Jesus „Christus e terris ascensurus ad coelos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tamquam praesides et judices, „ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles cecidderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum „sententiam pronuntient. Constat enim, „sacerdotes judicium hoc incognita „causa exercere non potuisse, . . . „si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi „peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a poenitentibus omnia „peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, „etiamsi occultissima sint.“ — Et *can. 7.* sic definivit: *Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae speciem peccati mutant, . . . anathema sit.*

470. — II. Integritas materialis non semper necessaria est ad validitatem et fructum confessionis. Etenim materialis integritas interdum est moraliter impossibilis, sive ex inculpabili oblivione, sive aliis de causis: Deus autem impossibilia non jubet. Constat etiam ex *concilio Trid. loco cit.* his verbis: *Reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum propheta dicimus:* Ab occultis meis munda me, Domine.

III. Ad integritatem confessionis praerequiritur diligens examen, pro capacitate poenitentis, de peccatis ab ultima confessione valida patratis; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria. — *Vide appendicem de examine conscientiae infra n. 507.*

Resolves:

471. — 1° Tenemur in confessione accusare non tantum species genericas peccatorum, sed etiam species infimas, cum eae proprie *species* dictae sint et accusationem omnium specierum requirat Tridentinum.

2° Qui non potest speciem infimam patefacere, tenetur ad speciem superiorem seu genericam manifestandam: v. g. si quis sciens, se peccasse contra castitatem, non recordatur de peccato specifico, tenetur tamen dicere, se contra castitatem graviter peccasse.

3° Qui scit, se peccasse mortaliter, sed ignorat speciem etiam genericam peccati sui, tenetur tamen dicere in genere, se peccasse graviter, non vero recordari, cujus peccati sit reus.

4° Qui recordari nequit de numero certo, tenetur accusare numerum probabiliorem seu, qui magis accedit ad veritatem, addendo particulam *circiter;* quia, ubi deest certitudo, illud, quod verisimilius est, accusari debet.

5° Qui nec summam peccatorum verisimilem exhibere potest, dicere tenetur, an frequenter aut raro peccaverit: quoties circiter in mense, in hebdomada, in die etc.

6° Confessarius nequit eximere ab obligatione integre confitendi ob ma-

(1) Addimus, ut breviter omnia complectamur, ad integritatem materialem pertinere peccata quoad numerum, species morales, circumstantias quasdam *(n. 482. et seq.)*, actum externum *(n. 489. Q. 9°.)* effectusque malos cum actione junctos et moraliter imputandos. *(p. 1. n. 8. et seq.* — Infra *n. 490.)*

gnum poenitentium concursum, v. g. aliquo die festo solemniori. Constat ex dictis, necnon ex *propositione 59.* ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic exprimitur: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.*

7° Defectus sinceritatis circa unum tantum mortale, quod omittitur, constituit peccatum grave, quia praeceptum divinum confessionis in re gravi violatur.

Quaesita:

472. — Quaer. 1° *Qualis numerus censeatur comprehendi in particula* circiter?

Resp. Non potest regula omnino praecisa determinari: non tamen comprehenditur qualiscumque excessus, nec notabilis defectus, sed modicus tantum, major tamen vel minor proportionate ad numerum expressum. Sic autem communiter statuunt theologi: modicus excessus vel defectus erit relate ad *quinque circiter* peccata, unitatem unam hinc inde addere vel demere; relate ad *circiter decem,* duas; relate ad *viginti*, tres vel quatuor; relate ad *quadraginta,* quatuor vel quinque; relate ad *centum,* quinque vel sex etc. censebiturque prudenter in primo casu poenitens quater, quinquies vel sexies peccasse; in secundo vero octies, novies, decies, undecies vel duodecies; et similiter de aliis resolves. — *Vide S. Lig. n. 466.*

473. — Quaer. 2° *An debeat postea declarari excessus notabilis, si peracta confessione reperiatur?*

Resp. Affirmative. Ratio patet ex dictis. Si enim excessus notabilis non comprehendatur in numero declarato cum particula *circiter,* poenitens non satisfecit obligationi confessionis quoad illum excessum. — *Ita omnes.*

Quaer. 3° *Si quis erraverit notabiliter exaggerando numerum, an debeat id etiam postea in confessione declarare?*

Resp. Negative, si bona fide numerum istum notabiliter majorem expresserit. Ratio est, quia plene et integre satisfecit obligationi confessionis; verus enim numerus in majore fuit comprehensus, adeoque remissus. — *Reuter n. 313.* et *alii communiter.*

474. — Quaer. 4° *An sit semper peccatum mortale mentiri in confessione?*

Resp. Per se datur tantum peccatum mortale, quoties mendacium versatur circa materiam *necessariam* confessionis sine justa causa celatam aut circa materiam gravem falso suppositam, scilicet accusando peccatum grave non commissum (1).

Mendacium igitur circa res ad confessionem seu conscientiam poenitentis non attinentes non est *per se* mortale, quia nec est graviter poenitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter sacramento injuriosum, cum ad ipsum non referatur. — *Ita communiter* cum *S. Lig., Hom. apost. tr. 16. n. 28.* — *Billuart etc.* contra *paucos,* qui dicunt, omne mendacium in confessione esse mortale.

475. — Quaer. 5° *An officiat integritati confessionis, si quis accuset venialia confessario ordinario, mortalia vero alteri?*

Resp. 1° *Negative per se loquendo,* dummodo absolutionem numquam recipiat, quin omnia mortalia uni manifestaverit et ab eodem absolvatur. Ratio est, quia integra est illa confessio, quae omnia mortalia complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda.

---

(1) advertenter. Si enim fieret ex scrupulo vel simplicitate, non esset peccatum.

Si vero poenitens mentitur circa peccata etsi jam confessa et absoluta, quando confessarius uti judex aut medicus de iis aliquid exquirit utpote necessarium ad praesentem confessionem, graviter peccat, quia in substantialibus decipit. — *Scav.* — Cf. etiam *prop. 58. Innoc. XI.*

Resp. 2° In praxi autem attendendum est ad varias poenitentium circumstantias et ad motiva, quibus ducuntur. Non sunt quidem damnandi, qui aliquando gravius lapsi ea graviora peccata ignoto confessario confitentur, leviora vero ordinario subjiciunt, si id faciant ex pudore naturali, quo suffunderentur confessario familiariter cognito peccatum istiusmodi accusando; secus vero dicendum de iis, qui circumeunt, ut liberius peccent, ne a confessariis corripiantur etc. — *S. Lig. n. 471. 5.*

476. — Quaer. 6° *An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a confessario agnoscatur?*

Resp. Negative per se, quia, modo omnia mortalia aperiat, confessionem integram peragit. Nec necesse est, ut a confessario nominatim cognoscatur; sufficit enim, ut confessarius praesentem peccatorem absolvere intendat: intentio autem confessarii semper est *per se* ad poenitentem praesentem determinata. — *Lacroix, de sacram. in genere n. 68.*

Dixi: *per se;* quia aliquando sic posset induci in errorem gravem confessarius, qui talem poenitentem non absolveret, si eum agnosceret, v. g. ob protractam peccandi consuetudinem etc.

PUNCTUM II.
De peccatis dubiis.

Dubium hic versari potest praecipue: 1° circa actum peccati seu circa peccatum commissum; — 2° circa gravitatem peccati, tum ex parte materiae, tum ex parte assensus; — 3° circa confessionem peccati certo commissi.

Quaesita:

477. — Quaer. 1° *An necessario accusanda sint peccata dubie commissa?*

Resp. 1° *Affirmative*, si agatur de dubio *practico* seu de dubio *proprie dicto,* ex quo scilicet conscientia minime efformetur. — Constat ex dictis *de conscientia n. 41.*

Resp. 2° *Negative probabilius,* si, praehabito diligenti examine, dubium perseveret: et hoc valet, etiamsi dubium sit vere positivum seu vera detur probabilitas de commisso peccato. Ratio est, quia hic agitur de lege dubia, quae consequenter non obligat. Etenim ex *Tridentino* accusari debent peccata mortalia, quorum *habetur conscientia.* Non autem habetur conscientia peccatorum dubiorum; nam habere conscientiam importat notitiam certam peccati, cum conscientia nihil aliud sit, quam cordis scientia et judicium practicum de peccato commisso. — *Sporer n. 389.* — *Roncaglia c. 2. quaest. 7.* — *Reuter n. 305.* et *alii multi.* — *Vide S. Lig. n. 473. et seq.*

Contradicunt tamen non pauci, quia, ajunt, colligitur ex verbis *concilii Trident.,* omnia mortalia esse accusanda, prout *sunt in conscientia,* et proinde, si dubia sint in conscientia, ut dubia sunt etiam confitenda. — *Concina etc.* — Sed *concilium Trid.* non dicit, esse accusanda peccata, *ut sunt in conscientia,* sed: *quorum conscientiam habemus.* In praxi tamen hujusmodi accusatio suadenda est, ait *S. Lig. n. 476.* (¹)

Nota: Plures theologi docent, accusanda esse peccata *negative dubia.* Sed per hoc de dubio practico seu proprie dicto loqui intendunt. Nequit enim dari obligatio confitendi peccata *negative* dubia, quia hujusmodi dubium nullo solido fundamento innititur nec oritur, nisi ex inani suspicione seu timore peccati commissi, ut scrupulosis aut iis, qui sunt conscientiae timoratae, frequenter contingit.

(¹) Si autem quis cum ejusmodi dubio versetur in articulo mortis, sciens, se sacramentum poenitentiae (vel aliud sacramentum bona fide et attritum — v. *n. 192. Q. 2°. 3°.*) post tale peccatum non suscepisse, ad effugiendum damnationis periculum sane obligaretur vel accipere absolutionem sacramentalem vel saltem actum contritionis elicere. — *S. Lig. n. 473.* — Cf. supra *n. 443. III.; n. 445. Q. 3°.*

478. — Quaer. 2° *An sint accusanda peccata dubie gravia?*

Resp. Negative probabilius per se, saltem speculative, etiam data vera probabilitate de peccati gravitate. Ratio eadem est ac pro quaesito praecedenti; non enim constat de peccato gravi commisso, nec proinde de obligatione confessionis constare potest. — *Ita iidem* contra *eosdem.*

In praxi autem duplex regula sequenda est:

I^a *Regula.* In dubio, an materia peccati sit gravis: 1° Poenitentes rudes ordinarie tenentur dubia accusare, quia non possunt per seipsos conscientiam efformare, cum plerumque non possint distinguere venialia a mortalibus. Excipe tamen scrupulosos, qui mortalia committere frequenter non solent. — 2° Poenitentes instructi non tenentur dubie gravia accusare, quia per seipsos conscientiam efformare possunt; nihilominus ad haec etiam accusanda ordinarie suaviter inducendi sunt.

II^a *Regula.* In dubio de consensu pleno aut de advertentia perfecta: 1° Si poenitentes sint timoratae conscientiae, nec soleant graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet praesumptio, quae *ex ordinarie contingentibus* habetur; imo saepe sunt ab hac accusatione impediendi, si ad scrupulos propensi videantur. — 2° Si poenitentes medium servent inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligandi, sed bene inducendi ad consensum dubium declarandum, quia illud prodest ad conscientiae tranquillitatem etc. — 3° Si poenitentes sint laxae conscientiae, generatim peccata dubia declarare debent, quia ipsis praesumptio adversatur. — *Vide S. Lig. n. 476.*(¹)

479. — Quaer. 3° *An necessario accusanda sint peccata dubie seu probabiliter jam declarata?*

Resp. 1° *Affirmative,* si dubium sit negativum, quia lex confitendi est certa, nec dubio mere negativo incerta efficitur, juxta dicta *de consc. n. 41.* — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Controvertitur* autem, si dubium sit positivum, i. e. si positiva et gravis ratio suadeat, peccatum jam esse declaratum. Sententia prima tenet, hujusmodi peccatum esse declarandum, quia obligatio confessionis est certa, ejus autem adimpletio dubia. — *Ita S. Lig. n. 477.*(¹) — *Negant* vero *alii* cum *Suarez* — *Lugo* — *Lacroix* — *Bonacina etc.,* quia obligatio ipsa confitendi incerta jam effecta est per satisfactionem vere probabilem. — In praxi tutior sententia suadenda omnino est, licet altera sat probabilis appareat. — *Recole dicta in tract. de consc. n. 80.*

480. — Quaer. 4° *An, qui confessus est aliquod peccatum tamquam dubium, debeat illud repetere, si illud ut certum postea cognoscat?*

Resp. Controvertitur. I^a Sententia *probabilior* et *communis affirmat.* Ratio est: 1° quia debemus accusare omnia peccata certa, quorum habemus conscientiam; — 2° quia peccatum illud non fuit accusatum quoad substantiam: accusatio enim certa non includitur in dubia. — *S. Lig. n. 478.*

II^a Sententia *sat probabilis negat.* Ratio autem deducitur ex dictis *n. 477.*: nam sicut, exposito semel numero peccatorum dubio cum particula *circiter,* non teneris amplius ad certum numerum, quem postea cognovisti, in confessione declarandum, modo excessus notabilis absit: ita neque peccatum, quod tam-

(¹) Cf. etiam *p. 1. n. 156. 3°.*

(¹) Duas tamen *ib.* innuit exceptiones, scil. 1° si occurrat dubium de omissione peccati jam a longo tempore patrati in eo, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis; 2° si agatur de scrupuloso, qui non obligatur ad accusationem peccati praeteriti, nisi certus sit tum de omissione, tum de gravitate ejusdem.

quam dubium accusasti, teneris certo postea cognitum in confessione repetere; nullum enim est inter utrumque casum discrimen, cum in numero dubio peccata etiam quaedam ut dubia declarentur, nec species magis, quam peccatorum numerus, sit aperienda. Insuper peccatum dubium fuit directe remissum, cum remissum fuerit vi praesentis absolutionis, cui, ut erat in conscientia, subjectum est. Ergo non est necessario iterum clavibus subjiciendum. — *Ita Lugo d. 16. n. 77. et seq.* — *Sporer n. 397.* — *Elbel n. 274.* — *Reuter n. 332. etc.* — In praxi tamen, ait ipse *Lugo*, non facile a prima sententia recedendum est.

481. — Quaer. 5° *An possit quis accedere ad sacram synaxim cum peccato mortali dubio seu probabili sine praemissa confessione?*

Resp. Affirmative rigorose loquendo. Ratio est, quia *concilium Trident.* requirit tantum confessionem ante communionem pro iis, qui sunt conscii peccati mortalis. Hinc sacerdos dubitans, an adhaeserit pravae cogitationi seu judicans probabiliter, se non ei adhaesisse, celebrare posset sine confessione, quamvis copiam confessarii habeat. — *S. Lig. n. 475.* — Tenetur autem certo ad contritionem perfectam eliciendam, quia non potest eximi a lege naturali et divina de probatione praemittenda sacrae eucharistiae. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 432.*(1) — In praxi autem confessio admodum suadenda est.

PUNCTUM III.

De circumstantiis peccatorum.

Circumstantiae varii generis in peccatis distinguuntur:

482. — 1° Aliae *speciem mutant*, et eae sunt, quae ratione sui addunt actui peccaminoso malitiam specie distinctam ab ea, quam actus in se habet. Sic voti aut matrimonii circumstantia addit fornicationi peccatum sacrilegii (1) aut adulterii.

2° Aliae sunt *aggravantes* tantum, modo notabiliter, modo leviter, prout vel notabiliter vel leviter augent malitiam actus peccaminosi ratione durationis, intensitatis, rationeve gradus, modi, temporis, personae, loci etc.

3° Aliae sunt *imminuentes*, utpote quae minorem peccati malitiam reddunt, v. g. defectu advertentiae etc. — *Recole dicta, ubi de act. hum. n. 27.*

Principia:

483. — I. Certum est, accusandas esse circumsantias *speciem mutantes*. Ratio est, quia novum peccatum per se constituunt, ut constat ex *concilio Trid. sess. 14. cap. 5.* et *can. 7.*

II. Certum est, non necessario accusandas esse circumstantias *leviter aggravantes* aut *minuentes*, licet, si exponantur, melius sit. Ratio est, quia peccata venialia non sunt materia necessaria sacramenti poenitentiae.

III. Certum est etiam, exprimendas esse circumstantias, ratione quarum peccatum *ex genere suo veniale* evadit *mortale*. Item aperiendae sunt circumstantiae, quae peccatum ita minuunt, ut, quod iis seclusis fuisset mortale, fiat earum ratione vel nullum, vel veniale tantum.(2)

Quaesita:

484. — Quaer. 1° *An necessario accusandae sint circumstantiae* notabiliter aggravantes *malitiam peccatorum mortalium intra eamdem speciem?*

Resp. Duplex sententia probabilis.

---

(1) In *Hom. ap. tr. 15. n. 34.* tamen S. Alphonsus benigniorem sententiam amplecti videtur.

(1) vel saltem peccatum contra religionem — v. *p. 1. n. 285. Q. 1°.*

(2) Addunt alii circumstantias, quae censuram aut reservationem inducere possunt vel de quibus ad necessariam poenitentis directionem confessarius prudenter interrogat. (Cf. *notam* ad *n. 474.; n. 485.*) — *S. Lig. n. 467. 585. Dub. 3.*

Iª Sententia *communior* et *probabilior negat absolute.* Ratio est: 1° quia *concilium Trid.* nihil aliud exigit, quam confessionem numeri et speciei peccatorum, et proinde videtur excludere obligationem confitendi alias circumstantias; 2° quia alias poenitentes et praecipue confessarii inter angustias semper fluctuarent, nescientes distinguere, quaenam sint circumstantiae notabiliter aggravantes; nulla enim regula, plerumque saltem, assignari potest, ex qua dignoscantur, v. g. pro duratione, intensitate, modo etc. — *Ita S. Lig. n. 468.*

Aliqui excipiunt circumstantias, quae respiciunt rei quantitatem, ut in furto; alii vero cum *S. Ligorio* putant, nec *per se* admittendam esse hanc exceptionem, modo quantitas ut gravis declaretur, quia non mutatur peccati species.

IIª Sententia *affirmat.* Ratio est: 1° quia currit eadem ratio pro accusandis circumstantiis aggravantibus, ac pro accusandis speciem mutantibus; 2° quia peccatum circumstantiis notabiliter aggravantibus adauctum pluribus aequivalet; 3° quia, si non accusarentur, confessarius non posset proportionatam poenitentiam injungere. — *Collet sect. 3.* — *Billuart diss. 7. art. 2. §. 3.* — *Concina c. 6.* et *alii non pauci.*

Ceterum in praxi expedit *ordinarie loquendo,* ut circumstantiae notabiliores in confessione declarentur, atque id fidelibus suadendum est tum ad majorem animi pacem et humilitatem, tum ad uberiorem fructum ex sacramento percipiendum.

485. — Quaer. 2° *An necessario accusanda sit circumstantia consuetudinis peccati?*

Resp. Negative probabilius per se loquendo. Ratio est: 1° Quia nihil aliud est necessario declarandum praeter numerum et species peccatorum. — 2° Quia non est necessario explicanda consuetudo, sive sub hoc nomine intelligatur habitus malus, sive intelligatur iteratio ejusdem peccati. Consuetudo enim sumpta pro habitu ex malis actibus repetitis adepto, quamvis sit vitium, non tamen est peccatum; consuetudo vero sumpta pro iteratione ejusdem peccati jam alias declarati non facit, ut peccatum iterum admissum atque hic et nunc confitendum sit vel gravius ex parte objecti, vel diversum in sua specie. Excipe: si confessarius interroget, ut constat ex *propositione 58.* ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic legitur: *Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

Dixi: *per se;* quia aliquando *per accidens* declarari debet, ut confessarius judicet de statu poenitentis in ordine ad absolutionem dandam vel denegandam, quod tunc locum habet, quando poenitens non est moraliter certus de animi sui dispositione vel merito timere potest, ne forte in hoc hallucinetur.

Ceterum in praxi enixe inducendi sunt poenitentes, ut peccati gravis consuetudinem confessario semper aperiant.

486. — Quaer. 3° *An declaranda sit circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus?*

Resp. 1° *Probabilius* incestus inter consanguineos et affines specie non differunt; ideo circumstantia consanguinitatis vel affinitatis necessario exprimenda non videtur. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 9. n. 17.*

Resp. 2° Aperienda est circumstantia conjunctionis in primo gradu lineae rectae, nempe inter patrem et filiam, matrem et filium, socerum et nurum(¹). — *S. Lig. ib. n. 17. 18.* Item declaranda videtur circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem. Attamen contrariam sententiam probabilem vocat *S. Lig. ibid.*

Resp. 3° *Probabilius* autem ceteri

(¹) privignum et novercam. — *S. Lig. ib.*

gradus consanguinitatis vel affinitatis non sunt necessario declarandi. — *Ita communius.* — *S. Lig. n. 469. et seq.*(1)

Quaer. 4° *An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis personae in peccato, v. g. si peccans sit superior, magistratus, sacerdos etc.?*

Resp. Negative probabilius per se, i. e. seclusa ratione scandali aut officii vel obligationis particularis. Ratio est, quia circumstantia dignitatis personae peccantis non mutat speciem peccati per se, sed solummodò aggravat peccatum.

487. — Quaer. 5° *An necessario declaranda sit circumstantia peccati confessarii cum poenitente commissi?*

Resp. Negative probabilius, modo nullam relationem habeat ad confessionem; quia ex officio stricte tantum tenetur confessarius ad rectam directionem in tribunali poenitentiae, ex qua directione nulla oritur cognatio spiritualis; nulla insuper hoc peccato fit injuria sacramento, cum ad confessionem nullum respectum habeat. — *S. Lig., de 6. praec. n. 451.* — *Lugo d. 16. n. 351.* — *Lacroix.*

Quaer. 6° *An necessario declaranda sit circumstantia peccati a parocho cum parochiana patrati?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia strictissima obligatione, ex ipso pastoris munere nata, tenetur parochus animas pascere, scandala ab eis amovere et earum curam spiritualem in foro externo suscipere. — *S. Lig., de 6. praec. n. 451.*

Quaer. 7° *An necessario accusanda sit circumstantia temporis sacri?*

Resp. Negative. Ratio est praxis universalis tum confessariorum, tum poenitentium, ex qua constat, nec illos sollicitos esse de tali circumstantia interrogare, nec hos illam declarare solitos. Circumstantia igitur temporis sacri non videtur explicanda, nisi in certis peccatis, quae specialiter prohibentur ob reverentiam temporis, juxta communem sententiam. — *S. Lig., de 3. praec. n. 273.* — *Lugo d. 16. n. 520.* et *alii communiter.*

Excipe: nisi agatur de circumstantia extraordinaria, v. g. si quis die parasceves ludos publicos, comoedias aut ludicra spectacula exhiberet.

488. — Quaer. 8° *An satisfaciat integritati confessionis, qui peccatum recens ut antiquum accusat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia determinatio temporis expressa in confessione omnino mutat actum clavibus subjectum. Actus enim, quem posuisti hodie, non est idem ac quem posuisti anno praeterito, siquidem actus essentialiter determinantur ex relatione ad tale tempus. Ergo, si dicas te peccasse anno praeterito, non confiteris peccatum, quod fecisti hodie, sed aliud omnino distinctum, quod numquam fecisti. Unde dupliciter mentiris sic confitendo, scilicet celando peccatum hodiernum commissum, et accusando peccatum ut alterius temporis numquam commissum. — *Tambur., Meth. conf. l. 2. c. 1. §. 1.*(1)

Imo nec videtur integritati satisfacere, qui timens accusare peccatum

(1) Cf. etiam *p. 1. n. 423.*

Utrum autem fornicatio personae desponsatae cum persona extranea speciem addat, auctores dissentiunt. — *S. Lig., de matrim. n. 847.; de 6. praec. n. 447.*

(1) Ita quidem *Tamburinus l. c.*, sed, ut videtur, nimis rigorose, cum similis argumentatio adhiberi possit, quoties quis circumstantiam aliquam vel levem peccati in confessione mutat. Hinc talem confessionem *per se* integram dicendam censemus, si poenitens revera peccatum, cujus reus est, accusare, circa tempus vero mentiri intendat, cum hoc *per se* judicium confessarii afficere nequeat.

Ceterum ipse *Tamburinus, Lugo disp. 16. n. 46. et seq.* et *alii multi* consentiunt, non obesse *per se* integritati confessionis, si in ipsa non secernantur peccata alias jam confessa ab iis, quae quis nondum clavibus subjecit, etiamsi ad occultandum tempus ita fieret.

recens, accusatis aliquot venialibus, dicit: Praeterea me accuso de peccatis totius vitae, praesertim de tali peccato; quia ex tali formula necessario facit illud peccatum antiquum, cum non adhibeatur ex usu fidelium ille modus loquendi, nisi ad peccata antiqua confitenda; aequivalenter enim dicit: Me accuso de tali peccato olim commisso.

489. — Quaer. 9° *An necessario accusandus sit actus externus peccati?*

Resp. Affirmative prorsus, quia est quid unum et idem cum actu interno in genere moris, et duo haec *unum totale* constituunt. Aliunde actus externus est directe prohibitus lege divina, v. g. *Homicidium non facies.* Insuper absque declaratione actus externi plerumque confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa absolutionem concedendam, differendam, monita praebenda etc.

Obj. Actus externus probabilius *per se* nihil malitiae actui interno superaddit; ergo non est accusandus.

Resp. Transeat antecedens; nego consequens ob rationes modo allatas, praesertim quia actus externus unum quid cum actu interno constituit, nec sine eo integrum peccatum declarari potest.(1)

490. — Quaer. 10° *An necessario accusandus sit* effectus *peccati*(2)?

Resp. Affirmative, si effectus *immediate* conjunctus sit cum ipso peccato, ita ut compleat actionem malam ratione peccati externi. Sic confitenda est pollutio volita et per tactum impudicum procurata; item occisio per gladii percussionem patrata etc. — *Negative* vero *probabiliter,* si effectus *non immediate* sequatur, v. g. si mors ex veneno causata non sequatur nisi posito magno intervallo(1). — *Ita Lugo d. 16. n. 437.* — *Lacroix* — *Reuter etc.* contra *Collet* — *Antoine* et *alios,* quorum sententia in praxi suadenda est.

491. — Quaer. 11° *An poenitens declarare debeat numerum personarum, cum quibus peccavit?*

Resp. Negative per se. — *Ita Bonacina, de integr. conf. diss. 3. n. 14.* — *Tamburinus, in decal. l. 7. c. 1. §. 1. n. 3.* — *Lacroix n. 1040.* et *alii communiter.*

Ratio est, quia sufficit declarare numerum peccatorum cum variis speciebus; peccatum autem non mutat speciem ex eo, quod cum pluribus patratum fuerit. — Hinc, qui fornicatus est cum tribus diversis vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse, nec tenetur sponte dicere, num fuerit unica complex an plures, num fuerint meretrices an aliae. — Attamen interroganti confessario, an cum eadem vel pluribus, respondere debet poenitens, quia expedit, ut confessarius sciat, utrum sit forte occasio proxima relabendi, ut in consuetudine cum eadem saepe fieri solet.

492. — Quaer. 12° *An ligatus voto castitatis peccans cum alio similiter ligato debeat utramque circumstantiam declarare?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia ibi sunt duo peccata specie diversa, nempe peccatum contra proprium votum et peccatum cooperationis cum alio ad votum suum violandum. Idem prorsus dicendum de conjugato cum alia conjugata non sua rem habente; duplex enim adulterium committitur. — *Lacroix n. 1063.* — *Lugo d. 16. n. 258.* — *Salmant. c. 6. n. 63. etc.*

Quaer. 13° *An sacerdos vel religiosus peccans contra castitatem suam conditionem aperire debeat vel solam voti castitatis circumstantiam?*

Resp. Controvertitur. Sufficit pro-

(1) Cf. etiam *p. 1. n. 164. Q. 1°.*

(2) an v. g. ille, cui venenum praebuisti, occubuerit —

(1) quia effectus iste, quando consequitur, jam non est actu peccatum.

ıbiliter, si uterque circumstantiam ›ti manifestet, quia species obliga- ›nis non videtur mutari per specia- m conditionem sive sacerdotis, sive ligiosi. — *Lugo d. 16. n. 146. et q.* — *Lacroix n. 1060. etc.* contra *ures.* (¹)

493. — Quaer. 14° *An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii?*

Resp. 1° *Affirmative,* si agatur de propinquitate *propiori,* ob strictum virtutis pietatis vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, in affines in primo gradu lineae rectae, in patrinos, filiolos, in conjugem et in fra-

(¹) Post *Sanchez, de matrim. l. 7. sp. 27. n. 27. et seq.,* qui hanc sen- ntiam defendit, eo quod votum solemne ır se et essentialiter non differat a sim- ici, plerique auctores eam amplexi esse dentur.

Non negamus quidem, quod communi- r docetur, scilicet nullam intrinsecam essentialem differentiam ratione voti tercedere inter votum solemne et votum mplex, solemnitatem vero juxta c. Quod ›tum (un.) *de voto (III. 15.) in 6°.* ex la Ecclesiae constitutione provenire. — . *Sanchez l. c. disp. 25. n. 1. et seq.* · *Lessius, de just. et jure l. 2. c. 40. 141.* — *Pirrhing, in l. 3. decr. ·. 34. n. 5.* — *Lucidi, de visit. sacr. m. p. 1. vol. 2. de 5°. relat. cap. n. 99. etc.* Id tamen non obstat, quominus cidentaliter et quoad effectus valde dif- rant. — Cf. *Billuart, de relig. diss. 4. rt. 5. etc.*

Sed quidquid sit de hoc, veriorem sen- ntiam illorum putamus, qui tuentur, rcumstantiam ordinis sacri vel status ligiosi quoad peccata luxuriae in con- ssione exprimendam esse. Integritati ıim confessionis non satisfacit, qui cir- ımstantiam, quae certo speciem mutat, mquam dubiam confitetur. Id porro con- ıgit, si v. g. sacerdos, circumstantiam dinis sacri reticens, solummodo viola- ›nem voti castitatis confiteatur. Sat enim ›nstat, violationem castitatis in eo, cu- s votum „solemnizatum fuit per susce- ionem sacri ordinis" *(c. Quod votum ıpra alleg.),* simul sacrilegium consti- ere, quod tamen quoad violationem ejus- ›m voti simplicis omnino dubium vide- r (v. *p. 1. n. 285. Q. 1°.*).

Et sane sacrilegium violatione rei sa- ae committitur. Res sacra autem ea ›prie dici nequit, quae privatim Deo catur, quin auctoritas publica compe- ns interveniat. Neque opponas, votum ır se ad hunc effectum sufficere. Com- unis enim sententia contra *aliquos* (v. g. *ajetan.* apud *Suarez, de relig. tr. l. 3. c. 3. n. 2.* — *Salmant. tr. 21. 12. n. 22.)* docet, per violationem voti edi quidem fidelitatem, non vero reve- ntiam erga Deum, nisi late, ita ut ad ıcrilegium proprie dictum non sufficiat.

— *S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. in corp.* — *Suarez l. c. n. 1. et seq.; ib. tr. 6. l. 5. c. 3. n. 2. et seq.* Si haud pauci auctores nihilominus defendunt, violationem voti simplicis in materia castitatis sacrilegium constituere, nec ratione peremptoria duci, nec semper a contradictione liberi esse videntur, ut v. g. *Lessius l. 2. c. 45. n. 11. coll. c. 40. n. 61. sub fine.*

Hinc merito *Pirrhing in l. 5. decr. tit. 16. n. 68.,* de criminibus contra sextum praeceptum disserens, docet: „Crimen sacrilegii, prout hic accipitur, . . . est sacrilegus concubitus sive illicita fornicatio cum persona Deo dicata per votum religionis vel ordinis." Consentit *S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. in corp. coll. q. 154. art. 10. ad 3.* Jure quidem: juxta definitionem enim, quam communiter tradunt, proprie sacrilegium dici debebit, si erga personam auctoritate Ecclesiae divino cultui dicatam sub respectu, quo Deo sacrata est, irreverentia committatur. Sed haec omnia concurrunt, si, qui vel sacris ordinibus initiatus est vel ordini religioso stricte dicto nomen dedit, per actum impurum contaminatur. Num vero idem valeat quoad recentiora instituta, quae cum votis simplicibus a S. Sede, imo ex tolerantia Ecclesiae etiam ab episcopis approbari solent, decernere non audemus. Non deest quidem interventus competentis auctoritatis; sed non constat de intentione, personas ibidem profitentes ad statum sacrum transferendi. — Cf. *resp. S. Poenit.* supra *n. 180.* — *Lucidi, l. c. n. 296.*

Ceterum praeter illos auctores, qui quoad quaesitum praesens alia de ratione eamdem sententiam sequuntur (v. g. *Collet, Billuart,* ubi agunt de sacrilegio), nobis adstipulantur *Layman l. 4. tr. 10. c. 7. n. 3.* — *Elbel, de sacril. n. 584.* — *Lezana, Summa quaest. reg. tom. 1. p. 1. c. 5. n. 8.* — *Lugo* vero loco in textu citato sententiam auctoris in praxi quidem tutam existimat, contrariam tamen veriorem.

tres. — *Ita communiter.* — *Lugo ibid. n. 298. etc.*

Resp. 2° *Negative* vero *probabilius*, si agatur de propinquitate *remota* seu inter ceteros cognatos et affines. — *Lugo ibid.* et *alii* contra *plures*, qui volunt, ut declaretur circumstantia propinquitatis etiam in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis.

PUNCTUM IV.
De peccatis oblitis.

494. — I. Peccata ex oblivione inculpabili omissa accusari debent, quando in poenitentis memoriam redeunt. Etenim ex praecepto divino omnia peccata post baptismum commissa in confessione sacramentali declaranda sunt, nec oblivio a tanta obligatione excusare potest. Constat ex *prop. 11.* ab *Alexandro VII.* damnata, infra sub *n. 497.* referenda.

II. Confessio praedictorum peccatorum non potest differri ad mortem, nec ad tempus valde notabile. Ratio *primi* est, quia secus plerumque talis obligatio esset illusoria, cum saepius mors inexspectate occurrat. Ratio *secundi* est, quia haec obligatio habenda est instar debiti solvendi; debitum autem ad tempus notabile protrahi nequit.

Quaesita:

495. — Quaer. 1° *An peccata ex oblivione aut alia justa causa omissa* quamprimum *accusanda sint?*

Resp. Negative probabilius, sed sufficit, ut eorum confessio non protrahatur ad tempus notabile. Hujusmodi enim obligatio *moraliter* accipienda est, cum praesertim haec peccata jam deleta sint nec proinde adsit periculum animae in mora. — *Ita communius.* — *Sporer* — *Layman etc.*

Imo juxta plures graves theologos poenitens differre *probabiliter* potest confessionem horum peccatorum, donec ex *vi alterius obligationis* iterum confiteri teneatur. Sic ad varios menses et etiam ad tempus annuae confessionis differri posset. — *Ita Bonacina, de integritate conf. sect. 2. p. 4. n. 32.* Attamen nulla alia confessio, ea omittendo, interponi potest. Ratio est, quia ad integritatem confessionis pertinet, declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quae memoriae occurrunt seu *quorum habetur conscientia*, ut dicit *Tridentinum sess. 14. c. 5.* Porro juxta *Suarez tr. 19. disp. 22. §. 1.* „ea peccata sunt in „*praesenti conscientia*, quae commissa „post baptismum per aliam confessio„nem non sunt rite clavibus subjecta."

Quaer. 2° *An peccata ex oblivione omissa accusari debeant ante communionem, si ante illam menti occurrant?*

Resp. Negative probabilius, etiamsi poenitens absque nimio incommodo confiteri possit. — *Recole dicta in tract. de euch. n. 326.*

Quaer. 3° *An poenitens, qui recordatur peccati obliti nec potest (aut non vult) confiteri ante communionem, ad actum contritionis eliciendum teneatur, ut communicare possit?*

Resp. Negative cum *S. Lig., de euch. n. 257.* — *Lugo, de euch. d. 14. n. 122.* cum *aliis communiter* contra *plures.* Ratio est, quia nullum apparet fundamentum, unde ista contritio requiratur. Non enim requiritur ex praecepto, quia hoc nullibi praescriptum reperitur; neque ex necessitate probationis, quia peccatum jam per praecedentem confessionem indirecte deletum est et proinde justificatione non indiget.

496. — Quaer. 4° *An necessario absolvi debeat poenitens accusans peccatum grave in praecedenti confessione omissum et jam indirecte remissum?*

Resp. Duplex est sententia:

I^a Sententia *communior*(¹) *affirmat*, quia omnia peccata mortalia ex

(¹) et in praxi tenenda —

nstitutione Christi clavibus subjici deent, ut directe remittantur. — *Spoer n. 627.* — *Collat. Andegav. 3. . 3.*

II^a Sententia *negat:* 1° quia non pparet solida ratio, quare debeant terum remitti peccata vi sacramenti am deleta; — 2° quia non videtur idesse alia ratio ea declarandi, nisi d satisfaciendum praecepto divino, vi ujus omnia peccata ministro poenientiae patefacienda sunt. — *Pontas, id v.* Confession. — *Collet c. 5. art. t. sect. 3. §. 3. concl. 1. n. 386. etc.*

Nota: Juxta omnes confessarius omitere potest absolutionem relate ad poenientes ordinarios seu qui ad eumdem confessarium redire solent, siquidem isti in alia proxima confessione directe absolvi poterunt. Melius est autem omnibus absolutionem impertire, quando facile fieri potest, ad poenitentis solatium et animi tranquillitatem necnon ob fructum ex sacramento percipiendum.

§. II.

De causis ab integritate excusantibus in genere et speciatim quoad moribundos.

PUNCTUM I.

De causis ab integritate excusantibus in genere.

Principia:

497. — I. Dantur causae aliquando ab integritate materiali confessionis excusantes, quia quandoque ea integritas est physice vel moraliter impossibilis.

II. Conditiones quatuor requiruntur, ut aliquis censeatur ab integritate materiali confessionis excusatus ratione mpotentiae moralis, licet peccata menti occurrant, scilicet: 1° ut ea tantum peccata omittantur, quae declarari nequeunt vel ex quorum manifestatione sequeretur gravissimum incommodum(¹); 2° ut periculum hujus incommodi sit vere fundatum; 3° ut non possit inveniri alius confessarius, cui confessio ntegra fiat absque tali incommodo; 4° ut confessio sit hic et nunc necessaria, ita ut differri non possit sine magna difficultate(¹).

III. Numquam excusat difficultas ipsi confessioni *intrinseca,* quantumvis gravis ea sit. Ratio est, quia confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa ac proinde, si difficultas gravis, v. g. magna repugnantia aut verecundia(²), ab integritate excusaret, plerumque ab accusandis mortalibus excusarentur fideles et proinde rueret ex maxima parte institutio sacramenti poenitentiae. Praeterea Ecclesia non posset reservare crimina atrocia, quia id incommodum non leve poenitentibus creat.

IV. Cessante causa excusante ab integritate materiali praeceptum divinum confitendi omnia peccata mortalia omissa iterum urget. Etenim excusatio a divina confessionis lege non cessat simpliciter occurrente impedimento, sed tantum suspenditur. Cessante igitur causa excusante obligatio legis integre reviviscit; praeceptum enim confessionis non est affixum ad tempus nec ad circumstantiam, sed vitam integram afficit, ita ut peccata nondum accusata postea necessario accusanda sint, si fieri possit. Nec obstat, quod Ecclesia tempus confessionis determinaverit; nam haec determinatio non est ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Constat aliunde ex *propositione 11.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic jacet: *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* Ergo contradictoria hujus propositionis est vera: ergo necessario accusanda sunt peccata oblivione praetermissa, licet jam deleta fuerint.

(¹) sive sit temporale, sive spirituale, mminens poenitenti, confessario vel tertio — *S. Lig. n. 487.*

(¹) vel gravi detrimento spirituali. — — *Lugo disp. 16. n. 530.* — *S. Lig. n. 487.* — Cf. tamen *prop. 59. Innocentii XI.*

(²) aut amissio propriae famae coram confessario noto — *Scav.*

Resolves:

Praecipue excusant ab integritate materiali confessionis sequentia, scilicet:

498. — 1° *Infirmitas extrema,* i. e. quando moribundus unum tantum vel alterum peccatum exprimere potest, vel usu linguae jam destitutus aliquo tantum signo poenitentiam ostendit absolutionemque petit.

2° *Defectus loquelae.* Sic ab integritate eximuntur muti, qui nec scripto, nec signis integre confiteri possunt. Item peregrini penitus aut fere penitus ignari idiomatis regionis, in qua versantur.

3° *Defectus temporis,* v. g. si milites statim ad pugnam pergere debeant. Non autem excusat sola multitudo poenitentium, ut supra dictum est.

4° *Periculum vitae* poenitentis, confessarii aut tertii: v. g. si adveniant hostes; si multi in periculo naufragii vel contagii versentur(¹). Imo aliquando in summo plurium periculo omnes, exhibito aliquo generali signo contritionis et confessionis, unica formae prolatione absolvi possunt, nempe: *Ego vos absolvo etc.*

5° *Periculum famae:* v. g. si sacerdos celebraturus in malo statu ad poenitentiam converteretur nec posset statim integre confiteri, quin adstantes rem suspicari possint.(²)

6° *Periculum revelationis* seu violationis sigilli: v. g. si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet etc.; vel si poenitens ex gravi fundamento timeat, ne confessarius legem sigilli infringat. Hic autem posterior casus, si forte umquam eveniat, rarissimus est.

7° *Periculum scandali vel lapsus* tum ex parte poenitentis, tum ex parte confessarii: v. g. si mulier certo cognosceret maximam confessarii fragilitatem etc. — *S. Lig. n. 479. et seq.*

Quaesita:

499. — Quaer. 1° *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis manifestatione*(¹)?

Resp. Affirmative cum sententia communi et in praxi tenenda. Ratio est: 1° Quia nulla datur legitima excusatio, ut praecepto integritatis derogetur: non enim dici potest, praeceptum positivum restringi praecepto naturali non infamandi proximum, quia praeceptum istud caritatis tantum prohibet, ne manifestetur crimen alienum sine causa; hic autem causa habetur, et quidem gravis, nempe integritas confessionis procuranda et conscientiae directio. — 2° Complex, peccatum patrando, amittit omne jus ad famam, quod habere poterat apud confessarium, in ordine ad confessionem hujusce peccati et ipse implicite huic famae detrimento, cum peccat, ultro consentit. — *S. Lig. n. 489.*

500. — Quaer. 2° *An vero manifestari possit complex peccati in*

(¹) vel si in morbo contagioso probabile periculum adsit, ne confessarius inficiatur. — *S. Lig. n. 484. 4.; n. 485.* — Cf. etiam *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 19. n. 19.*

(²) Ad quaesitum: *Quid, si in loco, ubi, uti par est, mos exsistit, aegrorum confessiones ante delationem ss. sacramenti excipiendi, infirmus, antea confessus et jamjam per s. synaxim reficiendus, v. g. eo quod confessiones praeteritae invalidae fuerint, iterum confessionem petit, quae sine infamia aegroti audiri nequit, cum prolixior futura sit?* respondet *Alasia:* Si sacerdos, qui sacramentum defert, ipse ad confessiones approbatus est, audito aliquo peccato graviori infirmum (quem dispositum supponimus) absolvat, ipsi s. eucharistiam praebeat et ss. sacramento in ecclesiam delato redeat, integram confessionem excepturus. — Item infirmum absolvere poterit sacerdos, licet non approbatus, cum urget casus (ob mortis periculum). — Si vero casus non urget et sacerdos ille approbatione caret, sed alius approbatus praesto est, hic accersatur, ut confessionem excipiat; secus ipse non approbatus infirmum brevi adjuvet ad actum perfectae contritionis eliciendum et s. communionem illi praebeat.

(¹) *quem confessarius novit* —

confessione, si integritas sacramenti id non requirat?

Resp. Negative per se, i. e. nisi adsit causa proportionate gravis. Ratio est, quia id exigit praeceptum caritatis, imo et justitiae; peccata enim aliena non sunt manifestanda sine justa ratione.

Hinc complex manifestari nequit in confessione a poenitente juxta communem sententiam in sequentibus casibus: 1° si peccatum sufficienter exponi valeat absque complicis manifestatione; 2° si alius confessarius facile haberi possit; 3° si poenitens, peccatum suum alias rite confessus, nunc velit generalem confessionem instituere; 4° si poenitens possit commode confessionem differre per aliquod breve tempus, donec alium confessarium habiturus sit. — *S. Lig. n. 489.*(1)

501. — Quaer. 3° *An autem liceat ipsi confessario petere nomen complicis, v. g. ad correctionem etc.?*

Resp. Negative omnino sub quocumque praetextu(2); hoc enim graviter caritati adversatur et odiosum redderet sacramentum. Constat insuper ex bulla *Bened. XIV. Ubi primum*(1), in qua Pontifex, loquens in particulari de confessariis, qui sub poena denegandae absolutionis nomen complicis(2) requirunt, declarat: 1° eos peccare graviter; 2° eos incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendae sententiae tantum.

Ceterum confessarii possunt, imo tenentur ad integritatem confessionis servandam vel ad directionem exquirere circumstantias necessarias, ut poenitentis conscientiae consulatur; v. g. petere potest confessarius, an persona complicis sit voto ligata, an habitet in eadem domo etc., licet sic in cognitionem complicis deveniat. — *S. Lig. n. 491.*

502. — Quaer. 4° *Quaenam sint causae excusantes a quaerendo alio confessario, cui complex sit ignotus?*

Resp. 1° Si urgeat periculum mortis aut praeceptum annuae confessionis; 2° si grave sit poenitenti, omit-

(1) Minus accurate, nec sat clare auctor in duabus hisce quaestionibus mentem *S. Alphonsi* exponit. Sequitur enim s. auctor *l. c.* cum *plurimis* contra *haud paucos*, qui contrarium probabile dicunt, sententiam, adesse obligationem confitendi peccatum, quod absque manifestatione complicis explicari nequit. Addit tamen duplicem restrictionem:

1° Haec decisio valet, si agitur de peccato mortali; „nam ob peccatum veniale explicandum aut mortale alias (rite) confessum non licet grave crimen alterius manifestare."

2° Tenetur poenitens, *si commode potest*, alium adire confessarium, cui ignota est persona complicis. Contrariam sententiam s. auctor non satis probabilem censet. Quaenam vero causae excusent a quaerendo alio confessario, infra sub *Quaer. 4°.* juxta *S. Ligorium* exponitur.

(2) Haec assertio videtur nonnihil rigida, ut colligitur tum ex tenore constitutionum huc spectantium, tum ex causis earumdem (cf. v. g. *Anal. J. P. ser. 7. col. 641.*), tum ex verbis ipsis *Benedicti XIV.* in *l. 6. de syn. c. 11. n. 1.* Possunt sane absolute casus occurrere, in quibus nomen complicis inquirere licet, ut probati auctores asserunt, v. g. praeter *Ben. XIV. l. c. Lugo disp. 16. n. 427. et seq.* — *Antoine, Theol. mor. cum notis Carboneani et Steidelii c. 1. art. 2. Q. 6°.* cum *Nota.* — *S. Lig. n. 491.; Hom. ap. tr. 16. n. 41. etc.* Admodum raro tamen id continget.

(1) Promulgavit hac de re *Benedictus XIV.*, quantum scimus, quatuor constitutiones, scil. *Suprema omnium ecclesiarum d. d. 7. Julii 1745., Ubi primum d. d. 2. Julii 1746.* (quam invenies in edit. Ratisb. *Theol. Mor. S. Alphonsi* in fine tract. de poenit.), ambas datas pro regnis Portugalliae et Algarbiorum, quas postea per const. *Ad eradicandum d. d. 28. Sept. 1746.* ad universum orbem extendit; tandem const. *Apostolici ministerii d. d. 9. Dec. 1749.*

(2) vel alias circumstantias hanc manifestationem concernentes — *Ib. §. Et quia non modo.*

Nec videtur licitum, solummodo ex eo manifestationem complicis petere, quia agitur de malis vitandis, quae in perniciem reipublicae vergere possunt, ideoque jam a poenitente ei manifestari debent, qui malum impedire possit. — Imo, confessarius caute in genere se gerat, si poenitens sponte ipsum roget, ut complicem corrigat. — Cf. *S. Lig. n. 492.*

tere confessionem aut communionem; 3° si quis difficulter alteri confessario conscientiam aperiret; 4° si quis secus in peccato gravi etiam per unum diem remanere deberet; 5° si quis alias privaretur beneficio alicujus indulgentiae extraordinariae; 6° si habeatur melior directio, consolatio notabiliter major adeundo confessarium, cui complex cognitus est.

Hinc saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum confessario, qui hos novit, ratione consilii petendi, doloris leniendi etc. Nimis enim durum ipsis esset, si novum confessarium adire tenerentur. Generatim non habetur ut gravis obligatio confessarium complicis causa mutandi, nisi forte de crimine valde gravi agatur. — *S. Lig. n. 490. etc.*

Quaer. 5° *An sit obligatio confitendi peccatum, quod declarari nequit sine infamatione alterius, qui fuit occasio peccati, v. g. si quis occiderit sororem suam ex crimine gravidam etc.?*

Resp. Affirmandum etiam videtur, saltem uti consequens ex 1°. et 2°. quaesito; etenim ratio integritatis confessionis non minus exigit manifestationem *non complicis*, quam *complicis*, et ratio judicii sacramentalis integrandi eodem modo urget. — *Lugo d. 16. n. 419. et seq.* — *Billuart diss. 7. art. 2. §. 2. Dico 2°.* — *Antoine c. 1. art. 2. Q. 6°.* — *Negant* tamen *plures* graves auctores cum *Suarez etc.*

503. — Quaer. 6° *An et quomodo surdi simul et muti confiteri teneantur?*

Resp. Muti et surdi tenentur aliquo modo confiteri, saltem per signa(¹), nisi sint adeo ignari et hebetes, ut nullo modo intelligi possint. Ratio est, quia praeceptum confessionis respicit omnes fideles, qui sua peccata aliqua ratione manifestare possunt.

Hinc 1° muti sufficienter instructi tenentur integre confiteri, saltem signis, si a confessario intelligantur; si autem sint minus instructi aut difficulter a confessario intelligi possint, tenentur unum tantum vel alterum peccatum manifestare, aut in genere significare, se esse peccatores et velle peccatum vitare.

2° Surdi, usum linguae habentes, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quae memoriae occurrunt; sed confessarius vix aut ne vix quidem tenetur eos interrogare ad procurandam confessionis integritatem, ob nimiam interrogandi difficultatem.(¹)

Quaer. 7° *An muti scientes scribere teneantur scripto confiteri ad procurandam confessionis integritatem?*

Resp. Affirmative, secluso periculo revelationis. Ratio est, quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad

---

(¹) Cf. *Hom. ap. tr. ult. n. 44.*

Interroget confessarius discrete etiam parentes vel domesticos, quaenam peccata surdi-muti committere soleant, ut sic accusatio per signa facilius et securius fiat.

Parochus vero obligatur, hisce infelicibus saltem in necessariis pro posse providere, cum et ipsi partem gregis ipsi concrediti constituant. Hinc curet, ut, si fieri potest, in aliquo ex tot institutis pro surdis-mutis apertis instruantur. — Cf. *Scav tom. 1. tr. 3. disp. 1. c. 2. art. 2. §. 3. N. 3. Q. 3.*

(¹) Qui non sunt omnino surdi, in locum remotum adduci debent, ut eorum confessiones audiantur. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 16. n. 35. 2.*

Si autem surdus confessionem jam coeperit, dum ob circumstantes vox extolli non potest, et confessarius circa initium confessionis surditatem poenitentis advertat, poenitenti jubeat, ut tempore ac loco opportuno redeat; circumstantibus vero surditatem patefaciat, si opus sit, ad auferendam omnem malam suspicionem. — Si id advertit in progressu, ne alta voce jubeat, ut redeat surdus (quia magna daretur suspicio, ipsum mortale confessum esse), sed peccata intelligendo meliori, quo potest, modo, eum absolvat absolute, si probabiliter dispositum judicat; sub conditione, si dubitat, et poenitentiam levem injungat, cum alii eam audituri sint. — Ita *Scavini.*

cessaria, quae non sunt nimis
[1]) Eodem modo tenetur scri-
teri poenitens, qui potest lo-
alium confessarium non ha-
valde surdum. — *Ita com-*
S. Lig. n. 479.
— Quaer. 8° *An et quo-*
fiteri teneantur ignari idio-
ci, in quo versantur?
Ignari idiomatis loci, in quo
, et carentes confessario, a
igi possint, tenentur urgente
annuae confessionis et in
nortis confiteri aliquo modo,
gnis generalibus. Ratio est,
t praeceptum divinum et ec-
m et, si materialiter integre
nequeant, tenentur ad id,
sunt. — *S. Lig. n. 479. etc.*
. 9° *An ignari idiomatis*
confiteri per interpretem,
t?
Negative, quia confiteri per
m est onus gravissimum et
riculis obnoxium, v. g. reve-
irrisionis etc. Excipe: si in
mortis poenitens idiomatis
lubitet de contritione per-
a in eo casu confessio foret
ad salutem omnino necessa-
Attamen sufficeret tunc, ut
catum veniale accusetur. (3)
g. ibid.

ig. ib. hanc sententiam *proba-*
et *communiorem* dicit contra
tatuit vero hanc obligationem
tione, scil. si moraliter absit
ionis periculum aut grave in-
extraordinarium.
nt itaque auctores, poenitenolummodo per interpretem pecpecie pandere posset, ad conadigi, quae lege ecclesiastica
praecipitur; imo, eumdem praemodo exceptum nec lege dinfessionem, resp. ad susceptiomenti poenitentiae obligari, sat
r docent. — Cf. *Lugo disp.*
et seq. — *Salm. tr. 6. c. 7.*
seq. Ceterum in praxi extra
iculum ordinarie non agetur,
qua dilatione confessionis.
cit etiam confessio per signa absrete.

PUNCTUM II.

De confessione et absolutione moribundorum.

505. — I. Absolvi potest et debet, et quidem *absolute,* quilibet moribundus, qui aliquo modo, voce vel signo([1]), confitetur vel absolutionem petit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad sacramentum et ad confessionem formaliter integram. — *S. Lig. n. 480.* et *alii communiter.*

II. Absolvi potest et debet, saltem *conditionate,* quilibet moribundus, in quo attritio et confessio praesumi possunt aliquo modo, quantumvis tenuiter probabili; quia in casu extremae necessitatis licet uti opinione etiam parum fundata in ipsa sacramentorum administratione. — *S. Lig. n. 482.* et *alii communius* contra *plures.*

III. — Absolvi nullo modo potest moribundus, qui recusat certo sacramentum poenitentiae vel nullo modo praesumi potest attritus. Ratio luculentissime patet.([2])

Resolves:

506. — 1° Absolvendi sunt omnes moribundi non adhuc sensibus destituti et ad absolutionem consentientes mandatisque confessarii obtemperantes, *absolute* quidem, si confessionem ultro requirant aut si libenti animo confiteri proponant, *conditionate* vero, si vix confiteri velint aut de ipsorum sufficienti contritione prudenter dubitetur.([3]) — *Ita communiter.*

2° Absolvendi sunt, saltem *conditionate,* omnes moribundi sensibus

---

([1]) Cf. *n. 498. 1°.*

([2]) Notat *Scavini:*

Infirmo, qui adhuc sensuum usu gaudet, absolutionem pluries conferre post brevem reconciliationem (vel ratione habita status infirmi: si dat signa doloris) juvat.

Imo, etiamsi jam sensibus destitutus sit et nullum desiderii absolutionis signum ostendere possit, id juxta circumstantias aliquando (sub conditione) consultum videtur. — Cf. *S. Lig. n. 482.; Hom. ap. tr. 16. n. 37.*

([3]) Cf. *n. 435.*

destituti, qui ante sensuum privationem expresse confessionis desiderium ostenderunt, v. g. jubendo advocari sacerdotem etc. Ratio est, quia censentur vere confiteri per testimonium adstantium; videtur enim tunc fieri veluti confessio per interpretem. Constat ex variis conciliis et ex *rituali rom.* — *S. Lig. n. 481.*

3° Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi nullum signum doloris nec petitionis confessionis dederint. Ratio est, quia in istis praesumi possunt dolor et confessio aliqua peccatorum per suspiria, per varios motus corporis, oculorum, oris, aut per gemitus vel respirationem etc. etc. — *S. Lig. n. 482.* — *Lacroix n. 1162.* — *Elbel n. 208.* — *Collet p. 2. c. 5. art. 4. sect. 3. §. 5. concl. 2. etc.*

4° Absolvendi sunt, etiam *conditionate*, alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt, quia adhuc in ipsis praesumi aliquo modo potest poenitentia et confessio sensibilis. — *Collet ib. concl. 3.* — *Lacroix ib.*

5° Potest *probabiliter sub conditione* absolvi moribundus destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. g. in duello, adulterio, furto etc. Ratio est, quia potest etiam iste lucidum habere intervallum, velle in hoc extremo periculo cum Deo reconciliari et desiderium suum per suspiria ostendere. Haec hypothesis negari nequit, praesertim pro illo, qui ad peccatum fortasse fuit adductus timore, respectu humano etc. — *S. Lig. n. 483.* — *Elbel n. 211.* et *alii probabiliter.*

APPENDIX
DE EXAMINE CONSCIENTIAE.

Principia:

507. — I. Tenetur poenitens sub gravi, *per se* loquendo, diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem instituere. Ratio sequitur ex praecepto integritatis etiam materialis procurandae, quantum fieri potest. Etenim, cum poenitens teneatur numerum et speciem peccatorum confiteri, etiam tenetur ea scire, quantum morali diligentia potest, ideoque diligenter examinare; qui enim obligatur ad finem, obligatur etiam ad media ad illum necessaria. Constat etiam ex *concilio Trid. sess. 14. cap. 5.*, ubi dicitur: *oportere a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum* post diligentem sui discussionem *conscientiam habent, in confessione recenseri.*

II. Diligentia in examine adhibenda debet esse *seria* seu tanta, quanta adhiberi solet ab hominibus in rebus seriis et magni momenti. Ratio patet; agitur enim de re omnium gravissima. Constat etiam ex *concilio Trid.* modo citato; ait enim: post *diligentem* sui discussionem.(¹)

III. Attamen non est aequalis diligentia ab omnibus requirenda in examine confessioni praemittendo. Minori enim examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur; majori vero indigent, qui negotiis mundanis implicantur, quam qui privatam vitam ducunt. Item rustici et rudes non possunt tam accuratam diligentiam adhibere in conscientiae discussione, quam solertes et docti. — *Billuart diss. 7. art. 2. §. 5. Petes 2°.* et *alii communiter.*

Resolves:

508. — 1° Peccat mortaliter *per se*, qui ex gravi negligentia in examine conscientiae omittit peccatum aliquod mortale, et tenetur iterare confessionem, utpote invalidam. Potest tamen dari parvitas materiae in defectu examinis, ex quo mortale omitteretur,

(¹) Non requiritur autem diligentia summa, etsi quis putet, se per eam alia peccata reperturum; item debita diligentia semel adhibita, nemo de anteacta vita ulterius cogitare obligatur. — *S. Lig. n. 471. 1.* — Cf. etiam infra *n. 614. II.*

iquam inadvertentiam; tunc valida est, modo materia clavibus subjiciatur.

certus est *moraliter*, se ortalia non commisisse ab nfessione, non tenetur ad examen ante confessionem, ıantum requiritur ad mate- cientem sacramento submi- n. In praxi tamen suaden- poenitentibus piis, ut serio onscientiae dent operam per ninuta saltem aut per me- drantem *circiter*, ad defe- iales cognoscendos et ex- ɜ.

liocris omnino diligentia re- n timoratis ad examen per- , quia conscientia non sile- ıuid graviter culpabile intus Imo scrupulosi inquisitionem ; omittant et aliquando ipsis nterdicenda erit, utpote in- saepe nociva; si enim gra- ccassent, semper prae ocu- tum haberent. — *Ita com-*

neratim satisfacit, qui recogi- quovis die fuerit, quae nego- rit, quid in iis circumstantiis ne, affectu, verbo et opere ssione deliquerit; quomodo templo, in conversatione cum se habuerit. Nec necesse est, n vestigia relegendo iterum ıe rimetur. — *Reuter.*

ɔn requiritur tam accuratum in aegrotantibus, quam in sa- ɔ quandoque nullum ab eis m est ob nimiam capitis de- . Nec sunt facile audiendi, lunt confessionem de die in 'erre sub praetextu, quod non- ıis conscientiam discusserint, a confessario ipso breviter ıdi, in quantum sinit ipsorum ıer decalogum et quinque Ec- ıraecepta, examine conditioni tis accommodato; praestat enim n imperfecte confessos in sta- ıiae restituere per absolutio- nem, quam dilatis Ecclesiae sacramentis certo damnationis periculo exponere. — *Elbel n. 153.*

Quaesita:

509. — Quaer. 1° *An poenitens, qui timet, ne peccata e memoria excidant, teneatur ea scribere et ex scripto vocaliter confiteri?*

Resp. Negative, licet laudabiliter fiat(¹). Ratio est, quia nemo confessionis integritatem procurare tenetur per media extraordinaria et per diligentiam adeo exquisitam. Insuper hoc alienum est a praxi communi, etiam apud diligentes et timoratos vigente. — *S. Lig. n. 471. 3. etc.*

Quaer. 2° *Qualis ordo sit sequendus in examine conscientiae?*

Resp. 1° Ratione materiae: si quis a multo tempore non est confessus, expedit, ut ordinem praeceptorum Dei et Ecclesiae, peccatorum capitalium et obligationum specialium status percurrat(²); secus sufficit attendere ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summatim ad peccata contra Deum, proximum et seipsum.

Resp. 2° Ratione modi: 1° lumen divinum humiliter petendum; 2° discussio conscientiae facienda; 3° specialiter in eliciendo dolore et proposito insistendum.

510. — Quaer. 3° *Quid agendum confessario, si poenitentes in examine deficientes occurrant?*

Resp. 1° Si sint instructi, *per se* benigne dimittendi sunt cum adhortatione, ut accuratius conscientiam discutiant et revertantur, saltem si de longis et implicatis confessionibus agatur. Ratio est, quia fere est impossibile, ut quis repente rogatus de omnibus recordetur. — *S. Lig. n. 471.* et *alii communiter.*

Resp. 2° Si sint rudes aut parum

(¹) dummodo vitetur nimia anxietas et periculum evulgationis. — Hinc scrupulosis prohiberi potest. — *S. Lig. n. 471. 3.* — Cf. etiam *p. 1. n. 477. col. 2. not. 1. sub fine.*

(²) Cf. etiam *n. 508. 4°.*

instructi in rebus spiritualibus, non facile remittendi sunt, ut conscientiam suam examinent, saltem si aliquam diligentiam adhibuerint. Ratio est, quia pro istis facile confessarius supplebit: nonnullis enim interrogationibus plus efficiet, quam illi sibi relicti longo examine, quamvis omnia peccata in memoriam revocare conentur. Praeterea timendum est, ne forte deterriti non amplius ad confitendum redeant.

ARTICULUS III.
DE ITERATIONE CONFESSIONIS.

Principia:

511. — I. Omnis confessio certo invalida necessario repetenda est. Omnia enim peccata mortalia *per se* ita clavibus subjicienda sunt, ut vi absolutionis remitti possint.

II. Confessio autem valida, etsi integritate careat, non est necessario repetenda, quia peccata accusata vi absolutionis *directe* remissa sunt. Remanet itaque ad divinum praeceptum adimplendum solummodo obligatio supplendi integritatis defectum confessione peccatorum omissorum, quae indirecte et concomitanter tantum in praecedente confessione remittebantur. — *Ita omnes.* — *S. Lig. n. 504.*

III. Repetitio confessionis invalidae *ex integro* facienda est, si poenitens novum adeat confessarium, quia hic aliter non potest judicis et medici partes agere. Secus autem, si confiteatur apud eumdem accusatorum peccatorum adhuc memorem; tunc enim sufficit, si summatim se accuset de peccatis jam accusatis, v. g. *accuso me de peccatis jam declaratis in tali confessione.* Hoc enim sufficit, ut peccata invalide declarata sacramentaliter accusentur; nec opus est confessario, ut recte suo officio fungatur, iterum distinctam et integram peccatorum confessionem audire. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 502.* — *Elbel n. 253.* — *Lacroix n. 1216.* — *Lugo d. 16. n. 638.* — *Billuart diss. 7. art. 2. §. 5. Petes 10°.* et *alii* contra *plures*, qui integram confessionis repetitionem exigunt.

IV. Confessio non est necessario repetenda, nisi de ejus invaliditate moraliter certo constet. Ratio est: 1° quia, cum actus est certo positus et suboritur dubitatio, an fuerit recte positus, obtinet illa regula juris: *Standum est pro valore actus;* 2° quia obligationi legis divinae de facienda confessione jam probabiliter satisfactum est.(1) — *S. Lig. n. 505.* — *Lacroix n. 1221.* — *Elbel n. 273.* — *Mazzotta etc.*(2)

Quaesita:

512. — Quaer. 1° *An confessio invalida* ex integro *apud eumdem confessarium sit repetenda; si* in confuso *tantum hic de peccatis accusatis recordetur aut etiam eorum omnino oblitus fuerit?*

Resp. ad 1um *Negative probabilius,* etiamsi confessio invalida fuerit ex parte poenitentis; sed sufficiet repetitio generalis. Ratio est: 1° quia pro culpis jam accusatis repetitio generalis conjuncta cum notitia antecedenter habita a confessario sufficit ad sacramentale judicium, cum de singulis peccatis confessarius in sacro tribunali jam judicaverit; 2° quia confessio facta in ordine ad absolutionem recipiendam dici potest sufficienter sacramentalis, quatenus ipsa etiam ad sigillum sacramentale obstringit. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 502.*

Resp. ad 2um *Negative* etiam *probabilius,* etsi confessarius nullatenus recordetur de confessione illa invalida. Proinde sufficiet, ut poenitens suum manifestet statum, ita ut confessarius confusam saltem notitiam de illo habeat. Ratio ex modo dictis sequitur.

---

(1) Si quis tamen post confessionem, de cujus valore non constat, ad mortis periculum adduceretur, curandum omnino foret, ne dubium prudens de justificatione moribundi supersit. — Cf. supra *n. 477. not.*

(2) *Gury, Casus consc. p. 2. n. 413. nota.*

Etenim, si in praecedente casu sufficiat confessario memoria status poenitentis confusa, etiam in praesenti casu sufficere debet, siquidem ex utraque parte stat paritas. — *S. Lig. ib.* et *alii supra citati* contra *alios*, quorum sententia etiam *probabilis* videtur.(1)

513. — Quaer. 2° *An repetenda sit confessio cum dubia contritione facta?*

Resp. Negative per se. Ratio patet ex dictis. Attamen in praxi sedulo attendendum est ad poenitentis conditionem. Etenim, si poenitens sit homo sat prudens et gravis in suis actionibus ordinariis vel in suis confessionibus, adest saltem vera probabilitas, imo et legitima praesumptio de valore confessionis, nec proinde urgendus est poenitens ille ad eam repetendam. Secus vero, si supponatur homo levis et in plerisque suis actionibus inconsideratus, quia tunc praesumptio contra ipsum militat.(2) — *Ita communiter.* — *Elbel n. 74.*

Quaer. 3° *An sint cogendi recidivi ad confessiones praecedentes repetendas?*

Resp. Negative per se. Ratio est, quia novus lapsus *per se* non est argumentum certum, quod evincat, recidivum vera tunc dispositione caruisse, cum peccata sua confessus est. Aliquando tamen ex variis circumstantiis judicandum est, recidivos invalide confessos esse.

Hinc est *regula:* si poenitens aliquamdiu post confessionem strenue adversus tentationes et peccandi occasiones pugnaverit, judicanda est valida ejus confessio; secus, si paulo post confessionem et data prima occasione sine ulla resistentia lapsus fuerit. Ratio est, quia ille, qui vere dolet et emendationem proponit firmiter, saltem per aliquod tempus a peccato abstinet aut saltem aliquem conatum contra tentationem adhibet ante lapsum; secus, si aliter se gesserit. — *S. Lig. n. 505.*

514. — Quaer. 4° *An repetenda sint explicite omnia peccata eidem confessario antea historice extra confessionem enarrata?*

Resp. 1° *Negative,* si confessarius omnium adhuc recordetur; sed sufficit, si poenitens generaliter de illis confiteatur dicendo: *accuso me de his omnibus, quae tibi jam enarravi.* Ratio est, quia peccata illa per confessionem summariam sacramentaliter subjiciuntur confessario in ordine ad absolutionem, et confessarius de omnibus hic et nunc sacramentaliter judicat, cum de omnibus recordetur.

Resp. 2° *Affirmative,* si confessarius non clare et distincte omnium meminerit, etiamsi illorum in confuso vel ex parte recordetur. Ratio patet ex dictis. — *Ita S. Lig. n. 502.* et *alii communiter* contra *Lugo.*(1)

Quaer. 5° *An repetenda sit confessio, si confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum?*

Resp. 1° *Negative,* si confessarius recordetur saltem *in confuso* status poenitentis. Etenim confessarius super certam et sufficienter perspectam materiam absolvit, et aliunde judicavit sacramentaliter de singulis peccatis, dum ipsi exponerentur. Praeterea secus confessario et poenitenti onus in-

(1) Cf. praeterea *Gury, Casus consc. p. 2. n. 679.*

(2) In hoc casu iteratio confessionis saltem consulenda erit.

(1) *Lugo disp. 16. n. 638.* contrariam sententiam „auctoritate et praxi communem" vocat. „Fatendum ergo est, confessionem etiam non sacramentalem priorem, perseverantem in memoria non adeo distincta, posse aliquo modo fieri sacramentalem per accusationem subsequentem taliter, ut possit ad sacramentum deservire: non quod illa prior narratio vere fiat accusatio sacramentalis in se ipsa, cum talis non fuerit, sed quatenus posterior accusatio, relata ad memoriam, quam habet confessarius de illis peccatis distincte prius auditis, sit sufficiens notitia, qualis in confessario desideratur." — Ita inter alia *Lugo.*

tolerabile imponeretur. — *S. Lig. n. 502.*

Resp. 2° *Affirmative,* si nullo modo recordetur peccatorum poenitentis nec status ipsius. Ratio est, quia sententia incognita omnino causa ferri nequit. Confessarius autem facillime statum poenitentis ex paucis et prudentibus interrogationibus ita explorare poterit, ut in confuso saltem aliquam notitiam habeat, quae ad absolutionem impertiendam sufficiat. — *S. Lig. ib.*

515. — Quaer. 6° *An teneatur poenitens totam retexere confessionem, si hac facta animadvertat, confessarium ob somnum peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia?*

Resp. Affirmative, si confessio fuerit brevis, quia prudenter dubitare potest poenitens de singulis, an a confessario intellecta fuerint necne: secus autem, si prolixa fuerit confessio et pauca tantum non percepta sint; quia tunc prudenter praesumere potest, quod unumquodque fuerit intellectum, nec videtur, Christum integritatis praeceptum cum tanto onere imposuisse. Si tamen dubium circa unum vel alterum solummodo versatur, repetendum est. — *S. Lig. n. 499.*(1)

Resolves:

516. — 1° Confessarius excipiens confessionem rustici, qui praeteritis annis male confessus est, suo muneri absolute satisfaciet interrogando de ultimo tantum anno, si ob uniformem rationem vitae poenitentis possit simul de praecedentibus annis judicium efformare. Idem dicendum, si, audita unius anni confessione, detegat confessarius praeteritarum confessionum defectum et ex hac ultima confessione claram et distinctam praeteritorum peccatorum notitiam habeat; attamen tunc requiritur, ut poenitens generali modo de aliis annis se accuset. — *S. Lig. n. 504.*

2° Si quis confessus fuerit sacerdoti jurisdictione carenti, tenebitur confessionem iterare, si postea defectum detegat. Excipe casum, quo jurisdictionem supplere solet Ecclesia, ut infra suo loco dicetur: tunc enim de facto jurisdictione non careret.

3° Si confessarius peccatum grave tamquam tale non agnoverit, vel mortale judicaverit esse veniale, non ideo est obligatio illud repetendi, modo

(1) Casu, quo confessio *bona fide* facta est confessario surdo, dormienti etc., dubitari potest tum de confessionis valore, tum de obligatione iterum confitendi peccata, quae formaliter clavibus subjecta non sunt.

Licet porro *Scavini (edit. X. tom. 3. n. 371.)* censeat, confessionem invalidam esse, in qua confessarius nullum audivit peccatum, contrarium tamen verius putamus, dummodo perceperit generatim, poenitentem de peccatis suis se accusasse, cum nihil ad valorem sacramenti essentiale tunc desit. — Cf. *Lugo disp. 16. n. 603.* — Supra *n. 421.*

Quoad obligationem vero supplendi defectum distinguendum erit, utrum constet, confessarium omnia vel aliqua peccata non audivisse, an idipsum in dubitationem vocari debeat.

Si prius, consentiunt auctores de necessitate iterum confitendi mortalia, quae percepta non sunt. — *Layman l. 5. tr. 6. c. 9. n. 5.* — *Lugo l. c. n. 606.* — *Salm. tr. 6. c. 9. n. 23.* — *Mazzotta tr. 6. disp. 2. Q. 2. c. 2. §. 2. Dico I. etc.* Adstruunt etiam obligationem iterandi integram confessionem, quando nullum peccatum attendit confessarius vel quando dignosci nequit, quaenam non perceperit. Excipiunt tamen in posteriore casu confessionem prolixam, in qua solummodo unum alterumve peccatum auditum non est. Tunc ajunt sufficere accusationem „in communi", dicendo v. g. scio, confessarium unum peccatum grave non percepisse: nescio, quale fuerit; sed illo tempore confiteri solebam tales vel tales species peccatorum. — Ita *Lugo l. c. n. 607. et seq.*, cui adstipulantur *Salm. l. c. n. 24.* — *Tambur., Method. exp. confess. l. 2. c. 10. n. 53.* — *S. Lig. n. 499.* —

In altera autem hypothesi idem resolvunt *Lugo* et *Salm. l. c.* Cum tamen „praesumatur recte factum, quod erat de jure faciendum", obligationem iterum confitendi peccata in hoc casu negandam potius censemus.

poenitens factum recte et fideliter exposuerit: quia ad valorem sacramenti et ad directam peccati remissionem non est necessarium, ut confessarius judicet, hoc esse mortale; imo id saepe discernere non potest. — *S. Lig. n. 500.* et *alii communiter.*

4° Poenitens, qui timet, ne diu invalide confessus sit, nihil repetere tenetur, si timoratae sit conscientiae solitusque fuerit, diligentiam requisitam in confessionibus adhibere, quia praesumptio stat pro confessionum valore; secus, si ob opposita signa stet contra poenitentem praesumptio. (1)

APPENDIX I.

DE CONFESSIONE GENERALI.

Confessio generalis est repetitio plurium confessionum. Potest esse repetitio confessionum totius vitae, vel alicujus temporis, v. g. unius anni aut plurium annorum. Breviter dicendum: 1° de necessitate vel opportunitate confessionis generalis; 2° de methodo eam peragendi.

I. De necessitate vel opportunitate confessionis generalis.

Confessio generalis potest esse vel necessaria, vel utilis tantum, vel inutilis aut etiam nociva. Hinc statuendae sunt sequentes

Regulae:

517. — I^a *Regula.* Praecipienda est ut *necessaria* confessio generalis, quoties praecedentes confessiones moraliter certo invalidae aut sacrilegae fuerunt ex defectu contritionis aut integritatis(2); in ceteris autem casibus numquam praecipi potest. Ratio utriusque patet ex dictis supra de iteratione confessionis.

II^a *Regula.* Permittenda est aut etiam *prudenter suadenda* confessio generalis, etsi non necessaria, quando spectatis circumstantiis poenitens *notabilem* fructum spiritualem ex ea percepturus est, v. g. ratione humilitatis, devotionis, fervoris, cognitionis sui ipsius, manifestationis conscientiae, ad perfectiorem directionem aut majorem animae puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda etc.; quia confessarius ex caritate majus bonum spirituale poenitentis, quando facile potest, promovere debet.(1)

III^a *Regula.* Prohibenda est in ceteris casibus ut *inutilis* et etiam *nociva,* quando prudenter pertimescenda sunt varia incommoda, praeter jacturam temporis scilicet scrupuli, anxietates, conscientiae perturbatio etc.; quia tantum onus pro confessario et poenitente non est suscipiendum sine spe notabilis fructus, *a fortiori* cum timore notabilis damni.

Resolves:

518. — 1° Facile permittenda, imo suadenda est confessio generalis in praecipuis vitae christianae epochis, nempe ante primam communionem, ante electionem aut susceptionem status vitae particularis, v. g. ante sacerdotium, professionem religiosam aut etiam ante matrimonium; item quando quis statuit vitam perfectiorem ducere.

2° Facile permittenda est generatim loquendo una confessio generalis totius vitae praeter confessionem tempore primae communionis peractam; sed difficillime altera concedenda esset, quando prior sat accurate bona fide et bona voluntate facta est, nisi forte

(1) Tunc enim iteratio consulenda erit, imo etiam praecipienda, si illa signa gravissimam suspicionem de invaliditate confessionum moveant.

(2) Cf. *n. 511. I. etc.* Hinc non solum confessiones iterandae erunt, quae ob defectum ex parte poenitentis invalidae fuerunt, sed etiam illae, in quibus id evenit per defectum ex parte confessarii, quia v. g. caruit jurisdictione.

(1) Consulendam etiam esse iterationem confessionum, de quarum valore grave dubium moveri potest, jam supra innuimus. — V. *n. 513. Q. 2°. etc.*

in juvenili aetate, v. g. ante 20um annum, peracta fuerit. — Hinc poenitentes, qui petunt a confessario licentiam confessionem generalem peragendi, interrogandi sunt, qua de causa id postulent, an alias jam confessi fuerint generaliter, a quo tempore et quoties, et ex responsis judicabit confessarius, utrum expediat haec confessio necne.

3° Facile permittenda est personis devotis confessio generalis partialis, nempe unius anni vel a tempore ultimae confessionis generalis, juxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. Item permitti potest poenitentibus piis aliquando, ut repetant summarie paucis verbis praecipua vitae suae peccata: attende tamen ad varias personarum circumstantias.

4° Sedulo cavere debent confessarii praesertim, ne facilius poenitentes ad confessionem generalem compellant(1) aut etiam admittant. Summopere autem sunt reprehendendi, qui ab omnibus novis poenitentibus hanc exigunt sub praetextu necessitatis ratione directionis.

5° Non est permittenda confessio generalis etiam in dubio de validitate praecedentium confessionum, ubi ex illa metuenda sunt incommoda notabilia ratione scrupulorum, perturbationis conscientiae etc., quia incommoda gravia et certa non incurrenda sunt pro obligatione dubia.

6° Numquam permittenda est confessio generalis scrupulosis aut nimis timoratis, quia, si una permitteretur, hac finita statim aliam facere vellent, et post secundam etiam tertiam suscipere importunis precibus peterent cum summo animae detrimento etc. Constat enim experientia, confessionem generalem in istis multo plures scrupulos generare, quam destruere.

II. De modo peragendi confessionem generalem.

Multiplici modo fieri potest confessio generalis; sed magis expediet, generatim loquendo, si fiat juxta sequentes regulas.

Regulae:

519. — Ia *Regula. Ante confessionem:* Satagere debet confessarius explicitum cognoscere statum poenitentis et varias circumstantias, ex quibus potest dirigi ad prudenter et fructuose interrogandum.(1) Hinc:

1° Examinet, utrum agendum sit de confessione necessaria necne; si enim necessaria sit, multo majori diligentia et cura poenitens audiendus, interrogandus et adjuvandus erit(2).

2° Inquirat prudenter de conditione poenitentis, de ejus aetate, occupationibus vel officiis, de ejus familia: nempe an habeat adhuc parentes, fratres aut sorores, et an cum ipsis versetur aut diu versatus sit(3) etc.

3° Interroget: a quo tempore sit confessus poenitens? an absolutus? an hic et nunc aliqua prava consuetudine aut pravo animi affectu sit irretitus? an frequenter ad sacramenta accesserit? an pie confessus vel sacrilege? an peccata celaverit aliquando? quo tempore? quamdiu? an ea postea confessus fuerit vel confessiones sacrilegas iteraverit? etc.(4)

---

(1) In genere ad confessionem generalem non adigatur poenitens, qui ad illam non inclinat, nisi sit necessitas manifesta. — *S. Lig., Prax. conf. n. 20. 5.*

Multo minus confessarius eum alliciat, ut apud ipsum confessionem istam peragat, sed plenam potestatem ei faciat. Si vero poenitens sponte id roget, sacerdos non se difficilem praebeat et poenitentem, licet forte incultum, ignorantem, non sat dispositum, omni prudentia et patientia tractet. Imo, quo magis confessurus reconciliatione cum Deo indiget, eo magis enitaris, ut „fratrem tuum lucreris"!

(1) Ob hanc rationem ordinarie monetur poenitens, ut ante confessionem generalem accuset peccata ab ultima confessione patrata.

(2) si autem necessaria non sit, nulla necessitas urget, omnia peccata confitenda.

(3) an sit matrimonio junctus —

(4) Addunt alii: an calleat scienda et credenda, praesertim necessitate medii

: Illae praeviae notiones plurimum ırio inservient: has autem interıes magis vel minus urgebit pro ɜ confitentis et natura ejus respon-

Regula. *Quoad ordinem conis:* Accusatio et interrogationes confessione *certo* et *praedezto* ordine fieri debent, ne omceantur cum perturbatione con- et periculo defectus integrita- Via autem brevior et facilior fiat declaratio peccatorum se- ı ordinem mandatorum Dei, ae, peccatorum capitalium et onum status.(1)

— IIIª *Regula. Quoad moonfessionis:* Si poenitens sit ıstructus, benigue eum inducat ırius ad peccata sua exponenda raefatum ordinem, pollicendo, se adjuvandum et, quoties opus interrogandum esse, ut omnia erficiantur.(2) — Si autem poenitens sit rudis, fere totum onus confessionis in se assumat confessarius, interrogando per ordinem de omnibus, quae committere solent poenitentes talis conditionis, et inquirendo post singula peccata a poenitente, an aliquid addendum noverit. Antequam autem interrogationes incipiat, sedulo confitentem admoneat, nihil sibi pertimescendum esse quoad difficultatem peccata detegendi: *Sis quietus et bono animo,* inquiet: *ego tuam peragam confessionem. Novi sane omnia peccata, quae patrare potuisti; ego tibi ea omnia detegam: tuum solum erit, clare et sincere interrogationibus meis respondere et de peccatis verum dolorem concipere.* — Sic *Salvatori, Instructio practica pro neo-confessariis.*(1)

APPENDIX II.(2)

NORMA CONFESSIONIS GENERALIS PER INTERROGATIONES INSTITUENDAE.

Prius dicat poenitens quae scit, nisi praeferat statim interrogari.

Ante omnia interrogandum, an sit poenitens matrimonio junctus vel non. Deinde

I. *An nulla confessio sacrilega?* An aliquando quidpiam non audebas dicere? quoties? An in tali statu ss. communionem suscepisti? an tempore paschali(3)? quoties? An culpabiliter non implevisti poenitentiam?

II. *Circa virtutes theologicas:* An

---

vestigatio tamen, si fieri debeat, ɔroficue, ut videtur, post confesinstituetur, cum facile fervorem ıtis aliquantulum minuat.

aec via praeferenda alteri, quae solet, scilicet examen instituere ıdo primario ad diversitatem aeıeritiam nempe, adolescentiam, aeirilem et senilem. Oportet quidem ɜationem habere, sed secundario, ısdem speciei peccata quavis aeɜurrere possint.

vero communiter, ante cetera acommissa contra sextum et nonum tum. Iis tamen, qui ad ejusmodi propensiores se sentiunt, confesıggerat, ne morose examini eorum :, quae periculum ipsis generare : saepius Deum invocent, aliqua sideratione se muniant et quam e materiam illam percurrant.

ɜribere peccata ad confessionem ɜm non vituperandum; fiat tamen e, omissis superfluis.

ı vero librorum ad discutiendam ıtiam aliqua cautela opus est, cum ıper sufficienter distinguant pecıialia a mortalibus et saepe latius ıt, quae paucis percurrere sufficit.

exactum culparum levium conm sane pro confessionibus ordinaɔ generali autem facile obest. Sufaltem generatim, in hoc casu, de venialibus universaliter dolere et eorum species in fine confessionis addere. — *B. Leonardus a Portu Maurit.*

(1) Sub fine accusationis interrogetur poenitens, an nihil praeterea in conscientia lateat, quod ipsum inquietare posset.

Maximi momenti vero est, ut excitetur ad verum dolorem et efficax propositum: nec omittatur, ipsi inculcare opportuna remedia ad perseverandum in pio proposito. — Cf. *Scav.*, ubi plura de hisce.

(2) Ex *Manuali sacerdotum,* auctore *P. J. Schneider S. J., Coloniae.*

(3) Experientia docet, hujus circumstantiae reatum communiter a fidelibus non adverti, sponte vero aperiri a poenitente, qui eum adverterit. — (Nota edit. rom.)

interdum elicuisti actum fidei, spei et caritatis(¹)? An scis mysteria principalia scitu necessaria, scilicet: Deum esse, et remuneratorem esse boni et mali; mysteria SS. Trinitatis, incarnationis et mortis Jesu Christi? An forte negasti fidem? An dubitasti de aliqua veritate religionis? vel eam negasti? An contra religionem locutus es? An libros prohibitos legisti, vendidisti, commodasti?

An forte desperasti? Cur? (spem injiciat confessarius: quoniam bonus Deus, si te voluisset damnare, non te hodie....) An praesumpsisti?

An ex respectu humano Dei et Ecclesiae praecepta neglexisti?

An formaliter aversionem a Deo et a rebus divinis concepisti?

An odisti Deum odio malevolentiae?

An proximo tuo dedisti scandalum, prava consilia aut exempla?

An occasiones peccandi quaesivisti?

III. *Circa praecepta Dei: 1um* Superstitio — Divinatio — Vana observatio — Magia — Idololatria — Habitus numquam vel vix orandi.

2um Juramentum — Votum — Blasphemia.

3um Laborare die dominica vel festo — Omissio sacri, vel mala auditio.

4um In parentes, herum, pastorem inobedientia — murmurationes — contumeliae — ictus — mortis apprecatio. — In filios, servos, aliosve subditos: educatio — instructio — cura salutis — occasiones peccati proximae — vigilantia circa officia religionis — scandalum — ira.

5um Damna proximo illata in corpore aut anima — Odium — Desideria vindictae — Imprecatio — Rixae — Verbera — Homicidium — Duellum — Abortus — Abusus matrimonii. (Sed interrogandum hic et de sequenti praecepto parce, caute, caste.)

6um et *9um* *Cogitationes.* Gaudium — Delectatio morosa — Desideria — quae? quibuscum personis? — *Verba.* An verba inhonesta, jocos, cantilenas .... protulisti — libenter audivisti — libros obscoenos legisti? — *Opera* — tecum? tactibus? pollutionibus? visu? cum aliis? cum solutis? cum conjugatis? cum cognatis? voto obstrictis(¹)? ejusdem sexus? — *An hic et nunc adhuc in occasione proxima?* — Uxores possunt interrogari, utrum maritis fuerint obedientes in omnibus licitis.

7um et *10um* Damnum — Furtum — Fraus — Stipendium operariis debitum retentum, vel defraudatum, vel minutum — Restitutio — (Furta minuta — Compensatio occulta).

8um Mendacia perniciosa — Judicia temeraria — Detractio — Calumnia (Reparatio famae et ulterioris damni forte illati).

IV. *Circa praecepta Ecclesiae:* Jejunium — Abstinentia a carne diebus vetitis — Confessio — Communio paschalis.

V. *Circa peccata capitalia:* Ebrie-

(¹) *Dominicus Viva (ad prop. 1. ex damn. ab Alexandro VII. n. 8.)* ceu rem notissimam memorat, quod *numquam fideles se accusant de transgressione praeceptorum ad actus theologales obligantium, nec solent de hoc a confessariis interrogari.* Et huc faciunt illa *Joannis Lugo (De poenit. disp. 15. n. 55.):* „De hoc peccato omissionis poenitentiae internae debitae per totum annum sive per se ex praecepto virtutis poenitentiae,.... sive per accidens ..., non oportet interrogare poenitentem, nec eum etiam admonere in particulari... Et probari potest ... exemplo praecepti diligendi Dei, de quo etiam non interrogantur poenitentes in particulari ...., nec admonentur de obligatione illius praecepti aliquando implendi, tum quia ex ipso discursu confessionis satis apparet, quomodo se habeat poenitens erga Deum, tum etiam, quia propter varietatem sententiarum non possumus illi imponere certam obligationem.“ — (Nota edit. rom.) Cf. *p. 1. n. 188. Q. 1°.*

(¹) Cum raro id contingat, et, si forte contigerit, sponte poenitens id aperiat, alioquin vero ejusmodi interrogatio admirationem forte, et aliquod quodammodo scandalum parere possit, hujus circumstantiae inquisitio non videtur consulenda. — (Not. edit. rom.)

tas — Superbia — Acedia — Invidia — Ira — Avaritia.

VI. *Circa officia status:* Maritus — Uxor — Herus — Magistratus civilis — Advocatus — Mercator (pondus et mensura).

In fine petat, numquid aliud adhuc eum anxium teneat.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE. (1)

Agendum: 1° de impositione; 2° de impletione poenitentiae.

ARTICULUS I.
DE IMPOSITIONE POENITENTIAE.

Principia:

521. — I. Confessarius tenetur poenitentiam imponere cuilibet poenitenti eam valenti persolvere. Ratio: 1° quia confessarius, ut minister sacramenti, ejus integritatem, quantum in se est, procurare tenetur, secus non esset fidelis dispensator(2); 2° quia natura judicii et potestas judicialis aliquam delictorum punitionem requirit. Constat etiam ex *Tridentino sess. 14. c. 8.*

II. Confessarius tenetur poenitentias injungere *convenientes* et *salutares*, tum *vindicativas*, tum *medicinales*(3), scilicet aliquo modo proportionatas numero et gravitati peccatorum, necnon poenitentis facultatibus ac dispositionibus. Ratio ex natura rei patet, cum sacramentalis satisfactio ordinata sit in vindictam peccatorum, quae majora vel minora, plura vel pauciora sunt, necnon ad novas culpas praecavendas. Constat ex *Tridentino sess. 14. c. 8.*, ubi sic: „Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus „et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate *salutares* et *convenientes* satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum „poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis „injungendo, alienorum peccatorum „participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam „imponunt, non sit tantum ad novae „vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem.“

Quaesita:

522. — Quaer. 1° *An confessarius sub gravi teneatur poenitentiam imponere?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad *mortalia* peccata. Ratio est, quia obligatio, cujus objectum est res gravis, eo ipso gravis dici debet. Hinc peccaret, etiam graviter, confessarius, si pro gravibus culpis levissimas poenitentias sine causa excusante imponeret. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 506.*

Resp. 2° Quoad *venialia* controvertitur. Alii *affirmant*, quia injunctio satisfactionis pertinet ad ritum hujus sacramenti, qui ritus, cum a Christo institutus sit, pro re gravi habendus est. — Alii vero *negant*, quia non potest probari obligatio *gravis* poenitentiam injungendi pro culpis levibus tantum, siquidem in hoc nulla deordinatio gravis apparet. Utraque sententia est probabilis. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 16. n. 47.*

---

(1) Satisfactio sacramentalis definitur: punitio sui ipsius a confessario in poenitentiae sacramento injuncta et voluntarie a poenitente suscepta, tam ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, quam ad redimendam poenam graviorem per idem peccatum promeritam. — Ita *Scav.*, qui in hac definitione primarium finem satisfactionis prae oculis habet.

(2) porro agitur hic de parte sacramenti, licet integrali tantum; — v. *n. 414. III.*

(3) In hoc statu lapsae naturae quaecumque opera bona *vindicativa* sunt sive *poenalia.* — *S. Lig. n. 514.* — *Medicinalia* vero vocantur illa, quae, ut *Trid. (sess. 14. c. 8. de poenit.)* ait, „medentur peccatorum reliquiis et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.“

523. — Quaer. 2° *Quandonam imponenda sit poenitentia?*

Resp. Imponenda est ante absolutionem *generatim loquendo.* Ratio est, quia sic servatur judicii ordo, qui exigit, ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione poenitentiam *ante* absolutionem non injunxerit, eam statim *post* absolutionem imponere debet. Non est tamen grave, poenitentiam post absolutionem imponere; imo *probabiliter* omni culpa vacat, si praesumatur, poenitentem opus ipsi injunctum accepturum esse. — *S. Lig. n. 514.* — *Salmant. etc.*

Quaer. 3° *Quanta poenitentia peccatoribus imponenda sit?*

Resp. Quantitas poenitentiae universaliter determinari non potest, sed relinquitur prudentiae et judicio confessarii. Gravem tamen *per se* pro mortalibus imponere debet. Sic ex *concilio Trid.*, ut *supra n. 521.* — *S. Lig. n. 508.*

524. — Quaer. 4° *Qualis poenitentia censeatur* gravis per se *pro uno vel altero peccato mortali?*

Resp. Censenda est poenitentia *gravis,* saltem ex praxi hodierna Ecclesiae, ea, quae respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur vel quod sub gravi ex se obligaret, si praeciperetur.

Hinc poenitentia gravis erit et pro peccato gravi ordinario sufficiens: missam audire, jejunare, recitare rosarium (etsi quinque tantum decadum), officium parvum B. Virginis, litanias sanctorum et alia similia: non autem gravis censeretur poenitentia, si psalmus *Miserere* tantum imponeretur. — *S. Lig. n. 515.*

Quaer. 5° *Qua de causa poenitentia levior imponi possit?*

Resp. 1° Si poenitens sit valde debilis et infirmus corpore;(¹) — 2° si prudens timor sit, ne majorem poenitentiam non adimpleat aut ne graviori poenitentia a confessione avertatur; — 3° si probabiliter major poenitentia magis ei obfutura sit, quam profutura; — 4° Si poenitens valde contritus appareat; — 5° si adsit tempus indulgentiae plenariae lucrandae, praesertim jubilaei. — *S. Lig. n. 508. et seq.*

525. — Quaer. 6° *An possit imponi poenitentia sub conditione relapsus?*

Resp. Affirmative; sed debet semper imponi praeterea proportionata poenitentia pro peccatis commissis, quia secus nulla reipsa foret, si forte poenitens in peccatum non relaberetur. — *S. Lig. n. 524.*

Quaer. 7° *An possit imponi poenitentia publica?*

Resp. Negative, si agatur de peccatis occultis. — *Ita rit. romanum.* Secus autem pro publicis. Attamen, si publica poenitentia(¹) non ita sit necessaria, confessarius non debet illam renuenti imponere, cum aliter ejus salus obtineri et scandalum reparari possit. — *S. Lig. n. 512.*

Quaer. 8° *An possit imponi pro poenitentia opus alias debitum?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia, cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis sacramentalis elevari.(²) — *S. Lig. n. 513.* et *alii communiter.*

(¹) „Meminerit porro sacerdos, aegris „non esse injungendam gravem aut laboriosam poenitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant.“ — *Rit. rom. in ordine ministr. sacr. poen.*

„Quodsi infirmus sit constitutus in mortis periculo aut sensibus destitutus, tunc „potest absolvi sine ulla poenitentia, licet „semper expediat, aliquam levem ei imponere.“ — *Hom. ap. tr. 16. n. 49.*

(¹) vel potius reparatio —

(²) In praxi vero non fiat, nisi ob fragilitatem poenitentis! Nec praesumendum est, elegisse confessarium opus jam debitum, nisi de hoc certo constet. — *S. Lig. ib.*

Resolves:

26. — 1° Numquam sunt impo-
ae poenitentiae perpetuae: 1° quia
cerent periculum oblivionis vel ni-
anxietatis; — 2° quia secus ta-
orte poenitentiae a variis confessa-
eidem poenitenti imponerentur, et
innumeris vinculis simul et pro
vita obstringeretur. Imo, nec or-
rie sunt imponendae poenitentiae
iuturnum tempus, v. g. ad annum
ad quinque menses. — *S. Lig.,*
. apost. tr. 16. n. 52. — *La-*
e etc.

' Numquam eae sunt imponendae
itentiae, quae poenitentem ludi-
aliorum exponerent, ut esset v. g.
are in media ecclesia quinque *Pa-*
noster brachiis extensis etc. Nec
rtiori imponi possunt poeniten-
quae adimpleri nequeunt, quin
essionis revelatio facile subsequatur.

' Nec sunt imponenda jejunia pue-
rusticis, opificibus continuo labore
igatis; nec filiis-familias, qui ni-
n jejunando admirationem paren-
injicerent aut etiam eos offen-
nt. Nec sunt injungendae pere-
itiones aut prolixae preces aut
ratim eleemosynae mulieribus sub
state viri constitutis, nec paupe-
magno labore victum sibi com-
ntibus.

' Non sunt imponendae poeniten-
multis operibus diversis implica-
quia memoriter teneri non pos-
; nec, ordinarie saltem, poeniten-
nimis naturae repugnantes, v. g.
ire crucem cum lingua in terra,
ere inimicos etc. Imprudenter
generatim imponitur pueris, ut
im petant a parentibus vel ab
ob inobedientiam, irreverentiam
furtula ipsis facta, quia saepe
am reddunt confessionem et ple-
ue omittuntur etc.(1)

---

cf. *p. 1. n. 366. 4°. not.; 464. 3°. nota; 5°.*

quit vero pro satisfactione imponi
ssus in religionem, nec probabilius

ARTICULUS II.
DE IMPLETIONE POENITENTIAE.

Principia:

527. — I. Poenitens omnino tenetur acceptare atque implere rationabilem poenitentiam sacramentaliter injunctam, quia satisfactio partibus intrinsecis hujus sacramenti adnumeratur. — *Conc. Trid. sess. 14. c. 8.* — *S. Lig. n. 516.*

II. Poenitens tenetur *sub gravi* implere poenitentiam gravem pro gravibus peccatis impositam, quia materia gravis per se obligat sub gravi. — *Ita omnes.* — Probabilius autem *sub levi* tantum obligatur poenitens ad poenitentiam levem pro levibus culpis impositam, quia materia levis non est capax gravis obligationis. — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 517.* contra *plures.*

III. Poenitens debet poenitentiam tempore a confessario assignato(1) vel, quam primum commode potest, implere, ita ut graviter peccet, si diu ex gravi negligentia eam differat, quando de poenitentia *sub gravi* obligante agitur; quia per se grave est, debitum notabile diu protrahere.

Quaesita:

528. — Quaer. 1° *An obliget sub gravi poenitentia in se quidem*

---

matrimonium, nequidem ut medium ad peccata vitanda. — *S. Lig. n. 511.*

Quodsi missarum celebratio praescribatur (quod non semper expedire putamus), nullimode confessarius ipse easdem persolvat, licet forte sponte offerantur. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 92.*

Potest vero imponi opus internum; item cessatio a bono opere, in quantum haec est actus virtutis (licet regulariter non expediat), et probabilius etiam (imo certo ex *catech. rom., de poenit. sacr. Q. 74.*) opus applicandum pro defunctis. — *S. Lig. n. 514. Dub. 1. et seq.*

(1) Si autem statuto tempore adimpleta non fuit, remanet onus eam peragendi, quia tempus solummodo accessorie intenditur. — *S. Lig. n. 525.*

Nullimode vero praestari debet ante absolutionem, nec ante communionem. — *S. Lig. n. 527.* — *Prop. 16. 17. 18. 22. Alexandri VIII.*

gravis, sed pro venialibus tantum imposita?

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia tunc non est necessaria satisfactio, in quantum est gravis. Unde sicut confessarius non tenebatur, imo non poterat illam imponere sub gravi, ita nec poenitens sub gravi implere tenetur. Excipe: si confessarius poenitentiam imposuerit pro venialibus proxime inducentibus in peccatum mortale, quia tunc confessarius jus habet poenitentiam gravem imponendi ut remedium, quo poenitentem a mortalibus removeat. — *S. Lig. n. 517.*

Quaer. 2° *An confessarius pro gravibus culpis poenitentiam possit imponere* gravem *equidem, sed* leviter *obligantem?*

Resp. Affirmative, quia legislator quilibet gravem materiam sub levi imponere potest; sed generatim hoc non expedit. — *Ita S. Lig. n. 518.* — *Suarez etc.*

Quaer. 3° *An poenitens teneatur* sub gravi *implere* circumstantias *poenitentiae sibi impositae adjectas, v. g. orare* genibus flexis *etc?*

Resp. Solutio pendet a majori vel minori molestia, quam affert circumstantia sive *per se,* sive *respectu poenitentis.* — *S. Lig. n. 517.* Hoc pendere etiam potest ab intentione confessarii, si haec ab ipso manifestata fuerit aut si hanc poenitens possit praesumere.

529. — Quaer. 4° *An satisfaciat poenitens poenitentiam implens in mortali?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius.* Ratio est, quia ad satisfaciendum praecepto sufficit, opus satisfactionis injunctum ponere, licet finis praecepti non obtineatur. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 522.* contra *plures.*

Quaer. 5° *An peccet poenitens implens poenitentiam in mortali?*

Resp. 1° Certum est, illum non peccare *graviter.* — *Ita communiter theologi.*

Resp. 2° *Probabilius venialiter* peccat. Ratio est, quia ille, qui voluntarie obicem effectui partiali sacramenti ponit, non videtur ab omni culpa excusari posse. Plures tamen graves theologi *non improbabiliter* tenent cum *Lugo,* illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa, soli poenarum remissioni obicem ponere. — *S. Lig. n. 523.*

530. — Quaer. 6° *Quaenam poenitentiae dilatio sit gravis?*

Resp. 1° Si poenitentia fuerit *levis,* dilatio, quantacumque sit, numquam erit *gravis,* cum ex dictis ipsa poenitentiae omissio probabilius esset levis.

Resp. 2° Si poenitentia sit *gravis* et pro gravibus peccatis imposita, *probabilius gravis* reputanda est dilatio duorum vel trium mensium. Nulla tamen regula generalis circa hoc determinari potest.(¹) — *S. Lig. n. 521.*

Quaer. 7° *An, si poenitens injunctae poenitentiae oblitus fuerit, teneatur confessionem repetere, ut aliam poenitentiam recipiat?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia impletio poenitentiae jam semel injunctae per oblivionem(²) *impossibilis* effecta est. Ad impossibile autem nemo tenetur. — *Ita S. Lig. n. 520.* et *alii communiter.*

Nota: Si poenitens prudenter praesumat, confessarium adhuc esse injunctae poenitentiae memorem, tenetur juxta omnes illum adire, si commode possit, ut ab eo, qualis illa sit, resciat.

531. — Quaer. 8° *Quis poenitentiam commutare possit?*

Resp. 1° Numquam ab ipso poenitente commutari potest, ne in melius quidem, quamvis votum ab ipso vovente possit in opus evidenter melius

(¹) Brevius enim tempus sufficit, si poenitentia postea adimpleri nequit vel si periculum oblivionis urget; item in poenitentiae medicinalis dilatione, quae periculum relapsus in peccatum grave affert. — V. *S. Lig. l. c.* et *Hom. ap. tr. 16. n. 57.*

(²) etiam culpabilem — *S. Lig. ib.*

poenitentia nequit ad sa-
atisfactionis meritum ele-
ministro ipso sacramenti
imposita fuerit.

Commutari potest: 1° a
ssario, seu ab eo, a quo
, quia legislator potest
em mutare; 2° a quolibet
rio ad confessiones au-
obato, quia quilibet alius
potest esse ejusdem cau-
poenitens illius tribunali
successor enim in eadem
potest, quidquid potuit
Excipiendus tamen videtur
o poenitentia ab ipso su-
casibus reservatis imposita
rior sententiam superioris
it, nisi quando aditus fa-
eriorem non patet(1) et
onsensus facile praesumi
S. *Lig. n. 528. 529.*

nmutationem licite facien-
ur causa justa, qualis est
entia videatur nimis diffi-
oraevideatur poenitens non
us ob nimiam repugnan-
tatem, oblivionem etc. —
528.

Quaer. 9° *An poenitens
nfessionem repetere ad
commutationem obtinen-*

Si adeat eumdem confes-
erit necessarium confes-
ere, dummodo confessarius
dhuc *confuse* status con-
enitentis. — *Ita omnes.*

Si alium adeat confessa-
iam eumdem non amplius
memorem, sufficit, ut sum-
teatur, ita ut confessarius
tus illius notitiam acquirat.
Lig. n. 529. et *alii com-*
ıtra *plures.*

Probabilius requiritur
ria confessio, si confessa-
in confuso, statum poe-
n cognoscat. Ratio est,

causa accedit —

quia nequit confessarius poenitentiam commutare, nisi in sacramentali judicio: hoc autem judicium non potest exercere, nisi poenitens conscientiae suae statum illi aperiat. — *Lacroix* — *Elbel etc.*

Attamen *probabiliter negat S. Lig.* cum *aliis,* quia non agitur de judicio ferendo circa culpas deletas in praecedenti confessione, ubi judicium circa illas jam fuit formatum, sed tantum de poenitentia commutanda, ad quod sufficit prioris poenitentiae cognitio, ut nova aliquo modo aequivalens imponatur.

533. — Quaer. 10° *An confessarius possit poenitentiam commutare extra confessionem?*

Resp. 1° *Negative,* si confessarius sit diversus. Ratio est, quia confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali. — *Ita omnes.*

Resp. 2° Si confessarius ille sit, qui poenitentiam imposuit, potest illam mutare *immediate* post absolutionem, antequam poenitens discedat, non vero postea, *saltem probabilius.* Ratio est, quia ad id requiritur et sufficit, ut praecedens confessarii judicium moraliter perseveret, quod non videtur locum habere, si poenitens confessarium extra poenitentiae tribunal adierit. — *Ita S. Lig. n. 529.*, ubi dicit, esse sententiam *veriorem* et *communiorem* cum *Suarez* — *Salmant. etc.* Aliqui tamen dicunt, commutationem poenitentiae fieri posse ab eodem confessario extra confessionem intra unius diei spatium, quia tunc adhuc videtur moraliter uniri cum judicio sacramentali peracto. — *Lugo disp. 25. n. 112.* — *Voit p. 2. n. 632.*

Resolves:

534. — 1° Non tenetur poenitens poenitentiam adimplere, quando invalida fuit confessio, quia judicis sententia sacramentalis nulla fuit nec proinde adest sacramentum integrandum; insuper bis pro eisdem peccatis esset satisfaciendum. Idem dicendum

est de poenitentia sine absolutione imposita, ob eamdem rationem. — *Collet* — *Reuter* et *alii communiter*. — Excipe: 1° si poenitentia sit medicinalis, ideoque necessaria; 2° si poenitens ad eamdem confessionem perficiendam pluries accedat et confessarius poenitentiam singulis vicibus imponat ex hac intentione, ut minor ultima vice imponenda sit, quemadmodum saepius fieri solet.

2° Peccat graviter non tantum, qui poenitentiam gravem pro gravibus injunctam omittit, sed et qui omittit ejus partem prae integra poenitentia notabilem vel etiam, quae gravis esset in se spectata.

3° Universim ad judicandum de omissionis gravitate attendendum est, an materia vel circumstantia omissa multum vel parum ad praecepti finem conferat; an substantia praecepti impleta sit etc. Sic praecepti substantiam implet nec peccat, nisi venialiter, ille, cui injunctum est, ut rosarium flexis genibus, vel ante imaginem B. M. V., vel stans, vel in cubiculo recitet, si omissis hujusmodi circumstantiis rosarium equidem ipsum recitet. Aliud foret, si jussus esset v. g. expansis brachiis orare; notabilis enim haec esset mortificatio, cujus omissio foret gravis.

535. — 4° Possunt etiam preces in poenitentiam impositae recitari missam de praecepto interea audiendo, nisi fuerit aliud statutum a confessario. — *S. Lig.*, *Hom. apost. tr. 16. n. 57.* Possunt etiam alternatim cum sociis recitari preces, quae ex Ecclesiae usu aut fidelium praxi velut in choro recitari solent, v. g. rosarium etc.

5° Satisfacere nequit poenitens per alterum(1), quia satisfactio est quasi sacramenti hujus materia et pars integralis; ergo necessario ab ipso poenitente satisfactio ponenda est. Constat etiam ex *propositione 15.* ab *Alexandro VII.* damnata, quae sic habetur: *Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.*

6° Si confessarius duas missas eodem die audiendas in poenitentiam imposuerit, illae successive, non autem eodem tempore sunt audiendae, quia id intendisse confessarium rationabiliter praesumendum est. — *S. Lig.*, *Hom. apost. tr. 16. n. 57.* — *Lacroix* et *alii communiter* contra *paucos.*

7° Poenitens, cui difficilior injungitur poenitentia, confessarium monere debet de impossibilitate aut nimia difficultate eam adimplendi et, si confessarius non acquiescat, alium adire potest. Si autem poenitentia non appareat nimis gravis, poenitens eam acceptare tenetur nec potest recedere sine aliqua culpa, quia non licet sacramentum inchoatum sine justa causa relinquere et judicium sacerdotis, cui se subjecit, effugere.

8° Si poenitens, accepta poenitentia ab uno confessario, confessionem iteret apud alium, ut mitiorem poenitentiam sortiatur vel alia de causa, a priori poenitentia minime liberatur, si nullam mentionem de facta confessione et accepta poenitentia faciat, quia ad commutandam poenitentiam requiritur actus voluntatis positivus ex parte confessarii, quo prior obligatio revocetur. — *Ita communiter.* — *Lugo d. 25. n. 103.* — *Lacroix.*

APPENDIX

DE POENITENTIIS UTILIUS IMPONENDIS.(1)

I. Opera pietatis.

1° Orationes vocales: Pater — Ave — Credo — Litaniae B. Virg. — Rosarium — sive ejus tertia pars — Preces matutinae et vespertinae.

2° Orationes mentales (discrete) pro

(1) nisi confessarius forte id concesserit *S. Lig. n. 526.*

(1) Ex editione romana anni 1866.

ıpacitate poenitentis: pro rudibus ›gitatio aliqua de inferno, de morte, ɜ passione Christi, mane aut vespere, . gr. per tempus unius Ave.

3⁰ Actus fidei, spei, caritatis, con-ıitionis, fiduciae in Deum, conformi-ıtis divinae voluntati, propositi non ɜccandi etc. — toties, v. gr. mane, ɜspere, praesertim in tentationibus vel ıimi dejectione.

4⁰ Oblatio suimetipsius Deo summo ıane — Signum crucis — Variae dspirationes seu orationes jaculatoriae d Christum, ad SS. Cor Jesu, ad B. 'irginem, ad angelum custodem. (Or-inarie non sunt multiplicandae.)

5⁰ Exercitium viae crucis, praeser-m quando fit in communi — Pre-ɜs novemdiales in honorem B. V. vel licujus sancti.

6⁰ Auditio concionum, catechismi – Adsistentia officiis Ecclesiae, v. gr. ıissae solemni, vesperis etc., vel ex-rcitiis spiritualibus, aut pio exercitio ıensis Mariani vel aliis hujusmodi, ıltem aliquoties.

7⁰ Examen generale conscientiae espere, saltem per breve tempus — :em examen particulare circa talem efectum vel talem pravam consuetu-inem ex firmo emendationis proposito.

8⁰ Visitatio ecclesiae vel altaris cu-ıslibet, vel alicujus in particulari ad liquid ibi orandum, aut ad petendam ratiam non amplius peccandi.

9⁰ Lectio pia, v. gr. per quadran-ɜm die dominica, vel unum aut al-ɜrum caput v. gr. Imitationis Christi, itae sanctorum vel alterius pii li-ri etc.

10⁰ Frequentatio sacramentorum, ıli die vel tali tempore, aut tot vi-ibus. Hic caute agat confessarius, nec nponat obligationem iis, qui raro con-tentur, ut semel vel bis in mense ccedant ad tribunal poenitentiae per nnum: sed hoc non injungat nisi una t forte altera vice, et solis poenitentibus id libenter acceptantibus(¹).

(¹) *Adde:* et prudentem spem de futura

II. Opera mortificationis.

1⁰ Jejunium, vel integrum juxta leges Ecclesiae, vel partiale, juxta vires physicas ac morales poenitentis. Non tamen imponenda est hujusmodi poenitentia nisi raro, et iis solum, qui eam libenter accepturi sunt.

2⁰ Subtractio aliqua cibi, quae corporis sanitati aut officiis seu laboribus poenitentis nullo modo nocere possit, v. gr. dimidiae partis jentaculi soliti die Veneris aut sabbati, aut in vigilia festi alicujus etc.

3⁰ Abstinentia a vino vel liquore inebriante tali die — tali tempore — aut non excedere talem quantitatem.

4⁰ Subtractio aliqua somni ordinarii, praesertim surgendo maturius mane — aut hora determinata in pigritiae medelam aut etiam ad tentationes impuras praecavendas.

5⁰ Orare genibus flexis aut brachiis in modum crucis extensis(¹) — deosculari terram humilitatis causa — breves peregrinationes instituere.

6⁰ Offerre Deo aliquoties aegritudines, morbos aut alias occurrentes vitae aerumnas, patienter eas ferendo.

7⁰ Privari aliquando recreatione etiam honesta, v. gr. deambulatione — reprimere nimiam curiositatem in auditu, in visu — non sistere tamdiu ad domus januam aut fenestras. Hoc praesertim convenit puellis vanitati praeter modum addictis.

8⁰ Castigare corpus moderate, discreta maceratione, aliqua flagellatione, situ incommodo. — (Sed haec rarissime injungenda(²), imo cum magna discretione permittenda.)

propositi exsecutione praebentibus. — (Nota edit. rom.)

(¹) At brevis ejusmodi oratio sit oportet, nempe ne sanitati noceat. — (Nota edit. rom.)

(²) Inter ea, quae *rarissime* injungi oportet, *Lugo* recenset etiam abstinentiam a sumenda ss. eucharistia, insuper addens, tunc solum id consentaneum esse, cum propter defectum reverentiae et dispositionis praestat, quempiam ab ipsa removeri. Ita ille *disp. 25. n. 65.:* „Osten-

III. Poenitentiae medicinales.

Cum generatim loquendo contraria contrariis curentur, injungi aut tantum suaderi poterunt sequentes poenitentiae, cum discretione tamen, attenta praesertim qualitate et bono majori poenitentium:

1⁰ Poenitentibus *raro et male orantibus* imponantur preces breves, mane aut vespere, per hebdomadam circiter, persolvendae; — *tepidis* lectiones piae, vel orationes jaculatoriae aliquoties in die faciendae, paucae tamen, et ad paucos dies, ne oblivione omittantur aut poenitentem contorqueant; — *tentatis contra fidem et spem* actus fidei, spei, fiduciae, vel recitatio symboli apostolorum etc.

2⁰ *Blasphemis* reverentia externa in Deum, in crucem...., v. gr. deosculari reverenter crucifixum vel imagines sacras — aut dicere devote: *Sit nomen Domini benedictum. Laudetur Jesus Christus.*

3⁰ *Amatoribus mundi* ejusque pomparum meditatio aliqua de vanitate rerum mundanarum, v. gr. dum mane surgunt, aut cubile petunt — vel renovatio sponsionum in baptismo factarum.

4⁰ Illis, *qui saepe missam omittunt,* aliqua missa supererogatoria audienda, v. gr. duplex die dominica, aut una die feriali — vel visitatio aliqua sanctissimi sacramenti pluries facienda etc.

5⁰ *Servantibus odium* opera aliqua caritatis in proximum, v. gr. inimicum salutare, aut alloqui (prudenter tamen) — oratio et actus caritatis pro proximo in genere, et etiam specialiter pro inimicis — recitatio orationis dominicae pro iisdem, praesertim horum verborum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

6⁰ *Libidinosis* aliqua mortificatio aut commoditatum subtractio, praesertim fuga occasionum (¹) — oratio — sacramentorum frequentatio — firmi propositi frequens renovatio — novissimorum memoria etc.

7⁰ *Furibus* et *avaris* eleemosyna aliqua juxta eorum facultates, etiamsi assis unicus aliquoties in pauperes vel in ecclesiam erogandus esset. Numquam autem imponendae sunt graves eleemosynae, nisi libenter acceptentur.

8⁰ *Superbis* officia quaedam humilitatis, v. gr. deosculari terram — visitare pauperes — vel ipsis benigne subvenire — eos humaniter tractare — vel elicere varios actus humilitatis, v. gr. dicere cum publicano: *Domine, propitius esto mihi peccatori.*

9⁰ *Gulosis* et *ebriosis* subtractio aliqua ciborum — abstinentia a cibo et potu extra consuetas refectiones — vel abstinentia a vino tali die — aut prohibitio, ne in refectionibus talis vini quantitas excedatur etc.

Adde etiam opera mortificationis, quae sub *II.* indicata sunt.

---

dimus, frequentem usum communionis non esse rem ita determinate bonam, ut non possit aliquando et in aliquibus circumstantiis melius esse abstinere, quam accedere, etiamsi non sit conscientia peccati mortalis.... Cum ergo confessarius possit praecipere opera honesta et virtutum in poenitentiam, non videtur dubium, in genere et de possibili loquendo, quod possit aliquando praecipere poenitenti, ut abstineat a communione tali die: quando scilicet constat, melius esse tunc abstinere, quam accedere, quod ex statu poenitentis et defectu reverentiae et dispositionis colligi prudenter potest, dum tamen illa omissio communionis non sit occasio aliis judicandi, quod a confessario fuerit in poenitentiam imposita, ne forte hac via cogeretur poenitens suam confessionem manifestare. Regulariter tamen non expedit, talem poenitentiam imponere, licet in casu rarissimo negandum non sit, quod possit utiliter imponi." — (Nota edit. rom.)

(¹) Intellige de occasionibus saltem paulo remotis; nam *proximas* jus naturae cavendas praecipit. — (Nota edit. rom.)

?ARS III.
RO POENITENTIAE.

1° de potestate ministri; ;io.

;APUT I.
;STATE MINISTRI.

nda est sacerdotis non n litantis, sed etiam in ribunali sedentis praes! Nulla sane est in ntior dignitas, nullum isterium, nullus eminenio, cui tribuitur peccata ıltas. *Quis est hic, qui dimittit?* clamabant in- *(Luc. 7. 49.).* Et ite- *ɔtest dimittere peccata, ;us? (Luc. 5. 21.)* — ıc etiam peccata dimitn ex potestate propria, accepta! Non enim nuninisterium, ut Tridendefinivit. En, Christi am gerit confessarius, erigit et sententiam abıuntiat. *Dedit nobis mionciliationis! (2. Cor.*

'ria requiruntur ad poquatam ministri poeni- ;et 1° potestas ordinis; ırisdictionis; 3° appro-

ır potestas *ordinis* seu stro competit vi ordina- :haracteri sacerdotali in- a. Ratio est, quia solis dictum est a Christo: *itum Sanctum: quorum ;ccata, remittuntur eis. 2.)* — Constat aliunde et variis Ecclesiae de-

sarius *valide* absolvat, nil ', nisi intentio, potestas ıdictionis; ut vero simul *igne,* probitas, scientia et *Ferraris ad v.* Confessa- *1. 43.*

II. Requiritur potestas *jurisdictionis* seu potestas, qua sacerdos ut judex potest ferre sententiam in aliquos ut subditos suos. — Constat ex *Tridentino sess. 14. c. 7.*

III. Requiritur *approbatio* ad confessiones tum *licite,* tum *valide* excipiendas, seu consensus episcopi de idoneitate sacerdotis judicantis. — *Trident. sess. 23. c. 15. de reform.*(1)

Agendum: 1° de approbatione; 2° de jurisdictione; 3° de reservatione casuum.

ARTICULUS I.
DE APPROBATIONE.

537. — Approbatio definiri potest: *juridicum praelati testimonium de idoneitate alicujus sacerdotis ad audiendas confessiones.*

Hinc examen non essentialiter requiritur ad concedendam approbationem: judicium enim prudens de idoneitate sacerdotis absque examine haberi potest, siquidem de hac aliunde constare potest.

Nota: Judicium de idoneitate sacerdotis debet esse adaequatum, scilicet tum ex parte intellectus per scientiam et prudentiam competentem, tum ex parte voluntatis per morum sanctitatem vicario Christi in terris convenientem.

538. — *Dico* I. Requiritur approbatio ad confessiones tum licite, tum valide excipiendas. Constat ex *concilio Trid. sess. 23. c. 15. de re-*

(1) Obligatur etiam sacerdos non curatus, se habilem reddere ad confessiones excipiendas, si in loco versatur, ubi incolae ob penuriam confessariorum gravi laborant necessitate spirituali, quae hodie, cum numerus sacerdotum adeo imminutus sit, facile invenitur. — Cf. *S. Lig. n. 625.* — *Ben. XIV., Inst. 94.*

Omnino praeterea suadendum parochis, quorum subditi non facile aliam occasionem confitendi invenire possunt, nisi apud ipsos, ut interdum aliquos confessarios ignotos accersant et subditis omnem libertatem praebeant, hisce confitendi; imo, dum extranei suo munere funguntur, ipsi confessiones non excipiant! Sic non raro confessiones invalidae et sacrilegia impediuntur. Sane jam ex hoc capite utilitas missionum apparet. — Cf. *S. Lig., Praxis conf. n. 201.*

formatione, ubi statuitur, nullum *sacerdotem, etiam* regularem, *posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.*

539. — *Dico* II. Approbare potest solus episcopus aut qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem. Ratio est, quia ad solos Ecclesiae praelatos pertinet judicare de idoneitate ministrorum ad audiendas confessiones deputandorum. Constat etiam ex *concilio Trident.* supra citato. — Potest autem episcopus approbare sive *per se*, sive *per alium* a se deputatum, quia approbatio est actus jurisdictionis; jurisdictio autem ordinaria potest delegari. — *S. Lig. n. 566.*

Nota: In praxi juxta praesentem Ecclesiae disciplinam approbatio et jurisdictio simul eodem actu praelati sacerdotibus, exceptis regularibus exemptis, conferuntur. Olim jurisdictio delegata communiter a parochis et approbatio tantum ab episcopis concedebatur. Nunc autem ex introducta consuetudine, ut episcopi delegationem cum approbatione tribuant, facultas delegandi a parochis exerceri nequit. Hinc jurisdictio usu communi etiam *approbatio* dicitur.(¹)

Quaesita:

540. — Quaer. 1° *A quonam episcopo habenda sit approbatio?*

(¹) Approbatio, quam exigit concilium, non est delegatio, sed simplex testimonium de capacitate subjecti, ipsum habile declarans, ut delegari possit. Proinde sacerdos, qui esset solummodo approbatus ab episcopo, sed non delegatus vel per eumdem, vel per Papam, vel per parochum, nulla potestate frueretur. Sed, quia ex actuali disciplina episcopus simul delegat, quando approbat, potestas parochorum hac in re jam exerceri non potest. Inde etiam usus promiscuus vocum *approbatio* et *delegatio*, et consuetudo appellandi sacerdotem *approbatum* eum, cui concessa est facultas excipiendi confessiones. — *Gousset n. 476.* (Nota auct. ex idiom. gall. versa.)

Resp. Approbatio concedi debet ab episcopo dioecesis, in qua confessiones excipiendae sunt; non sufficit autem approbatio episcopi poenitentis vel episcopi sacerdotis. Constat ex bulla *Cum sicut Innocentii XII. an. 1700.*, ubi sancitum est, confessarios, tam saeculares, quam regulares, quicumque illi sint, nullatenus posse audire poenitentes sine approbatione episcopi loci, in quo ipsi poenitentes degunt. Neque ad hoc suffragari approbationem semel vel pluries ab aliis ordinariis aliarum dioecesium obtentam, etiamsi poenitentes illorum ordinariorum, qui tales confessarios approbassent, subditi sint. Deinde declarat Pontifex, alias confessiones fore nullas et confessarios suspensos. Hanc constitutionem confirmavit *Benedictus XIV.* per bullam, quae incipit *Apostolica indulta*(¹). — *Vide S. Lig. n. 548.*

541. — Quaer. 2° *An requiratur approbatio episcopi loci ad absolvendum proprium subditum?*

Resp. 1° *Negative*, si habeatur jurisdictio vere *personalis* seu *ordinaria* in illum. Ratio est, quia, cum superior vel pastor ratione muneris sui habeat jurisdictionem ordinariam, censetur approbatus ipso jure ad suos ubique audiendos; neque enim jurisdictio ordinaria(²) arctatur ad locum, sed, nisi specialiter restringatur, ubique exerceri potest. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 548. Prima sententia.* — *Reuter n. 348.* — *Lacroix n. 1516.* et *alii* contra *paucos*. Hinc parochus parochianos suos extra paroeciam et dioecesim absque approbatione episcopi loci absolvere potest.

Resp. 2° *Affirmative*, si habeatur tantum jurisdictio *delegata* in poenitentem, quia *per se* censetur tantum *territorialis*, non vero *personalis*, et proinde non sequitur delegatum extra territorium. — *Ita iidem auctores.*

(¹) *d. d. 5. Aug. 1744.*

(²) voluntaria, de qua hic agitur — *Ferraris, Pr. bibl. ad v.* Jurisdictio *n. 4. 5.*

r. 3° *An sufficiat approba-*
sumpta?

Negative. Ratio est, quia re-
a *concilio Trident.* approba-
et absolute exsistens, et jam
Ad talem autem approbatio-
uiritur consensus actualis, si-
uo(1) declaratus. Imo nec
pere confessiones audire, ante-
nsensus, per literas petitus,
fuerit, etsi certo obtinendus
— *Ita communiter.* — *S.*
570. — *Antoine c. 3. art. 1.*
4.

tiori non valet futura rati-
ictus, etiam prudenter prae-
quia ratihabitio habet tantum
ı actibus, quorum valor in fu-
ıspendi potest: sed valor ab-
ɜ praesentis suspendi nequit;
ıim sacramentorum pendere
ɜst ab actione de futuro. —
ibid. — *Antoine ibidem.*

— Quaer. 4° *An episcopus*
alide et licite limitare ap-
nem quoad certum tempus,
personas?

1° *Affirmative quoad vali-*
etiam sine causa. Ratio est,
actus omnino dependens a
episcopi ut superioris. Hinc,
lide approbationem recusare
eam pariter cum restrictione
e valet. Constat etiam ex
ione 13. ab *Alexandro VII.*
, quae sic sonat: *Satisfacit*
o annuae confessionis, qui
r regulari, episcopo prae-
sed ab eo injuste reprobato.
ıegatio approbationis, etiam
est valida; ergo *a fortiori*
. — Constat etiam ex *con-*
d. supra cit. *sess. 23. c. 15.,*

verbo, scriptura aut facto —
6. c. 11. n. 65. — V. etiam
58. 5°.
te et valide tamen confessiones
qui certo scit, jurisdictionem
concessam esse, quamvis non-
ıfficio de hoc certior factus sit.

ubi dicitur: *nisi approbationem obtineat.* Ergo non sufficit, ut petatur. Ergo, qui eam obtinet cum restrictione, *simpliciter* non obtinet pro casibus exclusis. — *S. Lig. n. 550.* — *Lugo d. 21. n. 56. et seq.*

Resp. 2° *Quoad liceitatem distinguendum.* Potest quidem episcopus restringere aut omnino negare approbationem justa de causa, ut patet, quia in hunc finem statuuntur leges approbationis, ut idonei ab aliis secernantur. Secus vero, si id absque justa causa agat.

Quaer. 5° *Quaenam sint justae causae approbationem limitandi ad tempus etc.?*

Resp. Sunt ut plurimum sequentes: 1° si nunc sit necessitas habendi plures confessarios, quae postea cesset; 2° si approbandus habeat quidem sufficientem scientiam, sed merito major desideretur ad approbationem perpetuam; 3° si prudenter timeatur, ne habita semel approbatione perpetua studium negligat; 4° ad probationem, quomodo se gerat in excipiendis confessionibus, an principia generalia bene applicet in praxi etc.; et alia similia.

543. — Quaer. 6° *An vero possit episcopus valide et licite revocare approbationem concessam?*

Resp. 1° *Affirmative ratione validitatis,* etiam sine justa causa, saltem *probabilius*(1). — Ratio est: 1° quia talis revocatio fit de re episcopo subjecta et quae ab illo solo procedere potest; 2° quia approbatio, etiam injuste revocata, jam non exsistit, seu non potest dici simpliciter habita seu obtenta. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 551.* — *Billuart diss. 6. art. 5. Petes 7°.*

Resp. 2° *Ratione liceitatis dist.:* 1° Potest quidem episcopus revocare approbationem etiam illimitate concessam justis de causis; hoc enim sequi-

(1) imo *certo,* uti demonstrant rationes ab auctore allatae.

tur ex necessitate approbationis, quae postulat, ut ille, qui cessat esse idoneus, ab officio removeatur. 2° Non potest autem approbationem revocare sine justa causa. Etenim non potest episcopus denegare approbationem sine causa, ut constat ex dictis; ergo *a fortiori* non potest sine causa concessam revocare, siquidem ex effato *turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.* — *S. Lig. ib. etc.*

544. — Quaer. 7° *An episcopus sacerdotem extraneum approbare possit?*

Resp. Episcopus approbare potest quemlibet idoneum in sua dioecesi actu exsistentem et in eadem confessiones auditurum, etsi transeundo tantum. Constat ex praxi universali et sententia communi theologorum, contra *paucos,* qui requirunt *quasi-domicilium* aut saltem *domicilium habitationis* in dioecesi episcopi approbantis, ut sacerdos ab illo approbetur. Ratio horum est, quia approbatio, utpote actus jurisdictionis, in solos subditos exerceri potest. Sed respondetur, in hac re sacerdotem confessiones audientem in aliqua dioecesi sufficienter constitui subditum episcopi illius loci pro illo tempore, cum se ejus jurisdictioni eo ipso subdat. Constat aliunde ex eo, quod haec praxis universaliter in Ecclesia servetur: Ecclesia enim hoc ipso, quod toleret universalem consuetudinem, eam implicite approbat, et proinde confert episcopo jus approbandi, si antea illud non habuerit. Adde, quod Ecclesia nihil aliud requirat, nisi approbationem episcopi loci, non vero, ut sacerdos approbandus sit subditus illius. Recole decretum *Innocentii XII.* relatum *supra n. 540.*

ARTICULUS II.
DE JURISDICTIONE.

Jurisdictio generatim sumpta est quaedam potestas moralis regendi subditos. Jurisdictio ecclesiastica duplex est: alia *in foro externo,* et est potestas ferendi leges, regendi fideles, imponendi poenas etc.; alia vero *in foro interno,* quae est potestas absolvendi vel ligandi in tribunali poenitentiae.

De hac praecipue agemus. Duplex est autem, scilicet: 1° *ordinaria,* quae alicui competit ratione officii habentis adnexam curam animarum: 2° *delegata,* quae ex delegatione praelati habetur.(1)

Principia:

545. — I. Potestas *jurisdictionis* requiritur ad confessiones excipiendas, nec sufficit potestas *ordinis.* Ratio est, quia absolutio est sententia judiciaria, quae ferri nequit, nisi in subditos. Debent igitur adsignari subditi confessario; hoc autem ad Ecclesiae disciplinam pertinet. Insuper hujusmodi disciplina ad rectum Ecclesiae regimen omnino requiritur; incommodum enim maximum foret, si facultas absolvendi independens esset a vicario Christi in terris, cui dictum est: *Quodcumque ligaveris, erit ligatum . . . quodcumque solveris, erit solutum.* — Sed maxime constat ex *concilio Trid. sess. 14. c. 7.:* „Quo„niam igitur natura et ratio judicii „illud exposcit, ut sententia in sub„ditos dumtaxat feratur, persuasum „semper in Ecclesia Dei fuit et veris„simum esse synodus haec confirmat, „nullius momenti absolutionem eam

(1) Distinguunt etiam jurisdictionem delegatam *ab homine* vel *a jure,* prout ab eo, qui ordinaria gaudet jurisdictione, committitur, vel ab ipso jure ut delegata aliquando (cf. v. g. *S. Lig. n. 565.*) conceditur.

Exspirat jurisdictio ad confessiones excipiendas delegata per revocationem a superiore factam vel per lapsum praefixi temporis; item morte delegantis vel ejus cessatione ab officio, si pro aliqua particulari persona concessa et judicium sacramentale nondum coeptum sit, aut si quidem generaliter data fuerit, sed cum clausula „ad arbitrium concedentis" vel alia simili. — *S. Lig. n. 558. 559.* — *Scav.* — Cf. etiam *p. 1. n. 116. Q. 6°. not. 2.*

e, quam sacerdos in eum
quem ordinariam aut sub-
non habet jurisdictionem."
II. Jurisdictio *ordinaria*
° Papae pro tota Ecclesia
foro. Ipsi enim a Chri-
est in persona Petri *Matth.*
ibi dabo claves regni coe-
quodcumque ligaveris su-
, erit ligatum et in coe-
odcumque solveris super
it solutum et in coelis;
pro sua dioecesi, pariter
foro, cum haec sit ideo
ssa, ut eam regat ac diri-
parochis pro subditis *in*
o; 4° abbatibus et supe-
clesiasticis regularium pro

idictio *ordinaria* potest *de-*
per alium exerceri. Ratio
elegatio est actus proprius
ordinariae. Jurisdictio ta-
ria *in solo foro interno*
delegari, nisi sacerdoti ab
probato, ut constat ex su-
de approbatione. Quoad
utilis evasit facultas dele-
, quod invaluit consuetudo,
jurisdictionem et approba-
ul sacerdotibus saecularibus
ut jam dictum est *n. 539.*
risdictio *delegata* conceditur
cuilibet sacerdoti in casu ex-
ssitatis seu in articulo mortis,
nt alii, jurisdictionem tunc
esia. Constat ex *concilio Tri-*
14. c. 7.

sita:

Quaer. 1° *An juris-*
gata subdelegari possit?
Negative generatim lo-
risdictio enim delegata non
elegari, nisi ex speciali con-
legantis, quo casu nomine
antis subdelegari censetur.

ictio ordinaria pro dioecesi
m archiepiscopo, dum visitat
cario capitulari, vicario ge-
onico poenitentiario ecclesiae

Ratio est, quia delegatus eam solam potestatem habet, quae ei conceditur; at conceditur ei sola potestas exercendi jurisdictionem, non vero eam alteri committendi, nisi aliud exprimatur. — Excipe casum, in quo quis substitueretur in locum pastoris ordinarii cum delegatione universali, v. g. in vices parochi defuncti; vel si quis delegetur ad universitatem causarum. — *S. Lig. n. 566.* et *alii communiter.*(1)

548. — Quaer. 2° *An Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando poenitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant?*

Resp. Advertendum prius, defectum jurisdictionis in diversis rerum adjunctis evenire posse. Etenim error esse potest vel *communis* inter fideles(2), vel *privatus* tantum. Iterum, sacerdos jurisdictione carens potest habere titulum *coloratum*, vel solum *existimatum*. Titulus autem *coloratus* est titulus in se quidem falsus, sed vere collatus a legitimo superiore et ideo prae se ferens speciem veri tituli, licet ex aliqua causa vitio intrinseco laboret. Sic sacerdos, qui simoniace renuntiatur parochus, invalidum sortitur titulum ex jure canonico. Si autem a legitimo episcopo fuerit in paroecia constitutus, titulum habet *coloratum*. Titulus vero mere *existimatus* ille est, qui a fidelibus adesse reputatur, licet nullus omnino exsistat. His positis:

Dico 1° Ecclesia *certo* supplet, si error sit *communis* inter fideles et simul cum titulo *colorato* conjunctus. Ratio eruitur ex communi theologorum interpretatione in diversis locis juris innixa. Etenim, ajunt, Ecclesia, ceu pia mater, ad bonum animarum jurisdictionem supplere merito censetur, cum id possit. — *S. Lig. n. 572.*

Dico 2° *Probabilius*(3) etiam sup-

(1) Cf. *p. 1. n. 116. Q. 6°.*
(2) i. e. inter omnes vel fere omnes in loco, ubi confessio excipitur — *Scav.*
(3) Num haec sententia sat probabilis

plet Ecclesia, si adsit error commu-
nis sine titulo colorato, sed cum ti-
tulo tantum existimato seu ficto. Et-
enim eadem urget ratio, ac in casu
praecedenti, cum etiam in nostra hy-
pothesi innumerae animae perire pos-
sent. — Ita S. Lig. n. 572. — Bil-
luart diss. 6. art. 4. §. 1. Dico 2°.
etc. contra Concina — Sporer etc.

Dico 3° Non censetur autem Ec-
clesia supplere jurisdictionem, si error
sit *privatus*, v. g. si sit unius aut
paucorum. Ratio est, quia Ecclesia,
ut provisor generalis, non censetur
supplere, nisi ratione boni communis;
gubernator enim ad solum bonum ge-
nerale societatis attendere debet seu
providere bono societatis ut *totius*,
et bonum privatorum curae proviso-

dici possit, decernere non audemus. Plu-
rimi sane auctores eam sequuntur; sed nec
pauci, nec parvi nominis theologi contra-
dicunt. Hinc eo magis subsidium ex jure
quaerendum erit, cum non agatur directe
de licito vel illicito, sed de positiva con-
cessione jurisdictionis, si forte desit. Ast,
quod ex jure allegari valet, sententiae
mitiori sat aperte contrarium videtur, de-
cisio scilicet S. C. C. d. d. 11. Dec.
1683., quam ad hanc quaestionem sol-
vendam affert Benedictus XIV., Inst. 84.
pro parte negativa stare, testatur The-
saurus, de poenis eccl. ad v. Absolutio
c. 2. §. *Limita ut sufficiat.*

Neque opponas, per unicam illam de-
cisionem S. C. C. sententiam tot auctor-
rum non everti; immerito insuper ejusmodi
decisiones a casu ad casum extendi, cum
circumstantiae diversae esse possint. —
Sed negabisne sufficere, si supremum tri-
bunal testatur de aliquo facto Ecclesiae,
scil. eamdem in hoc casu jurisdictionem
non supplere? Circumstantias vero parti-
culares non intervenisse, ex enarratione
facti colligitur, quod S. C. proponeba-
tur. (V. l. c.) Non desunt autem ratio-
nes, quae Ecclesiam movere possunt, ut
neget jurisdictionem, si titulus coloratus
deest. — Cf. Ferraris, Pr. bibl. ad v.
Jurisdictio n. 29. cum Nota.

Hinc sententia affirmans pro praxi non
commendanda videtur, licet (quod ex-
presse addit S. C. ib.) „inquietari non
debeant, qui bona fide confessi sunt. At-
tamen, si ipsi confessi hoc resciverint vel
de invaliditate confessionis dubitaverint,
tenentur reiterare confessionem."

rum particularium relinquere potest.
— Ita communissime theologi con-
tra paucos.

549. — Quaer. 3° *An liceat ab-
solvere cum jurisdictione dubia seu
probabili?*

Resp. Sic distinguendum esse vi-
detur: licet quidem uti jurisdictione
probabili, si adsit gravis causa; secus,
si talis non habeatur. Ratio est, quia
posita causa rationabili seu gravi pru-
denter praesumitur, Ecclesiam supplere
velle defectum jurisdictionis, si quis
sit, ad bonum animarum. Si autem
nulla adsit gravis ratio, non videtur
Ecclesia velle connivere merae libe
tati vel potius levitati et temeri
illius, qui sine justa causa utitur
risdictione mere probabili. Qu
etiamsi Ecclesia suppleret rationem
roris communis in favorem poen
tium, nihilominus graviter pe
sacerdos eam ad supplendum in
adducendo et quasi cogendo. —
S. Lig. n. 573. — Suarez d
sect. 6. — Elbel n. 311. —
n. 717. Plures tamen grav
res contendunt, hoc in ge
licitum. Sic Lugo — La
Salmant. etc. Alii econtr
negant, si casum extremae
excipias. Sic Concina —
Antoine etc. — In praxi
tentia tenenda videtur.

Quaer. 4° *Quaenam
causae, ob quas liceat
ctione probabili?*

Resp. Sunt praeser
1° si urgeat praeceptu
fessionis, nec alius ad
— 2° si poenitens
talis confessarii; —
deberet complicem
adeundo; — 4° si
remaneret in statu
— 5° si confessar
ctionem dubius ti
secus sacrilege co
Lig. ibid.(1)

(1) S. Lig. ta

— Quaer. 5° *An vicarius* :s *habeat jurisdictionem or-* m, *ita ut possit alios dele-* ! *confessiones audiendas?*

. *Affirmative,* quia vicarius ;, licet ab episcopo nominatus, ionem non habet ab episcopo d a canone, a quo declaratur quid unum cum episcopo(¹). itradicunt immerito nonnulli , vicarium generalem habere jurisdictionem ordinariam in terno, sed delegatam tan- foro interno. — *S. Lig.*

:r. 6° *An haeretici et ex-* ticati *vitandi valide absol-* ı *periculo mortis, deficiente* cerdote?

. *Affirmative.* Ratio est, quia acerdotes possunt absolvere in mortis, ut constat ex *Tri-* s. *14. c. 7.* juxta dicta in d *princ. III.* — *Vide S. Lig.*

— Quaer. 7° *An simplex* s *possit absolvere non tantum* culo, *sed etiam in periculo*

. *Affirmative.* Ratio est, quia est fere poenitentis necessitas ulo, quam in articulo mortis. constat ex jure canonico, pro accipi articulum et periculum — *S. Lig. n. 561.*

smodi autem periculum cense- se in sequentibus casibus, sci- in morbo periculoso; — 2° pestis; — 3° in partu diffi- - 4° in operatione chirurgica — 5° ante navigationem valde sam; — 6° in praelio aut similibus casibus. — *S.*

.

—

ionem dubiam a jurisdictione pro- istinguit et ad usum prioris gra- causam requirit. — Cf. *ib. n.* . *571.; Hom. ap. tr. 16. n. 6.* — Ceterum v. additamenta sub as compendii.

praedicta facultas nullo jure epi- xclusive reservatur.

Quaer. 8° *An possit simplex sacerdos absolvere moribundum etiam praesente confessario approbato?*

Resp. Negative generatim loquendo. Ratio est, quia Ecclesia praebet facultatem omnibus sacerdotibus absolvendi in articulo mortis quoscumque poenitentes a quibusvis peccatis tantum, *ne quis pereat.* Praesente autem alio sacerdote approbato non adest salutis periculum. — *S. Lig. n. 562.* et *alii communiter* contra *plures.*

Excipe: 1° si approbatus nolit aut non possit audire confessionem; — 2° si approbatus superveniat incepta jam confessione; — 3° si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi; — 4° si moribundus ita abhorreat ab approbato, ut sit in periculo ei sacrilege confitendi. — *Ita S. Lig. n. 563.*

552. — Quaer. 9° *An parochus possit advocare parochum ejusdem vel diversae dioecesis ad confessiones in sua parochia audiendas?*

Resp. 1° Quoad parochum *alienae dioecesis negative omnino,* quia parochus ille approbatione episcopi loci prorsus caret, nec hujus defectum supplet ulla consuetudo, nisi ab episcopo approbata fuerit(¹).

Resp. 2° Quoad parochum *ejusdem dioecesis* etiam *negative per se,* quia parochus non est approbatus pro tota dioecesi, sed tantum pro parochia, nisi noverit, aliam esse mentem episcopi: facile enim fieri potest, ut episcopus eum idoneum judicaverit pro

---

(¹) eo sensu, quo consuetudo approbationem superioris exigit. Legitimam enim consuetudinum jurisdictionem conferre (in casu: ejus limites definire) posse, docet *S. Lig. n. 544. Dub. 2.* et consentire videtur *Ben. XIV., Inst. 86. §. Quae de facultate.* Hinc praxis, vi cujus v. g. parochi in finibus dioecesium curam gerentes in magnis concursibus poenitentium se invicem ad confessiones excipiendas adjuvant, non erit improbanda tum ob tacitum ordinariorum consensum, tum ob legitimam consuetudinem. — Cf. *Elbel n. 299.* Ceterum edictum episcopi hac de re optabile.

uno, et non pro alio loco.(1) — *S. Lig. n. 544.*

553. — Quaer. 10° *An sacerdos approbatus ab episcopo possit audire confessiones fidelium sine venia parochi?*

Resp. 1° *Quoad liceitatem negative,* si confessiones excipiantur in ecclesia parocho subjecta. Ratio est, quia debitus ordo id omnino requirit: parochus enim est superior immediatus in sua ecclesia; ergo ab ipso petenda est venia. Non tamen requiritur venia parochi ad audiendas confessiones in sacello regularium vel monialium, sed venia superioris vel superiorissae loci sufficit.(2)

Resp. 2° *Quoad validitatem* certum est, non requiri licentiam parochi extra casum annuae confessionis, juxta omnes. Imo, nec requiritur pro annua confessione, saltem *per se* seu de jure communi. Constat ex communi doctrina theologorum contra *aliquos,* necnon ex praesenti consuetudine et praxi universali Ecclesiae, ut testatur *Bened. XIV., Instit. 18.* — Si autem alicubi non vigeat ista consuetudo, etiam ut validae habendae sunt confessiones, nisi episcopus expresse contradicat(3); nam si taceat, consuetudini universali Ecclesiae consentire videtur. Tandem, si episcopus prohibeat sub poena nullitatis confiteri extra parochiam absque licentia parochi, ipsius decreto in praxi standum est.(1) — *Gousset n. 478.*

554. — Quaer. 11° *An delegatus valide et licite absolvat elapso termino delegationis quotannis renovandae, v. g. si turba poenitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem?*

Resp. 1° Invalide absolvit *per se* seu ratione jurisdictionis, quia de facto nullam habet. Attamen valide absolvet *probabilius,* saltem plerumque, ratione erroris communis, ob quem Ecclesia supplere censetur pro bono animarum.(2)

Resp. 2° Peccat graviter *per se* sacerdos, si hoc *scienter* agat, quia exercet munus confessarii sine debita facultate et, licet suppleat Ecclesia, eam cogit indebite ad supplendum.

Quaer. 12° *An sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valeat confessiones peregrinorum huc advenientium?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia

---

(1) Licet parochi stricte solummodo pro sua parochia jurisdictione gaudeant, attamen hodie fere ubique vel ex consuetudine vel per legem in tota dioecesi confessiones excipere valent. — *Scav.*

(2) Cf. *notam* ante *n. 202.*

Quoad *infirmos* autem confer, quae statuit const. *Superna Clementis X.* (infra *n. 559. not. 1.)* sub *§. 4. Semel autem,* cujus loci etiam *Benedictus XIV. de syn. l. 11. c. 14. n. 5.* mentionem facit. — Sed v. insuper *n. 439. 6°. nota.*

(3) *S. C. E. 3. Apr. 1854.* resolvit: „Decretum episcopi, in quo habetur, quod nullus confessarius, etiam ab ordinario approbatus, possit tempore paschali confessiones alicujus audire sine licentia proprii curati, nullo modo est observandum, cum satis valide faciat poenitens, deferendo parocho fidem confessionis auditae a persona approbata.“ — Cf. *S. Lig. n. 564.* Videtur porro praefatus episcopus confessiones illas prohibuisse, non irritasse. — V. etiam *Ben. XIV., Inst. 18. §. Hinc Pontifex.*

(1) De hoc indubie constat, si poenitens confiteatur in dioecesi apud presbyterum saecularem: episcopus enim jurisdictionem, quam delegavit, restringere valet. Neque aliter decidendum, si de confessione agatur, quae fit rectori alienae parochiae. Quidquid enim sit quoad proprios parochianos (cf. infra *n. 564. not. 1. §. Cum tamen),* quoad incolas alterius parochiae parocho jurisdictio ordinaria non competit. Vel ipsi regulares exempti tandem non excipiendi, cum etiam horum jurisdictio in saeculares a voluntate episcopi pendeat (v. *n. 557. not. 1.* post *Dico I.; not. 1.* ante *n. 559.).*

Quid vero, si poenitens e dioecesi discedat? — Cf. infra *Q. 13°.* et *n. 583.*

(2). Cf. supra *n. 548. not. 3.*

udine universali ab Ecclesia tacite approbata peregrini enter subditi cujuslibet concubi approbati, si ad ejus sistant; secus enim durum privari sacramento poeni- l recurrere ad ordinarium icentiam alibi confitendi ob- Dicunt plures, hanc juris- confessariis in peregrinos ex consensu tacito seu ex a omnium episcoporum. Sed etenda est ex *consuetudine* Ecclesiae vim legis habente. *ines.* — *S. Lig. n. 569.*

Quaer. 13° *An episcopus poena invaliditatis pro- ecesanis, ne pergant ad m extra dioecesim?*

Negative. Ratio deducitur ex a, nempe ex eo, quod non licentia episcopi ad confi- tra dioecesim, cum Ecclesia it omnibus confessariis ap- irisdictionem in peregrinos ribunal se sistentes.(1)

cindendo a regularibus proprie um jurisdictionem quoad inco- ienae dioeceseos nemo in dubio tiam infra ante *n. 559.* const. *. 7.),* affirmanda esset quaestio i solius juris olim vigentis ratio — V. *Fagn., in l. 5. decret. et remiss. (tit. 38.) ad c.* Omne (12.) *et c.* Ne pro (16.). responsio auctoris tuto te- videtur. Cum enim consue- rsalis jam a longo tempore in- cujus presbyteri etiam saecu- dictione instructi, absque de- siones excipiunt etiam extero- l eorum tribunal se sistunt (v. *le parocho, cum animadver- Giraldi p. 2. c. 19. n. 15. et Lig. n. 569.; Hom. ap. tr.* , exteri illi quoad hoc sacra- ficienter subditi evadunt, quod ic. *Trid. sess. 14. de poenit.* ie episcopo competet restrin- Ecclesiae disciplina, lapsu tem- ta, fidelibus indulget. Haec agis congruit principiis, quae similibus quaestionibus deci- e sequitur. *C.* Si episcopus (2.) *et remiss. (V. 10.) in 6.* *uoque* vero, quod opponunt,

Quaer. 14° *An* succursalistae *in Gallia jurisdictione ordinaria gaudeant?*

Resp. Affirmative; sunt enim parochi proprie dicti, siquidem ipsis committitur animarum cura non tamquam alterius vicariis, sed proprio nomine exercenda. Tenetur reapse succursalista seu deservitor, sicut praecipuae parochiae rector, ex officio sacramenta subditis suis ministrare; et subditi vicissim ad ipsum recurrere debent in iisdem casibus, in quibus parochiani proprium parochum, et non alium de jure adire debent, v. g. ad matrimonium ineundum, communionem paschalem recipiendam etc. — *Gousset n. 479.* — *Vernier n. 92.* — *Bouix, de parocho p. 1. sect. 3. c. 7. §. 3.*

Quaer. 15° *An simplex sacerdos possit absolvere navigantes in oceano, vel a quo obtinenda sit approbatio?*

Resp. 1° *Per se* non potest absolvere, nisi in periculo probabili mortis, ut supra dictum est, quia nullus sacerdos extra illum casum sine jurisdictione absolvere potest, in quocumque loco degat.

Resp. 2° Ex consuetudine universali requiritur et sufficit approbatio episcopi loci, a quo suscipitur navigatio; ex consuetudine enim talis episcopus facultatem habet sacerdotem navigaturum approbandi et delegandi pro toto navigationis tempore. — *Ita communiter* cum *Bouvier §. 5. in fine.*

556. — Quaer. 16° *An capellani militum hos ubique sine approbatione episcopi loci absolvere possint?*

Resp. 1° *Affirmative*, si specialiter sint delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a capellano majori a Papa approbato.

Resp. 2° Si vero hac speciali delegatione careant, possunt quidem audire confessiones in dioecesi episcopi

---

circumstantias plane diversas respicit. — — Cf. *Giraldi, Expositio juris pontificii p. 1. sect. 912.*

approbantis, et etiam extra illam in itinere et in castris ex tacito consensu episcoporum, ut patet ex consuetudine universali; non autem possunt valide absolvere in stationibus, neque in praesidiis sine licentia episcopi loci, quia nullam habent jurisdictionem. Constat ex variis declarationibus *S. Congr. Conc.*, quas refert *P. Zacharia* apud *Lacroix n. 1518.* — *Vide* etiam *S. Lig. n. 577. in fine.* — *Bouvier, de approbatione.* — *Bouix, de parocho, append. 1. c. 3.*

APPENDIX I.

DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE REGULARIUM.

Regulares in pluribus differunt a sacerdotibus saecularibus quoad jurisdictionem ratione privilegiorum et dependentiae immediatae a Summo Pontifice. Hinc

557. — *Dico* I. Regulares proprie dicti, seu quorum constitutiones a Sancta Sede approbatae fuerunt(¹), immediate a Papa *jurisdictionem* accipiunt ad audiendas confessiones tum *suorum*, tum *saecularium*. Etenim praefati regulares sunt exempti a jurisdictione episcoporum et immediate a Papa dependent; jurisdictio autem a solo superiore accipitur; hinc intelligitur jurisdictio concessa singulis sacerdotibus religiosis, accedente superioris sui consensu. — Constat insuper ex variis locis juris canonici, praesertim ex *c.* Super cathedram (2.) *de sepult. (III. 6.) in extrav. comm.* et ex *c.* Dudum (2.) *de sepult. (III. 7.) in Clement.;* item ex aliis constitutionibus, quae, licet postea modificatae fuerint, praesertim per *concilium Trid.* quoad privilegia, tamen quoad jurisdictionis substantiam irrevocatae permanserunt. — *Ita communiter* cum *Lugo d. 21. n. 4.* — *Lacroix n. 1552.* — *Billuart diss. 6. art. 7. Petes 1°.*(¹)

(¹) Approbatio constitutionum per Sanctam Sedem non sufficit, ut juxta easdem profitentes, regulares proprie dicti appellentur. Privilegia vero, quae in praesenti materia regularibus competunt, praesertim ab eorum exemptione pendent.

(¹) Quae auctor hic de jurisdictione regularium *quoad saeculares* disserit, indubia non sunt; imo, ex jure praesertim recenti omnino asserendum videtur, regulares jurisdictionem illam non recipere neque a superioribus ordinis, neque a Summo Pontifice, sed ab episcopo loci.

Concilium enim *Tridentinum sess. 23. c. 15. de ref.* nullum discrimen agnoscit hac in re inter presbyteros regulares et saeculares, et etiam quoad regulares aperte distinguit inter approbationem in stricto sensu (simplex judicium de idoneitate) et approbationem in sensu nunc communi. — V. *Bouix, de jure regular. t. 2. p. 5. sect. 3. c. 3. Q. 2. n. 4.*

Accedit recentissima decisio *S. C. Ep. et Reg. d. d. 2. Mart. 1866.* Procurator generalis scilicet ordinis Praedicatorum, provocans ad constitutionem sui ordinis, qua provincialibus facultas demandatur, suspendendi religiosos ad saecularium confessiones audiendas minus idoneos, item ad doctrinam *Lucii Ferraris* in *Pr. bibl. sub v.* Approbatio *art. 2. n. 20.*, conquestus est, invaluisse apud quosdam opinionem, „non posse superiores regulares subditos suos suspendere ab audiendis saecularium confessionibus, eo quod dicatur, potestatem jurisdictionis non recipi a superioribus regularibus, sed ab episcopo vel ordinario.“ Dubia, quae hac de causa *S. C.* proposuit, et responsa v. infra *n. 563. Q. 9°. not.* Ex responsionibus ad illa dubia porro, quae, si primum excipias, non alium modum, nisi eum, quo communiter regulares pro saecularibus approbari solent, supponere videntur, satis constat, jurisdictionem illam revera nullo modo a superioribus ordinis pendere. Absque ratione vero assereretur, regularibus immediate per Summum Pontificem hanc jurisdictionem tribui: etiam ex jure decretalium enim, cui derogatum est per Tridentinum (v. *Maschat, Inst. can. auct. per Giraldi p. 1. vol. 2. elench. 2. n. 172. etc.*), Pontifex nonnisi pro certis circumstantiis jurisdictionem ipse largiebatur; ordinarie autem ad excipiendas saecularium confessiones etiam tunc opus erat regularibus „licentia, gratia et beneplacito“ episcopi, quae verba sane non merum judicium de idoneitate, sed concessionem jurisdictionis proprie dictae exprimunt, ut ceteroquin jam ex contextu colligi deberet. — Cf. *c.* Dudum *supra cit.*

Idem ex praefata decisione colligunt editores *Actorum*, scil. per episcopi approbationem conferri regularibus necessariam jurisdictionem ad confessiones valide ex-

Regulares accipiunt *appro-*
pro confessione *suorum* a
s sui monasterii vel ordi-
cum jurisdictione; pro con-
autem *saecularium* eam
b episcopo loci, ubi con-
cipiendae sunt. Ratio primi
concilium Trid. requisivit
iem episcopi loci tantum
ione saecularium, et nihil
in antiqua disciplina pro
regularium. Ratio secundi
ecreto *Innocentii XII. an.*
sancitum est, confessarios,
illi sint, tam *saeculares,*
lares, nullatenus *posse au-*
entes sine approbatione epi-
— *Vide dicta n. 538. 540.*
I. Regulares in monasterio
on possunt confiteri saltem
extra ordinem suum sine
iperiorum suorum; imo, ne-
onasterio alteri, quam de-
ipso superiore. Degentes
a monasterium seu iter fa-
ı possunt confiteri nisi so-
em idoneum(¹) habeant; si
habeant, possunt confiteri
cerdoti approbato, sive re-
saeculari. — De his con-
ivilegiis omnibus religioni-
ocentio IV. et ab aliis SS.
s concessis. — *Vide S.*
75. — *Lacroix n. 1524.*
an etc. — *Recole etiam*
a de statu religioso n. 174.

Consultor autem *S. C.* hanc
ut „longe probabiliorem" in
lefenderat, innixus doctrinae
XIV., de syn. l. 9. c. 16.
2. c. 3. n. 2.; imo, ad sol-
licta dubia *ex officio* obser-
iam „*S. C. C.* constanter te-
essariam esse episcopi loci au-
ut regulares audire valeant
confessiones." — Cf. *Acta*
. 11. p. 678. et seq. — *Archiv*
irchenrecht 1866. fasc. 3. p.
— *Anal. J. P. ser. 8. col. 2169.*
ositis vix dubium de origine
s, qua regulares quoad saecu-
ır, superesse poterit.
ilicet est confessarius ejusdem
Lacroix n. 1524.

Resolves:

558. — 1⁰ Licet regulares jurisdictionem habeant a Papa, ligatam tamen habent pro confessionibus saecularium audiendis, siquidem approbatio episcopi requiritur velut *conditio sine qua non* ad absolutionis validitatem.

2⁰ Episcopus potest approbationem regularibus concedere ad libitum sine restrictione, vel cum variis restrictionibus quoad tempus, loca, personas etc. Hinc voluntas episcopi expressa vel sufficienter cognita debet esse regula agendi rationis religiosi sacrum ministerium confessarii exercentis, quia ea sola est conditio *sine qua non* licentiae ab eo concessae.

3⁰ Si episcopus positive et formaliter approbationem pro actu aliquo transitorio, v. g. pro aliqua missione peragenda, concessit, facultas accepta pro illo solo actu et pro omni judicio in eo incoepto valere censetur.

4⁰ Si episcopus vel superior tuus ex ejus delegatione tibi concedat approbationem pro determinata poenitentium classe, facultas ad alios extendi nequit, ut patet. Si autem postulatio facultatis ab episcopo vel a superiore sit generalis, nec fuerit restricta concessio, non limitatur facultas obtenta ad operam, quae fuit occasio petitionis: si v. g. tradis exercitia spiritualia monialibus in tali conventu, potes etiam audire confessiones aliorum fidelium ex eadem accepta facultate. Ratio est, quia *continetur in concessione, quidquid non excipitur.* Excipe tamen casus reservatos, qui ab ipso jure excluduntur, si pro hisce facultas non specialiter facta sit.(¹)

5⁰ Religiosus missionarius, advocatus ab episcopo ad missionem peragendam in ipsius dioecesi, eo ipso accipit approbationem tacitam ad audiendas confessiones tempore missionis, pro qua advocatur. Idem dicen-

(¹) V. const. *Superna* §. *6. 7.* infra ante *n. 559.*

dum, si requisitus fuit a parocho vel alio superiore ex licentia episcopi. Attamen pro solis casibus ordinariis approbatus censetur. Unde in praxi semper ad episcopum recurrendum est ad extensionem approbationis determinandam.

6° Superior religiosus, adhibens subditum in opera generalia sacri ministerii ex episcopi delegatione, censetur ipsi concedere omnimodam facultatem pro quibusvis poenitentibus, etiam pro omnibus casibus reservatis in concessione episcopali contentis, seclusa speciali restrictione, quia concedere censetur id omne, quod concedere potest et solet, juxta praefatam regulam: *Continetur in concessione, quidquid non excipitur.*

Quaesita: (1)

559. — Quaer. 1° *An regulares extra domum, deficiente socio idoneo, confiteri valeant sacerdoti non approbato?*

(1) Addimus eam partem const. *Superna Clementis X. d. d. 21. Jul. 1670.*, quae haecce *Quaesita* proxime attingit (integram constitutionem invenies apud *Lacroix n. 1502.*):

§. 4. „Ad haec religiosos ab episcopo ad confessiones saecularium in sua dioecesi audiendas approbatos non posse in alia dioecesi eas absque episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint ejus episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati."

„Et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum saecularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione. Atque approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii minime potest audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessarios extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit."

„Ceterum in monasteriis ac etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam praelatos regulares, quam confessores regularium eorumdem monasteriorum seu collegiorum audire confessiones illorum saecularium, qui inibi sunt vere de familia et continui commensales: non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt."

„Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas *idonei generaliter* reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque et indistincte, absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum, in dioecesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui *non adeo idonei* reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout iisdem ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere."

„Semel autem simpliciter approbatos posse in dioecesi episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcumque, etiam infirmorum, confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere; et hoc posse illis ab episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi confessiones praecipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam."

§. 5. „Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis tempore paschali confessi fuerint, constitutioni, quae incipit *Omnis utriusque*, quoad confessionem dumtaxat satisfacere censendos."

„Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas *praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione* ab ipsomet episcopo (secus autem, si ab ejus vicario aut ab antecessoribus episcopis) *approbatos* non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat."

„De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet: nec eam teneri episcopum ipsis regularibus significare, sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit."

§. 6. „Porro si regulares cum scandalo aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius episcopi conscientiam oneratam esse volumus . . . utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit episcopus regu-

Resp. Negative. Constat ex dictis supra *de statu religioso n. 174.*

---

lares a semetipso approbatos suspendere aut repellere a confessionibus audiendis."

„Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse."

„Ex facultatibus per mare magnum aliave privilegia, regularibus cujuscumque ordinis, instituti aut societatis etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab episcopo reservatis. . ."

§. 7. „Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere."

„Posse autem regularem confessorem in ea dioecesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia dioecesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro absolutione obtinenda migrasse." —

Ad interpretationem vero praefatae constitutionis duo principia adjungere juvabit, juxta quae responsiones ad sequentia quaesita intelligenda erunt:

1° Dato etiam, quod regulares privilegiati jurisdictionem proprie dictam in saeculares non ab episcopo, sed immediate a Summo Pontifice recipiant, id fit omnino cum dependentia ab approbatione episcopi. Ratio est, quia jus recens, per Tridentinum inductum, non novit ejusmodi jurisdictionem absque approbatione episcopi (uti peremptoriis sane verbis declarat), et nullibi postea privilegium, saltem generale, concessum legitur, vi cujus Pontifex in aliquibus casibus approbationem ab episcopo negatam suppleat. — V. etiam votum consultoris ad decis. *S. C. E. d. d. 2. Mart. 1866. ll. jam cc.* — *Bouix, de jure regular. t. 2. p. 5. sect. 3. c. 3. Quaest. 3.* sub *5.*, ubi ait: „Neque ulla superest de hoc controversia."

2° Hinc verba constitutionis *Superna,* quibus aliqui actus episcopis interdicuntur, prohibent, non irritant. Episcopo igitur approbationem negante, licet injuste, regularis illa jurisdictione de facto carebit. Et revera, cujus judicio in casu standum foret, episcopi, qui idoneitatem negat, aut regularis vel superioris, qui eam affirmat? — Cf. const. *Superna §. 5. „De qua".* — *Prop. 13.* ab *Alexandro VII.* damn. — *Bened. XIV., Inst. 86. §. Tertio, facultatem.* Improbant quidem aliqui edictum *Prosperi Lambertini* in hoc puncto, utpote nimis generale et verba const. *Superna* minus apte interpretans (v. *Bouix l. c. Q. 6.* sub *4.*). Advertendum tamen non solum, hic agi imprimis de statuto omnino particulari pro aliqua dioecesi, sed etiam, ejusmodi statuta, licet generaliter enuntient, non omnes exceptiones excludere.

Quaer. 2° *An episcopus possit sine causa approbationem denegare regularibus?*

Resp. Negative. „Nam", inquit *Pignatelli,* „confessarii regulares non „recipiunt jurisdictionem ab ordinariis „in approbatione, sed (eam) habent „a Summo Pontifice, et approbatio „requiritur solum tamquam conditio, „ut exerceri possit jurisdictio. . . . „Ergo non possunt episcopi prohibere, „ne regulares absolvant aliquo tem„pore . . ." — *Consultationes canonicae t. 4. consult. 163. n. 12.*

560. — Quaer. 3° *An episcopus approbare possit regulares cum limitatione temporis, personarum aut locorum?*

Resp. Affirmative. Constat ex variis decretis S. Sedis. — *Vide S. Lig., Hom. apost. tr. 20. n. 103. in fine.* Attamen episcopus, approbando regulares, eos prohibere non potest, quominus confessiones tempore paschali excipiant. Constat ex decreto *S. Congr. d. d. 22. Septemb. 1668.*

Quaer. 4° *An episcopus revocare possit approbationem regularibus concessam?*

Resp. 1° Non potest revocare approbationem ab omnibus regularibus ejusdem communitatis, inconsulta *S. Congregatione Episcoporum.* Sic ex bulla *Superna.*

Resp. 2° Potest autem episcopus revocare approbationem singulorum regularium in individuo, sed tantum justa de causa *confessionem concernente,* si praevio examine approbati fuerint. Ita ex eadem bulla. Sic clare docet *S. Lig., Hom. apost. tr. 20. n. 103.*, ubi ait: „Si approbatio data „est *simpliciter* et *post examen,* re„gularis approbatus non potest iterum

„examinari, aut ab iisdem confessio-„nibus audiendis suspendi, nec licen-„tiis sibi concessis privari, nisi nova „superveniente causa, quae ipsas con-„fessiones concernat.“ (1)

561. — Quaer. 5° *An episcopus post approbationem* simpliciter *concessam, sed sine praevio examine, regularem ad examen revocare possit?*

Resp. Affirmative, ut videtur; bulla enim non prohibet revocare ad examen *sine causa*, nisi regulares praevio examine approbatos. — *Collector Belga t. 4. p. 139.*

Quaer. 6° *An regularis, semel approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat, si mutata habitatione eodem redeat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia approbatus indefinite et illimitate, remanet approbatus usque saltem ad implicitam approbationis revocationem; porro in casu praesenti nulla intervenit revocatio, ne implicita quidem. — *Ita Lacroix n. 1541.* — *Lugo d. 21. n. 44. cum sententia communi.* — *Lugo* tamen dicit, esse suspensam approbationem tempore absentiae religiosi et recuperari ipso facto reditus, quia, ait, fit iterum subditus ejusdem episcopi.

Quaer. 7° *An regularis, approbatus in aliqua dioecesi, nova approbatione indigeat ad valide absolvendum, si mutato loco per eamdem dioecesim transeat?*

Resp. Negandum videtur, quia approbatio indefinite et illimitate concessa perdurat usque ad revocationem. — *Lacroix n. 1541.*

562. — Quaer. 8° *An valide absolvat saeculares religiosus ex delegatione episcopi, sed inscio superiore?*

Resp. 1° *Negative*, si episcopus intenderit tantum dare approbationem, quia deficit jurisdictio, quae ad validitatem sacramenti necessaria est. Sequitur ex dictis. — *Billuart diss. 6. art. 7. Petes 6°.*

Resp. 2° *Affirmandum* autem videtur, si episcopus intendat conferre omnes facultates necessarias ad absolvendum, ut ordinarie intendunt episcopi etiam regulares approbando, saltem in locis, ubi pauci sunt religiosi, cum inter jurisdictionem et approbationem distinguere non soleant. Hoc valet in casu, in quo religiosus ageret ex recto fine, praesumendo superioris absentis consensum. Tunc enim episcopus bene potest conferre jurisdictionem *religioso*, sicut sacerdoti *extraneo*, in proprias oves, siquidem habens jurisdictionem ordinariam eam cuilibet sacerdoti delegare potest. Nec obstat conditio religiosi, qui tam potest esse subditus in hoc, quam sacerdos extraneus. Nec etiam obstat, quod regularis jurisdictionem a Papa accipiat; nihil enim repugnat, quod eam ex duplici fonte accipere possit. — *Billuart ibid.*

563. — Quaer. 9° *An vero valide absolvat religiosus invito superiore, sed ex delegatione expressa episcopi?*

Resp. Controvertitur. I^a Sententia *negat* cum *Concina, de jurisdictione c. 3. n. 7. etc.* Ratio est, quia episcopus id non potest invito superiore regulari: nam efficere nequit, ut regularis aliquid contra votum obedientiae accipiat.

II^a Sententia *affirmat.* Ratio est, quia, licet talis religiosus peccet, et quidem *per se* graviter, agendo contra praeceptum grave positivum et absolutum superioris, tamen accipit veram jurisdictionem ab episcopo et proinde valide absolvit. — *Ita communius* cum *Salmant. c. 11. n. 109.* — *Billuart ibid. etc.* Ceterum haec quaestio ad praxim valde conducere non videtur. (1)

---

(1) Haec sententia non invenitur, saltem *ad verbum, in editione Ratisb. 1843.*

(1) *Quaer.* 1° An religiosus, non approbatus juxta regulas proprii ordinis a suo superiore, vel ipso invito cum sola facultate ordinarii valide excipiat confessiones saecularium?

Quaer. 10° *An regulares absolvere possint sine episcopi approbatione famulos suos vel alios familiares in monasterio degentes?*

Resp. Affirmative, si isti famuli vel alii saeculares sint *velut de familia,* i. e. si diu noctuque in domo remaneant ibique nutriantur, ita ut sint *continui commensales.* Secus vero, si ita non habeantur, v. g. si tantum interdiu remaneant, et nocte alibi degant, ut sunt operarii, mercenarii quotidiani, ruricolae etc.

Sic ex constitutione pluries citata *Clementis X. Superna §. 4. Ceterum*(1). — *Vide Antoine c. 3. art. 1. Q. 11.* — *Lacroix n. 1505.*(2)

564. — Quaer. 11° *An regulares absolvere possint alumnos convictores sine episcopi approbatione, utpote de familia?*

Resp. Negative absolute. Ratio est, quia *non sunt de familia,* ut famuli. Etenim famuli sunt de domo et ideo *domestici* dicuntur, ex eo quod per famulatum quasi familiae incorporentur; alumni vero pecuniam tribuunt, ut victum, doctrinam et educationem a magistris accipiant. Constat aliunde ex decisione *S. Congr. Episc. et Regul. d. d. 21. Julii 1848.,* quae hac occasione perlata est. Episcopus Parmensis decretum tulerat, quod Barnabitae seu clerici regulares congr. S. Pauli possint sacramenta eucharistiae, poenitentiae et extremae unctionis suis alumnis convictoribus conferre absque ulla licentia parochi paroeciae s. sepulchri, in cujus territorio situs erat praedictorum regularium conventus. Verum, reclamante parocho, lis perlata est ad *S. Congr.,* quae declaravit, decretum episcopi *reformandum* esse(1).

2° An superiores regulares jurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium, etiam ex informata conscientia? Et quatenus *affirmative:*

3° An valeat suspensio oretenus et absque scripto enuntiata?

4° An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida? Et quatenus *negative:*

5° An, qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat?

Resp. S. C. Ep. et Reg. die 2. Martii 1866.:

Ad 1um: *Affirmative.*

Ad 2um: *Affirmative, ita tamen, ut religiosus suspensus illicite, non vero invalide, confessiones excipiat.*

Ad 3um: *Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis.*

Ad 4um: *Affirmative.*

Ad 5um: *Provisum in praecedentibus.* — V. *Acta v. 1. fasc. 11. p. 683.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1866. fasc. 3. p. 457. et seq.*

(1) quam cf. supra in *nota* ante *n. 559.*

(2) Juxta *concilium Tridentinum (s. 25. c. 11. de regular.)* scilicet a jurisdictione episcopi eximuntur eae personae saeculares, quae sunt de regularium (proprie dictorum et exemptione gaudentium) familia.

Quo privilegio ut fruantur ii, qui servitio alicujus monasterii addicti sunt (v. *Bouix. de regul. tom. 2. p. 5. sect. 3. c. 2. Q. 11. 3°.*), sequentes conditiones (et quidem omnes — Const. *Circumspecta Gregorii XIII.* apud *Giraldi, Expos. J. P. p. 2. sect. 135.*) concurrant necesse est: 1° ut regularibus illis actu inserviant; 2° ut expensis monasterii intra ejus septa (clausuram scil.) residant; 3° ut vivant sub regularium obedientia, non religiosa quidem, sed ea, quam profitentur famuli dominis suis. — *Conc. Trid. sess. 24. c. 11. de ref.* — *Barbosa, de parocho, cum animadv. Giraldi p. 2. c. 20. n. 12.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 2286. n. 101. 104. 105.*

Hinc a lege parochiae eximuntur ipso jure eorumdem regularium novitii; item oblati seu donati, dummodo quoad ipsos praedictae conditiones verificentur. Exemptione autem non gaudent tertiarii, qui extra monasterium degunt *(Fagn. in l. 5. decr. c.* Omnis utriusque (12.) *de poenit. et remiss. (tit. 38.) n. 64. et seq.),* neque famuli, qui ad annum solummodo conducti sunt *(Anal. J. P. l. c. n. 102.).*

(1) In Congregatione habita *die 21. Julii 1848.* in palatio Apostolico Quirinali, referente eminentissimo Orioli praefecto, eminentissimi patres rescripserunt, decretum episcopi esse reformandum juxta mentem..., scilicet firmo remanente tenore dicti decreti quoad omnes et singulos clericos et fratres congregationis S. Pauli et relate ad eorum domesticos et familiares, qui religiosis actu inserviunt expensisque praefatae domus intra ejus

nisi in genere pro monialibus fuerit approbatus. Haec confirmavit *Clemens X. an. 1670.* bulla *Superna.* — *Vide S. Lig. n. 577.*(1)

566. — *Dico* II. Episcopi et alii monialium superiores(2) tenentur bis aut ter in anno ipsis(3) exhibere confessarium extraordinarium. Sic statuit *concilium Trid. sess. 25. de regularibus et monialibus c. 10.,* ubi dicitur: „Praeter ordinarium autem „confessarium alius extraordinarius ab „episcopo et aliis superioribus bis aut „ter in anno offeratur, qui omnium „confessiones audire debeat.“(4) — Haec statuta confirmarunt alii SS. Pontifices, praesertim *Benedictus XIV.* in bulla *Pastoralis,* edita 5. *Aug. 1748.* Debet etiam concedi confessarius particularis monialibus in articulo mortis, si petant; imo etiam aliquando in vita, si aliqua monialis recuset confiteri confessario ordinario(1); sed pro certis vicibus tantum extraordinarius confessarius tunc deputandus est(2). De his constat ex bulla *Benedicti XIV. Pastoralis* modo citata.

Nota: Ex decreto *S. Congr. Episcoporum die 20. Septembris 1642.* confessarius ordinarius monialium non potest approbari nisi pro triennio, quo elapso non potest amplius audire confessiones in eodem monasterio sine licentia *S. Congr.* — Vide *S. Lig. n. 577.* Sed hujusmodi restrictio, inquit *Bouvier,* in Gallia non exsistit, sed approbatio valet, usque dum verbis aut facto revocetur.(3) — *Bouvier t. 5. p. 371., editio juxta animadversiones a nonnullis theologis romanis propositas emendata.*

Quaesita:

567. — Quaer. 1° *An omnes moniales teneantur se praesentare*

---

(1) Ex praescripto *Clementis XI.* confessarii monialium non solum sint docti, prudentes et pii, sed etiam aetate provectiores, scil. ex decis. *S. C. E.* (salvo indulto Apostolico) 40 annorum. — *Scav.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1300.* — *Ferraris ad v.* Moniales *art. 5. n. 49.* Curet vero episcopus, ut confessarios eligat, quibus moniales fidunt. —

Nequeunt sine facultate Apostolica munus confessarii ordinarii obire vicarii generales, canonici et alii beneficiati ad chorum obligati, parochi. Idem valet pro regularibus respectu monialium, quae non superiori regulari, sed immediate episcopo subjectae sunt; possunt tamen munere confessarii extraordinarii fungi. — *Anal. J. P. l. c. col. 1289. et seq.*

Tenetur autem confessarius ordinarius accedere ad audiendas monialium confessiones toties, quoties vocatus fuerit. — *S. C.E. anno 1705.* Ceterum caveat, ne se pro superiore monasterii gerat, cum ipsi talis superioritas ex decreto ejusdem *S. C. 7. Sept. 1797.* nullimode competat. — Cf. *Anal. J. P. l. c. col. 1322. 1324.*

(2) „ad quos pertinet confessarii ordinarii electio et deputatio“ — Const. *Pastoralis.*

(3) V. *notam 1.* ad *n. 567. Q. 1°.*

(4) Quodsi episcopus extraordinarium non adsignet, monialibus recursus ad S. Poenitentiariam patet; si vero praelatus regularis id omittat, ad episcopum deputatio spectat. Et idem valet, si praelatus regularis semel saltem in anno confessarium extraordinarium *e clero saeculari aut ex alio ordine regulari* non concedat. — Const. *Pastoralis.*

(1) et ejus reluctantia superari nequeat; item si monialis pro majore tranquillitate spiritus vel ex alio rationabili motivo aliquando confessarium particularem petat.

Monet autem *Benedictus XIV. ib.* enixe, ut episcopus in tali casu non adeo difficilem se praebeat; insuper ipsi jubet supplere, si praelatus regularis sub dictis circumstantiis confessarium particularem denegat.

Quid vero, si etiam episcopus petitioni monialis moribundae obsistat nec tempus suppeditet, recurrendi ad S. Poenitentiariam? — *Resp. editor rom.* hujus compendii, satis huic casui synodum Tridentinam *(sess. 14. c. 7.)* prospexisse, quando sanxit, in mortis articulo nullam esse reservationem, et *quemlibet* sacerdotem posse absolvere *quoslibet* poenitentes a *quibuscumque* peccatis et censuris. — Cf. *S. Lig. n. 563.*

(2) Ut enim permanenter aliqua monialis a jurisdictione confessarii ordinarii eximatur, licentia a S. Sede petenda est, quae illam communiter per S. Poenitentiariam largitur. — Sed cf. de hoc *Anal. J. P. l. c. n. 108. et seq.*

(3) Non pauci idem in genere concedunt, si sacerdotes idonei desint. — *S. Lig. n. 577.* — *Scav.* Sed decisiones *S. C. E.* indultum S. Sedis ad hoc requirunt.

confessario extraordinario et ipsi confiteri?

Resp. 1° Tenentur omnes et singulae(¹) se praesentare saltem ad audienda salutaria monita. Constat ex eadem bulla *Benedicti XIV.*, necnon ex declaratione expressa *S. Congr. Episcoporum d. d. 19. Oct. 1621.* (Apud *Bouvier ibid.)* Ratio autem hujus dispositionis est, ut consulatur majori libertati monialium, quae ministerio confessarii extraordinarii indigent, seu „ne, si moniales aliquae extraordinarium confessarium adirent, aliae autem coram ipso non compererent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur, et illae quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae vero ab hujusmodi necessitatibus et causis immunes judicarentur.“ Ita *Benedictus XIV.*

Resp. 2° Non tenentur confiteri confessario extraordinario, sed sufficit, ut coram illo se sistant, puta ut ejus benedictionem petant aut ab eodem salutaria monita accipiant. Constat ex citata bulla *Benedicti XIV.* — *Vide S. Lig. n. 576.*(²)

Quaer. 2° *Quid intelligatur hic nomine monialium?*

Resp. Intelliguntur solae mulieres sub regula in claustro viventes, non vero illae, quae clausuram servare non tenentur, v. g. quales sunt eae, quae dicuntur sorores a charitate (soeurs de la charité). Certum est tamen, episcopos statuere posse, ut etiam pro talibus audiendis specialis approbatio sit obtinenda. Unde statutis episcopalibus quoad illas standum est. Episcopi tamen, adsignando talibus monialibus confessarios ordinarios et extraordinarios (ut expedit), non videntur tollere a parochis facultates ordinarias, quas vi tituli sui habent excipiendi confessiones suorum parochianorum. — *Bouvier, de jurisdictione.* — *Gousset n. 480. etc.*

568. — Quaer. 3° *Quid tenendum de monialibus nunc in Gallia exsistentibus?*

Resp. 1° Quoad *approbationem confessarii* omnia pendent a voluntate episcoporum attentis praesentibus circumstantiis, cum vota solemnia emittere non censeantur. Episcopi autem communiter intendunt sibi reservare specialem approbationem pro monialibus, ut constat in praxi ex literis ordinariis approbationis, in quibus dicitur: *exceptis monialibus* aut etiam *non exceptis monialibus.*

Resp. 2° Quoad *confessarium extraordinarium* exsistit eadem obligatio, ac antea, pro episcopo et aliis superioribus, aliquem procurandi pro monialibus claustratis. Ratio est, quia idem est finis legis, scilicet procurandi conscientiae libertatem. Si enim obligentur ad rigorosam clausuram sicut olim, aequum est etiam, ut privilegio monialium claustratarum utantur.

Quaer. 4° *An episcopus teneatur etiam concedere confessarium extraordinarium piis foeminarum congregationibus, quae verae moniales non sunt?*

Resp. Benedictus XIV. enixe hortatur episcopos, ut ad quaslibet foeminarum communitates extendant leges *concilii Trident.* circa confessarios extraordinarios monialium. — *Const. Pastoralis.*(¹)

(¹) imo, omnes in monasterio degentes, tam superiorissa ceteraeque moniales professae atque novitiae, quam saeculares, quae vel educationis causa vel alio titulo in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur — const. *Pastoralis.*

(²) Dum vero confessarius extraordinarius confessiones audit, ordinario ne quidem permissum est ad monasterium accedere, ut extraordinarius sine ullo impedimento suo munere fungi possit. — Const. *Pastoralis.* — *S. C. E. Jan. 1749.* Quae haec decisio insuper quoad accessum confessarii extraordinarii ad monasterium exspirato muneris sui tempore statuat, v. apud *Lucidi l. c. n. 163.*

(¹) Omnes leges quoad confessarios monialium valent etiam pro quibuscumque coetibus foeminarum, si unicum extraordinarium poenitentiae ministrum a superiore

— Quaer. 5° *An absolvi a quolibet confessario monialustratae, dum casu extra rium versantur?*

Affirmative cum *Lacroix* . et *aliis*. Ratio est, quia iones *Gregorii XV. Inscru-* aliorum SS. Pontificum, quae t, ne moniales confiteantur erdoti, quam specialiter ab pro monialibus approbato, entur intelligendae, nisi *de us in monasteriis degenti-* ponunt enim, quod moniales ıtra clausuram versentur. Quiur confessarii, licet pro mo- non approbati, absolvere pos- niales per accidens ad se . Praeterea nimium incom- lerumque adesset, si monia- grinae solis confessariis spe- pprobatis confiteri deberent: m carere deberent sacramento iae et eucharistiae.(¹)

Concilium Trid. non prohibet, iantur plures confessarii extra- vel ne ultra duas vel tres vices : sensus igitur hujus decreti d minus saltem bis vel ter con- esse(²). — *Ferraris ad v. art. 5. n. 33.* — *Bouvier ibid.*

ARTICULUS III.
E CASIBUS RESERVATIS.

atio casuum est restrictio seu jurisdictionis, aut negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi a ceteris.

Agendum: 1° de reservatione; 2° de absolutione reservatorum.

§. I.

De reservatione casuum seu de principio et natura reservationis.

Principia:

570. — I. Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus sive causas criminum graviorum, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate absolvere nequeunt. Etenim ex dictis in articulo praecedente Ecclesiae competit potestas jurisdictionem dandi, conferendi et limitandi; ergo etiam casus reservandi. — Constat praeterea ex definitione *concilii Trid. sess. 14. c. 7. etc.*

II. Potestas peccata reservandi solis competit Ecclesiae praelatis, seu iis solis, qui habent jurisdictionem externam in utroque foro, interno et externo. Ratio est, quia ad eos solos, qui jurisdictionem in societatem fidelium conferre possunt, eamdem limitare pertinet.(¹)

Hinc: 1° Papa casus reservare potest in tota Ecclesia; — 2° episcopi in sua dioecesi(²); — 3° alii jurisdictionem episcopalem habentes erga subditos proprios.

---

gnatum habent, licet clausuram nt. — *Anal. J. P. ser. 4. col. seq.* ex const. *Pastoralis* et isionibus *S. C. E.* Elucet autem s Ecclesiae huc pertinentibus ıra, ut quieti conscientiarum ınsulatur, quin disciplina mona- etur.

Ury, Casus consc. p. 2. n. 574. tur S. Congregatio desiderare, ere quater fieri. — Cf. *Anal.* :. *col. 1311.*

s tandem, ex declaratione S. C. ıalia monialium amovenda esse ı vel aliis locis occultis et collo- exterioribus ecclesiae. Quod si iit, saltem ita ponantur, ut vite- ectus confessarii et monialis. — *n. 577. 4.* — *Lucidi l. c. n. 159.*

(¹) Etiam ii, quibus jurisdictionem *pro foro solum interno* delegare competit, eam *per se* limitatam concedere valent, ut docet *Lugo disp. 20. n. 1. 2.* Negandum tamen, talem restrictionem jurisdictionis, praesertim juxta hodiernam praxim, reservationem casuum vocari posse.

(²) quae reservatio etiam quoad moniales non exemptas valet. An vero exemptae eidem subjiciantur, dissentiunt auctores. — V. *S. Lig. n. 602.* Si tamen episcopus jurisdictionem quoad reservata confessario monialium negaret, hunc ab iisdem *per se* invalide absolvere, non dubitamus. Episcopum enim quoad moniales quoque exemptas jurisdictionem tribuere, sat constat ex verbis *Gregorii XV.* (apud *Giraldi, Expos. J. P. p. 2. sect. 105. §. Eadem Tridentina.)*

III. Tria requiruntur ex consuetudine Ecclesiae, ut peccatum reservatum censeatur, scilicet ut sit 1° mortale; — 2° externum;(¹) — 3° opere consummatum, non vero tantum attentatum, nisi aliud constet ex declaratione expressa reservantis.(²) — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 582.*

IV. Reservatio afficit immediate confessarium et mediate poenitentem, quia potestatem confessarii restringit ideoque ipsius personam immediate attingit. Vice versa autem de censura dicendum est, quia ut poena personae ipsius delinquentis inhaeret. — *S. Lig. n. 580.* et *alii communiter* contra *aliquos.*

NOTANDA

circa reservationem ab episcopis faciendam ex Bened. XIV. (de syn. dioec. l. 5. c. 5. n. 4.)(³)

... „Quamquam vero non possit quoad hoc certa regula ubique custodienda praescribi....: attamen instar regulae esse possunt quaedam generalia monita, et decreta, quae a Sacris Urbis Congregationibus hac super re emanarunt."

„Sacra Congreg. Episcoporum et Regularium negotiis praeposita *die 9. Januarii 1601.* locorum ordinarios ita monendos statuit: *Ne locorum ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum competit, pluribus, quam opus sit, reservationibus subditis aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur omnes, ut paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem pro cujusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent.* — Idemque monitum replicandum decrevit *die 26. Novembris 1602. Sed, ne locorum ordinarii, ad quos casuum reservatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursum magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat et in aedificationem, non autem in destructionem, cedat: ne alioquin sacramenti poenitentiae ministrorum potestate coarctata, sanctae matris Ecclesiae piae menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in bulla die coenae Domini legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos.*"

„Encyclicae quoque litterae ab eadem Sacra Congregatione eadem die *26. Novembris 1602.* ad episcopos in hunc modum datae sunt: *Praecipue vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus adnexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione vel executione eorum, ad quae poenitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui, etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant et sequantur rationem, quae, consideratis diligenter cujusque provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.*"

„Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium decretis . . . consentiunt decisiones Sacrae Congr. Concilii: etenim, cum ad hanc delatum fuerit, quod episcopus Bellicastrensis supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum, *die 29. Januarii 1661.*, decem aut ad summum duodecim gravioribus exceptis, episcopi arbitrio designandis, ceteros e catalogo deleri jussit."

Nota: Plerique casus episcopales sunt simpliciter reservati sine censura; casus autem papales fere omnes(¹) censuram

(¹) Peccatum non solum qua internum, sed etiam qua externum grave esse debet atque ad speciem a reservante requisitam pertinere, cum reservationes sint strictae interpretationis.

(²) item ut sit certum. — Cf. *n. 572. Q. 3°.*

Ceterum de his et similibus conferantur etiam constitutiones dioecesanae.

(³) Ex editione rom. anni 1866.

(¹) Cf. *n. 953. 4°.*

ncipaliter propter censuram
ita ut in iis reservetur im-
ıra, et mediate seu accesso-
ɔccatum. Hinc in casibus
ervata censura, etiam pecca-
ıervatum; econtra vero, sub-
v. g. ex eo, quod ignorata
reservatum peccatum, quia,
reservationis, i. e. censura,
non manet reservatum. —
80.

ita:,

Quaer. 1° *An ignoran-*
ionis vel censurae ab ea
excuset?

Negative quoad *reserva-*
nstat ex dictis supra *in*
IV. Etenim reservatio
ırisdictionem et approba-
essarii, quem immediate
sive poenitens habuerit
ervationis, sive non ha-
estas sacerdotis restricta
- *Ita S. Lig. n. 581.*

quam auctor affert, rem
videtur. Fautores enim
positae non negant, reserva-
diate afficere jurisdictionem
ingere: sed, cum quaedam
concurrere debeant, ut
n reservatum censeatur, in-
junt, annon etiam notitia
hisce conditionibus adnume-
Et revera, non pauci, nec
s theologi id affirmant prae-
quod ignorantes non ligen-
itutionem, saltem episcopa-
enam imponit; quia insuper
ım quis eam ignorat, nequi-
ılis dici potest, quippe quae
a peccato cohibere valeat

s sententiam negativam om-
ım censemus. Dato enim
tamen negamus), hic pri-
ena agi, nunc jam sententia
axi est, ignorantiam a poena
n excusare. — *Thesaurus,*
ccles. p. 1. c. 15. Resp.
d de facto variae rationes
d reservationem alicujus cri-
s possunt. Cum porro lex
lum motivum, saltem exclu-
nat, ex lege ipsa nihil aliud
ır, nisi superiorem sibi quae-
reservasse, ut suo judicio
. — *Trid. sess. 14. c. 7.*

Resp. 2° *Affirmative* quoad *censuram,* quia in ea spectatur praecipue ratio poenae, quae in contumaces tantum infligitur, ut dicetur in *tractatu de censuris* (1). — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 580. etc.*

Quaer. 2° *An ignorantia saltem excuset a reservatione, quando cum censura conjungitur?*

Resp. 1° *Affirmative* pro casibus *papalibus,* quia casus papales fere omnes principaliter reservantur propter censuram, a qua excusat ignorantia, ut modo dictum est. Proinde, sublata censura, nulla remanet reservatio. — *S. Lig. n. 580.* et *alii communiter.*

Resp. 2° *Negative* pro casibus *episcopalibus* (2), quia in iis principaliter et per se spectatur reservatio, cui adnectitur quandoque censura velut circumstantia eo fine, ut peccatores magis a peccato absterreantur. — *S. Lig. n. 581. Dub. 2.* (3) — *Lacroix n. 1614. etc.*

572. — Quaer. 3° *An censendum sit reservatum peccatum in dubio de reservatione?*

Resp. 1° *Negative* prorsus, si dubium sit *facti,* i. e. si peccatum fuit dubie commissum aut dubie grave. Ratio est, quia reservatio est strictae interpretationis, unde intelligenda de peccatis certo gravibus. Ecclesia enim non intendit reservare peccata, nisi sint certo commissa et certo mortalia, siquidem peccata tantum atrociora

---

Agitur itaque formaliter de reservatione alicujus causae, quam ordinarie per ignorantiam subditi tolli, negandum est. Adde, sententiam communem hodie pro parte negativa stare, ideoque etiam merito praesumi voluntatem episcoporum reservantium, ligandi ignorantes.

(1) *n. 938. 939.*

(2) scil. pro iis, quos non quidem jus commune, sed ipsi sibi reservant episcopi — *Scav.*

(3) Cum tamen alii aliter sentiant et vix de hoc a priori constare possit, recte ait *Suarez, de poenit. disp. 29. sect. 3. n. 7.*, considerandas esse circumstantias, verba scil. reservationis, consuetudinem, potestatem reservantis etc.

reservare solet. — *Ita communissime* cum *S. Lig. n. 600.*

Resp. 2° *Negative* etiam, si dubium sit *juris,* i. e. si versetur circa exsistentiam legis reservantis ejusve extensionem; quia reservatio est strictae interpretationis, proinde in dubio nulla habenda est. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 600.* — *Lugo d. 20. n. 16. et seq.* — *Elbel n. 343. etc.* contra *Antoine* — *Concina etc.* (¹)

Quaer. 4° *An incurrat reservationem peccans in alia dioecesi, ubi casus est reservatus, dum reservatus non est in loco confessionis, aut vice versa?*

Resp. Casus isti et plures alii similes, qui a theologis proponuntur, hac unica solvuntur regula, nempe: Reservatio afficit immediate confessarium, non vero poenitentem. Attende igitur ad hoc solum, utrum confessarii potestas restricta sit, necne. (²) — *S. Lig. n. 591.*

573. — Quaer. 5° *An peregrinus peccans in alia dioecesi, ubi casus est reservatus cum censura, utrumque incurrat?*

Resp. 1° Ex dictis erit ligatus reservatione, si velit ibi confiteri, quia confessarius caret facultate eum absolvendi.

Resp. 2° Non vero incurret excommunicationem illi adnexam, quia excommunicatio non potest ferri nisi in subditos; peregrini autem, quamvis constituantur subditi ratione confessionis, non tamen ratione censurae incurrendae. Etenim, cum ante peccatum non fuerint subditi, nequeunt dici contumaces. — Constat etiam ex jure can. c. A nobis *(21.) de sent. excomm. (V. 39.),* ubi dicitur, solos subditos comprehendi sub excommunicatione lata ab episcopo pro futuris delictis. — *S. Lig. n. 591.* Attamen peregrinus, peccans in aliena dioecesi, ligari posset censura ab homine, ut dicemus, ubi *de censuris n. 946. Q. 4°.* cum *S. Lig., de censuris n. 26.*

Quaer. 6° *An praelati aut superiores regulares possint reservare casus in suo ordine vel monasterio?*

Resp. Possunt nonnullos tantum reservare a *Clemente VIII.* determinatos, qui sunt undecim numero, ut videre est apud *S. Lig. n. 583. etc.* Non autem possunt alios reservare sine consensu capituli generalis pro tota religione, et capituli provincialis pro tota provincia.

§. II.

De absolutione reservatorum.

Principia:

574. — I. Absolvere possunt a casibus reservatis de potestate ordinaria ii omnes, qui casus reservare possunt, ut sunt: 1° ipsi reservantes; 2° eorum successores in eadem potestate; 3° eorum superiores. — De potestate autem delegata absolvere possunt ii, qui specialem facultatem accipiunt a legitimis superioribus, intra limites concessionis.

II. Episcopi vel eorum delegati absolvere possunt etiam a casibus papalibus *occultis,* exceptis casibus *bullae Coenae.* — Constat ex concessione *concilii Trident. sess. 24. decret. de reform. c. 6. (Liceat.)* (¹)

Possunt episcopi absolvere a casibus (²) papalibus *notoriis* seu *publicis* omnes fideles, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt, ne videlicet ex dilatione absolutionis nimium animabus periculum immineat. Constat *ex jure can.* (³)

(¹) Excipe in genere: si lex etiam casus dubios expresse complecteretur. — *Lugo ib. n. 18.*

(²) Cf. tamen *n. 583.*

(¹) quae concessio non se extendit ad casus post concilium Trid. a S. Sede reservatos tum ex natura rei, tum ex indubiis decisionibus *SS. CC.* — V. v. g. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 645. et seq.*

(²) juxta veriorem sententiam: excommunicationibus — *Thesaurus, de poen. eccl. p. 1. c. 24. Resp. II. Amplia l.*

(³) Sunt, qui affirment, hanc delegationem episcoporum per jus quoad eos, qui

o absolvere potest a casi-
ɜ *episcopalibus*, nisi ab
ɔso facultatem acceperit,
olvere possit a quibuscum-
Papae reservatis. — Ita
in bulla *Superna*, ubi
ıbentes facultatem absol-
mnibus casibus Sedi Apo-
ervatis non ideo a casi-
:scopo reservatis possunt

ı est reservatio in articulo
Omnes igitur sacerdotes
, ipsis deficientibus, sacer-
ices (²) ab omnibus pecca-
ɔolvere possunt. — *Trid.*
ɜ *sacr. poenit. c. 7.*

rita:

Quaer. 1⁰ *An aliquando*
ıfessarius possit absolvere

ıonaliter adire nequeunt, juxta
isciplinam non amplius sub-
ue extra casum necessitatis
ıe absolutionem vel per literas
ɜl ab aliquo, cui Papa hanc
elegavit. — *Gury, Casus*
n. 601. not. 2. Attamen de
ione non videtur constare
e *censuris n. 89.* — *Gury*
), quamvis alter modus im-
olutionem commendandus sit,
non urgeat et nihilominus
ı. Sedem recurrendum foret.
n. 952. IV. not.
quisque approbatus hosce
bsolvere poterit, si neque
ıdire valent? — *Resp. Affir-*
ɜntia neque auctoritate caret,
mento in jure destituta vide-
uper (29.) *de sent. excomm.*
uia tamen verba generalia
ɜ non omne dubium tollunt,
iniatur, num proprius sacer-
em circumstantiis absolvere
ıiscopus (cf. v. g. *Lugo disp.*
31.), quia praeterea non de-
ɜquuntur *negativam* (v. g.
Pr. Bibl. ad v. Absolutio
7.), in praxi petatur facultas
(Reiffenstuel, in l. 5. decr.
8. 399.), uti etiam consue-
ɜi forte sit periculum in mora
Q. 1⁰.). Indulgentior tamen
censuris n. 92.
riculo mortis, undecumque
Cf. *n. 551. Q. 7⁰.*
ıque tamen, licet raro, etiam

a peccatis reservatis etiam extra mortis periculum?

Resp. 1⁰ Potest quidem quandoque absolvere, nempe quoties facultas peti nequit a superiore, ne per literas quidem (¹), et adest periculum in mora seu gravissimum incommodum secuturum est. Et hoc valet, etiamsi peccatum cum excommunicatione reservatum esset (²). Ratio est, quia Ecclesia, pia mater, et quilibet superior non potest censeri velle obligare ad aliquid moraliter impossibile vel ad tantum incommodum subeundum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 585.*

Resp. 2⁰ Non potest tamen in tali casu absolvere nisi *indirecte* (³) a reservatis, quamvis *directe* ab aliis absolvat. Ratio est, quia non habet jurisdictionem in reservata, nec censetur hanc supplere Ecclesia; nulla enim est supplendi necessitas, cum pro necessitate praesenti sufficiat absolutio indirecta reservatorum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ib.* et *alii supra citati.*

Hinc: 1⁰ non potest tunc absolvere confessarius, nisi cum onere, ut data opportunitate poenitens se sistat superiori vel alteri habenti facultatem absolvendi a reservatis (⁴); 2⁰ si poenitens non habeat nisi peccata reservata, non potest absolvi, quin submittat clavibus peccatum saltem veniale vitae praeteritae directe remittendum. Secus enim nulla daretur sacramenti materia.

---

praesente approbato absolvere valent. — Cf. *n. 551. Q. 8⁰.*

(¹) vel adiri alius, qui facultate absolvendi gaudet — *Scav.*

(²) Cf. etiam *S. Lig., de euch. n. 265. Q. 3.*

(³) Absolvit quis *indirecte*, si non gaudet quidem potestate ordinaria vel delegata absolvendi a reservatis, attamen in quibusdam circumstantiis etiam reservata de facto remittit, quia secus non-reservata deleri non possent. Remissio reservatorum tunc non fit *directe* per absolutionem, sed per infusionem gratiae sanctificantis.

(⁴) Hoc onus non subsistit, si quis absolutus est a rite delegato ad reservata, cum hic directe absolvat.

Casus autem, in quibus sic simplex confessarius absolvere potest, sunt praesertim sequentes, scilicet: 1° periculum infamiae vel scandali, v. g. ex omissione celebrationis missae; 2° necessitas adimplendi praeceptum annuae confessionis vel communionis; 3° timor, ne poenitens remaneat diu in statu peccati mortalis. — *S. Lig. ibid.*

576. — Quaer. 2° *An absolutus a reservatis in articulo mortis a simplice confessario teneatur se sistere superiori, si convalescat?*

Resp. 1° *Negative* quoad *simplicem reservationem.* Ratio est, quia ex *Tridentino* in articulo mortis *nulla est reservatio.* Ergo etiam nullum reservationis onus, nisi aliunde probetur. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Affirmative* quoad *censuras* reservationi adnexas. Poenitens enim in articulo mortis non absolvitur nisi indirecte a censuris, seu censurae ad tempus suspenduntur (¹): hinc, si convalescat, ad superiorem recurrere debet, et quidem sub poena iterum incidendi in censuras, nisi ratio legitima ab hac obligatione eximat. (²)

577. — Quaer. 3° *An reservatione ligatus in necessitate communicandi aut celebrandi teneatur confiteri confessario simplici, alio deficiente?*

Resp. 1° *Probabilius* non tenetur confiteri, si nullum aliud peccatum mortale habeat, nisi reservatum; quia ad confessionem non tenetur, neque ratione peccati reservati, quod directe remitti nequit, neque ratione venialium aut mortalium jam remissorum, quae non sunt materia necessaria confessionis. — *S. Lig., de euch. n. 265.* — *Lugo* — *Elbel etc.*

Resp. 2° Tenetur tamen confiteri in hoc casu saltem veniale vel mortale jam confessum, si advertat, se non habere contritionem, sed solam attritionem, ut sic indirecte a reservato absolvatur et in statu gratiae communicet. — *Ita communiter.* — *S. Lig. l. c. et de poen. n. 585.*

Resp. 3° Tenetur etiam confiteri, si habeat mortalia tum reservata, tum non reservata. Ratio est, quia urget praeceptum divinum praemittendi confessionem communioni et nulla datur excusatio a praecepto confessionis. — *Ita communissime,* inquit *S. Lig. ib.,* contra *plures* negantes ex eo, quod, ajunt, confessarius jurisdictione caret in talem poenitentem, quod plane falsum est.

578. — Quaer. 4° *An habens peccata reservata et non reservata teneatur in confessione accusare etiam reservata?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia alias teneretur bis peccata illa confiteri, scilicet inferiori et superiori (¹). — *S. Lig., de euch. n. 265. Q. II.; de poen. n. 585. Dub. 3.* — *Affirmant* tamen *plures,* quia confessarius totam poenitentis conscientiam cognoscere debet.

Quaer. 5° *An valide absolvatur, qui bona fide accusat reservatum simplici confessario* (²), *aut qui illius sine culpa obliviscitur?*

(¹) vel rectius: Ita exigit c. Eos, qui (22.) *de sent. excomm. (V. 11.) in 6°.* Nequit enim dici, confessarium, qui sub debitis circumstantiis in articulo mortis a censuris absolvit, *indirecte* absolvere, cum concilium Trid. tunc expresse facultatem deleget.

Assertionem vero, hanc obligationem, aliquibus exceptis, per concilium cessasse, tutam non censemus. — V. etiam *S. Lig., de censuris n. 87.*

(²) *C.* Eos, qui (22.) *de sent. excomm.* in nota praecedente allegatum.

(¹) Excipiunt pro praxi: si confessio reservatorum necessaria forte sit ad dispositionem poenitentis dijudicandam. — *S. Lig. n. 585. Dub. 3.* Sed in concreto non aderit pro poenitente obligatio, sponte aperiendi, se esse recidivum vel in occasione proxima versari, nisi de dispositione sua vel de mediis necessariis dubitet. — Cf. supra *n. 485.*

Ceterum in tali casu reservata indirecte remittuntur.

(²) sive is bona, sive mala fide absolvat — v. *Gury, Casus conc. p. 2. n. 577.*

Resp. Affirmative, si aliud peccatum non reservatum clavibus subjiciat, quia confessarius non caret potestate in peccata non reservata, quamvis de reservatis *directe* absolvere nequeat. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 596.*

579. — Quaer. 6° *An inferior absolvere possit moribundum a reservatis praesente superiore aut alio facultatem habente?*

Resp. 1° *Affirmative*, si casus sint *pure reservati*. Ratio est, quia in articulo mortis nulla est reservatio. Sed requiritur, ut inferior ille sit *approbatus;* simplex enim sacerdos nullam habet jurisdictionem coram approbato. (1)

Resp. 2° *Negative*, si *de censuris* agatur, quia simplex sacerdos nequit directe a censuris absolvere (2).

Quaer. 7° *An requiratur venia episcopi ad absolvendum moribundum a casibus papalibus, si facile peti possit?*

Resp. 1° Pro casibus *occultis* venia episcopi certo petenda est, quia casus papales *occulti* ex concessione Tridentini subjacent jurisdictioni ordinariae episcoporum.

Resp. 2° Pro casibus *notoriis* etiam *probabilius* petenda est juxta sententiam communem, quia censurae nequeunt tolli ab inferiore, si recursus ad superiorem haberi possit. (1) — *Ita communiter.* — *Negant* tamen *plures*, quia episcopi nihil possunt circa censuras papales et in hoc casu episcopi sunt aequales aliis confessariis. Et hanc sententiam merito dicit *non improbabilem S. Lig. n. 563. Dub. 2.*

580. — Quaer. 8° *An possit superior absolvere poenitentem a reservatis, et eum remittere ad inferiorem pro absolutione non reservatorum?*

Resp. Negative. Ratio est, quia ex *propositione 59.* damnata ab *Innocentio XI.* non licet dimidiare confessionem ob multitudinem negotiorum vel poenitentium (2). — *Ita communiter* contra *plures.* — *Vide S. Lig. n. 595.*

---

(1) Ita etiam ex rituali rom. *sub initio rubr. de sacram. poenit.* §. *Sanctum poenitentiae.* et ex catechismo romano *(de poenit. sacr. Q. 55.)* colligitur. Hinc sententia, quae tuetur, ob periculum mortis in genere non-approbatum praesente etiam approbato absolvere posse, non est probabilis; obstat enim intentio concilii, formaliter expressa. — Cf. *Giraldi, Exp. J. P. p. 2. s. 39.* — V. tamen supra *princ. IV. not.* 2.

(2) vel potius, quia juxta dicta ad *n. 576.* in *nota* pro absoluto a censuris in simili casu non tollitur obligatio, se sistendi superiori.

Imo non desunt, qui consequenter docent, sacerdotem approbatum quidem, sed ad absolutionem a reservatis non privilegiatum, praesente superiore vel privilegiato neque a reservatis absque censura absolvere posse, nisi ratio sufficiens vel legitima consuetudo adsit, cum in hoc quoque casu ratio legis (v. *n. 551. Q. 8°.*) non subsistat, et contrariam sententiam pro praxi non esse consulendam. — V. *Seitz, Recht des Pfarramtes tom. 2. sect. 4. §. 66. p. 165.* — *Pruner, de jurisdict. eccl. c. 2. art. 6. n. 2.*

Attamen etiam praesente superiore quemvis absolvere posse, qui ad id valide facultatem obtinuit, per se patet.

(1) Hanc affirmativam sententiam in praxi sequendam censemus, quia in hac hypothesi non adest necessitas illa, quam Tridentinum supponit, cum episcopi non solum communiter delegata facultate sat ampla absolvendi a reservatis Papae muniti sint, sed etiam generatim, ubi est casus urgens et periculum in mora, a lege Pontificis dispensare valeant *(p. 1. n. 115. Q. 2°. Resp. 2°. not.).* Adde, in mortis periculo absolutum, si de censuris agitur, sanitate recuperata se sistere debere superiori competenti vel alii sacerdoti, qui facultate absolvendi ab hisce reservatis instructus est, a quo onere juxta dicta plerumque liber erit, si statim episcopum adeat.

(2) Hinc subditus solummodo in illis casibus peccatum reticere poterit, in quibus etiam alias integritas materialis non requiritur.

Potest tamen superior auferre reservationem, quin a peccatis absolvat, ut patet ex quaestionibus sequentibus.

Ceterum non exsistit paritas inter hunc casum et alium sub *n. 578. Q. 4°.* relatum.

Quaer. 9° *An tollatur reservatio per confessionem nullam aut sacrilegam?*

Resp. 1° *Probabilius* tollitur per confessionem *sine culpa nullam.* Ratio est, quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata superiori deferantur (¹). — *S. Lig. n. 598. Q. 3.* cum *communi sententia.*

Resp. 2° *Probabiliter* etiam tollitur per confessionem *sacrilegam,* quia eadem est ratio ac pro casu praecedente. — *S. Lig. ib. Q. 4.* et *alii communius.* Excipe: 1° si poenitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum, quia minime praesumitur superior in tali sacrilega confessione velle auferre reservationem peccati sibi non delati(²); 2° si confessio invalida fiat in jubilaeo; quia Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles jubilaeum lucrentur, ac proinde secus non censetur velle eam concedere (³). — *S. Lig. ibid.*

581. — Quaer. 10° *An tollatur reservatio, si poenitens, confitendo* (⁴) *apud superiorem, casus reservatos* (⁵) *obliviscatur?*

Resp. Affirmative, saltem *probabiliter,* quia recte praesumitur, superiorem liberare poenitentem dispositum ab omni vinculo, a quo absolvere potest. — Ita *Lugo disp. 20. n. 85. et seq.* — *Salmant. c. 13. n. 43. et seq.* — *Collet* et *alii communiter* contra *alios,* qui etiam *probabiliter negant.* — *S. Lig. n. 597.* dicit priorem sententiam *communissimam,* sed aliam *probabiliorem* (¹). Addit recte, esse saltem excipiendum in priori sententia casum, in quo positive praesumitur, quod, si superior audivisset peccatum, absolutionem distulisset.

Quaer. 11° *An, qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum, omnino liberetur a reservatione, etiamsi postea illud agnoscat ut certum?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia, cum peccatum dubie reservatum est accusatum, jam directe absolutum est (²) et proinde directe ablata est reservatio. — *S. Lig. n. 600. Q. 2.*

582. — Quaer. 12° *An episcopus absolvere possit peregrinos a censuris episcopalibus* (³), *quas in propria dioecesi incurrerunt?*

(¹) Haec ratio supponit, poenitentem peccati reservati confessionem nec inculpabiliter omisisse.

(²) Addit *Lugo:* si inculpabiliter obliviscitur confiteri peccatum reservatum; et *Suarez:* si poenitens peccatum illud reservatum in posterum vitare vel poenitentiam impositam implere nolit; tolli tamen reservationem, si animum mutet. — *S. Lig. ib.*

(³) Quoad jubilaeum v. pro utroque casu infra *n. 1074.*

(⁴) *valide* —

(⁵) *inculpabiliter* —

(¹) exceptis sequentibus casibus: 1° si ex aliquo positivo indicio habeatur praesumptio, voluisse superiorem reservationem auferre; 2° si poenitens ideo adiverit superiorem vel habentem potestatem, ut ab omnibus reservatis absolvatur, et hanc suam voluntatem ipsi manifestaverit; 3° si privilegium fuerit concessum in favorem poenitentis et vel uno actu exstinguatur vel ad certum tempus limitetur, intra quod poenitens confitetur et absolvitur, quod v. g. occurrit in privilegio jubilaei. — *S. Lig. ib.* — *Suarez disp. 31. sect. 4. n. 14. et seq.*, qui *ib. n. 16.* quartam addit exceptionem, scil. si reservatio solam censuram attingit, „quia ad absolvendum a censura per se et directe non est necesse, distincte et in particulari cognoscere causam censurae, sed sufficit universalis voluntas absolvendi ab omnibus, etiam reservatis", in quantum potest confessarius et poenitens indiget. Videtur vero negans sententia ita restricta omnino in praxi tenenda.

(²) vel, ut innuit *Lugo disp. 20. n. 22.:* quia, cum ratione dubii tunc peccatum non esset reservatum, potuit ab illo inferior absolvere, qui legitime usus est potestate, quam habebat, absolvendi a reservatis dubiis.

(³) *reservatis;* a latis enim ab homine per modum sententiae generalis contra personas indeterminatas et non reservatis probabilius quicumque confessarius absolvere potest. — *S. Lig., de censuris n. 73.* coll. *n. 72.* — Infra *n. 951. III.*

Resp. Controvertitur. Ia Sententia *communior negat.* Ratio est: 1° quia episcopi sunt independentes alii ab aliis et proinde habent jus, ut nemo absolvat a suis casibus sine licentia ab ipsismet concessa; 2° quia videtur constare ex declaratione *S. Congr. Conc.,* ut testatur *S. Lig.,* qui absolute huic sententiae adhaeret. (Vide *S. Lig. n. 590. 594. Dub. 8.*)

IIa Sententia *non improbabilis affirmat.* Ratio est: 1° Quia in c. *Liceat* (concilii Trid.), quo conceditur privilegium episcopis absolvendi a casibus occultis, dicitur: *in quibuscumque casibus occultis,* etiam *Sedi Apostolicae reservatis.* Porro ex particula *etiam* satis ostenditur, comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris ab aliis episcopis reservatis. Ergo episcopi saltem a casibus *occultis* aliorum episcoporum absolvere possunt. 2° Quia episcopus vel alius sacerdos nulla obligatione adstringitur ad cognoscendum, quinam sint casus reservati cum censura vel sine censura omnium dioecesium, ut ab istis absolvendis abstineat. (1) — Ita *Bonac., de censuris d. 1. q. 3. — Collet, de censuris p. 1. c. 5. art. 1. Resp. 6. — Collat. Andegav., de casibus reservatis coll. 3. etc.*

583. — Quaer. 13° *An absolvi possint peregrini a peccato reservato, si in propria dioecesi peccaverint et alio ad confitendum perrexerint* (2)?

Resp. Negative, si alio tendant *praecise in fraudem reservationis,* ut constat ex bulla *Clementis X. Superna.* Non conveniunt autem theologi, quomodo intelligendum sit *to in fraudem.* Juxta *probabiliorem sententiam* intelligitur tantum haberi *fraus,* quando quis alienam petit dioecesim ob principalem finem non solum confitendi, sed etiam declinandi judicium proprii pastoris. — *S. Lig. n. 589.* et *alii communiter.* Hinc valide absolvi poterit peregrinus, si abierit in alienam dioecesim ob aliquem honestum finem, puta negotii agendi vel lucrandae indulgentiae causa, vel ut confiteatur minori incommodo, aut citius confessionem perficiat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, qui melius eum dirigat et tranquillitati suae conscientiae consulat, aut ob alia motiva similia. (1)

(1) Addunt alii, quia sic fert consuetudo, adversus quam ordinarii non excipiunt, quae consuetudo si legitime vigeat, jam omne dubium tollet.

Excipe tamen quoad hanc quaestionem censuram latam ab homine per sententiam particularem, a qua alienus absolvere nequit. — *Collet l. c.*

(2) *ubi non est reservatum* —

APPENDIX I.

DE ABSOLUTIONE PROPRII COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

584. — I. Nullus confessarius absolvere potest complicem suum (2) in peccato turpi; qui autem absolvere praesumit, excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrit. — Constat ex constitutione *Benedicti XIV. Sacramentum poenitentiae (1. Jun. 1741.);* item ex alia constitutione ejusdem Pontificis *Apostolici muneris (8. Febr. 1745.).* (3)

(1) *Potestne confessarius, qui licentiam obtinuit poenitentem aliquem semel a casibus reservatis absolvendi, eumdem etiam a reservatis absolvere post petitam et obtentam facultatem commissis?*

R. Dist. Affirmative valde probabiliter, si concessio absolvendi a reservatis generaliter data sit, nisi vel nimium tempus (v. g. ultra mensem) inter concessionem facultatis et patratas novas culpas elapsum sit vel licentia dicta absolvendi data fuerit ratione alicujus festivitatis, quae jam praeteriit. — *Negative,* si illa facultas solummodo pro aliquo casu exposito tributa fuerit. Posset tamen absolvere a pluribus numero peccatis ejusdem speciei, etiam post licentiam obtentam commissis, si tenor concessionis non obstet. — *S. Lig. n. 601. Q. 4. — Scav. t. 3. tract. 10. annot. J. 4.*

(2) i. e. socium et participem —

(3) Ita quocumque privilegio vel indulto

II. Confessarius caret omni jurisdictione erga complicem suum, donec hic ab alio absolutus fuerit, ita ut invalida sit absolutio ab ipso impertita non solum quoad peccatum, cujus fuit particeps, sed etiam quoad cetera peccata, quorum in eadem confessione complex se accusat. Infertur ex verbis expressis bullae *Sacramentum poenitentiae;* dicitur enim: *sublata.. illi ipsi (sacerdoti complici) quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria privatus exsistit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus. — S. Lig. n. 553. et seq.* (1)

Quaesita:

585. — Quaer. 1° *Quid veniat nomine peccati turpis?*

Resp. Venit *omne* peccatum grave complicis contra sextum decalogi praeceptum, etiamsi non sit copula consummatum, imo licet sit solus tactus turpis aut colloquium inhonestum (1). Requiritur autem, ut adsit mortalis culpa ex utraque parte, et peccatum externum quatenus mutuum, seu ex utraque parte simul exterius manifestatum (2).

Quaer. 2° *An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia verba bullae sunt omnino generalia; in ea enim dicitur: *qui confessionem sacramentalem personae complicis in*

---

non obstante. — Const. *Sacramentum* §. *Demum magnopere.* (Ambas constitutiones invenies in editione Ratisbon. *Theologiae moralis S. Alphonsi* sub fine *tractatus de poenitentia.)*

Potestas autem delegata, absolvendi ab omnibus reservatis, non complectitur facultatem absolvendi ejusmodi complicem (neque in jubilaeo — *n. 1062. not.*), quod jam ex eo patet, quia dicta prohibitio non est reservatio, cum non solum superior vel ejus delegatus, sed etiam quivis confessarius non-complex absolvere possit.

(1) *Quid vero, si confessarius complicem suum inadvertenter absolveret?*

Resp. Scavini (edit. 10. t. 3. n. 554.): „Valet absolutio ex *Alasia, Stuardi* et *aliis* contra *Grassi* (et *S. Lig. l. c.*, ut videtur). Ratio est, quia bulla *praesumptionem et temerarium ausum* requirit ad invaliditatem (uti etiam notat *Giraldi* apud *Thes., de poenis eccles. ad v.* Absolutio c. *11.*), quod non verificatur in eo, qui minime advertit: idque eo magis, quia hic jurisdictionis privatio habet rationem poenae et excommunicationem comitatur. — Valet etiam absolutio, data a confessario poenitenti, qui inculpabili oblivione omisit peccatum complicitatis, quia absolutio in hoc casu nullatenus cadit super peccatum complicitatis, unde non absolvit complicem directe a peccato turpi, quod prohibetur. — Valet etiam probabilius haec absolutio, licet confessarius advertat, poenitentem inculpabili oblivione non confiteri peccatum complicitatis, quia etiam cum hac scientia semper verificatur, ipsum non absolvere directe a peccato complicitatis."

(1) vel conventio iniqua contra castitatem, uti si confessarius convenit cum poenitente de seducenda muliere, licet postea hanc non seduxerit.

Negant quidem aliqui, constitutiones *Benedicti XIV.* attingere colloquia inhonesta, provocantes inter alia ad verba hujus Pontificis in opere *de syn. l. 7. c. 14. n. 4.* Sed non videmus, quomodo ea, quae hoc loco enarrantur, contra clara verba legis praevalere possint. Hinc merito *S. Lig n. 554., Scavini ib. n. 445. cum sententia communiore*, ut videtur, *affirmantem* sententiam sequuntur, *negantem* rejiciunt.

Quid autem, si confessarius, antequam esset sacerdos, istud crimen patravit? — Resp. Controvertitur. Asserit *Scavini (n. 555. sub 5.)*, jurisdictionem illi auferri; negant alii, v. g. *Pruner, diss. de jurisd. c. 1. art. 9. 5°.*

(2) item ut sit grave, etiam quatenus est peccatum externum, nec quoad gravitatem dubium dubio juris vel facti. — *S. Lig. n. 554.*

Notat *Scavini n. 445.*, nil referre, si confessarius non sit in confessione a poenitente tamquam complex cognitus, dummodo verificetur, eum complicem esse, et ipse id sciat.

Cf. etiam *prop. 7. Alex. VII.*

turpi contra sextum prae-
excipere audeat. Ergo re-
ad sexum muliebrem non est
ıda. — *Ita communiter.* —
n. 488.
— Quaer. 3° *An sacerdos*
solvere complicem in arti-
periculo mortis?
Affirmative, si non possit
alius sacerdos, qui munus
ii obire possit; secus vero,
sacerdos alter, *etiam non*
us, qui poenitentis confessio-
pere queat. — Constat ex bulla
postolici muneris.
. 4° *An sacerdos possit ab-*
omplicem in morte, si alius
advocari vel accedere sine
aut scandalo?
Affirmative. Tenetur tamen
complex talia infamiae vel
pericula praecavere, si possit,
aliquo praetextu discedendo
S. *Lig. n. 553.* (1)
. 5° *An sacerdos possit ab-*
) complicem in morte, si
i confiteri recuset?
Affirmandum videtur, si
it dispositus, *ne* scilicet *pe-*
saltem ne ejus aeterna salus
ur. — *Gousset n. 489. etc.*
— Quaer. 6° *An sacerdos*
possit complicem ab aliis
sibi extraneis, postquam
el ab alio rite *fuit abso-*

Affirmative. Ratio est, quia
ıtum jurisdictione in hunc
em ob peccatum, cujus ipse
iceps; ergo, deleto illo pec-
absolutionem ab alio imper-

dsi complex hac necessitate non
vel ea quidem urgente, sed de
non impedita, in articulo mortis
ıem largiri praesumpserit, hujus-
olutio valida quidem est; poe-
n a jure latam contra eos, qui
ejusmodi complicem, non effu-
onst. *Apostolici muneris.*
e — de valore enim confessio-
nst. *Apostolici* dubium esse ne-
lo poenitens sit dispositus.

titam, jam cessat prohibitio et reviviscit jurisdictio (1). — *S. Lig. n. 555.* et *alii communiter.*

Verum, si quis pudor maneat in sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor sacramento debitus, numquam in posterum complicis confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus aut saltem gravis tentationis in directione talis poenitentis facile subire potest. — *Gousset ibid.* Avertendi igitur sunt fideles, quoad fieri potest, ne umquam in posterum, secluso necessitatis casu, confessarium adeant peccati complicem. In nonnullis dioecesibus de jure particulari sacerdos numquam excipere potest confessionem complicis, saltem copula consummata. (2)

(1) Nulla vero jurisdictione gaudet, si poenitens ab hoc peccato per alium confessarium solummodo indirecte (v. g. ob oblivionem inculpabilem dicti peccati turpis) vel invalide absolutus sit. — *Scav. n. 555.*

Idem dicendum videtur, si poenitens illud ipsum peccatum, ex quo complicitas oritur, jam alii confessum iterum complici tamquam materiam sufficientem confiteatur, quin aliam materiam addat: verba enim constitutionis sunt omnino peremptoria. — V. *Gousset n. 489.* — *Pruner l. c.*

(2) Improbantur tamen ejusmodi statuta a *S. C. C.*, attento periculo scandali, praesertim in locis parvis, ut constat inter alia ex sequente decisione *in Consentina:*

Quaer. Archiepiscopus Consentinus in synodo dioecesana inter cetera infrascripta decreta promulgavit, videlicet: ... 2° Confessarius quivis, nemine excepto, qui in confessione, vel ante confessionem, aut intra triennium post confessionem cum poenitente, sive foeminini, sive masculini sexus (quod Deus avertat), rem turpem habuerit, vel qualemcumque mortiferam culpam ad luxuriam spectantem commiserit, etiamsi poenitentis, cum qua vel quo peccavit, confessionem semel suscepisset, si saecularis sit, excommunicationem latae sententiae, cujus absolutionem nobis reservamus, incurrat; si vero regularis, ab audiendis confessionibus sit ipso facto suspensus, nec ad eas idoneus habeatur, quamvis a nobis, admissi ab eo ejusmodi criminis ignaris, facultatem iterum obtineat.

588. — Quaer. 7° *An episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata in confessarium, qui complicem suum absolvit, si casus sit occultus, ex concessione Trid. sess. 24. cap. 6.* (Liceat) *de reform.?*

Resp. Sic respondet *S. Lig. n. 556. Q. 2.*: „Videtur ex una parte negandum; nam si episcopus vel alius ab eo delegatus possent hunc casum, quando est occultus, absolvere, reservatio Pontificis evaderet inutilis et illusoria: casus enim hic non potest nisi occulte accidere . . .“

„Attamen probabiliter videtur posse dici, quod, etiam salva facultate episcopis a concilio impertita absolvendi hunc casum, quando est occultus, reservatio Pontificis non omnino redderetur inutilis et illusoria: tum quia, licet ordinarie casus sit occultus, tamen aliquando potest accidere, quod sit publicus; tum quia lex reservationis saltem Romae locum haberet, et in omnibus aliis locis, ubi Tridentinum non est receptum et ubi nequeunt quidem episcopi praefata facultate uti . . . .“

Verum sententiae negativae adhaerendum videtur (¹), quia facultas concessa a *conc. Trident.* in praefato *c. Liceat* respicit tantum casus papales occultos tunc reservatos, non vero extendenda est ad casus, qui post concilium a variis SS. Pontificibus reservati sunt, cujusmodi est reservatio, de qua agitur. — Constat ex declaratione *C. S. Off. d. d. 18. Julii 1860.* — *Bouix, Revue des sciences ecclésiastiques n. 4. Avril 1861.* — *S. Lig. n. 556.* (²)

Quaer. 8° *An incurrat excommunicationem sacerdos confessionem complicis audiens quidem, sed eum non absolvens?*

Resp. Negandum videtur cum *S. Lig. n. 556. Q. 1.* — *Ituriaga tom 5. cas. 50.* — Ratio est, quia hoc sat clare patet ex constitutione *Benedicti XIV. Inter praeteritos,* ubi sic dicitur: „Non minus sacerdoti complici, qui vel extra mortis articulum „confessionem excipit poenitentis *eumque absolvit,* vel qui in articulo mortis *absolvit,* cum alius sacerdos non „desit, . . excommunicationis poena a „nobis in citatis constitutionibus imposita fuit. . .“ Igitur ex mente Pontificis non sufficit confessio, sed absolutio etiam requiritur. (¹)

APPENDIX II.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE.

Lugendum sane est, et quidem numquam satis, quod in ovili Christi appareant quandoque lupi rapaces: quod constituti *speculatores domus Israel* eamdem ipsi dire devastent: quod

---

Adversus praeinserta capita reclamat civitas et clerus. Quid pro, quid contra faciat, partes monitae ad informandum deducent, iisque auditis EE., quod magis in Domino expediet, decernere non gravabuntur.

Resp. S. C. C. d. d. 2. Dec. 1679.: Ad 2. *Decretum aboleatur.* — Cf. *Anal. J. P. ser. 7. col. 752. et seq.*

(¹) et certo inhaerendum est — cf. supra *n. 574. II. not. 1.*

(²) Addimus recens decretum *C. S. Off. d. d. 27. Junii 1866.*:

„Sanctissimus D. N. Pius PP. IX.... attentis rerum et temporum circumstantiis decrevit, a facultatibus, quibus episcopi aliique locorum ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla *Benedicti XIV.*, quae incipit *Sacramentum poenitentiae.* Et *S. C. de Propag. Fide* injunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum post verba „*absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, etiam in bulla Coenae*“ addatur: „*exceptis casibus reservatis in bulla Benedicti XIV., quae incipit* Sacramentum poenitentiae.“

Reservatur porro in praedicta bulla praeter excommunicationem, de qua supra, absolutio personae cujuscumque sexus, *falso denuntiantis* sacerdotem aliquem de sollicitatione (infra *n. 953. 4°.*).

(¹) Item excommunicationem non incurrit sacerdos simplex, qui tentat complicem absolvere, cum constitutio de *confessariis* loquatur. — *Scav. n. 553.*

praepositi saluti animarum easdem crudeliter in perniciem detrudant! Quis enim tantam *abominationem stantem in loco sancto* cernens horrore non corripietur? quis a dolore temperabit et pro viribus eam de medio tollere non tentabit? — Ut tanto malo efficacia afferrent remedia Summi Pontifices, severas leges contra tam perversos Dei ministros variis temporibus tulerunt. — Hinc

Statuenda:

589. — I. De jure communi Ecclesiae sacerdotes *sollicitantes* (¹) ad peccandum contra sextum decalogi praeceptum in *confessione,* aut *occasione, praetextu* vel *simulatione* confessionis, ante vel post confessionem, aut in loco, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem electo, superioribus ecclesiasticis denuntiandi sunt (²). Constat ex bulla *Gregorii XV. Universi gregis,* data *anno 1622.,* quae confirmata et ampliata est per constitutionem *Benedicti XIV. Sacramentum poenitentiae.* (³)

(¹) i. e. invitantes vel incitantes —

(²) tamquam haereseos suspecti.

(³) Sic in bulla *Gregorii XV.* statuitur: „Mandamus omnibus locorum ordinariis, ut diligenter inquirant et procedant contra omnes sacerdotes tam *saeculares*, quam *regulares*, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, sive ante vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis, etiam confessione non secuta, sive extra confessionis occasionem in confessionario aut in loco quocumque, ubi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis inhonestos sermones habuerint:... mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse, ut supra, ab aliis sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes seu, ut praefertur, tractantes locorum ordinariis." — *Vide S. Lig. n. 675.* (Nota auctoris.) Constitutionem *Sacramentum* vero invenies apud *S. Lig.* post *n. 705.*

Ad uberiorem explanationem praefatae legis addimus:

II. Poenitentes sollicitati absolvi nequeunt a quovis confessario, ante-

1° Ut praedicta crimina ex jure positivo ad denuntiationem ejus, qui ea perpetravit, obligent, necesse est, ut modo a lege determinato exsistat aliqua relatio eorumdem *vel* ad confessionem, *vel* ad locum, ubi confessiones excipiantur.

a. *Relatio requisita ad confessionem* adest, si sollicitatio fiat:

α. *In actu sacramentalis confessionis.*

β. *Immediate ante vel post confessionem,* tempus illud non physice, sed moraliter (in sensu tamen strictiore — Editor.) aestimando. Ex praxi *S. Officii* certo non intelligitur *immediate post* confessionem sollicitasse, qui post integrum transactum diem inhoneste agit cum poenitente, dummodo nullo modo in confessione pravum suum animum indicaverit. — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 809. app. regula 4.* (In *Animadv. etc. ad Barbosa, de parocho p. 2. c. 19.* post *n. 62.,* item a *Giraldi* editis, eadem invenies.) Posset vero, ut patet, etiam in hoc casu obligatio denuntiandi ex alio capite urgere, quod in sequentibus quoque limitationibus subintellige.

γ. *Occasione confessionis,* dum scilicet sacerdos ex confessione petita vel peracta motivum sumit, sollicitandi poenitentem extra confessionem. Hinc denuntiandus est, qui personam, confessionem expresse vel tacite petentem, sollicitat (abutens sane ipsius veneratione, demissione animi, confidentia aliisque poenitentis affectibus erga sacramentum ac Christi ministrum), licet postea confessio non sequatur vel poenitens eam pro alio tempore petierit: secus tamen, si poenitenti, petenti pro altera die confessionem, hanc dissuadeat eumque sollicitet, ut constat ex decis. *C. S. O. d. d. 11. Febr. 1661.* sub *dub. 4.* (Has decisiones interpretantes const. *Gregorii XV.* et confirmatas per *Benedictum XIV.*, quae saepius allegabuntur, invenies apud *Giraldi ib., Scavini, edit. 10. tom. 3. n. 580. etc.*) — Item denuntiandus erit sacerdos, cui ea, quae ex confessione novit (v. g. proclivitas poenitentis ad turpia etc.), motivum praebent sollicitandi, dummodo ex indiciis sufficienter constet, confessarium ex illa scientia, non aliis ex causis motum fuisse ad hosce actus turpes. — Cf. *Giraldi l. c.* — *S. Lig. n. 678.*

δ. *Praetextu confessionis,* si nempe sacerdos confessionem praetendit, ut peccet. Videtur tamen necessarium, ut praetextu confessionis utatur *apud ipsum poenitentem,* non solummodo apud alios

quam obligationi denuntiandi satisfecerint: vel saltem, si temporis angustiae absolutionem differre non patiantur, non poterit conferri absolutio

(cf. *S. Lig. n. 679.*), non vero, ut confessio sequatur (uti expresse habetur in constitut. *Greg. XV.* quoad occasionem et praetextum), cum tunc jam casus ad b. referendus foret. Hinc denuntiandus erit, qui sub praetextu confessionis ad turpem finem aliquem accersit vel apud ipsum se ingerit. Si vero sacerdos ille ad inhonesta perpetranda actum confessionis simularet, id sollicitationi in loco ad confessionem, licet simulatam, electo accensendum putamus; merito enim editor romanus hujus compendii notat: „*Occasio* et *praetextus* innuere videntur causam, ob quam contingit, confessarium et poenitentem simul convenire et colloqui; *simulatio* vero referri videtur ad externam speciem, quam praefert modus simul conversandi seu colloquendi."

b. *Relatio ad locum, ubi confessiones excipiantur,* aderit, si actus prohibiti exerceantur:

α. *In confessionali* proprie dicto.

β. *In loco quocumque, ubi confessiones excipi solent,* licet confessionale ibidem non inveniatur, ut fit quandoque in domibus religiosis etc.

γ. *In loco quocumque, quem confessarius ad confessiones audiendas pro suo arbitrio elegit,* itaque etiam in agro etc.

Ut autem obligatio denuntiandi ob circumstantias sub b. enarratas enascatur, *simulatio confessionis* accedat necesse est. Debet scilicet sacerdos ita se gerere, ut merito credi possit, ipsum actu audire confessionem, quae conditio etiam exigitur, si tractatus inhonesti fierent in confessionali, uti *Giraldi l. c. sub reg. 5.* valide tuetur versus *Ferraris ad v.* Sollicitatio *n. 27. et seq., S. Lig. n. 680. etc.*, quae simulatio ceterum difficulter aberit, si sollicitans et poenitens *intra* confessionale subsistant. (V. etiam decis. *S. C. O. sub n. 15.*)

2° Committitur hoc crimen per peccata turpia in genere: hinc non solum per verba, scripturam (licet postea legendam), nutus, tactus quoscumque lubricos, sed etiam per alia signa amatoria, si pravam intentionem redoleant: imo et per signa de se indifferentia, si postea ob sollicitationem apposita dignoscantur, — etsi poenitens non consenserit (*Ben. XIV.* in const. *Sacramentum*), sive sollicitatus sit vir, sive mulier. (Const. *Greg. XV.*)

Committitur praeterea per sollicitationem *mutuam,* etsi poenitens primus sollicitarit; item per sollicitationem, ut poenitens turpiter peccet cum alio (vel secum ipso) aut aliam personam moveat, ut ita delinquat. — *S. Lig. n. 691.* — *Giraldi l. c. ad dub. 12.*

Abest autem hoc peccatum, si solummodo poenitens confessarium sollicitat, quin sollicitatio mutua fuerit. — Cf. tamen *n. 590. Q. 2°.*

Sed denuntiandus est non tantum sollicitans, sed etiam is, qui sub expositis circumstantiis „illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerit" (ut ait *Benedictus XIV.*) absque intentione sollicitandi vel provocandi ad turpia. — *Giraldi ib. sub reg. 8.*

Nec excusatur sollicitans per parvitatem materiae. — Ita *C. S. O. die 11. Febr. 1661. sub n. 3.*, rationem addens, „in rebus venereis non dari parvitatem materiae et, *si daretur, in re praesenti non dari.*"

Addit *Felix Potestas* (apud *Giraldi l. c. ad reg. 7.*) rationem, „quia, licet tales actus (leviter indicantes amorem lascivum) sint ex se leves, ex circumstantia tamen sacramenti, cum qua sunt conjuncti, sunt graves et mortales." Cui rationi an merito contradicat *S. Lig. n. 683.* excepto casu, quo ex circumstantiis certo conjiceretur, quod sacerdos animum habuerit ulterius progrediendi, nescimus, cum revera hisce actibus *specialis* irreverentia contra sacramentum insit. Aberit tamen onus denuntiationis, si de inhonestate actuum certitudine morali non constat vel sufficiens deliberatio deest. — *Scav. l. c.*

3° Non solum confessarius, sed etiam sacerdos simplex, qui v. g. se confessarium fingens sub dictis circumstantiis poenitentem sollicitat, denuntiandus est.

Non extenditur autem haec lex ad sacerdotem mandantem confessario, ut sollicitet, vel interpretem, qui poenitentem sub confessione vel occasione hujus sollicitat (*C. S. O. ad dub. 6. et 7.*), neque ad alios clericos vel laicos, qui, se sacerdotes esse simulantes, confessiones excipiunt. Num vero et quinam ex hisce ob aliam legem forte denuntiandi sint, non est hujus loci indagare. — Cf. *Giraldi l. c. sub reg. 1.* — *Ferraris ad v.* Sollicitatio *n. 5—7.* — *S. Lig. n. 688. 690.*

4° Obligantur ad dictam denuntiationem non solum ii, qui eam passi sunt (quamvis impuberes, dummodo sint rationis capaces), sed etiam omnes, qui eam certo sciunt, licet sub sigillo naturali, etiam jurato (dummodo eam non sub secreto consilii compererint), etiamsi nulla fraterna

poenitenti, nisi se brevi satisfacturum esse obligationi suae promittat. Sic ex eadem bulla *Bened. XIV.* (¹)

Nota: In multis locis de jure particulari datur obligatio denuntiandi quemcumque sacerdotem ad turpia sollicitantem, licet non sit confessarius (¹), vel absque ulla relatione ad confessionem sollicitaverit. (²)

Quaesita:

590. — Quaer. 1° *An poenitens teneatur ad denuntiationem, si ipse consenserit in sollicitationem?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia lex est generalis et nullatenus videtur casum hunc excipere; non enim inde minuitur crimen sollicitantis et periculum animarum, ut patet. Nec obstat, quod poenitens de jure naturali non teneatur seipsum accusare; nam ordinarie potest bene sollicitantem denuntiare, quin fateatur, se sollicitationi consensum dedisse. (³) — *S. Lig. n. 700.*

Quaer. 2° *An denuntiandus sit confessarius, qui consensit poenitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit?*

---

correctio vel alia monitio praemissa fuerit, vel denuntiatio juridice probari nequeat, vel crimen occultum, vel criminosus vir bonae famae vel jam ab aliis denuntiatus sit vel sponte coram judice comparuerit. *(C. S. O. d. d. 26. Julii 1628.)* — V. *Giraldi l. c. ad reg. 12.* — *S. Lig. n. 695 — 698.*

Excipe: a. Si dispensatio super denuntiatione facienda a S. Sede impetrata fuerit.

b. Si sollicitatio dubia sit, nisi tamen indicia vehementia et communiter contingentia moralem certitudinem pariant. Hinc obligatio denuntiandi adest, si v. g. sensus verborum de se indifferentium jam per actus subsequentes inhonestos sufficienter determinatur (infra *n. 594. Q. 7°.* — *S. Lig. n. 702.* — *Scav.* — *Prop. 6. Alexandri VII.*); non vero, si quis tale factum a personis levibus, fide non dignis, audivit. *(C. S. O. ad dub. 14.)*

c. Si denuntians exinde prudenter et probabiliter timeat malum vel incommodum extrinsecum vere grave sibi aut suis conjunctissimis. — *Ferraris ad v.* Sollicitatio *n. 40.* Hinc ex decreto *C. S. O.* in missionibus excusantur sollicitati, si superior competens, in longinquis degens, absque gravi incommodo adiri nequeat. — *Giraldi ib.* — Cf. etiam infra *n. 593. not. 2.* Non tamen sufficit magna verecundia vel maximus timor sine dispensatione S. Poenitentiariae. — *S. Lig. n. 699.*

Non obligatur praeterea confessarius, seipsum denuntiare vel poenitentem ab ipso sollicitatum de onere denuntiationis monere. — *Ferraris l. c. n. 38.*

Cf. quoque *prop. 7. Alexandri VII.*

5° Monendus est poenitens de obligatione denuntiandi, quamvis praevideatur non obtemperaturus, cum agatur de bono publico. — *S. Lig. n. 694.*

(¹) Denuntiatio regulariter intra mensem facienda est ex decreto *C. S. O. 10. Mart. 1677.* — *S. Lig. n. 693.*

Poenitens, qui sine sufficiente ratione denegat denuntiationem praefixo tempore faciendam, incurrit excommunicationem latae sententiae, a qua tamen facta denuntiatione, licet post debitum tempus, absolvere in Urbe cuivis confessario conceditur. Neque extra Urbem de jure communi haec excommunicatio reservata est; hinc, nisi episcopus vel inquisitor eamdem, etiam facta denuntiatione, reservaverint, post hanc denuntiationem cuique confessario absolvendi potestas competit. — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 809. p. 627.* coll. *Thesaurus, de poenis eccl. cum addit. Giraldi p. 2. ad v.* Denuntiare *Not. 3.* — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1606.* Vix vero aliud ex responso *S. Poenit. d. d. 22. Mart. 1832.* colligetur, cujus meminit *Scavini t. 3. n. 486.*, quin textum afferat.

Diximus: *sine sufficiente ratione;* nam sufficiens ratio etiam dilationem ultra mensem licitam facit, ut innuit *Benedictus XIV.* in const. *Sacramentum §. Meminerint* et consequitur ex dictis in *nota praecedente sub 4°. c.*, ex *not. ad n. 593. etc.*

(¹) Cf. tamen *not. 3. ad I. sub 3°.*

(²) Sed plures canonistae, praesertim recentiores, negant, episcopum hujusmodi statutum ferre posse, quia, cum ex jure canonico (in genere) nullus sacerdos ab episcopo damnari possit, nisi legitimis testibus et (ordinariis) probationibus convictus fuerit, delictum occultum minime punire potest nec contra reum procedere, ob defectum omnis probationis canonicae et juridicae. — V. *Stremler, Traité des peines ecclésiastiques 1re partie ch. 4.* — *Craisson, Manuale juris can. n. 3826. 3828. 3844.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1866. et seq. etc.* (Nota auctoris in edit. rom. anni 1866.)

(³) Cf. *notam* ad *n. 598. 5°.*

Resp. Negative. Ratio est, quia non habetur tunc vera sollicitatio, sed solus consensus in peccatum. — *S. Lig. n. 681.* et *alii communiter.* (1)

591. — Quaer. 3° *An urgeat obligatio denuntiationis, si reus sit emendatus, vel si a multo tempore sollicitatio habita fuerit?*

Resp. ad 1um *Affirmative,* quia Pontifex non intendit solam rei emendationem, sed etiam ejus punitionem, ad damnum Ecclesiae resarciendum scandalumque reparandum. (2)

Resp. ad 2um *Affirmative* pariter, ob easdem rationes: nam, si non esset denuntiandus, qui a multo tempore crimen commisit, ratio sane foret, quia censeretur jam emendatus; sed non valet haec ratio, ut modo dictum est. Insuper quis determinare posset, quodnam esset longum aut parvum tempus? Attamen illa circumstantia superiori manifestanda foret. — *S. Lig. n. 686.* (3)

592. — Quaer. 4° *An sit obligatio de jure ipso naturali, sacerdotem corruptorem denuntiandi?*

Resp. Affirmative aliquando, scilicet, ubi agitur non solum de confessario, sed de sacerdote valde periculoso, seu de eo, qui magnum praebet scandalum aut multos fideles jam corrupit aut corrupturus praevidetur. Tunc enim habetur instar lupi in ovili, quo viso omnes absque mora clamare debent. (1)

Quaer. 5° *An excusetur poenitens a facienda denuntiatione ob timorem, ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati?*

Resp. Negative. Ratio est, quia molestia haec minimi facienda est in re tanti momenti ad bonum commune spectante. Non enim comparari potest malis innumeris maximisque ex corruptione sacerdotis provenientibus.

593. — Quaer. 6° *An deneganda sit absolutio poenitenti, qui sacerdotem sollicitantem denuntiare recusat?*

Resp. Affirmative; secus enim lex inutilis et irrita plerumque evaderet. Confessarius igitur procurare debet prudentiori, quo potest, modo, ut denuntiationem faciendam curet, absolutionem differendo vel etiam denegando poenitenti obtemperare recusanti. (2)

---

(1) Sed obstat decisio *C. S. O. d. d. 11. Febr. 1661. Ad dub. 9.* enim: An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus? *resp.: Censuerunt, esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.* — Cf. etiam *Ferraris ad v.* Sollicitatio *n. 32.* cum nota rom. theol.

Excusabitur tamen saepe poenitens, qui sollicitavit permittente, ideoque consentiente confessario, quin hic iterum sollicitet, ob periculum grave infamationis, quod pro ipso timendum. — *Scav. t. 3. n. 580. ad 9.*

(2) Imo, ex decis. *C. S. O. ad dub. 13.* denuntiandus etiam est, si propter sollicitationem alterius jam abjuravit i. e. si propter aliquam praecedentem sollicitationem jam coram inquisitore comparere et per juramentum a suspicione haereseos se purgare debuit.

(3) Adde, „puellam sollicitatam, in simplicitate constitutam et absque notitia inhonestatis, tenere denuntiare confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit." — *C. S. O. d. d. 11. Maji 1707.* apud *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 809.* vel *Animadv. ad Barbosa, de parocho p. 2. c. 19. n. 62. ad reg. 12. sub 8.*

(1) Ita in genere. Exceptiones ex iis, quae alibi de hac materia disseruntur, desume.

(2) *Cardinalis Albitius (de inconst. in fide c. 35.)* haec habet: „Fuit resolutum „*28. Jun. 1597.* et *28. Febr. 1598.* et „*15. April. 1612.*, quod, quando mulier „est nobilis et verecunda *in Urbe* (Romae) „nec potest induci ad deponendum, con„sulatur S. Congregatio. — Si vero *extra* „*Urbem,* consulatur episcopus vel inquisi„tor, qui, si habent difficultatem, consulant „S. Congregationem; sin minus, dent fa„cultatem confessariis absolvendi poenitentem, quae justis de causis denuntiare re„cuset; quae tamen debet absolvi sub con„ditione, quod cessantibus causis teneatur „hoc facere, ac etiam non adire ampliam „confessarium, a quo fuit sollicitata." — (Nota auct. ex prioribus editionibus.)

Nota: In locis, ubi non urgetur observatio decretorum Pontificiorum, quid in iis casibus agendum sit, ab episcopo resciendum est. (1)

594. — Quaer. 7° *An denuntiandus sit confessarius, qui in confessione postulavit a muliere, ubi habitet, si postea eam domi sollicitaverit?*

Resp. Affirmative, quia, licet quaestio facta in confessione videatur indifferens, postea tamen ex circumstantiis cognoscitur, eam appositam esse ad sollicitandum. — *S. Lig. n. 676.*

Quaer. 8° *An sit denuntiandus sacerdos, qui rogatus a muliere, ut ejus confessionem audiat, eam sollicitat?*

Resp. Affirmative, quia sollicitatio vere confessionis occasione facta est. — *S. Lig. n. 678.* (2)

595. — Quaer. 9° *An sit denuntiandus, qui, cognita in confessione mulieris fragilitate, postea eam domi sollicitat?*

Resp. Affirmandum videtur (1). Ratio est, quia sollicitatio oritur ex notitia confessionis, ergo occasione confessionis. — *S. Lig. ibid.* vocat hanc sententiam *probabiliorem,* quin videatur oppositam ut *probabilem* habere.

Quaer. 10° *An sit denuntiandus confessarius, qui mulierem de pulchritudine laudat?*

Resp. Hoc dignoscendum est ex loquendi modo aut ex aliis circumstantiis. Etenim, si videatur agere ex pravo affectu, denuntiandus est; secus vero, si ex quadam imprudentia vel ex mera levitate loquatur. (2) — *S. Lig. n. 703.* cum *Escobar.*

596. — Quaer. 11° *An facile fides sit adhibenda mulieribus sacerdotem de sollicitatione accusantibus?*

Resp. Negative, sed sedulo pensandae sunt tum confessario, tum superioribus variae circumstantiae rerum et personarum. Non semel enim visae sunt mulierculae, quae ex invidia, odio, zelotypia aliove motivo perverso clericos prorsus innocentes atrociter calumniatae fuerint. Omnia igitur adjuncta maturo examine pensanda sunt, praesertim quando mulieres videntur facile praecepto denuntiationis faciendae obtemperantes. (3)

Posset tamen confessarius etiam directe recurrere ad S. Poenitentiariam, ut, quid faciendum sit, resciat. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1606. 2318.*

Ceterum haec intellige, si rationes sufficientes, ob quas denuntiationem recusare vel differre licet, desint vel dubiae appareant. — V. *n. 589. II. not. 1.*

(1) Constitutiones Apostolicae contra sollicitantes obligant ubique. — Const. *Etsi pastoralis Ben. XIV. d. d. 26. Maji 1742. §. 9. n. 5.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1878.* Censemus vero, easdem per consuetudinem contrariam abrogari non posse; talis enim consuetudo esset fomes peccati et vix non nervum disciplinae ecclesiasticae disrumperet: ideoque consensus legislatoris prudenter praesumi nequit. — Cf. *p. 1. n. 137. II.*

Notat tamen *Giraldi (l. c. ad reg. 12.),* eos, „qui in partibus schismaticorum etc. degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati, atque mulieres sine periculo et infamia denuntiare nequeant, denuntiatos vero facile poenam declinare posse credatur, recurrendo vel ad episcopos schismaticos vel ad laicos judices infidelea, ex decr. *C. S. O. d. d. 21. Febr. 1630.,* attentis supradictis causis, absolvendos esse et liberandos ab hujusmodi onere denuntiandi; moneri tamen debere, ut *cessantibus supernarratis periculis et impedimentis teneantur denuntiare.*"

(1) Cf. *n. 589. I. not. 3. sub 1°. a.*

(1) Affirmandum certo, dummodo sufficienter constet, motivum sollicitandi revera ex confessione sumptum esse. — V. *locum in not. praeced. alleg.*

(2) Resp. ad hoc quaesitum *C. S. O. sub n. 12.: Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem; si vero secus, non esse probabilem.*

Et idem responsum valere decrevit quoad alterum dubium *sub n. 16.*, an scil. denuntiandus sit confessarius, qui audiens confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse.

(3) De reservatione peccati falsae accu-

Nota: Superiores, cognita certo criminis veritate, valde caute procedere debent, ut reum corripiant pro delicti gravitate, nec promiscue culpam jam dudum praeteritam vel casu ex fragilitate habitam sicut recentem vel ex consuetudine commissam puniant; item, ut simul bono religionis, sacerdotii et rei ipsius consulant, scandala et rumores praecavendo, in quantum fieri potest.

597. — Quaer. 12° *Quaenam sint poenae contra sollicitantes?*

Resp. Statuitur in const. *Gregorii XV.* „pro criminum qualitate et circumstantiis" poena „suspensionis ab exsecutione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, necnon vocis activae et passivae, si regulares fuerint etc.", quae poenae, ut patet, sunt ferendae sententiae. Et sub *5. Aug. 1745. Benedictus XIV.* hisce poenis per decretum *C. S. O.* addit perpetuam inhabilitatem ad missae celebrationem. — *S. Lig. n. 705.* (¹)

---

sationis super sollicitatione v. infra *n. 953. 4°*.

Duo alia monita subjungimus ex *Instructione pastorali Eystettensi*, quae sub *tit. 11. c. 4. §. 5. n. 7.* haecce inter cetera habet:

„Sacerdotes, in cura animarum minus periti, tales casus, si commode fieri potest, non decidant, sed poenitentem ad confessarium morum pietate et scientia conspicuum mittant" (vel, si id fieri nequit, cum debitis cautelis peritum consulant. — Editor.) . . .

„Abstineat prorsus confessarius a nomine sollicitantis inquirendo, etiamsi de circumstantiis poenitentem (in confessione) interrogare teneatur."

(¹) Controvertitur, utrum interdictum illud statim ipso facto incurratur. Alii censent, illud statim incurri; alii vero sententiam judicis declaratoriam praerequirunt, inter quos *S. Lig. n. 705.;* alii denique sentiunt, eam inhabilitatem esse ferendae sententiae, atque allegant decisionem *S. Poenit. 10. Febr. 1785.* — In praxi autem, cum de poenis agatur, sententia benignior sequenda videtur. — (Nota auct.)

Notat tamen *Scavini (tom 3. n. 482. not. 2. edit. 10.)* ex relatione *Panzuti, de poenit. ad n. 380.*, S. Poenitentiariam bis declarasse, praefatam inhabilitatem esse ferendae sententiae.

598. — Quaer. 13° *Quomodo facienda sit denuntiatio?*

Resp. Sic hac de re *Scavini (t. 3. n. 486.)*(¹): „Forma juridica et ordinaria pro denuntiationibus peragendis haec est, ut ab ipsa persona sollicitata semper adeantur ordinarii locorum, vel inquisitores, et ibi publici notarii opera adsumatur. Sed pro casibus particularibus, ut si persona sollicitata induci nequit ad denuntiationem personaliter peragendam, quia vel timet, vel rubore afficitur, vel aegrotat, vel alio impedimento aut gravi incommodo detinetur, id agere debet (et verius) per epistolam vel internuntium, proprium nomen et cognomen subscribendo. Ceterum ex indulto S. Inquisitionis, annuente Pontifice, facta est facultas episcopis et inquisitoribus, delegandi ad denuntiationes excipiendas quemcumque confessarium, qui bene instruatur et juramentum emittat *de silentio servando et fideliter munus sibi commissum exercendo.*" (²)

(¹) ex synodo postrema Novariensi —

(²) Addimus quoad modum denuntiationis faciendae et procedendi contra accusatum:

1° Distingue in hac materia *denuntiationem in latiore sensu*, qua superior (episcopus nempe vel inquisitor) modo debito certior fit de delicto, ut cetera disponat, et *denuntiationem stricte talem*, qua scilicet ille, qui denuntiare obligatur, de crimine tamquam testis edicit modo juridico, a lege praescripto, quae duo sane non necessario separari, distingui tamen debent.

Denuntiatio porro in genere facienda est regulariter apud ordinarium loci vel apud inquisitores per denuntiantem ipsum. Quod si fiat per literas vel (si denuntians scribere nequit) ex commissione ejusdem per aliam personam, v. g. per confessarium, viva voce, nomen denuntiantis celari nequit nec liberatur denuntians ab onere, personaliter comparendi coram tribunali ecclesiastico vel saltem coram sacerdote ad hunc finem specialiter delegato, ut denuntiatio in forma requisita cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis literis mandetur. Ordinario enim jus competere, delegandi ad hunc finem aliquem sacerdotem pro

CAPUT II.

DE OFFICIO MINISTRI.

1° In confessione; 2° post confessionem.

ARTICULUS I.

DE OFFICIO MINISTRI IN CONFESSIONE.

Agendum: 1° de muneribus confessarii in genere; 2° de ejus agendi ratione cum variis poenitentium generibus.

§. I.

De muneribus confessarii.

Quadruplex confessarii munus seu officium adsignatur, scilicet 1° patris; 2° medici; 3° doctoris et 4° judicis.

PUNCTUM I.

De officio patris.

599. — Confessarius est pater spiritualis, qui spiritualem vitam poenitenti tribuit, aut reficit et fovet, quia in tribunali poenitentiae vices gerit

---

confessionibus approbatum, ex dictis in textu constat; parce tamen ordinarii hac facultate utantur, ut monet edictum *C. S. O. d. d. 7. Julii 1725.* apud *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 809.* vel *Animadv. ad Barbosa, de par. p. 2. c. 19. n. 62. sub 17.*

Denuntiatio anonyma (quin scil. nomen denuntiantis manifestetur) *omnino nulla est*, licet confessarius testetur, denuntiantem omnem fidem mereri. — Cf. *p. 1. n. 447. IV. not. ult.*

Ceterum confessarius huic negotio non se ingerat, v. g. certiorem faciendo superiorem, nisi justa causa adsit, et sigilli sacramentalis meminerit. — *S. Lig. n. 699.*

2° Episcopi ex hodierno jure quoad hoc crimen sunt delegati Sedis Apostolicae et procedunt contra sollicitantes juxta formas servandas quoad eos, qui de fide suspecti sunt. — Cf. const. *Greg. XV.* Hinc:

a. Nemo se quoad hanc materiam ab ordinarii tribunali exemptum praetendere potest.

b. Admittuntur testes, qui in ordinaria forma juris excluduntur, et quorum nomina nulli, ne quidem ipsi accusato, manifestare licet.

c. Consulitur vero juribus accusati per majorem numerum testium et probationum, quae ad condemnationem requiruntur.

Quodsi aliquando denuntiatio fit immediate *C. S. O.* per literas, hae „solent remitti inquisitoribus vel episcopis, ut, accersito ad se scribente, faciant eas ab eo recognoscere medio juramento, interrogent super contentis in illis in specie, et, redactis in formam denuntiationis, apponant in initio processus ac de contentis in eis examinent testes informatos.“ — *Albitius, de inconst. in fid. c. 35. n. 21.*

Haec denuntiatio vero facienda est superiori loci, in quo versatur poenitens, etiamsi confessarius sollicitans ad aliam dioecesim pertineat. Ipsius enim est excipere juratam denuntiationem eamque ad episcopum rei, si diversus sit, transmittere. — (Edit. rom. hujus comp. anni 1866. *n. 598. not. 2°.*)

3° Admittuntur etiam testes singulares, cum tale crimen sane raro per contestes probari possit. Appellantur autem *contestes* illi, qui de uno eodemque ipso facto testantur; *testes singulares* econtra, qui super factis numero diversis (licet forte ejusdem speciei) testimonium dicunt, ita ut quilibet sit singularis in suo dicto. — Sed advertendum ex const. *Greg. XV.:*

a. non sufficere tunc solos testes, sed „praesumptiones, indicia et alia adminicula“ accedere debere, ut sic delictum *certo* cognoscatur;

b. competere in tali casu ordinario, audire testes et instruere causam; sed judicium, num testes illi singulares et indicia, quae habentur, ad probationem criminis sufficiant, S. Sedi reservatum esse.

4° Potest etiam (et expedit, si prudentia non permittit, alii id demandare, ut v. g. in monasteriis mulierum — *Giraldi l. c. ad reg. 12. — Anal. J. P. ser. 2. col. 1606.*) confessarius denuntiantis specialiter delegari, ut depositiones in legali forma literis consignet; sed agit tunc non qua confessarius, sed qua delegatus ordinarii.

5° Qui sollicitavit, caveat omnino, ne, referens factum, sigillum sacramentale laedat, quod si fieret, tale effatum literis non consignetur.

Praeterea neque denuntians, neque denuntiatus obligantur edicere, num sollicitatus consenserit, et de hoc non sunt interrogandi; imo, quae hac de re fatentur, in genere non referantur in acta. — *Instr. C. S. O. d. d. 27. Sept. 1624.* apud *Giraldi l. c. sub 15.*

Dixi: *in genere;* ex instructione enim ejusdem *S. C. d. d. 29. Jan. 1752.* actis inserenda sunt, quae denuntiantes sponte et sine praecedente interrogatione de effectu sollicitationis profitentur, cum talis effectus augeat delictum; item quae sollicitans (salvo tamen in omni casu, ut per se patet, sigillo sacramentali) de hac circumstantia non interrogatus edicit, modo ante denuntiationem per alios factam

optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi, et ideo a poenitentibus dulcissimo patris nomine compellatur. Illud autem, quod in vero patre imprimis eminet, est insignis et inexhausta caritas. Qualis enim dilectio patris dilectione fortior, qualis verior, purior, castior, constantior, sollicitudine plenior et a proprio commodo magis aliena, imo et ad omne privationum et incommodorum genus paratior et promptior? Talis igitur esse debet confessarii caritas, ita ut „indutus viscera misericordiae Christi „Jesu, qui non venit vocare justos, „sed peccatores, sciat *studiose, patienter et mansuete* cum peccatori„bus agere.“ *(Leo XII.* in bulla pro jubilaeo magno *anni 1825.)* — Sic bonus pater pro filiis spiritualibus omnia sustinebit: *caritas* enim *patiens . . . omnia suffert . . . omnia sustinet. (1. Cor. 13. 4. et seq.)*

Confessarius debet esse caritate plenus erga poenitentes tum in principio, tum in decursu, tum in fine confessionis. De his audire juvat loquentem ipsum *S. Ligorium* in *Praxi confessarii* in fine operis theologici majoris, necnon in *Hom. apost. tract. 21.*

600. — I. *In principio confessionis.* „Primo caritatem adhibere „debet (confessarius) in benigne ex„cipiendo omnes, sive pauperes, sive „rudes, sive peccatores sint. — Non„nulli solummodo tempus insumunt in „audiendis confessionibus antiquorum „devotorum aut personarum specta„bilium, quia, ut hos a se repellant, „non est eis tantus animus: si tamen „ad ipsos aliquis miserabilis peccator „accedat, aegre auditur et conviciis „oneratus arcetur; unde fit, ut ille „miser, postquam sibi maximam vim „intulit, ut ad sua peccata confitenda „veniret, se tam aspere acceptum sen„tiens, odium in poenitentiae sacra„mentum concipiat, et desperans, se „posse invenire, qui ipsi opituletur et „eum absolvat a peccatis, in perditae „vitae lubricum laxis habenis praeceps „ruat et in salutis desperationem in„cidat. Secus boni confessarii agunt. „Cum ad illos hujusmodi peccatores „confluunt, benigne eos accipiunt, et „quasi *victor capta praeda* exsul„tant, perpendentes, sibi contigisse, „animam de manibus daemonis eripere. „Sciunt, hoc sacramentum proprie non „fuisse pro justis institutum, sed pro „peccatoribus; etenim veniales culpae, „ut remittantur, non indigent sacra„mentali absolutione, cum multis aliis „modis deleri possint. Sciunt quoque, „Christum protestatum fuisse his ver„bis: *Non enim veni vocare justos, „sed peccatores. (Marc. 2. 17.)* Pro„pterea confessarius viscera miseri„cordiae induens, quo magis animas „peccatorum multitudine et atrocitate „coinquinatas reperiat, eo magis, ut

---

ipse sponte sese accusans compareat. Tandem sollicitans etiam de hoc interrogari posse videtur, si denuntiantes voluntarie et sine ulla interrogatione de dicto effectu pro testimonio jam dixerunt. — V. *Anal. J. P. ser. 2. col. 2677. et seq.*

6° Si vero testis omnino recusat onus denuntiationis subire, etiam apud confessarium extra confessionem et quamvis ipsi denegetur absolutio, vel petenda est (quod per confessarium ipsum fieri potest, ut jam innuimus) a S. Poenitentiaria dispensatio ab onere denuntiationis, quae aliquando conceditur *(S. Lig. n. 699. sub fine),* vel facultas impetranda, ut denuntiatio immediate S. Sedi fieri possit, differendo interea absolutionem poenitentis. — Cf. supra *n. 593. cum not.*

7° Omnes tandem, qui ad processum cooperantur, sub gravi silentium tenere obligantur, etiam post sententiam, quae obligatio juramento firmanda est. Insuper ad laesionem secreti praecavendam a superiore in primo actu juridico excommunicatio latae sententiae et ipsi reservata edici solet (non tamen debet, ut videtur), quae quoad confessarium delegatum et denuntiantem etiam Summo Pontifici reservari potest. — Cf. *Giraldi l. c. sub 18.* et *Anal. J. P. ser. 4. col. 1872. coll. 1875.*, ubi inter alia de hac materia invenies etiam modum procedendi pro confessario, ad depositiones poenitentis juridice consignandas delegato.

„Deo ipsas lucrifaciat, majore cari„tate eas amplectatur, eisque auxilium „praebeat his aut similibus verbis: „*Eja, frater, bono animo esto, noli „timere; peccata tua impavide con„fitere! Aperi omnia confidenter, „nullius te pudeat: nihil refert, si „in omnes conscientiae tuae sinus „non introspexeris: sufficit, si ad „interrogata respondeas. Age Deo „gratias, qui te hucusque ad poeni„tentiam exspectavit. Nunc tibi mu„tanda est vita. Laetare, quia certe „Deus omnia peccata, quantumvis „ingentia, tibi remittit, si bonam „habes voluntatem, ideoque te exspe„ctavit, ut tibi parceret: igitur hilari „animo dic omnia, nil involucris „tegas . . .*“ (*Praxis conf. n. 3.*)

601. — II. *In decursu confessionis.* „Caritatem longe majorem osten„dere debet confessionem excipiendo. „Caveat, ne se impatientem aut tae„dio affectum exhibeat (¹): nec osten„dat admiratione percelli de peccatis, „quae narrantur, modo poenitens non „sit adeo durus aut petulans, ut plura „et atrocia peccata sine ullo rubore „et sine ulla displicentia animique „sensu exponeret; quia tunc opus „habet pro viribus efficere, ut a poe„nitente, quanta sit illorum deformi„tas et magnitudo, percipiatur, ideo„que tunc acrior requiritur correctio, „ut ipse a lethali lethargo expergefiat. „Verum quidem est, quod in actu con„fessionis abstinere debent confessarii „a correctione facienda, ne forte ex„territi poenitentes peccata reticeant: „nihilominus hoc intelligitur regula„riter loquendo; ceterum multoties „expedit, ad ulteriora non procedere „et statim poenitentem corripere, prae„cipue cum confitetur peccatum valde „enorme, aut si ipse fuerit in aliquo „vitio habituatus, ut peccati gravita„tem comprehendat. Advertat tamen, „ne eum exasperet nec perterreat. „Quapropter, postquam eum, quantum „opus fuerit, correxerit, statim ei ani„mum faciat ad reliqua peccata con„fitenda, dicens: *Eja, frater, vis ab „hoc vitio resipiscere? Num ita est? „Et quoniam hoc facere es paratus, „esto animo hilari. Itaque enarra „reliqua peccata, nihil reticens. Igi„tur dic omnia animo forti; con„fitere omnia sincere; Deus enim „paratus est tibi parcere . . . . .*“ (*n. 4.*)

602. — III. *In fine confessionis.* „In fine confessionis oportet quoque, „ut confessarius vehementiori ardore „ac studio incumbat, ut poenitenti „percipere faciat gravitatem et multi„tudinem ejus peccatorum ac miserum „damnationis statum, in quo reperi„tur; sed hoc semper maxima cum „caritate faciat. Verumtamen est con„gruentius, tunc verbis gravioribus „uti, ut sic melius ad bonam mentis „frugem redire possit; nihilominus „efficere debet, ut poenitens intelligat, „quod ei dicitur, non ab animo irato, „sed ex singulari amore et commise„ratione erga suam animam procedere, „quod poterit hoc modo exprimi: „*Fili mi, percipisne malum, quod „operatus es? Quid tibi mali fecit „umquam Deus tuus, quem tu ita „perdite contempsisti? Si Jesu Chri„sto nullus fuisset tibi inimicior, „potuisses cum illo te gerere pejo„rem? Sed, quaeso, animadverte, „quis sit hic Jesus? Hic est ille, „qui, cum esset Deus, nullius egens, „factus est homo propter te; voluit „mori in cruce, ut te de inferno red„imeret. Ah! fili, si interim mor„tuus esses, si in hac nocte, quo „iturus fuisses? Ubi nunc esses? „Esses in aeterno igne inferni. Quid „de te factum erit, si vitam hac„tenus ductam pergas in posterum „vivere? Poteris sic salvari? Ex-*

(¹) Si confessarius animos poenitentium conciliare velit, patientia ipsi necessaria est, maxime cum quibusdam fastidiosis, timidis, scrupulosis, inurbanis, in narratione prolixis, saepius recidivis etc. Tunc praesertim valet: *Patientia opus perfectum habet. (Jac. 1. 4.)* — *Scav.*

„*pergiscere et vide, quod, nisi mo-*
„*res in melius mutes, jam es da-*
„*mnatus. Quid boni ex tot pecca-*
„*tis tibi collegisti? Age, fili, recede*
„*a malo, desine peccare et te totum*
„*in Dei brachia, quae ad te susci-*
„*piendum sunt extensa, committe:*
„*sufficit, quantum ei peccasti! Ego*
„*toto corde et totis viribus te ad-*
„*juvare volo; veni ad me semper,*
„*ac tibi lubet, quoniam invenies pa-*
„*trem, qui te benigne suscipiet. En*
„*firmiter nunc statue, te velle san-*
„*ctum effici. Per te stat. Deus*
„*enim semper paratus est et propter-*
„*ea tibi hoc tempus impertitus est,*
„*ut avertas te a malo et facias bo-*
„*num. O quam bonum est, habere*
„*amicum Deum!* . . ." (*n. 5.*)

PUNCTUM II.

De officio medici.

Confessarius est verus animarum medicus, cum ipsas variis peccati morbis eripere, pravis passionum affectibus adimere et divinae gratiae restituere debeat. Confessarius igitur ut peritus medicus debet 1° causam mali cognoscere; 2° illud sanare; 3° relapsum praecavere. Audiamus iterum *S. Ligorium (Prax. conf.).*

603. — I. *Confessarius debet causam morbi cognoscere.* „Confessario,
„ut sui poenitentis infirmitatibus re-
„mediis opportunis occurrat, cogno-
„scenda est origo et causa omnium
„ejus spiritualium morborum. Non-
„nulli praeter species et numerum pec-
„catorum nihil aliud inquirunt: si
„poenitentem dispositum vident, sta-
„tim eum absolvunt; sin minus, quin
„unum verbum impendant, illico di-
„mittunt, oculo retorto dicentes: *Dis-*
„*cede a me, quia te absolvere non*
„*possum.* Aliter procedunt boni con-
„fessarii: hi enim prius investigare
„incipiunt morbi originem et gravi-
„tatem, interrogando de peccati con-
„suetudine, de occasionibus, de tem-
„pore, de loco, de personis quibus-
„cum, quo rerum concursu. Sic enim
„melius poterunt poenitentes corrigere,
„eos ad absolutionem disponere et
„remedia salutaria adjungere." (*n. 6.*)

604. — II. *Debet morbum sanare.*
„Cognita morbi origine et gravi-
„tate confessarius procedat ad debitas
„animadversiones faciendas. Et quam-
„vis ipse debeat tamquam pater cum
„caritate poenitentes auscultare, tamen
„ut medicus tenetur, quantum opus
„est, eos monere et corrigere, eos
„praesertim, qui multis mortalibus
„gravati ad poenitentiae sacramentum
„raro accedunt. . . . Nec confessarius
„debet tunc attendere alios poenitentes, qui ipsum circumstant. Nam,
„ut ajebat S. F. Xaverius, melius est
„paucorum confessiones rite factas
„audire, quam multorum inordinatas
„et sine fructu. Hic animadvertere
„oportet, quam perperam agant illi
„confessarii, qui, si poenitentem in-
„dispositum nanciscuntur, ne cum illo
„aliquid insumant temporis, statim a
„se eum abire jubent. . . . Et parum
„refert, quod alii exspectent aut in-
„confessi discedant; confessarius enim
„de hoc tantum, qui sibi nunc con-
„fitetur, non vero de aliis in die ju-
„dicii rationem reddere debet. . . ." (*n. 7.*)

„Post debitas correctiones aut mo-
„nitiones praestat, ut laboretur ad
„disponendum poenitentem ad absolu-
„tionem per actus veri doloris et pro-
„positi; quocirca monitos esse volo
„confessarios, perpaucos illos esse
„poenitentes, praesertim rudes, qui
„praeposito actu doloris ad confiten-
„dum accedunt. Nonnulli confessarii
„putant satis muneri suo fecisse, si
„dumtaxat hujusmodi poenitentes se-
„quenti modo interrogent: *Eja, po-*
„*stulasne a Deo veniam de omnibus*
„*his* (quod revera non est verus actus
„doloris): *te poenitet ex corde omnium*
„*peccatorum?* et nullo alio verbo in-
„terposito absolutionem eis elargiun-
„tur. Totum ab hoc aliud est bo-
„norum confessariorum institutum. Hi
„enim imprimis elaborant, ut poeni-

„tentes (sermo est de iis, qui letha„libus tenentur) verum dolorem et de„testationem peccatorum concipiant. „Et prius per attritionis actum eos „praeparant: v. g. *Fili mi, ubi nunc „esse deberes in aeternum? In in„ferno. Ah! in illo igne cruciandus „esses! Nec tibi amplius spes resta„ret, ut illinc eripi posses! Ibi „esses moraturus ab omnibus dere„lictus, a Deo rejectus per totam „aeternitatem! Igitur te poenitet „Deum offendisse propter infernum, „quem meruisti?* Postea curet, ut „eliciatur actus contritionis hoc modo: „*Fili mi, quid egisti? Peccasti in „Deum summum et infinitum bonum: „nullam illius rationem habuisti. „Avertisti faciem ab eo: projecisti „eum post tergum tuum: contempsi„sti amicitiam et gratiam ejus. Eja „ergo, quia offendisti Deum, boni„tatem infinitam, nunc ex toto corde „te poenitet? Detestare et odio habe „super omnia mala omnes injurias, „quibus immerito Deum tam bonum „affecisti. Nonne jam promptus es „millies mori, quam haec in poste„rum committere? . . .*“ *(n. 10.)*

605. — III. *Debet relapsum praecavere.* Relapsum praecavebit confessarius adsignando poenitenti remedia morbi convenientia. Remedia autem sunt generalia vel particularia.

1° *Remedia generalia* sunt: oratio pia et amor erga Deum; — invocatio frequens B. Mariae Virginis, sancti angeli custodis et sancti protectoris; — frequentia sacramentorum et confessio, statim ac mortale aliquod commissum est; — consideratio veritatum aeternarum, praesertim mortis et finis ultimi, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis (Eccli. 7. 40.);* — recordatio Dei praesentis, cum urget tentatio, dicendo: Deus me videt; — examen conscientiae vespertinum cum animi dolore et proposito; — oratio mentalis et piae lectiones, praesertim sacerdotibus commendandae.

2° *Remedia particularia* adsignabuntur pro vitiorum diversitate: v. g. illi, qui aliquo odio tenetur, insinuetur, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit, recitando pro ipso orationem dominicalem etc. Et cum turbatur memoria injuriae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. Illi, qui in peccata turpia lapsus est, injungatur, ut otium vitet, malos socios et pravas occasiones fugiat. Illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, praescribatur, ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili sunt tamquam proximae. Potissimum autem curet confessarius, ut hic frequenter communicet, cum eucharistia dicatur *vinum germinans virgines.* Et sic de aliis.

Alia remedia adsignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum etc. Prudentia enim est praecipua qualitas, quae in medico perito eminere debet. — Vide *S. Lig., Prax. confessarii n. 15. 16.; Hom. apost. tract. 21. n. 5. 6.* (1)

PUNCTUM III.
De officio doctoris.

Confessarius, ut munus doctoris rite impleat, scientiam sufficientem habere debet, ut poenitentes convenienter doceat.

SECTIO I.
De scientia confessarii.

Principia:

606. — I. Confessarius tenetur sub gravi scire ea omnia, quae ad munus suum rite obeundum requiruntur. — *Ita omnes* cum *S. Lig.* in *Praxi confessarii* et in *Hom. apost.* (2), ubi sic loquitur: „Affirmo, in statu „damnationis esse eum confessarium, „qui sine sufficienti scientia ad con„fessiones excipiendas se exponit.“

(1) Cf. etiam supra *n. 535. App. sub III.*
(2) *tr. 16. n. 100.*

Ratio est, quia secus hujusmodi confessarius se exponit evidenti periculo male fungendi tanto munere cum injuria sacramenti, gravi damno proximi et magno animarum detrimento.

Idcirco Deus specialem scientiam a suis ministris exigit, ut constat ex variis sacrae scripturae verbis: *Labia ... sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Malach. 2. 7.* — *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Osee 4. 6.* — *Caecus ... si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt. Matth 15. 14.* — *Vae vobis, duces caeci! Matth. 23. 16.* — Constat etiam ex innumeris ss. patrum testimoniis: „Nulla ars doceri praesumitur, nisi „intenta prius meditatione discatur. „Ab imperitis ergo magisterium pa„storale suscipitur in magna temeri„tate, quoniam *ars artium est regi„men animarum.*" — *S. Greg., Reg. past. officii p. 1. c. 1.*

607. — II. Confessarius tamen non tenetur adeo perfectam scientiam habere, ut possit semper statim et per seipsum omnes occurrentes dubitationes solvere, sed sufficit, ut id possit in casibus communiter accidentibus et de difficilioribus sciat saltem dubitare. (¹) Major enim scientia difficilius haberi potest, cum nec ipsi doctiores statim omnes casus solvere queant. Neque etiam tenetur confessarius de singulis peccatis accusatis judicare, an sint mortalia necne, siquidem hoc saepe impossibile est; sed sufficit, ut singula audiat, prout gesta sunt, et de illis judicet tum juxta principia communia, tum juxta rerum adjuncta a poenitente exposita, et remedium idoneum apponere noverit. (¹) — *S. Lig. n. 627.*

Resolves:

608. — 1° Confessarius quilibet tenetur scire ea omnia, quae spectant ad valorem, substantiam, integritatem et effectum sacramenti poenitentiae, et quae ad licitam ejus administrationem tum ex parte sui, tum ex parte poenitentis requiruntur.

2° Scire debet etiam obligationes communes et proprias statuum, varias peccatorum species ipsorumque adjuncta speciem mutantia, principia discernendi inter mortalia et venialia, et quaenam sint mortalia et venialia in singulis praeceptis, saltem juxta principia generalia et communem theologorum sententiam; item, quinam sint actus validi et liciti. Oportet enim, ut cognoscat, quidquid judicare debet; alioquin aequum judicium ferre non poterit.

3° Cognoscere debet casus reservatos et censuras vigentes, impedimenta matrimonii, conditiones contractuum, varias causas restitutionis, radices et occasiones peccatorum, remedia ipsis afferenda, satisfactiones salutares et convenientes imponendas etc.

4° Peccat igitur graviter confessarius, qui scienter praedicta scientia caret, etiamsi ex sola caritate et obedientia confessiones audiat. Nec eum per se excusat approbatio episcopi; haec enim non dat scientiam ex natura rei debitam, nec ejus defectum supplet. — *S. Lig., Hom. apost. tr. 16. n. 100.*

(¹) In dubiis magis implicatis non solum consulendi sunt alii viri docti et majoris experientiae, debita venia (si opus sit), sed maxime episcopus audiendus est, si tempus suppetat. — *Scav.*

Aliquando etiam juvabit monitum, quod dat *Lugo disp. 21. n. 71.*: „Quando .. dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius vel quid simile, si confessarius non potest per seipsum id resolvere, erit bonum consilium, petere a poenitente, an sit paratus ad consulendos homines peritos et standum illorum judicio circa illud dubium: quod si poenitens promittit, absolvat, dicendo illi obligationem, quam habet, consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio."

(¹) Nec in omnibus eadem scientia requiritur, sed major vel minor pro diversitate locorum et poenitentium. — *S. Lig. ib.; Hom. ap. tr. 16. n. 100.*

609. — 5° Peccat etiam graviter superior, qui ignaro confessario veniam dat confessiones excipiendi, quia ejus peccato consentit atque cooperatur. (1)

6° Peccat graviter et ipse poenitens, qui scienter eligit confessarium respectu sui ignarum, quia non vult, sicuti oportet, dirigi in via salutis et sic grave damnum spirituale subit. (2)

Si tamen poenitens sit bona fide, valida erit confessio, quia ex parte poenitentis intervenit integra peccatorum declaratio et debita animi dispositio, et ex parte confessarii intervenit saltem cognitio peccatorum sub ratione confusa peccati, quod tantum ad materiam sacramenti exigitur.

7° Experientia non potest supplere scientiam, sed solum eam juvat; sine scientia autem non inservit, nisi ad fucum confessario faciendum et ad eum in errores innumeros inducendum, ita ut saepe tamquam principia habeat ea, quae controversiae subjacent aut etiam communiter negantur.

8° Confessarius igitur quilibet sedulo theologiae moralis studio incumbere et, ut asserit *S. Lig. (Hom. apost. tr. 16. n. 100.)*, „numquam „studium illud intermittere debet, quia „ex tot rebus diversis et inter se „disparibus, quae ad hanc scientiam „pertinent, multa, quamvis lecta, quia „rarius accidunt, temporis progressu „e mente decidunt, qua de re oportet „semper frequenti studio ea in men„tem revocare."

9° Hinc patet, quam graviter errent ii, qui scientiam theologiae moralis facilem et vix aliqua attentione dignam reputant, dictitantes, casus fere omnes aliquo sensu communi cum principiorum generalium notitia solvi posse. — *S. Lig.* (1)

---

(1) Possunt tamen deputari minus docti, si adest necessitas, v. g. si fideles secus per longum tempus confessario carere deberent. Sed monendi sunt de obligatione sedulo studiis incumbendi. — *S. Lig. n. 628.*

Addimus verba *Benedicti XIV.* in *Inst. 86. §. Secundo. Ipsos ad examen:* „Novimus enim, in confessariis optandam quidem eminentem scientiam, mediocrem tamen satis esse, quae ab *Innocentio* sic explicatur: *Scientiam reputamus eminentem, quae subtiles quaestiones discutere et definire novit, et in promptu responsiones habet. Ille habet mediocrem, qui scit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia nesciat respondere, et qui in libris veritatem eorum, quae scire tenetur, scit quaerere, etsi in promptu omnia non habeat.* Novimus etiam, in quibusdam dioecesis partibus probari debere scientiam inferiorem, quae scilicet neque ad mediocrem pertingit. Id sapienter advertit cardinalis *de Lugo (disp. 21. n. 74.)*, ut timidos ac religiosos episcopos consoletur."

Non praetermittit tamen *Lugo, ibidem* observare: „Deberet . . . praelatus admonere parochum de defectu scientiae, quem patitur, et de obligatione, quam habet, comparandi, si possit, doctrinam necessariam ad suum ministerium obeundum. *Hanc enim obligationem semper habet parochus et confessarius*, licet praelatus *ob necessitatem ovium* excusetur aliquando, mittendo ministrum minus sufficientem."

(2) Excipe, si poenitens sua doctrina possit supplere inscitiam confessarii.

Excipiendus praeterea „casus necessitatis, ut in articulo mortis, in quo, licet sacerdos sit ignarus et indoctus, debet audire confessionem et absolvere. Scientia enim confessarii requiritur ad integritatem confessionis; cum autem in illo periculo non requiratur materialis integritas, sed sufficiat, percipere aliquod peccatum vel etiam peccatum in genere, non obstabit confessarii inscitia in eo casu. Unde idem dicendum erit, quando christiani, qui apud infideles in servitute detinentur, non habent, nisi unum sacerdotem ignarum et indoctum, ut docet *Suarez n. 6.*, quia illa etiam reputatur necessitas moraliter extrema." — *Lugo l. c. n. 72. 73.*

(1) „Qui ad hoc munus excipiendi con„fessiones inhiant, non facile sibi persua„deant, quod satis idoneos ad tantum mu„nus se reddere possint sine diuturno „studio scientiae moralis, pro qua certe „non sufficit aliquam percurrere summu„lam earum, quae circumferuntur; nec „satis est, generalia principia hujus facul-

SECTIO II.

De obligatione docendi poenitentes.

Principia:

610. — I. Tenetur confessarius poenitentes docere ea omnia, quae pertinent ad sacramentum hic et nunc rite suscipiendum. Ex eo probatur, quod, cum sacerdos sit minister sacramenti, debet procurare ejus validam et licitam administrationem, ideoque tradere doctrinam hic et nunc necessariam.(1)

II. Tenetur etiam docere poenitentes, quae necessaria sunt ad totius vitae rationem, nempe ad vitam christiane agendam seu circa varias obligationes tum communes, tum particulares status, cum advertit, eas a poenitentibus ignorari. Ratio est, quia munus confessarii inducit obligationem ex jure naturali et ecclesiastico, poenitentes in via salutis recte dirigendi. — *S. Lig. n. 608. et seq.*

III. Non tamen *per se et stricte* illos instruere tenetur de omnibus, quae ipsi scire debent et aliunde scire possunt. Ratio est, quia munus doctoris de se pertinet tantum ad rectam administrationem sacramenti poenitentiae. *Per accidens* tamen posset esse vera obligatio ex caritate, si difficillime hanc scientiam aut per se, aut per alium poenitens sibi comparare posset. Parochus vero strictiori obligatione ad hoc tenetur. — *S. Lig. ibid.*

Quaesita:

611. — Quaer. 1° *An sit semper monendus poenitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem?*

Resp. 1° *Affirmative*, si ignorantia videatur *vincibilis*, i. e. si confessarius animadvertat, poenitentem ita dubitare, ut jam non adsit bona fides. Nullum enim tunc datur periculum in admonitione facienda, ut patet, cum poenitens peccare supponatur.

Resp. 2° Si ignorantia sit *invincibilis*, monendus est poenitens, si fructus ex admonitione speretur; secus vero, si non speretur, saltem generatim loquendo. Ratio est, quia ex una parte haec admonitio non prodesset, et ex altera ei obesset, siquidem admonitus in posterum formaliter peccaret. — *S. Lig. n. 610.* et *alii communiter.*

Hinc monendus est poenitens: 1° Quoties ipse interrogat de malitia alicujus rei(1), quia, cum de rei liceitate dubitet, jam non versatur in ignorantia invincibili.(2) — 2° Quo-

---

„tatis scire, ut quidam casuistas contemnentes autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est christianae reipublicae, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum, sed etiam summopere difficilis, tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium; tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quae nonnisi apud casuistas allatae inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum hujusmodi leges in dies prodeant. Demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet varietas: nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia, et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione vel accurata lectione plurium librorum, qui res examinant et dilucidant.“ — *S. Lig. n. 628.* (Nota auct.)

(1) Cf. *p. 1. n. 195. 196.* et *Gury, Casus consc. p. 2. n. 662. 663.*

(1) Prudenter tamen confessarius responsionem non ultra id, de quo poenitens interrogavit, extendat. — *S. Lig. n. 609. 7.; n. 616.*

(2) Excipit *Sanchez (de matrim. l. 2. disp. 38. n. 14.)*, quando poenitens mero scrupulo (scrupulum dicit dubium ex falsa seu futili ratione) ad interrogandum movetur; tunc enim censet, si monitio noxia fore praevideatur, posse confessarium tacere vel respondere, ut deponat ejusmodi scrupulum. Ratio, quia scrupulus non aufert bonam fidem. — Id autem *Lugo (disp. 22. n. 29.)* eatenus solum admittit, ut possit quidem confessarius fingere,

ıtium confessarii eum obfir-
proposito rei malae peragen-
dem ob rationem. — 3° Quo-
ignorantia versatur circa pri-
ıncipia juris naturalis aut
ıclusiones eorum proximas,
ignorantia diu haberi non
— 4° Quoties poenitens
ıitus in occasione proxima
peccandi remansurus esset.
g. n. 615. 616. (2)

divisse vel non attendisse vel
ıisse respondere, ut sic rema-
tens in illa bona fide, quam
ebat, non tamen auctoritate
ıfessarii confirmata (silentium
enim, proposita interrogatione,
enitens interpretaretur affirma-
At, si ratio interrogandi re-
ıtilis, v. g. si dubium moveat
ıte matrimonii, eo quod illud
it in statu peccati, vel tempore
etc., non apparet, cur confessa-
ex alia vera, sed poenitenti
sa scit, matrimonium esse in-
respondere non possit, rationem
inanem et vanum scrupulum.
ıdit. rom.)
ıs, idem in genere asseri posse,
verbis confessarii nil aliud con-
interrogantem sub his circum-
n peccare. Supponimus enim,
mnibus adjunctis (etiam pos-
quod poenitens postea, respon-
etiam silentio confessarii in-
ignorantia removenda forte
ıon sit) proportionatam causam
ınfitentem in bona fide relin-
Cf. etiam infra *Q. 3°. not.*
quoties ignorat scitu necessa-
tate medii, cum in his invin-
ırantia damnum spirituale non
— *S. Lig. n. 610.*
t *S. Lig. ib.:*
amnum redundaret in bonum
cum bonum publicum privato
debeat. Spes enim adest, poe-
ıandem se emendaturum esse,
e absolvitur; insuper scandalo
currendum; raro tandem talis
inculpabilis erit.
enitens brevi monitioni obsecu-
quamvis in principio non ac-

etiam motiva prae oculis ha-
bus hae exceptiones nituntur,
ıiculari casu decidas, utrum re-
exceptionem sequi debeas.

Quaer. 2° *An monitio facienda sit in dubio, utrum profutura sit vel obfutura?*

Resp. 1° *Affirmative*, si *probabilius profutura* sit; *secus*, si *probabilius obfutura.* — *S. Lig. n. 616.* — *Lugo d. 22. n. 31.* (1) — *Salmant. etc.* contra *plures.*

Resp. 2° In dubio ex utraque parte aequali generatim loquendo potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia. — *S. Lig. ibid.* et *alii.* (2)

612. — Quaer. 3° *An conjux monendus sit de invaliditate matrimonii ob occultum impedimentum, quod detegit confessarius?*

Resp. Negative generatim loquendo, donec confessarius dispensationem obtinuerit, nisi haec statim et facile obtineri possit a Papa vel episcopo. Ratio est, quia plerumque maxima inde sequerentur incommoda, v. g. periculum infamiae, scandali, rixarum vel incontinentiae etc., et proinde fornicatio *materialis* evaderet *formalis.* — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 611.* — *Elbel n. 471. etc.* contra *Concina.*

An vero in eo casu possit confessarius obligare conjugem negantem debitum ad illud reddendum? — *Resp. Affirmative.* Ratio est, quia stante persuasione conjugis, quod matrimonium sit validum, tenetur ille debitum reddere, ut dictamen conscientiae sequatur. — *S. Lig. ibid.* et *alii communiter.* — *Negant* tamen *plures*, quia id esset consulere fornicationem; sed confessarius deberet dicere tantum

---

(1) qui sit: „Comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris ac spei, ac omnibus pensatis illud eligatur, quod praeponderare judicatur. Cum enim finis admonitionis vel silentii sit bonum poenitentis, vel etiam bonum publicum, quando illud intervenit, in illam partem debemus inclinare, quae secundum praesentem statum eligibilior est; quod tamen non est metaphysice considerandum, ita ut, si parvus sit ex altera parte excessus, sit culpa gravis, oppositum facere."

(2) Cf. etiam *p. 1. n. 230. not.*

in genere, conjuges teneri ad debitum reddendum. (1)

613. — Quaer. 4° *An sit monendus poenitens contracturus matrimonium de impedimento ignorato?*

Resp. Generatim loquendo facienda est monitio. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 612.* Ratio est, quia plerumque post tale matrimonium ignorantia cessare solet, v. g. ex eo, quod detegatur, adesse inter conjuges consanguinitatem, affinitatem etc., et tunc facile adest periculum peccandi formaliter atque gravissima incommoda inde sequi possunt, nempe scandala, rixae et forte strepitosa conjugum separatio etc. — Excipe tamen *probabiliter* casum rarum, in quo nullus omnino speraretur fructus ex monitione, nec facile posset detegi impedimentum; melius enim est permittere peccatum materiale, donec dispensatio obtineatur, quam praebere occasionem certi peccati formalis. — *Lacroix lib. 6. p. 3. n. 540.*

PUNCTUM IV.

De officio judicis. (2)

Agendum: 1° de causa instruenda; 2° de sententia ferenda.

(1) Recte vero *Sanchez (de matrim. l. 2. disp. 38. n. 8.)* monet, vix in concreto aliquam differentiam adesse inter hunc indirectum obligandi modum, et alium directum per verba: Redde debitum; ceterum confessarium in hoc casu non praecipere rem malam, sed rem debitam sub circumstantiis occurrentibus: peccaret enim lethaliter poenitens, supposita tali ignorantia debitum negans. Quoad objectionem vero „Non licet complacere in actu intrinsece malo, licet per ignorantiam excusato" respondet, eamdem valere, „quando actus ille non honestatur attentis circumstantiis, quae tunc occurrunt; secus, quando honestatur debitusque fit."

(2) Si confessarius a fortitudine excidere nolit, ne plausus nobilium et matronarum quaerat; ne existimationem in populo aut poenitentium copiam atque frequentiam appetat; ne munera a poenitentibus sibi oblata recipiat, quia *munera excaecant oculos sapientum. (Deut. 16. 19.)* — *Scav.* Nec tamen, cum fortitudine debita officio suo fungitur, prudentiae obliviscatur!

SECTIO I.

De causa instruenda seu de obligatione interrogandi poenitentes.

Principia:

614. — I. Confessarius tenetur interrogare poenitentes de specie, numero et circumstantiis speciem mutantibus peccatorum eorumque causis, de habitu et occasionibus proximis (1), quoties rationabiliter praesumit vel dubitat, ista non sufficienter declarari. Ratio est, quia confessarius ut minister sacramenti debet procurare ejus integritatem, et ut judex debet sibi comparare cognitionem necessariam ad aequum judicium ferendum. Constat etiam ex *concilio Later. IV.*, necnon ex *rituali romano (in ordine ministrandi sacramentum poenit.)* — *S. Lig. n. 607.* et *Prax. conf. n. 19.*

II. Confessarius non tenetur interrogare poenitentem, nisi cum ordinaria sollicitudine. Ratio est, quia poenitens ipse non tenetur summa, sed tantum mediocri i. e. ordinaria diligentia se examinare. Nequit autem esse gravior obligatio confessarii, quam poenitentis, cum confessarius non teneatur examinare poenitentem, nisi secundario seu ipsius defectu. — *S. Lig., Prax. conf. n. 20.*

III. Confessarius non tenetur interrogare poenitentes, qui, licet rudes, videntur sufficienter instructi pro sua conditione et diligentes in confitendo peccata cum circumstantiis juxta statum et capacitatem suam. — *A fortiori* necesse non est ordinarie, examinare eos, qui saepe confitentur et raro peccant graviter, ut sunt personae devotae, religiosi, ecclesiastici, nisi videatur ab eis omitti aliquid necessario explicandum. — *S. Lig. n. 607. 2. 3.*

(1) et etiam de peccatis circa obligationes status poenitentis —

Regulae speciales circa praxim interrogandi.

615. — I^a *Regula.* Interrogatio debet esse *moderata* seu confessarius cavere debet, ne sit nimis anxius in interrogando. Secus enim tum ipsi, tum praesertim poenitenti gravis et onerosa erit interrogatio, et proinde etiam ipsa confessio. Hinc inutilia non quaerat umquam confessarius, nec sibi narrari patiatur. Attendat igitur ad ea, quae habet *rituale rom.* in loco supra citato: *Caveat, ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim juniores utriusque sexus vel alios de eo, quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur indeque peccare discant.* (¹)

616. — II^a *Regula.* Interrogatio debet esse *discreta,* i. e. confessarius debet interrogare cum magna prudentia, sedulo cavendo: 1^0 ne interroget de peccatis, quae verisimiliter non fuerunt commissa, spectata poenitentis conditione et capacitate etc.; 2^0 ne interroget de iis, ex quibus discat peccare poenitens aut scandalum illi creari possit, juxta modo dicta ex *rituali rom.;* 3^0 nec interroget curiosius aut levius etiam in iis, de quibus est interrogandum, v. g. *inverecunde de inverecundis etc.* Uno verbo: satagere debet, ut unice appareat et redoleat in quibusvis interrogationibus *gravitas, pietas, modestia* et *paterna caritas,* ut requirit tanti muneris natura et dignitas. — Vide *rituale rom. supra citatum.*

Hinc 1^0 valde cautus esse debet confessarius in interrogando de materia luxuriae, praesertim cum mulieribus, adolescentibus et pueris, qui multo facilius scandalum pati possunt. Quot enim infelices poenitentes ob incautam confessarii interrogationem aut explicationem innocentiam et animam perdiderunt! . . . Tales confessarii non sunt vocandi *salvatores,* sed *homicidae* animarum. (¹)

2^0 Servanda est sedulo regula ab omnibus admissa: *Multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis in materia luxuriae.* — In dubio igitur, an in tali casu interrogare possis vel debeas, pro parte negativa semper standum erit: minus enim malum est deesse integritati confessionis, quam incurrere animae perdendae periculum. (²)

(¹) *S. Ligorius* ait *n. 607.:* „Confessarius non sit nimis anxius in interrogando, sed interroget tantum de iis, „quae probabiliter poenitenti conveniunt „juxta suam conditionem.“ Et in *Prax. conf. n. 20. 1.:* „Interroget tantum de „peccatis, in quae faciliter incidere possunt spectata eorum conditione et capacitate.“ Sic etiam *Billuart diss. 6. art. 10. §. 2.:* „Examine morali (examinare debet confessarius) i. e. non summo et exquisito, sed humano et mediocri, et conformiter ad capacitatem poenitentis. Non enim sacerdos tenetur plus „examinare poenitentem, quam poenitens „ipse tenetur se examinare, cum confessarius in defectum poenitentis teneatur „ipsum examinare: poenitens autem non „tenetur se examinare summa et exquisita diligentia, sed humana et morali. „Nec refert, quod, si confessarius plus „examinaret, forte plus inveniret; non „enim hic attendendum est solum ad integritatem materialem confessionis, sed „etiam ne summa et nimia industria in „examinando reddatur sacramentum poenitentibus onerosum et odiosum: sufficit „ergo, si confessarius prudenter judicet, „poenitentem nihil necessarium omittere.“ Eadem iisdem fere verbis habent *Sporer n. 792. — Salmant tr. 6. c. 12. n. 21. — Reuter, Neoconfessarius p. 1. c. 3. in fine etc.* — (Nota auct.)

(¹) Absque gravi causa confessarius numquam mentionem faciat de debito conjugali *(S. Poenit. 8. Jun. 1842.),* et satis erit, ubi res postulet, mulierem interrogare, num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus praestiterit. — (Nota auctoris ex edit. rom. anni 1866.)

(²) Huc spectat animadversio DD. *Gousset:* „Cum de obligatione, circumstantias notabiliter aggravantes in confessione manifestandi, certo non constet et cum quoad sextum praeceptum obligationesque conjugales omnem excessum in interrogationibus vitare praestet, confessarius sine detrimento ministerii sui inter-

617. — III^a *Regula.* Interrogatio debet esse *opportuna,* i. e. fieri debet tempore et modo, quo convenit. Quaedam autem interrogationes faciendae sunt ordinarie ante confessionem, sed paucae, ne poenitens offendatur: v. g. a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an poenitentiam impleverit? . . . an circa vitam praeteritam sit quietus? Haec ultima interrogatio fieri debet tantum, quando poenitens non est confessus a multo tempore, aut quando instituitur confessio generalis a tempore determinato. — Ceterae quaestiones circa conditionem, statum, aetatem, ignorantiam etc. convenientius, data occasione, in decursu confessionis fient: sic ex una parte omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur, et ex altera parte facilius respondebit poenitens, cum ipsius fiducia in confessarium magis adaucta fuerit.

Nota: Errant confessarii, qui volunt semper judicium certum facere de peccati qualitate, an sit grave vel leve, et contorquent poenitentes, ut sciant, quali animo aut quali conscientia hoc fecerint; hi enim multoties respondebunt, ut casus occurret, ita ut paulo post interrogati de eadem re sint negaturi, quod antea affirmarunt. Secus tamen, si videantur sufficienter instructi, aut si dubitetur de pleno consensu tentationi praestito. Generatim autem praesumi potest, quod poenitens objectum peccati, ut secundum se malum est, apprehenderit, nisi circumstantiae aliud suadeant.

Quaesita:

618. — Quaer. 1° *Quid agere debeat confessarius in dubio de* sinceritate *poenitentis?*

Resp. Regula haec communis est et axioma receptum in hoc tribunali: *Credendum est poenitenti tam pro se, quam contra se dicenti*(1). Ratio est, quia poenitens in sacro tribunali reus simul et testis, accusator et advocatus est, et aliunde in dubio verax semper praesumendus est. — *S. Lig. n. 631.*

619. — Quaer. 2° *Quid agere debeat confessarius, si cognoscat certo, peccatum a poenitente reticitum aut negatum esse?*

Resp. 1° Si illud novit ex confessione alterius, debet tantum generatim interrogare, sicut alias fecisset aut facere debuisset, ne sigillum confessionis violetur. Si vero poenitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed hortetur dumtaxat generaliter ad integritatem confessionis, si id possit citra suspicionem. — Utrum vero debeat confessarius talem poenitentem absolvere, *controvertitur. S. Ligorius n. 631.,* relatis aliorum sententiis, ita concludit: „Melius, meo judicio, sentit *Croix,* quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem . absolutionis.“ (2)

Resp. 2° Si novit extra confessionem, *per se* debet etiam poenitentem negantem absolvere, quia *poenitenti pro se et contra se credendum est;*

---

rogationes potest continere iis, quae judicat necessaria ad cognoscendas circumstantias speciem illius peccati mutantes. Numquam obliviscatur, ipsi praeter officium procurandi integritatem confessionis incumbere obligationem adhuc graviorem non scandalizandi poenitentes etc.“ — *Scav.*

(1) ideoque post diligentem interrogationem confessarius regulariter debet absolvere negantem, se aliquod peccatum commisisse. — *S. Lig. l. c.* Quid vero, si dubitat *de dispositione?* Cf. *n. 622.: n. 627. Q. 7°.*

(2) Addit auctor in editione rom. recentissima: „Communius tamen alii doctores cum *Suarez (de poenit. disp. 32. sect. 3. n. 9.)* docent, tunc solum negandam esse absolutionem, quando omnino evidens est confessario, poenitentem mentiri contra integritatem confessionis. Imo dicunt plures, absolutionem in omni casu concedendam esse poenitenti peccatum suum neganti, quoties notitia hujus peccati ex sola confessione alterius, nempe complicis, habita est, quia notitia haec pro nulla habenda est, cum ex confessione aliena acquisita fuerit. Hoc autem sat probabile est.“

Cf. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 179. 769. et seq.*

nec *per se* relatio alterius majorem fidem facere potest, quam declaratio ipsius poenitentis, nec proinde magis aliis, quam ipsi, confessarius credere tenetur. Etenim praesumere debet confessarius, poenitentem sui peccati oblitum esse aut alteri confessum aut justam habere causam illud reticendi, vel relatores potius deceptos fuisse. — *S. Lig. ibid.* — *Billuart diss. 6. art. 10. §. 2. sub fine.*

Dixi: *per se;* quia, si confessarius sit omnino certus de peccato a poenitente commisso, quia v. g. ipse furantem vidit, audivit blasphemantem etc., vel id novit ex certa aliorum relatione(1), non potest negantem absolvere, modo certus sit, illum sui peccati non oblitum fuisse nec ullum habere motivum illud reticendi; nam regula haec: *Credendum poenitenti etc.* valet quidem in re minus certa, non autem in re evidenter certa.

620. — Quaer. 3° *Quomodo in particulari cum rudibus agendum confessario?*

Resp. Confessarius ordinarius ipsemet examinare debet rudiores, quia sibi solis relicti non melius se examinabunt et, si dimittantur, numquam magis dispositi redibunt; imo absterriti difficultate examinandae conscientiae facile a confessione avertentur. — *S. Lig. n. 607.*

SECTIO II.

De sententia ferenda seu de absolutione concedenda, differenda aut deneganda.(2)

Principia:

621. — I. Absolutio *concedi debet ex justitia* et *sub gravi* omni poenitenti *rite* confesso et *legitime* disposito. Ratio est, quia in ipso confessionis actu initus est quidam quasicontractus sacer, vi cujus poenitens rite confessus et legitime dispositus habet jus ad sacramentum suscipiendum. Secus enim onus intolerabile sine justa causa poenitenti imponeretur, scilicet ut apud alium confessionem instituat, quin confidere tuto possit, se ab isto novo confessario absolutionem esse accepturum. Praeterea hoc etiam exigit finis institutionis sacramenti et tribunalis poenitentiae, quod misericordiae impertiendae causa a Christo institutum est. Sacerdos igitur absolutionem poenitenti disposito denegando injuste ageret, potestate clavium abuteretur et odiosum redderet sacramentum.

II. Absolutio tamen *differri potest* ad breve tempus etiam poenitenti *rite disposito* sine ejus consensu, quando confessarius judicat, id utile esse ad ejus emendationem. Ratio est, quia dilatio absolutionis non est ejusdem denegatio et, licet poenitens dispositus jus habeat ad absolutionem, non tamen ideo jus habet ad eam statim, absque ulla mora obtinendam, saltem *per se loquendo.* Nam confessarius non est tantum judex, sed et medicus, ideoque recte potest, imo aliquando debet absolutionem differre, si judicet, tale remedium animae poenitenti notabiliter profuturum esse. — *Ita expresse S. Lig. n. 462.* et *Prax. conf. n. 76.* — *Lacroix n. 1764.* — *Lugo d. 14. n. 168. et seq.* et *alii communiter.*

Dixi: saltem *per se loquendo;* quia, si absolutio differri nequeat sine magno incommodo(1) poenitentis, statim concedenda est: poenitens enim tunc jus strictum ad eam statim obtinen-

(1) Ne auctores, qui hanc exceptionem apponunt, sibi contradicant, verba illa intelligenda erunt de circumstantiis, quae dubium prudens omnino excludunt vel ob numerum et gravitatem testium, vel ob alia adjuncta.

(2) Cf. etiam *Append.* post *n. 640.* sub *I.*

(1) Potest sane confessarius hoc remedium, aliquando perutile, adhibere cum *aliquo* incommodo poenitentis, modo dilatio non obsit potius, quam prosit (v. *n. 623. etc.*). Vix umquam vero applicandum erit cum *gravi* incommodo poenitentis, ipso reluctante, cum eum *dispositum* supponamus; imo, etsi non obstante gravi incommodo consentiat, cau

dam habere censetur. — *S. Lig. n. 463.* et *alii communiter.*(1)

622. — III. Absolutio omnino *neganda* est in omni casu, etiam extremae necessitatis, poenitentibus *certo indispositis.* — Poenitentibus vero *dubie* dispositis absolutio neganda est extra casum gravis necessitatis; posita autem tali necessitate absolutio sub conditione impertiri potest aut etiam debet.(2) — *S. Lig. n. 432. 461.*(3)

Quaesita:

623. — Quaer. 1° *An saepe expediat, differre absolutionem poenitenti sufficienter disposito remedii aut experimenti causa?*

Resp. Solutio quaestionis a variis circumstantiis pendet; attendendum autem praecipue est ad majus poenitentis bonum. Hinc:

1° Numquam differenda est absolutio, quando dilatio magis obfutura, quam profutura praevidetur. Constat ex dictis. — 2° Nec differenda est, si ex dilatione poenitens notam infamiae subiret(4). — 3° Raro differenda est absolutio poenitenti disposito, nisi ipse dilationem sat facile acceptet; secus enim difficilius ipsi prodesset. Ceterum certa regula statui nequit, et, si quando dilatio aliqua absolutionis expedire videtur, ad breve tantum tempus fieri debet, v. g. ad tres, quinque, octo, decem aut ad summum quindecim dies. — *S. Lig. n. 463.* et *Prax. conf. n. 76. etc.* Interdum etiam, ubi facile fieri potest, absolutionem ad unum diem vel ad paucas horas differre utile erit.

624. — Quaer. 2° *An requiratur certitudo de dispositione poenitentis, ut absolvi possit?*

Resp. 1° Non requiritur certitudo *absoluta,* nec etiam certitudo moralis *stricta,* qualis habenda est in aliis sacramentis, v. g. circa validitatem vini ad consecrationem eucharistiae. Ratio est, quia sacramentum poenitentiae fere certius ejusmodi judicium non admittit.

Resp. 2° Requiritur et sufficit judicium prudens seu innixum motivo gravi et comparative probabiliori, licet adsit fundata aliqua de indispositione suspicio. Itaque sufficit certitudo moralis *lata,* quae, ut ait *S. Ligorius,* prudenti probabilitati aequivalet; poenitentes enim communiter nonnisi probabilitatem dispositionis prae se ferunt. — *Ita S. Lig. n. 461.* — *Suarez d. 32. sect. 2. art. 10. §. 4.* et *alii communiter.* Consonat *Catech. conc. Trid. Q. 58.,* ubi legitur: *Si audita confessione (sacerdos) judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, nec in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvere poterit.*

625. — Quaer. 3° *Quaenam sint signa ordinaria sufficientis dispositionis?*

Resp. Praecipua(1) sunt sequentia: 1° si poenitens candide et humiliter confiteatur; 2° si asserat cordate, se dolere de peccatis et firmum habere propositum non peccandi de cetero;

---

confessarius agat. Aliter utique decidendum erit, si sermo sit de indisposito et aliud remedium sufficiens non suppeditet. — Cf. *Viva in prop. 60. Innoc. XI. n. 13.*

(1) Haec regula applicanda erit quandoque etiam quoad poenitentes, in quibus, quamvis venialia tantum confiteantur, nulla apparet emendatio, praesertim si venialia proximius ad mortale disponunt, et maxime, si ratione proprii status perfectioni studere debent, ut sunt ecclesiastici, religiosi, moniales. — *Scav.*

(2) Cf. *n. 434. et seq.*

(3) Valde desiderandum esset, omnes confessarios in deneganda vel differenda absolutione iisdem principiis inniti, ne, quod alter colligit, alter dispergat. Nullo alio modo quaedam vitia alicubi ingravescentia eradicari poterunt. — Cf. *Stapf.*

(4) vel aliud sat grave incommodum. — V. *n. 621. II. not. 1.*

(1) Debebit enim confessarius in hoc praesertim per prudentiam dirigi, cum juxta veterum effatum „*De particularibus non datur scientia*" in hisce difficulter regulae adsignentur, quae pro omnibus circumstantiis sufficiant.

ia peccata, etiam majora et cere declaret; 4⁰ si ex ali- otivo ad confessionem libere 5⁰ si ex desiderio conver- a peccato cessaverit. — ı. *1734.*

4⁰ *An confessarius teneare dolorem in poenitente?*

⁰ *Affirmative*, si poenitens ıtur sufficienter dispositus, bsolvat, quin poenitentem censeat, exponit sacramenlo frustrationis: si vero illum ıe absolutione, ipsum exponit u remanendi in statu peccati ut etiam non amplius red- — *S. Lig. n. 608.*

⁰ *Negative*, si poenitens ufficienter instructus et dis- sunt ordinarie poenitentes qui frequenter confitentur. ı confessarius ad nihil tene- ıtione caritatis, cum poeni- speciali non indigeat, nec verentiae sacramenti, quod ıulo exponitur. — *S. Lig.* - *Layman l. 5. tr. 6. c.* . — *Sporer n. 798. et seq.*

- Quaer. 5⁰ *Quibusnam neganda sit absolutio?*

Juxta *rituale rom.* et *S. Borrom.* neganda est: 1⁰ iis, dant signa doloris aut vitam nolunt; 2⁰ iis, qui rem alieuere aut debita solvere, vel ıut famam laesam aut quod- damnum resarcire nolunt, nt; 3⁰ iis, qui uti nolunt quae a confessario judicanıaria ad emendationem aut praecavendum; 4⁰ iis, qui et odia deponere, injuriam condonare, vel reconciliari 5⁰ iis, qui nolunt abstinere superstitionibus, artibus et s illicitis aut a quovis opere iis tandem, qui occasionem peccandi proximam deserere nolunt aut qui aliis occasionem praebent. (¹)

627. — Quaer. 6⁰ *An absolvi possit debitor, antequam restituat?*

Resp. Affirmative, si confessarius deprehendat, debitorem paratum esse ad restitutionem faciendam, uti esse debet. Si vero poenitens aut pluries promissis restituendi non steterit, aut prudenter praevideatur propositum non servaturus, expedit, ut confessarius restitutionem prius exigat, quam absolvat, nisi tamen aliqua gravis ratio aliter suadeat. (²)

Quaer. 7⁰ *An possit absolvi poenitens, qui vult sequi opinionem sententiae confessarii oppositam?*

Resp. Affirmative, si sit vere probabilis. (³) — *Recole dicta de conscientia n. 78. Q. 2⁰.*

§. II.

De agendi ratione cum variis poenitentium generibus.

Agendum: 1° de iis, qui versantur in occasione peccati; 2° de consuetudinariis et recidivis; 3° de poenitentibus piis et timoratis.

PUNCTUM I.

De iis, qui versantur in occasione peccati.(⁴)

628. — Definitio: Occasio peccati generatim definitur circumstantia externa, quae allicit ad peccatum sive

ıxcusatur ex eo, quod multum ı id impendere debeat vel quod tent. — Cf. *n. 604.*

(¹) Paucis haec omnia pluraque alia, quae facile addi possent, habebis in hac regula, nempe: iis omnibus et solis negandam esse absolutionem, qui gravem aliquam obligationem implere renuunt. — (Nota edit. rom.)

Cf. etiam *p. 1. n. 195. Q. 2°; n. 196.*

(²) Cf. etiam *p. 1. n. 632; 713. I. 3°.*

(³) Debet tamen poenitens (in genere — Editor.) se in iis judicio confessarii conformare, quae circa dispositionem debitam ipsius versantur (v. g. num vere doleat) vel etiam circa administrationem sacramenti (v. g. num confessarius jurisdictionem habeat). De hisce enim judicare ad eum spectat, qui munere judicis fungitur, ideoque hic ipse suae conscientiae consulere debet. — *S. Lig. n. 604. §. Ratio autem.*

(⁴) V. etiam *Append.* post *n. 640.* sub *III.*

ex natura sua, sive ex fragilitate hominis, qui in illa reperitur. Hinc differt a periculo peccandi, quod est, quidquid impellit ad peccatum, sive intrinsecum sit, sive extrinsecum.

Divisio: Multiplex occasio distinguitur, scilicet proxima vel remota, absoluta vel relativa, voluntaria vel necessaria, praesens vel non praesens.

1° *Occasio proxima* illa est, in qua homines communiter ut plurimum (1) peccant; *occasio* vero *remota* ea, in qua communiter homines ut plurimum non peccant. — *S. Lig. n. 452.*

2° *Occasio absoluta* seu *per se* ea est, quae per se est inducens ad peccatum, atque adeo talis est respectu ad homines communiter sumptos; *occasio relativa* seu *per accidens* illa est, quae, licet non sit occasio respectu aliorum, est tamen talis respectu alicujus, spectata ejus fragilitate.

3° *Occasio voluntaria* ea est, quae facile dimitti potest; *necessaria* vero ea, quae physice vel moraliter non potest removeri.

4° *Occasio praesens* seu *in esse* ea est, quam quis secum habet, quin eam actu quaerat, v. g. si quis teneat concubinam vel cum ancilla sua peccare soleat; *occasio non praesens* seu *non in esse* ea est, quam quis non habet quidem in actu, sed facile reperit, ut est caupona relative ad ebriosum, amasia respectu amasii.

Principia:

629. — I. Non est deneganda absolutio poenitenti in occasione *remota* constituto, etiamsi eam deserere nolit. Ratio est: 1° quia ea non inducit periculum proximum peccandi mortaliter; 2° quia nimis dura obligatio poenitenti imponeretur, cum tales occasiones plerumque moraliter vitari nequeant. — Excipe tamen, idque *per accidens:* si confessarius noverit, aliquam occasionem pro poenitente remotam brevi proximam futuram esse, nisi statim deseratur. (1) — *S. Lig., Hom. apost. tr. ult. n. 1. et seq.*

II. Numquam absolvendus est, ne in articulo quidem mortis, poenitens, qui recusat deserere occasionem *proximam voluntariam* peccati, sive occasio illa sit proxima *per se* sive *per accidens*, sive *in esse* sive *non in esse*. Constat ex *propositione 61.* damnata ab *Innocentio XI.*, quae sic legitur: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione versatur, quam potest et non vult deserere, quin imo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.* (2)

III. Poenitenti autem, qui in occasione proxima *necessaria* versatur, non potest absolutio denegari ob istam occasionem, si aliunde dispositus deprehendatur et remediis praescriptis uti paratus sit. Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile sive physice, sive moraliter, et aliunde occasio peccandi non est *per se* peccatum, nec in necessitate peccandi hominem constituit. — *S. Lig. n. 455.*

Quaesita:

630. — Quaer. 1° *An poenitens, qui promittit sincere, se derelictu-*

(1) In occasione proxima constituitur non solum, qui sub quibusdam circumstantiis *fere semper* delinquit, sed etiam, qui *frequenter* peccat. — *S. Lig., Hom. ap. tr. ult. n. 1.*

(1) Cf. *sequentia.*

(2) Cf. etiam *prop. 62. 63. Innocentii XI.;* item *prop. 41. Alexandri VII.* Pariter illi absolvi nequeunt, qui, licet in occasione proxima non peccent, aliis tamen scandalum praebent. — *S. Lig. n. 452. §. Ex praemissis.*

Si vero probabilis sit quum consensu, tum victoria, non excusat occasio voluntaria, sed solummodo necessaria, aliqua scil. necessitas (v. g. ratione officii), dummodo simul media praecaventia adhibeantur. Sed nec ista necessitas sufficit (juxta dicenda sub *n. 631.*), si quis remediis adhibitis in hisce occasionibus fere semper aut etiam saepe consentit, nisi probabilis spes emendationis effulgeat. — *S. Lig. n. 453.; de peccatis n. 63. etc.*

occasionem peccandi pro-
[1]), *possit absolvi, antequam*
ruerit?

1° *Negative generatim lo-*
[2]), si agatur de occasione
i seu *in esse,* ne prima qui-
(3). Ratio est, quia, etiamsi
ius poenitentem absolvere pos-
dex, non potest tamen ut me-
- *S. Lig. n. 454.*

2° *Affirmative per se,* si
le occasione *non in esse* (4).
t, quia ex una parte poeni-
vere dispositus, et ex altera
tantum periculum infringendi
im, ac in casu praecedenti.
us tamen *ordinarie* talibus
absolutio, etiam *pro prima*
si prius occasionem deserue-
ties facile potest fieri.

r. 2° *An possit absolvi*
rice, *qui versatur in occa-*
oxima necessaria, si reme-
escripta se adhibiturum vere
t?

Affirmative per se. Ratio
a ope mediorum praescripto-
uvante divina gratia, pericu-
ximum facile remotum fieri

per se; „in praxi enim", ait
n. 456., „omnes conveniunt
-

ntariam: de hac enim' *S. Lig.*
it.
cipit enim *S. Lig. ib.* et *Hom.*
ult. n. 5. duas causas, scil.:
ns extraordinaria signa doloris
raesertim si absolutio commode
nequeat; vel si, dilata nunc
ne, nonnisi post longum tempus
sionem redire posset, modo con-
prudenter judicare valeat, eum
abere voluntatem removendi oc-
statim ac poterit. Addit *Sca-*
alias, si nempe agatur de mo-
cui absolutio differri nequit, vel
tente, qui ob instructionis de-
umquam ad occasionem pericu-
vertit nec ad obligationem eam
, modo ceteroquin dispositus sit.
praesertim, si sermo sit de vitio

non ultra bis vel ter absolvatur,
atio non apparet. — *S. Lig. l. c.*

expedire, ut iis, qui versantur in occasione proxima etiam necessaria, differatur absolutio(1). Imo, ut ego, quid sentiam in hac re, ingenue dicam: numquam absolverem eum, qui est in occasione proxima extrinseca, praesertim si occasio sit de materia turpi, semper ac absolutio commode differri posset."

631. — Quaer. 3° *An possit absolvi, qui versans in occasione necessaria, remediis etiam adhibitis, eodem semper modo labitur?*

Resp. Negative, nisi signa extraordinaria doloris dederit. Ratio est, quia, licet praescripta remedia se adhibuisse asserat, imperfecte tamen ea adhibuisse censendus est. Deserat igitur occasionem quocumque etiam incommodo, priusquam absolvatur. — *S. Lig. n. 457.* — *Roncaglia* — *Lacroix* — *Mazzotta.*

PUNCTUM II.

De consuetudinariis et recidivis.(2)

632. — *Consuetudinarius* dicitur ille, qui contraxit habitum alicujus peccati, de quo non est adhuc confessus. — *Recidivus* vero vocatur ille, qui post confessionem in idem peccatum relabitur. — *S. Lig. n. 459.*

Hinc: 1° potest quis esse *consuetudinarius* et non *recidivus,* nempe si non fuit adhuc absolutus a peccatis, quibus assuefactus est; 2° potest etiam esse *recidivus,* quin sit *consuetudinarius,* ut si a peccato semel aut iterum commisso absolutus in idem relapsus fuerit.

Habitus autem peccati est propensio in peccatum seu facilitas peccandi per actus repetitos comparata.

---

(1) Ordinarie in occasione necessaria dilatio ad 10 vel 15 dies pro fine intento non sufficit. — *S. Lig. n. 463.* — Cf. infra *n. 636. IVa Reg.*

(2) V. infra *Append.* post *n. 640.* sub *II.*

Principia:

I. *Consuetudinarius* quilibet absolvi semper potest, etiam *prima vice,* qua pravum habitum confitetur, etsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat et vera poenitentiae signa, quamvis *ordinaria* tantum, ostendat. Ratio est, quia absolvi potest quilibet poenitens, qui apparet vere dispositus; porro talis censendus est ille, qui spontanee et rite peccata sua confitetur, nisi obstet positiva praesumptio in contrarium. — *S. Lig. n. 459.* et *alii communiter* contra *Collet* — *Concina.* Potest tamen differri absolutio consuetudinario, licet dispositus videatur, etiam sine ejus consensu, quoties confessarius prudenter judicabit, dilationem poenitenti utilem futuram esse. — *S. Lig. n. 462.*

633. — *Objicies.* Confessarius non potest judicare, consuetudinarium non esse relapsurum; ergo non potest judicare eum absolutione dignum.

Resp. Nego suppositum; nam non est necessarium, ut confessarius judicet, poenitentem numquam esse relapsurum; sed satis est, ut prudenter judicare possit, eum hic et nunc verum dolorem firmumque propositum habere et spem emendationis vere fundatam facere. In his enim vera sinceraque conversio consistit. — *Reuter, Neoconfess. n. 33.* et *alii communiter.* (1)

634. — II. Neganda autem est absolutio consuetudinario, si non velit serio laborare, ut consuetudinem vincat, nec media a confessario prudenter proposita (1) adhibere. Ratio est, quia eo ipso non vult sincere corrigi, quamvis asserat, se velle vitam mutare, et proinde est simpliciter indispositus. (2)

III. *Recidivi* generatim *difficilius* absolvendi sunt, quam *consuetudinarii,* qui prima vice pravum habitum confitentur. Ratio est, quia frequentes lapsus(3) inducunt ordinarie praesumptionem contra poenitentis dispositionem, nisi adsint signa specialia contritionis; confessarius enim non potest prudenter efformare judicium de vera illius conversione ex iisdem poenitentiae signis, quibus prima vice ad eum absolvendum inductus est.

Regulae speciales pro recidivis (4).

635. — I^a^ *Regula. Recidivus* praebens *extraordinaria* seu specialia signa doloris *toties quoties* absolvi potest. Ratio est, quia per signa doloris extraordinaria quaevis prudens tollitur suspicio, quam praecedentes lapsus, etsi frequentes, inducere potuerunt, et proinde confessarius prudenter judicare potest, poenitentem satis esse dispositum. — Dixi: absolvi *potest,* non autem necessario *debet;* confessarius enim potest absolutionem in hoc casu differre, si dilationem bono poenitentis utilem fu-

---

(1) „Non est necessarium, confessarium „persuasum habere vel probabiliter opi„nari, poenitentem perseveraturum esse; „sufficit, si prudenter putet, ipsum hic et „nunc paratum esse ad vitandum pecca„tum. — *Suarez, de sacr. poenit. disp. „32. sect. 1.* — *P. Segneri, Confessa„rius instr. c. 4.* — *S. Alphons., de poe„nit. n. 459.* Qui novit infirmitatem „humanam, inconstantiam hominis, qui „eodem die, aliquando eadem hora omni„no contrarie animo affectus est, facile „intelliget, non repugnare semper senten„tiae probabili et prudenti, quam confes„sarius de dispositionibus actualibus quo„ad sacramentum recipiendum fert, eum„dem simul praevidere, poenitentem etiam „brevi ejusdem peccati reum fore. Lu„brica est natura humana, dicit *S. „Joannes Chrysostomus;* cito deci„pitur; sed cito a fraude se expe„dit, et sicut confestim cadit, ita „confestim erigitur. *(Adhort. ad „Theodorum lapsum l. 2. n. 2.)*" — *Gousset n. 544.* — (Nota auct. ex idiomate gall. versa.)

(1) et ad consuetudinem vincendam necessaria — (Editor rom.)

(2) Cf. *prop. 60. Innocentii XI.*

(3) post urgentes confessarii monitiones, post media necessaria injuncta etc. —

(4) praesertim *habituatis.*

·am esse judicaverit, juxta superius :ta *n. 621.*, licet ordinarie magis ɔediat, ut non differatur. — *S. Lig. 459.* et *Prax. conf. n. 76.*

II^a *Regula. Recidivus,* etiam sola ıtritionis signa *ordinaria* praebens, solvi potest et generatim debet, *oties absolutio non potest facile fferri.* Ratio est, quia ex una rte absolute judicari potest sat dissitus ex signis ordinariis, quamvis sit aliqua praesumptio in contraım; et ex alia parte adest gravis .io eum absolvendi, ne diu permaat in statu peccati mortalis. Sed ıfessarius numquam talem absolvere bet, nisi cum omni cura et induia conatus fuerit, eum ad benefiım absolutionis praeparare.

636. — III^a *Regula. Recidivus* liens cum eodem pravo habitu, *llo adhibito conatu nulloque imeto medio ex iis,* quae a confessa- praescripta sunt, non potest abıvi, nisi signa *extraordinaria* doıis afferat. Ratio est, quia tunc ıesumptio, quae poenitenti favebat, m prima vice confessus est, ipsi versatur. Etenim qui firmiter pronit peccatum vitare, non ita facile l propositi obliviscitur, sed saltem r aliquod tempus perseverat et difilius aut rarius cadit. — *Ita exesse S. Lig. n. 459.*

IV^a *Regula. Recidivo indisposito* l dubie disposito differenda est ablutio per aliquod tempus, usquedum pareat prudens signum emendatio-ı.(¹) Dilatio autem absolutionis ad ıturnum tempus fieri non debet, sed gulariter satis erit, si fiat ad octo l decem dies. Potest tamen magis ɔtrahi quoad poenitentes, qui semel anno tantum, tempore paschali, nfiteri solent, necnon relate ad eos, qui in occasione proxima extrinseca peccati reperiuntur: isti enim majori experientia egent. Caveat tamen confessarius, ne dicat umquam poenitenti, ne non redeat, nisi post mensem etc.; nam hic ob tantam dilationem facile terreri posset: sed potius ei imponat, ut redeat post octo vel decem dies, et sic blando modo eum transferet ad absolutionem in fine mensis recipiendam. — *Ita expresse S. Lig., Prax. conf. n. 71. 72.; Hom. apost. tract. ult. n. 9. 10.*

Ceterum semper spectandum est bonum majus poenitentis (¹). Sic optime *S. Lig. n. 459.* post *Concina,* qui *(c. 10. n. 24.),* nativae severitatis oblitus, sapienter ait: „Ut errandi periculum declines, si vides, bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. Emendatio peccatoris securior omnibus regulis est norma vel impertiendi vel denegandi absolutionem.“

637. — V^a *Regula.* Multo facilius absolvendus est recidivus in habitum pravum *intrinsecum* seu peccans ex fragilitate intrinseca, v. g. irae, odii, blasphemiarum, pollutionis aut delectationis morosae, quam recidivus in *occasionem extrinsecam;* quia multo majus periculum habetur in posteriori casu, quam in priori. Imo in priori casu raro differenda est absolutio, si poenitens sit dispositus, quia gratia sacramenti magis, quam dilatio absolutionis, generatim ipsi prodesse potest. — *S. Lig., Prax. conf. n. 77.*

Objicies: Constare nequit de vera conversione voluntatis, nisi per temporis experimentum; ergo ante absolutionem illud necessario est adhibendum.

Resp. Neg. anteced. Mutatio enim cordis a divina gratia pendet; porro gratia temporis mora non indiget, ut operetur; operatio autem gratiae per

---

(¹) Necessitas dilationis absolutionis am quoad recidivum, qui solummodo nialia confessus est, contingere aliando posset. — *S. Lig. l. c.* — Cf. pra *n. 463. Not. 1. et 2. coll. n. 451. . 4°.* et *n. 446. Q. 5°.*

(¹) Cf. etiam *n. 718.*

varia signa manifestari potest. — *Ita expresse S. Lig.*(1)

Quaesita:

638. — Quaer. 1° *Quandonam censeatur contracta consuetudo?*

Resp. 1° Non potest praecise hoc generali regula determinari, quia alii plus facilitatis contrahunt ad aliquod peccatum paucis actibus, v. g. tribus vel quatuor, quam alii, illud saepius committendo; unde nec semper pro consuetudinario habendus est, qui pluries in certo genere deliquit, nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater peccare incoepit. Attende igitur ad vim propensionis in peccata pluries commissa.

Resp. 2° Generatim loquendo peccatum saepius repetitum brevi tempore facilius inducit ejus consuetudinem, quam si longioris temporis intervallo totidem vicibus repeteretur. Juxta *S. Ligorium* quinque vices in mense possunt pravum habitum constituere *ordinarie* in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat, et in materia luxuriae multo minor numerus habitum constituere potest; v. g. qui semel in mense fornicaretur per annum, habituatus dici posset. — *S. Lig., Prax. confess. n. 70.*

(1) „Non verum est, quod sola tempo„ris probatio unicum sit signum mutatae „voluntatis; nam voluntatis mutatio pen„det a divina gratia, quae tempore non „indiget, sed in instanti operatur; et ideo „non solum per experimentum temporis, „sed etiam per alia quidem signa pate„fieri potest. Imo aliquando alia signa „praesentis dispositionis multo melius „manifestant mutationem voluntatis, quam „experientia; nam signa illa indicant *di„recte* dispositionem poenitentis, expe„rientia vero tantum *indirecte*, adeo ut „non raro evenire possit, quod aliquis „etiam longo tempore se a vitiis *pro „mundi hujus honestate contineat*, ut „ait *D. Gregorius*, et nihilominus non „sit rite dispositus. Propterea, quoties „poenitens affert vera signa doloris et „propositi, toties bene absolvi poterit.“ — *S. Lig. n. 459.* (Nota auct.)

639. — Quaer. 2° *Quaenam sint signa extraordinaria doloris?*

Resp. Sequentia communiter recensentur: 1° si poenitens multo majorem conatum, quam antea, adhibuerit ad sese emendandum; vel si fuerit notabiliter emendatus: *a fortiori*, si vitam jam integre in melius mutaverit; 2° si peccatum diu celatum cum magno rubore confiteatur; 3° si remediis a confessario praescriptis diligentius usus sit; 4° si longum iter sit aggressus ad confessionem rite peragendam; 5° si impense requirat, ut confessionem generalem instituat, aut majorem vitae anteactae peccatorum partem repetere velit; 6° si fuerit inductus extraordinario motivo ad confitendum, nempe concionis auditae, mortis alicujus amici etc.; 7° si confiteatur cum magna humilitate et verbis compunctionem cordis redolentibus (saltem ordinarie); 8° si sponte asserat, se velle omnino peccatum vitare cum omni incommodo: *a fortiori*, si dicat, se malle mori quam peccare; 9° si suspiria aut gemitus edat vel lachrymas fundat (saltem ordinarie).

Nota: Non raro spontanea confessio etiam baberi potest ut signum extraordinarium doloris, praesertim in juvenibus et viris, qui seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad confitendum accedant.

640. — Quaer. 3° *An absolutio negari possit consuetudinario, qui recusat confiteri pluries in anno?*

Resp. Negative per se, si aliunde videatur sufficienter dispositus, quia nullum est praeceptum confitendi pluries in anno, et sunt alia media, quae injungi possunt ad consuetudinem vincendam. Tales potius sunt suaviter et fortiter inducendi, ut saepius accedant, v. g. in festo pentecostes, assumptionis B. Mariae V., nativitatis Domini etc.

Quaer. 4° *Quid agendum cum iis, qui confitentur immediate ante matrimonium contrahendum, et hu-*

avae consuetudini addicti

.° Si inter se peccare soliti
ıcilius absolvi possunt; oc-
ı per matrimonium cessabit.
?° Major est difficultas, si
suetudo ex alia parte pro-
tamen magis expedit, tales
saltem conditionate, quam
tos dimittere, nisi de eorum
ɔne certo constet. (¹)

APPENDIX

ITIONEM RATISBONENSEM.

tione absolutionis etc.

cedentibus disquisitionibus a
l dilationem absolutionis, ob-
vitandi occasionem proxi-
ɔdum agendi cum consuetudi-
ɜcidivis spectantibus, auctor
S. Alphonsum et recentio-
s est. Cum tamen doctrina
si in quibusdam nonnihil a
vetustiorum theologorum dis-
ıctor noster in recentissima
lura mutavit, editor roma-
in sat amplis adnotationibus
ationes ulterius argumentis
t, eisque alias adjunxit. Hinc
m duximus (agitur enim de
i momenti pro salubri ad-
ɔne sacramenti poenitentiae),
nes et additiones illas, in hac
ob intimam materiarum con-
collectas, lectoribus breviter
. Paucae animadversiones,
addemus, intra parenthesim
:.

ɔpendicem seq.
poenitens ob indispositionem
quit et bona fide putat, se ma-
licite etiam in statu peccati
ɜlebrare posse, ejus ignorantia
atur, nisi monitioni obtempera-
ɜideatur. Si vero de hoc malae
ɜrio de sacrilegio committendo
dus est. In utroque casu autem
a prudentia ad contritionem
imonium eliciendam excitetur
moneatur, ut quamprimum ad
ɜm redeat. — *Scav., de matr.*
§. 3.

I. De negatione et dilatione absolutionis.

Licet haec vocabula promiscue haud raro adhibeantur, ea differentia tamen inter *negationem* absolutionis ejusque *dilationem in stricto sensu* intercedit, quod absolutio *indisposito* vel *dubio disposito* neganda est, *disposito* differri quandoque ob causas urgentes solet. Porro:

1° Certissimum inter omnes est, *eum absolvi non posse,* qui necessaria dispositione caret (si paucos casus quoad dubie dispositos excipias. — V. *n. 435. et seq.*).

Sed, si sermo est de indisposito, cui neganda absolutio, ne eum, qui indispositus ad sacramentum accedit, intelligas, sed illum, quem confessarius omnibus remediis opportunis adhibitis disponere non valuit. — Confer, quae supra *n. 599. et seq.* de officio patris, doctoris et praesertim medici exposita sunt. (Imo, numquam eo sensu neges sacramentum, ac si nulla spes supersit, poenitentem brevi ad illud reversurum esse, sed semper differas, apto modo poenitentem excitando, ut ad rectum tramitem redeat.) Hinc confessarius quoad hosce indispositos semper prae oculis habeat verba *Leonis XII.*, qui, jubilaeum universo orbi indicens, in const. *Caritate Christi d. d. 25. Dec. 1825.* ita monet: „Sistunt se quidem multi sacramenti poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos, viscera indutus misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter, mansuete cum ipsis agere. Imparati enim illi tantummodo sunt judicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione (misericordiae enim Domini non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus), vel qui rudes conditione aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere in-

dustria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi: sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis... exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur (sunt verba Tridentini de attritione), carere prudenter judicentur." — Item: „Quocumque animo sint, qui accedant ad sacramentum poenitentiae, nihil ei (confessario) magis cavendum est, quam ne... quispiam ... a sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si justa sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit..., humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino expostulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur."

Cujus generis certitudo autem pro confessario requiratur, ut poenitentem sufficienter dispositum censere queat, sub *n. 624.* expositum habes.

2⁰ Quaestio de *dilatione in stricto sensu* vero occurrit quoad dispositum. Uti recentioribus, sic nec vetustioribus absolutionis dilatio incognita fuit; consulebant eam quandoque pro brevi tempore ut remedium, praesertim contra segnitiem in aliqua obligatione adimplenda ad conatus poenitentis excitandos (v. *II. 2⁰.*).

Et sane hoc remedium inter extraordinaria recensendum, ideoque cum cautela ac prudenti sobrietate adhibendum, quia facile obesse potest (v. *S. Lig. n. 464.*), quia insuper haud raro gratia sacramenti multo magis proficua censeri debet, quam ejus dilatio: hinc regula, ne eo medio utaris, nisi judicetur notabiliter profuturum *(n. 621. II.)*. Vix vero casus occurret, in quo necessarium reputari debet, cum medium aliquod necessarium dici nequeat, nisi agatur de fine necessario obtinendo et medium istud sit unicum: hinc altera monitio, ne cum gravi poenitentis incommodo applicetur (*n. 621. II. not.*).

(Quae omnia tamen ne perperam intelligantur, iterum observandum, de solo poenitente *disposito* hic sermonem institui: nulla autem videtur necessitas differendi absolutionem ejus, ad cujus dispositionem nihil, saltem essentiale, desideratur. Nihilominus aliqua distinctione opus est. Supponamus enim, quod evenire potest, poenitentem scil. optima fide ad sacramentum accedere ejusque dispositioni de facto nihil *essentiale* deesse, confessarium tamen morali certitudine praevidere, eumdem postea in gravia peccata relapsurum, nisi per dilationem absolutionis excitetur. In his circumstantiis dilatio non erit quidem remedium necessarium eo sensu, ac si poenitens ille absque eo *invalide* absolveretur; erit vero medium non solum conveniens in concreto casu, uti supponimus (v. *II.2⁰.*), sed insuper necessarium *per se*, quia unicum, ac proinde confessario qua medico obligatio incumbet, illud adhibendi. (V. ob analogiam, quae sub *n. 611.* de obligatione docendi poenitentes ignorantes statuuntur.) — Cf. *Viva in propos. 60. damn. ab Innocentio XI. n. 15.* et *n. 8.*, ubi ita quoad dispositum: „Quando confessarius judicat, dilationem absolutionis esse necessariam ad facilem relapsum impediendum, tunc tenetur absolutionem differre; quando vero censet, illam esse quidem utilem, sed non necessariam, tunc erit sanum consilium differre, prout in Domino hic et nunc judicaverit."

Licet autem talis necessitas non urgeat, obligatio tamen a parte confessarii ex praedicta ratione non deerit, si istud medium appareat prae ceteris valde proficuum ad salutem poenitentis, quin gravis difficultas ex parte hujus obstet. — V. *Lugo disp. 14. n. 171.*)

c principia imprimis prae oculis debent, dum agitur de abso- consuetudinariorum, recidivo- t eorum, qui in occasione pro- ersantur.

e consuetudinariis et recidivis.

s auctor *(n. 632. 638.)* definit tudinarios et recidivos, praeser- centiores sub his vocibus com- dunt. Vetustiores vero theo- ommuniter nullam inter hosce atiam ponunt, et recidivum vel tudinarium eum appellant, *qui nter post plures confessiones lem specie peccata relapsus est emendatione, etiam inchoata.* differentia notanda, ne regulae, etustiores pro hisce tradunt, abs- lectu consuetudinariis vel recidi- sensu recentiorum applicentur. sa vero potius extrinseca recen- movit, diversam consuetudinis ionem adoptandi, *Juvenini* sci- *liorumque paucorum* assertio, o per vitae emendationem pro- ebere, conversionem consuetu- orum veram esse, antequam ab- tur. Hanc sententiam merito auctor per I^um^ principium sub 2. Neminem enim fugit, talem ionem non esse necessariam, ropensio alicujus potentiae ad malos vel involuntarius affectus quod peccatum, si forte adsit, itionem per se non impediat. dilatio et reditus ad confessa- infallibile medium dici possunt esentem voluntatem poenitentis cendam, cum ille, qui fingit in sione, se dispositum esse, pa- forte dilationem feret et per d tempus se continebit ad ab- nem assequendam, uti fusius *S. Lig. n. 459. §. Secunda vero n. 637. not.*). Sed praeterea emere hoc medium adhibendum, , qui forte dispositus ad confes- accessit, tempore probationis ati succumbens animo cadat et a prolabatur.

Principium II^um^ sub *n. 634.* autem nil novi docet; agitur enim ibi de indisposito, utpote qui certae et gravi alicui obligationi satisfacere renuit.

Vetustiores *consuetudinarii non recidivi* (juxta recentiorum definitionem) specialem mentionem ad summum injiciunt, quando agitur de eo, qui forte per plures annos a confitendo abstinens et vi contracti habitus in eadem peccata frequenter impingens, peculiari confessarii cura, ut patet, indiget, quin tamen opus sit, pro tali poenitente novas regulas tradere.

Hinc de solo recidivo vel consuetudinario in sensu vetustiorum vel „acceptatione theologica“ (ut ait editor romanus) ulterius inquirendum erit.

Et 1° quidem quoad *negationem* absolutionis difficultatem parit regula *S. Alphonsi*, supra *n. 636. III.* exhibita.

Vetustiores enim, etiam illi, quos *S. Alphonsus n. 459.* pro se allegat, *Salmanticensibus* exceptis, qui eam regulam ut probabiliorem (et in posterioribus editionibus ut certam) tradunt, non norunt praeceptum, consuetudinarium, qui nullum conatum adhibuit, absolvi non posse, nisi *signa extraordinaria* doloris afferat, ita ut secus indispositus habendus sit. Ajunt quidem, extraordinaria signa ad dignoscendam poenitentis dispositionem conferre, vel etiam, dum adsunt, non esse recurrendum ad remedium dilationis, quod secus ut quandoque salubre ad eradicandam consuetudinem commendant. Sed praeterea communiter docent, etiam pro consuetudinariis regulam generalem valere, quam *catechismus romanus* ita proponit: „Si audita confessione (sacerdos) judicaverit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvere poterit“ (supra *n. 624.*), quin similia effata cum *S. Lig. n. 459.* ad consuetudinarium restringant, qui prima vice pravum habitum confitetur; addunt

insuper, non opus esse, confessarium sibi persuadere, poenitentem propositum non mutaturum, dummodo existimet, nunc verum et solidum propositum adesse. Si autem aliquando asserant, consuetudinarios non posse absolvi, ex ipso contextu patet, eos vel de illis loqui, qui certo indispositis accensendi sunt, vel ob scandalum removendum etc. id praecipere.

Neque omittit editor romanus adnotare, relapsum ne quoad praecedentem confessionem quidem certitudinem, sed solum suspicionem parere, adfuisse propositum minus efficax, cum humana voluntas mutationi obnoxia sit; multo minus vero exinde ad defectum doloris et propositi in praesenti confessione (saltem directe) argui posse: etiam signa extraordinaria simulationem nequaquam excludere, imo eadem haud raro simulari: testimonium poenitentis tandem non nimis parvi pendendum esse, cum alias in hoc sacramento tanti aestimetur, non obstante quod quandoque fraudes contingant.

Nihilominus doctrina *S. Alphonsi* haud aegre cum communi sententia vetustiorum conciliari posse videtur. Signa enim, quae ipse extraordinaria vocat (supra *n. 639.*), non adeo differunt ab iis, quae alii inter ordinaria enumerant (supra *n. 625. Q. 3°.*); ipse s. auctor *(n. 454. Excip. 2°.)* alias in simili casu dispositionem actualem poenitentis non simpliciter negat, licet signa extraordinaria non appareant, si scil. adjuncta extrinseca adsint, quae spem majoris futurae emendationis ingerunt; praeterea assertiones ejusdem in *Theologia mor. n. 461.* confer. Quae omnia si advertas, facile patebit, etiam *S. Alphonsum* cum recentioribus nihil aliud requirere, quam vetustiores, *sufficientia* scil. *verae poenitentiae signa,* sufficientia quidem etiam circumstantiis consideratis, frequentia scil. relapsus, segnitie poenitentis etc., juxta probabilem tamen et prudentem aestimationem. (Quae regula sic enuntiata insuper removet periculum erroris, quod tum per expressionem „signa extraordinaria", quae tamquam *conditio sine qua non* exiguntur, tum per definitum relapsus numerum non tam longe abest, cum in tanta circumstantiarum varietate in fine vix alia certa norma supersit, quam prudens confessarii judicium.) Sed licet persuasum habeas, poenitentem, dum ad sacramentum accedit, nondum ita animo affectum esse, uti desiderandum foret, non tamen statim absolutionem differas et multo minus neges, sed imprimis ipse dispositionem pro circumstantiis optabilem vel „signa extraordinaria", ut alii eam vocant, elicere conare per doctrinam opportunam, quae etiam viam salutis ineundam monstret, et per monita, omni fervore et flagrante caritate facta.

2° Ut confessarius apte remedium *dilationis* adhibeat, antea perpendat, num juxta regulam alias datam *(n. 621. II.)* sit revera „notabiliter profuturum". Quamvis enim negari non possit, dilationem illam aliquando vim saluberrimam in poenitentes exercere, *in se spectata* tamen nihil ad emendationem illorum confert, imo obesse etiam potest.

Hinc indolem poenitentis consideres. Contingere enim potest, illum per dilationem exacerbari; item consuetudinarium, qui dispositus est vel disponi saltem posset, hac de causa confessarium mutare: „sic enim multi", ita *Dicastillo,* „confessarium mutant, ut jam nova series remediorum incipiat et pro primis vicibus beneficium absolutionis accipiant, cum quo si postea non succedat, mutant et pergunt ad alium, redintegrando etiam ab initio causam et litem." Interdum etiam dilatio nil plane efficiet, quia poenitenti non est molestum, aliquando absolutione privari. —

Dein distinguendum erit inter peccata, quae ex speciali affectu ad aliquod malum oriuntur, ita ut poeni-

intrinsecam fragilitatem reinci-
inter alia, ad quae non affe-
trinsecus allicit, sed mala con-
propellit.
ra priora opus erit robore pro
te infirma; ideoque juxta *com-*
sententiam magis prodest gra-
amenti, etiam frequens, quam
ejusdem. *S. Ligorius (n. 463.),*
medium dilationis pro hisce
ntum utile censeat, non diffi-
e in hoc a communi discedere.
imode judicandum putamus,
relapsus ex vehementia tenta-
vel ex imbecillitate animi vel
re oriuntur.)
poenitentibus vero secundi gene-
tio facilius efficax esse poterit,
errendo segnitiem et acediam
soleat. Hinc a vetustioribus
tius proponitur tamquam me-
d emendandam pravam consue-
, praesertim eam, quae ad ma-
g. perjuria, blasphemias etc.)
iberate aut etiam indeliberate
tendum movet, qui actus tamen
les sint in causa, in emendatio-
icet negligentia, quae in his
is hominem in jugi, ut ajunt,
mortalis statu constituit, nisi
m ad corrigendum vitium cu-
hibeat. Inde fit, ut de dila-
emedio praesertim agant, ubi
is contra 2um decalogi prae-
disserunt. — Commendatur
in dubio de futura constantia
a obligatione adimplenda, v. g.
ndam restitutionem, quam poe-
jam a longo tempore confessa-
misit, quin umquam (absque
excusante) promissis steterit.
toninus.)
non solum ad terrendum poe-
n adhiberi poterit dilatio, sed
t suppetat tempus ad eumdem
truendum vel ut ipse orando,
do, aliquod pium opus exer-
tc. melius se disponat. — (V.
Viva l. c. n. 10.)
pus quoque, ad quod absolutio
r, confessarius attente pendat.

Non desunt enim, uti observat *S. Lig. n. 490.,* quibus vel per diem in peccato mortali remanere durum est. Neque, dum v. g. de pia aliqua reflexione agitur, longo tempore communiter opus erit. Hinc merito sub *n. 623.* asseritur, aliquando vel paucarum horarum dilationem sufficere.

Quoad necessitatem dilationis tandem cf. dicta sub *I. 2^{0}.* Sed licet eo sensu medium unicum pro disposito appareat, adhibenda tamen non erit, si causa gravis aliter suadeat (cf. v. g. *n. 640. Q. 4^{0}.*), cum tunc ob necessitatem sperari possit, poenitenti speciales gratias non defuturas ad animum roborandum, ideoque ipse jus ad absolutionem habeat. — *S. Lig. n. 454. Excip. 2^{0}.*

III. De occasionariis.

Specialem difficultatem confessario parere possunt *occasionarii* ob magnam vim, quam occasio per praesentiam objecti in animum exercet, praesertim si jam inter recidivos in sensu theologico numerari debeant.

Non est porro, cur ad regulas, quae sub *n. 629.* exhibentur, aliquid adnotemus.

At duo alia huc facientia in recentissima editione gall. et rom. mutata invenies. Antequam de hisce sermonem facimus, repetimus, agi de disposito, de illo scil., qui de peccatis vere dolet et sincere media saltem necessaria adhibere proponit; indispositum enim absolvi non posse, nisi disponatur, inter omnes constat.

Itaque 1^{0} ad *Quaesitum 1um* sub *n. 630. negat* nunc aucter generatim, absolvi posse poenitentem, qui occasionem proximam voluntariam nondum deseruit, si adsit occasio *in esse.* Secus tamen, si poenitens praebeat „extraordinaria signa“ doloris, ita ut credi possit, abesse periculum inconstantiae in proposito, praesertim si accedat rationabilis causa, v. g. notae in omittenda communione, solemnitatis, indulgentiae etc.; item ex mente

S. Alphonsi, si poenitens ad eumdem confessarium redire non possit, vel saltem nonnisi post diuturnum tempus, quo in casu juxta s. doctorem etiam jus ad absolutionem habet.

Affirmat vero absolutionis liceitatem, si agatur de occasione *non in esse.* „Si tamen circumstantiae conatum aliquem requirant, v. g. in fugiendo aliquo socio aut non adeunda in certis quibusdam circumstantiis temporis, personarum etc. aliqua domo, tunc ad confessarii prudentiam pertinebit perpendere, an expediat, ut prius poenitens difficultatem vincat.“

2⁰ Quoad illos autem, qui occasione necessaria detinentur et, etiam remediis adhibitis, eodem semper modo relabuntur *(n. 631.),* auctor recipit regulam *Giordanini,* scil. mature perpendendum esse, utrum in praxi difficilius sit, occasionem removere, quam per usum mediorum congruorum occasione praesente vitare peccatum, an vero facilius: si difficilius sit, occasionem auferre, obligationem ad hoc non subsistere.

Praescindendo enim (ita fere editor romanus), num hypothesis rationabilis sit, aliquem serio adhibitis remediis semper eodem modo labi, cum aliquando per remedia relapsus etiam moraliter impossibilis fieri possit (v. g. si fideliter, dum de peccatis *externis* agitur, vitetur conversatio solius cum sola): obligatio deserendi occasionem necessariam *etiam cum periculo vitae, cum jactura omnium bonorum etc. (S. Lig. n. 457.)* neque jure, neque prudenter imponi videtur. *Non jure,* quia alia via, efficiendi occasionem illam remotam, praesto est, usus scil. mediorum opportunorum, ac proinde confessarius desertionem occasionis praecipere nequit, cum non agatur de medio necessario. *Non prudenter;* relapsus enim veram dispositionem non necessario excludit (ut jam adnotavimus). Insuper sive ex negligentia in usu mediorum, sive potius ex fragilitate relapsus proveniat, imprudente fertur medium, quod poeniten cilius exsequetur, quod itaque lum peccandi minus removet, usus mediorum, praesertim, si stulet, medium dilationis „et aliqua poenitentia vel cautio“, *Suarez.* Itaque de talibus nariis, ut observat *Sancius,* ju potius ferri debet tamquam de tibus consuetudinem peccandi, de versantibus in occasione. „etsi confessarius poenitenten riat fragilem adeo atque etiam stantem in mediis adhibendis, minus dispositum ad absolutio defectum efficacis propositi j debeat, adhuc imprudenter ab tam fragili, infirmo et imbe exiget, quod difficilius ac m impossibile illi est — multoq prudentius rigide ac dure eum Sic enim hoc unice consequet poenitens desperabundus pecca fundius immergatur. Contra v ritas, benignitas et patientia saepe excipiendo et audiendo tem obtinebit, ut nec penitus deseratur, nec media ac omnino abjiciat, nec via il datur, qua consiliis et hor adjuvari possit, aditumque ciliationem sciat semper s patere, prouti scilicet doc dum monent, ubi disser fessionibus meretricis, v rumque hujusmodi, qui ficienter dispositi, sed seu melioris vitae desid minus efficax seu velle habent.“ (Et haec qui dubie serio confessariu bet. Negari tamen v quandoque occurrere, dente ad magnam frag valde periculosa, rem stra per longum ter poenitens ipse, no bona voluntate, mor debebit, se etiam nem istam freque

que jam nullum aliud me-
superesse, quam fugam oc-
iam cum gravissimo incom-
terum, si poenitens, secus
ıstantiis dispositus, quoad
ıtionem in bona fide ver-
his extremis casibus sane
pendendum erit juxta prin-
ıuferenda ignorantia poeni-
ı expediat vel obligatio ad-
nedium ipsi injungere. Mi-
confessarii praecepto forte
uetur, ideoque consuetis
iam ea ob non dimissam
addet.)
imus ea, quae pro materiae
breviter diximus, verbis,
Lig. n. 463. quoad con-
os utitur, non posse scili-
sce casibus regulas genera-
o invariabiles statui, „sed
s ex circumstantiis occur-
dirigere debet et, postquam
mmendavit, ut erit a Deo
absolutionem differat vel
r."

PUNCTUM III.

poenitentibus piis.

ırius constituitur non tan-
bsolvendos peccatores, sed
animas in via perfectionis
; omnibus enim confessariis
nc Dominus, quod olim Je-
it: *Ecce, constitui te super*
evellas et dissipes, aedi-
antes.(1)

ıe generales directionis.

- I^a *Regula.* Ante omnia
nfessarius, poenitentium in-
mi motus et conditionem

perspicere, ut instructionem possit illorum capacitati et naturae accommodare; neque enim omnes sunt eodem spiritu ducendi, nec uno modo omnes regendi. — Vide *S. Lig., Prax. conf. n. 99. et seq.*

II^a *Regula.* Ducat poenitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ita ut prius conentur assequi primum virtutis gradum, quam ad supremum contendant; v. g. prius discant operari recta intentione et actiones ordinarias recte peragere, quam alta meditentur; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati aequo animo, quam de adversis velint gaudere.

III^a *Regula.* Doceat omnes, perfectionem cujusque in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, v. g. ut bene orent, missae intersint, laboribus sese exerceant, refectionem corporis modo, quo par est, sumant, inoffense cum proximo conversentur, examen conscientiae instituant, omnia denique, ad quae ex officio et statu incumbunt, recte obeant.

642. — IV^a *Regula.* Probet opportune poenitentes devotionem profitentes, ut advertat, quo spiritu ducantur, an Dei vel mundi, amoris vel timoris, et quis affectus sit in eis praedominans, qui primo mortificandus est. Attamen non omnes eodem modo probandi et tractandi sunt, sed cautela et discretione opus est. Sic benignius excipiendi, qui ad tristitiam proni sunt, ne in nimiam animi dejectionem labantur; animae etiam adhuc tenerae, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandae. Si autem animae sint nobiliores aut fortiores, vel habeant beneficia Dei extraordinaria, suavitati jungenda est quaedam severitas. Sed caveat confessarius, ne probatio sit aperta; secus enim nihil prodesset.

V^a *Regula.* Non imponat extraordinarias poenalitates, sed sic instituat animas, ut ipsaemet eas sponte deposcant. Nec tamen credendum

necessitas, confessarium etiam
, quam vocant *asceticam,* cal-
aliqua saltem scientia theo-
ticae requiritur, ne quoad ca-
:currere possunt, omnino igna-
tur.

illarum spiritui, quae studiose extraordinaria sectari deprehenduntur, nisi adsint signa certa, eas impulsu divino duci. Si quis advertatur in rebus agendis proprii judicii tenax, suaviter(1) esset corrigendus.

VI^a *Regula.* Curet, ut ii, qui ad sacram synaxim frequenter accedere possunt, singulis hebdomadis aut saltem bis in mense confiteantur, et ordinarie absolutionem recipiant. Dico: *ordinarie;* quia non est necesse, ut singulis vicibus absolvantur; potest enim interdum sola benedictio ipsis impertiri(2).

Vide plura apud S. Lig., Praxis confessarii.

ARTICULUS II.
DE OFFICIO MINISTRI POST CONFESSIONEM.

Duplex est obligatio confessarii post confessionem: 1° *per accidens,* quoad defectus commissos reparandos; 2° *per se,* quoad sigillum servandum.

§. I.
De obligatione corrigendi defectus in confessione commissos.

Principia:(3)

643. — I. Error circa valorem sacramenti (1), cum gravi culpa vel gravi negligentia commissus, reparandus est etiam cum gravi incommodo confessarii, supposito gravi damno poenitentis. (2) Ratio est, quia con-

---

(1) Num cum persona proprii judicii tenaci *suaviter* agendum sit, necne, potius ex perspecta ejus indole et adjunctis definiendum videtur. Illud sane maxime interest, ut huic vitio prorsus efficaciter confessarius medeatur; tenacitas enim judicii aegre componetur cum perfecta illa obedientia, sine qua et profectus in vera virtute vix ullus sperari potest, et gravis quoque ruinae periculum non frustra timetur. — (Editor rom.)

(2) Cf. *n. 422. Q. 7°.* cum *nota.*

(3) Quae auctor in sequentibus evolvit, non sat plana apparent, nec semper veritati ad amussim consona.

Possunt in administratione hujus sacramenti defectus contingere, ex quibus pro confessario obligatio reparandi damna exorta enascitur, quatenus vel aliquid deest, quod in illa administratione exigitur, vel a confessario aliquid praecipitur etc., quod damnum gignit. Tales obligationes autem ad justitiam vel ad caritatem pertinent.

Si enim talis defectus *quoad poenitentem* ipsum contingit (v. g. per invalidam absolutionem; per doctrinam nocivam; per consilium, quod poenitentem periculo proximo peccati exponit; per mandatum, restitutionem non debitam faciendi etc.), urgebit obligatio reparandi istud damnum non ex caritate solum, sed *ex justitia.* Licet enim forte confessarius non ratione particularis officii adactus, sed ex caritate tantum vel absque obligatione ad audiendam confessionem accesserit, incepto tamen munere tenetur ex quasi-contractu sacramentum rite administrare, uti etiam *S. Lig. n. 619. Secunda sententia* docet, quamvis antea de obligatione ex sola caritate locutus sit.

Hinc confessarius, qui per illum defectum *graviter* deliquit, juxta principia de damno injuste dato noxam illam reparare debebit etiam cum relative gravi incommodo; si vero *absque culpa* officio suo defuit, cum levi incommodo tantum *(p. 1. n. 662. Q. 3°.),* nisi tamen agatur de damno relative nimis gravi, v. g. si „subesset periculum damnationis infirmi, qui moritur cum invalida absolutione vel in simili casu" *(Lugo disp. 22. n. 59. 63.),* quod valebit eo magis, si confessarius a levi culpa excusari nequit.

Ad gravitatem damni vero hinc et inde recte aestimandam circumstantiae, ut observat *editor rom.,* perpendantur, incommodum scilicet confessarii in monendo; gravamen poenitentis in sermone de confessione instaurando; utrum agatur de malo minori impediendo, v. g. de peccato materiali, an de majori, de occasione scilicet proxima removenda, de auferendo scandalo, de matrimonio invalide contrahendo etc. —

Si autem defectus ille *tertium aliquem* damno afficiat, confessario obligationes cooperantis ad damnum incumbent. Ideoque, si cum laesione justitiae *positive* per mandatum, consilium etc. in damnum influxit, ex justitia quidem obligabitur; si *negative,* ex caritate, cum quoad tertium illum nullo officii vel quasi-contractus vinculo obstringatur.

(1) si scil. invalide administratum est —

(2) Hinc probabiliter confessarium ab hac obligatione, in quantum grave in-

ıarius tenetur ex officio et ex quasi-
.tractu cum poenitente inito rite
ı administrare sacramentum. Secus
em *per se,* si error sit inculpabilis,
leviter culpabilis, quia confessarius
igari nequit ex justitia et cum gravi
ommodo, ubi nullam aut levem cul-
n admisit. Remanet igitur tantum ob-
ıtio levis ex caritate, excepto casu ex-
mae necessitatis. — *S. Lig. n. 619.*
I. Error circa accidentia sacra-
nti (¹) non est reparandus extra
ıfessionem, si confessarius in hoc
ıative tantum, etsi culpabiliter, se
ıuerit, quia confessarius non tene-
procurare integritatem sacramenti
utilitatem poenitentis, nisi in con-
ıione, ut medicus spiritualis et mi-
ter sacramenti. — Reparandus est
em etiam extra confessionem error,
positive et cum culpa gravi com-
ısus fuerit, quia ex jure naturali
sque debet tollere causam mali,
ım positive et voluntarie posuit.
S. Lig. n. 620.
III. Minor tamen erit in hoc po-
riori casu obligatio monendi extra
ıfessionem, quia hic error raro poe-
enti vel aliis (ratione scandali) no-
e potest. (²) — *Ita communiter.*

Quaesita:

644. — Quaer. 1° *Ad quid teneatur confessarius, qui indebite poenitentem a restitutione facienda solvit, vel e contrario ad eam obligavit?*

Resp. 1° Si ex malitia vel ignorantia vincibili aut gravi negligentia solverit indebite poenitentem, tenetur errorem corrigere (¹); si vero non corrigat, vel si interea factus sit impotens ad restituendum poenitens, qui secus restituisset (²), confessarius ipse ejus loco restituere tenetur, quia jus creditoris violavit, impediendo scilicet restitutionem ei debitam.

Resp. 2° Si ex eadem malitia aut ignorantia vel negligentia gravi obligavit poenitentem ad restitutionem indebitam, tenetur pariter ex justitia errorem retractare. Si poenitens jam restituit, tenetur ipsi damnum resarcire, ob eamdem rationem.

Resp. 3° Si inculpabiliter aut ex levi negligentia poenitentem indebite obligavit vel ab obligatione solvit, tenetur ex justitia errorem dedocere, sed cum levi incommodo tantum. Ratio est, quia ex una parte quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum, quod facile praecavere potest: et ex alia parte non potest adesse obligatio cum gravi incommmodo ex culpa levi aut tantum materiali, saltem ordinarie. — *S. Lig. n. 621.*

645. — Quaer. 2° *Ad quid teneatur confessarius, qui omisit monere poenitentem de restitutione facienda?*

ımodum affert, liberant, si poenitens
ırea alteri confessus sit vel euchari-
ım susceperit; tunc enim moraliter
to justificatus praesumi potest. — *S.*
7. n. 619. — Cf. supra *n. 192.*

¹) i. e. si confessarius neglexit inter-
ıare de speciebus et numero peccato-
ı, cum interrogare debuisset — *S.*
7. n. 620.

²) Excusatur itaque in hoc casu con-
ıarius, licet cum culpa gravi positive
ıitentem induxerit, ne v. g. speciem
ılicaret, si sine scandalo vel sine gravi
ı damno monere nequeat; grave da-
ım enim, sicuti poenitentem, ita et
ıfessarium ab integritate confessionis
ıusat. Si vero sine gravi culpa ita
ırit, multo minor causa ab hac obliga-
ıe liberabit; si absque culpa, regula-
ır non tenetur ad hanc monitionem.
S. Lig. ib.

Si tamen non solum in aliquo particu-
ı casu poenitentem ab onere explicandi
g. speciem indebite solvit, sed in-
ıper falsum praeceptum ipsi intimavit,
v. g. non opus esse, species peccatorum explicare, rigidior saltem in genere obligatio ad monitionem subsistet. —

Similis resolutio esto, si confessarius oblitus sit poenitentiam injungere; nihil enim valori sacramenti deest. — *Scav.*

(¹) juxta principia supra ante *n. 643.* data.

(²) Si enim, quamvis monitus, non restituisset ante impotentiam, etiam confessarius non obligatur. — Cf. *S. Lig. l. c.*

Resp. 1° Tenetur monere poenitentem de obligatione cum aliquo incommodo, si nulla aut levis tantum culpa intervenerit, saltem ratione caritatis; et cum majori incommodo, si in omissione graviter peccaverit. (1) — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 621.*

Resp. 2° Non tenetur probabilius restituere, si monitionem omittat, etiamsi graviter peccet aut prius peccaverit negligendo monitionem facere, quia confessarius non tenetur ex justitia impedire damnum ejus, cui debetur restitutio. — *Recole dicta in tract. de justitia n. 691.*, ubi de cooperatoribus negativis. — *S. Lig. ibid.*

646. — Quaer. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui ex levi culpa tantum poenitentem ab obligatione restituendi solvit, si negligat eum monere, cum facile possit?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia, licet confessarius sine culpa, saltem gravi, poenitentem exemerit a restitutione debita, tamen, cum ejus consilium pergat influere in damnum creditoris, cognito errore tenetur ipse ex justitia causam damni auferre, si facile possit. — *S. Lig. n. 621.* et *alii communiter* contra *aliquos.*

Quaer. 4° *An confessarius loqui possit extra confessionem cum poenitente de defectu commisso in confessione sine ejus licentia?*

Resp. Negative, quia monitio illa extra confessionem onerosa esset poenitenti. Aliunde post absolutionem completum est judicium, licet monitio fiat ad reparandum defectum praeteritae confessionis. (1) — *S. Lig. n. 622.* — *Lacroix n. 1776. etc.*

§. II.
De sigillo confessionis.

Sigillum confessionis est religiosa obligatio servandi secretum circa ea, quae ex confessione sacramentali cognita sunt.

Agendum: 1° de obligatione sigilli; 2° de subjecto sigilli; 3° de objecto sigilli; 4° de modo vario illud violandi.

PUNCTUM I.
De obligatione sigilli.

Principia:

647. — I. Datur strictissima obligatio inviolabiliter servandi sigillum confessionis. Constat: 1° *Ex jure naturali*, et quidem triplici titulo, nempe ex caritate, ex justitia, ex religione. — 2° *Ex jure divino positivo* saltem implicito; nam ex institutione Christi confessio secreta esse debet: ergo eo ipso a Christo imposita est confessariis obligatio sigilli

(1) Duo hic confundi videntur. Si enim de *poenitente* agitur, sane praedictae obligationes adsunt, modo poenitens ex silentio confessarii ad omissionem restitutionis moveatur; tunc enim ex defectu confessarii occasio violandi saltem materialiter praeceptum divinum oritur (*Lugo disp. 22. n. 65.*). Sed haec obligatio juxta supra dicta non ex caritate, sed ex justitia erit.

Si autem de illo agatur, *cui per hanc omissionem debitum non restituitur,* obligatio monendi erit solummodo ex caritate, ideoque in genere cum levi incommodo juxta principia de caritate tradita, tamen etiam cum majori, si maximum malum proximo imminet. An insuper caritas cum majori incommodo obstringat, si confessarius antea *cum gravi culpa* suae obligationi defuit, uti asserit *Lugo ib. n. 66.* et approbat *S. Lig. n. 621.*, decernere non audemus.

Hinc quandoque duplex obligatio confessarium urgebit, justitiae scilicet et caritatis.

(1) Cf. *n. 652. Q. 2°.*

Si tamen confessarius poenitentem absolutione dignum non vel invalide absolvit, id ipsi juxta aliquos exponere potest, quin opus sit licentiam petere, cum tunc nulla peccati exprobratio interveniat. — *S. Lig. l. c.* Imo, confessarium ad hoc obligatum censemus, si id in periculo mortis contingeret et aegrotus jam nullum aliud sacramentum susceptrus esset, quamvis semper consultum sit, veniam petere.

— 3° *Ex jure ecclesia-*
ɔnstat ex variis juris can.
aesertim ex *concilio Late-*
c. 21. (c. Omnis utriusque
] *de poenit. et rem. V. 38.),*
ur: *Caveat autem omnino*
rius), ne verbo aut signo
quovis modo aliquatenus
eccatorem, sed, si pruden-
silio indiguerit, illud abs-
expressione personae caute
(1)
igatio sigilli confessionis sem-
omni casu urget, ita ut *in*
u possibili(3) liceat revelare
in confessione auditum et
. Obligatio enim sigilli con-
nullam patitur exceptionem,
qua posset dari exceptio,
ɔmines timerent, ne tale pec-
:et illa causa frangendi licite
et proinde odiosum evaderet
.um. Porro nulla causa boni
i vel mali fugiendi istud
ɔdii sacramenti compensare
- V. *S. Lig. n. 634.*
ɔligatio sigilli oritur ex omni
nfessione *sacramentali,* quae
cum animo se accusandi et
ɪem obtinendi. 1° *Ex omni*
ɪ tunc adest tota ratio prae-
hoc valet, etiamsi non col-
t absolutio quacumque de
m confessio fiat in ordine ad

ɪtio sigilli sacramentalis sane
sua peccatum grave est, sacri-
et, et plerumque etiam detra-
ectusque fidelitatis. — *S. Lig.*
- *Anal. J. P. ser. 5. col. 315.*
autem per jus commune contra
sigilli sacramentalis statutae
ris, Bibl. Pr. ad v. Sigillum
25. et seq.) sunt solummodo
ɔntentiae. — *S. Poenit. 8. Jun.*

ɪen omnem inanem suspicionem
ɪs hac in re evitare debet, sed
ɔbabilem. — *S. Lig. n. 661.*
ɪ post mortem poenitentis —
. *634.*
oc secretum *sacramentale* dif-
:eto *naturali,* quod, licet oc-
ɔnfessionis exortum, non tamen
asu obligat.

recipiendam aliquando absolutionem aut ad animae directionem. (1) — 2° *Ex sola etc.,* quia sola confessio sacramentalis includit rationem praecepti, cum alia manifestatio quaelibet nullam relationem cum sacramento poenitentiae habeat. — *S. Lig. n. 636. et seq.*

Resolves:

648. — 1° Confessio, quae *scienter* fit laico vel sacerdoti jurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus dicendum est, si sacerdos credatur approbatus, quia confessio ex parte poenitentis vere est sacramentalis.

2° Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi, non se accusat in ordine ad sacramentum et nulla est obligatio sigilli sacramentalis.

3° Contra, si quis conscientiam confessario aperiat sine voluntate absolutionem recipiendi, sed ut consilium obtineat (2) vel ut mandato superioris aliquo modo satisfaciat (3), urget sigilli obligatio.

Quaesita:

649. — Quaer. 1° *An detur parvitas materiae in sigilli violatione?*

Resp. Negative, saltem in revelatione directa. Ratio est, quia materia etiam levissima includit totam rationem praecepti. — *S. Lig. n. 635.*

Dixi: *saltem in revelatione directa;* quia, si periculum indirectae revelationis sit valde remotum seu parum probabile, dari posset materiae

(1) Cf. *n. 648. 3°.* cum *not.*

(2) dummodo id fiat per modum confessionis inceptae *(n. 654. Q. 4°.)* vel confessionis continuatae —

(3) Cum in hoc posteriori casu susceptio *sacramenti* nullo modo intendatur, nec obligatio sigilli *sacramentalis* adesse videtur.

parvitas. Etenim, si revelatio tunc forte sequeretur, velut ex casu et per accidens subsequi censenda foret.

650. — Quaer. 2° *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli?*

Resp. Negative, quia non licet uti opinione probabili in praejudicium juris certi, quod alter possidet etc.(1) Confessarius igitur ad sigillum tenetur etiam in dubio, an aliquid dictum sit a poenitente in ordine ad confessionem. — *S. Lig. n. 633.*

Quaer. 3° *Quid confessarius respondere debeat interroganti de auditis in confessione aut de impertita absolutione?*

Resp. Quoad 1um respondeat etiam cum juramento, si opus sit, se nihil scire vel nihil audivisse, quia nullam habet scientiam communicabilem. — *Ita omnes.* — Quoad 2um respondeat: *Functus sum meo officio!* vel: *Suntne interrogationes istae faciendae?* — *S. Lig., Hom. apost. tr. 16. n. 148.*

PUNCTUM II.

De subjecto sigilli.

Principia:

651. — I. Tenetur primario ad sigillum confessarius quilibet, sive verus, sive fictus et per errorem legitimus existimatus, et proinde etiam laicus, qui se sacerdotem fingeret et confessionem exciperet. Ratio est, quia, quoties quis confitetur in ordine ad sacramentum, qui eum audit, quicumque sit, contrahit eo ipso sigilli obligationem; secus enim odium sacramenti inde sequeretur. — *Ita omnes.*

II. Tenentur secundario, qui confessionis fiunt participes, seu ii omnes, ad quos notitia confessionis quocumque modo pervenit sive ex ipsa confessione, sive ex mediis ad illam ordinatis. 1° *Ex ipsa confessione;* nam res accusata ad illos pervenit ea ipsa ratione, propter quam obligatio sigilli datur, scilicet, ne odium in sacramentum creetur. 2° *Ex mediis;* nam odium mediorum in finem ipsum redundat.

Hinc ad sigillum tenentur: 1° interpretes in confessione peragenda forte adhibiti; 2° superiores, a quibus extra sacramentum petitur facultas absolvendi vel recipiendi absolutionem a casu reservato; 3° qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive etiam inculpabiliter audiunt, et pariter alii, qui ab istis illud audirent; 4° qui scribunt confessionem rudium vel ignorantium linguam confessarii, quoties vix alio modo confessio peragi posset(1); 5° doctores a confessario consulti de licentia poenitentis(2); 6° ii omnes, quibus confessarius sacrilege vel imprudenter peccata in confessione audita manifestasset. — *S. Lig. n. 647. 648.*(3)

Quaesita:

652. — Quaer. 1° *An poenitens etiam obligetur sigillo respectu confessarii?*

Resp. 1° Non tenetur ad sigillum sacramentale, quia obligatio sigilli est tantum in favorem poenitentis.

Resp. 2° Tenetur autem ad secretum naturale circa ea, quae revelare nequit sine injusto damno confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem, vel sine injuria et contemptu sacramenti. — *S. Lig. n. 647.*

(1) et praesertim in praejudicium sacramenti.

(1) V. *n. 653. Resp. 2°. not. 3.*

(2) accuratius: etsi de licentia poenitentis — Cf. *n. 671. 2°. not.*

(3) Cessat autem haec obligatio, si poenitens licentiam dedit utendi scientia ex confessione. Haec autem licentia expressa, omnino spontanea et non revocata sit oportet, et ultra fines a poenitente permissos non extendatur, servatis simul conditionibus ab ipso appositis. Nec petatur, nisi rationabilis causa id exigat. — *S. Lig. n. 651.*

Item non violatur secretum sacramentale per ea, quae confessarius non ex sola confessione, sed simul aliunde scit et in quantum ea hoc modo scit. — *S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. a. 3.*

Cf. etiam *Gury, Casus Consc. p. 2 n. 752.*

r. 2° *An confessarius pos-*
ıi cum poenitente de ipsius
ɔne?

1° Potest loqui in confes-
omnibus confessionibus prae-
)

2° Potest etiam loqui post
ınem, antequam poenitens dis-
vel si forte redierit. Ratio
a, licet completum sit sacra-
, tamen judicium adhuc mo-
ıerseverat.

3° Non potest extra sacrum
ne ullum quidem verbum fa-
ınitenti circa ea, quae ad ejus
ınem pertinent, sine ipsius
Excipe: si ipse poenitens
: sua conscientia loquatur (²).
Lig. n. 651. et seq.

— Quaer. 3° *An teneatur*
lum, qui legit chartam, in
nitens confessionem scripsit?

1° *Negative per se.* Ratio
ı hoc non est medium de se
m ad confessionem, et proinde
per se obligatio *sigilli sacra-*
;, sed tantum *secreti natura-*
ı gravi tamen per se urget,
levissimis culpis agatur. —
n. 650.

. 2° *Per accidens* potest ad-
igatio sigilli, si charta esset
set medium necessarium ad
ınem, v. g. si scripta esset a
, vel directa ad superiorem
–

ute tamen id fiat et ex ratione
e, ne forte poenitens offendatur.
. *n. 471.*

:. si loquatur de iis, quae fue-
ıfessionis materia: neque enim
ermo a poenitente injectus de
ıscientiae suae facultatem tribuit,
ɔus in confessione ab eo auditis
ıdi. Imo confessarius non debet
materiam, de qua poenitens
cit. — (Editor. rom.)

am *n. 646. Q. 4°.*

ıidquid sit de *necessitate* pro
nfitendi per scripturam, de qua
ıte non constat (cf. *n. 503. Q. 7°.*
.), negari nequit, in hoc casu
ım istam non pro solo poenitente,
l. memoria adjuvanda, inservire,

alicujus reservationis causa; item si esset jam tradita sacerdoti, vel si esset relicta in sacro tribunali (¹); quia in his casibus ad confessionem pertinet. — *S. Lig. ibid.*

654. — Quaer. 4° *An teneatur ad sigillum confessionis doctor consultus ab ipso poenitente?*

Resp. Negative, saltem *probabilius,* si consulatur circa confessionem alteri faciendam, sed tenetur tantum ad *secretum naturale.* Ratio est, quia obligatio sigilli oritur ex sola confessione sacramentali, in qua poenitens manifestat peccata in ordine ad absolutionem obtinendam. — *S. Lig. n. 649.* — *Suarez d. 33. sect. 4.* — *Billuart diss. 8. art. 3. 3°.* contra *aliquos,* qui *affirmant,* ex eo quod revelatio confessionem redderet odiosam. Sed merito reponit *S. Lig.:* non ipsa confessio, sed consultatio odiosa evaderet.

Dixi supra: *si consulatur circa confessionem alteri faciendam;* quia, si poenitens eum consulat circa confessionem ipsimet faciendam, sigillo tenetur, cum haec consultatio velut inchoata confessio habenda sit.

PUNCTUM III.
De objecto sigilli.

Principia:

655. — I. Objectum sigilli sunt omnia peccata confessa (²) et omnia,

sed immediate ad confessionem referri et medium ordinarium esse accusandi peccata *in specie.* Hinc non dubitamus, ex lectione talis schedulae obligationem sigilli sacramentalis oriri. — V. *Lugo disp. 23. n. 47. et seq.,* ubi ait, subditum per literas, quibus licentiam petit a praelato, ut absolvatur a casu reservato, „loqui formalissime cum praelato."

(¹) *Lugo,* cujus sententiam auctor hic referre videtur *(l. c. n. 48.),* loquitur tantum de scriptura, per quam *mutus* confessus est.

(²) etiam peccata venialia in particulari. — *Violaturne sigillum, si confessarius in genere asserat, poenitentem confessum esse (unum) veniale?* Non

quae ad individuam peccatorum explicationem pertinent. Ratio est, quia non tantum pro peccatis, sed etiam pro iis omnibus, quae juvant ad ea explicanda, urget radicalis ratio sigilli, et aliunde haec cum peccatis quid unum constituunt.

II. Objectum sigilli est etiam, quidquid in confessione manifestatum est, cujus revelatio cederet in gravamen poenitentis et in odium sacramenti, quia sigillum inductum est, ne ex metu revelationis fideles a sacramento poenitentiae retrahantur. (1)

Resolves:

656. — Sub sigillo confessionis cadunt:

1° Omnes peccatorum circumstantiae, etiam post absolutionem declaratae: nam unum moraliter sunt cum peccatis accusatis, ad quae referuntur; imo etiam si dubium esset, utrum in ordine ad confessionem declaratae sint, necne.

2° Peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex intrinseca confessionis occasione dicta sunt.

3° Poenitentiae impositae, nisi forte sint valde leves seu ex iis, quae pro levissimis culpis imponi solent(1). — *S. Lig. n. 640. et seq.*

4° Defectus manifestati per confessionem ad explicandam peccati rationem, v. g. si poenitens dicat, se sacros ordines cum irregularitate suscepisse, eo quod sit illegitimus etc. — *S. Lig. n. 642.*

Quaesita:

657. — Quaer. 1° *An virtutes et scrupuli poenitentis sub sigillo cadant?*

Resp. ad 1um *Negative per se,* nisi inde sequatur gravamen poenitentis vel aliorum.

Resp. ad 2um *Affirmative,* quia scrupulositas aliquo modo est materia confessionis et aliunde ex tali manifestatione gravamen poenitentis haberetur. — *S. Lig. n. 641. et seq.* — *Lacroix n. 1947.* — *Lugo etc.* (2)

Quaer. 2° *An cadant sub sigillo defectus naturales poenitentis, v. g. quod sit surdus, balbutiens, pauper, ignarus, claudus etc.?*

Resp. 1° *Affirmative,* si confessarius noverit tales defectus ex declaratione poenitentis, seu quatenus fuerunt manifestati ad declaranda peccata, quia tunc connexionem cum confessione habent et eorum declaratio sacramentum redderet odiosum.

Resp. 2° *Negative* vero, si confessarius illos defectus incidenter tantum noverit, ob rationem oppositam. — *S. Lig. n. 642. 643.* et *alii communiter* contra *nonnullos.*

---

desunt, qui affirmant. In praxi quaestio juxta circumstantias decidenda videtur, considerando, num per tale dictum confessio forte odiosa reddi possit.

(1) *Stricte loquendo* praeter peccata confessa et eorum circumstantias ea solummodo sub sigillo sacramentali obligant, quae, licet non sint materia absolutionis, tamen indirecte ad judicium sacramentale pertinent, vel quia a poenitente adduntur, ut accuratius peccata explicet, vel quia ex iis de peccato (accusato) aut de persona, quae illud commisit, conjectura fieri posset. — Cf. *Anal. J. P. ser. 5. col. 304. et seq.* Ceterum, etiamsi forte aliquando sigillum sacramentale per se non obligaret, attamen ex aliqua manifestatione sacramentum odiosum reddi posset, confessarius obligationum reminiscatur, quae ex secreto naturali et ex officiis prudentiae caritatisque enascuntur.

(1) Aliqui neque hasce revelare permittunt, cum poenitens solummodo petendi consilii causa ad confessionale accedere potuisset. — *Scav.* — Cf. *n. 655. I. not.*

(2) Certo ad judicium sacramentale pertinent actus, quos poenitens ex scrupuloso judicio peccata putabat et confitetur; item scrupulositas, quae ut defectus moralis judicio sacramentali subjicitur. Controversia vero est de scrupulositate vel aliis defectibus, quos „confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest." — *Lugo disp. 23. n. 60.*

— Quaer. 3° *An cadant llo peccata commissa in ipsa one, v. g. impatientiae, con- ; in confessarium?*

1° *Negative rigorose per* culpas illas poenitens non r, ut patet.

2° *Affirmative* tamen ple- quamvis *per accidens* tantum. im peccata illa non sint per ia sigilli, saepe tamen per periculum revelationis aliquo volvunt; indicium enim pro- raebent, quod confessarius vel tem noluerit absolvere, vel culpam graviorem eum seve- rehenderit etc.

aderet autem sub sigillo fur- oenitente in ipsum confessa- ipore confessionis commissum. constaret, furem ad confiten- isse, ut furandi occasionem nec peccata ab ipso accusata ateria confessionis, siquidem fessio non vera, sed simulata esset.

— Quaer. 4° *An violet si- qui dicit, se audivisse talem n in confessione?*

Negative, quia agnoscitur seu extra confessionem, quod ccedat ad confitendum. Ali- c non est *per se* odiosum, s laudem affert. Confessarius l secretum naturale teneretur, clam ad confitendum acces- liquando autem per accidens gravis peccati sic ingeri pos- *S. Lig. n. 638.*

r. 5° *An violet sigillum, t, se talem poenitentem ab-*

Negative per se, quia istud i in tali casu onerosum esse Attamen posset in variis cir- iis onerosum evadere aliis, s idem dici non potest. — *muniter.* — *Antoine c. 4. 5. Resp. 2.*

Parentes, magistri, heri, inter- de absolutione data filiis vel subditis, remittendi sunt ad ipsos poenitentes. Similes quaestiones facere solent moniales curae infirmorum in nosocomiis addictae, ut sciant, an necessaria ad viaticum ministrandum parare debeant; similiter ad infirmos sunt remittendae, vel melius petenda ab infirmo licentia moniales vel alios monendi. Sufficiet ipsi dicere: Monebo etc.

660. — Quaer. 6° *An confessarius tradens poenitenti schedulam in testimonium confessionis, declarare possit, eum fuisse absolutum?*

Resp. Negative omnino. Ratio est, quia daretur comparatio cum poenitentibus, qui non possent declarari *absoluti,* et proinde sequeretur indirecta confessionis revelatio. (1) — Excipit *S. Lig. n. 639.:* si schedulae essent typis editae et in iis diceretur, absolutionem fuisse datam, quia tales schedulae omnibus traderentur. (2)

Quaer. 7° *Quomodo conficienda sit schedula confessionis?*

Resp. Sic confici solet: Ego infra scriptus testor, me audivisse confessionem domini N. die tali etc.; et subscribit confessarius. Vel brevius: Audivi talem in confessione die etc. Potest etiam dici: Audivi confessionem sacramentalem, quia est sacramentalis omnis confessio, quae fit in ordine ad absolutionem recipiendam, sive absolutio data fuerit, sive non.

661. — Quaer. 8° *An violet sigillum confessarius, qui poenitenti indisposito schedulam confessionis denegat?*

Resp. 1° *Affirmative,* quoties denegat schedulam poenitenti extra confessionem eam petenti. Ratio est, quia utitur notitia confessionis ad ex-

(1) Omissa quaestione, an testari de impartita absolutione umquam expediat, manifestum est, resolutionem auctoris locum habere tantummodo, quando ea comparatio et consequens inde incommodum intercedat. — (Editor rom.)

(2) Imo, censet *Scavini n. 575.* probabile, ejusmodi schedulam exhiberi posse, etsi poenitens se solummodo praesentaverit confessario, quin confessus sit, saltem cum palam eam petit.

terius agendum, et quidem cum magno poenitentis gravamine.

Resp. 2° *Affirmative* etiam, si poenitens non absolutus petat schedulam intra confessionem et agatur de iis circumstantiis, ubi solet dari vel a superioribus poenitentis exigitur, ut saepe fit tempore paschali pro alumnis collegiorum, famulis etc. Ratio est, quia tunc negare schedulam idem esset ac indirecte dicere, poenitentem non esse rite confessum nec absolutum, ideoque erit indirecta sigilli violatio. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 639.* — *Elbel n. 492.* — *Sporer n. 839. etc.*

Resp. 3° *Negative* autem, si poenitens petat schedulam in confessione extra praefatas circumstantias, seu quando non solet omnibus dari vel a superioribus non exigitur. Ratio est, quia tunc confessarius nihil dicit, sed se habet mere negative et non approbat testimonio positivo illam confessionem, ad quod non tenetur. Aliunde poenitens non compellitur a necessitate declarandi aliis, se non fuisse absolutum; unde, si dicat, ipse suam indispositionem patefacit, non vero confessarius. — *Ita Lugo disp. 23. n. 87.* cum *aliis.*

Potest tamen confessarius non raro etiam tali poenitenti indisposito dare schedulam confessionis ob varia incommoda, quae ex ejus denegatione sequerentur, nec tunc cooperabitur sacrilegio poenitentis, qui forte hoc confessionis testimonio utetur ad sacramentum vivorum, ut eucharistiam vel matrimonium, in statu peccati recipiendum, quia id suae malitiae poenitens tribuere debebit. — *Elbel n. 492.*

Resp. 4° *Negative* etiam, quoties poenitens simulatam confessionem fecit, v. g. ad poenam fugiendam, infamiam vitandam aut schedulam arripiendam, ut si juvenis intuitu matrimonii sic confiteatur: *Feci, quod solent facere juvenes meae conditionis: nihil mihi superest aliud dicendum. Non peto absolutionem, sed testimonium peractae confessionis.* Non enim frangitur sigillum, sive schedula denegetur intra, sive extra confessionem. Ratio est, quia sigillum oritur ex sola confessione sacramentali, quae hic nullo modo habetur. Nec generatim potest confessarius talibus schedulam concedere, quia sine ratione sufficienti eorum futuro sacrilegio cooperaretur. Praeterea falsum assereret, nempe ipsos fuisse confessos, dum falsum est. — *Lugo disp. 23. n. 87.* — *Elbel n. 494. etc.*

662. — Quaer. 9° *Quid agere debeat confessarius detegens, poenitentem esse surdum?*

Resp. 1° Si advertat ad surditatem in principio confessionis, ei imponere debet, ut tempore et loco opportuno redeat, ut nemine audiente confiteri possit.

Resp. 2° Si in decursu confessionis id deprehendat, *generatim* non potest alta voce poenitenti imponere, ut redeat, ne aliis ingerat suspicionem, illum de materia gravi confessum fuisse; sed audiat peccata, quo meliori modo potest, et praetermissis interrogationibus impertiat poenitenti absolutionem absolutam, si eum dispositum judicet, vel conditionatam, si de dispositione dubitet, et poenitentiam levem ei imponat, ne alii eum graviter peccasse existiment. — *Ita S. Lig., Hom. ap. tr. 16. n. 155.* cum *aliis communiter.*

663. — Quaer. 10° *An possit confessarius monere complicem (de licentia poenitentis), vel alium ad complicem corrigendum?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia complex ex confessione alterius complicis nullum jus acquirit ad sigillum sacramentale; hoc enim sigillum institutum est in favorem poenitentium tantum et proinde jus secreti acquiritur ei soli, qui illud committit. — *S. Lig. n. 641.* et *alii communissime.*

Ordinarie tamen non expedit, ut

confessarius talem licentiam petat, sed satius erit, si poenitentem inducat ad id extra confessionem sibi aperiendum; imo, melius etiam erit, ut ipse poenitens rem deferat alteri, qui malo remedium afferre queat. — *S. Lig. ibid.* (1)

PUNCTUM IV.

De variis modis sigillum violandi.

664. — Duplici modo violari potest: 1° *directe*, revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum; v. g. si dicatur: Titius hoc fecit etc.; 2° *indirecte*, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis cognoscere aut suspicari possit peccatum vel defectum poenitentis in sola confessione cognitum, aut ex quo poenitenti vel aliis, v. g. complicibus, possit oriri pudor, molestia, dedecus, damnum vel quodlibet gravamen. (2)

I^a *Regula.* Violatur sigillum indirecte, quoties poenitentes vel alii merito offendi possunt de dictis aut gestis a confessario ex sola notitia in confessione habita. Non autem violari censetur, si haec indifferenter sint habituri. Ratio utriusque satis constat ex supra dictis. — *Ita communiter.*

II^a *Regula.* In dubio, an in tali modo loquendi vel agendi adsit periculum *revelationis* vel *offensionis*, pro *tutiori parte* seu sigillo favente rigorose standum est. — *Ita communiter;* et constat ex dictis supra *n. 650. Q. 2°.*

III^a *Regula.* Nulla est sigilli violatio, narrare peccatum confessione audita, non indicando peccatores neque directe, neque indirecte, ita ut moraliter loquendo detegi non possint, ut patet ex regula I^a. Attamen seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi, a similibus narrationibus generatim abstinendum est, quia audientes laici, praesertim simplices, facile scandalizantur, suspicantes violari sigillum. Et quandoque ex frequentibus et promiscuis istis colloquiis periculum est, ne in suspicionem poenitentis quis inducatur.

Resolves:

665. — Secretum confessionis indirecte violat:

1° Qui unum prae aliis, quos audivit, laudans dicit, eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpae mortalis adducuntur.

2° Qui de peccato poenitentis per solam confessionem cognito loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant, illud ex confessione acceptum esse.

3° Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse confessionem. (1) Ratio

(1) Cf. etiam supra *n. 501.*

(2) Haec et similia non absque limitatione intellige. Cum insuper auctores maxime in dijudicandis casibus concretis huc pertinentibus haud raro in diversas sententias discedant, sequens principium, ex indole legis derivatum, addere forte non inutile erit: Ad obligationem sigilli *sacramentalis* in stricto sensu duo concurrant necesse est: ut adsit objectum huic sigillo proprium (v. praesertim *n. 555. II. not.*); dein, ut ratio legis verificetur, scil. usum scientiae in confessione acquisitae gravamen poenitenti afferre vel sacramentum odiosum reddere. Haec posterior ratio vero per se sola sufficit; urget praeterea, licet forte in aliquo peculiari casu nemo offendatur (quia v. g. audientes nesciunt, sacerdotem id ex confessione dicere), quoties rationabiliter judicari debet, fideles a conveniente susceptione hujus sacramenti abductos iri, si usus talis scientiae generatim et absolute prohibitus non sit. — Cf. *Lugo disp. 23. n. 98. 102.* Patet itaque, unum idemque factum, v. g. aliquem esse matrimonio junctum, modo sigillum laedere posse, modo illud intactum relinquere. — V. *Lugo disp. 23. n. 57.*

(1) Differt ab hisce, quod confessarius mere dicat, *quempiam esse ad ipsum reversurum,* quippe aliis de causis praeter recensitas ab auctore poenitens re-

postremi est, quia longa confessio denotat ordinarie multa peccata aut indispositionem poenitentis, nisi sciretur, esse confessionem generalem aut a longo tempore resumptam, ita ut poenitens hoc non aegre ferat. Item qui de Titio cognito ut fure dicit, eum sua furta cum contritione magna ipsi confessum esse.

4° Qui alta voce aut alio modo a circumstantibus intelligibili arguit poenitentem, quia est gravamen pro tali poenitente et alii possunt suspicari, illum gravia peccata confessum esse; *a fortiori,* si nimis vocem extollendo repeteret peccata poenitentis aut de eorum circumstantiis interrogaret.

5° Qui loquitur cum alio confessario de peccatis alicujus poenitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

6° Qui auditis paucorum confessionibus dicit, se tale peccatum audivisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Item qui peccata ex confessione cognita ita narrat, ut audientes possint cum fundamento conjicere vel suspicari, quinam ea commiserint.

7° Qui narrans peccata alicujus personae sibi extra confessionem cognita addit aliquam circumstantiam cognitam ex sola confessione, vel qui utitur notitia confessionis ad rem magis individuandam aut confirmandam.

666. — 8° Qui diceret, se in tali monasterio audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam, quia singuli religiosi illius conventus detrimentum patiuntur. *A fortiori* violaret sigillum, qui diceret, in conventu illo talia peccata committi. — Secus autem, si diceret, se audivisse peccatum grave alicujus religiosi in *genere,* quin nominaret ipsius ordinem, quia neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen poenitentis nec alicujus ordinis, cum in variis ordinibus sint semper plures mali religiosi. Sed a scandalo laicorum sedulo cavendum est.

9° Qui poenitentem post confessionem oculo torvo adspicit, non eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durioribus, gestibus aut tota agendi ratione, se recordari de ejus peccatis, de iis actu cogitare et eum minoris quam antea facere.(1)

Quaesita:

667. — Quaer. 1° *An possit confessarius communionem negare poenitenti, cui prius absolutionem denegavit, si hic ad sacram mensam accedat?*

Resp. Negative omnino, etiam si occulte petat, quia confessarius notitia confessionis ad agendum externe contra poenitentem uti nequit.(2) — *S. Lig. n. 658.* et *alii* contra *plures.*

Quaer. 2° *An frangat sigillum, qui dicit, tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?*

Resp. Distingue: Affirmative, si locus sit satis angustus, v. g. si non constet tribus hominum millibus circiter. *Secus,* si oppidum sit amplum et crimina publica saepius ibi patrentur. — *S. Lig. n. 654.* et *alii communissime.*

668. — Quaer. 3° *An praedicatores uti possint notitia confessionis ad loquendum de iis, de quibus non*

---

verti potest et reipsa contingit, ut revertatur, et ceteroqui subinde necesse est, id alicui dicere, ut liber ad confessarium accessus poenitenti pateat. Ad hunc autem casum pertinet, quod auctor subjicit, poenitentem hoc non aegre ferre. — (Editor rom.)

(1) Nequit pariter confessarius confessiones poenitentis declinare, eo quod hic v. g. minus bene dispositus accedere soleat, nisi adsit causa justa, a confessione omnino independens. — Cf. *S. Lig. n. 659. §. Notandum autem.*

(2) Idem resolve de parocho vel delegato, qui impedimentum dirimens alicujus matrimonium contracturi, vel de episcopo, qui irregularitatem ordinandi solummodo ex confessione novit. — *S. Lig. ib.*

gitassent, nisi confessiones audissent?

Resp. Affirmative, secluso revelationis periculo et poenitentium gramine. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 654.* — *Elbel n. 525.* Ratio est: 1° Quia nemini gravamen fieri potest, quod aliquando sacerdotes se dirigant in concionibus ex notitia confessionis, modo *hic et nunc* gravamen illud non adsit; possunt igitur *generatim* invehi in vitia, quae occulte grassantur. 2° Quia hoc esset gravium onus pro confessario, qui semper timeret, ne concionando confessionis notitia uteretur. Caveat tamen confessarius, ne loquatur publice de peccatis omnino particularibus uni vel alteri poenitenti, praesertim si sermonem habeat coram aliqua parva communitate, v. g. in monasterio monialium etc., quia tunc facile gravamen induci posset.(¹) — *Elbel ibid.*

669. — Quaer. 4° *An sacerdos, qui ex confessione novit, sibi patri insidias, possit fugere aut alio modo damnum praecavere?*

Resp. 1° *Affirmative,* si ex tali cautione minime manifestetur aliis peccatum confessum nec ullum gravamen poenitenti afferatur. — *Ita Lig. n. 659.* — *Lugo disp. 23. n. 108. etc.*

Resp. 2° *Negative,* si fugere nequeat, quin aliquo modo manifestet, tale peccatum confessum fuisse a poenitente. Ratio est, quia fuga illa esset indirecta revelatio peccati confessi et, licet confessarius fugam simularet ex aliquo praetextu, semper gravamen rationabilem suspicionem peccati confessi praeberet. — *S. Lig. ibid.* et *alii.* Monet tamen *Lugo ib. n. 110.,* experientiam docere, numquam revelationem etiam indirectam necessariam esse ad ea pericula effugienda, cum vel ex licentia poenitentis vel aliis modis obviari iis possit absque sigilli fractione.

670. — Quaer. 5° *An superiores uti possint notitia confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat, quod ex illa notitia se dirigant?*

Resp. Negative omnino cum *S. Lig. n. 656.* et *aliis communiter* contra veteres theologos, qui sententiam affirmativam defendebant. — Ratio est, quia evidenter hoc cederet in gravamen poenitentium, qui scirent, talem doctrinam passim doceri, et proinde a confessione retrahi possent.

Constat etiam ex variis decretis SS. Pontificum, praesertim ex decreto *Clementis VIII.* pro regularibus *d. 'd. 26. Maji 1594.,* in quo dicitur: „Tam superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant *diligentissime,* ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.“ — Apud *S. Lig. n. 656.* Quamvis autem hoc decretum latum fuerit pro regularibus, ad omnes superiores extendi debet, cum eadem ratio, quae urget pro regularibus, etiam pro saecularibus valeat.

Constat etiam ex decreto *Congr. S. Off.,* edito auctoritate *Innocentii XI. 18. Nov. 1682.,* quo proscripta fuit sequens propositio: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non-usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.*(¹) Subjungit Pontifex, confessa-

(¹) Nequeunt praeterea missionarii peccata graviora in confessione audita in foro mere parocho revelare, ut magis invigilet. — *S. C. C. 18. Nov. 1681.* Potest tamen juxta *S. Thomam (in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. ad 1.)* „confessarius licere praelato, quod diligentius invigilet super gregem suum, ita tamen, quod non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem prodat.“

(¹) Thesi relata immediate ita prosequitur decretum prohibitionis: „Addita de-

rios nullo modo posse uti tali doctrina, etiam seclusa quacumque revelatione.

671. — Quaer. 6° *An saltem quandoque et quandonam confessarius uti possit notitia confessionis?*

Resp. Juxta omnes theologos id potest in sequentibus casibus: 1° Ad orandum pro poenitente vel benignius erga ipsum agendum. 2° Ad consulendos libros vel sapientes, prudenter, secluso revelationis periculo.(¹) 3° Ad se dirigendum per experientiam ex confessionibus acquisitam, v. g. ad rigorem temperandum, et ad se dirigendum ex confessione unius ad alios prudenter interrogandos vel instruendos, nullam dando prioris confessionis suspicionem. 4° Ad reformandos proprios mores, ad corrigendos proprios defectus aut ad melius fungendum suo officio, v. g. ad socordiam exuendam, vigilantius in subditos invigilandum, seclusa revelationis suspicione etc., quia quisque tenetur defectus suos corrigere statim ac ad ea advertit, nec potest ullus poenitens rationabiliter offendi, quod confessarius ob audita in confessione vitam in melius mutet. — *S. Lig. n. 657.*

Conclusio: In re tam gravi et adeo periculosa summopere cautus esse debet confessarius, ne verbulum ullum proferat aut quidpiam agat aut innuat, unde sequi possit odium etiam minimum sacramenti, gravamen poenitentis, aliorum quorumlibet offensio vel scandalum. Sit igitur *prudens* et *discretus* non in sermonibus solum, sed in tota sua agendi ratione. Oret frequenter cum psalmista *(Ps. 140. 3.): Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis;* vel cum sapiente *(Sap. 9. 4.): Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.*

---

inde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda (thesis) de usu scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem poenitentis ex nonusu sequeretur. Et statuerunt, dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione etc." — Cf. *Viva, Damn. thes. p. 3. Append.* — *S. Lig. n. 657.*

(¹) Non opus est, iis, qui consuluntur, manifestare, casum in confessione obvenisse; neque, ubi multi adsunt, causa publice exponatur, sed apud illos solummodo, qui consilium idoneum dare valent. — Aliam limitationem notabilem merito addit *Mazzotta tr. 6. disp. 2. quaest. 5. c. 2. Dico 2°.*: „Hinc confessarii passim consulunt viros doctos de casu in confessione audito, tacendo personam poenitentis. Contra vero, si aliquod sit... periculum etiam suspicandi de illa (persona), non possunt."

Quid vero in posteriore casu agendum confessario, qui consilio indiget? Vel casum apto modo v. g. ut fictum proponat, vel licentiam petat a poenitente, utendi scientia sacramentali, vel alibi doctum consiliarium quaerat, cui persona poenitentis omnino incognita est, vel poenitentem ad alium confessarium remittat etc. Quodsi medium non suppeditet, quo sigillum incolume maneat, nihil superest, nisi ut confessarius, fretus divino auxilio et adhibitis aliis mediis convenientibus, oratione scilicet et studio, difficultatem ipse meliori quo potest modo solvat.

TRACTATUS
DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.
DE NATURA ET EFFECTIBUS EXTREMAE UNCTIONIS.

672. — I. Definitur extrema unctio „sacramentum novae legis a „Christo institutum ad conferendam „salutem animae vel etiam corporis „aegroto vita periclitanti, per unctio„nem olei benedicti et orationem sa„cerdotis."

Extrema unctio est verum novae legis sacramentum. Constat 1° ex eo, quod sit signum sensibile, conferens gratiam et a Domino Jesu Christo institutum. Ratio enim signi satis patet per unctionem et orationem sacerdotis. Quod conferat gratiam, constat ex ejus effectibus. Institutio autem divina demonstratur apostolica traditione. Promulgatum fuit praèsertim a *S. Jacobo* in *epistola catholica 5. 14. et 15.*, ubi dicitur: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes eum oleo . . . : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.*

Constat 2° ex definitione *concilii Trid. sess. 14. de extrema unctione can. 1.*, ubi sic dicitur: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum et a beato Jacobo apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

673. — II. Effectus sacramenti extremae unctionis sunt: 1° Gratia sanctificans cum gratiis actualibus sacramento propriis, quae mirifice juvant ad recreandum infirmum eumque confirmandum contra diaboli tentationes et impetus.

2° Remissio omnium peccatorum nondum remissorum, etiam mortalium. Constat ex textu *S. Jacobi* supra citato: *et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hinc sacramentum extremae unctionis est quidem primario sacramentum *vivorum*, sed secundario est sacramentum *mortuorum*, nempe in hypothesi status peccati. Remittit certo venialia *primario* et *per se; probabilius* etiam eodem modo mortalia remittit. — *S. Lig. n. 731.*

3° Abstersio reliquiarum peccati, quae sunt non solum poenae peccatis debitae, sed etiam animi anxietates, infirmitates, languor ad bonum, torpor, timor et alia similia, quae ex peccatis contrahuntur. Hi autem effectus majores sunt, quo melius est infirmus animo comparatus.

4° Restitutio sanitatis corporis interdum, si animae saluti expediat. Constat ex textu *S. Jacobi* citato et ex *concilio Trid. sess. 14. de extrema unctione c. 2.* Hinc apparet, quam turpiter errent, qui hoc sacramentum non percipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeant. — *S. Lig. n. 731.*

CAPUT II.
DE MATERIA ET FORMA EXTREMAE UNCTIONIS.

ARTICULUS I.
DE MATERIA HUJUS SACRAMENTI.

Principia:

674. — I. Materia remota est oleum ab episcopo benedictum. — Constat ex *concilio Trid. sess. 14. de extrema unctione c. 1.*, ubi sic dicitur: *Intellexit enim Ecclesia, materiam* (hujus sacramenti) *esse oleum ab episcopo benedictum; nam unctio*

aptissime Spiritus Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repraesentat...

II. Oleum extremae unctionis seu infirmorum, sicut chrisma, ab episcopo dioecesano vel, sede vacante, ab alio episcopo vicino in Coena Domini benedicendum est, et singulis annis (non tamen ad validitatem sacramenti) renovandum. — Ita ex praecepto *Clementis VIII.* apud *S. Lig. n. 708.* et *Salmant. tr. 7. c. 2. n. 11.* — Constat etiam ex praxi perpetua Ecclesiae et ex rituali romano *de extrema unctione,* ubi dicitur: *Oleum sanctum singulis annis in Coena Domini, veteri combusto, renovandum est.*

675. — III. Materia proxima est unctio quarumdam partium corporis, quae sunt saltem quinque sensus. (1) — Facienda est unctio: 1° in oculis seu in palpebris; — 2° in auribus; — 3° in naribus; — 4° in ore seu in labio inferiori; — 5° in manibus, *exterius* sacerdotibus, *interius* vero laicis; — 6° in pedibus seu supra pedes (2); — 7° in renibus; sed haec omittitur pro foeminis, et etiam in viris, si facile fieri nequeat, nempe si infirmus moveri non possit etc. (3)

Nota: Juxta *rituale romanum,* quando omittitur unctio renum, non est supplenda per unctionem in alia parte corporis; juxta varia ritualia fieri debet in pectore pro viris, et in collo pro foeminis. Sequenda est consuetudo dioecesis, ait *Gousset n. 615.*

(1) Cf. *n. 678.* Unctio enim renum non est de necessitate sacramenti. — Idem communiter de unctione pedum asserunt. (Cf. *rit. rom.* et *S. Lig. n. 710.*) Attamen sacerdos hanc unctionem non pro lubitu omittere potest. — *Adnotatio Gardell. ad decis. S. R. C. 27. Aug. 1836. in Rhedon.*

(2) vel etiam in plantis juxta consuetudinem, ex decis. *S. C. R.* modo citata.

(3) Hodie, ait *Scavini,* quoad omnes omittitur; etiam unctio pedum non ubique in usu est. Quisque in hisce rituale dioeceseos vel consuetudinem legitimam sequatur *(S. Lig. n. 710. — De Herdt, Sacrae Lit. praxis tom. 3. n. 199.);* nullum enim dubium, unctiones renum et pedum non partibus essentialibus, sed integralibus hujus sacramenti accensendas esse, licet ob ea, quae rituale rom. statuit, omitti pro libito nequeant. — V. *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 3. n. 2.* — *Gardellini not. ad dub. 1. decis. S. C. R. d. d. 27. Aug. 1836. in Rhedon. n. 4780. §. Ex varia.*

Quaesita:

676. — Quaer. 1° *An praeceptum renovandi oleum obliget sub gravi?*

Resp. Affirmative, ut videtur, quia materia sat gravis apparet. Attamen, si novum oleum haberi non possit, antiquo uti licitum est; si vero hoc non sufficiat, aliud consecratum vel in necessitate etiam non consecratum, in minori tamen quantitate, quam vetus, addere fas est. (1) — *S. Lig. n. 708.* — *Lacroix n. 2097.*

Quaer. 2° *An oleum necessario debeat esse olivarum?*

Resp. Affirmative. Ratio est 1° quia oleum olivarum ex usu communi nomine olei *proprie* intelligitur. 2° Constat aliunde ex decreto *Eugenii IV.* pro Armenis, in quo legitur de extrema unctione: *cujus materia est oleum olivarum.* 3° Patet etiam ex tota traditione et unanimi doctorum consensu. (2) — V. *S. Lig. n. 708.*

677. — Quaer. 3° *An hoc oleum debeat necessario esse benedictum ab episcopo?*

Resp. Affirmative. — Constat ex variis declarationibus *Pauli V.* et nu-

(1) Si oleum sacrum „infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto, in minori quantitate superinfuso, reparari potest." — *Rit. rom.* Idque saepius fieri potest, quamvis *paulatim* longe etiam major quantitas addatur, quam ab episcopo consecrata fuit initio, modo tamen ea in unaquaque mixtione minor sit altera parte, cui infunditur. — *S. Lig. ib.*

(2) Debet autem ejusmodi oleum, saltem ex Ecclesiae praecepto, esse simplex, i. e. absque ulla alterius liquoris admixtione. — *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 1. n. 3.*

e *Gregorii XVI. d. d. 14. Sept.* [1])

ıer. 4° *An oleum debeat esse ctum in ordine ad extremam ıem?*

p. *Controvertitur.* Duplex est ia probabilis, ait *S. Lig. n. 709. gant,* quia Ecclesia nihil aliud t, nisi ut oleum sit ab episcopo ctum. Hinc oleum infirmorum sma valide adhiberi possent ad ıes faciendas. Alii vero *affir-* quia, sicut chrisma pro confir- e deputatur, ita etiam bene- e propria oleum infirmorum ıcramento extremae unctionis. ıxi tutius omnino sequendum ccepto necessitatis casu ([2]). — *. ibid.* ([3])

—

. *Denzinger, Enchiridion symb. 1. 1495. — Acta vol. 1. p. 41.* t tamen ejusmodi benedictio ex ione Apostolica etiam a simplici te fieri; sine hac delegatione ıeque in casu extremae necessita- benedictionem simplicis sacerdotis valida redderetur. — Cf. decisio- gatas et *Benedictum XIV., de 8. c. 1. n. 4.*

ı quo administretur hoc sacramen-) conditione cum alio oleo bene- et postea, si oleum infirmorum potest, iteretur. — *S. Lig. ib.*

riplex distinguitur oleum sanctum, ı eadem caeremonia feriae V. in Domini ab episcopo benedicitur, oleum infirmorum, oleum cate- orum et sanctum chrisma seu um balsamo immixtum. 1° Oleum um non inservit, nisi ad inungen- rmos periculo mortis correptos et ecrationem campanarum pro un- xterna (nam pro interna chrisma ır). — 2° Oleum catechumeporum ır ad catechumenos ante baptis- ı pectore et inter scapulas inun- ad manus neosacerdotum con- ıs, necnon ad varias alias con- nes faciendas, v. g. ad consecra- regum etc. — 3° Chrisma vero ır in sacramento confirmationis, moniis baptismi jam collato sa- o, et ad varias consecrationes, licis, patenae, ciborii (v. *n. 311. not.*), altaris, campanae (interius) V. *Pontificale romanum,* prae-

678. — Quaer. 5° *An unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti?*

Resp. Probabilius affirmandum videtur cum sententia *communiori* theologorum, cui consonat praxis Ecclesiae, quae, secluso casu necessitatis([1]), semper servanda est. Sententia *negativa* tamen speculative *probabilis* dicitur a *S. Lig. n. 710.*

679. — Quaer. 6° *An requiratur de necessitate sacramenti gemina unctio in geminis partibus, v. g. in utroque oculo, utraque aure etc.?*

Resp. Negative, quia sensus totus in parte unica habetur. Requiritur tamen necessitate praecepti extra casum necessitatis. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 7° *Quomodo unctiones fieri debeant?*

Resp. Unctiones fieri debent pollice dextro sacerdotis (qui formam

---

sertim ubi de caeremoniis feriae V. in Coena Domini. — (Nota auctoris.)

([1]) Communiter censent in casu, quo prudenter timetur, ne aegrotus decedat, priusquam omnes absolvantur quinque sensuum unctiones, unicam unctionem in sensu magis exposito (consultius in capite vel fronte) sufficere, adhibendo formam et cetera peragendo, uti in *Nota* post *n. 683.* indicatur. Conditionate tamen sacramentum administretur. — *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 3. n. 5. — S. Lig. n. 710.* — Observat *Perrone, Prael. theol. de extr. unct. n. 37.*: „Vel in ipsa ecclesia romana, si instet mortis periculum, sub generali formula frons solum inungitur."

Requirunt alii unctionem quinque sensuum sub eadem unica forma. — V. praeter auctorem nostrum *l. c. S. Lig. (Busembaum) n. 710. — Billuart art. 2. §. 2. Quaestio est. — De Herdt, S. Lit. praxis t. 3. n. 202. 2°.*

Si tamen periculum mortis non adeo urgeat, observetur rubrica ritualis romani pro simili casu, ungantur scil. statim singuli sensus cum formis consuetis; deinde, si aeger supervivat, dicantur orationes praetermissae. Ex eo vero, quod rituale rom. pro casu necessitatis nullum alium modum, nisi hunc, indicet, argumentum non omnino improbabile, uti censemus, desumi posset, unctionem etiam unius sensus cum forma respondente ad valorem sacramenti sufficere.

simul proferre debet) et per modum crucis. — Sic ex *rit. rom.* Sed haec ad liceitatem, non vero ad validitatem pertinent. In membris autem geminis incipitur a dextro, v. g. ab oculo dextro etc.

680. — Quaer. 8° *An de necessitate sacramenti servandus sit ordo inter variorum sensuum unctiones?*

Resp. Negative omnino. Ratio est, quia hujusmodi inversio minime impedit sacramenti significationem. — *Ita omnes theologi.*

Attamen communiter dicunt, talem inversionem esse graviter illicitam, quia est contra usum Ecclesiae in re notabili. — *S. Lig. n. 710. in fine etc.*

Quaer. 9° *An possit conferri extrema unctio mutis, surdis et caecis a nativitate?*

Resp. Affirmative; nam, etsi exterius per organa vitiosa non peccaverint, per interiores tamen animae potentias, quibus ea respondent, peccare potuerunt. (¹)

681. — Quaer. 10° *Quomodo ungendus sit infirmus manu vel pede truncatus etc.?*

Resp. Unctio nihilominus facienda est, sed in parte viciniore membro mutilato; sic enim loquitur *rituale rom.: Si quis .. sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.*

Quaer. 11° *An una sola gutta olei sufficiat ad unctiones faciendas?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia, qui ungit una gutta olei, vere ungit; oleum enim plus quam alii liquores diffunditur. — *Ita S. Lig. n. 709. Dub. 4.* ut *probabilius.* — *Lacroix n. 2094.* et *alii communius.* — *Negant* autem *plures,* quia ungere est oleum per varias partes diffundere, quod non fit per unicam olei stillam. Sed respondetur, diffundi oleum per varias partes, cum quinque sensus unguntur, etiamsi eadem stilla fiat. In praxi tutius est et certe sufficit pro valore sacramenti, intingere in oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones speciales, quae sub repetita forma fiunt.

Quaer. 12° *Utrum tempore pestis aut alicujus morbi contagiosi liceat unctiones sacras peragere mediante penicillo vel virgula?*

Resp. Affirmative, saltem *probabilius* (¹), ex *Benedicto XIV. (de syn. l. 13. c. 19. n. 29. 30.),* qui multos auctores affert pro sua sententia.

(¹) Insuper non de iis solum peccatis agitur, quae per illa organa et potentias respondentes commissa forte sunt.

(¹) *Benedictus XIV.* id absque dubitatione affirmat. — Cf. etiam *De Herdt l. c. n. 204. 3°.*

ARTICULUS II.
DE FORMA EXTREMAE UNCTIONIS.

682. — Forma extremae unctionis haec est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum* (inuncto oculo, et sic de aliis) *deliquisti.* — Constat ex *concilio Trid. sess. 14. c. 1. de extrema unctione* et ex *rituali rom.* Forma integre repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum, quod hic et nunc inungitur, nempe *per visum* ungendo oculos, *per auditum* in unctione aurium etc.

Quaesita:

683. — Quaer. 1° *An ad validitatem sacramenti requiratur expressio cujuslibet sensus, scilicet* per visum, per auditum etc.?

Resp. Controvertitur. Alii *negant,* quia non reperitur in forma Graecorum, quae tamen ab Ecclesia admittitur ut valida. Alii *affirmant,* quia per unam unctionem et formam illi respondentem non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiae, sed eorum tantum, quae per illum sensum

, sunt. Cum igitur res dubia gravi expressio sensus adhi- it. — *Billuart art. 3. Pe-*

r. 2° *Quaenam verba sint essentialia?*

Sunt sequentia: *Per istam m indulgeat tibi Dominus, ! deliquisti* cum verbo sen- rimente, seu *per visum* etc.

r. 3° *An ad validitatem unica forma ad omnes si singuli distincti expri- et ungantur?*

Controvertitur. Alii *affir-* ıia haec forma est virtualiter : et aequivalet pluribus par- ıs, sicque specialem effectum t formae specialis significat.) *negant,* quia, cum materiae , scilicet unctiones, sint dis- singulis etiam formae spe- spondere debent.

Urgente necessitate consulenda orma generalis: *Per istam sanctionem et suam piissimam diam indulgeat tibi Dominus, deliquisti per sensus, visum, gustum, odoratum et tactum.* sunt sensus, dum exprimuntur. mpus supersit, sub conditione e sunt unctiones cum forma propria et addendae sunt aliae omissae, ut in rituali praescri-) — *S. Lig. n. 710.*

CAPUT III.

MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

— I. Solus sacerdos est mi- jus sacramenti. — Constat 1° ı *S. Jacobi* jam citatis: *In- quis in vobis? inducat ros Ecclesiae etc.;* 2° ex de-

, dum inungitur infirmus, de- resbyter ultra non procedat et s orationes omittat."

i dubitet, an vivat adhuc, un- prosequatur, sub conditione pro-) formam, dicens: *Si vivis, per nctam unctionem etc."* — *Rit.* finitione Ecclesiae. Sic enim *Tridentinum sess. 14. de extrema unctione can. 4.: Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit.*

II. Omnis sacerdos potest illud sacramentum valide quidem ministrare, quia potestas valide illud conferendi competit sacerdoti ratione ipsius ordinis. Non autem illud ministrare licite potest, nisi solus pastor animarum, quia ad pastorem pertinet, oves suas pascere. Religiosi autem, qui hoc sacramentum sine licentia parochi ministrant, excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrunt. (1) — Sic ex *c.* Religiosi (1.) *de privilegiis (V. 7.) in Clement.* — *S. Lig. n. 722.*

Quaesita:

685. — Quaer. 1° *An quivis sacerdos possit hoc sacramentum ministrare ex consensu parochi probabiliter praesumpto?*

Resp. Affirmative probabilius, quia non videtur cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, ac ubi sermo est de valore ipsius sacramenti. Attamen non facile praesumenda est talis delegatio. (2) — *S. Lig. n. 722.* — *Salmant.* et *alii* contra *alios.*

---

(1) Cf. tamen *p. 1. n. 484. Q. 7°. 3°. not.* coll. *p. 2. n. 563. Q. 10°. et seq.*

(2) Si vero sacerdos, cui administratio hujus sacramenti de jure competit, abest, vel illud dare non vult (vel excommunicatione aut suspensione ligatur), quilibet sacerdos in casu necessitatis hoc sacramentum administrare potest; imo debet aliquando ex caritate sub gravi vel levi juxta aegroti necessitatem vel scandalum, quod ex negata administratione sequeretur. — *Scav.* — *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 4. n. 7.* — *S. Lig. n. 723.*

Quaer. 2° *An sit mortale omittere orationes in rituali praescriptas, vel ministrare sine vestibus sacris?*

Resp. ad 1um *Affirmative,* quia materia valde gravis est. Excipe necessitatis casum. — *S. Lig. n. 727.* et *alii communiter.* (1)

Resp. ad 2um *Affirmative* pariter extra necessitatem; in necessitate vero probabilius *negative.* — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 726.* contra *plures.*

686. — Quaer. 3° *An et qualis sit obligatio extremam unctionem ministrandi?*

Resp. Pastor ratione officii tenetur sub mortali eam ministrare subditis periculose aegrotantibus, qui eamdem petunt, nisi gravi causa excusetur. — *S. Lig. n. 729. etc.* — *Recole dicta de sacram. in genere n. 213. et seq.* (2)

Quaer. 4° *An et quale peccatum sit ministrare extremam unctionem sine lumine?*

Resp. Non excusandum est hoc a veniali, nisi necessitas urgeat, tum propter Ecclesiae consuetudinem, tum ob reverentiam sacramento debitam. — Attamen veniale non excedit, quia non videtur injuria gravis sacramento irrogari. — *S. Lig. n. 728. etc.*

687. — Quaer. 5° *Quando reficitur aegrotus et viatico et extrema unctione, quodnam sacramentum debet prius administrari?*

Resp. Extrema unctio debet post eucharistiam administrari. Sic expresse statuit rubrica *ritualis romani.* — In illo casu bis recitari debet *Confiteor.* Sic *S. Congr. Indulg. 5. Febr. 1841. (Prinzivalli, Resolutiones S. C. Indulg. n. 506. 6°.)*

(1) Orationes tamen recitandae ab adstantibus (psalmi scil. poenit. etc.) indubie sunt solummodo de consilio. — Cf. *rubr. ritualis rom.*

(2) item *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 19. n. 8. et seq.*

Quaer. 6° *Quale sit peccatum omittere signum crucis in unctionibus?*

Resp. Est veniale tantum juxta *communem* sententiam, quia ibi materia gravis non apprehenditur; in necessitate vero nullum est peccatum. — *S. Lig. n. 728.*

688. — Quaer. 7° *An et quale peccatum sit conferre hoc sacramentum sine ministro inserviente? Et an in necessitate mulier adhiberi possit?*

Resp. 1° Non est mortale, nullum adhibere ministrum, et in necessitate nullum est peccatum. — *Ita communissime theologi.* Imo juxta *plures probabiliter* nullum est peccatum etiam extra necessitatis casum. Sed oppositum *probabilius* dicit *S. Lig. n. 724.*

Resp. 2° Mulier ad officium ministrantis numquam est adhibenda. Quando clericus aut saecularis inveniri facile nequit, sacerdos solus omnes caeremonias peragat, et ipse orationibus respondebit. — *Ita S. Lig. ibid.* et *alii communissime.*

Quaer. 8° *An exspectari possit mortis articulus ad conferendum hoc sacramentum?*

Resp. Negative. Imo *communiter* docent theologi, graviter peccare parochos, qui illud differunt, usquedum infirmus destituatur usu sensuum et rationis, quia sic caret infirmus ulteriori fructu, quem recepisset, si sacramentum suscepisset, dum rationis compos erat; insuper quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum daemoni et ad perferenda morbi incommoda; item quia infirmus, si forte esset in mortali et compos rationis sacramentum recepisset, auxilio attritionis gratiam forte fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum quia virtute hujus sacramenti forte consecutus esset sanitatem corporis, si tempore congruo ipsi collatum fuisset. (1)

(1) Adde hanc *catechismi romani (de*

Nota: „Parochus imprimis meminisse lebet, non postremas esse muneris sui artes, aegrotantium curam habere.“ Ita *ituale rom.* tit. *De visitatione et cura nfirmorum.* — Quocirca recte dicit *Calanus:* „Teneri ex justitia parochum, nfirmis parochiae suae adsistere, potissinum in commendatione animae, certa ententia est, unanimi theologorum consu comprobata.“ Consonant autem lures declarationes *S. Congr. Conc.* elatae in *Analectis Juris Pont. ser. 5. ol. 831. et seq.* (¹)

---

xtrema unct. Q. 9.) animadversionem: „Gravissime peccant, qui illud tempus egroti ungendi observare solent, cum am, omni salutis spe amissa, vita et sentibus carere incipiat.“ — (Nota auct. in dit. rom. anni 1866.)

(¹) „Et si infirmus incipiat agonizari, dvertat parochus, majorem ei incumbere djuvandi obligationem, ac magnum et ecessarium ministerium esse, moribundis pem ferre in eo statu, a quo, vel in ono, vel in malo, dependet aeternitas.. Ob hanc rationem penitus rejicienda est norumdam opinio, eximens parochum a nortali culpa, non adsistentem infirmo norti proximo post recepta sacramenta: ravissimae enim culpae reus esset, si, um commode posset, eum desereret, ujus quidem culpae gravitas repetenda st ab ea temporis circumstantia, in qua nfirmus, si quando sui pastoris ope indiget, tunc certe est, cum diabolus ipsius alcaneo insidiatur. Huic necessitati accedit et alia gravior animadversio, quod empe infirmus indigeat iterum ob aliquod novum peccatum confiteri, qui casus um non raro contingat, quisque intelligit, parochum dictum infirmum deserentem a mortali culpa excusari non posse.“ — Ita inter alios *Giraldi, Animadv. ad Barbosa, de parocho p. 1. c. 7. n. 26.*

Verba vero „si commode potest“ non ate interpretanda esse, ex ipsa rei natura et contextu patet. Audiatur etiam *S. Carolus Borrom.*, qui in suo 4°. concilio provinciali ita statuit: „Ubi hoc officium (adhortationis etc.) pie accuratepe (parochus) praestiterit, si aeger adhuc vivit aut animam agit, ne eidem praesens adesse omniaque salutaria officia praestare omittat. Si vero adesse aliquando non potest, vel quia aliis gravier aegrotantibus sacramenta ministrare necesse habet vel quia necessariis parochialis curae occupationibus aliis impeditus, tunc ea pietatis officia illi a sacerdote, si quis alius eo loco est, sollicite praestari curet.“

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

689. — Subjectum hujus sacramenti sunt omnes et soli homines peccatores (¹) de vita periclitantes. — Constat 1° ex verbis *d. Jacobi: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae etc.* Verbum autem *infirmatur* graece significat morbum *periculosum;* 2° ex definitione Ecclesiae. Sic enim *Conc. Flor.* in *decr. pro Armenis: Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Consonat *Tridentinum sess. 14. c. 3. de extrem. unct.*

Hinc hujus sacramenti capaces non sunt pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, qui nulla peccata actualia commiserunt. (²)

Quaesita:

690. — Quaer. 1° *An extrema unctio conferri debeat infirmis delirantibus?*

Resp. Affirmative, si antea sacra-

„Ad quod etiam officium sibi hoc subsidium, cum opus est, comparet, ut confratres SS. Sacramenti aut Doctrinae Christianae homines aliquos, parochiali sua diligentia ad consolationis et spei excitandae officia aliaque ejusmodi instructos, adhibeat.“

Haec obligatio parochos et curatos ligat ex justitia, ceteros autem sacerdotes saeculares regularesque ex caritate, ut ait *S. C. C.* in *decis. d. d. 1. Sept. 1854.*, et subsidiarie, quatenus scil. parochus legitime impeditus est. — Cf. *Anal. J. P. ser. 4. col. 2011. et seq.*

(¹) i. e. qui peccati capaces sunt vel aliquando fuerunt. — Hisce etiam statim post baptisma conferri potest, si graviter infirmentur, ad robur contra tentationes etc. — *S. Lig. n. 721.*

(²) In dubio de capacitate conferatur sacramentum sub conditione. — *S. Lig. n. 719. 732.*

„Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis (nisi absoluti fuerint — v. *n. 960.* Editor.) et nondum baptizatis penitus denegetur.“ — *Rit. rom.* — Recole, quae de moribundis diximus *n. 505. 506.* — V. *S. Lig. n. 732. etc.*

mentum petiverint, aut (1) petituri fuissent, si de hoc cogitassent, aut signum doloris de peccatis ostenderint. Imo, et infirmis destitutis sensibus, ut constat ex *rituali rom.* — Recole dicta *de sacram. in genere n. 230.* (2)

Quaer. 2° *An hoc sacramentum licite conferri possit aegroto in periculo mortis dubio seu probabili?*

Resp. Affirmative cum sententia communi et vera, quia ad ministrandum hoc sacramentum *valide* et *licite* sufficit, ut infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter (3) existimetur versari in periculo proximo mortis. Confirmatur ex *rituali romano,* ubi sic statuitur: *Debet hoc sacramentum praeberi infirmis, qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur. — S. Lig. n. 714. etc.*

Quaer. 3° *An extrema unctio possit conferri pueris?*

Resp. Affirmative, dummodo sint rationis compotes ac judicentur doli et culpae capaces (4). — Ita *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 6. n. 2.,* qui acriter vituperat nonnullas constitutiones synodales, quibus aetas certa determinata fuit, ante quam pueri non possent inungi.

691. — Quaer. 4° *An et quando hoc sacramentum iterari possit?*

Resp. 1° Certo iterari potest, quoties infirmus in periculoso morbo inunctus perfecte convaluit, et in alium morbum periculosum incidit. — Constat ex *concilio Trid. sess. 14. de extrema unctione c. 3.,* ubi dicitur: *Quodsi infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*

Resp. 2° Potest etiam iterari in eadem infirmitate, si diuturna fuerit et infirmus notabiliter convaluerit, ita ut a periculo mortis eripi visus fuerit, et iterum in idem inciderit. Ratio est, quia tunc est vere novum mortis periculum. — Constat ex *rituali romano,* ubi dicitur: *In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit.*

Quaer. 5° *An iterari possit in eodem morbo diuturno, si dubitetur, an revera status morbi mutatus fuerit?*

Resp. Affirmative probabilius, si dubium sit vere positivum, scilicet quando est vere probabile, infirmum exiisse a periculo mortis; haec enim iteratio in iis casibus est veteri Ecclesiae consuetudini magis conformis. — *S. Lig. n. 715.*

692. — Quaer. 6° *An sit obligatio gravis recipiendi hoc sacramentum?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis.

I^a Sententia *affirmat.* 1° Constare videtur ex verbis ipsius apostoli *Jacobi: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae etc.* Vox autem *inducat* praeceptum con-

---

(1) verisimiliter — *Rit. rom.*

(2) Nequit hoc sacramentum administrari mulieri ordinariis doloribus in partu laboranti, etsi prima vice pariat vel alias in vitae periculo fuerit; secus, si laboret extraordinariis et lethalibus doloribus.

Nec administrandum est iis, qui, cum sint sano corpore, probabile vel etiam certum adeunt vitae periculum, ut v. g. capite plectendi, praelium commissuri etc. Ast dandum est iis, qui difficilem chirurgicam operationem subituri sunt, senio deficientibus, veneno infectis, utpote vere intrinsece et periculose infirmis. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 5. n. 1. 2. — S. Lig. n. 712. — Scav.*

(3) In mero dubio enim, quin adsit vera probabilitas periculi, non administretur, cum tunc dici nequeat, vitae periculum adesse. Censet tamen *S. Alphonsus,* hoc sacramentum semper valide conferri, si infirmitas sit gravis. — *Hom. ap. tr. 17. n. 7.*

(4) ideoque et sacramenti poenitentiae, quamvis nondum tanta polleant judicii maturitate, ut videantur apti ad rite participandam eucharistiam. — *Ben. XIV. ib. — S. Lig. n. 720.*

tinere videtur. Ergo etc. — 2° Accedit praxis Ecclesiae, quae summa sollicitudine semper curavit, ut ab omnibus infirmis susciperetur. Constare etiam videtur ex consuetudine et sensu fidelium. — 3° Insuper grave est et contra caritatem, quam sibi quisque debet, medium adeo efficax *firmissimumque praesidium*, ut ait *concilium Trid.*, in extremo agone contra daemonis conatus omittere. — Ita *Concina* — *Roncaglia* — *Antoine etc.*

IIª Sententia *negat*. Ratio est, quia neque ex traditione, neque ex conciliorum decretis constat de praecepto hoc sacramentum suscipiendi. Quod vero *S. Jacobus* ait: *inducat presbyteros*..., ut consilium accipitur atque explicatur. Ergo non potest imponi gravis obligatio de suscipienda extrema unctione. Excipiunt tamen casum, in quo quis versans in peccato mortali non posset sacramento poenitentiae mundari(¹), vel grave scandalum praeberet, vel, quod pejus est, hoc sacramentum contemneret(¹). — Ita *Billuart art. 7.* post *S. Thom. p. 3. q. 65. art. 4.* — *Sporer, de sacr. in gen. n. 24. etc.* et *S. Lig. n. 733.*, ubi hanc sententiam communem vocat, licet primam omnino suadendam putet, praecipue ratione caritatis, quam sibi quisque debet: *ingenti namque periculo*, ait, *se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto tamquam firmissimo praesidio in tanto conflictu.*

693. — Quaer. 7° *Quaenam dispositio requiratur ad hujus sacramenti susceptionem?*

Resp. 1° Peccatorum confessio, si infirmus in mortali versetur: hoc enim sacramentum est poenitentiae complementum, ideoque haec praecedere debet. — *Billuart art. 7. in fine.*

Resp. 2° Quodsi infirmus non possit sua peccata confiteri, contritio saltem praecedat necesse est: hoc enim extremae unctionis sacramentum est *primario* sacramentum *vivorum* et ad reliquias peccatorum tollendas praecipue institutum fuit. — *Billuart ibid.* Verum in tali casu ipsa attritio sufficere posse videtur(²); est enim simul sacramentum *mortuorum* et peccata mortalia cum attritione remittere potest. — *Salmant. tr. 7. c. 3. n. 2. 3.* et *alii.*

(¹) Hoc contingeret (supposita veritate communioris sententiae, quae actus poenitentis cum aliquo signo externo tamquam materiam in strictiore sensu seu uti vocant, *materiam ex qua* requirit), si poenitens, peccato gravi inquinatus et contritione carens, attritus tamen, signum tempore opportuno edere non valeret. — Cf. *S. Lig., de poenit. n. 482.* — Supra n. *506. 3°.; 447. Q. 7°.; 230. 4°.* Sed tunc necessitas quidem extremae unctionis ad salutem adesset, non tamen obligatio hoc sacramentum suscipiendi, vel potius ipsum postulandi, ut per se patet.

(¹) vel graves tentationes sine ipso vincere non posset. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 7. n. 4.*

(²) cui sententiae etiam assentitur *Ben. XIV. l. c. n. 3.*

TRACTATUS
DE ORDINE.

Agendum: 1° de natura et divisione; 2° de materia et forma; 3° de ministro; 4° de subjecto ordinis.

CAPUT I.
DE NATURA ET DIVISIONE ORDINIS.

694. — Nomine ordinis hic intelligitur *gradus* clericorum ad specialia officia ecclesiastica consecratorum. Quanta autem sit hujus sacramenti dignitas et excellentia, vix humana voce exprimi potest. Hac de re sic inter plura alia *catechismus concilii Trident. (de sacr. ord. Q. 2.):* „Potestas .. tum corpus et sanguinem „Domini nostri conficiendi et offerendi, „tum peccata remittendi, quae illis „(sacerdotibus) collata est, humanam .. „rationem atque intelligentiam superat, „nedum ei aliquid par et simile in „terris inveniri queat.“

Ordo communiter definitur *signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* — *S. Lig. n. 735.* post *d. Thom., Billuart etc.* Definitur etiam recte juxta *alios* „sacramentum novae legis, „quo traditur spiritualis potestas, et „confertur gratia ad munia ecclesia„stica debite obeunda.“

Statuenda:

695. — I. Ordo est verum et proprie dictum novae legis sacramentum.

Constat ex eo, quod in eo reperiantur omnia ad rationem sacramenti requisita, scilicet: 1° *Signum sensibile*, cum signo exteriori conferatur. 2° *Institutio divina*, cum Christus apostolos ordinis ministros instituerit, potestatemque consecrandi, remittendi peccata, sacra mysteria dispensandi, regendi Ecclesiam et alios ministros instituendi eis dederit. — *Act. 20.* — *1. Cor. 12.* — *Galat. 2.* — *Matth. 28.* — 3° *Collatio gratiae,* ut constat ex *1. Tim. 4. 14.: Noli,* inquit apostolus, *negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* — Et *2. Tim. 1. 6.: Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae in te est per impositionem manuum mearum.*

Constat etiam ex definitione *concilii Trid. sess. 23. can. 3.,* ubi sic legitur: *Si quis dixerit, ordinem.. non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit.*

696. — II. Septem numerantur ordines, scilicet *presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus* et *ostiariatus.* Primi tres dicuntur majores, ceteri minores.

Constat ex variis conciliis, praesertim ex *Tridentino sess. 23. c. 2.* Postquam dixerat, aperte de sacerdotibus et diaconis sermonem in sacris literis fieri, subdit: *Ab ipso Ecclesiae initio sequentium ordinum nomina atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur.* — Item *can. 2.* ait: *Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores, et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Quaesita:

697. — Quaer. 1° *Quaenam sit horum ordinum natura et proprietas?*

Resp. 1° *Ostiariatus* est ordo, quo specialis confertur potestas aperiendi

vel claudendi januam ecclesiae, dignos admittendi, excludendi indignos.

2° *Lectoratus* est ordo, quo specialis traditur potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesia, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.

3° *Exorcistatus* est ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi daemonia per exorcismos ab Ecclesia institutos. (1)

4° *Acolythatus* est ordo, quo confertur alicui specialis potestas, inter missae solemnia subdiacono inserviendi, accendendi cereos, praeparandi porrigendique ampullas vini et aquae.

5° *Subdiaconatus* est ordo, quo confertur alicui specialis potestas, in missa solemni inserviendi diacono solemnique ritu epistolam cantandi.

6° *Diaconatus* est ordo, quo confertur specialis potestas, in solemni missa presbytero immediate adsistendi, inter solemnia decantandi evangelium, praedicandi(2), et solemniter baptizandi, si justa tamen interveniat causa.

7° *Presbyteratus* est ordo, quo confertur specialis potestas, corpus et sanguinem Christi in missae celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi subditosque opere ac doctrina pascendi.

His adde *episcopatum* et *primam tonsuram*, quorum alter est ipsius sacerdotii complementum, altera vero ordo non est, sed dispositio ad ordines, qua quis clericus renuntiatur.

698. — Quaer. 2° *An diaconatus sit sacramentum?*

Resp. Affirmative juxta communem et certam sententiam, quia in eo reperiuntur omnia ad sacramentum requisita, scilicet: 1° *signum sensibile* per impositionem manuum; 2° *signum gratiae* in verbis formae: *Accipe Spiritum Sanctum etc.;* 3° *signum a Deo institutum;* quia solus Deus instituere potest signa practica gratiae. Constat etiam ex *Tridentino sess. 23. can. 6.*, ubi sic definitur: *Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris* (nempe diaconis), *anathema sit.* — V. *S. Lig. n. 737.*

699. — Quaer. 3° *An vero subdiaconatus sit etiam sacramentum?*

Resp. Controvertitur. Ia Sententia *probabilis affirmat.* Ratio est, quia subdiaconatus, quemadmodum diaconatus ipse, omnibus signis sacramenti constitutivis gaudet; est enim 1° *signum sensibile,* ut patet; — 2° *signum gratiae,* cum sit ordo sacer; — 3° *signum a Deo institutum;* definivit enim *concilium Tridentinum,* esse in Ecclesia hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex *episcopis, presbyteris et ministris;* subdiaconi autem non secus ac ipsi diaconi inter ministros recensendi sunt. — Ita *Billuart* cum aliis *multis* post *d. Thomam suppl. q. 37. a. 2. ad 1. etc.*

IIa Sententia etiam *probabilis,* imo forte *probabilior, negat.* Ambigitur enim tum de divina institutione, tum consequenter de gratiae promissione. Nec subdiaconatus numerandus videtur inter ordines majores ex institutione divina, sed ecclesiastica tantum, cum apud Graecos ut ordo sacer non habeatur. — *S. Lig. n. 737.*

Ordines autem minores juxta communem sententiam contra plures inter sacramenta minime adnumerandi sunt. — *S. Lig. ibid.*

---

(1) Attamen hodie facultas exorcizandi solis reservatur presbyteris. — *Scav.* — Cf. etiam *p. 1. n. 317. 1.*

(2) Utrum diaconus, ut aliquando praedicet, speciali licentia vel delegatione episcopi indigeat, an licentia parochi vel rectoris ecclesiae sufficiat, ex statutis particularibus vel consuetudine decidendum videtur.

CAPUT II.
DE MATERIA ET FORMA ORDINIS.

700. — Materia et forma variae sunt pro variis ordinibus.

I. Quod spectat ad *ordines minores*, ratione materiae *ostiarius* ordinatur traditione clavium ecclesiae; *lector* traditione libri lectionum; *exorcista* traditione libri exorcismorum; *acolythus* traditione ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo exstincto, quia ipsius est praeparare lumen, vinum et aquam ad missam. — Forma his ordinibus propria continetur verbis, quibus utitur episcopus, dum ipsa instrumenta tradit.

II. Quoad *subdiaconatum* tamquam materia apud *Graecos* censetur impositio manuum. Apud *Latinos* controvertitur. Juxta alios traditio vacui calicis cum patena vacua est sola ejus materia proxima. Alii vero contendunt, traditionem libri epistolarum esse pariter materiam hujus ordinis essentialem. Forma autem his continetur verbis: *Videte, cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

701. — III. Quoad *diaconatum* materia duplex numeratur, impositio scilicet dexterae manus episcopi et traditio evangeliorum libri. Harum an utraque vel una necessaria sit, in controversia est. Theologorum alii solam manus impositionem, alii solam libri traditionem, alii tandem utramque necessario censent requiri. Ad praxim autem quod spectat, postrema haec sententia, utpote tutior, tenenda est. Forma consequenter etiam duplex habetur. Prior priori materiae adjecta haec est: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini.* Posterior, quae posteriorem materiam comitatur, ejusmodi est: *Accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini.*

IV. Quoad *presbyteratum* ipsius materia apud *Graecos* sita est in sola manuum impositione; apud *Latinos* vero duplex est, saltem ex praecepto, scilicet impositio manuum episcopi, et traditio calicis cum vino et patenae cum hostia superposita. Controvertitur autem inter theologos, quaenam sit materia essentialis. (1)

Forma etiam pro materiae diversitate varia est, quare de ea pariter controvertitur. 1° Forma, quae traditioni instrumentorum respondet, haec est: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis. In nomine Domini.* 2° Forma autem impositioni manuum propria est ipsa oratio, quam recitat episcopus, dum manus ordinandis imponit. — V. *S. Lig. n. 739. et seq.*

Quaesita:

702. — Quaer. 1° *An requiratur tactus physicus instrumentorum?*

Resp. Dicit *S. Ligorius n. 743.*, duplicem dari sententiam probabilem, et consequenter tutiorem in praxi omnino sequendam esse.

Attamen sententia *negativa* tuta dicenda est ex decisione *S. Congr. Rit.* Etenim cum religiosus quidam Gallus, nomine Ephrem Chasteau, neque calicem, neque patenam(2) tactu physico in sua ordinatione ad presbyteratum tetigisset, scrupulo motus casum *S. C. R.* proposuit. Sacra autem Congregatio ad scrupulum hunc fratris Ephrem respondit, *posse continuare celebrationem ss. sacrificii*

---

(1) *Probabilius* consistit in sola illa manuum impositione, quae fit ab episcopo cum presbyteris adsistentibus. — Cf. *S. Lig. n. 749.*

(2) De omissione tactus patenae silet dubium S. C. propositum, prout a *Gardellini* sub *n. 2143.* exhibetur. Ex hac decisione itaque nil aliud certo colligi posse videtur, nisi sufficere tactum physicum unius ex instrumentis.

absque ullo scrupulo ac tuta prorsus conscientia. (3. Dec. 1661. in un. Galliarum.) (1)

Quaer. 2° *An necessario traditio utriusque speciei requiratur?*

Resp. Affirmative probabilius, quia per traditionem unius speciei non traditur potestas in totum sacrificium. — *S. Lig.*, ut *probabilius n. 750.* — *Salmant. tr. 8. c. 3. n. 47.* et *alii* contra *plures.*

703. — Quaer. 3° *An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?*

Resp. ad 1um. *Affirmative* cum sententia *communi,* quae *probabilissima* videtur. Ratio est, quia hostia et vinum sunt materia substantialis sacerdotii, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex praecepto Ecclesiae usurpatur calix et patena. Attamen in praxi pars tutior sequenda est. — *S. Lig. n. 751.*

Resp. ad 2um. Etiam *affirmative* cum sententia *communi* et *veriore,* ait *S. Lig.* Ratio est: 1° quia tunc tangitur hostia mediante patena; non autem praescribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiae, sed tantum patenae, ut patet ex pontificali; 2° quia vinum in calice numquam tangitur immediate; ergo nec requiritur, ut hostia immediate tangatur. Ceterum curandum est ordinando, ut tangat calicem, patenam et simul hostiam, et sic ab omni scrupulo se eximet. — *S. Lig. n. 752.*

(1) Praefata decisio recentius ab eadem S. C. confirmata est. Etenim, cum similis casus Romae pro neosacerdote collegii romani S. J. evenisset, *P. Perrone,* operibus theologicis notissimus, *S. C. R.* de illo interrogavit, quae *d. 21. Jan. 1863.* idem omnino responsum dedit ex declaratione authentica jam prius facta occasione scrupuli fratris Ephrem.

Ceterum nemini ordinato rationabilis et fundatus scrupulus inesse potest. Nam in praxi episcopi solent ita procedere, ut in re tanti momenti tutiorem viam semper teneant. Aliunde tot ministris et officialibus incumbit munus invigilandi de ritu in ordinatione servando, ut moralis certitudo habeatur, quod omnia recte et valide gesta sint. — (Not. auct. in edit. rom. anni 1866.)

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

Principia:

704. — I. Solus episcopus est ordinarius sacramenti ordinis minister.

Constat: 1° Ex scriptura, quae non aliis, quam apostolis et episcopis, eorum successoribus, jus tribuit ordines conferendi. — *Act. 6. 6.* et *14. 22.* — *2. Timoth. 1. 6.*

2° Ex constanti traditione, quam innumera evincunt concilia; sed praesertim ex *concilio Florentino* et *Tridentino.* Sic enim *Florentinum* in *decr. pro Armenis: Ordinarius minister hujus sacramenti (ordinis) est episcopus.* Et *Tridentinum sess. 23. can. 7.: Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, . . . anathema sit.*

II. Simplex sacerdos, S. Pontifice committente, potest tonsurae et quatuor minorum ordinum extraordinarius esse minister (1).

Probatur ex variis conciliis, praesertim ex *Tridentino sess. 23. cap. 10. de reform.*, ubi dicitur: „Abbatibus et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum . . . cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre.“ (2) Ergo supponit *Trid.*, illos suis religiosis ordines conferre posse. — *Ita communissime.* — *S. Lig. n. 762.*

(1) item subdiaconatus. — *Perrone, Prael. theol. de ord. n. 134.*

(2) De hujus decreti sensu v. praeter alios *Ben. XIV., de syn. l. 2. c. 11. n. 8. et seq.*

705. — III. Episcopus solos sibi subditos licite ordinare potest(¹): alios vero ordinare nequit absque ipsorum episcopi obtenta facultate.

Constat ex *concilio Trid. sess. 23. c. 8. de reform.* „Unusquisque autem „a proprio episcopo ordinetur: quod„si quis ab alio promoveri petat, nulla„tenus id ei . . . permittatur, nisi ejus „probitas ac mores ordinarii sui te„stimonio commendentur. Si secus „fiat, ordinans a collatione ordinum „per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu „proprio ordinario videbitur expedire, „sit suspensus."

Quaesita:

706. — Quaer. 1° *Quisnam censeatur proprius ordinandi episcopus?*

Resp. Triplici titulo proprius episcopus esse potest, scilicet: 1° titulo *nativitatis* ordinandi, seu cum ordinandus in ejus dioecesi natus est, non tamen fortuito casu(²); — 2° titulo *domicilii*, seu cum ordinandus in illius dioecesi *verum et proprium* domicilium habet, non vero *quasi-domicilium* tantum; — 3° titulo *beneficii*, seu cum ordinandus beneficium in episcopi dioecesi possi — *Ita Bonifacius VIII. cap.* (nullus. (3.) *de temp. ordinatio (I. 9.) in 6°.*

Triplici, quem memoravimus, ti quartus accedit: nempe *familiar tis* titulus, vi cujus episcopus pc familiarem suum non subditum c nare, si per triennium eum se habuerit et beneficium, omni rer fraude, statim ipsi conferat. — *Tridentinum sess. 23. c. 9. de form.* — *S. Lig. n. 780.* (¹)

707. — Quaer. 2° *Quinam ras dimissorias concedere possi*

Resp. 1° Solus ordinandi epi pus(²) sede non vacante dimiss literas dare potest sive per se, per vicarios suos generales, qu episcopi hanc facultatem ordin conferunt.(³) Solius enim epis est, dioecesim gubernare et ordin jure ordines conferre.

Resp. 2° Sede autem vacante pitulum habet quidem facultatem ras dimissorias concedendi, sed infra annum a die vacationis(⁴) Ita ex *Trid. sess. 7. c. 10. d form.*

708. — Quaer. 3° *A qu episcopo regulares ordinandi*

Resp. Regulares ordinandi s

(¹) quod communiter etiam de 1ª tonsura intelligunt. — *S. Lig. n. 769.*

Quoad episcopos titulares autem cf., quae statuit *Trid. sess. 14. c. 2. de ref.*

(²) Si quis casu, v. g. in itinere, in aliqua dioecesi nascatur, non locus fortuitae nativitatis, sed vera tantum et naturalis origo patris attendatur, nisi pater inde in dioecesi fortuitae nativitatis tamdiu permanserit, ut ibi vere domicilium de jure contraxerit. — Bulla *Speculatores Innocentii XII.*

Si vero filius est illegitimus, attenditur origo matris; si expositus, locus, in quo expositus fuit; si tandem infidelis baptizatus, locus, ubi baptismum recepit. — *Scav. n. 602.* ex bulla *Cupientes Pauli III.*

Sed plura de hisce titulis vide in jure can. et praesertim in bulla *Speculatores*, quam per extensum habes penes *Lacroix n. 2165.* et compendiose apud *S. Lig. n. 770.*

(¹) In Gallia ex praxi gener episcopus originis ordinare solet; talis consuetudo vim legis h censetur. Non peccaret igitur aliquem ratione domicilii or *Bouvier c. 4. art. 3.* — *Gous* (Nota auct.)

(²) dummodo possessione licet nondum consecratus et li dioecesi exsistens. — *S. L Not. 3. 4.*

(³) Potest insuper vicari dimissorias concedere, si ep motis agat, ex c. Cum v *temp. ord. (I. 9.) in 6°.* - *n. 787. Not. 5.*

(⁴) nisi quis sit arctat infra illum annum suscipi ficium requirens obsequiu Cf. *S. Lig. n. 788.* Sub intelligitur ex decreto modo stricte tale. — *S*

episcopo, in cujus dioecesi est monasterium, ubi tunc commorantur(¹). — Sic ex *cap.* Cum nullus *supra citato.*

Si tamen episcopus vel absens fuerit vel ordinationem non sit habiturus, superior dimissoriis traditis poterit subditos ad quemlibet episcopum ordinandos mittere, modo huic episcopo ostendant testimonium vicarii generalis vel cancellarii seu secretarii ejusdem episcopi(²).

Vide etiam *S. Lig. n. 788.*(¹)

Quaer. 4° *Quaenam missa dicenda sit ab episcopo in collatione generali ordinum, quando in sabbatis quatuor temporum aut ante dominicam passionis occurrit aliquod festum: an scilicet de feria, an vero de festo?*

Resp. De feria celebrare debet. — *Ita S. Congr. Rit.* multoties declaravit.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Principia:

709. — I. Subjectum ordinis est solus mas baptizatus.

Ratio primi est, quia foeminae ex divina institutione sunt ordinis cujuslibet prorsus incapaces. — Constat ex sacris literis. *1. Cor. 14. 34.* ait apostolus: *Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit.* Et *1. Tim. 2. 11.* et *12.:*

Competit insuper jus concedendi literas dimissoriales Papae pro universa Ecclesia, legatis a latere et nuntiis Apostolicis pro eorum provincia; item SS. Congregationibus Episcoporum et Concilii. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2318.*

(¹) nisi hac in re privilegium post concilium Trident. obtinuerint, et quidem ordini nominatim atque directe, non autem per communicationem concessum. — Const. *Impositi nobis Ben. XIV. d. d. 27. Febr. 1747.*

(²) ex quo constat, vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem non habiturum esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto; modo insuper concessio dimissoriarum non ex industria differatur in tempus, quo episcopus dioecesanus vel abfuturus vel nullas est habiturus ordinationes, et ordinandi examinentur ab episcopo ordinante. — Const. *Impositi nobis.* — V. de hac quaestione etiam *Ben. XIV., Inst. 23. §. Igitur et seq.; de syn. l. 2. c. 11. n. 15. et seq.* — *S. Lig. n. 768.*

Quoad regulares autem monasteriorum, quae sunt *nullius dioecesis*, ita *Fagn.* in c. Grave (19.) *de officio jud. ordin. (I. 31.) n. 26.:* „Verumtamen in duobus casibus . . agnoscunt episcopi superioritatem. Primus est quoad ordines suscipiendos: *in cap. 10. (de ref.) sess. 23. (conc. Trid.).* Secundus est quoad literas dimissorias: *in eodem c. 10.* Nam superiores regulares nullius dioecesis subditis regularibus dimissorias concedentes ex sententia S. Congregationis tenentur illas dirigere ad episcopum proximiorem, vel ad episcopum, intra cujus dioecesis fines exsistunt." — V. etiam *S. Lig. l. c.*

Novitios, praescindendo a peculiari privilegio, ordinandos esse ab episcopo, cui id competit juxta const. *Speculatores,* non ambigimus, cum facultas dimittendi quoad ordines in ecclesiastica disciplina res gravis momenti existimetur, haec facultas itaque regularibus tributa strictam interpretationem exigat ideoque quoad novitios non suffragetur, quippe qui subditis regularibus simpliciter accenseri nequeunt. Consentit *S. Lig. n. 765.* et probabilius id censet *Suarez, de relig. t. 3. l. 5. c. 16. n. 17.;* contradicunt tamen alii. — Item acriter controvertitur, an abbas, qui suis subditis tonsuram et ordines minores conferre valet, hoc jure etiam quoad suos novitios gaudeat. — V. *Lacroix n. 2198.* — *Ferraris ad v.* Novitius *n. 93. 106.*

Notandum tandem, quod religiosi cum votis simplicibus, sicut privilegium ordinationis cum titulo paupertatis ad eos non extenditur, ita nec praedictis juribus regularium quoad receptionem ordinum gaudent, nisi per indultum Apostolicum specialiter ipsis concessa sint. — *Act. vol. 1. fasc. 6. p. 358. et seq.* — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2318.; ser. 7. col. 744. et seq.*

(¹) In ordinatione regularium servetur clara dispositio pontificalis romani quoad formulam: *Promittis ordinario tuo obedientiam etc.* — Sic *S. Congr. Rit. d. 22. Julii 1848. in Gandaven.* (Nota auct.)

Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. — Constat etiam ex perpetua Ecclesiae praxi et unanimi patrum omniumque doctorum consensu.

Ratio secundi patet. Nemo enim ante susceptum baptismum aliud quodlibet sacramentum suscipere valet.

Puerulus autem baptizatus, rationis non adhuc compos, valide, quamvis illicite, ordinari potest.

710. — II. Ut quis ordines rite suscipiat, sequentes requiruntur conditiones: 1° ut nulla irregularitate, suspensione, excommunicatione devinciatur(¹); — 2° ut aetatem per sacros canones requisitam attigerit; — 3° ut congruam scientiam specimine comprobatam prae se ferat; — 4° ut dimissoriales ostendat literas, si sit ex alia dioecesi, juxta superius dicta; — 5° ut debito tempore debitisque interstitiis interpositis ordinetur; — 6° ut vitae probitas divinam etiam vocationem comitem habeat. (²)

Nota: Ad subdiaconum ordinandum requiritur praeterea titulus *sustentationis honestae,* sive *patrimonii* vel *pensionis,* sive *beneficii,* sive etiam *religiosae paupertatis.* (¹) Si pereat titulus suscepto

---

(¹) et ab episcopo rite admissus sit. — Cf. *n. 1033.*

(²) 7° ut ordinatio fiat per gradus, superior scil. ordo ante inferiorem non suscipiatur, et quidem sub peccato mortali: ordinatio tamen aliter suscepta valida esset, si episcopatum excipias, qui sacerdotium praerequirit; — *S. Lig. n. 793.* — 8° ut ordinandi s. eucharistiam accipiant, quod statutum pontificalis romani verius presbyteros sub mortali ligat, diaconos et subdiaconos sub levi; pro initiandis autem ad ordines minores de solo consilio censetur. — *S. Lig. n. 801.*

Decretum vero *Innocentii XI.*, confirmatum per *Clementem XI.*, praecipit pro Italia et insulis adjacentibus, eos, qui sacros ordines suscepturi sunt, per 10 dies spiritualibus exercitiis vacare: statutum sane saluberrimum, ubique commendandum! — Cf. *Ben. XIV., Inst. 104.*

Quoad regulares cf. praeter supra dicta etiam decis. *S. C. Ep. et Reg.* sub *n. 138. 3°. not. 1.*

Quaenam autem conditiones requirantur, ut conjugatus, in saeculo persistens, ad sacros ordines licite promoveri valeat, dissentiunt auctores. Nullum dubium, consensu libero compartis opus esse, quod ex jure canon. tit. *de convers. conjug. (III. 32.)* passim constat. Excipe tamen, si ob uxoris adulterium divortium legitimum factum est, et juridice quidem, si crimen non sit notorium, vel si ob ejusdem haeresim aut apostasiam a fide judex separationem perpetuam decrevit (sed v. *n. 761. not.*); item generatim, si vir ad catholicam fidem se convertit, uxore in infidelitate remanente.

At exigiturne insuper, uxorem religionem ingredi et in eadem solemniter profiteri? Sententia quidem *communior,* uti videtur, cui etiam *Gerdil (Anal. J. P. ser. 5. col. 428.)* adstipulatur, docet, sufficere votum perpetuum castitatis, nisi uxor juvenis sit vel suspecta de incontinentia, vel de promotione viri ad episcopatum agatur. Nihilominus *verius* omnino necessitatem solemnis professionis, saltem in genere, affirmari censemus, nisi Sedes Apostolica indulgeat. Imo, absque indulto Pontificio neque solemnis professio uxoris sufficiet, si maritus adhuc sit virentis aetatis vel de incontinentia suspectus. Diximus: *in genere;* aliter enim, si uxor crimen adulterii admisit *(n. 762. Q. 2°. not.).* — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 13. et seq.* — *Bönninghausen, de irregul. fasc. 3. c. 7. §. 3. p. 175. et seq.*

(¹) Et hi quidem tituli a jure communi expresse admittuntur. Nihilominus alicubi praeterea titulus, quem vocant *mensae*, in usu est, qui indolem pensionis habet. Licet porro titulus in stricto sensu, cautio scilicet de perpetua et congrua sustentatione, dici nequeat, cum promissionem solummodo sustentationis contineat subsidiariam, si clericus alio modo conveniente, v. g. per vicariam temporalem, victum sibi comparare nequeat, tamen consuetudine legitimatus videtur, dummodo sufficienter stabilitus sit.

Etiam ex indulto Pontificio alii tituli rite adhibentur, v. g. mensae communis pro congregatione presbyterorum collegialiter viventium *(Anal. J. P. ser. 7. col. 746.)*, missionis etc., vel ordinandus absque speciali titulo admitti potest.

Episcopum quoque super titulo dispensare posse, si consuetudo ipsi suffragetur (dummodo congruae sustentationi ordinandi provisum sit), non desunt, qui affirment. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 26.* — *Ferrari, Summa instit. can. l. 1. tit.*

subdiaconatu, alius titulus requiritur ad ordinem superiorem accipiendum. — *Trident. sess. 21. c. 2. de ref.*

Quaesita:

711. — Quaer. 1° *Quaenam requiratur scientia in candidatis ad ordines promovendis?*

Resp. 1° Ab initiandis ad ordines minores, ut saltem latinum sermonem intelligant, postulatur; 2° ab initiandis ad subdiaconatum et diaconatum requiritur, ut in literis eruditi sint et in iis, quae ad ordinem exercendum pertinent; 3° ab initiandis demum ad sacerdotium exigitur, ut idonei reperiantur ad populum docendum ea, quae ad salutem omnibus necessaria sunt, et ad ministranda sacramenta. — *Trid. sess. 23. de ref. c. 4. et seq.* (1)

Quaer. 2° *Quaenam aetas requiratur ad suscipiendos ordines?*

Resp. 1° Ad *primam tonsuram* suscipiendam requiritur, ut initiandus polleat rationis usu, scilicet ut saltem septennis sit. — *Conc. Trident. sess. 23. c. 4. de reform.* — 2° Quoad *minores ordines* nulla in jure canonico adsignatur aetas. — 3° A *subdiaconis* vigesimus secundus aetatis annus exigitur; — 4° a *diaconis* vigesimus tertius; — 5° a *sacerdotibus* vigesimus quintus. Colligitur ex *concilio Trid. sess. 23. c. 12. de reform.* — 6° Ad *episcopatum* autem requiritur annus trigesimus.

Sufficit tamen, ut annus indicatus sit incoeptus, si episcopatum excipias. — *S. Lig. n. 799. 800.* (2)

712. — Quaer. 3° *Quonam tempore ordines conferri possint?*

Resp. 1° Prima *tonsura* quovis die, hora et loco conferri potest. — Sic ex *pontif. romano.*

Resp. 2° Ordines *minores* ubivis etiam conferri possunt singulis vel dominicis, vel festis duplicibus ex praecepto(1), dummodo mane conferantur. — V. *pontificale rom.*

Resp. 3° Ordines *majores* inter missae celebrationem jure conferuntur: 1° sabbato singulorum quatuor temporum; 2° sabbato ante dominicam passionis; 3° sabbato sancto. — *C.* De eo (3.) *de temp. ordin. (I. 11.)* Dispensatione vero a Papa obtenta, conferri etiam possunt extra tempora, aliis scilicet vel dominicis vel festis de praecepto diebus (i. e. de ritu duplici 2ae classis). (2)

---

9. 5°. — Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts l. 2. c. 4. §. 65. etc.

(1) Finis porro concilii, quod terminos infimos scientiae indicat, est, illiteratos ab ordinibus arcere, quin episcopo prohibeatur, uberiorem scientiam ab ordinandis exigere, quae merito nunc ubique exigitur. — Cf. *S. Lig. n. 792. Adv. 2.*

(2) Dispensatio autem quoad aetatem reservatur Summo Pontifici. — *S. Lig. n. 800.* — *Scav.*

(1) Id intellige ex jure communi de ordinatione, quae non est generalis (c. De eo (3.) *de temp. ord. [I. 11.]).* Generalis enim fieri debet iis diebus, quibus ordines majores conferri possunt, nisi consuetudo id feria IV. aut VI. ante generalem ordinationem permittat. — *Scav.*

Attamen festa suppressa reputantur de praecepto quoad ordines ex decl. *S. R. C. 12. Nov. 1831. in Mars.; 16. Mart. 1833. in Claremont. etc.*

(2) Si episcopo detur facultas conferendi ordines sacros diebus festivis, potest illos conferre in diebus apostolorum ceterisque per Apostolicam Sedem abrogatis. Pariter hisce diebus, sed mane tantum, licet conferre etiam ordines minores. — *S. C. R. 12. Nov. 1831. in Mars. etc.* (V. *Manuale ordinandorum, Ratisbonae 1862. p. 17.*) Eosdem aliis diebus, quamvis 2ae classis, conferri posse, non constat.

Per has *S. C.* decisiones etiam controversia dirempta videtur, quae de regularium privilegiis quoad tempus ordinationis olim agebatur. — V. *S. Lig. n. 797. Dub 3. 4.*

Debent autem majores ordines de praecepto gravi conferri inter missam, quod congruentius etiam quoad minores servatur.

Quoad *locum* tandem ordines majores publice conferantur in ecclesia cathedrali, vel, si in alio dioecesis loco administrantur, dignior, in quantum fieri potest, semper ecclesia adeatur. — *Conc. Trid. sess. 23. c. 8. de ref.* Item *S. C. R. 16. Sept. 1747. in Avenion.* statuens: Non licet sine gravi causa sacras gene-

713. — Quaer. 4° *Quaenam sint interstitia inter singulos ordines servanda?*

Resp. 1° Inter ordines minores quaedam servanda sunt interstitia, nisi aliud episcopo magis expedire videatur. — Sic ex *Trid. sess. 23. c. 11. de reform.* Tempus autem non determinatur. In multis locis ex consuetudine quatuor ordines minores eadem die conferuntur.

Resp. 2° Quoad ordines majores sic statutum est a *concilio Trid. ib. c. 11. 13.* et *14.:* inter postremum e minoribus susceptum et subdiaconatum unus annus intercedere debet(1); idem dicas subdiaconatum inter et diaconatum; idem etiam inter diaconatum et presbyteratum, nisi episcopus secus decernat. Hinc episcopus potestatem habet ab interstitiis dispensandi(2), si expedire ipsi videatur, modo debitis temporibus ordines conferat. (3)

714. — Quaer. 5° *An peccet clericus, qui initiatus in minoribus uxorem ducit*(4)?

Resp. Per se loquendo certum est, non peccare graviter; imo neque etiam leviter, si ob justam causam hoc facit, v. g. ad sedandas inimicitias aut tentationes carnis, ad subveniendum foeminae pauperi etc.; alias a veniali non excusabitur. — *S. Lig. n. 785.* Dixi: *per se loquendo;* nam valde timendum est, ait *S. Ligorius,* ne in malo statu exsistat ille, qui certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum ab eo recedit, ut saeculo fruatur.

Quaer. 6° *An requiratur, ut ordinandus sit confirmatus?*

Resp. Sic *Tridentinum sess. 23. c. 4. de ref.:* „Prima tonsura non „initientur, qui sacramentum confir„mationis non susceperint.“ Sed disputatur, an haec verba sint *de praecepto rigoroso,* vel *de consilio* tantum. „Communiter“, ait *S. Lig. n. 786.,* „probabilius dicunt, confirma„tionem non requiri in ordinando sub „obligatione gravi, sed requiri quidem „sub levi, quia, licet verba *Triden„tini* potius indicent decentiam quam „praeceptum, tamen in hoc contraire „non excusatur a levi saltem deordi„natione.“

715. — Quaer. 7° *An peccet, qui suscipit aliquem ordinem sine animo adscendendi ad superiores?*

Resp. 1° Non peccat graviter, etiamsi suscipiat ordines majores, et non intendat suscipere sacerdotium. — Ita *S. Lig. n. 785.,* ubi dicit, esse certum et commune.

Resp. 2° Nec probabiliter *per se* peccat venialiter, quia nullo jure praescribitur alicui ad superiores ordines adscendere, nisi quis acceptet beneficium requirens sacerdotium vel ordinem sacrum. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 8° *An et quomodo peccet ordinatus, qui omittit recitationem precum, quae post ordinationem ab episcopo imponuntur?*

Resp. Non consentiunt de hoc theo-

---

rales ordinationes extra cathedralem ecclesiam peragere. — Si tamen ordinatio non sit generalis, ex decreto *S. C. C.* in capella privata celebrari potest. — *Scav.*

Debet praeterea in propria ordinantis dioecesi fieri, si tonsuram excipias. — *S. Lig. n. 798.*

(1) Graviter peccaret, qui eodem die praeter quatuor ordines minores etiam subdiaconatum susciperet, nisi consuetudo contraria excuset (quae est probanda per episcopum — *Ferraris, Bibl. ad v.* Ordo *art. 2. n. 17.*). — *S. Lig. n. 797.*

(2) etiam quoad regulares, non autem quoad subditos alterius ipsi dimissos sine habita facultate. — Ita *Scav.* ex decl. *S. C. C.*

(3) Congruum etiam est, susceptum ordinem exerceri, antequam ad altiorem adscendatur. — *Trid. sess. 23. c. 11. 13. 17. de ref.* De praecepto tamen absque mandato stricto episcopi non constat, praesertim quoad ordines minores, quorum exercitium fere obsolevit. — V. *S. Lig. n. 801.*

(4) Requiritur enim ad ordines suscipiendos animus clericandi i. e. voluntas permanenter se devovendi statui clericali. — Cf. *Trid. sess. 23. c. 4. de ref.* — *S. Lig. l. c.*

logi. Alii enim dicunt, eum peccare graviter, quia materia praecepti est gravis. Alii tenent, illum minime peccare, quia episcopus praeceptum rigorosum non imponit. Alii tandem censent, hujusmodi omissionem non vacare quidem a culpa, sed venialem non excedere. Haec sententia *probabilior* videtur. — V. *S. Lig. n. 829.* (1)

716. — Quaer. 9° *An et quomodo neo-sacerdotes tres missas ab episcopo praescriptas legere teneantur?*

Resp. 1° Non tenentur eas applicare ad episcopi intentionem et proinde stipendium pro illis accipere possunt. — *Ita communiter.* — *S. Lig. ibid.*

Resp. 2° Nec apparet obligatio gravis eas missas celebrandi; neque prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti, cum missae votivae esse debeant. — V. *S. Lig. ibid.*

Quaer. 10° *Ad quid teneantur sacerdotes vi obedientiae, quam episcopo in ordinatione promiserunt?*

Resp. Sic explicat *Benedictus XIV.* in epist. *Ex quo dilectus d. d. 14. Jan. 1747.* (2) *§. De reverentia:* „... Agnoscimus, presbyterum hujus„modi promissionis vigore ea lege inter „alias (3) adstrictum teneri, ut a ser„vitio ecclesiae, cui addictus fuerit, „discedere nequeat sine licentia epi„scopi." — *S. Lig. n. 828.*

717. — Quaer. 11° *An sacerdotes vel etiam parochi statum religiosum amplecti possint renuente episcopo?*

Resp. Affirmative. — Constat ex jure can. *Cap.* Duae sunt *Caus. 19. q. 2.*, ubi ab *Urbano II.* statuitur, presbyteros vel parochos, volentes transire ad aliquod monasterium, posse libere discedere, etiam contradicente episcopo. — V. *S. Lig. n. 828.* et epist. *Benedicti XIV. Ex quo dilectus.* (1)

718. — Quaer. 12° *An sit concedenda absolutio clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad ordines sacros adscendere vult sine praevio continentiae experimento?*

Resp. Negative ex sententia *S. Lig. (de sacram. in gen. n. 64.)*, licet sincere sit conversus ad Dominum et ideo posset statim absolvi. Ex ejus sententia igitur sacrum ordinem suscipere non poterit, nisi aliquamdiu operam dederit ad pravum habitum exstirpandum. Si vero persistat sacrum ordinem suscipere, *S. Ligorius* non censet dispositum ad absolutionem, quia legem Ecclesiae violat in re gravi. Excipit casum, in quo Deus donet poenitenti extraordinariam compunctionis gratiam, quae eum reddat adeo probatum, ut ipse statim possit sacrum ordinem suscipere, quin temporis experientia comprobetur. Alii tamen aliter sentiunt apud eumdem *S. Lig.* — V. *Gury, Casus consc. p. 2. n. 826.*

APPENDIX.

DE VOCATIONE CLERICALI. (2)

719. — I. *Necessitas vocationis divinae.* Evincitur imprimis ex scriptura sacra: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Hebr. 5. 4.* Hinc apostoli, ut alium apostolum in locum

(1) Verba pontificalis romani *nocturnum talis diei* intelliguntur de unico nocturno feriali vel de primo dominicae, ut in psalterio, i. e. 12 psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei, quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando episcopus ordinans nil aliud exprimit, quam quod verba pontificalis sonant, dicendus est nocturnus ferialis ut supra, qui respondet illi diei, in quo facta est sacra ordinatio. — *S. C. R. 11. Aug. 1860. in Granat. ad dub. 9.* — *Anal. J. P. ser. 5. col. 351.*

(2) V. in editione Ratisb. *Theologiae moralis S. Alphonsi l. 5.* post *n. 82.*

(3) Cf. *notam* ante *n. 38.*

(1) Cf. etiam *n. 148. not.*

(2) Cf. *n. 148. et seq.*

Judae traditoris subrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu, Domine, ... ostende, quem elegeris. Act. 1. 24.* Ipse Christus *Joan. 10. 1.* dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, . . . fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* — Iterum *Joan. 15. 16.: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* — Rursus *Luc. 10. 2.: Rogate . . . Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Illi igitur, qui non sunt vocati a Deo, se intrudunt, et ipsi sunt, de quibus ait Dominus per *Jeremiam (23. 21.): Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.* — *S. Lig. n. 802.*

720. — II. *Signa divinae vocationis.* Praecipua signa divinae vocationis ad statum ecclesiasticum sunt sequentia: scientia conveniens, probitas vitae, recta intentio seu desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum. — *S. Lig. ibid.*

Qui sine vocatione ex talibus signis explorata in sacrum ministerium se intrudit, non potest a magna praesumptione, imo a gravi culpa excusari, cum magno damnationis periculo se exponat. (1) Majori autem periculo se committunt episcopi, qui non vocatos ad ordines sacros promovent, ex illo apostoli *1. Tim. 5. 22.: Manus cito nemini impo-*

(1) Mortaliter etiam peccat, qui principaliter sacrae militiae petit adscribi ob fines humanos, quasi sine cura victurus, cum ad curas pervenerit. — *Scav.*

sueris, neque communicaveris p
catis alienis. Hinc in jure
Dist. 24. cap. Nullus (2.) praes
bitur, ut *nullus ordinetur, nisi p*
batus fuerit.

721. — Quaer. *Quid agend*
episcopo, ut candidatos ad sac
ordines satis probet?

Resp. Sic *S. Ligorius n. 8*
„Ad hanc probationem ab episc
„exquirendam non sufficit, quod
„nihil mali noverit de ordinando,
„debet fieri certus de ejus posi
„probitate, juxta sublimitatem gra
„ad quem ille inhiat adscendere.
„Qua de re episcopi in hac pr
„tione expetenda non debent esse
„tenti simplici attestatione paro
„rum, qui humanis ducti adspecti
„in hujusmodi attestationibus co
„dendis facile clericis indulgent,
„in se attrahant eorum odium eor
„que propinquorum; sed insuper
„aliis fide dignis, capta secreta
„formatione, certi fieri debent
„solum, quod initiandus non sit
„lus, sed etiam, quod sit pos
„bonus, scilicet quod vitam agat
„ritualem, sit assiduus in ecc
„sacramenta frequentet et orati
„vivat a saecularibus segregatu
„ciis morigeris comitetur, studi
„modesta utatur veste etc.“

Vide alia plura de obli
bus clericorum in tract. de
scilicet de coelibatu n. 39.
statione habitus et tonsura
de recitatione officii divin
et seq. etc.

TRACTATUS
DE MATRIMONIO.

Matrimonium dicitur a *matris munere,* ut dicunt *communiter* cum *S. Thoma,* quia in hac societate praecipuae partes ad matrem pertinere videntur. Matrimonium appellatur etiam *conjugium* a co
cui vir et mulier subjic
vocatur *nuptiae* vel
verbo *nubere,* quia spo
bantur, cum viris trad

dicitur *consortium*, quia vir et mulier communem sortem habent.

Magnopere juvat instruere fideles de matrimonii excellentia et sanctitate, virtutem tamen continentiae, ut par est, multo magis extollendo.

Agendum: 1° de sponsalibus; 2° de bannorum proclamatione; 3° de natura et proprietatibus matrimonii; 4° de ejus materia et forma; 5° de ejusdem ministro et subjecto; 6° de impedimentis matrimonii; 7° de matrimonii irriti revalidatione; 8° de conjugali debito.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

1° De natura; 2° de effectibus; 3° de dissolutione sponsalium.

ARTICULUS I.

DE NATURA SPONSALIUM.

722. — Definitio: Sponsalia sunt promissio vera, deliberata(1) et mutua(2), signo sensibili expressa(3) futuri matrimonii inter personas habiles. (1)

Divisio: Distinguuntur sponsalia:

1° *Ecclesiastica* seu *solemnia*, vel *privata*, prout in facie Ecclesiae, i. e. coram parocho et testibus, celebrantur, vel privatim solo contrahentium consensu aut coram parentibus in media familia perficiuntur.

2° *Absoluta* vel *conditionata*, prout absque ulla conditione vel aliqua conditione adjecta fiunt.

Principia:

723. — I. Ad validitatem sponsalium requiruntur omnes conditiones in definitione contentae, ita ut, si una earum deficiat, contractus sponsalitius nullus sit habendus. Ratio patet ex dictis de natura contractus *p. 1. n. 754. 772.*

II. Sponsalia valent eodem modo, sive sint *solemnia* seu *ecclesiastica*,

---

(1) cum deliberatione scil., quae requiritur ad contractum onerosum. — Nec valent, si fiant vi, metu *(n. 724.)* vel cum errore circa personam vel qualitatem in personam redundantem. — *Ferraris, Bibl. Pr. ad v.* Sponsalia *n. 8.* — *Knopp, Eherecht §. 34. p. 321. et seq.* Item non sufficit voluntarium indirectum, mera scil. praevisio talis promissionis ex causa libere posita. — *Scav.*

(2) Hinc non sufficit promissio ab una et acceptatio ab altera parte, sed requiritur repromissio (saltem per signa). — *S. Lig. n. 836.* — *Reiffenstuel, Jus can. l. 4. tit. 1. n. 53. et seq.* Secus enim, ita editor rom. hujus compendii, non haberetur contractus *sponsalium*, qui est onerosus et ultro citroque obligans ex justitia, sed contractus simplicis promissionis, qui est *gratuitus* et obligans ex mera fidelitate, si altera pars promissionem acceptaverit.

Aequivalet tamen acceptatio repromissioni, si mulier, *quae honesta sit*, in tantum sui dedecus inducatur, ut post acceptationem promissionis deflorationem patiatur, saltem si non constet, eam mere libidinis implendae causa ita egisse. — Cf. *Act. vol. 1. fasc. 2. p. 77. et seq.; ib. fasc. 6. p. 342. sub fine notae 2.; vol. 2. fasc. 15. p. 145. et seq.*

(3) Hinc verbis opus non est; non sufficit autem consensus tacitus, apto signo non expressus, nisi parentes pro filiis contrahant. — Cf. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 58. et seq.* — *S. Lig. n. 838. 839.* — *Knopp l. c. p. 330.*

Possunt vero sponsalia contrahi etiam inter absentes per internuntium, literas vel procuratorem, qui tamen observet opus est conditiones apud *S. Lig. n. 885.* enumeratas, excepta quinta.

(1) Habilitas duo importat: 1° Usum rationis sufficientem ad peccatum mortale. — *Sanchez, de matrim. l. 1. disp. 16. n. 15.* Hinc ex jure sponsalia celebrata post septennium completum *per se* valent, quamvis ordinarie sponso impuberi eadem solvere liceat, si ad pubertatis annum perveniat. — *Knopp, Eherecht l. c. pag. 325.* Probabilius tamen docent, etiam ante hanc aetatem jure naturae sponsalia obligare, si promittens perfecto rationis usu polleat et aliquo modo onera status conjugalis comprehendat. — Cf. *Ferraris ad v.* Sponsalia *n. 12. 16. et seq.* — *Knopp, Eherecht l. c. p. 325.* — Infra *n. 835. not.* 2° Ut spondentes nullo impedimento prohibeantur, sive dirimenti, sive impedienti. — *Scav.* — *Knopp ib. p. 339.* — *Heiss, de matrim. §. 15.*

Nulla tamen lex exigit, ante matrimonium sponsalia celebrari.

Vocantur autem ejusmodi sponsalia pressius *sponsalia de futuro*, ad distinctionem a *sponsalibus de praesenti*, matrimonio scilicet.

sive sint *privata* seu *clandestina*, quia consensus duorum sufficit ad verum contractum; nec umquam Ecclesia irritavit sponsalia privata. (1) Imo nunc in plerisque locis sponsalia solemnia in desuetudinem abierunt. (2)

III. Sponsalia inita sub conditione *de praesenti* hic et nunc valent, si conditio sit verificata; si autem sub conditione *de futuro* contrahantur, valebunt statim ac conditio adimplebitur absque novo consensu contrahentium, modo neuter consensum antea datum revocaverit. Interea vero contrahentes tenentur ad exspectandam conditionis impletionem, si honesta sit (3).

IV. Quando verba vel signa sunt dubia, in foro conscientiae standum est intentioni contrahentium, si de illa constet; in foro externo autem communi intelligentiae et usui verborum. (4) — *S. Lig. n. 840.*

Quaesita:

724. — Quaer. 1° *An valeant sponsalia ex metu gravi contracta?*

Resp. Negative probabilius (1). Ratio est, quia matrimonium ex metu gravi contractum nullum est, ut ex jure canonico constat et infra explicabitur *n. 747. 832.* Ergo eo ipso nulla etiam debent esse sponsalia ex tali metu inita. — *S. Lig. n. 844.*

Quaer. 2° *An valeant sponsalia ex metu levi inita?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia incutiens metum levem non censetur alteri gravem injuriam inferre, siquidem hic metum talem facile contemnere potest. — Recole dicta *de actibus humanis p. 1. n. 18.* — *S. Lig. ibid.* — *Lacroix n. 105. etc.*

Negant tamen *nonnulli*, quia nemo tenetur injuriam pati, nec proinde per injuriam obligari potest. (2)

725. — Quaer. 3° *An inter habentes impedimentum dirimens sint valida sponsalia inita sub conditione: si Papa dispensaverit?*

Resp. Juxta *S. Lig. n. 859.* et *alios non paucos*, licet sponsalia non

(1) Episcopo vero non competit, statuta juris communis restringere. Hinc nequit sponsalia irrita declarare, quae v. g. absque testibus celebrantur. — *Ben. XIV., de syn. l. 12. c. 5. n. 1.*

Addimus *prop. 58. pseudosyn. Pistoriensis* damnatam: „Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere, quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae: falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva etc.“ — *Denzinger, Enchiridion n. 1421.*

(2) Sponsalia ecclesiastica non sunt ubique in more; propter abusus, quorum saepissime occasionem praebuerunt, in multis dioecesibus obsoleverunt. Parochi ea instaurare non possent sine approbatione ordinarii, sicuti nec ex propria auctoritate abolere in locis, ubi adhuc celebrantur. — *Gousset n. 757.* (Nota auct. ex id. gall. versa.)

(3) et possibilis, neque naturae hujus contractus vel futuri matrimonii adversetur. — *Knopp l. c. p. 335.*

(4) Dubio vero permanente inclinandum est in favorem libertatis. — *S. Lig. ib.* — V. etiam causas decisas a *S. C. C.*, quae referuntur in *Act. vol. 1. fasc. 6. p. 336.; fasc. 9. p. 525.; vol. 2. fasc. 15. p. 142.*

(1) dummodo sit metus injuste incussus ab extrinseca et libera causa. — *S. Lig., Hom. ap. tr. 18. n. 3.* — Cf. etiam *p. 1. n. 314.*

(2) Vel ipse *S. Lig.* in *Hom. ap. tr. 18. n. 3.* excipit: „si talis metus, licet levis, dederit causam contractui, ut probabiliter dicunt *Layman* etc.; tanto magis hoc currit, si, qui passus est metum hujusmodi levem, tamquam gravem apprehendisset.“ Ceterum ob diversas auctorum sententias in simili casu ad judicem recurrendum videtur, qui, ut monet *Knopp l. c. p. 324.*, regulariter dissolutionem contractus decernere debebit.

Quoad fictionem in sponsalibus resolvunt: Si quis intentionem habuit, sponsalia celebrandi et se obligandi, obligationi autem non satisfaciendi, valent sponsalia; secus vero, si interne vel sponsalia contrahere vel se obligare noluit. Peccat tamen per ejusmodi fictionem graviter et obligatur ad damna resarcienda, imo et ad matrimonium celebrandum, si damna aliter reparari nequeant. — *S. Lig. n. 832. 833.*

valeant ante conditionem impletam, attamen verificata conditione valent sine novo consensu. Verum *sententia negativa* tenenda est ex decisione *S. Rotae Romanae* apud *Clericat., de matrim. dec. 17. n. 41.*, ubi testatur, hanc fuisse perpetuam *S. Rotae* sententiam. Constat etiam ex declaratione *S. C. C. in Januensi 12. Dec. 1733.* (1)

Quaer. 4° *An promissiones, quae fieri solent de ineundo matrimonio, semper habendae sint ut vera sponsalia?*

Resp. Saepe videtur negandum; promissiones enim illae speciem meri propositi non raro prae se ferunt. (1) In praxi igitur ad intentionem particularem sponsorum attendendum est. — V. *Casus consc. p. 2. n. 836. et seq.*

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONE ET EFFECTIBUS SPONSALIUM.

Principia:

726. — I. Sponsalia obligant sub gravi ex justitia ad matrimonium ineundum tempore determinato, si quod determinatum sit; si vero nullum tempus fuerit praefixum, quam primum una pars rationabiliter exigit. (2) Ratio est, quia, ubi vera sunt sponsalia, adest verus contractus in re gravi, et inde gravis obligatio sequitur. (3) — *S. Lig. n. 845.*

---

(1) *Negativam* sententiam amplectuntur inter recentissimos etiam *Scav. n. 797.*, qui ita ex praxi saltem tribunalium resolvendum ait. — *Anal. J. P. ser. 3. col. 122.* — *Act. vol. 1. fasc. 2. p. 75. 79. 121. et seq.*

Opponit vero editor romanus hujus compendii, ex decisionibus *S. C. C.* minus apte concludi, ejusmodi sponsalia etiam post dispensationem obtentam et ad effectum perductam non subsistere, sed novo consensu opus esse, dum omnes decisiones, quae afferri possunt, tunc tantum valorem sponsalium negant, quando conditio nondum impleta erat nec per exsecutionem literarum Apostolicarum impedimentum sublatum, quo in casu neque *S. Alphonsus*, neque alius umquam dixit, sponsalia valere. At dubitamus, an *S. C.* ita constanter et absolute asseruisset, sponsalia illa „non sustineri, nullum exstare impedimentum impediens ex praetensis sponsalibus, ideoque revocato impedimento praedictum N. in omnimoda libertate esse, cum quavis alia matrimonium contrahendi", si de actu sermo esset, qui, licet factus tempore inhabili, tamen valeret pro tempore habili, ad quod refertur *(S. Lig., de 7. praec. dec. n. 650.)*. Porro non firmatur tractu temporis, quod non subsistit ab initio. — Plura v. in *Actis l. c. p. 123.*, ubi inter alia haec: „... Illi, qui sunt inhabiles jure ad contrahendum matrimonium, censentur etiam inhabiles ad contrahenda sponsalia, sive absolute, sive conditionate haec celebrentur. Si enim sponsalia, licet sub conditione celebrata, valerent, tunc inciperet obligatio, cum haec contrahuntur. Apposita enim conditio nihil aliud adjungit, quam temporis determinationem ab eventu dispensationis dependentem, qua adveniente quis alterum cogere posset ad nuptias ineundas, si reluctaverit: et hoc non ex vi dispensationis obtentae, sed ex vi promissionis antea factae. Radix itaque totius obligationis repetenda esset ex tempore, quo sponsalia, licet conditionata, inita sunt. Atqui tempore, quo contrahentes sponsalia inierunt, erant inhabiles et inidonei ob impedimentum ad contrahendum. Vitiosum est itaque obligationis initium, ideoque concidat necesse est obligatio."

Posset tamen obligatio ad matrimonium ex alio titulo, quam ex hisce sponsalibus, adesse.

(1) V. *Act. vol. 1. fasc. 6. p. 342. not. 2. sub fine.*

(2) Obligatur vero exigere, cum commode potest, si altera pars forte ex verecundia etc. petere non auderet. — *S. Lig. l. c.*

(3) Haec obligatio urget tum in foro conscientiae, tum in foro externo. Idcirco resiliens cogi a judice potest ad matrimonium etiam per censuras *(C.* Ex literis (10.) *de sponsal. [IV. 1.])*, quamquam hortationes ac monitiones debeant praecedere *(C.* Requisivit (17.) *eod. tit.)* et a coactione quoque abstinendum sit, si quando inspectis circumstantiis judex prudenter arbitretur, ex nuptiis invitis gravia mala ac scandala timenda, v. g. rixas perpetuas, viri discessionem ab uxore aut etiam conjugicidium: expedit enim, ut minus permittatur malum ad gravius cavendum, et sic a judice etiam actori favor impenditur. — V. *Sanchez, de matrim. l. 1. disp. 29. n. 4. et seq.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 94. 95.* (Nota edit. rom.)

II. Sponsalia inducunt impedimentum *impediens* matrimonium seu prohibens, ne matrimonium cum alia persona *licite* contrahatur, nisi sponsalia fuerint legitime dissoluta. Ratio est, quia ex dictis sponsalia obligationem justitiae pariunt. — V. dicenda *infra n. 779.*

III. Sponsalia inducunt etiam quandoque impedimentum *dirimens* matrimonium seu irritans omnino matrimonium. Hoc autem tunc fit, quando, initis veris sponsalibus, unus ex sponsis matrimonium contrahit cum consanguinea alterius in primo gradu. Impedimentum illud in jure *publicae honestatis* nuncupatur. — Vide dicenda *n. 816.*

Quaesita:

727. — Quaer. 1° *Si quis cum duabus foeminis sponsalia contraxerit et cum secunda peccaverit, quamnam ducere debeat?*

Resp. 1° *Certo* matrimonium est contrahendum cum prima, si secunda contrahendo priorum sponsalium conscia fuerit. Ratio est, quia tunc secunda decepta non fuit, sed decipi voluit.

Resp. 2° *Probabilius* etiam cum prima matrimonium est contrahendum, licet secunda non fuerit conscia promissionis alteri factae. Ratio est, quia promissio facta secundae est semper nulla, utpote de re illicita, neque injuria alteri illata ei jus adimit. Et hoc valet, etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata. — *S. Lig. n. 848.*(1)

Quaer. 2° *An autem tunc prior sponsa cedere debeat de jure suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit?*

Resp. Negative probabiliter. Ratio est, quia secunda sponsa imbecillitati suae hujusmodi damnum imputare debet. Priori tamen suadendum est, ut juri suo renuntiet. — *S. Lig. ib.*

(1) Cf. etiam *Ben. XIV., Inst. 46. §. Secundo illud.*

728. — Quaer. 3° *An licitae sint arrhae in sponsalibus?*

Resp. Affirmative, quia nec jure canonico prohibentur, nec juri naturali adversantur. — *S. Lig. n. 852.*(1)

Quaer. 4° *An sponsa reddere debeat munera*(2) *a sponso accepta, si matrimonium non subsequatur?*

Resp. 1° *Negative,* si ex culpa sponsi sponsalia dissolvantur, quia ille culpabiliter resiliendo a promissione jacturam horum munerum facere merito censetur. Sic praxis communis.

Resp. 2° *Affirmative per se loquendo,* si absque culpa sponsi, et *a fortiori,* si ex culpa sponsae sponsalia solvantur; sponsa enim absque injustitia ea retinere non potest, cum intuitu matrimonii tantum erogata fuerint. Idem foret dicendum, si unus ex sponsis, qui ab altero munera vel arrhas accepit, morte corripiatur ante initum matrimonium; parentes enim defuncti tenentur tunc omnia restituere sponso superstiti juxta modo dicta.

Dixi: *per se loquendo;* quia, si munera parvi sint momenti respectu habito ad sponsi conditionem et sponsus non reclamet, ea remittere censetur.

729. — Quaer. 5° *An ille, qui promisit matrimonium puellae ea conditione, ut cum eo peccet, eam ducere debeat?*

Resp. Negative probabilius, quia promissio sub conditione turpi non

(1) Poena vero, saltem si ab eo solvenda sit, qui *juste* a sponsalibus resilit, per ipsum jus illicita et irrita est. — *C.* Gemma (29.) *de sponsal. (IV. 1.)* — *S. Lig. n. 853.*

(2) Differunt *munera* seu *donationes sponsalitiae* ab *arrhis,* quia hae dantur ceu pignus seu hypotheca implendi rem promissam ac proinde, qui eas dederit, ipsas recuperat, cum illud impletur, de quo pactum fuerat; contra vero quidquid datur per modum sponsalitiae largitionis, nuptiis secutis repeti nequit, sed dominium ejus transit plene ad personam, cui datum fuerat, seu potius donatio confirmatur et fit absoluta. — (Nota edit. rom.)

obligat. Nemo enim obligari potest ad malum faciendum. (1)

Attamen, si sponsa inde conceperit, seductor *per se loquendo* ad eam ducendam tenetur, non quidem vi promissionis factae, sed ad scandalum praeveniendum aut sedandum, ad prolem legitimandam vel ad damna sponsae illata reparanda, nisi alio medio tantis malis efficax remedium afferre possit. — *Gousset n. 760.* — Recole dicta *de justitia p. 1. n. 729. 760.*

730. — Quaer. 6°. *An matrimonium mere* civile, *prout fit in Gallia coram magistratu, haberi possit instar sponsalium?*

Resp. 1° *Affirmandum* videtur, si contrahentes intentionem habeant recurrendi postea ad Ecclesiam et coram parocho contrahendi et hanc intentionem signo externo manifestent. Ratio est, quia tunc non contrahunt matrimonium, sed tantum praescripto legis civilis satisfaciunt et simul se obligant, saltem *implicite*, ad vere contrahendum matrimonium ecclesiaticum.

Resp. 2° Si talem intentionem non habeant, contractus civilis haberi *nequit* ut contractus sponsalitius. Ratio est, quia nulla est promissio matrimonii, sed tantum hic et nunc adest matrimonium clandestinum, *quod vim sponsalium nullatenus habet,* ut decravit *S. Congreg. Conc. Trident.* (2) *Carrière n. 365.* (3)

In recentissimis editionibus, gallica et et romana, auctor cum *S. Lig., praec. n. 642.* et *communi affirmam* sententiam absolute tenet.

V. *Ben. XIV., Inst. 46. §. Nos m.*

Subjungimus praecipua ex *Instru- S. Poenitentiariae circa contra- quem matrimonium civile appel- d. 15. Jan. 1866.*: „... 3° Sed aliisque axiomatibus.... debent m pastores practicas instructiones e, quibus etiam fidelibus id pert, quod SS. Dominus noster in io secreto *die 27. Sept. anni* roclamabat: i. e. *Inter fideles nium dari non posse, quin uno tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inte christianos viri et mulieris, praeter sa cramentum, conjunctionem, etiam civi lis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum.*"

4° „Atque hinc facile deducere poterunt, ... sententiam omnem de separatione conjugum legitimo matrimonio coram Ecclesia conjunctorum, a laica potestate latam, nullius valoris esse et conjugem, qui, ejusmodi sententia abutens, alii se personae conjungere auderet, fore verum adulterum, quemadmodum esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque utrumque absolutione indignum esse, donec haud resipiscat ac praescriptionibus Ecclesiae se subjiciens ad poenitentiam convertatur."

5° „Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus, juxta.. S. Concilii Tridentini formam (ubi decretum rite promulgatum est, uti jam antea *Instructio* innuerat), atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur: attamen ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum exsecuturi, ea tamen intentione (uti *Benedictus XIV.* docet in brevi *d. d. 17. Sept. 1746. Redditae sunt Nobis*), ut sistendo se gubernii officiali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exsequantur."

6° „Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis exsecutioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur ac proinde non haberentur ut legitimi conjuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia et ordinarii consilium exposcere: atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc sacrum tribunal consulat."

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

Sponsalia ob justas causas disso possunt juxta omnes. Causae aute

praecipuae sunt: mutuus consensus(1); impedimentum superveniens(2); electio status perfectioris, v. g. professio religiosa etc.(1); crimen alterius grave, v. g. fornicatio(2); mutatio notabilis status(3).

7° „Quodsi opportunum est ac expedit, ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos conjuges coram lege: hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, ejusmodi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur atque interim contrahentes sejuncti consistant.“ Addito dein monito, ut omnes sequantur doctrinam a *Benedicto XIV.* expositam in brevi, cujus supra mentio facta est, ad quod tum *Pius VI.* in suo brevi ad Galliae episcopos *Laudabilem majorum suorum,* tum *Pius VII.* in suis literis *d. d. 11. Jun. 1808.* ad episcopos Piceni eosdem episcopos instructionis gratia remittebant, ita tandem *Instructio:* „Post haec omnia facile est videre, praxim hactenus observatam circa matrimonium, et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cujusvis naturae, ab Ecclesia sive constituta sive admissa, nullo modo variari.“ — V. *Act. vol. 1. fasc. 8. p. 508.* — *Anal. J. P. ser. 8. col. 2167.*

Merito vero editor rom. hujus compendii observat, neque in mutua promissione, quae matrimonio isti civili forte praecessit, vera sponsalia haberi, si defuerit intentio celebrandi matrimonium coram Ecclesia, cum tunc revera nihil aliud stipulatum sit, quam conjunctio concubinaria.

(1) libere (absque metu gravi et dolo) post pubertatem emissus — *S. Lig. n. 855. 856.* — Supra *n. 724.*

(2) Intellige impedimentum *dirimens,* et quidem *jure naturae* (super quo scilicet dispensari nequit vel dispensari non solet). Nam si impedimentum sit dirimens solum *jure ecclesiastico,* licet obligatio cesset ex parte innocentis, at non item ex parte ejus, qui culpa sua causam impedimenti apposuit, sed tantum suspenditur, adeo ut hic (nisi inde damnum incurrat multo gravius, quam pars laesa ex nuptiarum omissione) teneatur dispensationem impedimenti petere eoque sublato, si adhuc velit pars laesa, fidem eidem datam implere. Neque de hac re dissentiunt reipsa doctores. Discrepantia enim, quam suspicari quis posset ex iis, quae *S. Alphonsus n. 857. 858.* refert, tota prorsus *Salmanticensium (de matrim. tr. 9. c. 2. a n. 70.)* oscitantiae et negligentiae in sententiis doctorum describendis debetur. — (Nota edit. rom.)

(1) V. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 8.* — Cf. etiam *n. 731. Q. 2°.*

Per ingressum in religionem ante professionem sponsalia solummodo ex parte manentis in saeculo dissolvi videntur, nullimode vero per susceptionem solummodo ordinum minorum. — *S. Lig. n. 870. et seq.*

(2) praesertim post sponsalia — Cf. *S. Lig. n. 860.* — Infra *n. 733. Q. 6°.*

(3) circumstantia scilicet non quidem essentialis, sed ob quam, si fuisset cognita vel praevisa, judicio prudentum sponsalia non fuissent celebrata. — Si vero ignorantia non dedit causam contractui, i. e. si sponsus etiam cognita prius causa contraxisset, minime a sponsalibus resilire liceret. — *S. Lig. n. 865.* Quoad forum externum cf. *Sanchez, de matrim. l. 1. disp. 62. n. 6.* — *Pirhing l. 4. tit. 1. n. 63.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 188.*

Etiam ob nimiam dilationem matrimonii sponsalia dissolvi possunt. Si enim tempus ad matrimonium celebrandum constitutum sit, et quidem ad finiendam obligationem, elapso termino eo ipso sponsalia solvuntur. — Si vero solummodo ad exsequendam obligationem adjectum sit, ita ut ante illud neutra pars ad matrimonium contrahendum obligetur, elapso termino sponsalia adhuc obligant. Quando autem in casu ulterioris dilationis per unam partem alteri resilire liceat, ex circumstantiis praesertim decidendum videtur. — Si tandem nullum tempus statutum sit, nuptiae autem nimis differantur, nec mutuo consilio dissolutio sponsalium obtineri possit, causa melius ad judicem ecclesiasticum remittetur, ut, quae convenientia censuerit, statuat. — Cf. *Ferraris ad v.* Sponsalia *n. 82. 83.* — *S. Lig. n. 866—868. etc.*

Confessarius autem, si videat matrimonium de industria sine sufficiente causa dilatum, non importune solutionem datae fidei exigat, sed aliquando pro circumstantiis potius reparationem damni vel liberam compositionem suadeat, cum matrimonium improsperum timendum sit. — Cf. *S. Lig. n. 846.* — *Bouvier.*

Specialia quoad discessum unius sponsi

Quaesita:

731. — Quaer. 1° *An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis haereditas?*

Resp. Controvertitur. Alii negant, quia nihil prorsus ex parte sponsae mutatum est. *Alii* vero *affirmant,* quia idem status inter utrumque sponsum non amplius exsistit et, si sponsus hanc mutationem fortunae praevidisset, nullo modo cum tali persona contrahere voluisset. Hanc sententiam satis probare videtur *S. Lig. n. 876.*

Quaer. 2° *An solvantur sponsalia per votum castitatis vel votum sacros ordines suscipiendi?*

Resp. 1° Si votum *antecedat* sponsalia, certum est, ea esse irrita. Ratio est, quia ipsorum promissio est de re illicita et proinde non obligat. — *Ita communiter.*

Resp. 2° Si votum *subsequatur,* sponsalia adhuc probabilius solvuntur. (¹) Ratio est, quia promissio sponsalium semper censetur facta sub tacita conditione: *nisi melior status eligatur.* — *S. Lig. n. 873.*

732. — Quaer. 3° *An dissensus parentum sit causa sufficiens resiliendi a sponsalibus?*

Resp. Negative, si parentes injuste dissentiant, quia jus filiorum laederetur. Secus vero, si dissensus parentum sit justus, v. g. si altera pars non conveniat familiae ratione conditionis, honoris etc. (¹) — *S. Lig. n. 877.*

Quaer. 4° *An pars laborans occulto defectu teneatur illum aperire*

---

v. apud *Bened. XIV., Inst. 46. sub initio.*

Requiritur porro auctoritas judicis ad dissolvenda sponsalia, si causa sit dubia, non vero, si certa, nisi pro foro externo (v. *Ben. XIV., Inst. 46. §. Itaque spiritualis*) et forte ratione scandali vitandi. Ut vero causa certa dicatur, non opus est ea certitudine de sufficientia causae, quae opiniones contrarias excludat (vix enim casus contingeret), sed sufficit certitudo moralis. — Cf. *Sanchez, de matrim. l. 1. disp. 69. et seq.*

Attamen etiam sponsalibus de jure irritis vel solutis alteri parti resarcienda sunt damna, ad quae reparanda obligatio forte aliunde, v. g. ob deflorationem (cf. *p. 1. n. 728. 729.*; *p. 2. n. 729.*), jam exsistit; imo quandoque talis obligatio ex ipsa sponsalium dissolutione orietur, uti si causa dissolutionis ab una parte culpabiliter posita alteri praedictas nuptias absolute vel moraliter impossibiles reddit.

(¹) Certo solvuntur ex parte non voventis.

Indubium praeterea est, ceteris paribus (cf. v. g. *n. 783. not.*) etiam post celebrata sponsalia licite religionem voveri. Quoad cetera vota autem, de quibus quaerunt, disputant sicut de effectu quoad sponsalia, ita etiam de liceitate, saltem si fiant invito comparte. — Cf. *S. Lig. n. 871. 873.*

V. etiam *Lucidi, de visit. s. lim. p. 1. vol. 2. §. 5. n. 309.*

Addit editor romanus: Eum, qui a sponsalibus recedit ob emissum castitatis votum, judex compellere solet, ut aut fidem sponsalium servet, aut in religionem aliquam se recipiat. Cum enim judici de interna voventis voluntate non constet, dum certo constat de sponsalium obligatione, non injuste hoc perfectioris electionis indicium exigit, eo vel magis, quod id necessarium videri merito queat ad eorum praecavendas fraudes, qui ad se eximendos ab incommoda sponsalium obligatione, facili negotio possent haec vota simulare.

(¹) Cum consensus parentum ad validitatem sponsalium non requiratur, eorum dissensus eadem non ipso facto irritat. Attamen „sub paterna potestate constitutorum sponsalia solvenda sunt, quoties parentes juste contradicant". Ita *Instructio pro judiciis ecclesiasticis imperii austriaci quoad causas matrimoniales §. 5.* (quam invenies v. g. in *Anal. J. P. ser. 2. col. 2515.*). Poterunt autem etiam sine judicis auctoritate dissolvi, si ex dissensu praeter ipsum alia causa accederet, quae talem dissolutionem indubie licitam redderet; imo per se sponsalia non subsistent, si nuptiae promissae in aliquo casu sine peccato celebrari non possent.

In genere vero sponsalia dissentientibus parentibus *illicita* habenda sunt, uti innuit etiam *Ben. XIV., Inst. 46. §. Itaque spiritualis.* — Cf. de hisce *S. Lig. n. 849. 851. 877.* — V. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 840.*

ante sponsalia vel, iis contractis, ante matrimonium?

Resp. 1° *Affirmative,* si defectus ille debeat esse *perniciosus* vel *injuriosus* alteri parti, v. g. si puella sit gravida, si sponsus morbo venereo laboret vel aere alieno gravetur etc. Ratio est, quia, sicut peccat contra justitiam, qui alteri vendit merces noxias credenti bonas emere, ita a fortiori, qui cum defectu pernicioso vult matrimonium contrahere. Ergo, si defectum aperire nolit, a contrahendo abstinere debet. (1) — *S. Lig. n. 864.*

Resp. 2° *Negative* autem, si defectus non reddat nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles, v. g. si puella, quae putatur virgo, sit corrupta. Ratio est, quia consuetudine receptum est, ut non sit obligatio tales defectus alteri manifestandi. Insuper nemo tenetur manifestare suum defectum cum propria infamia, quando defectus non laedit jus grave alterius. — *S. Lig. ibid.* et *alii communiter.*

733. — Quaer. 5° *An sponsalia dissolvantur per matrimonium subsequens, ita ut soluto matrimonio non reviviscant?*

Resp. Negative cum sententia *communiori.* — *S. Lig. n. 875.* Ratio est, quia nullo jure probatur, sponsalia omnino dissolvi per matrimonium subsequens; unde videtur tantum suspendi obligatio sponsalium durante tali matrimonio, ut fit in eo, qui contrahit matrimonium cum voto castitatis. *Plures* tamen *contradicunt,* rationibus non spernendis innixi. Ceterum in praxi sponsus injuste derelictus raro talem infidelem requiret, nec felix exitus hujusmodi matrimonii sperandus foret.

Quaer. 6° *An sponsus possit resilire, si sponsa fuerit per vim violata post sponsalia?*

Resp. Affirmative cum sententia *communi.* Ratio est, quia sponsa per talem oppressionem, licet sine sua culpa, notabiliter vilior redditur, unde notabiliter mutantur circumstantiae. — *S. Lig. n. 861. etc.* Idem dicendum est, etiamsi fuerit vi deflorata ante sponsalia, et postea tantum vitium illud detectum fuerit. — *Ita communiter.* (1)

(1) Excipiunt: si altera pars eodem defectu laboret. — *S. Lig. ib.*

CAPUT II.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE.

Bannum est vox germanica, quae idem significat ac proclamatio publica. Banna igitur sunt publicae denuntiationes, quibus fideles admonentur de matrimonio inter personas determinatas contrahendo.

Agendum: 1° de necessitate bannorum; 2° de eorum circumstantiis; 3° de eorumdem dispensatione; 4° de impedimentorum revelatione.

ARTICULUS I.
DE NECESSITATE BANNORUM.

Principia:

734. — I. Datur obligatio sub gravi banna proclamandi ex praecepto Ecclesiae. — Constat 1° de praecepto ex *concilio Later. IV.* et ex *concilio Trid. sess. 24. c. 1. de ref. matr.* — Constat 2° de obligatione gravi, quia disciplina generalis a duobus conciliis generalibus praescripta gravibusque motivis innixa gravem parit obligationem. (2)

(1) *Quid vero, si sponsus fornicationem commiserit?* — V. *S. Lig. ib.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 176.*

(2) Praecepti gravitas arguitur etiam ex poenarum gravitate. *Synodus* enim *Trid. (sess. 24. c. 5. de ref. matr.)* decernit, si postea detegatur impedimentum, conjuges, obtinendi dispensationem spe ablata, separandos esse; unde concludes, non posse illos, qui ex privilegio dispensationes dare possunt, v. g. ex S. Poenitentiariae pagella, cum istis dispensare (v. *n. 867.*). Insuper (c. Cum inhibitio (3.) *§. 1. de clandest. desp. [IV.3.]),* si qua proles suscepta sit, illegi-

II. Proclamatio bannorum non requiritur necessitate sacramenti. Ratio est, quia nec *concilium Tridentinum*, nec *concilium Lateranense*, quod prius idem praeceperat, ullam apponit clausulam irritantem. Nulla vero alia lex citari potest, ex qua constet, proclamationem requiri ad validitatem matrimonii.

Quaesita:

735. — Quaer. 1° *An omnes contracturi proclamationis legi subjiciantur?*

Resp. Affirmative, quia lex est omnino generalis. — Ex usu tamen excipiuntur principes, quia eorum genus satis notum est et ordinarie satis publica sunt connubia. — Excipe etiam casum necessitatis, v. g. si morti proximus concubinam ad legitimandam prolem in matrimonium ducere velit et periculum sit in mora. — *Ferraris, Pr. Bibl. ad v.* Denuntiationes matrimonii *n. 63.* (1)

Quaer. 2° *An peccet graviter parochus omittens denuntiationem, si sciat, nullum adesse impedimentum?*

Resp. Affirmative. Ratio est: 1° quia difficile parochus omnino certus esse potest, nullum adesse matrimonii impedimentum; 2° quia, si semel in hoc admitteretur exceptio, facillime inveniretur multiplicata absque fine et lex ipsa corrueret; 3° quia, etiamsi nullum appareret impedimentum ante bannorum proclamationem, fieri posset, ut iis proclamatis aliquod superveniret. — *S. Lig. n. 990.*

Quaer. 3° *An peccet graviter parochus, si unam tantum proclamationem sine dispensatione omittat?*

Resp. Controvertitur. Affirmant alii, quia proclamatio una e tribus velut pars gravis totius praecepti habenda est. *Negant* vero *alii*, quorum sententiam *probabilem* vocat *S. Lig. n. 990.* — *Probabilius* est autem, omissionem duarum denuntiationum esse peccatum mortale. — *S. Lig. ibid.* — V. *Casus consc. p. 2. n. 873.*

timа habetur, etiamsi conjuges ita impedimentum ignoraverint, ut in bona fide censeri potuerint. — V. *Schmalzgrueber l. 4. t. 3. n. 73. 74.* (Not. edit. rom.)

(1) Cf. etiam infra *n. 740. Q. 2°.*

ARTICULUS II.
DE CIRCUMSTANTIIS BANNORUM.

Triplex circumstantia hic spectanda est, scilicet 1° temporis; 2° loci; 3° personarum.

I. Circumstantia temporis.

736. — Proclamationes fieri debent *diebus festivis continuis de praecepto inter missarum solemnia.* — *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. matr.*

Dicitur: 1° *Diebus festivis*, i. e. diebus festis *de praecepto*, saltem in loco proclamationum. 2° *Continuis*, i. e. nullo die festo omisso a prima proclamatione ad ultimam. (1) An vero possint fieri proclamationes diebus festis immediate sibi succedentibus, si occurrant, *controvertitur;* duplex est sententia probabilis. (2) 3° *Inter missarum solemnia*, i. e. in missa *parochiali* (3). Non possunt fieri proclamationes in missis privatis, neque in vesperis. — *Rit. rom.*

Nota 1° Si infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non

(1) Probabile putat *S. Alphonsus n. 992.* ac plures alii tenent apud *Schmalzgrueber l. 4. tit. 3. n. 23.*, non graviter peccari, si dies festi, uno alterove interjecto, non sint continui, praesertim si agatur de festis praeter dominicam. Ratio, quia leve periculum est, ne populus obliviscatur, et levis materia transgressionis censetur. — (Not. edit. rom.)

(2) Communius auctores inter unam aliamque denuntiationem saltem unum diem intermedium requirunt. — *Ferraris ad v.* Denunt. matr. *n. 13.*

Peracta autem ultima denuntiatione regulariter celebratio nuptiarum adhuc per diem differenda est. — *Ben. XIV., Inst. 46. §. Omissis choreis et seq.* — *Ferrari, Summa inst. can. l. 2. tit. 9. 5°.*

(3) vel *conventuali* ex decr. *S. C. C.* — *S. Lig. n. 991. Dub. 2.*

contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter episcopo videatur. — Ita *rituale romanum.* (1)

Nota 2° Probabiliter fieri possunt proclamationes in die feriali, si ex aliqua causa magnus concursus fieret in ecclesia ad missam audiendam, quia videtur finis legis sufficienter obtentus. — *S. Lig. n. 992.* (2)

Nota 3° Si parochus oblitus fuerit proclamationem ultimam facere in missa et nuptiae urgeant, eam supplere posset in vesperis, ex decis. *S. C. C. d. d. 25. Oct. 1586. in Avenion.* — *Ferraris ad v.* Denunt. matr. *n. 20.*

II. Circumstantia loci.

737. — Ex *concilio Trid.* proclamationes bannorum fieri debent *in ecclesia,* i. e. in ecclesia parochiali contrahentium, non vero in capellis sive publicis, sive privatis, nisi locum parochiae teneant et missa parochialis ibi celebretur. Per parochiam autem non est intelligenda parochia, in qua quis natus est, seu parochia *originis,* sed parochia *domicilii* actualis, si proclamandus a notabili tempore ibi commoretur.

Hinc: 1° Si sponsi in diversa parochia habitent, in utraque facienda est proclamatio. — 2° Si unus aut uterque domicilium circiter aequale in duobus locis habeat, in utroque etiam banna proclamanda sunt. Si autem unum e duobus domiciliis sit praecipuum aut proprie dictum, non ideo duplex proclamatio exigenda est. Si quis tamen praeter domicilium alibi quasi-domicilium habeat, etiam in quasi-domicilio proclamationes fieri debent. (1) — 3° Si contrahentes a sufficienti tempore domicilium non habeant in sua actuali parochia, banna etiam publicari debent in parochia, ubi antea habitaverunt; sufficiens autem tempus sunt sex menses, sit *S. Lig. n. 991.* (2)

III. Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, vagorum et famulorum. (3)

738. — 1° *Minores.* Banna minorum proclamari non debent, nisi de expresso consensu parentum vel tutorum. Facienda est proclamatio tum in domicilio *facti,* tum in domicilio *juris,* i. e. tum in loco, ubi *minores* hic et nunc habitant, tum in loco, ubi parentes vel eorum tutores degunt. Habentur autem *minores* juvenes usque ad aetatem 25 annorum, et foeminae usque ad annum 21. Juvenis tamen ascendentibus orbatus fit major statim ac annum vigesimum primum complevit.

2° *Milites.* Banna militum sunt proclamanda: 1° in loco, in quo sunt

(1) Iterandae sunt proclamationes, quando intra sex post eas peractas menses matrimonium non contrahatur, vel et minori elapso tempore renovationem episcopus imperet. — Ita *Instruct. pro judic. eccl. imp. austr. §. 64.*

(2) Obstat decisio *S. C. C. 3. Jul. 1780. in Brunen.* (apud *Bangen, Instr. pract. de sponsalibus etc. p. 41.*), quae omnino observationem sanctionis Tridentinae urget, episcopo Brunen. tamen ex indulto potestatem facit, ob gravem causam in singulis casibus denuntiationes in festis pro foro sublatis permittendi, si illis diebus adhuc perseveret frequens populi ad ecclesiam concursus. — Hinc episcopus proclamationes die non festivo solummodo praeter legem permittere vel praecipere potest, simul a lege universali quoad istam proclamationem justa de causa dispensans.

(1) In praxi accurate observentur statuta particularia dioecesium. Cum enim concilium solummodo generalibus verbis regulam statuat, casus vero valde diversi occurrant, merito pro hisce, in quantum ex legibus universalibus resolvi nequeunt, leges particulares conduntur. — *Knopp, Eherecht §. 38. p. 390.*

(2) E parochia, unde discesserunt, satis in casu fuerit, status liberi testimonium quaesivisse. Quod vero auctor addit, ad hoc sufficere sex mensium moram in actuali parochia, id reipsa *S. Alphonsus l. c.* non dicit, et S. Congregationis declarationes de omittendis denuntiationibus in paroecia praecedentis domicilii supponunt, sponsos inde abesse a *decem* aut *octo* aut *quinque* annis. — V. *Thesaur. resol. S. C. C. tom. 6. pag. 272—274.* — (Nota edit. rom.)

(3) Plura, quae auctor in sequenti paragrapho asserit, statuta particularia respiciunt.

in praesidiis; 2° insuper in domicilio parentum, si sint *minores:* si autem sint *majores,* in loco, ubi residebant ante militiam susceptam, quia aliud non acquisierunt domicilium juris. — *Ita communiter.*

3° *Vagi* et *alienigenae.* Horum banna publicanda sunt juxta communem sententiam in domicilio *facti* et *in loco originis,* si alibi verum domicilium non obtinuerint, vel saltem in loco, in quo diutius commorati sunt. Insuper testimonium authenticum de eorum *statu libero* habendum est(1).

4° *Famuli.* Banna eorum publicanda sunt in parochia, in qua habitant hic et nunc, si tantum ab uno anno hic fuerint commorati, nisi sint *minores,* ut supra dictum est. Si a brevi tempore ibi famulentur, etiam in domicilio parentum banna sunt publicanda. — *Ita ex praxi communi.*

ARTICULUS III.
DE DISPENSATIONE BANNORUM.

Principia:

739. — I. Dari potest dispensatio a lege bannorum justa de causa.(2) — *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. matr.* Facilius autem ab una vel altera proclamatione, quam ab omnibus dispensatur.(1)

II. Dispensatio bannorum pertinet ad ordinarium seu ad episcopum(2). — Eruitur pariter ex *concilio Trident. l. c.,* ubi dicitur, relinqui facultatem dispensandi prudentiae et judicio ordinarii.(3)

III. Causae autem legitimae dispensationis sunt: 1° ne matrimonium malitiose impediatur; — 2° damnum grave, infamia aut scandalum imminens ex matrimonii dilatione; — 3° metus, ne vir puellam stupratam derelinquat; — 4° si, matrimonio jam civiliter contracto, sponsus in tres proclamationes consentire nolit, et aliae similes. — *S. Lig. n. 1005. 1006.*(4)

---

(1) Vagi, peregrini, qui incertas habent sedes etc., matrimonio jungendi non sunt sine licentia ordinarii. — *Rit. Rom.* — *Trid. sess. 24. c. 7. de ref. matr.* Ne quidem denuntiationes matrimonii contrahendi inter exteros fieri a parocho possunt sine praefata licentia. — *Instr. C. S. O. 1658.* — *S. C. E. 20. Dec. 1692.* — *Ferraris ad v.* Denuntiat. matr. *n. 28.* — V. etiam infra *n. 848. Q. 2°. not.* Imo status libertatem etiam illi dioecesani probare debent, qui diu post aetatem nubilem a dioecesi abfuerunt. — *C. S. O.* — Vide *Anal. J. P. ser. 1. col. 834. 850.* — Ceterum conferantur etiam constitutiones particulares (v. g. *Instr. pro judic. eccl. imp. austr. §. 63.*) vel dioecesanae.

(2) Legitimam causam etiam *Ben. XIV.* in const. *Satis vobis d. d. 17. Nov. 1741. §. 5.* expresse requirit.

(1) Si quando urgente quapiam necessitate celebratio matrimonii praemittatur denuntiationibus *postea faciendis,* matrimonium, ut monet *synodus Trid. l. c.,* consummari ante factas denuntiationes non debet. Quod praeceptum, licet grave habeatur a *Sanchez, de matr. l. 3. disp. 11. n. 3.,* tamen juxta alios cum *Diana tom. 2. tr. 6. res. 63. n. 3.* leviter obligat, si nulla sit impedimenti suspicio, quo in casu ipsa s. synodus *l. c.* addit, denuntiationes ab ordinario posse remitti. — (Not. edit. rom. ad *n. 740. Q. 3°.*)

(2) sede vacante autem ad vicarium capitularem.

(3) *Debet* vero episcopus dispensare, si agatur de vitando gravi damno vel de consequendo bono notabili. — *S. Lig. l. c.* Hinc ob causas sub III. enumeratas obligatio dispensandi aderit.

(4) Causis, ob quas dispensatio dari debet, subjunge (ita editor romanus), „si quando matrimonio jam celebrato detegitur impedimentum, atque adeo per renovationem consensus convalidari ipsum debet. (Cf. *n. 898. not.*) Addunt nonnulli, si per denuntiationes sponsi exponantur pudori et ludibrio hominum, quod plerumque contingit, quando vel sint valde senes, vel senex cum juvencula aut nobilis cum plebeja etc. copulandus sit; quaedam enim irreverentia fit sacramento, quando contrahentes irridentur. — V. *Sanchez. de matr. l. 3. disp. 9.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 3. a n. 33.* Ex mera autem gratia dispensari potest, quando agitur de matrimonio principum seu magnatum, et generatim quando,

Quaesita:

740. — Quaer. 1° *An, cum sponsi sint ex diversis dioecesibus, dispensatio ab utroque episcopo obtinenda sit?*

Resp. Affirmative, ut videtur. Ratio est, quia nulla est connexio inter dispensationem unius et dispensationem alterius. Aliunde solus ordinarius loci cognoscere potest de causa dispensationis; possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera, et si ex una parte non detegantur impedimenta, non sequitur, non posse detegi ex altera.

Quaer. 2° *An requiratur dispensatio bannorum ad conjungendos concubinarios jam civiliter unitos, si unus eorum sit in articulo mortis?*

Resp. Negative, si sit causa gravis illos conjungendi, v. g. ratione prolis legitimandae aut ad majorem conscientiae securitatem, quia casus ille omnino a lege excipiendus videtur. — *Bouvier c. 3. art. 3.*(1)

Quaer. 3° *An vicarius generalis possit dispensare a proclamationibus bannorum?*

Resp. Affirmative probabilius, modo episcopus sibi hoc non reservaverit aut contradicat. Ratio est, quia synodus hanc facultatem concedit *ordinario;* nomine autem ordinarii, si materia officio illius convenit et ipse non est expresse exclusus, venit etiam vicarius generalis, quippe qui unum tribunal cum episcopo constituit. — *S. Lig. n. 1007.*

cum nulla suspicio est impedimenti, absunt incommoda omnia, ad quae vitanda denuntiationes fiunt. — V. *Schmalzgrueber l. c. n. 35.*, qui monet *ib. n. 40.*, ad dispensandum sufficere notitiam extrajudicialem, omisso ordine juris; ratio est, quia synodus rem totam relinquit judicio et conscientiae ordinarii."

Solo imminente tempore feriato melius est dispensare a nuptiarum prohibitione, quam a denuntiationibus. — Ita *S. C. C.*, ut refert *Alasia.* — *Scav. n. 905.*

(1) An et quando proclamationes non praemissa dispensatione ordinarii per epikeiam omitti possint, v. apud *Schmalzgrueber l. 4. tit. 3. n. 42. et seq.* — Cf. ob analogiam etiam *p. 1. n. 115. Q. 2°. resp. 2°. not.*

ARTICULUS IV.
DE REVELATIONE IMPEDIMENTORUM.

Principia:

741. — I. Datur per se vera obligatio *sub gravi,* impedimenta matrimonii, quantumvis occulta, revelandi. Ratio eruitur ex motivo religionis et caritatis, necnon ex ipso bannorum praecepto.

II. Obligatio generatim spectat ad omnes fideles cujuscumque sexus, aetatis, parochiae aut dioecesis etc.(1) Ratio est, quia lex illa fertur nomine Ecclesiae, cui subjacent omnes christiani, et nititur praecepto caritatis, quod ad omnes spectat.(2)

III. Obligatio illa adimplenda est quamprimum moraliter, quia, si sponsi forte obtineant dispensationem ab una aut altera proclamatione et citius contrahant, tempus ad revelationem peragendam non supererit etc.

Quaesita:

742. — Quaer. 1° *An revelari debeant impedimenta sub secreto cognita?*

Resp. Affirmative, etiamsi juramentum de iis non revelandis emissum fuerit. Ratio est, quia secretum naturale, etiam commissum et juratum, non obligat, quando damnum grave communitatis vel tertiae personae imminet. — *S. Lig. n. 994.*

Excipe *probabilius* secretum *consilii* seu secretum petendi consilii

(1) etiam ad consanguineos et amicos. — *Scav.*

Excipe tamen confessarium, qui impedimentum scit ex confessione. — *S. Lig. n. 1001.*

(2) Celebrato matrimonio lex positiva denuntiandi (in genere — v. *n. 739. I. not.*) cessat. Potest tamen pro circumstantiis lex caritatis dictam revelationem urgere. — *Scav. n. 900. not.*

causa commissum homini officium publicum exercenti, v. g. medico, advocato, parocho etc., modo id fiat ratione eorum professionis. Ita enim bonum commune postulare videtur. — *Collet c. 3. art. 2. n. 544.* — *Bouvier c. 3. art. 4.* — *Carrière n. 409.* et *alii* contra *alios.*

Sed illi, qui sub hujusmodi secreto impedimentum norunt, saltem monere debent sponsos, ut a matrimonio desistant. (1)

Quaer. 2° *An tenearis impedimentum revelare cum gravi tuo incommodo vel detrimento?*

Resp. Negative generatim loquendo, quia lex Ecclesiae et caritas non obligant cum tanto incommodo. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 995.* (2)

743. — Quaer. 3° *An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris nec probare possis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia in praesenti materia sufficere potest unius testimonium. — *Ita communissima et verior sententia,* ait *S. Lig. n. 995.*

(1) Haec obligatio oritur ex praecepto caritatis ideoque urget, si ex revelatione malum, v. g. diffamatio, pro sponsis enascitur, modo monitio, ut ait *S. Lig. ib.*, probabiliter profutura sit et nullum periculum in mora.

(2) Communiter doctores excusant etiam in aliis hisce casibus, nempe 1° quando quis de impedimento tantum audiverit, sed a quo, nesciat (et in genere, si de exsistentia impedimenti probabiliter non constet, uti si quis illud noverit a persona fide non digna); — 2° si prudenter credat, se nihil profecturum revelando, seu etiam multo magis, si revelationem bona fide contrahentibus obfuturam censeat; — 3° si probabiliter existimet, revelationem grave apud alios scandalum parituram; — 4° si noverit, contrahentes dispensationem occultam pro foro conscientiae impetrasse. Excipit *S. Alphonsus n. 994.*, si fama impedimenti sit publica; verum in re notoria vix opus esse potest denuntiatione, nisi forte quis putet, impedimenti probationes sibi tantum notas esse. — (Not. edit. rom.).

Quaer. 4° *An ipsi contrahentes impedimentum revelare teneantur?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia hic non agitur de poena infligenda, sed de peccato vitando: quare vel a matrimonio abstineant, vel impedimenta aperiant necesse est. (1)

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

ARTICULUS I.
DE NATURA MATRIMONII.

744. — Definitio: Matrimonium bifariam spectari potest, scilicet ut contractus, necnon ut sacramentum.

1° Matrimonium ut contractus est conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitae societatem.

2° Matrimonium ut sacramentum definitur sacramentum novae legis gratiam conferens ad legitimam viri et

(1) Suadendum vero sponsis, ut ante nuptias in confessione confessario habili etiam peccata jam alias declarata aperiant, ex quibus impedimentum exoriri potuit, et quidem tempore apto, ita ut dispensatio forte necessaria obtineri adhuc valeat. — Cf. etiam *conc. Trident. sess. 24. c. 1. de ref. matr.*

Parochus vero ante matrimonii denuntiationem inquirat, an sponsi pro denuntiandis matrimoniis consentiant, an per alicujus vim ad ejusmodi negotium conficiendum adigantur, an legitimum aliquod impedimentum adsit. — V. *Benedict. XIV.*, *Inst. 46. §. Quarto et quinto.*

Nequit praeterea parochus ad proclamationes procedere, nisi antea sponsos christianae religionis rudimenta sufficienter callentes repererit. Non tamen suo officio deest, si, quos non ob incuriam aut negligentiam, sed post debitam diligentiam ob ingenii memoriaeve imbecillitatem minus instructos videt, quam desiderandum esset, admittat, simul curans, ut „frequenter audiant, quae semel crasse didicerunt, ne ab eorum mente penitus elabantur". — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 8. c. 14.*

mulieris conjunctionem sanctificandam, et ad prolem pie suscipiendam sancteque educandam. (1)

745. — Divisio: Matrimonium spectari potest tum quoad conjunctionem viri et mulieris, tum quoad vinculum, quod ex ea oritur; hinc dicitur:

1° *In fieri*, vel *in facto esse*. — Matrimonium *in fieri* dicitur, cum contrahitur seu mutuo consensu viri et mulieris perficitur. Vocatur autem *in facto esse* connubium perseverans in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit.

2° *Legitimum*, *ratum* et *consummatum*. — Matrimonium *legitimum* illud est, quod contrahitur juxta normam legis naturalis et civilis, non tamen Ecclesiae ratificationem aut rationem sacramenti habet, quale olim in lege naturae ac mosaica, et etiam nunc inter judaeos ac gentiles initur. — Matrimonium *ratum* illud est, quod contrahitur inter christianos nullo impedimento irretitos. Dicitur *ratum*, quia non solum natura et jus civile, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. — Matrimonium *consummatum* illud est, quod copula conjugum completum est. (1)

---

(1) Distinguunt quoad matrimonii fines: 1° *fines essentiales*, scil. mutuam corporum traditionem cum obligatione reddendi debitum, si alius jure postulet, et vinculum indissolubile; — 2° *fines accidentales intrinsecos*, et quidem tamquam primarium procreationem prolis; tamquam secundarium remedium concupiscentiae; — 3° *fines accidentales extrinsecos*, uti sunt v. g. pax familiarum, divitiarum consecutio.

Positiva exclusio porro finium essentialium in celebratione nuptiarum matrimonium irritum reddit, non vero per se accidentalium; imo, principaliter (salva relatione operum ad Deum) nuptias quaerere vel ut remedium concupiscentiae (quin tamen finis procreandae prolis excludatur) vel ob finem extrinsecum, modo sit per se honestus, nullum videtur peccatum. — Cf. *S. Lig. n. 882. 883.*

Est autem matrimonium de praecepto quoad communitatem in genere, non autem quoad singula ejusdem membra, nisi *per accidens* ob aliud debitum justitiae vel caritatis. — Cf. *Scav.*

(1) Duo itaque requirit, copulam sufficientem ad generationem et matrimonium ratum *praecedens*. — V. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 227. 228.* — Infra *n. 811. II. not.*

Sunt et aliae matrimonii species. *Matrimonium conscientiae* nimirum illud dicitur, quod coram Ecclesia ea lege contrahitur, ut occultum maneat. Ab episcopo sub debitis cautelis ex gravissima causa permitti potest. — Differt ab hoc aliud, quod *ad Morganaticam* sive *ad legem Salicam* sive *sinistrae manus* vocant, quodque a viro nobili cum uxore humilioris conditionis ea lege contrahitur, ut haec uxor ejusque liberi dignitatis et bonorum mariti vel patris consortes non sint, sed solummodo partem bonorum sibi inter sponsalia adsignatam habeant. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 23. n. 12. 13.* — *Devoti, Inst. can. l. 2. tit. 2. n. 108. etc.*

Haud modici momenti in usum theologorum (ita editor rom.) est et alia matrimonii distinctio in *verum*, *praesumptum* et *putatitium*.

Verum dicitur, quod reapse et valide contractum est, atque ut tale est probatum quopiam ex iis argumentis, quibus et cetera negotia probari solent, cujusmodi est parochi vel aliorum testimonium, liber matrimoniorum, confessio conjugum, diuturna honestae foeminae cohabitatio etc. De his vide *Schmalzgr. l. 4. tit. 1. n. 233.*, quocum adverte, leviores probationes sufficere, cum agitur de matrimonio sustinendo, quam cum res est de eo dissolvendo.

Praesumptum dicitur, quod *a jure* praesumitur, quae quidem *juris* praesumptio maxime in triplici casu locum habet. Ac 1° quando in locis, ubi decretum Trid. de forma matrimonii non viget, inter duas personas habiles, post sponsalia absolute inita, secuta est carnalis copula; tunc enim consensus de futuro praesumitur transisse in consensum de praesenti, et copula praesumitur admissa affectu conjugali. De gravissima hac quaestione vide *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. a n. 115.*, *Pirhing eod. tit. n. 27.* et praesertim *Barbosa* in *cap.* Is qui (30.) *eod. tit. n. 3. et seq.* 2° Quando post sponsalia, inita *sub conditione*, ante ejusdem eventum intercessit carnale inter sponsos commercium; Ecclesia enim (loquimur, praecisione facta a praedicto Trid. decreto de forma etc.) tunc praesumit, sponsos a conditione recessisse adeoque

Principia:

746. — I. Matrimonium christianorum ritu legitimo celebratum est verum et proprie dictum novae legis sacramentum. — Constat: 1° ex epistola *S. Pauli ad Ephesios 5. 32.*, ubi dicit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* — 2° Ex *Trid. sess. 24. can. 1.*: „Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum „ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, „sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.“ — 3° Ex *S. Aug., de bono conjugali c. 18. (al. 21.)*: „In christianorum nuptiis plus valet „sanctitas sacramenti, quam foecunditas uteri.“

II. Requiritur ad matrimonii validitatem verus consensus ex parte utrisque contrahentis, quia matrimonium, ut contractus, est vera conventio inter virum et mulierem; consensus autem conventionis essentiam constituit.

747. — III. Consensus vero debet esse:

1° *Mutuus;* consistit enim in contractu, qui est essentialiter consensus duorum seu consensus mutuus. Unde, si ex una parte deficiat, nullum erit matrimonium.

2° *De praesenti;* quia per promissionem *de futuro* fiunt tantum sponsalia, non vero matrimonium. — Constat etiam ex *c.* Si inter (31.) *de spons. et matrim. (IV. 1.)*

3° *Deliberatus et voluntarius,* quia est contractus de re gravi, gravem propterea obligationem inducens; nemo autem censetur obligationem gravem sibi imponere, nisi libere ac plene consentiat. — Constat ex jure canonico, quod invalidat matrimonia ex metu gravi contracta, ut infra de impedimentis dicetur.

4° *Manifestus signis externis,* quia omnis conventio inter homines aliquo signo externo cognosci debet; conventio enim mutuam acceptationem inter contrahentes necessario supponit.

Quaesita:

748. — Quaer. 1° *An consensus verbis exprimi debeat?*

Resp. 1° *Negative* quoad *validitatem,* quia de jure naturali in contractu sufficit, ut consensus signo certo exprimatur. — *S. Lig. n. 887.*

Resp. 2° *Affirmative* quoad *liceitatem,* quia alias ageretur contra rubricam et Ecclesiae consuetudinem. Attamen non videtur excedere veniale, si verba non adhibeantur; imo ab omni culpa verecundia aut alia rationabilis causa excusaret. — *S. Lig. n. 888.*

749. — Quaer. 2° *An sufficiat consensus per procuratorem?*

Resp. 1° Quoad *validitatem affirmative,* modo adsint conditiones requisitae; quia matrimonium habet totam rationem contractus naturalis. Contractus autem quilibet per procuratorem fieri potest. — *Ita omnes.*

Conditiones vero ad matrimonium illo modo contrahendum sunt: 1° ut procurator mandatum exsequatur per seipsum; 2° ut mandans mandatum non revocaverit; 3° ut procurator cum

---

voluisse pure et absolute matrimonium contrahere. Patet ex c. Per tuas (6.) *de cond. apposit. (IV. 5.).* 3° Quando post sponsalia *de praesenti* ab impuberibus (in quibus malitia aetatem non suppleat) invalide contracta, inter eosdem, ubi adepti pubertatem fuerint, signa interveniunt ratificati consensus, cujusmodi sunt non tantum carnalis copula, sed etiam oscula, amplexus, cohabitatio etc. Patet ex *cap. unic. §.* Idem quoque *de desp. impub. (IV. 2.) in 6°.* Qui tamen casus et ipse locum habere potest solum, ubi praedictum Trident. decretum non viget. — V. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 234.* *Putatitium* denique matrimonium dicitur, quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei ob latens aliquod impedimentum sit nullum. De quo ideo inquirunt doctores, ut constet, quandonam vim legitimandi prolem inde concepta aliosque juris effectus habeat (cf. infra *n. 1025.*).

comparte coram parocho et duobus testibus compareat. (1)

Resp. 2° Quoad *liceitatem negative,* nisi causa valde gravis urgeat. Ratio est, quia iste modus contrahendi est contrarius praxi ordinariae Ecclesiae; vix enim inter alios, quam inter principes et magnates, talia matrimonia fiunt. Hinc parochus non debet propria auctoritate matrimonium hujusmodi benedicere, ut ex praxi Ecclesiae et ritualibus constat. — *S. Lig. n. 885.*

750. — Quaer. 3° *An sit validum matrimonium* sub conditione *initum?*

Resp. 1° Certum est, esse validum, si conditio sit *de praeterito* vel *de praesenti*, et verificetur. Ratio est, quia consensus ille conditionatus statim transit in absolutum, et proinde nihil obstat valori sacramenti. — *Ita omnes.* — V. *S. Lig. n. 890.*

Resp. 2° Si adjiciatur conditio *honesta* et *possibilis* de futuro, *dico:* 1° Non perficitur matrimonium, donec conditio impleatur, quia contractus transferre debet jus mutuum in corpora *de praesenti*, ut supra dictum est. (2) *Dico:* 2° Impleta autem conditione valet matrimonium, (3) siquidem contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum et eo ipso valet ratione sacramenti, quia inter christianos contractus matrimonii a sacramento disjungi nequit. (1)

751. — Quaer. 4° *An sit licitum contrahere cum consensu conditionato?*

Resp. Negative. Talis modus contrahendi est graviter illicitus, praesertim si conditio sit *de futuro.* Ratio est, quia multa ac gravia incommoda ex tali modo contrahendi subsequi facile possunt, nempe scandalum, jurgia, ambages, difficultates etc. Unde numquam parochus aliusve sacerdos a parocho delegatus consensum sub conditione datum admittere et hujusmodi matrimonium benedictione nuptiali sanctificare potest, saltem propria auctoritate. (2) — *Ita communiter theologi.*

752. — Quaer. 5° *An sit validum matrimonium initum sub conditione turpi?*

Resp. 1° *Negative,* si conditio turpis repugnet substantiae seu essentiae matrimonii, nempe si repugnet triplici bono matrimonii, scilicet 1° bono sacramenti; 2° bono fidei; 3° bono prolis, quod fieret, si sponsi contrahendo generationem prolis (3), fideli-

---

(1) V. apud *S. Lig. ib.* et *n. 886.* plura de hoc nuptiarum modo, ubi etiam de matrimonio per epistolas celebrando.

(2) Hinc, si unus ante verificationem conditionis consensum retractet, matrimonium nullum est, cum tempore, quo contractus perficitur, consensus reciprocus desit. — Item ante conditionis verificationem vel certam scientiam de hac nefas est matrimonio uti. Si sponsi nihilominus eo uterentur, censentur conditioni de futuro renuntiasse et matrimonium absolutum evaderet, nisi positive aliud constet. Sic *Concina* a *S. C. C.* declaratum esse refert. — *Scav.* — V. etiam *Fagn.* in c. Si conditiones (7.) *de condit. app. (IV. 5.) n. 21. et seq.*

(3) Verificata conditione renovatio consensus requiri non videtur, nisi forte ante eventum conditionis consensus prior ex alterutra parte revocatus esset. — Cf. *Fagn.* in c. Super eo (5.) *l. c. n. 3.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 5. n. 33. et seq.* Aliam exceptionem innuit *Lacroix l. 6. p. 3. n. 245. 247.*, si scil. sponsi, antequam conditio impletur, ob impedimentum dirimens ad matrimonium inhabiles fiunt.

(1) Cf. *n. 792. 793.*

(2) Hinc episcopum consulat. — Excipe tamen casum urgentissimae necessitatis, quae moram non patitur, ut si agatur de matrimonio cum moribundo ad legitimandam prolem casu, quo mors prioris conjugis dubia est. — *S. Lig. n. 892.* — *Scav. n. 991. 3.*

(3) Cum sane mutua traditio juris in corpora, non vero usus hujus juris ad matrimonii essentiam requiratur, certum est, conditionem, qua *mera voluntas* stipulatur, dicto jure non utendi sive perpetuam castitatem servandi, nuptiarum validitati non officere. — Quae affert *Schmalzgrueber l. 4. tit. 5. n. 119. et*

tatem in conjugio aut perpetuitatem in matrimonio excluderent.(1)

Resp. 2° Si vero conditio turpis(1) non repugnet substantiae matrimonii, *dist.:* 1° censetur validum *in foro externo,* quia in eo conditio pro non adjecta habetur(2); 2° *controvertitur* quoad forum *internum,* sicut in ceteris contractibus.(3) Ordinarie tamen

---

seq., contrarium non evincunt. — V. etiam *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 22. n. 10. et seq.*

(1) Distingue tamen, utrum conditio, quae matrimonii substantiae repugnat, expresse contractui apponatur necne.

1° Si expresse apponatur, matrimonium ex *c.* Si conditiones (7.) *de condit. appos. (IV. 5.)* invalidum est, et quidem pro utroque foro, quidquid sit de contrahentium intentione, cum in tali casu consensus internus ad vinculum perpetuum sufficienter non *exprimatur.* — V. *Lugo, de sacr. in gen. disp. 8. n. 128.*

Praesumeretur tamen in foro externo matrimonium validum, si talis conditio solummodo ab una parte apponeretur, altera contradicente vel tacente.

2° Quodsi agatur de prava illa intentione *mere interna,* duplici modo intelligi haec potest. Vel enim contrahens ita comparatus est animo, ut aliquam ex iis obligationibus, quae ad substantiam matrimonii pertinent, nullatenus suscipere velit; vel utique habet animum, vere matrimonium contrahendi et idcirco obligationes omnes matrimonio proprias suscipiendi, licet ad eas implendas, impudicam v. g. cum alia foemina amicitiam abrumpendo, non sit paratus.

Si posteriori hoc sensu matrimonium celebratur, juxta omnes validum est pro utroque foro. (Et revera talis intentio nec conditionem contractui addit, neque essentiam contractus attingit. — Editor.)

Si autem priori sensu, matrimonium erit invalidum, quoties intentio ista *antecedenter* ad contractum se habet; secus, si *concomitanter.* Dicitur autem *antecedenter* se habere, si ideo contraxerunt sponsi, quia sciebant, concedi repudium (v. g. a jure civili), vel id opinabantur, et aliud, quam solubile matrimonium, contrahere noluerunt; *concomitanter* autem, si „ignorabant omnino, an vinculum foret perpetuum, vel si credebant etiam, esse dissolubile, sed non limitarunt suam intentionem tempore contractus ad eam existimationem, verum habuerunt voluntatem generalem contrahendi matrimonium validum"; tunc enim etiam sine dicta ignorantia vel existimatione aeque contraherent. — Cf. *Sanchez, de matrim. l. 2. disp. 29. n. 12.* — *Lugo l. c. n. 130. et seq.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 1. n. 302—304.; tit. 19. n. 64—76.*

Et ita quidem pro foro interno; pro externo enim in his circumstantiis semper praesumitur, adfuisse generaliorem illam voluntatem contrahendi legitimum matrimonium ideoque errorem quemlibet substantiae matrimonii adversum mere *concomitanter* se habuisse, quousque scil. oppositum non probetur. — V. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 22. n. 2. et seq.* — *Liter. Pii VI. d. d. 11. Julii 1789. ad archiep. Pragensem.*

Hinc si ex utriusque conjugis confessione constaret, eos non habuisse animum contrahendi, nisi dissolubiliter, id sufficeret, ut matrimonium possit declarari nullum etiam *in foro externo,* nisi tamen esset collusionis praesumptio. Et si hic animus etiam in uno tantum conjugum fuerit, id ipsi sufficiet *in foro interno;* imo id sufficiet et alteri parti, si ejusmodi rationes concurrant, quae prudenter suadeant, illum non mentiri. — V. *Sanchez l. c. disp. 45. n. 4. et seq.; l. 5. disp. 12. n. 5.* — *Lugo l. c. n. 130.*

In dubio autem, an aliquis habuerit illam voluntatem generalem et efficacem faciendi matrimonium omnino validum, judicandum est in favorem contractus, ut valeat. Ratio, quia unusquisque praesumitur velle exercere contractum validum, nisi oppositum probetur, juxta communem doctrinam juristarum, quod a fortiori habebit locum in causa matrimonii, quae est magis favorabilis. — *Lugo l. c. n. 136.* — Ita fusius editor romanus.

(1) vel impossibilis — *p. 1. n. 796. 2°.*

(2) nisi serio apposita probetur — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 5. n. 64. 92.*, ubi plura.

Quoad conditionem turpem autem *de praeterito* vel *de praesenti* (saltem quae novum peccatum a conjuge non exigit) idem auctor *ib. n. 96. et seq.* probabilius censet, eam non verificatam matrimonium irritum reddere, etsi substantiae ejusdem non repugnet. — Consentit *S. Lig. n. 890.*

(3) Si conditiones de futuro turpes vel impossibiles contractui matrimoniali indubie et serio appositae sint, *pro foro interno* illum invalidum reddunt. — *S. Lig. n. 891.* — Cf. *p. 1. n. 796. 2°.* In dubio autem ejusmodi conditiones vel non, vel non serio appositae praesumantur, cum in dubio semper judicandum sit pro valore matrimonii. — *S. Lig. l. c.*

non censetur conditio *sine qua non*, sed merum propositum aut promissio a contractu matrimoniali independens, ac proinde consensus non judicatur tali conditione suspensus, nisi de hoc omnino constet. — *S. Lig. n. 891.*

753. — Quaer. 6° *Quid agendum, si quis dicat, se ficte consensisse?*

Resp. 1° Quoad *forum externum* non est ei fides adhibenda, nisi ex circumstantiis pateat, illum dolo fuisse deceptum aut gravi metu(1) inductum ad contrahendum; supponi enim nequit, eum, qui libere et cum debitis circumstantiis matrimonium iniit, ficte consensisse: secus enim stabilitas familiarum omnino labefactaretur.

Resp. 2° Quoad *forum internum*, qui asserit, se ficte consensisse, obligandus est: 1° ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit; (2) 2° ordinarie etiam ad consensum verum ponendum, ut sic injuriam comparti illatam reparet. Dico: *ordinarie;* quia, si compars separationi esset *consensura*, vel ipse ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non teneretur. (3)

754. — Quaer. 7° *An requiratur consensus parentum ad validitatem vel liceitatem contractus matrimonialis?*

Resp. 1° Quoad *validitatem negative* prorsus; consensus enim parentum nullo modo requiritur nec jure naturali, nec positivo. Etenim 1° non *jure naturali,* quia contrahentes habent potestatem in proprium corpus, nec parentes habent potestatem in corpus filiorum suorum in ordine ad matrimonium; secus enim matrimonia eorum irritare possent sive juste, sive injuste, quod omnino repugnat et sensui communi hominum adversatur. 2° Nec *jure positivo;* nam *Tridentinum sess. 24. c. 1. de ref. matr.* anathemate percussit eos, qui *falso affirmant, matrimonia a filiis-fami-*

---

(1) Potest forte aliquando defectus consensus etiam *gravi* metu, qui per se matrimonium nullum reddit, non interveniente per conjecturas vel pro ipso foro externo sufficienter probari; est tamen difficillimae probationis.

(2) Conjux autem, qui verum assensum posuit, non obligatur per se credere alteri asserenti, se ficte consensisse, etsi id juramento affirmaret, ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus evidenter probaretur. — *S. C. C. 24. Febr. 1720. in Novar.* apud *Scav.* — *S. Lig. n. 907. 908.* — *Infra n. 790.*

(3) Deceptor non tenetur deceptam ducere etiam in sequentibus casibus: 1° Si deceptor matrimonium cum alia jam iniverit. Etsi enim judici probare non possit fictionem quoad aliud matrimonium et idcirco judex ad cohabitandum cum putata conjuge compellat etiam intentata excommunicatione, potius hanc censuram, quae animam non ligaret, pati, quam primae sponsae misceri carnaliter, debet, ut constat ex c. Inquisitioni tuae (44.) *de sent. excomm. (V. 39.)* — 2° Si fraus ex altera quoque parte intercesserit, v. g. si falso se jactarit virginem; deceptio enim tunc deceptione compensatur. Abs re tamen huc *Zacharias* in notis ad *Lacroix l. 6. p. 3. n. 258.* et post eum *S. Alphonsus n. 887.* revocant S. Congr. Conc. declarationem. — V. *Thes. resol. C. Conc. tom. 3. p. 161—165.* — 3° Si nullum parti deceptae damnum obvenisset, vel si decepta, cognita deceptione, aliam compensationem admittat, vel etiam si damnum illatum alio modo compensari queat. — 4° Si contrahens manifesta dederit indicia ficti consensus; tunc enim non tam decepta altera pars est, quam se decepit. Huc revocant doctores, si deceptor sit conditionis ac status longe altioris; ex hoc enim deceptionis indicium alteri elucere potest, licet aegre id admittatur, ubi coram parocho contractus celebretur. — Sed et ingens disparitas aliam ob causam deceptum excusare potest, ob infelicem nempe exitum, scandala, aliaque incommoda, quae ex tali conjugio merito timeantur.

Ceterum obligatio ineundi vero consensu matrimonium gravissimam se facile prodit, non modo quia secus graviter peccatur contra reverentiam sacramento debitam, sed quia per injuriam gravissimam alteri parti damnum infertur. Quippe cum in foro externo difficillime probari fictio queat, deceptae parti non permittuntur aliae nuptiae, ideoque hoc unum illi superest, ut aut religionem ingrediatur, aut in saeculo maneat innupta. — (Nota editoris rom.)

lias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Quodsi lex civilis consensum parentum requirat ad valorem matrimonii, ejus vis non extenditur, nisi ad effectus mere civiles. — *Bouvier c. 5.* — *Gousset n. 837.* et *alii omnes theologi catholici.*

Resp. 2° Quoad *liceitatem affirmative generatim loquendo.* Constat: 1° Ex *jure naturali,* quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, praesertim in iis, quae totam familiam spectant, ut est matrimonium, ex quo saepissime pendet honor et pax familiarum etc. 2° Ex *concilio Tridentino ibid.,* ubi dicitur: *Sancta Dei Ecclesia illa* (matrimonia sine consensu parentum inita) *semper detestata est atque prohibuit.* (¹)

755. — Quaer. 8° *An filii aliquando invitis parentibus matrimonium contrahere possint?*

Resp. Affirmative, si parentes injuste consensum recusent. Verum, cum hac in re facile sit, ut filii familias sibi fucum faciant, antequam nuptias celebrent, consulere debent viros prudentes et praesertim confessarios, ne in re tam gravi tantisque plena periculis imprudenter agant proprio judicio confidentes. (²)

756. — Quaer. 9° *Quid agendum confessario vel parocho, quando filii familias invitis parentibus matrimonium inire volunt?*

Resp. 1° Quoad *confessarium:* generatim loquendo partes parentum pro virili parte tueri debet; ipsis enim generatim praesumptio favere censetur. Attamen, si filii ex gravi ratione ducti, legalibus servatis conditionibus, in matrimonio ineundo persistant, inquietandi non videntur. — *Ita communiter* cum *Gousset.* (¹)

Resp. 2° Quoad *parochum:* matrimonio adsistere non debet, nisi adimpletis conditionibus a jure civili praescriptis in locis, ubi praescribuntur, quia Ecclesiae non adversantur: positis autem requisitis conditionibus seclusoque alio quovis impedimento nil obstat, quominus ad matrimonium celebrandum sponsos admittat. — *Gousset ibid.* (²)

ARTICULUS II.
DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII, SCILICET DE EJUS UNITATE ET FIRMITATE.

§. I.
De unitate matrimonii.

757. Unitas matrimonii in eo sita est, quod matrimonium sit conjunctio unius viri cum una foemina.

1° Certum est, *polyandriam* pugnare cum lege naturali, quia praecipuis matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonae ejus educationi. — *Ita omnes.*

2° Certum est, *polygamiam simultaneam* esse in omni casu prohibi-

(¹) Haec verba Trid. synodi ad clandestina potius matrimonia referuntur, in quibus numquam deest ratio, cur prohibentur. — (Not. edit. rom.)

(²) Cf. *p. 1. n. 369. Q. 1°.; n. 370.*

(¹) Si confessarius reclamationem parentum justam censet, suadebit filiis, ut parentum voluntati morem gerant. Quodsi nolint et conditiones a lege requisitas servent, non debet eos inquietare: imprudens esset, in re adeo difficili se judicem constituere inter patrem aut matrem et ipsorum filios. — *Gousset n. 839.* (Nota auct. ex id. gall. versa.)

(²) „Sanctum est christiano, potestati civili praestare obedientiam, ad quam Dominus ipse nos per apostolum suum instituit. Eo districtius eas observet necesse est constitutiones civiles, quae ad ordinem moralem conservandum accurate concurrunt. Quamvis igitur potestas civilis, quin validum inter christianos matrimonium contrahatur, sanctionibus suis impedire minime possit, civi tamen austriaco haud licet, negligere praescriptiones, quas lex austriaca de civilibus matrimonii effectibus statuit.“ — Ita *Instructio pro judiciis ecclesiasticis imperii austr. quoad causas matrimoniales §. 69.* de prohibitionibus legis *austriacae.* — V. etiam supra *n. 730. Q. 6°. not. 3. sub 6°.*

tam(1), saltem de jure positivo divino novae legis, ut constat ex *Luc. 16. 18.: Omnis, qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur.* Constat pariter ex *Trid. sess. 24. can. 2.*

3° Certum est, secundas(2) nuptias esse licitas tam viro, quam mulieri, etiam sub lege evangelica. Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiae, necnon ex scriptura sacra *1. Cor. 7. 39.: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quodsi dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino.*

§. II.
De firmitate matrimonii.

Duplex distinguitur matrimonii firmitas: alia vinculum, et alia torum respicit.

PUNCTUM I.
De firmitate matrimonii, quatenus spectat vinculum.

758. — Matrimonium est indissolubile quoad vinculum, seu matrimonio semel contracto divortium fieri nequit, saltem de lege positiva divina. De fide est. Probatur: 1° Ex verbis Christi *Matth. 19. 6.: Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* — 2° Ex verbis divi Pauli *1. Corinth. 7. 10. et 11.: Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.* — 3° Ex *Trid. sess. 24. sub initio.*

759. — Triplex tamen casus est excipiendus:

1° Dissolvi potest matrimonium *ratum* et *non consummatum* christianorum gravi de causa *per dispensationem Papae* ex potestate divinitus ipsi concessa. Constat ex eo, quod SS. Pontifices jam multoties hac potestate usi sunt, uti *S. Gregorius VII., Paulus III.* etc.(1)

2° Dissolvi potest matrimonium *ratum* et *non consummatum* (2) per *professionem religiosam* (3) unius conjugum inter primum bimestre(4),

(1) et irritam —

(2) et ulteriores — *Eugen. IV., Decret. ad Arm.*

(1) Dispensatio tamen non conceditur, nisi certo constet, matrimonium non esse consummatum. — *Anal. J. P. ser. 1. col. 703.* — *Act. vol. 1. fasc. 7. p. 411. et seq.* — Cf. etiam *n. 866. not. ad 12°.* sub *III. c.*

Addit editor romanus, hanc potestatem extendendam esse ad matrimonia consummata in infidelitate, si conjuges post baptismum, quo conjugium fit *ratum*, rursus illud nondum consummaverint, ut luculentissime constat ex literis *Gregorii XIII. d. d. 25. Jan. 1585.* (apud *Clericatum, de matrim. decis. 11. n. 28.*), item *Urbani VIII. d. d. 20. Oct. 1624.* et *17. Sept. 1627.* (v. *Cardenas, cris. theol. p. 4. diss. 2. n. 552.*); immerito vero *Gregorii* literas a *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 21. n. 4—6.* et *alii* ad meram dispensationem ab interpellando conjuge restringi. — Cf. etiam ejusdem editoris notam eruditam ad *n. 759. 3°. in fine.*

(2) V. supra *n. 745. not.* et *S. Lig. n. 1036. Requ. 4.*

(3) *solemnem* — *Conc. Trid. sess. 24. can. 6.* — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 9.*

(4) Ut scil. sponsi de usu hujus privilegii deliberent, eisdem ab ipso jure bimestre (quod tempus tamen arbitrio judicis restringi vel prorogari potest — *Sanchez, de matr. l. 2. disp. 24. n. 12. etc.*) post nuptias conceditur, quo tempore non obligantur reddere debitum, dummodo tamen matrimonium non sit forte necessarium ad reparandum scandalum aut honorem sponsae. — *S. Lig. n. 870. Dub. 2.; 958.* Imo post illud bimestre quoque, matrimonio etiam ex illicita debiti negatione non consummato, hoc privilegium manet. — Cf. *Ferraris ad* Conjuges *n. 6. et seq.*

Fornicatio habita inter sponsos ante celebrationem matrimonii hoc privilegium non impedit, si aliud non obstet. — Publicat tamen in genere, qui matrimonium cum intentione religionem ingrediendi contrahit, quin compartem moneat. — *S. Lig. n. 958.* — *Scav. n. 982.*

Quid vero, si ante elapsum bimestre per vim matrimonium consummat — Juxta probabiliorem sententiam innocens adhuc eo jure gaudet, ne ei

hoc ex privilegio speciali a
concesso et ab Ecclesia de-
Sic enim *Trid. sess. 24.*
: *Si quis dixerit, matrimo-*
atum non consummatum per
m religionis professionem al-
conjugum non dirimi, ana-
sit. (1)
Dissolvi potest matrimonium
consummatum infidelium ex
ione divina, quando alteruter
m convertitur *ad fidem chri-*
n(2), et alter (3) recusat cum
bitare, vel non cohabitat, nisi
juria Creatoris et religionis
nae contemptu, conatus ad-
, ut partem fidelem pervertat.
cessio autem haec divina erui-
verbis apostoli *1. Cor. 7. 12.*,
: *Si quis frater uxorem habet*
m et haec consentit habitare
lo, non dimittat illam.....
infidelis discedit, discedat.
im servituti subjectus est fra-
soror in hujusmodi: in pace
vocavit nos Deus. Eamdem
xplicat *Innocentius III.* in c.
(7.) *de divort. (IV. 19.)* —
n. 956. etc. — V. plura in
onsc. p. 2. n. 903. et seq. (4)

—

puniatur, nisi forte proles con-
ucari absque matre facile nequeat.
centi autem tunc ante sponsae
aliud matrimonium non concede-
prius jam consummatum est. —
chez, de matr. l. 2. disp. 22. n.
q. — *Scav. l. c.*
uodsi pars, quae religionem in-
est, nimis professionem differat,
de una religione in aliam intra
spatium, potest judex tempus
orie adsignare, ut vel maneat in
religione ibique expleto tyro-
ofiteatur, vel ad sponsum redeat
monium consummet. — *Sanchez,*
r. l. 2. disp. 24. n. 9. (Nota edit.

iam supra *n. 138. 3°. not. sub*

r baptismum —
terpellatus —
olvitur autem in his circumstantiis
m ante sententiam judicis, non

PUNCTUM II.

De firmitate matrimonii, quatenus spectat torum, et de divortio a toro.

Principia:

760. — I. Conjuges tenentur ratione vinculi matrimonialis simul cohabitare et vitam socialem ducere, nisi aliud causa valde gravis suadeat aut exigat. Ratio eruitur ex ipsamet matrimonii definitione.

II. Divortium tamen seu separatio a toro vel habitatione gravibus (1) de causis fieri potest, manente nihilominus conjugali vinculo, ita ut neutra pars possit ante mortem alterius inire aliud matrimonium. Id declaratur a *concilio Trid. sess. 24. can. 8.: Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

761. — III. Causae ejusmodi divortium cohonestantes hae sunt: mutuus consensus, periculum grave animae vel corporis et alterutrius adulterium (2), quas causas ita pro praxi intelliges:

---

tamen per ipsum discessum conjugis conversi, sed per celebrationem alterius matrimonii. An etiam per professionem religiosam, non indubium est. — Plura v. apud *Ben. XIV., de syn. l. 6. c. 4. n. 3. et seq.; l. 13. c. 21.* — *Heiss, de matrim. §. 32.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1864. fasc. 2. p. 245.* — *Edit. rom. h. l.*

(1) V. causam in *Actis vol. 1. fasc. 4. p. 213.*

(2) vel haeresis (c. Quanto (7.) *de divort. [IV. 19.]*), quod etiam valere ajunt, si periculum perversionis abesset, cum jus non distinguat — *Scav.*

Separatio *de se perpetua* autem ob solum adulterium conceditur; ob alias vero causas solummodo pro duratione ipsius causae. Quamvis enim ex jure antiquiori etiam ob haeresim compartis aliquando separatio perpetua permitteretur *(Ferraris ad v.* Divortium *n. 21.)*, hodie tamen praxis contraria viget. — *Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts l. 5. c. 2. §. 300.*

1° *Mutuus consensus:* scilicet ambo conjuges simul possunt juri renuntiare quoad torum sive ad tempus, sive in perpetuum, dummodo absit incontinentiae periculum. (1) Item separari possunt quoad habitationem sive ad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ad vitam perfectiorem amplectendam. (2)

2° *Periculum grave animae,* si adsit perversionis periculum in uno ex causa alterius, et *periculum grave corporis,* si immineat periculum vitae aut mutilationis, vel si cohabitatio ex parte unius erga alium adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur, uti eveniret, si conjux enormes aut frequentes saevitias pati cogeretur. (3)

3° *Adulterium alterutrius,* scilicet tale, ut sit: 1° certum (1); 2° voluntarium, non vero ex illata violentia patratum; 3° non condonatum sive expresse, sive implicite, v. g. per actum conjugalem (2); 4° non mutuum, quia tunc exsisteret compensatio (3). Patet ex verbis Christi *Matth. 5. 32.: Quia omnis, qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari etc.* Quod si liceat viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet. (4)

Quaesita:

762. — Quaer. 1° *An vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?*

Resp. 1° Certum est, non teneri ratione adulterii, quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in ejus poenam. — *Ita communiter theologi.* — *S. Lig. n. 963.*

Resp. 2° Aliquando potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram ra-

---

(1) „.. Propter incontinentiae periculum consultum non est conjugibus, continentiam vovere, nisi praemissa matura deliberatione et longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint: atque post editum votum toro eos separari oportet." — *Layman l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 1. sub II.* (Not. edit. rom.)

(2) Cf. *n. 916. 1°.;* item *n. 759. 2°.; 797.*

Ut vero matrimonio consummato maritus aut uxor claustralem vitam amplectatur, praeter episcopi consensum *(n. 763. Q. 4°. R. 2°. not. 1.)* opus est non solum consensu libero et voluntario compartis, sed insuper, hanc coenobium ingredi ibique regularem professionem emittere, nisi forte profectae jam sit aetatis et ab omni incontinentiae suspicione immunis; tunc enim sufficit, si voto perpetuo simplici castitatis se obstringat, quod tamen rite coram superiore ecclesiastico et testibus perficiatur. Ita, nisi dispensatio Pontificia ab hoc voto liberet. — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 10. et seq.*

Quoad susceptionem ordinis sacri v. *n. 710. not. 2.;* pro casu adulterii autem *n. 762. Q. 2°. not.*

(3) „Inter temporaneas divortii causas recensetur expulsio uxoris sine causa. — *Cosci, de separ. tori l. 2. c. 7. n. 9.* Ejusmodi tamen uxoris expulsio, sicut ceterae causae, quae sub saevitiarum nomine veniunt, considerandae sunt cum omnibus suis adjunctis, interveniente prudentis judicis arbitrio. Nec praetereunda est personarum qualitas; ex. gr. erga honestas nobilesque mulieres quaedam saevitiae reputantur graves, quae leviores essent in humilioribus foeminis." — *Act. vol. 2. fasc. 15. p. 136.*

(1) moraliter — *S. Lig. n. 961.* Hinc *Acta vol. 2. fasc. 15. p. 136.:* „Adulterium ad hunc dissociationis effectum demonstratum censetur, si concurrant graves conjecturae, quae adulterium commissum fuisse suadeant, quamvis eaedem non satis essent ad adulterii crimen puniendum." — V. etiam *Schmalzgrueber l. 4. tit. 19. n. 115. et seq.*

(2) Intellige: si *scienter* ac *sponte* obsequia et signa conjugalis affectus conjux conjugi exhibuerit. Nam ubi sola adfuerit adulterii suspicio, usus matrimonii non praejudicat innocenti; itemque, si lite pendente judex jubeat, ut uxor debitum reddat, aut maritus reus ad usum matrimonii uxorem gravi metu adigat. — (Not. edit. rom.)

(3) Cf. *Act. vol. 2. fasc. 19. p. 406.*

Requiritur tandem, adulterium esse consummatum et compartem non consensisse. — *S. Lig. n. 962. 966.*

(4) Comprehendit vero adulterium in hac materia ex communi sententia quamvis divisionem carnis, licet adulterium proprie dici nequeat, scil. sodomiam et bestialitatem. — *S. Lig. n. 960. 961.*

tione correctionis fraternae aut scandali vitandi(1); sed rarus est iste casus, cum alia media adhiberi possint ad uxorem corrigendam aut scandalum vitandum, tum quia grave scandalum ex separatione timendum excusare potest(2). Aliunde ejecta uxor majori periculo saltem plerumque exponeretur. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 2° *An, facto divortio, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat?*

Resp. 1° *Affirmative*, si agatur de separatione *non juridica*, quia sententia judicis non firmatur.

Resp. 2° *Affirmative probabilius* etiam in casu *juridicae separationis.* Ratio est, quia sententia separationis juridicae fertur in favorem innocentis, et proinde non ei aufert jus revocandi alterum; nec ad hoc opus est nova judicis sententia.(3) Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum ad virum, quoties potest rationabiliter timere, ne crudeliter tractetur. — *S. Lig. n. 967. etc.*

763. — Quaer. 3° *An, facta juridica separatione ob adulterium, conjux innocens teneatur redire ad compartem revocantem, si ipse postea lapsus fuerit?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino spoliatus fuit omni jure erga innocentem.(1) — *S. Lig. n. 967.*

Quaer. 4° *An divortium privata auctoritate fieri valeat?*

Resp. 1° *Affirmative* quoad *torum* justa de causa, ut supra dictum est, et speciatim ratione adulterii, quia jura matrimonii in perpetuum conjugi infideli denegari possunt.(2)

Resp. 2° Quoad *habitationem*: 1° *Affirmative* ratione adulterii, etiamsi crimen occultum sit(3), saltem

---

(1) Simile dic de uxore, si fundata emendationis spes adest et maritus sine gravi incommodo dimitti potest, quod tamen rarissime contingit. — *S. Lig. n. 964.*

(2) vel aliud grave incommodum. — V. *S. Lig. l. c.*

(3) Advertendum, quod, licet pars innocens post factum juridice divortium ex communi doctrina possit etiam invita parte adultera ingredi religionem aut sacros ordines suscipere, hoc tamen non conceditur adultero dimisso, qui propterea nec religionem ingredi, nec sacris initiari potest, nisi innocens aut expresse consentiat aut statum irrevocabilem jam susceperit; si vero religionem ingrederetur, posset ab innocente etiam post professionem revocari. — *Sanchez, de matrim. l. 10. disp. 10. n. 12. 13.* Monet tamen *S. Alphonsus n. 969.* cum *Sanchez l. c. n. 14.*, sufficere ad id etiam consensum tacitum, si nempe innocens hoc sciat, nec contradicat, cum possit, qui tamen in casu non tenetur aut religionem ingredi aut voto castitatis se obstringere. — Vide *Schmalzgrueber l. 4. tit. 19. n. 124. et seq.* Idipsum (facultatem scil. religionem ingrediendi etc.) parti reae concedit *S. Alphonsus l. c.* post *Sanchez l. c. n. 16.*, quando innocens rogatus noluerit reconciliationem admittere, aut etiam, si eam innocens elapso jam biennio non revocaverit. — (Not. edit. rom.)

Juxta decisiones *S. C. C.* tamen, quando *pars adultera* in religione profiteri vel ad sacros admitti ordines cupit, insuper requiritur, innocentem, quae aetate admodum provecta non sit, votum simplex castitatis nuncupare, nisi S. Sedes dispenset. — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 15. 16.* — *Bönninghausen, tract. de irregular. fasc. 3. c. 3. II. pag. 42. not. 43.; c. 7. §. 3. pag. 178. not. 2. in fine.*

(1) Sed obstat c. Ex literis (5.) *de divort. (IV. 19.)*

(2) Hoc valet, licet crimen sit occultum, et etiamsi, deficientibus probationibus, a judice ecclesiastico compelleretur innocens ad reddendum debitum, non teneretur tamen hujusmodi obedire sententiae, quae falsa niteretur hypothesi. — V. *Sanchez, de matrim. l. 10. disp. 12. n. 34.* (Not. edit. rom.)

(3) modo sit certum et ex separatione non interveniat scandalum, quod aliter reparari non potest. Raro vero scandalum aberit, si matrimonium non sit occultum. — Quodsi innocens, qui delictum probare non valet, ab Ecclesia ad habitationem compelleretur, obligatio parendi aderit, ex solo tamen praecepto vitandi scandali, quod communiter ex negatione habitationis oriri solet. — Cf. *Sanchez,*

probabilius, quia Christus divortium hac de causa permittendo non distinxit inter adulterium publicum et privatum. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 968. Plures* tamen dicunt, non esse licitum divortium ob adulterium occultum, quia non licet adulteri famam prodere. — 2° *Affirmative* etiam ratione periculi animae vel corporis, modo periculum illud valde grave sit. Sed expedit in praxi, ut consilium viri prudentis, praesertim confessarii, petatur. (1)

Confessarius vero in hoc valde caute procedere debet. Caveat, ne facilius credat uxoribus de viris querentibus, satagatque, ut eas compescat et a divortio, in quantum fieri potest, avertat. (2)

CAPUT IV.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

764. — I. *Materia remota* sacramenti matrimonii sunt corpora sponsorum in contractu matrimoniali invicem tradenda.

Materia autem *proxima* est traditio ipsa corporum, quae per verba aut signa consensum exprimentia perficitur. — *Sic communiter theologi.*

Nonnulli sunt, qui materiam proximam constituunt in impositione manuum sacerdotis; sed haec sententia omni prorsus caret fundamento et ut obsoleta rejicienda est. (1)

II. *Forma* consistit in mutua acceptatione contrahentium verbis aut signis expressa. — *Ita pariter communius.*

Verum quonam pacto consensus seu contractus contrahentium verbis aut signis expressus constituit formam sacramenti, cum etiam in materia reperiatur?

Dicendum est, contractum seu consensum sponsorum reperiri tum in materia, tum in forma sacramenti matrimonii, sed sub diverso respectu. Est in *materia,* quatenus mutuam alterius in alterum potestatis traditionem exprimit; est autem in *forma,* quatenus acceptationem hujus potestatis significat. Vel, ut alii explicant, verba et signa sponsorum in contrahendo sunt simul materia et forma: sunt *materia,* in quantum exprimunt traditionem corporum; sunt *forma,* in quantum acceptationem traditionis exhibent. — *Ita communiter.*

Quidquid sit, in praxi nullum incommodum est timendum, dummodo in contractu celebrando forma praescripta ab Ecclesia servetur. — *Vide dicenda in capite sequenti de ministro sacramenti matrimonii.*

CAPUT V.

DE MINISTRO ET SUBJECTO MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO.

765. — I. Certum est, requiri praesentiam parochi aut delegati ad matri-

---

de matr. l. 10. disp. 12. n. 31. et seq. — *S. Lig. l. c.*

(1) Si agatur de divortio proprie dicto quoad cohabitationem ob causas sub 2° allegatas, de jure sententia judicis requiritur. — *C.* Multorum (10.) *caus. 35. quaest. 6.* — *C.* Literas (13.) *de restit. spol. (II. 13.)* — *C.* Porro (3.) *de divort. (IV. 19.).* Excipienda videtur causa haeresis ob decisionem in c. De illa (6.) *de divort. (IV. 19.)* et quia quodammodo adulterio aequiparatur, ob quod, saltem si sit notorium, indubie propria auctoritate divortium facere innocenti licet (cf. *Ferraris ad v.* Divortium *n. 38.*).

Censemus tamen, aliquando pro foro interno permitti posse separationem privatam ad tempus ob causam gravem et peculiarem, si scandalum absit, quae separatio certo licet, si malum omnino urgens dilationem separationis non patiatur et continuo sententia judicis invocetur.

Vel ipsa electio perfectioris status (perpetui) cum alterius conjugis approbatione consensum episcopi ad liceitatem requirit. — *Ferraris ad v.* Conjuges *n. 25.*

(2) Quoad forum competens pro hisce litibus cf. recentes decisiones *Act. vol. 2. fasc. 15. p. 137. X. et caus. seq.* — V. etiam *ib. fasc. 19. p. 401. et seq.*

(1) Cf. *n. 766.*

monii valorem, ubicumque decretum *concilii Trid.* circa matrimonia clandestina publicatum est. — *Vide dicenda de imped. clandest. n. 836.*

II. Certum est pariter: 1° Ecclesiam semper voluisse, ut sacerdos ad id deputatus matrimoniis fidelium adsisteret; 2° parochum non posse adsistentiam suam in nuptiis fidelium omittere, eumque obligari ad benedictionem impertiendam juxta ritum in loco proprio receptum; 3° peccare graviter fideles, qui matrimonium clandestine ineunt, etiam in locis, ubi decretum *concilii Tridentini* circa matrimonii formam non fuit promulgatum. Id evincitur ex *Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 1. etc.*

766. — III. Hodie, quidquid nonnulli juxta obsoletam opinionem antea dixerint, certum est etiam, ministrum matrimonii ipsos esse contrahentes. Rationes autem, quibus haec doctrina innititur, sunt: 1° Quia *Eugenius IV.* in *decreto ad Armenos,* sanam circa sacramenta tradere volens doctrinam, sic ait: *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Neque dubitandum est, quin illa verba *causa efficiens matrimonii* spectent matrimonium ut sacramentum, siquidem septem sacramenta in eo decreto ex professo explicantur. 2° Quia *concilium Tridentinum sess. 24. de ref. matr. c. 1.* declarat, matrimonia clandestina fuisse *vera et rata,* quibus vocabulis tunc theologi et canonistae exprimebant stricto sensu sacramenta.

767. — Constat insuper ex recentibus declarationibus *Pii IX.* referendis infra *n. 792.* et *793.*, matrimonium inter fideles exsistere numquam posse absque sacramento. Unde sic: Matrimonia clandestina ex *concilio Trid.* sunt valida in locis, ubi non fuit promulgatum decretum, quo invalidantur; aliunde nequeunt esse valida absque sacramento: ergo datur sacramentum matrimonii, quin a sacerdote conferatur; ergo sacerdos non est minister sacramenti. — V. *S. Lig. n. 897.*

768. — *Nota:* In Gallia parochus lege civili prohibetur, ne sponsos benedicat, antequam civiliter matrimonium contraxerint. Haec praescriptio nullius prorsus valoris est, cum res, quae ad sacramenta spectant, potestati civili nullatenus subjiciantur. Caute tamen procedat parochus, tum quia Ecclesia non prohibet, quominus legi civili obtemperetur, tum quia praecavere debet incommoda, quae ex opposita agendi ratione sequerentur. (1)

Quaesita:

769. — Quaer. 1° *An parochus adsistere possit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores?*

Resp. 1° *Negat S. Lig., de sacr. in gen. n. 54.* cum *aliis.* Ratio est: 1° quia *de jure naturali* nemo potest cooperari peccato alterius, etiam materialiter, etsi ille jam interne peccatum consummaverit, nisi de causa *gravi* et *proportionata;* 2° quia publice indigni non sunt ad sacramenta admittendi. (2) *Alii* tamen melius *affirmant,* licet parochus conari debeat, ut digne contrahant. Ratio est, quia parochus non est minister sacramenti neque illud confert, sed adsistit

(1) „Articuli, quos *organicos* vocant, „prohibent ministris religionis, benedi„ctionem nuptialem impertire iis, qui non „probarunt in debita forma, se contra„ctum matrimonialem coram tribunali ci„vili celebrasse. Ast non magis ad po„testatem saecularem spectat, constituere „ea, quae ad benedictionem nuptialem, „quam ea, quae ad sacramenta baptismi „et poenitentiae pertinent..... Non est „potestatis saecularis, nobis regulas quoad „res sacras praescribere.... Attamen, cum „permissum sit, morem gerere legi civili, „de qua agimus, quin dissideamus a mente „Ecclesiae, quae est tolerantior (uti di„cunt) iis, qui eam defectus tolerantiae „accusant, prudens est, parochum se ad „ipsam conformare.“ — *Gousset n. 751.* (Nota auctoris ex idiom. gall. versa.) — V. etiam supra *n. 730. Qu. 6°. not. 3.; n. 756. not. 2.*

(2) Non tamen sufficit *per se,* ut quis dicatur publicus peccator vel etiam indignus, si matrimonio confessionem praemittere nolit. — Cf. *n. 774. 960. 2°. not*

tantum tamquam testis seu notarius publicus, ad quem non spectat examinare contrahentium merita, sed fidem facere, et testari ea, quae videt. — *Lugo, de sacramentis in gen. disp. 8. n. 206. et seq.* — *Ita communiter,* ut fatetur ipse *S. Lig. ib.*

Resp. 2° Etiam juxta primam sententiam aliquando tali matrimonio adsistere potest, nempe ubi urget ratio valde gravis et aliquo modo proportionata malo, quod permittitur in sacramenti profanatione etc., v. g. si parochus cogeretur metu mortis aut mali fere aequalis, (1) vel si imminerent gravia mala communitati, aut si sponsi jam sint conjuncti civiliter, ut in Gallia evenire solet, cum matrimonium civile ecclesiasticum praecedere debeat. Majus enim malum majusque scandalum ex fornicaria cohabitatione sequeretur. — *S. Lig. l. c.* — *Bouvier etc.* Minor esset difficultas, si unus e sponsis esset innocens aut in meliorem vitam mutatus, quia tunc liceret parocho matrimonio adsistere in favorem innocentis. Imo nulla superesset difficultas, si sponsi solerent peccare inter se, nempe si in concubinatu versarentur. Tunc enim per matrimonium tolleretur tum scandalum, tum peccati occasio. (1)

770. — Quaer. 2° *Benedictio nuptiarum potestne abstrahi a celebratione missae?*

Resp. Negandum est. Nam interrogata *S. Congr. Rit.: An vigentem pluribus in locis consuetudinem, matrimonium celebrandi hora pomeridiana simulque benedictionem nuptialem sic extra missam etiam tempore vetito ex ordinarii licentia dandi, liceat retinere, cum vix spes sit fideles adigendi vel ad mutandum celebrationis matrimonii tempus, vel ad benedictionem supplendam?* respondit: *Servetur rituale romanum.* (Die 7. *Sept. 1850. in Rupellen. ad 6um.*) Porro ex rituali romano benedictio conjugalis non potest nisi inter missarum solemnia fieri. Confirmatur alia decisione *S. C. R. d. d. 23. Jun. 1853. in Limburg.* (2) — Attamen sacerdos non

---

(1) Auctores hujus opinionis nimium quid videntur exigere. Obligatio quippe, quae concipi posset, impediendi contrahentium peccatum, cum sit obligatio caritatis, non tam grave exigit incommodum, ut quis ab ea excusetur. Bene advertit *Lugo l. c. n. 219.*, „eam cooperationem esse valde materialem et inculpabilem parocho, qui non potest negare suam adsistentiam, quam debet ut minister publicus: sicut nec publicus notarius vel judex potest negare auctoritatem sui muneris contractui alicui legitimo, licet contrahens ex intentione prava peccet in ipso contractu, et sicut uxor non peccat reddendo debitum conjugale viro petenti contra votum castitatis, quod habet, sic nec parochus peccat adsistendo, quia reddit, quod ex munere suo debet et quod absque gravi inconvenienti negare non potest."

Et haec quidem validissime confirmantur ex iis, quae tradunt doctores, ubi quaerunt, utrum conjux ipse, quatenus minister sacramenti, peccet mortaliter, contrahens matrimonium cum peccatore. Ut enim inquit idem *Lugo ibid. n. 226.*, „nullus.. injecit adhuc talem scrupulum personis catholicis, ut non possint licite contrahere matrimonium cum peccatoribus, nec ullus theologus obligat foeminam ad repellendum sponsum et negandum consensum matrimonii, quamdiu ille est in statu peccati: sed unusquisque tenetur seipsum in gratia constituere, consortem vero relinquit suae conscientiae, ut constat ex usu omnium fidelium." Alias probationes vide apud eumdem *Lugo ibid. n. 227. et seq.*, qui tamen advertit *(ibid. n. 219.)*, quod parochus, „si posset facile petentem admonere et removere ab ea indigna receptione sacramenti, deberet utique ex lege caritatis id facere; persistenti autem et volenti contrahere matrimonium non potest adsistentiam debitam subtrahere." — (Nota edit. rom.)

(1) *Confessarius* vero observet dicta sub *n. 640. Q. 4°.*

(2) de qua plura apud *Heiss, de matrim. §. 73.* Addimus epistolam hac de re ad rdmum episcopum Limburgensem datam:

„Rdme Domine, uti frater! — Quae Amplitudo Tua exponebat literis datis superiori anno 1858. d. V. Id. Oct., fide-

tenetur missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. — *Congr. S. Off. 1. Sept. 1841.* Sed missa pro nuptiis adsignata dicenda est, licet sponsis non applicetur(1).

771. — Quaer. 3° *Quid parocho sit agendum, si sponsi jam sint in ecclesia ad matrimonium contrahendum, et unus eorum ipsi impedimentum in confessione manifestet?*

Resp. 1° Si poenitens versetur in ignorantia invincibili, omittenda est monitio et permittenda est matrimonii celebratio, donec dispensatio obtineatur, nisi nuptiae differri possint sine periculo infamiae aut aliis gravissimis incommodis. — *S. Lig., de poenit. n. 613.*

Resp. 2° Si poenitens sit in ignorantia vincibili, aut si aperte cognoscat impedimentum nec sine infamia aut scandalo differri possit matrimonium, ne ad dispensationem quidem ab episcopo obtinendam, tunc maxima est difficultas. Juxta *S. Lig. ibid.* et *alios* posset confessarius seu parochus declarare, legem Ecclesiae de impedi-

---

liter de more cum SSmo Dno N. Pio IX. P. M. referret subscriptus S. R. C. Secretarius, mens fuit SSmi ejusdem Dni, ut per particulares hujusmodi literas Amplitudini Tuae communicaretur, *se nullo prorsus modo assentiri velle, ut benedictio super sponsis in missali adnotata extra missam adhibeatur, etsi de anno 1838. Cal. Sept. ob peculiares circumstantias id improbatum non fuerit pro dioecesi Eystettensi.* Imo Amplitudini Tuae committit, ut, qua praestat prudentia et erga hanc Apostolicam Sedem veneratione, caute monitos reddat istius Limburg., dioecesis parochos, ut data opportunitate hortentur fideles sibi commissos ad sibi conciliandas copiosiores benedictiones illas, quas Ecclesia mater prae oculis habuit a Deo O. M. implorare filiis suis, dum accedentes ad hoc tam magnum sacramentum sacrosancto adstant missae sacrificio, participant de corpore et sanguine Christi ac ad specialem benedictionem per orationes rite intra eamdem missam dispositas admittuntur. Per hoc autem consilium minime intendit Sanctitas Sua, ut fideles minus ad id dispositi compellantur, sed tantum, ut per paternas cohortationes alliciantur. *Quodsi matrimonia concludantur absque missae celebratione, recedere non licet a formula in rituali romano praescripta...*

Romae, 12. Jan. 1854.

A. Card. Lambruschini."

(1) Missa nuptiarum dicenda est singulis diebus, praeter dominicas, festa de praecepto, duplicia 1ae vel 2ae classis, vigiliam (et octavam) pentecostes et octavas epiphaniae et corporis Christi (aliosque dies duplicia 2ae classis excludentes — *De Herdt, S. Lit. praxis t. 3. p. 6. n. 40. II.*), sed sine *Gloria* et *Credo*. — Hisce vero diebus exceptis addatur commemoratio pro sponso et sponsa. — *S. Congr. Rit. 3. Mart. 1818.* et *20. April. 1822. in Derthonen.*

Quando nuptiae celebrantur tempore adventus vel quadragesimae (in genere *tempore feriato*), non debet fieri commemoratio missae pro sponsis per collectam, secretam et postcommunionem; nec licet recitare orationes in missali positas post orationem dominicam et *Ite missa est*; nec debent eaedem orationes recitari extra missam, elapso tempore prohibito. — *S. Congr. Rit. 31. Aug. 1839. in Montis Pessul.*

Si mulier sit vidua, non solum omitti debet benedictio nuptiarum, sed etiam missa propria pro sponso et sponsa. — *S. Congr. Rit. 3. Mart. 1761. in Aquensi n. 4.* (Missa votiva pro sponsis enim dici, vel commemoratio nuptiarum fieri nequit, quando quacumque ex causa benedictio solemnis infra missam ... omittenda est. — *Heiss, de matr. §. 73.*)

Prohibetur et reprobatur usus veli albi explicandi super sponsos. — *S. Congr. Rit. 7. Sept. 1859. in Rupellen.* — (Nota auct. praeter ea, quae inter parenthesim addidimus.)

Benedictio nuptiarum inter missam proprie mulierem respicit. Hinc etiam vidua benedici potest, si forte antea benedicta non fuerit. Si tamen nuptiae sint secundae ex parte viri, primae vero ex parte mulieris, ex *rit. rom.* benedictio omittenda est, nisi aliter ferat consuetudo. Nil autem refert, num nubens virgo sit an corrupta. — Cf. *De Herdt t. 3. p. 6. n. 39. II.*

Annulus semper, etiam in secundis nuptiis, benedicitur. — *S. R. C. 27. Aug. 1836. in Rhedon.*

Matrimonium juxta rit. rom. in ecclesia maxime celebrari decet, quae verba tamen praeceptum non prae se ferunt. — *De Herdt l. c. n. 38. III.* Serventur vero statuta particularia!

mentis non obligare in tantis angustiis, et ad matrimonii celebrationem procedere. Attamen quamprimum, saltem ad cautelam, dispensationem postulare deberet. — Juxta *alios* permitti posset simulatio contractus matrimonii cum proposito quamprimum dispensationem ab impedimento petendi. Non potest autem, ajunt, cessare naturaliter impedimentum; lex enim irritans numquam cessat ob incommodum particulare, quodcumque sit. (1) Quoties vero adiri potest episcopus, adeundus est, quia juxta sententiam communem in necessitate ab impedimentis ecclesiasticis dispensare potest. (2) — *S. Lig., de poenit. n. 613.*

ARTICULUS II.
DE SUBJECTO MATRIMONII.

Principia:

772. — I. Subjectum sacramenti matrimonii est omnis homo baptizatus, nullo impedimento sive naturali, sive divino, sive canonico laborans.

Dixi 1° Omnis homo *baptizatus;* homines enim non baptizati non sunt capaces sacramentorum Ecclesiae, ut patet. *Dixi* 2° *Nullo impedimento laborans;* licet enim *per se* omnis homo baptizatus sit subjectum capax sacramenti matrimonii, *per accidens* tamen plures a matrimonio valide contrahendo arcentur propter diversa impedimenta tum juris naturalis, tum juris divini aut ecclesiastici, ut infra suo loco dicetur *n. 794.*

Hinc: 1° matrimonium infidelium, licet validum esse possit ratione contractus, invalidum tamen prorsus est ratione sacramenti. Imo fidelis ipse contrahens matrimonium cum infideli, etiam ex Papae dispensatione, sacramentum non recipiet juxta communem sententiam contra paucos. (1) Etenim signum unionis Christi cum Ecclesia, gratiam sacramentalem conferens, neque in unione viri, neque in unione mulieris, sed in unione utriusque consistit.

2° Haeretici et schismatici, qui ineundo matrimonium leges (2) Ecclesiae accurate et integre servant, valide contrahunt et sacramento muniuntur, cum nihil sit, quod valori hujus sacramenti obstare possit. Hoc ipsum confirmat praxis Ecclesiae, quae nullimode eos adigit sive ad renovandum consensum, sive ad benedictionem nuptialem iterum recipiendam, si resipiscentes ad catholicae Ecclesiae unitatem redeant. — *Ita omnes.*

773. — II. Sponsi matrimonium contrahentes in statu gratiae versari debent, quia matrimonium est sacramentum *vivorum.* Qui igitur contrahunt peccato mortali coinquinati, rei gravissimi sacrilegii evadunt, nec gratias sacramentales sponsis necessarias percipiunt. *Probabiliter* tamen illae gratiae sunt tantum suspensae et, remoto obice seu peccato mortali, ani-

(1) Cf. *n. 788. Q. 3°.; 840. Q. 4°.*

(2) Cf. *n. 861. II.* cum *not.* Omnis difficultas cessabit in praxi, si ordinarii facultatem a S. Sede obtineant, delegandi sacerdotes in cura animarum laborantes, ut in ejusmodi casibus extraordinariis et urgentibus dispensare valeant (pronti v. g. in facultatibus triennalibus episcopis Germaniae quoad affinitatem ex copula illicita pro „aliquibus confessariis" concedi-tur), et dictam potestatem de facto delegent.

(1) „Eligat studiosus lector opinionem sibi magis gratam, cum pro utraque militent eximii theologi et doctores." Ita *Clericatus, de matrim. dec. 4. n. 25.* Pro sententia affirmante, fieri pro fideli sacramentum, inter alios est *Andreas Vega*, theologus tridentinus, et *Ferraris*, qui in *Pr. bibl. ad v.* Matrimonium *art. 1. n. 19.* eam studiose defendit aliosque pro ipsa allegat. Ratio vero ab auctore addita pro negante levis est momenti, tum quia essentia sacramenti est, ut significet *gratiam, quam confert,* tum quia ex frequentissima patrum doctrina significatio unionis Christi cum Ecclesia etiam in matrimonio ante legem evangelicam reperiebatur. — Sed haec parum ad praxim conferunt. (Nota edit. rom.)

(2) Intellige leges, quae ad rei substantiam pertinent, cujusmodi non est benedictio nuptialis, quam auctor memorat. — (Not. edit. rom.)

mae applicantur, uti diximus agendo *de sacramentis in genere n. 232.* — Pro praxi aliquando melius erit, indignum non monere de sacrilegio committendo, ut minus peccet, si nullus fructus ex monitione speretur; sed inducendus erit, ut saltem quamprimum ad confitendum accedat. (1)

Quaesita:

774. — Quaer. 1° *An parochus exigere debeat, ut praemittatur confessio matrimonio, vel ut libellum confessionis sponsi exhibeant?*

Resp. 1° Non potest *absolute per se* id exigere, nisi lex seu praeceptum episcopi illud statuat. Ratio est, quia, quamvis requiratur status gratiae ad illud sacramentum accipiendum, non tamen requiritur necessario confessio, cum contritio absolute sufficere possit, etiam iis, qui in statu peccati mortalis versantur. Aliunde parocho plerumque non constat, sponsos in statu gratiae non versari.

Resp. 2° Ubi lex particularis existit, ut multis in locis, parochus confessionem exigere debet aut saltem illius testimonium. Possunt quandoque occurrere casus, in quibus haec lex exceptionem admittere videtur, uti si matrimonium jam sit civiliter contractum et una pars testimonium confessionis requisitum exhibeat etc. (2) Sed pro hujusmodi rerum adjunctis consultius est, ut parochus ab ipso episcopo loci resciat, quomodo generatim se gerere debeat.

775. — Quaer. 2° *An unus sponsus matrimonium inire possit cum altero publico peccatore?*

Resp. Affirmative, si nequeant sine incommodo a matrimonio recedere. — *Ita communius.* Quamvis enim contrahentes conficiant sacramentum, non sunt tamen ministri ad hoc deputati. (1)

Eadem ratione puella catholica, quae habet graves rationes (v. g. ob circumstantias familiarum aliave motiva magni ponderis) matrimonium cum haeretico ineundi, non peccat illud contrahendo, quamvis alterius peccati materiam quodammodo subministret; sed prius petenda est dispensatio, ut infra dicetur.

Vide alia multa de subjecto matrimonii *in capite sequenti,* scilicet *de impedimentis matrimonii,* ubi videbimus, quale sit subjectum contractus matrimonialis idoneum.

(1) Cf. *n. 640. Q. 4°.*

(2) Si sponsus non sit publicus peccator et a fortiori, si de ejus indignitate non constet, rationes etiam minus graves sufficere censemus.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Leges ecclesiasticae impedimenta matrimonii statuentes sunt duplicis generis: aliae enim sunt tantum prohibentes, aliae vero irritantes. — Hinc articulus duplex.

ARTICULUS I.
DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IMPEDIENTIBUS.

776. — Quatuor numerantur impedimenta matrimonium impedientia, nempe: 1° Prohibitio Ecclesiae variis de causis facta. — 2° Item Ecclesiae prohibitio, ne determinato quodam tempore matrimonii solemnitates celebrentur. — 3° Contractus sponsalitius cum alia persona jam initus, nec legitime solutus. — 4° Votum, quod ex natura sua in contractu aut societate conjugali servari nequit. Quatuor haec versiculo sequenti comprehenduntur:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

De singulis pauca subjicere satis erit.

I. Ecclesiae vetitum.

777. — Est prohibitio sive parti-

(1) V. *n. 769. not.*

cularis, sive generalis, (¹) ab Ecclesia facta aut ab aliquo superiore ecclesiastico, ne aliquod matrimonium celebretur.

1⁰ Prohibitio particularis habetur, quando justa de causa matrimonium alicui interdicitur sive a parocho, sive ab episcopo, v. g. quia suspicio impedimenti dirimentis exorta est.(²)

2⁰ Prohibitio generalis in triplici praesertim casu habetur, scilicet: 1⁰ ne contrahatur matrimonium inter haereticum et catholicam et vice versa; — 2⁰ ne contrahatur sine bannorum proclamatione; — 3⁰ ne contrahatur sine consensu parentum debite requisito. De bannis jam supra dictum est *n. 734. et seq.;* item de consensu parentum *n. 754.;* de cultus autem disparitate dicemus infra *n. 824. et seq.*

II. Tempus.

778. — Est determinatum aliquod per decursum anni tempus, quod *feriatum*(¹) dicitur et quo Ecclesia solemnitates nuptiarum vetat. — *Trid. sess. 24. c. 10.* Tale autem nunc est tempus, quod fluit a prima dominica adventus usque ad epiphaniam inclusive et a die cinerum usque ad octavam paschatis inclusive.

Nota: Conc. Trid. solas nuptiarum solemnitates praefato tempore prohibet, nimirum sponsos benedicere, sponsam cum strepitu ad domum conducere, convivia nuptialia (²) instruere. Non autem vetat parocho sponsos privatim conjungere, licet variis in locis propter consuetudinem (³) id etiam prohibeatur. — *Ita communiter.* (⁴)

(¹) Nec theologi, nec canonistae ad impedimentum, quod dicitur *Ecclesiae vetitum,* revocare solent leges generales, quarum violatio illicitam reddat matrimonii celebrationem; alioquin vero non tria illa tantummodo recensenda essent, quae mox auctor indicat, sed multo plura. Quod vero inter tria illa etiam necessitatem consensus parentum reponat, id Galliarum circumstantiis tribuatur; nam consensus iste, ut alias notavimus (ad *n. 754.*), subinde posthaberi etiam potest, et ideo abs re generatim consensus hujus defectus inter impedimenta numeratur. — (Not. edit. rom.)

(²) Requiritur tamen suspicio probabilis. — *C.* Cum inhibitio (3.) *de clandest. despons. (IV. 3.)* „Depositio unius testis fide digni", ait *Instructio pro judiciis ecclesiasticis imp. austr. etc. §. 106.*, „necnon fama, qualis et graves cordatosque viros movet, numquam non sufficit, ut nupturientes, usquedum res uberius dilucidata sit, repellantur." Quodsi dubium auferri nequeat, parochus ad episcopum recurrat. — *Sanchez, de matr. l. 3. disp. 15. n. 3.* — *S. Lig., de praec. part. n. 257. I.* — Cf. etiam *n. 613. 789.*

Aliae causae talis inhibitionis per parochum esse possunt gravia scandala et tumultus ex matrimonio timendi, reclamatio ob sponsalia cum alia persona prius celebrata nec dissoluta et defectus sufficientis instructionis sponsorum quoad rudimenta christianae religionis *(n. 743. not.).* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 5.* — *Knopp, Eherecht §. 39. p. 411.* et *alii.*

„Si provocando ad sponsalia reclamatio instituatur, parochus casu, quo sponsalia invalida sint, partes ea de re edoceat; si autem valida censeat, litem amice componere conetur." — *Instructio modo cit. §. 107.* Conatu hocce irrito, res ad judicem ecclesiasticum deferatur.

(¹) vel *clausum* —

(²) solemniora — *S. Lig. n. 983.*

(³) vel per constitutiones particulares, nisi necessitas urgeat vel episcopus dispensaverit, —

(⁴) Cf. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 27. et seq.* Ceterum benedictio, quae *solemnitatibus* matrimonii accensetur, ideoque tempore clauso prohibetur, non ea est, quae immediate post consensum praestitum sponsis impertitur, sed illa quae intra missam datur. Constat inter alia ex *rituali romano* et ex sequenti decisione *S. R. C. d. d. 23. Jun. 185[illegible] in Limburg. ad 3.:*

Quaes. In hac dioecesi, sicut in plu-ribus Germaniae, tempore feriarum non solum nuptiarum solemnitates, sed ipsae etiam nuptiae ex consuetudine prohibe-tur, nisi adsit dispensatio episcopi. Ha[illegible] dispensationem ab episcopo auctori[illegible] ordinaria concedi posse, dummodo [illegible] sint causae sufficientes, certe in dub[illegible] vocari nequit, quum de sola consuetu[illegible] particulari agatur. Quaeritur autem, [illegible] episcopus in casibus particularibus et rationabiles et graves causas etiam in[illegible] dispensare possit, ut, secluso qu[illegible] semper alio quocumque apparatu ac [illegible]

III. Sponsalia.

779. — Sponsalia quaelibet, sive *ecclesiastica,* sive *privata,* cum alia persona serio contracta neque legitime ex mutuo consensu aut alia justa de causa dissoluta, sunt impedimentum matrimonium impediens. Patet ex jure naturali; exsistit enim gravis obligatio justitiae standi contractui oneroso vere inito. Si quis autem non obstante illo impedimento matrimonium contrahat, validum quidem erit, cum impedimentum hoc sit impediens tantum, non tamen licitum.

IV. Votum. (¹)

Quadruplex distinguitur votum matrimonium impediens, nempe 1⁰ votum castitatis; — 2⁰ votum non nubendi; — 3⁰ votum ingrediendi religionem; — 4⁰ votum ordines sacros suscipiendi.

780. — I. *Votum castitatis.*

1⁰ Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium ineundo intentione illud consummandi, quia votum infringit.

2⁰ Peccat etiam graviter seclusa hac intentione, quia exponit se periculo vel votum, vel jus compartis violandi.

3⁰ Contracto matrimonio nec petere nec reddere potest debitum primo [illegible]ente bimestri, quia ex privilegio [illegible]ino eximuntur hoc tempore con[illegible]es ab obligatione conjugalis debiti [illegible]ta dicta supra *n. 759.* Elapso [illegible]em hoc tempore potest quidem de[illegible]um reddere et compartis juri satis[illegible]ere, non tamen petere *per se* sine [illegible]ensatione a voto, aut sine suspensione seu indirecta voti irritatione ab altero conjuge facta.

4⁰ Debet omnino abstinere, si alter consentiat vel jus petendi amiserit v. g. per adulterium vel incestum. — Secus dispensationem quamprimum postulare tenetur.

5⁰ Si alter conjux moriatur, ad novas nuptias convolare nequit, nisi dispensationem a voto suo impetraverit. — *Lacroix n. 357.* (¹)

781. — II. *Votum non nubendi seu votum virginitatis.*

1⁰ Qui voto illo emisso matrimonium contrahit, peccat graviter, ut manifestum est.

2⁰ Contracto matrimonio reddere atque etiam petere potest debitum, quia jam impossibilis facta est voti observatio. (²)

3⁰ Mortuo conjuge novum matrimonium, saltem probabiliter, contrahere potest, ob eamdem rationem. (³)

In praxi dubium est quandoque, an quis virginitatem seu coelibatum vel potius castitatem voverit. Interrogandus erit poenitens, an intentione se ab *oneribus* matrimonii liberandi sanctiusque Deo serviendi ductus fuerit, vel *unico amore et affectu puritatis:* in primo casu coelibatum et virginitatem, in secundo autem vere castitatem vovisse censendus est. — *Lacroix n. 358.*

782. — III. *Votum ingrediendi religionem.*

1⁰ Qui tale votum emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, tum quia alterum decipit, tum quia se exponit periculo votum violandi.

2⁰ Ante matrimonii consummationem tenetur religionem ingredi ideoque mortaliter peccat, quando prima vice matrimonium consummat, sive petendo, sive reddendo debitum, quia

---

[illegible] nuptiarum benedictio tamen solemnis [illegible] debito adhibeatur. Quum enim in [illegible]uctorum, et etiam gravissimorum, [illegible] una sit sententia etc.

[illegible]sp. *In casu nuptiae celebrentur* [illegible] *solemnitate, ideoque privatim sine* [illegible] *et benedictione temporibus pro*[illegible].

[illegible]tiam *n. 853.*

[illegible]. de his votis etiam *n. 909. 910.*

(¹) *Lessius, de just. l. 2. c. 41. n. 50. et seq. etc.*

(²) Si stricte *virginitatem* vovit, nequit *prima vice* petere. — *Lacroix n. 358.*

(³) Contradicunt *alii.* — *Heiss, de matr. §. 18. III. 4°.*

votum adimplere debet, quando potest. Illud autem adimplere potest non consummando matrimonium in primo bimestri, cum tunc ex privilegio divino possit quilibet religionem ingredi et altera pars, conjuge solemniter profitente, a vinculo matrimoniali liberetur juxta superius dicta *n. 759.*

3° Post consummatum matrimonium potest petere et reddere debitum, quia exsecutio voti facta est ei impossibilis et petitio actus conjugalis non est contra illius votum, cum non voverit *castitatem*, sed *religionem.*

4° Etiam consummato matrimonio tenetur religionem ingredi *per se*, quoties id potest illaeso compartis jure, v. g. si alter consentiat vel jus petendi debitum amittat in perpetuum, aut si matrimonium per mortem solvatur, quia obligatio voti semper subsistit. In praxi autem in hisce casibus magis expedit, ut ad dispensationem recurratur. (1)

783. — IV. *Votum suscipiendi ordines.*

1° Qui votum illud emisit, peccat graviter matrimonium ineundo, ut pro comperto est.

2° Tenetur ordines suscipere, si possit, v. g. si obtineat consensum alterius. Juxta plures tenetur religionem ingredi ante matrimonii consummationem, etiam invito altero, ut votum adimplere possit. Sed alii *probabilius* negant.

3° Inito matrimonio potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat. (2)

Quaesita:

784. — Quaer. 1° *Quinam dispensare valeant in impedimentis impedientibus?*

Resp. 1° Nemo dispensare potest, ne Summus quidem Pontifex, in impedimento ex validis sponsalibus exorto, cum hac in re de stricto justitiae debito agatur. Idem dicendum de necessitate consensus parentum, quae a jure naturali repetenda est et naturaliter cessat, si parentes injuste dissentiant.

Resp. 2° Episcopi seu ordinarii animarum pastores, jurisdictione plena in foro externo gaudentes, dispensare possunt 1° in obligatione bannorum; 2° quoad contractum per tempus feriatum, ubi consuetudo hunc quoque interdicit (1); 3° in voto castitatis temporaneae et virginitatis seu non nubendi.

Nequeunt autem dispensare: 1° quoad votum perpetuae castitatis; (2) 2° quoad votum ingrediendi religionem; 3° quoad impedimentum disparitatis cultus inter catholicos et haereticos. (3)

---

(1) Adnotat editor romanus, in praxi circumstantias ratione *aetatis, prolis forte ex matrimonio susceptae, status fortunarum, inhabilitatis quoque ad munia religiosa* ita immutatas esse posse, „ut propter materiae mutationem voti obligatio fere per se cesset, nec opus sit dispensatione".

(2) Si obligatio ducendi mulierem ob deflorationem ipsius sub promissione matrimonii *(p. 1. n. 729.)* et votum religionis etc. a viro *inscia muliere* emissum concurrant, sat probabiliter ne quidem dispensatio a voto pro illo matrimonio requiritur (nisi ad petendum debitum), quamvis votum ante deflorationem factum sit. — Cf. *S. Lig. n. 874.*; *de 7. praec. dec. n. 649.*

(1) Nequit enim episcopus tempore clauso solemnem benedictionem nuptiarum concedere. — *De Herdt, S. Lit. prax.* — Supra *n. 778. not. 4.*

(2) V. *n. 909. I. not.*

(3) Nequeunt insuper dispensare in defectu probationis status liberi (salvo indulto Apostol.). — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2320.*

Quoad facultatem vero episcopo forte concessam, dispensandi super impedimento mixtae religionis, sequentem decisionem *C. S. O. d. d. 12. Sept. 1866. (Archiv für kath. Kirchenrecht 1867. fasc. 1. p. 175.)* respice:

Quaes. Quum in dioecesi X. haereses non modo impune grassentur, sed etiam ita dominentur, ut in tota dioecesi tantum ... (minori numero) catholici ... cum (majoris partis) haereticis permixti vivant,

Hoc enim triplex impedimentum Papae reservatum est.(1)

Sanctitas Vestra saepius jam... ad quinquennium benigne mihi impertita est facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis in contrahendis matrimoniis. Sed in istiusmodi matrimoniis interdum alia adhuc impedimenta concurrunt ab Ecclesia statuta. Mihi autem.. persuasum fuit, nihil obstare, quominus concurrente impedimento mixtae religionis cum uno alterove impedimento, super quo mihi etiam dispensare licet ea delegata potestate, quam S. V. mediante *S. Congregatione de Prop. Fide* episcopis Germaniae concedere solet, adhibitis binis istis Apostolicis facultatibus valide et legitime in hujusmodi casibus dispensare valeam. Hinc ergo factum est, ut ab annis.. haec praxis constanter observata fuerit, qua tunc solummodo ab Apostolica Sede dispensatio pro singulis matrimoniis mixtae religionis implorabatur, quando simul etiam concurrebat impedimentum, de quo in praefatis quinquennalibus de Prop. Fide sermo non occurrit, nisi urgentiore causa suadente sine mora dispensandum esse censebatur vi extraordinariae indulgentiae, qua S. V. mihi pariter permittebat, pro determinato numero casuum dispensare super impedimento mixtae religionis, quamvis contrahentes se attingunt in 2°. simplici gradu etc.

Sed nunc exorta sunt dubia de isto modo agendi ac propterea humiliter supplico, ut S. V. benigne declarare velit:

1° Utrum facultas expedita per *S. C. de Prop. F.* recte et valide adhiberi possit conjunctim cum altera facultate expedita a *C. S. O.* necne, quando nimirum agitur de connubiis mixtis.

2° Et si.. quaestio haec *negative* decidenda esset, insuper supplico, ut S. V. mihi gratiosissime consulere eaque praesidia indulgere dignetur, quibus, quod minus recte actum est hucusque..., quo melius remediari possit.

Resp. Ad 1um *Negative.*

Ad 2um *R. P. D. episcopus sileat et relinquat conjuges in bona fide.*

Concedebatur praeterea oratori facultas dispensandi pro determinato numero casuum in enarratis circumstantiis, „dummodo casus adeo urgeat, ut non suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem".

(1) Dispensat vero S. Sedes in impedimentis impedientibus per Datariam, in occultis etiam per Poenitentiariam. — Cf. Const. *Pastor bonus Ben. XIV. §. 39.* et infra *n. 876.*

Resp. 3° Regulares ex suis privilegiis dispensare valent in mero foro interno 1° in voto castitatis ad tempus; 2° in voto virginitatis seu non nubendi. — *Recole dicta de privilegiis regularium in tract. de statibus n. 175.*

Quaer. 2° *An episcopus urgente necessitate et periculo incontinentiae dispensare possit in voto castitatis* (1) *ad matrimonium contrahendum?*

Resp. Affirmative, dummodo vere adsit illud periculum nec aditus ad Pontificem facile pateat. (2) — *S. Lig. n. 987.* — *Suarez* — *Sanchez* — *Navarrus etc.*

ARTICULUS II.
DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Agendum: 1° de impedimentis dirimentibus in genere; 2° de impedimentis dirimentibus in specie; 3° de dispensatione ab hisce impedimentis.

§. I.
De impedimentis dirimentibus in genere.

PROPOSITIO I.

Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta matrimonium non tantum impedientia, sed et dirimentia. De fide est.

785. — Elucet 1° ex definitione *concilii Trid. sess. 24. can. 4.: Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* — Confirmatur 2° ex ratione theologica. Ecclesia enim accepit a Christo omnem potestatem necessariam vel etiam utilem ad rempublicam christianam recte gubernandam. Atqui potestas constituendi impedimenta matrimonii est valde utilis et quidem necessaria, ut matrimonium cum honore et decentia rei tam sacrae debita a fidelibus tractetur. Ergo etc.

---

(1) *perpetuae* —

(2) V. *p. 1. n. 115. Quaer. 2°. Resp. 2°. not.*

PROPOSITIO II.

Ecclesia sola *impedimenta matrimonii dirimentia constituere potest, et consequenter* principes saeculares non possunt constituere impedimenta, *nisi ad meros effectus civiles.*

786. — 1° Probatur ex *concilio Turonensi an. 1583.*, a *Gregorio XIII.* specialiter approbato, *c. 19. de jurisdictione §. 6.*, ubi sic dicitur: „Certissimi juris cum sit, matrimoniales causas esse fori ecclesiastici ideoque earum cognitionem ac decisionem judicibus laicis a sacris canonibus omnino esse interdictam, omnibus praeterquam episcopis et eorum officialibus de iis earumque appendicibus ac circumstantiis, veluti si de conjugali adhaesione sit quaestio, cognoscere ac decidere sub anathematis poena prohibemus.“ — Collectio conciliorum. *(Labbé.)*

2° Patet ex ipso *concilio Tridentino sess. 24. can. 12.*, ubi definivit, causas matrimoniales ad judices ecclesiasticos pertinere.

3° Evincitur ex literis *Pii VI.* ad episcopum Motulensem *d. d. 17. Sept. 1788.*, quibus *expresse* declarat, talem esse sensum *can. 12. concilii Tridentini.*

4° Id confirmat ratio theologica. Cum enim matrimonium a Christo elevatum sit ad dignitatem sacramenti, necessario soli potestati spirituali subjicitur. Et quamvis in matrimonio distinguatur ratio contractus et ratio sacramenti, integrum tamen matrimonium ad sacramentum pertinet, cum contractus sit ipsius materia et disjungi a ratione sacramenti inter christianos non possit. Alioquin vero sequerentur maxima incommoda ex conflictu potestatis, si duae potestates ab invicem independentes impedimenta matrimonii constituere possent; quod enim una aedificaret, destruere posset altera.

Nota: Impedimenta dirimentia *directe* et *primario* ipsum contractum matrimonialem afficiunt, illumque nul tum reddunt ob defectum cor solute requisitae ad valide coı *Indirecte* autem et *secundaı* ipsum sacramentum, quatenı sublato contractu, eo ipso mı menti deficit. Sequitur ex d

Quaesita:

787. — Quaer. 1° *A mentum invincibiliter ign ritet matrimonium cum ü ctum?*

Resp. Affirmative. Rati lex tale impedimentum habet pro objecto ipsumn ctum irritandum, et proin ctum semper irritat indep cognitione et voluntate co Leges enim irritantes effec in omni casu sortiri deben num generale absolute obst cetur de impedimento cla tis (²), quod cessat, si saev secutione sacerdotes idonei stendum matrimoniis haber sunt, ut suo loco dicetur. — *n. 525.* et *alii communiss*

Hinc, si contracto matri lier certo detegat impedime mens, vi cujus nullum fue monium, debitum petere nec reddere, etiamsi ad id tione mortis cogeretur, qui ctio fornicaria esset, quae casu licita est. Excipiunt nisi mulier mere passive se ita ut omnino materialite cooperaretur; sed neque ho

(¹) Quoad *subjectum* imped dirimentium succincte addimus Catholici omnibus impedim jacent.

Idem dicendum de acatholi zatis. — *P. 1. n. 92. 5°.* tamen quoad impedimentum el tatis. — Cf. *n. 841.*

Non-baptizati tandem solum pedimentis ex jure naturali et d venientibus ligantur. — Cf. *grueber l. 4. tit. 1. n. 375. et* sub eodem tit. plura etiam de statuendi impedimenta disserit). - *de matr. §. 11.*

(²) *n. 840. Q. 4°.*

(³) V. *n. 843.*

potest, cum de re intrinsece mala agatur, nisi, juxta sententiam probabilem, mulier metu mortis ad id cogatur, secluso tamen consensus periculo. — Recole dicta *p. 1. n. 21.* 2°. et *n. 390. Q. 3°.*

788. — Quaer. 2° *An etiam incurrantur,* licet ignorata, *impedimenta, quae videntur habere rationem poenae, ut impedimentum criminis?*

Resp. Affirmative. Ita *communius* cum *Lacroix n. 525.* — Ratio est, quia illa impedimenta habent *primario* et *principaliter* rationem vinculi, et *secundario* tantum rationem poenae, et consequenter semper incurruntur, quamvis ignorantia excuset a poena juxta communem sententiam, ubi agitur de lege mere prohibente.

Quaer. 3° *An leges Ecclesiae constituentes impedimenta dirimentia urgeant etiam in casu gravissimi incommodi, v. g. periculi mortis etc.?*

Resp. Affirmative, quia ex dictis ignorantia, etiam omnimoda, habilem facere nequit ad matrimonium illum, qui per legem inhabilis factus est. Ergo multo minus metus damni etc. Hinc, si quis contraxit impedimentum v. g. affinitatis cum sponsa sua de futuro ob fornicationem cum ejus sorore et superiores in hoc impedimento dispensare nolint, ex nulla causa vel metu illam ducere potest. (¹)

789. — Quaer. 4° *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio seu probabili?*

Resp. 1° *Affirmative probabilius* in dubio seu probabilitate *juris ecclesiastici* (²), quia Ecclesia merito censetur hujusmodi matrimonium ratum habere, si forte impedimentum ipsum adesset. Etenim Ecclesia supplere censetur defectum contractus de jure canonico irriti, sicut et jurisdictionis defectum supplet, quoties communiter doctores ut probabile tenent, eam supplere, juxta dicta in sacramento poenitentiae de errore in materia jurisdictionis *n. 548. et seq.* Atqui opinio docens, Ecclesiam supplere, est generaliter ut probabilis recepta ab innumeris doctoribus, qui ei suffragantur, licet eidem nonnulli adversentur. — Ita *Lacroix n. 534. et seq.* — *S. Lig. n. 901.* et *alii communiter.*

Resp. 2° *Negative,* si agatur de probabilitate *juris divini* aut *naturalis,* v. g. in impedimento ligaminis vel impotentiae, quia tunc Ecclesia defectui probabili supplere nequit, cum impedimentum illud ab Ecclesia non pendeat. Matrimonium igitur sic contractum dubium remaneret; proinde non licet umquam sacramentum recipere cum tali dubio de ejus valore.

Resp. 3° *Negative* etiam, si agatur de probabilitate *facti.* Ratio est, quia Ecclesia in hujusmodi probabilitate non praesumitur dispensare. Opinio enim contraria communiter non est recepta ut probabilis et aliunde nimia sequerentur incommoda, si contracto matrimonio error detegeretur. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 902.* (¹)

(¹) Cf. supra *n. 771.*

(²) modo haec probabilitas indubia sit — *S. Lig. n. 901.*

(¹) Ad quaesitum, an et quomodo a judice ecclesiastico permittenda aut prohibenda sint matrimonia in dubio de existentia alicujus impedimenti, *S. C. C. 18. Sept. 1852.* respondit: *Consulat probatos auctores et in casibus gravioris dubii recurrat ad S. Sedem, saltem ad cautelam.* — *Anal. J. P. ser. 1. col. 687. §. I. 1.* Hinc in dubio probabili, praesertim facti, petatur dispensatio ad cautelam. (Cf. *n. 863.*) Ceterum parochi et confessarii generatim in casibus difficilioribus et implicatis ad matrimonium spectantibus episcopum consulant, cujus est resolvere, quid expediat. „Non enim sunt causae matrimonii tractandae per quoslibet, sed per judices.., qui potestatem habeant judicandi etc." — *C.* Ex literis (1.) *de consanguinitate (IV. 14.)*

In dubio de impedimento impedienti autem simpliciter principia de conscien-

790. — Quaer. 5° *An liceat conjugibus uti matrimonio, si post nuptias initas*(¹) *dubium*(²) *de aliquo impedimento oriatur?*

Resp. 1° *Negative,* donec facta fuerit inquisitio sufficiens de veritate. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum petere, debet illud reddere alteri in bona fide versanti. — *S. Lig. n. 903.*

Resp. 2° *Affirmative,* si, adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, dubium adhuc remaneat, quia in dubio standum est pro valore actus. — *Ita communiter* contra *paucos.* — *S. Lig. n. 904. etc.*

791. — Quaer. 6° *An valeat matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non exsistenti?*

Resp. 1° Si contrahens non sit omnino certus de impedimento seu aliquo modo dubitet de illo, validum est matrimonium. — *Ita communiter* cum *Lacroix n. 531.* Ratio est, quia contrahit saltem conditionate, nempe *in quantum possum,* quamvis ad conditionem illam non reflectat; ergo, non exsistente impedimento, consensus jam adest absolutus.

Resp. 2° Si contrahat cum certitudine impedimenti, parvi pendens impedimentum, ita ut statuat vivere in concubinatu, certum est, invalidum esse matrimonium. Ratio est, quia tunc voluntas contrahendi matrimonium non est praedominans.

Resp. 3° Si contrahat quidem cum certitudine impedimenti, sed dolens de impedimento et non audens illud aperire, ne impediatur matrimonium vel ne infametur aut ex inadvertentia aliqua, *controvertitur. Probabilius* valet matrimonium ob voluntatem praedominantem illud contrahendi. — V. *Lacroix ibid.* — Attamen *ad cautelam* in praxi inducendus foret ad consensum renovandum.

ERRORES A PIO IX. DAMNATI
circa matrimonium ejusque impedimenta.

792. — Inter acta *Pii IX.* multa reperiuntur circa matrimonium, ex quibus praecipua referre juvat.

I. In damnatione et prohibitione operum *Nuytz* sic de isto impio auctore loquitur in brevi *Apostolicae Sedis d. d. 22. Aug. 1851.:*

„... Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur:

Nulla ratione fieri posse, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti;

Matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse;

Jure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile;

Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere, qua impedimenta exsistentia tollenda sint;

Causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere;

Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse non jure proprio, sed illo jure usam, quod a civili potestate mutuata erat;

Tridentinos canones *(sess. 24. de matrim. can. 4.),* qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos;

Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare, ubi lex civilis aliam formam praestituat et velit, hac nova forma interveniente matrimonium valere;

---

tia dubia et probabili applicentur, cum agatur de solo licito vel illicito. — *Heiss, de matr. §. 12.*

(¹) Qui enim cum dubio de impedimento dirimenti *illicite* (cf. *num. praeced.*) matrimonium celebravit, juxta communiorem sententiam debitum *petere* nequit, antequam de non-exsistentia illius impedimenti certior factus sit vel dispensationem obtinuerit (excepto casu sub *n. 856. 2°.* in *nota*). Patet ex iis, quae diximus de possessore dubiae fidei. — Cf. *S. Lig. n. 906.* — *Sanchez, de matrim. l. 2. disp. 42.* Nihilominus *S. Lig. (ib.* et *Hom. Ap. tr. 18. n. 37.)* etiam oppositam sententiam satis probabilem censet, modo dubium non versetur circa mortem prioris conjugis. — Cf. c. Dominus (2.) *de secundis nuptiis (IV. 21.)*

(²) *probabile et discretum* — *C.* Inquisitioni (44.) *de sent. excomm. (V. 39.)*

Bonifacium VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse."

793. — II. In allocutione *d. d. 27. Sept. 1852.* circa res reipublicae Neogranatensis *(Nouvelle Grenade)* sic ajebat:

„... Cum nemo ex catholicis ignoret „aut ignorare possit, matrimonium esse „vere et proprie unum ex septem evan„gelicae legis sacramentis, a Christo Do„mino institutum, ac propterea inter „fideles matrimonium dari non „posse, quin uno eodemque tem„pore sit sacramentum, atque id„circo quamlibet aliam inter christianos „viri et mulieris praeter sacramentum „conjunctionem, cujuscumque etiam legis „civilis vi factam, nihil aliud esse, nisi „turpem atque exitialem concubinatum, „ab Ecclesia tanto tempore damnatum, „ac proinde a conjugali foedere sa„cramentum separari numquam „posse, et omnino spectare ad Ecclesiae „potestatem, ea omnia decernere, quae „ad idem matrimonium quovis modo pos„sunt pertinere...."

§. II.

De impedimentis dirimentibus in specie.

794. — Impedimenta matrimonium dirimentia quindecim numerantur, his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

De singulis seorsim sermonem instituemus.

PUNCTUM I.

De impedimento erroris et conditionis.

Duplex error relate ad matrimonium distinguitur, scilicet 1° error *substantialis,* qui versatur circa ipsam personam matrimonio copulandam; 2° error *accidentalis,* qui personae qualitates afficit. — Conditio autem intelligitur *servilis,* ab altera parte ignorata.

Principia:

795. — I. Omnis error circa *personam* matrimonium efficit nullum de jure naturali, etiamsi error esset omnino invincibilis(1). Ratio est, quia ex parte contrahentis tollit voluntarium circa objectum contractus, et proinde hic irritus efficitur.

II. Error circa *qualitates* personae, qualiscumque sit(2), *per se* non irritat matrimonium. Ratio est, quia error circa qualitates non cadit in objectum contractus; objectum enim istud est ipsamet persona, quacum contrahitur, ut modo dictum est, non vero ipsius qualitates.(3) Excipe:

---

(1) vel concomitans vel crassissimus. — *S. Lig. n. 1010.* Excipe: si quis cum praesente muliere, quaecumque demum sit, actualiter contrahere intendat. — *Scav.*

(2) etiam si dedit causam contractui — *S. Lig. n. 1012.*

(3) Rationem solidam, cur validus consistere debeat contractus matrimonii, etiamsi error circa qualitates antecedenter se habeat et det causam contractui, habes penes *Molinam (de just. et jur. tr. 2. disp. 259. n. 8.* et *disp. 252. n. 5.)* et *Sanchez (de matrim. lib. 10. disp. 9. n. 20.)*, clarius autem apud *Lugo (de justitia et jure disp. 22. n. 88.)* ita disserentem: „Ego imprimis de contractu matrimonii atque etiam de professione religiosa vel votis constituentibus statum religiosum, qualia sunt vota simplicia nostrae societatis, dicendum puto, quod, si error vel dolus non versetur circa substantiam, etiamsi det causam contractui, non reddit illum irritum nec irritandum.... Ratio autem est, quia in iis, quae constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas juxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, sed omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus praeter eas, quae sunt de substantia ejusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones, atque adeo ipse status, quod non est juxta naturam rei, de qua agitur. Quidquid igitur sit de aliis contractibus, in

nisi qualitas *explicite* velut conditio *sine qua non*, ut ajunt, intendatur(1).

III. Error circa *conditionem servilem*(2) compartis dirimit matrimonium de jure ecclesiastico, ut constat ex tit. *de conjugio servorum (IV. 9.)*. Hoc impedimentum raro locum habet in Europa, ubi servitus fere exstincta est.

Resolves:

796. — 1° Si quis putet contrahere nuptias cum Anna, et ducat Agatham, invalidum est matrimonium. Secus, si putans ducere puellam nobilem, divitem, virginem, pacificam, econtra plebejam, pauperem, corruptam, rixosam duceret.

2° Validum est matrimonium, si quis ducat viduam putans ducere coelibem, etiamsi per fraudem in hunc errorem inductus fuerit; nam fraus inducit quidem obligationem reparandi injuriam, non autem efficit, ut consensus non versetur circa substantiam rei, de qua agitur. Imo hoc valet, licet certo contrahere noluisset, si prius eam viduam esse novisset; non enim ad id, quod forte vel etiam certo facturus fuisset, sed ad id, quod reapse fecit, attendendum est.

3° Valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se jactat nobilem et bonorum multorum possessorem idque falsis testimoniis probat. Sed mulier illa non tenetur cum ipso cohabitare et divortium perpetuum quoad torum et habitationem statim facere potest. — *S. Lig.* et *alii omnes.*

---

iis omnino dicendum est, non irritari ex dolo etiam dante causam contractui, dummodo non versetur circa substantiam." Incommoda autem *matrimonii*, ut ait *Lugo*, *incerti* sic *Schmalzgrueber (lib. 4. tit. 1. n. 447.)* indicat: „Si talis error matrimonium vitiaret, plurima matrimonia magno prolium, maximo reipublicae damno et scandalo publico dissolverentur, cum saepissime interveniat error circa qualitatem in matrimoniali contractu." — V. etiam *S. Lig. n. 1012.* (Not. edit. rom.)

(1) vel si error qualitatis in ipsam personam redundet, i. e. si contrahens primario non cum persona praesenti, sed cum persona per aliquam qualitatem *individualiter* determinata contrahere intendat. Hinc *Illsung tr. 6. dist. 9. n. 68.*: „Error qualitatis redundat in personam, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personae, ut si velles contrahere cum primogenita, et tibi sisteretur secundogenita. Si autem hanc, quacum contrahis, tantum putas esse primogenitam et tua intentio non fertur in illam, quatenus est primogenita, non fuit error in personam."

Aliquas causas huc facientes cum decis. *S. C. C.* v. *Act. vol. 1. fasc. 5. p. 257.* (quae causa etiam in *Anal. J. P. ser. 6. col. 2305.* refertur) et *fasc. 6. p. 371. et seq.*, ubi *p. 377.* quoad conditiones ea etiam auctorum regula innuitur, in foro saltem externo standum esse pro matrimonii validitate, nisi conditio expressa fuerit in ipsa matrimonii celebratione.

(2) supposito, quod contrahens sit liberae conditionis, altera vero pars servus vel serva *stricte dicta* (quae scilicet totaliter sub potestate domini sui est) et contrahens hanc circumstantiam ignoraverit, probabilius etsi ignorantia fuerit crassa — *S. Lig. n. 1017. et seq.*

PUNCTUM II.

De impedimento voti et ordinis.

797. — I. Votum dirimens matrimonium est solum votum solemne castitatis(1) per professionem in religione approbata factum.(2) Votum enim simplex castitatis etiam perfectae et perpetuae matrimonium non dirimit, sed tantum impedit juxta superius dicta *n. 780.*(3)

---

(1) Dicitur votum *castitatis*, non vero *religiosum*, quia ideo et eatenus professio religiosa matrimonium dirimit, quatenus solemne votum castitatis includit. Non dirimunt ergo matrimonium vota, utut solemnia, quorumdam ordinum equestrium, quae profitentur tantummodo castitatem conjugalem. — V. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 6. n. 45.* (Not. edit. rom.)

(2) Dissolvit matrimonium ratum et matrimonium contrahendum.

(3) Excipe votum simplex castitatis in societate Jesu post biennium novitiatus emissum, quod irritat matrimonium contrahendum, nisi post dimissionem

II. Ordo autem matrimonium dirimens(1) est ordo sacer, nempe presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus.

De utroque hoc impedimento constat ex *concilio Later. I. et II.*, atque ex *Trid. sess. 24. can. 9.*: *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere contractumque esse validum non obstante lege ecclesiastica vel voto,... anathema sit.* (2)

Quaesita:

798. — Quaer. 1° *Quonam jure praedicta impedimenta matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Cum solemnitas *voti* sit juris ecclesiastici, eo ipso Papa dispensare potest, dummodo sit causa sufficiens ad dispensandum ab ipso voto.

Resp. 2° Impedimentum *ordinis* dirimit tantum jure ecclesiastico juxta sententiam communem. Ratio est, quia ex una parte ordo *per se* non repugnat cum statu conjugali, nec adest ex altera parte prohibitio ulla divina, quae in scripturis aut in traditione inveniatur.(3) — *S. Lig. n. 1059.*

Quaer. 2° *Quaenam conditiones requirantur, ut votum solemne et ordo matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Quoad *votum*, debet esse emissum 1° voluntarie et deliberate; — 2° cum vera intentione se obligandi(1); secus enim votum validum non foret.

Resp. 2° Quoad *ordinem* requiritur: 1° ut sit susceptus valide; — 2° ut sit susceptus voluntarie. — *Ita omnes.*(2)

PUNCTUM III.

De impedimento cognationis.

Cognatio triplicis generis distinguitur, scilicet 1° *naturalis;* — 2° *spiritualis;* — 3° *legalis.* De singulis seorsim.

SECTIO I.

De cognatione naturali.

799. — Cognatio *naturalis* seu consanguinitas est propinquitas personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium, quod scilicet exsurgit ex unitate et participatione ejusdem sanguinis.

Tria sunt in consanguinitate distinguenda, scilicet: 1° *stipes* seu persona, ex qua aliae ducunt originem; — 2° *gradus* seu mensura distantiae unius personae ab altera; — 3° *linea* seu series personarum ab eodem stipite descendentium.

Linea duplex est: alia *recta* et alia *collateralis* seu *transversalis.* Prior est series personarum, quarum aliae ab aliis descendunt vel *immediate,* ut filii a parentibus, vel *mediate,* ut nepotes ab avis vel a proavis etc. Posterior vero est series personarum, quae, licet stipitem communem habeant, aliae tamen ab aliis non descendunt, ut sunt fratres, consobrini etc.

Linea collateralis est *aequalis* vel *inaequalis,* prout consanguinei aequaliter vel inaequaliter a communi stipite distant, ut infra explicabitur.

Statuenda:

800. — I. Consanguinitas in *linea recta* matrimonium dirimit *indefinite*

---

dictate celebretur. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 11. n. 29.*

(1) Dirimit vero solummodo matrimonium contrahendum.

(2) Cf. etiam supra *n. 44.* Addendum tamen, sat certum videri, uxorem, cujus maritus, ipsa consentiente, ordine aliquo sacro initiatus est, ipso mortuo invalide matrimonium contrahere, etiamsi votum castitatis non emiserit. — V. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 16.* — *Sanchez, de matrim. l. 7. disp. 40.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 6. n. 40. et seq.*

(3) V. etiam *n. 40.*

(1) in genere: debet esse emissum in professione valida.

(2) Cf. etiam *n. 42. Q. 4°.*

in quocumque gradu, saltem de jure positivo. — Constat ex jure can. in *resp. Nicolai I. ad Bulgaros c. 37.*

II. Consanguinitas in *linea collaterali* matrimonium dirimit usque *ad quartum gradum inclusive,* et non ultra. — Constat ex *concilio Later. IV.* et ex variis locis juris canonici.

III. Consanguinitas matrimonium dirimit etiam inter eos, qui ex eodem patre tantum vel ex eadem matre nati sunt; item inter consanguineos ex illegitimis natalibus generatos. Ratio est, quia diversitas patris aut matris vel illegitimitas non impedit, quominus carnalis consanguinitas inter eos exsistat.

Regulae ad gradus consanguinitatis computandos.

801. — I^a *Regula.* In linea recta *tot numerantur gradus, quot personae, stipite dempto,* seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc inter patrem et filium unicus est gradus, quia unica est generatio seu unica filii persona, secluso patre utpote stipite. Inter nepotem et avum duo gradus numerantur, quia duae sunt generationes, licet tres interveniant personae, nempe avus, pater et ejus filius seu nepos respectu avi. Ponas pariter proavum vel abavum, et tres vel quatuor gradus habebis.

II^a *Regula.* In linea collaterali aequali *tot sunt gradus, quot sunt personae in una parte, stipite dempto.* Hinc frater et soror sunt in primo gradu. Etenim, si stipes communis seu pater seponatur, remanet unica persona ex utraque parte, et cum singuli distent uno gradu a stipite, etiam unico gradu inter se distant. — Pariter patrueles seu duorum fratrum filii distant singuli duobus gradibus a stipite communi seu ab avo suo, et proinde consanguinei sunt inter se in secundo gradu. Sic etiam de aliis dicendum est.

III^a *Regula.* In linea collaterali inaequali *tot sunt gradus, quot personae in parte remotiori, semper stipite dempto.* Hinc, si unus distet a communi stipite duobus gradibus et ejus consanguinea tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, juxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Bertha consanguinea erit in secundo gradu cum patruo seu fratre patris sui, quia distat duobus gradibus ab avo suo, stipite communi, licet patruus ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius seu frater patris Berthae. Sic etiam de aliis quibuscumque statuendum.

Nota: Ad gradus juxta *jus civile* computandos desumitur numerus seu summa omnium personarum in qualibet linea, stipite dempto. Proinde in *linea recta* eodem modo computantur ac gradus canonici: in *linea collaterali aequali* gradus canonici duplicantur; in *linea collaterali inaequali* duplicatur linea minor et additur excessus majoris. (1)

Quaesita:

802. — Quaer. 1° *Quo jure consanguinitas in praedictis gradibus matrimonium dirimat?*

Resp. 1° Certum est, consanguinitatem *in linea recta* dirimere de jure naturali in primo gradu, et *probabilius* etiam in ceteris gradibus *indefinite* juxta quorumdam theologorum sententiam. Ceterum casus a praxi longissime distat, ut patet.

Resp. 2° *Quoad lineam collateralem:* 1° in primo gradu *probabilius* dirimit jure naturali aut saltem divino positivo, cum Ecclesia numquam dispenset, ut fratres et sorores conjungi valeant, atque infideles ipsi hujusmodi nuptias detestentur; (2) 2° in aliis gradibus jure ecclesiastico dirimitur juxta omnes, ut deducitur ex praxi Ecclesiae, quae ab iis frequenter dispensat.

---

(1) Valet computatio civilis solummodo quoad effectus civiles consanguinitatis, v. g. pro haereditatibus etc. — *Scav.*

(2) De diversis sententiis quoad lineam rectam et lineam collateralem in 1° gradu

Quaer. 2° *Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis?*

Resp. 1° Si cognitus sit stipes communis, scribas illius nomen in charta, et infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usquedum pervenias ad eas personas, quae connubio jungendae sunt: facile inde gradus computabis.

Resp. 2° Si incognitus sit stipes, sic procedas: Scribas in inferiori parte chartae vel tabulae nomen sponsi ad unum latus et nomen sponsae ad alterum; dein adnotes supra nomen sponsi nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, ut aliqua intersit cognatio cum sponsa; idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione adscendas ex una parte et videas, utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. Hinc, postquam inveneris simulque animadverteris, utrum sponsi sint in linea aequali vel inaequali, applices tandem regulas jam propositas, et resolutio dubii patebit. Pro quibus sit sequens exemplum:

Abavus.
Didacus Noël.

Proavia.	Proavus.
I. *Julia Noël, uxor Titi Pascal.*	I. *Arthur Noël.*
Avus.	Avus.
II. *Maevius Pascal.*	II. *Maurus Noël.*
Pater.	Pater.
III. *Paulus Pascal.*	III. *Hector Noël.*
Sponsus.	Sponsa.
IV. *Petrus Pascal.*	IV. *Maria Noël.*

In hoc exemplo *Petrus Pascal* et *Maria Noël* sunt consanguinei in quarto gradu aequali. Si vero *Maria Noël* immediate descenderet a *Mauro Noël*, *Arthur Noël* esset ejus avus et *Didacus Noël* ejus proavus, et proinde consanguinei forent in *quarto gradu* quidem, sed *attingente tertium.*

803. — Alia etiam methodus indicatur ad gradus cognationis dignoscendos, scilicet cum *tabella genealogiae* seu *arbore consanguinitatis.* Inspice tabellam (in pag. seq.) et vide, in qua linea et in quibus cellulis reperias personas, de quarum cognatione dubium est, et attende, quot gradibus distent a stipite communi. *Exemplum:* Quaeris v. g., in quali gradu Titius sponsus sit respectu Berthae sponsae, cum jam scias, avum prioris fuisse fratrem proavi posterioris. Pone Titium in cella media N.; adscende ad ejus avum; frater ejus ad dextrum latus in cella, ubi notatur patruus, erit proavus Berthae; descende per lineam rectam illius numerando avum, patrem et sponsam ipsam: hinc stipes communis erit ille, qui reperitur in cella tertia superiori lineae mediae. Sic numerabis tres gradus ex parte sponsi, et quatuor ex parte sponsae; hinc concludes, esse consanguineos in quarto gradu attingente tertium.

Finge alia quaevis exempla similia, alterutrum e sponsis in qualibet cella sive media, sive ad unum latus supponendo et ad stipitem communem adscendendo, ut inde ad alterum sponsum descendas; sed minime attendas ad nomina, quae in variis cellis occurrentibus reperies, quia pro cella electa omnia variabunt, ut patet.

Nota: Consanguinitas inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri potest, et tunc est duplex vel multiplex sanguinis propinquitas seu impedimentum in petitione dispensationis aperiendum; v. g. si duo fratres duas foeminas sibi consanguineas ducant, liberi ex utroque matrimonio provenientes dupliciter inter se consanguinei erunt, et haec circumstantia necessario declaranda est.

---

cf. v. g. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 14. n. 20. et seq.; S. Lig., de poenit. n. 470. etc.*

GRADUS CONSANGUINITATIS.



Nota: 1° Personae, quae tractu conjunguntur, sunt inter se in linea recta, cum ceteris in linea collaterali.

2° Ubi lineae conjunguntur, ibi stipes habetur.

804. — Quaer. 3° *Quinam sint consanguinei collaterales?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

1° *Ex parte patris.*

Propatruus seu frater proavi *(grand oncle)*.

Proamita seu soror proavi *(grande tante)*.

Patruus magnus (sive major), frater avi *(frère de l'aïeul)*.

Amita magna, soror avi *(soeur de l'aïeul)*.

Patruus, frater patris *(oncle paternel)*.

Amita, soror patris *(tante paternelle)*.

Patrueles, filii fratrum ex parte patris *(cousins-germains paternels)*.

2° *Ex parte matris.*

Proavunculus, frater proaviae *(grand oncle)*.

Promatertera, soror proaviae *(soeur de la bisaïeule)*.

Avunculus magnus, frater aviae *(grand oncle maternel)*.

Matertera magna, soror aviae *(grande tante maternelle)*.

Avunculus, frater matris *(oncle maternel)*.

Matertera, soror matris *(tante maternelle)*.

Consobrini, filii fratrum ex parte matris *(cousins-germains maternels)*.

3° *Ex utraque parte.*

Amitini, filii fratrum *(cousins-germains)*.

Sobrini, horum filii *(cousins issus de germains)*.

Nepotes *(vox parum usitata, basse latinité)*, filii fratrum *(neveux)*.

Pronepotes, horum filii *(arrières-neveux)*.

SECTIO II.

De cognatione spirituali.

Cognatio *spiritualis* est propinquitas quaedam, quae ex statuto Ecclesiae oritur ex administratione et susceptione baptismi vel confirmationis inter certas personas in jure canonico determinatas.

Principia:

805. — I. Cognatio *spiritualis* dirimit matrimonium *de jure ecclesiastico* 1° inter ministrum sacramenti et subjectum hujusque genitores; 2° inter patrinum vel matrinam et filiolum vel filiolam eorumque genitores. — Sic ex *concilio Trid. sess. 24. c. 2. de reform. matr.* (1) Hinc duo specie tenus versiculi, memoriae tamen juvandae perutiles, exhibentur:

Baptizans, baptizatus baptizatique parentes;
Levans, levatus levatique parentes.

Nota: Has inter personas contrahitur cognatio spiritualis ex confirmatione non secus ac ex baptismo. Verum in plerisque locis patrini in confirmatione non amplius adhibentur. (1)

II. Plures conditiones requiruntur, ut patrini cognationem spiritualem contrahant, scilicet 1° ut sint baptizati: secus enim Ecclesiae non subjicerentur; 2° ut sint rationis compotes, quia secus non forent muneris patrini capaces; 3° ut designati fuerint a parentibus vel etiam a parocho ipsorum loco vel defectu; (2) 4° ut baptismus fuerit validus. (3)

---

(1) Haec cognatio inter baptizantem vel confirmantem et baptizatum vel confirmatum, item inter patrinum et baptizatum vel confirmatum *paternitas* communiter vocatur; ea autem inter administrantem sacramentum vel patrinum ex una, et parentes baptizati vel confirmati ex altera parte *compaternitas*. — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 11. n. 21.*

Aliqui praeter vocabula *paternitas* et *compaternitas* etiam vocabulis *filiatio spiritualis* et *commaternitas* utuntur. — *Ferraris ad v.* Imped. matrim. *art. 1. n. 55.*

(1) Cf. *n. 271. Q. 4°. not. 3.*

(2) Patrinos designare spectat per se ad parentes vel eos, qui eorumdem locum tenent; qui si nullum designaverint, veri patrini erunt, quos parochus (et in confirmatione episcopus — *S. Lig., de confirm. n. 185.*) nominaverit, cum ejus sit providere, ut omnia circa patrinos rite peragantur. — V. *Ferraris, Pr. Bibl. ad v.* Baptismus *art. 7. n. 13. et seq. etc.* Quodsi alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt. — *Conc. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 2.*

Eam vero contrahent, quotquot sunt, si vel omnes a parentibus designati fuerint vel, nemine designato, unus vel plures ad hoc munus se ingesserint, et a parocho admissi fuerint, saltem si simul baptizandum tangant. — *Sanchez, de matrim. l. 7. disp. 57. n. 13. et seq.* — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 712.* — *S. Lig., de bapt. n. 154.*, qui censet contra *alios, v. g. Sanchez l. c. n. 20.*, eum cognatum fieri, qui tangit baptizandum, dum patrini designati id omittunt.

(3) Adde 5° ut habeant intentionem hoc munus gerendi; — *S. Lig., de bapt. n. 146.* — Supra *n. 250.* — 6° ut baptizandum tangant. — Cf. *n. 806. 6°.*

In patrino confirmationis praeter easdem conditiones etiam confirmatio exigitur. — *S. Lig., de confirm. n. 186. Dub. 2.*

Resolutiones vero sub *n. 806.* etiam pro patrino confirmationis valent, in quantum quoad ipsum verificari possunt.

Resolves:

806. — 1° Patrinus et matrina matrimonium inter se inire possunt, non vero cum patre vel matre baptizati.

2° Non contrahunt cognationem spiritualem, qui officium patrini et matrinae exercent in supplendis baptismi solemnitatibus, nec qui nomine tantum alterius baptizatum de sacro fonte suscipiunt. (1)

3° Contrahunt veram cognationem spiritualem patrini a parentibus designati et injuste a parocho reprobati, si infantem reapse teneant; secus, si a parocho juste rejicerentur. — *S. Lig., de bapt. n. 154.*

4° Vir, qui puellam in casu necessitatis et privatim baptizavit, neque ipsam, neque ejus matrem ducere potest. — *Ita communiter.* — *S. Lig., de bapt. n. 149.*

5° *Probabilius* autem non videntur hanc cognationem contrahere patrini in baptismo privato adhibiti. (2) Ratio est, quia in *concilio Trid.* de iis tantum patrinis, qui in baptismo solemni adhibentur, sermo est, cum pro baptismo privato nulli requirantur. — Ita *communius* cum *S. Lig., de bapt. n. 149.*

6° Patrini cognationem spiritualem contrahere non videntur, nisi baptizatum physice tangant, saltem exiguo temporis momento, quia secus proprie eum de sacro fonte suscipere non censentur; omnes enim textus juris can., quibus spiritualis cognatio statuitur, hisce verbis efferuntur: *qui suscipit, tenet, levat, tangit etc.* (1) — *S. Lig., de bapt. n. 148.* et *alii communiter.* (2)

7° Parentes baptizantes filios in necessitate vel bona fide nullam contrahunt spiritualem cognationem, quia

---

(1) Decisiones *S. C. C.* v. *Anal. J. P. ser. 8. col. 1732. n. 215. et seq.*

Licet porro ad munus patrini non possint admitti duo ejusdem sexus, possunt tamen admitti, si unus teneat proprio nomine et alter ut procurator alterius personae diversi sexus. Sic declaravit *S. C. C. in Veronens. d. d. 29. Mart. 1582.* — *Ferraris ad v.* Baptismus *art. 7. n. 19.*

Qui munus patrini gerit in iteratione baptismi sub conditione, contrahitne hanc cognationem? — *R.* Cum hic agatur de impedimento dubio ob dubium de exsistentia vel valore prioris baptismi, quoad hoc dubium regulas sub *n. 789.* relatas applicari debere censemus. — Ceterum cf. *S. Lig., de bapt. n. 151.* — *Sanchez, de matr. l. 7. d. 62. n. 6. 7.* — *Anal. J. P. ib. n. 218. 222.* In praxi autem curetur, ut in utroque baptismo iidem patrini adsistant. — *Scav.*

(2) Omnino *affirmandum*, patrinos etiam in baptismo privato cognationem spiritualem contrahere. — Constat ex sequ. decisione:

Quaer. An dispositio concilii c. 2. *sess. 24. de ref. matr.*, decernens, in sacramento baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti, habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto?

Resp. S. C. C. d. d. 5. Mart. 1678: Affirmative.

Plura v. *Anal. J. P. ser. 8. col. 1707. et seq.*

(1) Cf. v. g. *Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 2.*

(2) Munus patrini in eo proprie consistit, ut baptizatum e fonte baptismali suscipiat. — Cf. *Archiv für kath. Kirchenrecht 1866. fasc. 2. pag. 217. et seq. coll. p. 271.* Cum autem hodie baptismus per immersionem non conferatur, sufficit, si patrinus infantem inter baptismum tenet aut tangit, dummodo tactus non fiat cum solo digito vel sit momentaneus tantum, quia tunc dici non posset, patrinum *tenuisse etc.* infantem. Non requiritur autem, ut baptizandus patrino a baptizante tradatur. Sufficit item, quando sacerdos, dum baptizat, ipse forte infantem tenet, si patrinus baptizatum statim post baptisma collatum immediate de manibus baptizantis suscipit, imo, si baptizandum immediate praesentat sacerdoti eo fine, ut illum baptizet. — *Giraldi, Expos. Juris Pont. p. 1. sed. 712.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 11. n. 38. 39.* — *S. Lig., de bapt. n. 148. Q. 1.* — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1732. n. 217.* — Supra *n. 250. II. 3°.*

Quoad tactum in confirmatione *Lig., de bapt. n. 148. Quaer. 1. v. d. confirm. n. 187.* — *Sanchez, de matr. l. 7. disp. 56. n. 5.*

ohibitio usus conjugii rationem ha-
t poenae, quae sine culpa non in-
rritur. — *S. Lig., de bapt. n. 150.*
ıo nec *probabilius* videntur cogna-
ınem contrahere, etiamsi ex indu-
ia, seclusa necessitate, prolem ba-
izarent.(1) — *S. Lig. ibid.*

SECTIO III.

De cognatione legali.

807. — Cognatio *legalis* est pro-
ıquitas personarum(2), quae oritur
adoptione legali. Duplex distin-
itur adoptio:

1° *Perfecta,* qua persona sui juris
ma legali transit in potestatem et
niliam adoptantis, et omnia filii
ıitimi jura acquirit.(3)

2° *Imperfecta,* qua persona extra-
a, quae sui juris non est, adsumi-
r in filium vel nepotem, non tamen
ınsit in adoptantis familiam et po-
ıtatem, ac propterea non fit hujus
eres necessarius ex testamento, licet
succedat ab intestato.(4)

Principia:

. Cognatio *legalis* seu adoptio
ıtituit impedimentum dirimens de
ecclesiastico, quamvis de jure
ıno prius stabilitum fuerit. Erui-
ex *resp. Nicolai I. ad Bulga-*
tc.(5)

II. Cognatio *legalis* ad similit
nem cognationis naturalis ex jure
mano matrimonium dirimit inter
quentes personas, scilicet:

1° Quasi in linea recta inter a
optantem et adoptatum et ejus filic
dum sunt sub paterna potestate co
stituti. 2° Inter adoptatum et filic
adoptantis, quasi in linea collaterali
dum hujus filii sub paterna potestat
versantur. 3° Inter adoptantem et
uxorem adoptati, ac vicissim inter
adoptatum et uxorem adoptantis, quasi
in linea recta per modum affinitatis,
ut constat ex declaratione *S. C. C.*
in Hortana d. d. 25. Sept. 1734.(1)

Quaesita:

808. — Quaer. 1° *An cognatio legalis matrimonium dirimat usque ad 4um gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut vice versa?*

---

ndubie parens, qui etiam in neces-
et privatim prolem suam *illegiti-*
aptizat, hac cognatione devincitur.
raris ad v. Baptismus *art. 7. n.*
erum cf. infra *notam* ad *n. 909. I.*
tranearum —
ıcatur etiam adrogatio.
Ferraris ad v. Imped. matrim.
i. 74. et seq. — Ben. XIV., de
. c. 10. n. 4. etc.
casus difficilis decisionis, qui
possunt, addimus:
ıdoptio legitima quidem adsit,
utem de exsistentia hujus im-
exoriatur, hoc dubium ex sta-
canonici, resp. romani solva-
ognationem enim legalem, et
ad nuptias profluunt obsta-
ırsus modo, quo a jure civili
ınt, universim recepit appro-
olaus I.... Quamobrem, si
quaestio incidat sive in tribunali eccle-
siastico, sive etiam in synodo, an in hoc
vel illo casu adsit impedimentum cogna-
tionis legalis, necessario recurrendum erit
ad leges civiles atque ad earumdem nor-
mam controversia decidenda." — Ita
Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 10. n. 5.

2° Si vero dubium attingat exsisten-
tiam adoptionis, ex responso *S. Poeni-*
tentiariae, quod invenies in nota ad cal-
cem *n. 809.,* lis ex legibus civilibus in
aliquo territorio vigentibus dirimenda vi-
detur. Orietur vero impedimentum, si
adoptio per leges permissa romanae ad-
optioni quoad effectus essentiales con-
gruat, quod in dubio definire S. Sedis
erit. — Cf. *Instr. pro judiciis eccles.*
imperii austr. quoad causas matrimon.
§. 28. 29. — Knopp, Kath. Eherecht
§. 24. p. 195. et seq.

3° Unio prolium ex diverso matrimo-
nio quoad aequalem successionem in bo-
nis paternis et maternis nullum causat
impedimentum matrimonii; idem dicen-
dum de susceptione simplici alicujus or-
phani ad nutriendum et educandum. —
Heiss, de matrim. §. 39.

(1) quam v. in *Archiv für kath. Kir-*
chenrecht 1863. fasc. 6. p. 363. Filios
quoad hanc cognationem intellige *legi-*
timos. — Reiffenstuel in l. 4. decret.
tit. 12. n. 7.

Cognatio sub 1° et 3° semper manet;
ea sub 2° vero solvitur, si filius naturalis

Resp. 1° Certo restringitur ad 1um gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis. Ex jure canonico constat.

Resp. 2° *Controvertitur* quoad adoptantem et descendentes adoptati. *Probabiliter* cognatio non extenditur ultra 1um gradum seu ultra adoptatum, nisi habeat descendentes(1) sub potestate sua constitutos; nihil enim in jure huic decisioni oppositum reperitur. — *S. Lig. n. 1027.*(2)

809. — Quaer. 2° *An adoptio imperfecta dirimat matrimonium?*

Resp. Negative probabilius cum *S. Lig. n. 1027.* et *aliis communius.* — Ratio est, quia sola adoptio perfecta censenda est adoptio proprie dicta.(3)

Nota: Non videtur vigere adoptio *perfecta* in Gallia, siquidem ex *art. 348. cod. civ.* adoptatus remanet juris sui. Sic enim statuitur: *L'adopté reste dans sa famille naturelle et y conservera tous ses droits.* Hinc controvertitur, utrum adoptio ista impedimentum dirimens constituat. Affirmant *Carrière, Bouvier etc.* Negant vero *probabilius*, ut videtur, alii non pauci.

Sic canonista *André* in opere: *Cursus alphabeticus juris canonici:* „Quoad „adoptionem, prout admittitur in Gallia, „dubitant, an sit impedimentum dirimens, „cum ab adoptione perfecta satis differat „et consequenter incertum sit, an approbatio ab Ecclesia legi romanae data ad „nostras leges civiles de adoptione se „extendat."

Sic iterum alius canonista gallus *Corbière* in opere: *Jus privatum, administrativum et publicum etc.:* „.. Nostra „adoptio essentialiter ab adoptione perfecta Romanorum differt ac proinde hujus effectus producere nequit. Frustra „objiceretur, nostram adoptionem, quamvis non sit eadem ac adoptio perfecta „Romanorum quoad rem, tamen congruere „saltem quoad motiva, ob quae constituta est; minus enim ad motiva alicujus „legis attendendum est, quam ad ea, quae „statuit, et ad auctoritatem, qua gaudet: „legi porro romanae lex canonica vim „facit annullandi coram Ecclesia matrimonium inter adoptantem et adoptatum, „non vero alteri, quae ab illa differt causa, „effectibus et formis."

Haec confirmantur sequente *S. Officii* decisione: „In Bulgariae provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in filios adoptent, absque tamen ulla juris solemnitate, aliquos pueros et puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes veluti filii legitimi reputantur, adeo ut in haereditate etiam succedant. Rev. D. Joseph Roveranus missionarius.... Sacram Congreg. de Propoganda Fide humiliter supplicavit, ut declarare dignaretur, an talis ad-

---

vel adoptivus aut filia sub patria (et respective adoptantis) potestate esse desinit. — *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 10. n. 4.* — *Ferraris ad v.* Imped. matrim. *art. 1. n. 63. et seq.*

(1) tempore adoptionis — *Instr. pro judiciis ecclesiasticis imperii austr. etc. §. 28.*

(2) Sat claram regulam habes, si cum *Sanchezii (de matr. l. 7. disp. 63. n. 34.)* communiori sententia statuas, ex romano jure impedimentum se ad eos extendere, qui simul cum patrefamilias adoptato transeunt in potestatem adoptantis.

Facilius autem indicari possunt personae, inter quas, constante adoptione, consistere matrimonium potest. Durante itaque adoptione potest matrimonium consistere: 1° Inter adoptantem et matrem adoptati. — *S. Thom. in 4. dist. 42. q. 1. art. 2. ad 5.* — 2° Inter adoptantem et filiam adoptivae, quia haec non est in potestate matris, ideoque non transit in potestatem adoptantis. — 3° Inter adoptantem et filiam illegitimam adoptati, quia scilicet filii illegitimi non sunt in patris potestate, atque adeo filia adoptati in casu in potestatem adoptantis non transit. — 4° Eadem de causa consistet matrimonium inter filium illegitimum adoptantis, et hujus filiam adoptivam. — 5° Inter filium et filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nullo cognationis vinculo inter se vinciuntur. — 6° Denique inter duos adoptivos unius adoptantis; nam nullo id jure vetitum est. — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 12. n. 31. et seq.* (Not. edit. rom.)

(3) Plures quum vetustiores, tum recentiores sententiam oppositam defendunt, innixi inter alia etiam responso *S. Poenitentiariae d. d. 17. Maji 1826.*, quod in nota auctoris adnexa invenies quodque cum inter duas species adoptionis non distinguat, utramque complecti videtur. — *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 10. n. 5.* — *Heiss, de matr. §. 39. II.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1863. fasc. 6. p. 364. n. 3.* — *Instructio pro judiciis eccles. imperii austr.* vero in §§. 28. 29. et in *adnotationibus* absolute partem negantem sequitur.

tio impedimentum pareret *cognationis ıalis.* Eadem S. Congr. instantiam resit ad S. Congr. S. Officii. Deinde in ngregatione generali habita coram SS.). N. feria V. die 16. Apr. 1761. Sanssimus.. declaravit, *praefato in casu llum exstare impedimentum.*" — ınd *Ferraris, Pr. Bibl. ad v.* Matrinium *art. 2., additio ex novissima nana editione.*

Plures ad adstruendum impedimentum imens innituntur in responsione *S. ıenit.* ad *D. Lasserre,* vicarium geralem Petrocorensem. Sed illa respon- rem dirimere minime videtur. Sic ım interrogaverat orator: „Cum in eoım regno (Galliae) adoptionis jus modo galiter sit receptum, quaeritur, an caonicum impedimentum adoptionis diriens locum etiam habere debeat? Resp.: *ffirmative, si res sit de adoptione gitime inita.*" Porro non fuit proıitum ab oratore, de quali adoptione ıretur. Insuper adoptio imperfecta, ut usu est in Gallia, in jure non dicitur ɔptio simpliciter, sed adrogatio. (¹)

PUNCTUM IV.

De impedimento affinitatis.

310. — Affinitas est propinquitas, m quis contrahit cum consanguipersonae, quacum carnale comcium habet, seu est propinquitas ex copula carnali inter alterutrum latorum et consanguineos alterius. exsistit affinitas inter virum et nguineos mulieris, quam cogno- vice versa.(²)

c: 1° Affinitas oriri potest tum ula *licita* h. e. ex legitimo mao, tum ex copula *illicita,* ex fornicatione vel adulterio.

Affinitas etiam contrahi potest sos conjuges, si alteruter rem sanguineis alterius habeat.

v. *n. 807. 1°. not.*
st affinitas multiplex contingere m persona in eodem gradu, ıis commercium carnale habeuribus sororibus suae sponsae.

iam ex copula inter senes et n cum muliere coacta, sui non mente etc., nec per mortem issolvitur. — *Heiss, de matr.*

Principia:

811. — I. Affinitas ex *copula cita* dirimit matrimonium usque 4um gradum *inclusive;* ex *copul* autem *illicita* usque ad 2um gradum *inclusive.* — Constat ex *concilio Later. IV.* et ex *conc. Trid. sess. 24. c. 4. de ref. matr.*(¹)

II. Affinitas non contrahitur, nisi per copulam *perfectam* et *consummatam* seu talem, ex qua per se generatio sequi possit, quia secus vir et mulier non fiunt stricte una caro, neque possunt consanguinei unius fieri propinqui alterius. — *S. Lig. n. 1075.*(²)

III. Affinitas a conjugibus contracta ipsorum matrimonium dirimere nequit, cum huic indissolubiliter jam contracto superveniat, ejusdem tamen usum impedit(³) in poenam conjugis adulteri

(¹) Ita in linea collaterali; in linea recta autem affinitas dirimit in indefinitum. — *Scav.* — *Knopp* — *Heiss.*

(²) Nullum dubium, copulam imperfectam esse, si sola foemina seminaverit. Utrum idem dici debeat, si quoad solum virum id contigerit, dissentiunt vetustiores auctores. — V. *S. Lig. l. c.* Recentiores autem copulam perfectam habent, etsi seminatio mulieris deficiat; imo ex hujus parte ne quidem seminationem proprie dictam contingere advertunt. — V. v. g. *Debreyne* apud *Scav., de sacram. matr. adnot. Y. n. 1037. (edit. 10.).* Quae sententia an omnino indubia sit, si non verbo „seminatio" quis insistat, nescio.

Pro praxi has fere regulas editor romanus ad mentem *S. Alphonsi ib.* statuit: 1° Quando de copula (proprie dicta) constat, in foro externo praesumitur perfecta. 2° Idem praesumitur etiam in foro interno, quando de opposito non constat, quia judicium prudenter fit ex communiter contingentibus, praesertim si foemina magnum voluptatis sensum experta sit. 3° Si constet, seminationem mulieris non esse secutam, in foro conscientiae impedimentum erit dubium.

(³) et quidem ipso facto, ita ut reus debitum petere nequeat, donec a legitimo superiore (episcopo scil., cui haec potestas ex consuetudine generali competit quique ea etiam per delegatum uti potest — cf. quoque facultates trienn. episcopis

vel incestuosi. — Constat ex variis locis juris canonici, praesertim ex c. Si quis (1.) *De eo, qui cognovit (IV. 13.) etc.*

Ejusmodi autem affinitas non contrahitur, nisi ex incestu cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu, saltem post *concilium Trid.* — Confirmatur ex declaratione expressa *Gregorii XIII.* — *S. Lig. n. 1070.*

Resolves:

812. — 1° Personae, quae carnaliter conjunguntur, non sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis et quasi stipitis locum tenent.

2° Affinitas esse non pot duas personas, quarum neut lam habuit cum consanguinea idcirco consanguinei unius nullam habent affinitatem c sanguineis alterius.

3° Duo fratres ducere poss sorores; pater et filius ducere matrem et filiam; imo, filiu ducere matrem et pater ejusde Hinc axioma: *Affinitas no affinitatem.*

4° Gradus affinitatis eode computantur, ac gradus cons tatis: imo, affinitas per se gr habet, sed tantum ratione co nitatis: qualis igitur est grad sanguinitatis cum una person est gradus affinitatis cum alt

GRADUS AFFINITATIS.



Nota 1° Haec tabella refert consanguineos viri et mulieris in linea rect ad quartum gradum. Lineas collaterales, puta fratres, consobrinos etc., facile a

2° Lineae ab uno centro ad opposita quadratula ductae affinitatem mi hibent cum consanguineis alterius, et vice versa.

Germaniae concessas) hoc jus ipsi restituatur. Non adimuntur tamen per hanc restitutionem innocenti jura, quibus det contra conjugem adulterum, ne

peccavit cum duabus soro-
consobrinis germanis aut
ɔ et filia, nullam harum du-
st, modo tamen copulam
verit.

qui peccavit cum sorore
ɔrina vel amita compartis
tum petenti reddere tenetur,
ɔetere nequeat. Ratio est,
agatur de lege mere pro-
innocens ex culpa alterius
lebet.

. privatur jure petendi de-
ii cum propriis consangui-
t, quia nullam affinitatem
uxore contrahit.

terque conjux per incestum
cum altero contraxerit,
test debitum petere, quia
s suum amisit; et proinde
etur, imo nec potest debi-
i reddere. — *S. Lig. n.*
seq.

esita:

- Quaer. 1° *Quo jure di-*
nitas?

1° Certo dirimit *solo Ec-*
re in linea *collaterali* juxta
multo *probabilius* etiam in
ı, si forte primum gradum

° *Controvertitur* quoad pri-
lum lineae *rectae.* (1) Ec-

dimentum affinitatis ex copula
ıd matrimonium defuncto con-
elebrandum. Requiritur tamen,
ı sit culpabilis et completus

autem coactio per metum gra-
ı. *815. Q. 4°.*) et ignorantia
tamen crassissima et affectata)
ıbilius), facti, imo, ut multi
ım ignorantia poenae, cum de
aordinaria agatur. — *S. Lig.*
1076. — *Heiss, de matr.*
Cf. etiam infra *n. 910.*

gravissimi doctores negant,
ım cum ejusmodi affini irritum
ıaturae, propterea, si duo in-
matrimonio contracto ad fidem
tutum non esset eos separare
ificis dispensatione, nisi forte
ugia inter infideles lege posi-

clesia autem licet pluries enixe rogata fuerit, numquam voluit dispensare pro affinitate orta ex legitimo matrimonio, ut etiam testatur *Bened. XIV., de synod. l. 9. c. 13. n. 4.*, licet non raro dispensaverit in hujusmodi affinitate orta ex commercio illicito, saltem ut vir duceret mulierem, cujus matrem cognovit. (1)

---

tiva irritentur, quod pronum est, quia fatentibus doctoribus ejusmodi nuptiae etiam inter gentiles habebantur turpes et abominabiles. — V. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 14. n. 101—105.*

Verumtamen, ut *Lugo (Resp. moral. l. 1. dub. 40. n. 29.)* advertit, cum affinitas ex matrimonio, sive sit impedimentum dirimens de jure naturae, sive non, certissime tamen sit affinitas naturalis: proinde non posset quis post baptismum contrahere cum filia aut matre illius uxoris, quam ipse legitime habuisset tempore infidelitatis. Imo doctores ex *cap. fin. de divortiis (IV. 19.)* id extendunt usque ad affines in quarto gradu. Ratio est, quia, cum affinitas ex legitimo matrimonio juxta dicta sit vinculum naturale (v. etiam *S. Thom. in 4. dist. 41. Q. 1. art. 1. q. 1.*), oritur etiam inter infideles, et manet etiam post baptismum; post baptismum autem jam subjacent legi Ecclesiae irritantis conjugia usque ad quartum gradum. — V. *Schmalzgrueber l. c. n. 86. et seq.*

Imo juxta illos doctores, qui cum *S. Thoma l. c. q. 3. et 4.* docent, hoc *naturale* affinitatis vinculum oriri etiam ex copula illicita, quippe ex Paulo etiam tunc *fiunt una caro*, dicendum insuper esset, quod si quis tempore infidelitatis aliquam fornicarie cognoverit, post baptismum non posset ducere illius matrem aut filiam aut sororem, quia cum his contraxit affinitatem, quae licet matrimonio ejus non obstet, dum infidelis est et Ecclesiae legibus non ligatur, cum tamen post baptismum perseveret, etiam rationem impedimenti sumit. — *Schmalzgrueber l. c. n. 90. et seq.* Verum cum hanc *naturalem* ex copula illicita affinitatem negent *Sanchez, de matr. l. 7. disp. 65. n. 9.*, et cum eo *De Lugo l. c.*, *Gonzalez*, *Navarrus* aliique, hoc foret impedimentum *dubium.* (Not. edit. rom.)

(1) Dispensatur etiam gravi de causa, ut vir, mortua saltem filia, quam illicite cognovit, ducat ejus matrem.

Addit editor romanus: Quando de eo agitur, qui filiam ducere velit, postquam cum matre fornicatus fuerit, in dispensa-

814. — Quaer. 2° *Quinam sint varii affines?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

Socer, pater ratione affinitatis sive conjugati, sive conjugatae *(beau-père)*.

Socrus, mater affinis, ut supra *(belle-mère)*.

Prosocer, avus affinis *(aïeul par affinité)*.

Prosocrus, avia affinis *(aïeule par affinité)*.

Gener, maritus filiae *(gendre)*.

Nurus, uxor filii *(bru, belle-fille)*.

Progener, maritus neptis *(mari de la petite-fille)*.

Pronurus, uxor nepotis *(femme du petit-fils)*.

Levir, frater mariti aut uxoris *(beau-frère)*.

Glos, soror mariti *(belle-soeur)*.

Fratria, uxor fratris *(belle-soeur)*.

Sororius, maritus sororis *(beau-frère)*.

Vitricus, maritus matris *(beau-père)*.

Privignus, filius ex primo matrimonio patris aut matris *(beau-fils)*.

Noverca, uxor patris *(belle-mère, marâtre)*.

815. — Quaer. 3° *An affinitas ex matrimonio consummato, sed invalido, dirimat matrimonium ad 4um gradum vel ad 2um tantum?*

Resp. 1° Ratione *affinitatis* dirimit ad 2um gradum tantum, quia habetur simpliciter affinitas ex copula illicita, ut in fornicatione extra matrimonium patrata. (1)

Resp. 2° Ratione vero *honestatis publicae* videtur(1) dirimere ad 4um gradum, quia matrimonium etiam invalidum vi honestatis publicae dirimit ad 4um gradum. Consummatio autem matrimonii roborat impedimentum *honestatis publicae,* quod prius vi matrimonii *rati* exsistebat. — Vide mox dicenda *n. 818.*

Quaer. 4° *An uxor vi aut metu cognita a consanguineo viri jus debitum petendi amiserit?*

Resp. 1° *Negative,* si vis fuerit absoluta: impedimentum enim illud de petendo debito inter conjuges incestuosos poenae tantum rationem habet; poena autem nulla esse potest, ubi nulla est culpa. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Negative* etiam, si uxor, quae vim aut metum passa est, graviter non deliquerit, quia poena gravis cum culpa levi proportionem non habet.

Resp. 3° Imo, *probabilius* etiam negandum videtur, si uxor illa graviter peccaverit, quia metus gravis excusat a legibus humanis, etsi a lege naturali excusare non valeat; ergo, cum in nostro casu excuset a lege prout est ecclesiastica, a poena etiam per eam legem inflicta excusare debet.(2) — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 1071.* contra *alios.*

---

tione addi conditio solet: *dummodo copula cum matre non antecesserit nativitatem filiae,* ut scilicet caveatur periculum, ne quis propriam filiam in matrimonium ducat. At satis impleta conditio censeri potest, si copula cum matre eo tempore praecesserit, ut illud periculum prorsus absit.

(1) Dirimit usque ad 4um gradum, ut colligitur ex decis. *S. C. C. d. d. 3. Dec. 1607.* (quam v. apud *Ben. XIV., Quaest. canon. qu. 291. §. Quartum est* — et apud *Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts l. 5. c. 2. §. 287. V. 7.*), nisi matrimonium invalidum fuit ex impotentia, quo casu nulla exsurgit affinitas; si autem nullum fuit ob clandestinitatem, usque ad 2um tantummodo gradum dirimit. — Ita *Knopp, Kath. Eherecht §. 81. p. 214.* rectius, uti censemus, dum alii (v. g. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. n. 723.*) extensionem ad 4um gradum excludunt, si matrimonium istud *mala fide* consummatum sit.

(1) Exsistentia hujus impedimenti in tali casu nobis certa videtur ex decis. *S. C. C. d. d. 3. Dec. 1607.*, in *praeced.* allegata.

(2) Aptius rationem reddit *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 79.*, ubi ait, qui ex gravi metu legem ecclesiasticam violaverit, dicit excusari, „partim, quia sic delinquens haberi nequeat pro contumace et ecclesiasticae potestatis contemptore, cum naturae potius infirmi-

PUNCTUM V.
pedimento honestatis publicae.

— *Publica honestas* est pro-
ıs quaedam seu species affini-
ıae oritur tum ex *sponsalibus*
ıum sponsum et consanguineos
, tum ex *matrimonio rato* inter
ım conjugem et compartis con-
eos. De jure ecclesiastico di-

egulae:

onestas publica ex *sponsali-*
lidis (1) orta ex novo jure
ini sess. 24. c. 3. de ref.
ıatrimonium dirimit usque ad
dum tantum.
onestas publica orta ex *matri-*
rato dirimit matrimonium ad
dum inclusive.
ıtur ex variis locis juris ca-

uaesita:

— Quaer. 1° *An honestas*
oriatur ex sponsalibus con-
is, aut mutuo consensu vel
iusta de causa dissolutis?
ad 1um *Negative,* nisi con-
mpleta fuerit, quia, conditione
mpleta, vera sponsalia non
. — *S. Lig. n. 1061.*
ad 2um *Affirmative.* Ratio
a impedimentum contrahitur
ost inita valide sponsalia, et
entum semel susceptum non

ам obstinatae voluntatis mali-
:; partim vero, quia ejusmodi
erumque excusat ab observa-
is ecclesiasticae." Ex quibus
ationem ab auctore post *S. Al-*
aliosque allatam non semper
t ideo aliam adscisci oportere,
nempe contumaciae, adeo ut
oad legem ecclesiasticam sta-
sit, fieri interdum, ut quis ra-
ıs excusetur a poena, licet tota-
sit immunis a culpa. — (Not.
)
ım persona *individualiter de-*
ı celebratis — *S. Lig. n. 1061.*

potest auferri ex voluntate sponsorum vel alia causa superveniente. Ita ex declaratione *S. Congregationis* apud *Elbel n. 214.* — *S. Lig. n. 1063.* (1)

818. — Quaer. 2° *An honestas publica oriatur ex sponsalibus* privatis?

Resp. Affirmative, modo adsit verus contractus sponsalitius. Ratio est, quia Ecclesia inter sponsalia privata et publica nullam admittit distinctionem. (2)

Quaer. 3° *An oriatur honestas publica ex matrimonio* invalido?

Resp. Affirmative, quia ante *concilium Trid.* honestas oriebatur ex hujusmodi matrimonio; concilium vero nihil in hoc immutavit, quamvis jus antiquum pro sponsalibus coarctaverit. (3)

Excipe 1° si oriatur invaliditas ex defectu consensus. Sic ex jure canonico. — Hinc non adest impedimentum *publicae honestatis,* si matrimonium ex errore vel metu, aut ex ficto consensu contractum fuerit (4). — V. *S. Lig. n. 1062.*

Excipe 2° si invaliditas veniat ex priore impedimento publicae honestatis, orto ex sponsalibus valide contractis; in hoc enim casu non inducitur impedimentum in praejudicium priorum sponsalium (5). — *S. Lig. n. 1064.* Hinc, si Titius v. g. initis sponsalibus cum Bertha eaque relicta ejus sororem ducat, ad Bertham red-

(1) Ob eamdem rationem manet hoc impedimentum, si forte matrimonium ratum dissolveretur. — *Scav.*

(2) Ita etiam *Acta vol. 2. fasc. 18. n. 381.*

(3) V. etiam *Ben. XIV., Quaest. can. q. 291.*

(4) vel si unus contrahentium sit infra pubertatem. — *Heiss, de matr. §. 41. IV.* Posset tamen in hoc ultimo casu adesse impedimentum vi *sponsalium,* in quantum tale matrimonium locum sponsalium tenet. — Cf. *Phillips l. c. n. 6.*

(5) adest autem quoad alias consanguineas uxoris, quam invalide duxit.

ire potest, imo et debet(1): nec indiget dispensatione, nisi matrimonium *consummaverit.* (2)

819. — Quaer. 4° *An honestas publica oriatur ex matrimonio* civili?

Resp. Videtur *affirmandum,* sive contrahentes intendant contrahere coram Ecclesia, sive non: nam in 1° casu censetur contractus *sponsalitius*; in 2° censetur matrimonium *clandestinum* dirimens ad 4um gradum, licet invalidum sit. — *Carrière n. 365.* — V. *S. Lig. n. 1064.*

PUNCTUM VI.

De impedimento criminis.

Crimen matrimonium dirimens triplex est, adulterium nempe vel homicidium conjugis aut utrumque simul, modo certae concurrant conditiones, quae in jure canonico exprimuntur.

I. Adulterium solum.

820. — Ad impedimentum ex hoc capite incurrendum requiritur:

1° Ut adulterium sit *verum, formale, consummatum.* Et quidem *verum,* i. e. ut alteruter saltem fornicator sit legitimo matrimonio conjunctus. (3) — Deinde *formale* et quidem ex utraque parte, i. e. ut uterque cognoscat, alterutrum saltem esse conjugatum. (4) — Tandem *consummatum,* intercedente nempe copula carnali perfecta. Dixi: *formale ex utraque parte,* quia odiosa restringenda sunt. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 1036.*

2° Ut adsit *promissio* matrimonii facta ab uno adultero et acceptata ab altero saltem aliquo signo (1), sive haec promissio praecedat aut comitetur aut sequatur adulterium; sed si praecedat, requiritur, ut ante adulterium retractata non fuerit. (2)

3° Ut tum *promissio* matrimonii, tum *adulterium* fiant *vivente priori conjuge* seu constante *eodem* matrimonio. — Ita ex variis locis juris can., v. g. ex c. Si quis vivente (5.) *Caus. 31. q. 1.* — Item ex c. Propositum (1.) *De eo, qui duxit (IV. 7.)* etc. — *S. Lig. n. 1037. et seq.* (3)

II. Homicidium solum.

821. — Tres conditiones requiruntur, ut adsit impedimentum:

1° *Mutua conspiratio;* unde non sufficit, ut conjux conjugem suum occidat, si persona, quacum matrimonium initurus est, hanc actionem igno-

---

(1) De hac obligatione cf. *Act. vol. 2. fasc. 16. p. 258.*

(2) Num vero ad Bertham redire possit, si, antequam ejus sororem duxit, sponsalia cum ipsa Bertha jure soluta fuerint (modo matrimonium irritum non consummaverit), disputant. — *Scav.*

(3) Subsistit vero hoc impedimentum, etsi matrimonium solummodo ratum sit vel conjuges per divortium separati, non vero, si matrimonium est nullum, licet adulteri nullitatem ignoraverint. — *S. Lig. n. 1036.* — *Phillips l. c. §. 288. II.*

(4) Probabiliter excusat ignorantia crassa, non vero affectata. — *S. Lig. n. 1036.*

(1) Non sufficit alterius taciturnitas. — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 7. n. 21.*

(2) Promissio haec in foro externo in genere praesumitur, si ejusmodi adulteri matrimonium celebrare volunt. — *Phillips l. c. III.*

Probabilius non requiritur repromissio. Contrariam tamen *Schmalzgrueber l. 4. tit. 7. n. 30.* probabilem expresse vocat.

Promissio ficta tamen vel conditionata probabilius non sufficit. Excipe: si conditio, promissione illa non revocata, ante mortem conjugis verificata fuerit. — *S. Lig. n. 1039. et seq.*

(3) Sub iisdem circumstantiis etiam per *adulterium cum matrimonii attentatione* (v. g. per consensum de praesenti et voluntatem conjugium celebrandi, sive ante, sive post adulterium fiat, sive coram parocho, sive clandestine) impedimentum dirimens inducitur. — *S. Lig. n. 1042.* Sufficit etiam, si, scientia de conjugio alterius post matrimonium adulterinum habita, non retractantes matrimonium se utantur. — *Heiss, de matr. §. 42. III.*

Non sufficit vero promissio matrimonii ante obitum conjugis ineundi. — *Schmalzgrueber l. c. n. 9.*

aut ei non consentiat (¹). — *S.* *. n. 1033.*

²⁰ *Intentio matrimonii* (²). — *Ita* *muniter,* quamvis in jure non sit ressum. Ratio est, quia finis legis ne quis spe matrimonii propriam alterius conjugem occidat. (³) Qui- cum *Pontio* requirunt, ut inten- illa aliquo modo fuerit alteri ma- stata. Sufficere autem, ait *S. Lig.* *1034.*, ut indicia quaedam hujus ntionis praecesserint, v. g. fami- itates, epistolae amatoriae etc. (⁴).

3⁰ *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali (¹) alterutrius complicis. Constat ex jure canonico. — *Ita communiter.*

III. Utrumque simul.

822. — Quando crimina adulterii et conjugicidii reperiuntur unita, non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium nec promissio matrimonii, sed haec tria sufficiunt:

1⁰ Adulterium debet esse tale, quale supra expositum est. Hinc praecedere debet conjugicidio (²); non tamen necesse est, ut praecedat mortis machinationem.

2⁰ Machinatio mortis ab uno adulterorum ex intentione matrimonii; sufficit autem, ut haec intentio ab uno habeatur. (³) — *Ita Gousset n. 824.* — *Carrière n. 739.* — *Collet etc.* — *S. Lig.* requirit *probabilius* insuper, ut haec intentio alteri manifestetur. (⁴)

3⁰ Mors ex machinatione unius adulterorum secuta, eodem modo ac supra dictum est de homicidio solo. Sic ex eodem jure. — V. *S. Lig. n. 1036.*

Nota: Impedimentum num. praecedente expositum, quod propter duplex crimen unitum vocatur *utrumque simul,* est unicum impedimentum. Contra vero, si et adulterium et homicidium suas proprias conditiones separatim habeant, ut *n. 820. et 821.* expositae sunt, duplex erit impedimentum.

823. — Haec omnia sic paucioribus verbis memoria teneto:

) aut postea eam adprobet ac ratam at. — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 7.* *6. et seq.*

) scil. ut conspiratio illa in caedem ugis ... fiat ex intentione contrahendi imonium cum illa ipsa vel illo com- . — *Schmalzgrueber l. c. n. 55.*

) Verificatur haec 2ª conditio per ntionem a parte *unius.* — *S. Lig.* *034.*

) „Parum", ut post *Sanchez, de matr.* *disp. 78. n. 19.*, *aliosque* inquit *malzgrueber l. 4. tit. 7. n. 55.*, ad praxim interesse videtur. In enim externo semper praesumitur inatio in mortem alterius facta esse o ineundi cum alia matrimonium, si er et vir alienus communi opera con- nt ad mortem conjugis innocentis, uando praecessit adulterium."

verte insuper, hanc intentionis ex- m manifestationem ideo solum ab auctoribus requiri, quia Ecclesia, ut nt, actus mere internos non punit, uem finem nihil profecto interest, haec intentio manifestetur complici lteri, itidemque num ante, an post en aliquo modo significetur; et in- r, dum *S. Alphonsus l. c.* mere po- t, ut *familiaritates, munera,* aut *olae amatoriae* intercesserint, aperte , satis esse, quod alter significet, animum inesse matrimonii contra- i, non autem requiri, ut significet, *ac prorsus de causa mortem ma- ari aut machinatum fuisse.* At si ita se res habet, quandonam haec tionis manifestatio deesse poterit? quid enim celebrari matrimonium rit, si, qui contracturus illud est, ali- do suam hanc voluntatem non pro- — (Not. edit. rom.)

o jure vero auctor dissertationis de impedimento in *Corresp. de Rome* *. col. 57.* exigat insuper veram promissionem matrimonii inter duos complices ante homicidium, nescimus.

(¹) ideoque consilio vel mandato alicui dato — *S. Lig. n. 1031.*

(²) Ratio facile intelligitur; si enim praecedat mors conjugis, adulterium, quod consistit in copula cum conjuge alterius (certe viventis), locum habere amplius non poterit. — (Not. edit. rom.)

(³) Caede illata intentio matrimonii in foro externo praesumitur. — *Corresp. de Rome 1852. col. 57.*

(⁴) V. *not.* in fine *n. 821.* 2ª.

1° *Adulterium* cum promissione matrimonii ab altero acceptata.

2° *Homicidium* ex communi conspiratione et cum intentione contrahendi saltem ab uno habita et manifestata.

3° *Utrumque simul* intuitu matrimonii, sed sine conspiratione et matrimonii promissione.(1)

PUNCTUM VII.
De impedimento disparitatis cultus.

Disparitas cultus intelligitur *in genere* diversitas religionis inter contrahentes. Sed hic intelligitur proprie disparitas, quae inter baptizatum et non baptizatum reperitur. Attamen, data occasione, etiam de disparitate cultus inter baptizatos matrimonium contrahentes seu *de matrimoniis mixtis* dicemus.

Principia:

824. — I. Cultus disparitas, quae est inter baptizatum et infidelem seu non baptizatum, matrimonium efficit invalidum. (2) Ita ex jure non scripto, ait *S. Lig. n. 1044.* — Hoc evincitur ex doctrina communi ss. patrum et theologorum(3), idque compertum esse asserit *Bened. XIV.* in epist. *Singulari nobis d. d. 9. Febr. 1749. ad cardinalem Eboracensem §. 9. 10. (Bullar. t. 3. p. 1., in editione Pratensi p. 10.).*

II. Diversitas autem religionis inter baptizatos non constituit impedimentum dirimens. Probatur ex eo, quod nulla lege aut consuetudine irrita declarentur matrimonia inter catholicos et haereticos. — *Ita unanimi consensu theologi.*

III. Diversitas religionis inter catholicos et haereticos constituit impedimentum impediens. Evincitur tum ex praxi Ecclesiae, quae fideles ab istis matrimoniis semper maxima sollicitudine avertit, tum ex declaratione expressa *Bened. XIV.*, qui haec connubia vocat *detestabilia, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit.* (Bulla *Matrimonia* circa matrimonia Hollandiae *4. Novemb. 1741.*)

Quaesita:

825. — Quaer. 1° *Quonam jure dirimatur matrimonium inter baptizatos et non baptizatos?*

Resp. Certum est, dirimi solo jure ecclesiastico. Etenim prioribus Ecclesiae saeculis hoc impedimentum non exsistebat, et plura matrimonia hujusmodi approbata leguntur in historia ecclesiastica, uti matrimonium S. Monicae cum Patricio.(1) — Constat etiam ex declaratione *Pii VI.* in epist. *Exsequendo d. d. 13. Julii 1782. ad card. de Frankenberg.*(2)

---

(1) Quoad infideles v. *Schmalzgrueber l. c. n. 2. 3. 46. et seq.*

(2) Hinc nullum est matrimonium etiam inter haereticum baptizatum et personam non baptizatam. — Cf. epist. *Singulari nobis Ben. XIV. §. 11.*

(3) Nimirum theologi non solum ex doctrina patrum, sed etiam ex sacris scripturis evincunt, ejusmodi matrimonia jure tum naturali, tum divino positivo, tum etiam Ecclesiae canonibus prohiberi, atque adeo esse illicita (qua de re v. *Sanchez, de matr. l. 7. disp. 71.* et *Schmalzgrueber l. 4. tit. 6. n. 121. et seq.*); sed simul fatentur, nullo ex his fontibus elici, illa esse etiam irrita. Et, ut ait *Benedictus XIV.* (in *constit. cit. §. 10.*), „cum impedimentum illud jure canonico statutum non fuerit", sequitur, ut „communi Ecclesiae catholicae consuetudine susceptum atque firmatum inveniatur." — (Not. edit. rom.)

(1) Ineunte saeculo XVIII. gravis controversia exorta est circa exsistentiam hujus impedimenti apud Japonenses et Sinenses, ubi haec consuetudo introducta non videbatur. Curia Romana partem tutiorem eligens concessit missionariis facultatem dispensandi, ut testatur *Bened. XIV.* in constitutione *Singulari nobis.* — (Nota auct.)

(2) Hoc rescriptum, cujus partem invenies apud *Denzinger, Enchiridion n. 1354.*, ad matrimonia mixta inter catholicum et acatholicum spectat.

826. — Quaer. 2° *Quibusnam competat facultas a tali lege dispensandi?*

Resp. Soli Romano Pontifici, exclusis omnino episcopis, nisi a Summo Pontifice facultatem dispensandi obtinuerint, quae facultas iisdem, licet instantissime postulantibus, a S. Sede numquam fuit concessa, prout testatur *Pius VII.* in literis *Vix nova d. d. 17. Febr. 1809. ad episcopos Galliae.* (1)

827. — Quaer. 3° *Quibusnam conditionibus dispensatio praefata concedatur?*

Resp. Tria debent adesse: 1° ut absit pro parte catholica seductionis periculum; 2° ut infantes utriusque sexus ex matrimonio nascituri in religione catholica educandi sint; (2) 3° ut sit ratio gravis. De his constat ex praxi Ecclesiae. Vide epist. *Gregorii XVI. ad archiepisc. Friburgensem d. d. 23. Maji 1846.* — Unde patet error eorum, qui credunt Deo et Ecclesiae satisfacere, si filios in religione patris, et filias in cultu matris instituant.

828. — Quaer. 4° *An valeat matrimonium inter catholicos et haereticos initum, si obtenta dispensatione pars haeretica nolit acquiescere conditioni ab Ecclesia impositae, nempe ut filii* utriusque sexus *in religione catholica educentur?*

Resp. Affirmative. Agitur enim de impedimento mere impediente, et consequenter haec conditio validitatem matrimonii afficere nequit.

Quaer. 5° *Utrum parochus possit adsistere matrimonio mixto, si intercesserit dispensatio?*

Resp. Affirmative. Ita resp. *S. C. Inquisit. d. d. 20. Decemb. 1838.: Si altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis et servatis solitis clausulis et conditionibus licere.*

829. — Quaer. 6° *Quomodo his in adjunctis debeat sese gerere parochus?*

Resp. Celebratio matrimonii fieri debet *coram parocho et duobus testibus juxta praescripta a S. Concil. Trid., extra tamen ecclesiam, sub qua sacristia comprehenditur, et sine parochi benedictione.* Haec sunt ipsa verba instrumenti dispensationis super impedimento religionis mixtae juxta instructionem *S. Congr. Inquisit.* confecti. — Evincitur etiam ex decis. ejusdem *S. C. d. d. 25. Nov. 1838.* Unde patet, sacerdotem non posse tunc deferre stolam et superpelliceum. (1)

Quaer. 7° *Possuntne fieri bannorum proclamationes?*

---

(1) Hoc responsum, sicut et sequens, ad matrimonia mixta refertur. Rescriptum allegatum *Pii VII.* habes apud *Denzinger, Enchiridion n. 1466.* Hodie vero episcopis, etiam in Europa, facultatem dispensandi super impedimento impediente mixtae religionis ad tempus aliquando delegari, notum est. — V. supra *n. 784. R. 2°. not. 3.*

Facultas autem dispensandi super matrimoniis *inter catholicum et infidelem* indulgetur vicariis Apostolicis in missionibus ad certum tempus, restricta insuper per sequentes conditiones: 1° ut in loco (regione), ubi dispensatio petitur, numerus infidelium excedat numerum christianorum; 2° ut cohabitatio haberi possit sine offensa Creatoris vel periculo perversionis; 3° ut infantes educentur in religione catholica. Additur quandoque, ut adsit spes probabilis pro conversione partis infidelis. Consulitur praeterea delegatis, ut potius super impedimentis consanguinitatis et affinitatis dispensent, quam talia matrimonia permittant. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1811.* — *Perrone, de matrim. l. 2. sect. 1. c. 7. art. 2.*

(2) Ab his duabus conditionibus numquam dispensari potest, cum in lege naturali et divina fundentur.

(1) De jure communi sane mixta matrimonia extra ecclesiam absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debent. Indulget tamen S. Sedes, exclusa semper missarum celebratione. — V. *Archiv für kath. Kirchenrecht 1866. fasc. 6. p. 331.* Hinc mandatis ordinarii standum.

Resp. Negative. Constat ex eodem instrumento, in quo legitur: *omissis proclamationibus.* Constat etiam ex epistola supra citata *Pii VI. ad card. de Frankenberg.*(1)

830. — Quaer. 8° *Potestne matrimonio adsistere parochus, si uterque nolit consentire in catholicam educationem prolium, sed pars haeretica hactenus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectentur?*

Resp. Negative, sed debet *abstinere a quocumque interventu.* — Sic *S. Congr. Inquisit. d. d. 17. Junii 1829.* (2)

Quaer. 9° *Utrum, non obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, possit adsistere parochus, si lex (civilis) ejus adsistentiam praescribat?*

Resp. Illud regulariter non potest fieri, nisi parochus tamquam *magistratus politicus* interveniat. — Sic *S. Congr. Inquisit. die 20. Dec. 1838.* Attamen SS. Pontifices hujusmodi adsistentiam permittere solent, ubi necessitas id exigit, prius autem omnino requisita utriusque partis promissione de prolibus in catholicismo educandis. Vide epist. *Pii VI.* supra citatam(3).

831. — Quaer. 10° *An catholicus has nuptias sine dispensatione contrahens postea, volens sacramentorum particeps fieri, ad ea admitti possit?*

Resp. Affirmative. Constat ex citata epistola *Pii VI. ad card. de Frankenberg,* in qua haec habentur: „Ad quod dicimus, dum ille demonstrabit, poenitere se peccaminosae suae conjunctionis, poterit hoc ipsi concedi, modo ante confessionem sincere declaret, procuraturum se conversionem conjugis haereticae, renovare se promissionem de educanda prole in religione orthodoxa, et reparaturum se scandalum aliis fidelibus datum. Si tales conditiones concurrant, non repugnamus Nos, quominus pars catholica sacramentorum fiat particeps.“

Quaer. 11° *An sacerdos catholicus, salva conscientia, matrimonio*

---

(1) Cf. *notam praeced.*

(2) Cf. *notam seq.,* quae etiam pro hac quaestione valet.

(3) *Pius VIII.* concessit facultatem parochis, qui in Russia et Germania versantur, adsistendi, si cogantur, matrimoniis mixtis absque obtenta dispensatione initis: praesentia tamen parochi non impedit, quominus sponsi sic contrahentes *graviter* peccent. Hoc confirmavit *Gregorius XVI.* — V. *Ami de la Religion 2. April. 1835.* — *Item 2. Maji 1837.* — (Nota auct.)

Ad episcopos Bavariae vero ita *Gregorius XVI.* in *instructione d. d. 12. Sept. 1834. (Denzinger, Enchiridion n. 1484.):* „Siquidem igitur ex temporum, locorum et personarum conditione matrimonium acatholici viri cum catholica muliere et vicissim absque majoris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti nullo modo possit: tunc sane ad majora damna et scandala praecavenda abstinendum erit a catholico conjuge censuris in illum nominatim expressis corrigendo, imo vero tolerandum, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione religionis illorum, qui nuptias sunt contracturi; tum etiam de factis proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus, si nullum adsit dirimens impedimentum, unice enuntietur, *nil praeter vetitum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis matrimonio conciliando obstare,* nullo addito verbo, ex quo consensus seu approbationis vel levis suspicio sit oritura. Quodsi in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujuscemodi nuptias, quantumlibet illicitas et vetitas, coram parocho catholico potius, quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari, tunc ipse parochus catholicus aliusve sacerdos ejus vices agens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, *omni excluso ecclesiastico ritu,* adesse, perinde ac si partes ageret mere testis vulgo qualificati seu auctorizabilis, ita scilicet, ut, utrisque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.“

Eadem fere recurrunt in literis ejusdem Pontificis ad primatem et episcopos Hungariae *d. d. 30. Apr. 1841.* — V. *Denzinger ib. n. 1485.*

mixto adsistere possit, si sponsi ante vel post matrimonium contrahant in ecclesia protestantica ritu protestantico?

Resp. Negative. — Ita *S. Congr. Inquisitionis die 21. Aprilis 1847.* (1)

(1) In *instructione* a S. Sede episcopis regni Hannoveriani data *die 17. Febr. 1854.*, quam per extensum invenies in *Archiv für kath. Kirchenrecht 1866. fasc. 2. p. 332.*, haec pro aliis circumstantiis statuuntur: Urgentibus haereticis, ant lege civili imperante non improbatur, quod pars catholica una cum haeretica se sistat ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium etiam coram ministro haeresi addicto *ad actum civilem tantum implendum*, ob finem scil. politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti conjuges prolesque censeantur legitimae. Prohibetur vero, ita consensum matrimonialem praestare, quotiescumque minister haereticus censetur velut sacris addictus et quasi parochi munere fungens, quia tunc „pars catholica ritui haeretico se consociaret, unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio.“ Monitum additur, perniciosam hanc consuetudinem, si forte inoleverit, omni studio ac zelo evellendam esse; parochorum esse, juxta opportunam instructionem ab episcopo dandam fideles edocere, eosque, si interrogentur a contrahentibus vel si certe noverint, eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, silere non posse. „Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat necne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen, eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat, monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo necnon de universa prole in religione catholica educanda. Quodsi tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit vel ab ipsis sponsis parocho notificetur, parochus huic matrimonio non intererit, nisi, servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. — Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit, Te praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum etc.“ — Quoad matrimonium vero, quod vocant *civile*, v. supra *n. 730. not. 3.*

Quaer. 12° *Quaenam observanda, si ille, qui matrimonium celebrare intendit aut jam celebravit, sive catholicus, sive acatholicus sit, invalide baptizatus est vel si dubium prudens de ejus baptismo subsistat?* (1)

Resp. 1° Si agitur de matrimonio inter *catholicos* celebrando et una pars *certo* baptismo caret, hoc sacramentum ipsi ante matrimonium conferri debet, ut patet. Si vero matrimonium cum hoc defectu jam celebratum sit, post baptismum collatum revalidandum erit juxta generalia principia infra exponenda.

Si tandem quoad *catholicum dubium probabile* de baptismo ante vel post matrimonium oriatur, baptisma conferatur sub conditione et secreto, in posteriore casu tamen sine praejudicio validitatis matrimonii. Ex decis. *S. C. C.* huc pertinentibus, quae referuntur in *Anal. J. P. ser. 5. col. 1141.* sub *n. 69. 71. 72.*, sequentem seligimus:

Quaer. An Laura Dolfini (christiane educata et in matrimonio collocata, de cujus baptismo tamen non constabat) baptizari debeat sub conditione in casu etc.

Resp. *Affirmative et secreto, et sine praejudicio validitatis matrimonii.* — *Thes. resol. S. C. C. t. 7. p. 354.; t. 8. p. 88.*

Resp. 2° Quoad *acatholicos* ratio habeatur sequentis decisionis *C. S. Off.* (apud *Heiss* inter *Addenda* in pag.

(1) Cum auctor hanc quaestionem ex notis editionis III. Ratisb. *(n. 824. II.)* in textum transposuerit, non dubitamus, ipsi textui aliqua ad pleniorem dubii solutionem addere.

ultima operis): „Sanctissimus in audientia habita *die 20. Dec. 1837.*, audita relatione dubii, utrum scil. in praesumptione baptismi invalide collati parti haereticae matrimonium cum parte catholica a Sede Apostolica dispensata inire cupienti conferri debeat iterum baptisma sub conditione, dixit: Detur decretum latum *die 17. Sept. 1830.*, ut sequitur: Quaesitum erat, an calvinistae et lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur? Cui instantiae responsum fuit:

1° *Quoad haereticos, quorum sectae ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis.*

2° *Quoad alios, qui juxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quodsi dubium persistat, etiam in 1° casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii.*

3° *Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.*

Hisque omnibus Sanctissimus superaddi mandavit: *In tertio casu praefati decreti, respiciente nullitatem certam baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus.*"

Hinc statuendum videtur:

1° Si sermo est de matrimonio mixto et *dubium* de valore baptismi, quod *acatholico* collatum est, matrimonium censeatur validum.(1)

2° Si vero *acatholicus* ille *invalide* baptizatus est, recurrendum ad S. Sedem.(2)

(1) Dispensare enim tunc Ecclesia censetur, si forte baptisma reipsa validum non exstiterit. — (Nota edit. rom.)

(2) Cum hoc matrimonium certe sit invalidum, si separari conjuges nequeant nec baptismum alter velit recipere, superest, ut quaeratur dispensatio. — (Nota edit. rom.)

PUNCTUM VIII.

De impedimento vis seu metus(1)

Haec pauca statuenda sunt:

832. — I. Metus *gravis*(2) dirimit certo matrimonium(3) de jure ecclesiastico, et probabilius etiam de jure naturali(4), ut sequitur *a fortiori* ex dictis *de contractibus p. 1. n. 780.*(5)

Requiruntur tamen sequentes conditiones, scilicet ut metus incutiatur 1° a causa externa et libera; 2° injuste; 3° ad finem contrahendi matrimonii(6).

II. Metus *levis*, etiam injustus, matrimonium non dirimit. Ratio: 1° quia

(1) vis enim *conditionata*, de qua hic sermo, a metu non differt. — *S. Lig. n. 1046.*

(2) saltem *respective* — *S. Lig. n. 1047.* Quoad metum *reverentialem* v. *Anal. J. P. ser. 1. col. 695. n. 2.* Mala absolute gravia autem censentur periculum mortis, carceris diuturni, infamiae gravis, amissionis bonorum magni momenti etc., etiamsi propinquis usque ad 4um gradum intententur (quod tamen alii melius limitant ad ascendentes et descendentes in 1° gradu). — *S. Lig. n. 1047. 1048.*

(3) quamvis juramentum intercesserit vel metus a tertia persona incussus fuerit — *S. Lig. n. 1045. etc.*

(4) Utrolibet jure dirimi dicas, hoc impedimentum dispensationem non admittit, sed necesse est, ut causa metus tollatur. Ita *Alexander III.* c. Cum locum (14.) *de spons. et matrim. (IV. 1.)*: „Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intervenit, necesse est, ut, ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur." Idcirco perseverante causa metus nec per copulam, nec per cohabitationem (haec alias praesumuntur metu extorta) matrimonium convalidatur; durante enim metu sicut matrimonium non potest valide contrahi, sic nec convalidari. — (Nota edit. rom.)

(5) Dirimit autem, etsi metum passus *vere* consenserit. — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 2. n. 392.*

(6) Discrepant tamen auctores in interpretatione hujus 3ae conditionis. — *Heiss, de matr. §. 29. V.* — Cf. etiam *p. 1. n. 783.*

metus levis non censetur graviter et efficaciter in consensum influere; 2° quia ex jure positivo solus metus gravis irritum facit matrimonium; 3° quia secus innumera matrimonia fierent irrita cum maximo societatis detrimento. (1)

PUNCTUM IX.
De impedimento ligaminis.

833. — Per *ligamen* intelligitur vinculum matrimonii, quo conjuges ita inter se constricti sunt, ut, utroque vivente, neuter cum alio quolibet matrimonium validum inire possit.

Impedimentum ligaminis fundatur in duobus matrimonii attributis, quae sunt *indissolubilitas* et *unitas*. Hinc patet, impedimentum ligaminis esse juris divini.

Resolves:

834. — 1° Qui bona fide crederet, conjugem esse mortuum, dum reipsa vivit, et ad alias nuptias convolaret, non peccaret quidem, sed invalide contraheret et ad priorem conjugem comparentem redire teneretur.

2° Non sufficit igitur sola conjugis absentia, quantacumque sit, ad novum matrimonium ineundum, sed requiruntur certa et authentica mortis argumenta. (2) — Sic ex jure canonico c. In praesentia (19.) *de spons. et matrim. (IV. 1.)*.

3° Certitudo moralis a jure requisita non habetur per rumorem etiam publicum, nisi aliquo argumento positivo fulciatur, nec per unicum testem, nisi aliae adsint conjecturae, de quibus solius est episcopi judicare. Hinc in dubio semper ad episcopum recurrendum est. (3) Hic autem, remanente dubio, matrimonii celebrationem permittere non potest. Validum tamen foret, licet graviter illicitum, matrimonium, quod in tali dubio celebraretur, si revera mortuus esset conjux, de cujus morte dubitatur.

PUNCTUM X.
De impedimento aetatis.

835. — Impedimentum *aetatis* consistit in defectu aetatis sufficientis ad matrimonii jura adimplenda. Dirimit matrimonium impuberum de jure ecclesiastico, ut eruitur ex c. 7. *10. et 14. de spons. impub. (IV. 2.) etc.* (1)

Pubertas autem habetur ex jure can. pro foeminis aetate 12 annorum completorum, et pro maribus aetate 14 annorum.

Excipitur tamen in jure: *modo malitia non suppleat aetatem,* quod intelligitur de impuberibus aetate, qui jam sunt puberes corporis viribus seu potentes ad generationem, et aliunde onus vinculi conjugalis intelligere possunt. (2)

---

(1) Causas huc spectantes v. *Act. vol. 1. fasc. 7. p. 411.; vol. 2. fasc. 13. p. 6. — Anal. J. P. ser. 8. col. 2241.*

(2) De hisce indiciis seu argumentis v. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 21. n. 10. et seq.* — (Not. edit. rom.)

(3) Fortasse nimis dure *Giraldi, Expos. J. P.* in c. In praesentia (19.) *de sponsal. et matr. (p. 1. sect. 656.)* exigit, ut ad ordinarium recurratur, si legitima adsit probatio solum *per testes,* quasi vero sic moralis illa certitudo, quae ex omnium sententia sufficit, haberi non posset. — (Not. edit. rom.)

Sed v. ipsum *Giraldi l. c.*, qui id non in omni casu absolute exigere videtur.

(1) Si in impuberibus deest discretio sufficiens, ita ut matrimonii contrahendi vim et naturam non intelligant, nuptiae irritae sunt ipso jure naturae; si vero actualis solummodo potentia ad copulam conjugalem, jure positivo canonico, nisi S. Sedes dispensaverit. — Cf. const. *Magnae nobis Ben. XIV. d. d. 29. Jun. 1748. §. At dicet.*

(2) Ad liceitatem matrimonii in hoc casu episcopi venia exigitur. Cum tamen talis potentia in impuberibus plerumque difficulter probetur, consultius erit, adire S. Sedem. — *Ben. XIV. in const. cit.*

Licet vero ejusmodi sponsalia de praesenti inter impuberes vel inter puberem et impuberem ex jure positivo matrimonium non constituant, nisi malitia suppleat aetatem, tamen ex eodem jure valent *ut sponsalia de futuro,* si horum

PUNCTUM XI.

De impedimento clandestinitatis.

836. — Matrimonium *clandestinum* dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe sine adsistentia parochi et(1) duorum saltem testium. Impedimentum illud est de solo jure ecclesiastico, cum fuerit a *Tridentino* constitutum, ut patet ex *sess. 24. cap. 1. de ref. matr.* — Testes quilibet sufficiunt ad matrimonii validitatem, sive mares sint, sive foeminae, sive majores, sive minores, modo rationis usum habeant et de contracto matrimonio testari valeant.(2)

Agendum: 1° de vi decreti concilii Tridentini; 2° de adsistentia parochi.

SECTIO I.

De vi decreti concilii Tridentini.

837. — Concilium sic statuit: „Qui aliter, quam *praesente parocho* „vel *alio sacerdote* de ipsius parochi „seu ordinarii licentia, et *duobus* vel „*tribus testibus*, matrimonium con„trahere attentabunt, eos sancta syno„dus ad sic contrahendum omnino „*inhabiles* reddit, et hujusmodi con„tractus *irritos* et *nullos* esse decer„nit.... Declarat insuper, ut hujus„modi decretum in unaquaque paro„chia suum robur post 30 dies habere „incipiat, a die primae publicationis „in eadem parochia factae numeran„dos." (1)

Resolves:

838. — 1° Matrimonia clandestina sunt omnino invalida in omnibus locis, ubi concilii decretum fuit promulgatum.(2) Ex ipso decreto manifestum est.

---

valori aliud non obstet, v. g. expressa intentio solummodo matrimonium celebrandi, ideoque privilegio sponsalibus impuberum concesso *(n. 722. not. ult.* sub 1°) gaudent. Ast resolveturne matrimonium istud in sponsalia, etiamsi *clandestine* celebratum sit? *Affirmant,* dummodo malitia non suppleverit aetatem, *Sanchez, de matr. l. 1. disp. 21.* — *Pignatelli, Consult. t. 9. cons. 133. n. 46.* — *Fagnan., in l. 4. decr. c.* De illis (9.) *de despons. impub. (IV. 2.) n. 48. et seq. etc.,* quos sequitur editor romanus hujus compendii in *not.* ad *n. 723. I. §. Et hae quidem. Contradicunt* tamen *Schulte — Knopp, Eherecht §. 15. p. 102.* — *Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts l. 5. §. 272. II.*

(1) simultanee —

(2) Recte *S. Alphonsus n. 1085.* post *Sanchez aliosque* advertit, munus testium posse exercere etiam infideles: nec necessarium esse, ut sint ad hoc vocati, sed etiamsi casu transeant aut sint ibi praesentes, dummodo adverterint id, quod factum est. Imo sufficiunt, licet dolo et in alium finem vocati fuerint, quin etiam licet inviti ac vi detenti adsint. — V. *Barbosa, de offic. parochi p. 2. c. 21. n. 46. et 80.* (Not. edit. rom.)

(1) De hac restrictione ita *Pallaviciai, Vera conc. Trid. historia l. 22. c. 8. n. 10.:* „Denique praecipiebatur, ut ea decreta singulos obstringerent post diem a prima promulgatione trigesimum, quod inter cetera commoda unum quoddam afferebat, tunc ab omnibus haud observatum, quia videlicet evitabitur id, quod *Lainius* (cf. *ib. c. 4. n. 25.*) et alii monuerant, nimirum inter haereticos, qui huic decreto non parerent, nullum matrimonium in posterum verum fore nullamque prolem legitimam. Huic sane incommodo occurrebatur, quoniam illi suis in regionibus decreti promulgationem haud permisissent adeoque non fuisset expleta conditio, sub qua synodus imperabat, ut illud cunctos obstringeret. Quod tamen satis non fuit illis regionibus, quae a catholicis tunc possessae, adeoque hac lege illic solemniter promulgata obstrictae, in manus postea haereticorum ibi degentium et imperantium devenere. Sed quod per sanctiones cunctis eventuris casibus non consulatur, non est hominum culpa, sed hominis natura." — Cf. etiam *Petra, Comment. tom. 4. ad const. 12. Joannis XXII. n. 19. et seq.*

(2) Hic respiciendae praesertim sequentes declarationes *S. C. C. d. d. 26. Sept. 1602.:* „1° Ubi decretum ejusdem concilii (Trid.) c. 1. sess. 24. de reform. matr. non est publicatum in parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formae a concilio praescriptae. — 2° Publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum concilii observatum.

2° Non autem sunt invalida in locis, ubi promulgatio omissa fuit sive culpabiliter, sive inculpabiliter; nam iis in locis valida erant ante concilium et in eadem ibi conditione sunt habenda, qua antea habebantur, prout ex ipso concilii decreto patet, quod anathemate eos ferit, qui eorum valorem negant, quamdiu Ecclesia ea non irritet. (1)

3° Matrimonia clandestina sunt ubique illicita et sub gravi prohibita (1). Ecclesia enim ea semper *detestata est,* ut declarat *Tridentinum* et evidenter ostendit *Benedictus XIV., de synod. l. 8. c. 12. n. 4.*

Nota 1° Agnoscitur ut receptum *Tridentini* decretum in Italia, Hispania, Lusitania, Gallia, Hollandia, Belgio, Hibernia et in partibus Germaniae tunc catholicae. — Non autem receptum est in Anglia, Suecia, Saxonia, Dania et pluribus Germaniae et Helvetiae locis.

Nota 2° *Benedictus XIV.* edidit declarationem ann. 1741., in qua statuit, matrimonia clandestina inita vel ineunda in Hollandia et Belgio inter haereticos vel inter unam partem haereticam et alteram catholicam esse valida. Nihil autem

---

(V. etiam *Ben. XIV., de syn. l. 12. c. 5. n. 6.*) — 3° Haereticos quoque, ubi decretum dicti capitis est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse. — 4° Ubi etiam constet, decretum concilii esse publicatum vel aliquo tempore in parochia tamquam decretum concilii observatum, sed parochialis ecclesia, utpote vacans, proprio parocho careat, et cathedralis itidem episcopo atque capitulo, habentibus a concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi vel episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. — 5° Si exstat quidem parochus vel episcopus, sed, nullo constituto vicario, uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu a dioecesi absit nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus." — V. *Anal. J. P. ser. 9. col. 496. 497.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1867. fasc. 2. p. 323. 324.; fasc. 3. p. 462. 463.*

Addimus aliam decisionem ejusdem *S. C. d. d. 13. Nov. 1738.*, quam invenies l. cc.: „Si non constet de publicatione s. concilii Trid. in parochia contrahentium, non esse invalida matrimonia coram ministro haeretico contracta; si vero constet de publicationibus s. concilii in parochia saltem ex illius observantia per aliquod tempus tamquam decreti s. concilii, ad validitatem matrimonii requiri, ut coram parocho catholico iterum contrahant."

(1) Item non sunt invalida, si decretum Trid. solummodo in synodo promulgatum sit, vel in parochiis quidem, sed non in idiomate, quod a populo intelligitur, vel si nullimode ut decretum illius concilii receptum et observatum, vel si hujusce memoria penitus obliterata fuerit. Si vero memoria exstat consuetudinis, matrimonia in exsecutionem concilii Trid. coram parocho etc. celebrandi, promulgatio praesumitur. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1870.*

Huc facit decisio *S. C. C. d. d. 30. Mart. 1669.* in *una Indiarum:* „Si decretum concilii in iis regionibus non fuit publicatum in parochiis intelligibili idiomate, seu numquam receptum et in usu positum, vel ipsius memoria prorsus perierit, valida esse matrimonia ... contracta absque ullius parochi praesentia. Si vero... fuit praefato modo in parochiis publicatum et receptum adsitque memoria, quod de tempore ante schisma erat in usu et coram legitimo parocho vel missionario et testibus juxta formam concilii contrahebantur matrimonia, in hoc casu esse distinguendum. Vel parochi legitimi... aderant in ea regione et accessus ad eos erat tutus et facilis, vel non aderant nec, si aderant, accessus ad eos erat tutus et facilis. Si primum, omnia praefata matrimonia, cum potuerint fieri coram parocho legitimo vel missionario et non fuerint sic facta, esse invalida et revalidanda; si secus,... esse valida, si coram testibus saltem facta sunt."

(1) Excipe casus necessitatis, gravis damni vel periculi vitandi in locis, ubi decretum Trid. promulgatum non est, v. g. in missionibus, si nullus sacerdos ab ordinario deputatus in vicinia habeatur, qui absque periculo adiri possit. Admoneantur tamen fideles, ut a missionario, si postea redierit, benedictionem nuptialem petant, quod tamen ad validitatem nuptiarum non requiritur *(n. 844.).* — *Anal. J. P. l. c.* — *Tanner, de matr. tom. 4. disp. 8. Q. 3. Dub. 6. n. 111.*

statuit circa matrimonia catholicorum inter se in iisdem locis. (1)

Quaesita:

839. — Quaer. 1° *An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco, ubi receptum est decretum concilii Trident., contrahunt in loco, ubi non est receptum?*

Resp. 1° Invalide contrahunt, si pergant in alium locum in fraudem legis i. e. intentione clandestine contrahendi. Ex decreto *Urbani VIII. anni 1627. etc.*

Resp. 2° Valide tamen contrahunt, si ibi quasi-domicilium habeant vel acquirant, quia vi hujus domicilii omnibus privilegiis incolarum gaudent. Et hoc valet, etiamsi e patria domicilium illuc transtulerint eo fine, ut alibi clandestine contrahant, quia ibi fraus non est, cum privilegium loci ipsis sicut aliis illius incolis faveat. Ex eodem decreto *Urbani VIII.* (1) — *S. Lig. n. 1080. etc.*

Quaer. 2° *An valeat matrimonium eorum, qui discedentes ex loco, ubi non viget decretum Trident., contrahunt clandestine in loco, ubi viget?*

Resp. Negative, etiamsi contrahant transeundo tantum, quia agitur hic de lege generali Ecclesiae: ex generali autem principio exemptio a jure communi est localis, non vero personalis. Qui ergo alicubi domicilium habent, exemptione uti tantummodo possunt, quamdiu eo in loco sunt; si alio commigrant, ubi jus commune viget, juri communi subjiciuntur.

840. — Quaer. 3° *An valide contrahant clandestine sponsi, quorum unus habet domicilium in loco, ubi receptum est decretum concilii Trident., et alius, ubi non est receptum?*

---

(1) Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 6. c. 6. n. 13.*

Elenchum autem locorum, ad quae extensa ab Apostolica Sede declaratio Benedictina est, videre est apud *P. Perrone, de matr. lib. 2. sect. 1. cap. 6. art. 4.*, de quo tamen duo fac advertas. Primum est, decreta ibi relata *(pag. 270. edit. rom.)*, quae pertinent ad Hiberniam ann. 1785., ad universum imperium Russiacum regnumque Poloniae ann. 1844., item ad provincias Rhenanas sub ditione Borussica ann. 1830., tum quae *(ibid. pag. 271.)* spectant ad Bavariam ann. 1834., et ad Hungariam ann. 1841. ac Georgiam ann. 1845., reipsa non esse extensionem Benedictinae declarationis. Praeterquam enim quod haec declaratio ex aliis prorsus principiis ducit originem, insuper primario ad haereticorum matrimonia refertur, ad matrimonia vero mixta deinde per quamdam quasi extensionem protracta est, prouti ipse *Benedictus XIV. (de syn. lib. 6. cap. 6. n. 12.)* indicat; contra vero decreta, quae ad regiones superius recensitas pertinent, decreti Tridentini derogationem seu dispensationem quamdam continent (neque hanc quidem omnes — v. *Denzinger, Enchir. n. 1477. 1483.*) et solum ad matrimonia mixta referuntur. Alterum est, decretis a *P. Perrone ibid.* collectis duo permisceri: unum pro Japonia d. d. 2. Jul. 1625., alterum pro Curacao ann. 1851., quod utrumque, cum solum ad catholicorum inter se matrimonia referatur, nihil, uti patet, cum Benedictina declaratione commune habet.

Loca porro, ad quae reipsa declaratio ista extensa est, supervacuum foret heic enumerare, quippe facile de suo quisque domicilio id addiscet. — Ita editor rom.

(1) Quid vero de matrimonio clandestino illorum, qui in alium ejusmodi locum, ubi neutri eorum domicilium vel quasi-domicilium competit (v. *n. 840. Q. 3°.*), se conferunt sine fraude quidem, sed etiam sine animo domicilium acquirendi? — Tale matrimonium juxta *communiorem* sententiam validum quidem ait *editor romanus* cum *Schmalzgrueber l. 4. tit. 3. n. 110.*; sed invalidum omnino habendum est, nisi contrahentes vagis adnumerari debeant. Id clare colligitur ex decreto supra memorato *Urbani VIII.*, resp. ex decisione *S. C. C. d. d. 5. Sept. 1626.* ad dubium primum, quam decisionem *Urbanus VIII.* et *Benedictus XIV.* expresse confirmaverunt. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 33. §. Quarto et seq.*; item priorem partem epistolae *Paucis abhinc ad archiep. Goanum d. d. 19. Mart. 1758. (Bull. tom. 3. part. 2. app. 2. pag. 491. edit. Prat.)* — *Act. vol. 1. fasc. 3. p. 138. sub IX.*; *vol. 2. fasc. 19. pag. 398. I. et seq.*; *p. 436. et seq.*

Resp. 1° *Affirmative,* si contrahant in loco, ubi non est receptum Trid. decretum. Ratio est, quia sponsus loci, ubi Trid. non est receptum, lege concilii non tenetur et privilegium suum alteri communicat propter individuitatem contractus. — Ita *Bened. XIV., de synod. l. 6. c. 6. n. 12.* et *Clemens XIII. ann. 1767. in responso ad archiepisc. Mechlin.*

Resp. 2° *Negative,* si contrahant in loco, ubi viget decretum Trid. Ratio eadem est, ac in quaesito secundo.

Quaer. 4° *An excuset ab impedimento clandestinitatis impotentia ad proprium parochum vel episcopum recurrendi?*

Resp. 1° *Affirmative,* si illa impotentia sit communis in aliqua provincia, v. g. durante perturbatione aliqua politica vel religiosa. Ratio est, quia, si lex obligaret in tali casu, esset bono communi nociva et in detrimentum societatis vergeret. Constat aliunde ex declaratione *S. Congr.* apud *Ben. XIV., de synod. l. 12. c. 5. n. 5.,* necnon ex diversis *Pii VI.* decisionibus(¹).

Resp. 2° *Negative,* si impotentia casus particulares respiciat, quia lex irritans non cessat ob incommodum privatum. — *Recole dicta n. 787.* (¹)

841. — Quaer. 5° *An censeantur valida matrimonia clandestina haereticorum, ubi viget lex Tridentina?*

Resp. Controvertitur. Plures affirmant, quia, ut ajunt, Ecclesia non censetur velle, ut tot matrimonia sint invalida. Sed omnino *negandum* esse videtur ob sequentes rationes:

1° Quia, ubi lex Tridentina publicata est, omnes indiscriminatim obligat, ergo urget haereticos, sicut catholicos, cum etiam illi Ecclesiae jurisdictioni subjaceant.

2° Quia, si haeretici ab illa lege generali Ecclesiae eximerentur, commodum ex inobedientia sua reportarent, quod sane absurdum est.

3° Quia eruitur ex declaratione *Benedicti XIV.* circa matrimonia haereticorum vel matrimonia mixta in Hollandia. Etenim declaravit ille Pontifex, haec matrimonia esse valida, licet clandestina. Ergo sine illa declaratione invalida forent, ut saepius

---

(¹) Ita hac de re *Pius VI. (epist. ad episc. Lucion.),* occasione perturbationis gallicae, anno 1793.: „Quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino parochum legitimum habere, horum profecto conjugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepius declaratum fuit a *S. Congr. Conc. Trid. interpret.*“ — (Nota auct.)

Nuper autem a *C. S. O.* decretum prodiit, quo declaratur, facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine praesentia parochi tunc adesse, quando *per spatium mensis* tutus non sit ad eumdem accessus. Unde fit, ut quando prudenter censeri queat, intra mensem non affore facultatem tuti accessus ad parochum, jam extinc et alia mora non interposita, ea forma matrimonium valide ac licite contrahi possit. — (Nota edit. rom.)

Cf. etiam *notas* ad *n. 838.* sub *1°. et 2°.*

(¹) Non desunt quidem, qui defendunt, etiam in casu particulari hanc legem cessare, dummodo maxima simul urgeat contrahendi necessitas. — V. *Diana, Resol. mor. tom. 2. tr. 6. resol. 72. n. 4.* et *resol. 73. sub fine.* Sed opponit post *Sanchez (de matr. l. 3. disp. 17. n. 5. ad 1um.) Schmalzgrueber (l. 4. tit. 3. n. 107.),* tuens sententiam negantem *communissimam:* „Lex mere praeceptiva et inducens solemnitatem mere extrinsecam recipere aliquando interpretationem ex epikeia potest, non autem quae ponit substantialem solemnitatem et aliter contrahentes facit inhabiles, prout facit in casu nostro Tridentinum.“ Confirmatur sententia negativa insuper ex iis, quae auctores docent de potestate episcopi, urgente necessitate in lege inhabilitante quoad matrimonium dispensandi. — Cf. *n. 841. not.* Hinc *Diana l. c. n. 7.:* „Sed ego extra casus superius declaratos a *S. Congr.* et *Clemente VIII.* (v. *n. 838. 1°. not.*)... non audeo alios admittere.“

a *S. C.* declaratum est. At exceptio firmat regulam.

4° Quia constat ex variis decisionibus *S. C.*, ut videre est apud *Perrone, de matrim. christ. t. 2. l. 2. sect. 1. c. 6.* (1)

842. — Quaer. 6° *An decretum Trid. vigere censeatur in ecclesia recenter formata apud haereticos vel infideles?*

Resp. Affirmative, si decretum in illis paroeciis publicatum fuerit. Licet autem lege ordinaria hoc decretum promulgari debeat, ubi promulgatum non fuit, quandoque tamen, ratione specialis difficultatis, novae ecclesiae fundatores promulgationem hujus decreti differre possent, quando scilicet in magna provincia adeo sunt rari sacerdotes, ut matrimoniis fidelium saepius adsistere nequeant. Consultius autem foret, in simili casu ad Sedem Apostolicam recursum habere, cujus est judicare, quid in re tam gravi magis expediat.

843. — Quaer. 7° *An fideles debeant coram alio sacerdote contrahere, cum facile possint, si ad proprium parochum recurrere nequeant?*

Resp. 1° Debent petere licentiam parochi vel episcopi per literas, si facile fieri possit, ut aliquis sacerdos ad adsistendum matrimonio delegetur.

Resp. 2° Si non possint hanc licentiam requirere vel obtinere, valide contrahere possunt coram duobus testibus(1), secluso simplici sacerdote. — *Ita communiter.* Ratio est, quia simplex sacerdos nullam habet jurisdictionem. Constat etiam ex responsione *S. Congr. d. d. 22. Apr. 1795.*, a *Pio VI.* approbata. Respondit enim, ut in iis adjunctis tantummodo benedictio a catholico aliquo sacerdote recipiatur. — V. collectionem decisionum curiae romanae circa res matrim. ad calcem opusculi *De impedimentis matrimonii*, Lovanii edit. 1827.

---

(1) Quidquid sit de argumentis, quae auctor supra affert, praesertim sub 2°. et 3°. (v. *n. 837. not.*; dein *Benedicti XIV.* declarationem *Matrimonia d. d. 4. Nov. 1741.* et *de syn. l. 6. c. 6.* — constitutio *Matrimonia* enim aperte simplicem declarationem validitatis, non vero dispensationem continet), verificata hypothesi, decretum Tridentinum scilicet in parochia, de qua quaeritur, promulgatum esse, neganda in genere erit validitas matrimoniorum clandestine ibidem celebratorum. Id sufficienter colligitur ex nota, quam *n. 838. sub 1°.* adposuimus; item ex recentissima decisione *S. C. C. d. d. 1. Dec. 1866.* (v. *Act. vol. 2. fasc. 23. p. 617. et seq.* — *Anal. J. P. ser. 9. col. 491. 636. et seq.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1867. fasc. 2. p. 315.; fasc. 3. p. 455. et seq.*). De modo vero agendi S. Sedis quoad ejusmodi matrimonia cf. *Denzinger, Enchir. n. 1348.* — *Anal. J. P. l. c. col. 497.* — *Archiv l. c. fasc. 3. p. 463.*; censet scilicet abstinere ab expressa declaratione nullitatis matrimoniorum etiam mixtorum, ubi periculum urget perturbationum vel aliud sat grave inconveniens.

Nihilominus circumstantiae concurrere possunt, in quibus decretum concilii Trid., licet in aliqua parochia promulgatum, vim obligatoriam amittit. Ita contingit, si ejusdem observantia ex omni memoria evulsa sit. — V. *n. 838. 2°. not.* Num vero verba *Pii VII.* ad archiep. Mogunt., matrimonia clandestina firma consistere, si decretum istud, aliquando observatum, „longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit" (*Anal. J. P. l. c. col. 646. n. 51.* — *Archiv l. c. fasc. 2. p. 334.*), etiam brevius tempus comprehendant, quam immemoriale, non liquet: affirmantem partem defensor matrimonii in recentissima causa S. Sedi proposita tuetur. — V. *Anal. J. P. l. c.* Item vis decreti cessat, si alicubi parochi legitimi non habeantur vel accessus ad ipsos non sit facilis, ut ex notis praecedentibus constat. — Certum econtra videtur, decretum non aboleri, si parochiae alicui catholicae post promulgationem concilii ibidem factam parochia protestantica supervenerit. — Cf. *Knopp §. 31. p. 309.* cum *not. 82.* Difficulter autem regula generalis statui poterit, ex qua hujusmodi casus certo dijudicentur. Hinc in dubio recurrendum est ad S. Sedem. — Cf. *Reinerding, Principia juris can. de matrim. mixtis n. 51. et seq.*

(1) Cf. *n. 838. 1°. not. sub 4°.*; *n. 840. Q. 4°. not. 1.*

844. — Quaer. 8° *An conjuges, qui deficiente parocho clandestine contraxerunt, ad benedictionem, data opportunitate, accipiendam teneantur?*

Resp. Non tenentur quidem, sed ad hoc adhortandi sunt.(1) Sacerdos autem conjugibus declarare debet, hujusmodi benedictionem ad matrimonii validitatem minime pertinere. Constat ex responsione ejusdem Congr. eodem die data et ab eodem Pontifice adprobata. — V. opus modo dictum *p. 175.*

SECTIO II.

De adsistentia parochi.(2)

1° Qualis parochus adsistere debeat; 2° quomodo adsistere debeat.

I. Qualis parochus adsistere debeat.

845. — I. Ille solus parochus matrimonio valide adsistere potest, qui est proprius parochus (3) alterutrius contrahentium, i. e. ille, qui in eos vel saltem in alterutrum jurisdictionem habet. (1) Evincitur enim ex *concilio Trid.*, solum parochum valide matrimonio adsistere posse. Parochum vero sic intelligendum esse, ex variis decisionibus *S. Congr. Conc.* compertum habemus. (2)

II. Jurisdictio parochi constituitur per domicilium habituale (3) aut quasi-

---

(1) Cf. *n. 838. 3°. not.* — *S. Lig. n. 1079. not. editoris Belgae.*

(2) Nomine parochi non solum veniunt ipsi parochi, sed etiam Papa in toto orbe..., episcopi et vicarii generales in suis dioecesibus, archiepiscopi, dum actu visitant dioeceses suffraganeorum et dum ad eos fit appellatio contra episcopum suffraganeum nolentem aliquos matrimonialiter conjungi, vicarius capitularis sede vacante et abbates ecclesiarum nulli episcopo subjectarum. — *Ferraris ad v.* Imped. matr. *art. 2. n. 61.* Possunt vero a supradictis alii, dummodo sint sacerdotes sive saeculares, sive regulares, delegari, etiam pro pluribus vel omnibus matrimoniis. — *Ib. n. 68.* Ad cautelam tamen ejusmodi delegatio sat expresse concedatur, non nimis generaliter, deputando v. g. „ad omnia sacramenta administranda", licet de valore talis delegationis dubitari vix possit, nisi circumstantiae ejus sensum ambiguum forte demonstrent. — Cf. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 3. n. 190. et seq.* — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 740. App. 1. XIV.; p. 2. sect. 115. XXII.* — *Anal. J. P. ser. 5. col. 992. n. 150. 151. 156.*

(3) etsi nondum sit sacerdos — *Ferraris l. c. n. 67.*

(1) Ad *quaesitum:* Cum concilium Trid. inter cetera praecipiat, matrimonia esse contrahenda praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi sive ordinarii licentia, quaeritur, quid, si contrahentes sint diversarum parochiarum, utriusne parochi praesentia requiratur, sponsine an sponsae, an vero utriusque, an etiam alterius parochi consensus accedere debeat? *S. Congregatio* censuit, *ad validitatem matrimonii sufficere praesentiam solius parochi proprii sponsae, quando matrimonium in parochia sponsae contrahitur; similiter sufficere praesentiam solius parochi sponsi, si modo matrimonium contrahatur in parochia ipsius sponsi.* — *Ben. XIV., Inst. 33. Primum omnium.* Imo sufficit ad validitatem, si parochus unius sponsorum vel ejusdem delegatus adsistat matrimonio in parochia alterius sponsorum, licet extra ejus dioecesim sita, cum haec adsistentia non sit actus jurisdictionis contentiosae. Illicite tamen consuetae solemnitates adhiberentur in illo actu, si non accedat licentia parochi, in cujus ditione adsistentia praebetur. — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 740. App. 1. XIV.; p. 2. sect. 115. II.* — *S. Lig. n. 1087.* — Infra *n. 852. Q. 2°.*

Verum ex universali et antiquissima consuetudine matrimonium celebrandum est in domicilio sponsae, ideoque ab illius parocho: ac recte; neque enim aequum est, ut sponsa paternam domum deserat, nisi jam conjuncta viro ab eoque desponsata. Hoc tamen ad validitatem non refert. — *Scav. t. 3. n. 881.* In praxi quoad liceitatem observentur statuta particularia vel legitima consuetudo.

(2) Consuetudo vero non valet habilitare illum, qui non est parochus contrahentium, ad confirmandum sacramentum matrimonii, nec est in posterum toleranda. — *S. C. C. d. d. 31. Maji 1704.* — *Anal. J. P. ser. 2. col. 1885.*

(3) scil. per habitationem in aliquo loco cum animo, ibidem perpetuo manendi, donec alia causa avocet. Acquiritur vero tale domicilium primo habitationis die. — *Scav. etc.* Qui duo habet in diversis parochiis domicilia, in quibus

domicilium(¹) contrahentium vel eorum alterutrius in ejus paroecia, non vero per domicilium originis(²) nec per solam habitationem ad breve tempus. Evincitur ex variis declarationibus *S. Congr.* et *Ben. XIV. etc.* — *Ita unanimi consensu theologi.*

Quaesita:

846. — Quaer. 1° *Quodnam tempus requiratur, ut aliquis advena possit in loco non suo matrimonium contrahere?*

Resp. Sufficit habitatio *unius mensis.* Constat ex declaratione *Benedicti XIV.* in epistola citata *Paucis abhinc hebdomadis, ad archiepiscopum Goanum d. d. 19. Mart. 1758.*:

„Post haec necessarium fore censemus, „nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, „quidnam requiratur *ad quasi-domicilium adipiscendum.* Verum hac in re „non alio pacto responderi potest, nisi „quod, antequam matrimonium contra„hatur, *spatio saltem unius mensis ille, „qui contrahit, habitaverit in loco, ubi „matrimonium celebratur.* Definitiones „*Congr. Concilii* hac de re observari „poterunt apud *Fagnanum* in *cap.* Si„gnificat *de parochiis,* ubi, earumdem „contextu perpenso, haec habet: Vir et „mulier Trajectenses, timentes impedi„mentum a parentibus, cum ad vicinam „urbem Aquisgranam se contulissent et „ibi aliquamdiu morati matrimonium con„traxissent, Sacra Congregatio consulta „super validitate censuit, exprimendum „tempus, quo contrahentes Aquisgranae „manserunt; quod si fuerit saltem unius „mensis, dandam esse decisionem pro „validitate....“

„Dubitari autem posset, num ad quasi„domicilium acquirendum matrimonii „causa non solum requiratur praecedens „habitatio, verum etiam subsequens ad „aliquod temporis spatium. Verum, cum „observaverimus, subsequentem habitatio„nem ab iis auctoribus, qui hanc tracta„rent materiam, tamquam magni momenti „adminiculum reputari, ut novum domi„cilium quaesitum dicatur, nihil vero de „illa praescriptum fuisse a *Concilii Con„gregatione* in adducta paulo ante defi„nitione, nolumus hac de re quidquam „novi decernere.“

847. — Haec *Benedicti XIV.* doctrina confirmatur recenti decisione *S. Congr. Inquisitionis* die 6. Dec. 1843.(¹)

Habitatio autem per unum menses in aliquo loco non sufficit ad tribuendam parocho loci illius jurisdictionem, adeo ut valide matrimonio adsistere possit, si fiat recreationis aut rusticationis gratia vel pro rusticanis negotiis, quia tunc nec domicilium, nec quasi-domicilium verum habetur, uti constat ex declaratione *S. Congr.*, relata a *Benedicto XIV. Inst.* 33. *§. Tertio, si quis.* — V. *Anal. J. P. ser. 2. col. 1886.* — *S. Lig. n. 1086.*(²)

---

fere aequaliter habitat, matrimonium rite coram illo parocho inire potest, in cujus potestate tunc degit, cum matrimonium contrahitur, cum uterque parochus valide adsistat. — *Ben. XIV., Inst. 33. §. Deinde.* — *Giraldi ll. cc.*

(¹) De quasi-domicilio v. *n. 847.* cum *nota.*

(²) quod sponsi potuerunt deserere ac realiter deseruerunt. Dicimus: quod potuerunt deserere; nam qui sui juris non sunt, sed patriae potestati subjecti, quamdiu revocari possunt in patriam, non videntur domicilium originis amittere, etsi animo numquam redeundi abiissent. — *Ita Zallinger, de cland. desp. n. 67.* apud *Ferrari, Summa inst. can. l. 2. tit. 9. 8°.*

(¹) *Postulatum:* Joannes et Maria, Mechliniae domicilia habentes, Londinum veniunt et sine auctoritate vel licentia suorum parochorum, uno solummodo mense elapso, Londini matrimonium contrahunt. Quaeritur, utrum hoc matrimonium sit invalidum propter supra dictum concilium Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. necne?

S. Congregatio Inquisit. d. d. 6. Dec. 1843. ad dubium propositum responsit: *Stet epistola Benedicti XIV. ad episcopum Goanum.* — (Nota auct.)

(²) Ad interpretationem responsi *Benedicti XIV.*, sub *n. 846.* relati, aliqua addere juvabit.

Uti domicilium, ita quasi-domicilium acquiritur facto et animo. — *Act. vol. I. fasc. 3. p. 134.* — *Archiv für kath. Kirchenrecht 1864. fasc. 4. p. 28. n. 2.* Factum porro consistit in actuali habitatione, animus vero in voluntate, qua quis alicubi domicilium aliquod figere, [illegible]

3. — Quaer. 2° *An vagi* (¹) *contrahere possint coram quolibet parocho?*

ımquam hospes, sed modo incolae liquod tempus morari intendit. — *v l. c. p. 27. n. 9. etc.* Hinc domicilium in certo loco acquirunt ›ad sacramenta, excepto illo ordi- ımbditi evadunt praetores, judices, i, facultatis alicujus professores, ıli famulique, licet exteri *(Bene- XIV., Inst. 33. §. Secundo con-); illi praeterea, qui ibidem degunt, religionem catholicam se conver- ɜt sacramenta recipiant (Anal. J. ·. 4. col. 2258. n. 19.)* vel qui in e detinentur non pro custodia so- lonec ipsorum causa judicis senten- gnoscatur, sed ut poenam a judice ım luant *(Ben. XIV. l. c. §. Ter- ·cidere).* Imo, idem dicendum cen- , si quis ad aliquam parochiam ac- animo, ibi quasi-domicilium figendi, leterminato negotio operam non det. ›lligi videtur ex decis. *S. C. C. 22. Febr. 1623.*, de qua ita *Be- ·. XIV. l. c. §. Non inficiamur:* . quoddam matrimonium validum vit, licet per duos Caesenae incolas .ctum, qui, ut parentum se molestiis ent, illud Fori Livii celebrarunt, ıuella ante discessum palam fecisset, micilium in illa civitate deligere, aterna avia vitam ducebat, quam ɜm suique curatricem praedicabat." etiam *Act. vol. 1. fasc. 3. p. 135.* ntra ad effectum, de quo agitur, ufficit domicilium originis *(Bene- XIV. l. c. §. Deinde cum. — Gi- Expos. J. P. p. 2. sect. 115. III. ıal. J. P. l. c. etc.)* vel domicilium quod v. g. ab aliqua communitate lscriptionem in album oppidanorum litur, quin conditiones supra indi- verificentur *(Act. vol. 1. fasc. 3. ·.; vol. 2. fasc. 15. p. 141. not. 1. ·chiv l. c. p. 32. n. 18.)* vel com- io alicubi rusticationis aut valetu- recuperandae aut rei familiaris ne- tractandi causa, cum tunc desit s domicilium contrahendi *(Giraldi, s. J. P. l. c.* et *p. 1. sect. 741. 1. XIV. etc.* — v. tamen *Anal. ser. 2. col. 1887. n. 3.).* Hinc editor romanus ad *n. 847.* sub *a.:* ıdo deest animus figendi alicubi ilium aut quasi-domicilium, nil refert, ıne an longa ibi mora trahatur; ita si peregrinus in quapiam consistas occasionem opperiens merces emen- ıt itineris seu navigationis socium, ·is alicujus exitum aut cessationem ıltatum, quae reditum in patriam ant, et hujusmodi: etsi enim etiam quinquennio, imo vel decennio moram in dies precariam ibi trahens permaneas, numquam illud domicilii jus acquires, quod ad matrimonium coram parocho, quasi tuo, valide contrahendum sufficiat."

Sed ad quodnam tempus voluntas illa se extendat necesse est? — Ad tempus notabile anni. Certo itaque sufficit, si quis dicto modo per majorem anni partem alicubi degere velit. „Conformius autem juri videntur sentire, qui dicunt, sufficere propositum habitandi per aliquot menses, praecipue si domus, conclave, taberna etc. fuerunt conducta." — Ita *Schmalzgrueber l. 2. tit. 2. n. 19.* — *Anal. J. P. (ser. 2. col. 1887. n. 2.)* notant, resolutiones *S. C. C.* non exigere, nisi duos menses commorationis.

Nullum dubium vero, conditionibus hisce verificatis statim post habitationem arreptam quasi-domicilium acquiri. — *Schmalzgrueber l. c.* — *Giraldi l. c.* — *Barbosa, de parocho p. 2. c. 21. n. 35.*

Et haec quidem ex rei natura atque pro foro interno.

Sed neque pro foro externo difficultas aderit, si ex variis adjunctis, quae novam habitationem aliquot dierum comitantur, evinci possit vera et determinata voluntas domicilium ibidem contrahendi. — *Act. vol. 1. fasc. 3. p. 134. 135. 138. VI.* Quid vero, si talia adjuncta desiderantur? Ad praesumptiones recurrendum erit. Praesumitur itaque voluntas domicilium alicubi figendi, quoties quis per 30 dies in loco habitaverit, ubi matrimonium celebrandum est, modo graves circumstantiae tali praesumptioni non adversentur, uti aperte ex epistola *Paucis abhinc* in textu citata colligitur. — Cf. *Archiv l. c. p. 26. et seq. n. 6. 10. 12. et seq.* Patet etiam ex iis, quae de natura quasi-domicilii breviter adnotavimus, cur *Ben. XIV.* in eadem epistola asserat, tali praesumptioni magnum adminiculum fore, si matrimonio juncti postea in eadem parochia habitare pergant.

(¹) „Vagus ille appellandus est, qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit, ut ex jure deprehenditur *(L.* Ejus *§. Celsus ff. ad municipalem): Puto autem, et hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget vel iter faciens quaerat, quo se conferat atque ubi consistat; nam hunc puto sine domicilio esse.* Peregrinus autem is nuncupatur, qui ea voluntate iter facit, ut ad pristinum domicilium exacta peregrina-

Resp. 1° *Affirmative*(¹), si ambo contrahentes sint vagi. Ratio est, quia parochum proprium non habent.

Resp. 2° Si unus tantum sit vagus, adhuc contrahere possunt coram quolibet parocho, quia sponsus, habens domicilium fixum, alterius privilegio uti potest. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 1089.* — *Anal. J. P. ser. 4. col. 2258. n. 19.* (¹)

Quaer. 3° *An matrimonio* valide *adsistere possit parochus suspensus, irregularis, excommunicatus aut schismaticus?*

Resp. Affirmative, dummodo non renuntiaverit titulo, vel ab illo canonice non depositus fuerit. (²) — *Ita communiter.* Sed plerumque *illicite* adsisteret. (³) — *S. Lig. n. 1083. 1084.*

849. — Quaer. 4° *An valide adsistat sacerdos, qui falso parochus existimatur?*

Resp. Affirmative, si habeat titulum *coloratum* et ex *errore communi* parochus reputetur. Ratio est, quia Ecclesia tunc ob bonum commune jurisdictionem supplet. — *Ita omnes.* Sic etiam *probabiliter* videtur di-

---

tione revertatur." — Ita *Ben. XIV., Inst. 33. §. Sed jam deveniamus.*

Ad quae verba haecce adnotat editor romanus: *Vagum* definit *Benedictus XIV. Inst. 33., qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit,* quod intelligendum est, tum si destinavit, ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit; adhuc enim in utroque casu aeque domicilio caret, ut notat *Sanchez (de matr. l. 3. disp. 25. n. 3.).* Adde, necessarium non esse, ut *sedem inquirat;* aeque enim, imo a fortiori *vagus* dicetur, qui nullibi certam et constantem sedem habet aut vult habere, ut advertit idem *Sanchez l. c. n. 1.* Insuper, quoad rem praesentem, ut vagus quis dicatur relate *ad parochiam,* nec opus quidem est, ut domicilium in *remota* seu *extera* aliqua regione quaerat; sed generatim satis est, quod, priore parochia relicta, nondum in alia sedem defixerit, quia tunc revera sine parochia est, quippe qui priorem amisit, et aliam nondum acquisivit. Idcirco 1° qui relicta parochia nondum statuit, in quam migraturus sit, et interim aliquo in loco hospitatur, iste est vagus; 2° qui, etiamsi domum invenerit, in qua habitaturus erit, tamen in domo alterius parochiae hospitatur, dum inventa domus antiquo expeditur habitatore, pariter quoad parochiam vagus est; 3° sic etiam qui in urbem advenit et nondum statuit, qua in parte habitet, inter vagos seu parochia carentes recensetur. — *Sanchez l. c. n. 4.*

Duo autem quoad vagos sancta synodus Trid. parochis praecipit *(sess. 24. c. 7. de ref. matr.):* 1° *ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et* 2° *re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* (V. *n. 738. 3°. not.*) Inquisitionis autem modum habes in instructione, quam probante *Clemente X.* edidit S. Inquisitio ac integram cum aliis ejusdem Inquisitionis encyclicis referunt *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 656.* — *Ferraris ad v.* Instructio parochorum *post n. 35.* et ex parte *S. Lig. n. 1089.*

(¹) dummodo tamen in ditione ipsius parochi versentur — *Ben. XIV., Inst. 33. §. Sed jam.*

(¹) Puellae expositae, quae sunt in hospitiis, contrahere debent coram parocho loci illius. — *S. Lig. n. 1091.* Plura de puellis, quae a parentibus separatae vivunt etc. v. apud *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 741. App. 1. XIV.; p. 2. sect. 115.* — *Ben. XIV., Inst. 33. §. Quarto, in xenodochiis et seq.*

(²) Hinc nequit adsistere, si sit publicus et declaratus haereticus. — *Scav.* — Cf. *n. 967. 2°. not.*

Econtra valide adsistit, licet non sit toleratus, cum censurae per se non tollant titulum parochiae. Item valori non obstat, si adsistentia ipsi ab ordinario interdicta sit. — Cf. *Giraldi ll. cc.* — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 23. n. 1. 3.; Quaest. can. n. 98.* — *S. Lig. n. 1081.* — *Anal. J. P. ser. 5. col. 993. n. 152. 153.*

(³) Parochus in casu non est minister sacramenti, sed merus testis, et num peccet, quando adsistit a contrahentibus requisitus, doctores inter se non consentiunt. Nimium quid autem videtur postulare *S. Alphonsus,* dum in contrahentibus exigit causam *gravissimam* illum requirendi, quandoquidem ipse alioquin non adeo gravem causam exigit, ut licite sacramenta peti ab indigno ministro possint. — (Not. edit. rom.) Cf., quae de hisce in tract. *de censuris n. 956. not., 960.* disserentur.

ı, si adsit *solus* error com-
sine titulo colorato, ob eamdem
m, ut dictum est de juris-
ɜ in foro interno *in tract. de*
n. 548. (¹)
er. 5⁰ *An valide adsistat*
ıonio sacerdos quilibet cum
z praesumpta *parochi?*
ɒ. *Negative*, quia non est vera
ı; sufficit tamen licentia tacita
am metu vel dolo extorta. —
. *n. 1088.* et *alii communiter.*
. — Quaer. 6⁰ *An vicarius*
valide matrimonio adsistere
ı *parochi delegatione?*
ɒ. 1⁰ *Affirmative*, si vicarius
ıt vices parochi defuncti vel
s. Tunc enim est certo dele-
ad *universitatem causarum,*
ınc potest et alium subdelegare;
x jure delegatus ad *causarum*
sitatem ipse alium ad *casum*
ularem subdelegare potest. —
ı *dicta in tract. de leg. n. 116.*
poenit. n. 547.
p. 2⁰ Si autem vicarius sit pa-
praesentis cooperator, major est
ltas, nec res generali et abso-
regula definiri potest. Quare
e ad statuta vel consuetudinem
arum dioecesium. Episcopus
constituens vicarios parochi ad-
ɜ, vel eis immediate conferre
jus matrimoniis adsistendi, vel
ex delegatione parochi ipsis
ittendum relinquere. Sed ex
ɜtudine in Gallia et in aliis di-
locis communius recepta haec
posse videntur:
Vicarius adsistere potest matri-
parochianorum in ipsa paroecia
ato, quia vices ipsius parochi

Vicarius potest etiam alium sa-
ɜem constituere ad matrimonium
ısu particulari benedicendum.
est, quia, vigente memorata
ɜtudine, est delegatus ad uni-
ıtem causarum et consequenter

ıuem confer.

alium subdelegare potest. — *Bouvier c. 7. art. 6.* — *Carrière n. 1344.* (¹)

II. Quomodo parochus adsistere debeat.

Principia:

851. — I. Requiritur et satis est ad matrimonii validitatem, ut parochus sit moraliter praesens sicut testis, qui de re peracta testimonium perhibere debet. Ratio est, quia parochus adhibetur hic tamquam testis principalis ab Ecclesia deputatus, ut constat ex *Bened. XIV., de synod. l. 8. c. 12.*

II. Requiritur, ut parochus interpelletur et moneatur de eo, quod agere volunt contrahentes, seu ut sit ab eis adhibitus. (²) Ratio est, quia alioquin parochus non censetur advertere ad illud, quod fit, nec judicare potest, eos, qui agunt, velle serio agere. Non tamen requiritur, ut fuerit ad hoc expresse vocatus. Sufficeret enim, si fortuito ibi praesens adesset aut sub alio praetextu accersitus fuisset. Constat ex declaratione *S. Congr.* — *Carrière, Comp. n. 309.* — *Bouvier.*

Hinc 1⁰ non sufficit praesentia parochi mere physica, cum ille ad id, quod fit, animadvertere debeat, unde ebrius, dormiens, amens matrimonio adsistere nequit.

2⁰ Non est necesse, ut sacerdos videat contrahentes, dummodo eos suum consensum clare exprimentes audiat (³): proinde caecus matrimonio

(¹) De modo delegandi v. supra *notam* ante *n. 845.* — Cf. etiam *Anal. J. P. ser. 5. col. 992. n. 150. 151. 156.*

(²) Sufficit, ut contrahentes, dum consensum exprimunt, signum aliquod, v. g. oculis, vocis modulo, nutu etc. praebeant, quo parocho indicent, se illum ut testem habere velle, licet *non antea certioratus hic fuerit, nec ad id expresse vocatus, et casu, non cogitans, se esse ad id vocatum, eos audiat etc.*, quae sunt verba declarationis *S. Congr.* apud *Benedictum XIV., de synod. l. 13. c. 23. n. 1.* — (Not. edit. rom.)

(³) vel signa consensus videat — *S. Lig. n. 1092.*

adsistere potest, non tamen caecus et surdus.

Quaesita:

852. — Quaer. 1° *An valide adsistat parochus vi et metu coactus?*

Resp. Affirmative, quia sufficit de jure, ut sit praesens et sciat, quid fiat, sive volens, sive nolens. Manifestum est ex declaratione *S. Congr.* — *V. S. Lig. n. 1092.* (1)

Quaer. 2° *Quo in loco parochus vel sacerdos ab eo deputatus matrimonio adsistere possit?*

Resp. 1° Ubique valide adsistere potest, etiam extra parochiam. (1)

Resp. 2° Non potest licite adsistere, seclusa gravi causa, nisi 1° in ecclesia sua parochiali; 2° in alia ecclesia parochiali de consensu parochi loci illius; 3° in capellis vel oratoriis privatis de licentia episcopi, in cujus ditione situs est locus. (2)

853. — Quaer. 3° *An in omni casu sponsis dari possit aut debeat benedictio?*

Resp. 1° Si nomine benedictionis accipiantur verba: *Ego vos conjungo etc.,* semper sub gravi (3) danda est in matrimonio catholicorum, quia a concilio Tridentino praecipitur.

Resp. 2° Benedictio autem, quae dicitur *solemnis* et datur in missa, semper danda est, nisi sponsa sit vidua. (4) — *Recole dicta n. 770. 829. et seq.*

PUNCTUM XII.

De impedimento impotentiae.

854. — Impotentia ad officia matrimonialia obeunda seu incapacitas ad copulam carnalem, per se aptam ad generationem (5) multiplex distinguitur, scilicet:

1° *Certa* vel *dubia,* prout est vel non est manifesta.

---

(1) Non praetermittendus est casus, quo parochus volens resistere, ne haberi queat velut testis, claudit oculos, obturat aures, vel clamat et aufugere conatur, ut nempe ideo irritum actum efficiat, quod affirmare dein possit, se nihil vidisse vel audivisse. At enim jam centies id respondit *S. Congregatio,* quod habetur etiam in responsione ad episcopum Giennensem ann. 1581. (apud *Bened. XIV., de synod. l. 13. c. 23. n. 1.*), matrimonium scilicet esse invalidum, si parochus ea, quae agerentur, neque vidit, neque audivit, *nisi tamen affectasset non intelligere.*

Quam clausulam perpendens *Benedictus XIV. l. c. n. 11.* docet, „de eo casu accipiendam eam esse, quo parochus, invitus ad matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen et videre et percipere naturaliter potuisset eadem ratione, qua testes, ad eum ipsum contractum adhibiti, et vidisse se et percepisse fatentur." Et dein subdit de causa agitata ann. 1753.: „Celebris fuit anno praeterito 1753. causa Carthaginiensis matrimonii, in Concilii Congregatione agitata et judicata, in qua agebatur de quodam matrimonio contracto coram parocho domi suae inopinate deprehenso, qui virum quidem adspexerat ejusque verba perceperat, foeminam vero nec viderat, nec audiverat." Et memoratis theologorum studiis ac doctorum sententiis concludit: „Sed cum factum ipsum, de quo agebatur, accurate perpensum fuerit ejusque circumstantiae omnes diligenter excussae, manifesto compertum est, quod, si parochus mulierem non vidit ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipse obfirmato animo eamdem videre et audire noluit, cum eam facile videre et audire potuisset, quemadmodum bene viderant recteque audiverant testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronunciatum fuit Nobisque annuentibus sententia prodiit pro matrimonii validitate." — (Not. edit. rom.)

(1) V. supra *n. 845. not. 1.*

(2) Cf. *n. 770. not. 1. sub fine.*

(3) Haec resolutio repugnat canoni ab omnibus recepto, non esse quidpiam damnandum de mortali, nisi certo id constet. Hanc autem omissionem vix poenam quidam contra *plures* alios apud *S. Alphonsum n. 1094.* mere opinando quasi *gravem* haberi posse dixerunt. — (Not. edit. rom.)

(4) Cf. omnino *n. 770. not. 1.*

(5) quamvis haec forte per accidens non sequatur, v. g. ob senium, morbum etc. — *S. Lig. n. 1095.*

2° *Antecedens* vel *consequens*, prout matrimonium praecedit vel illud subsequitur.

3° *Temporalis* vel *perpetua*, prout lapsu temporis aut arte tolli potest, vel non potest(1).

4° *Naturalis* vel *accidentalis*, prout oritur ex vitio intrinseco, vel a causa extrinseca, v. g. maleficio(2).

5° *Absoluta* vel *respectiva*, prout exsistit inter virum et omnes mulieres, vel inter virum et aliquam mulierem determinatam, aut vice versa.

Principia:

855. — I. Impotentia *antecedens* et *perpetua* sive absoluta, sive relativa, matrimonium *invalidum reddit* de jure naturali(3). Ratio est, quia objectum contractus matrimonialis non exsistit, cum copula sit impossibilis. Constat etiam ex jure canonico. — *S. Lig. n. 1095.*

II. Impotentia *consequens*(4) et impotentia *antecedens temporalis* matrimonium non dirimunt. Ratio est, quia usus actualis matrimonii ad ejus essentiam non pertinet, et sufficit, ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel possibilis futura sit.

III. Impotentia *certo cognita* illicitum reddit matrimonii usum, etiam solummodo attentatum, quia, ubi copula perfici nequit, deest finis licitus.(5)

Resolves:

856. — 1° Impotentes reputantur eunuchi seu spadones utroque testiculo destituti; secus, si unico careant.

2° In dubio de impotentia antecedente standum est pro valore matrimonii, et conjugibus copulam experiri permittendum est. Imo ad hoc triennium ipsis a jure canonico conceditur, non obstante majori probabilitate pro impotentia perpetua exsurgente(1). — *S. Lig. n. 1103.*

3° In dubio de impotentia consequente licet pariter conjugibus copulam experiri, usquedum certi sint, quod perfici omnino nequeat. — *Ita communiter.*(2) Caute autem procedere debet confessarius et, si deprehendat, conjuges impotentes in bona fide versari, saepius a monitione abstinere melius erit, ne a peccato materiali in formale labantur.

4° Non est confundenda impotentia cum sterilitate; steriles enim non sunt ad actum conjugalem impotentes. Hinc valide contrahunt senes, qui matrimonium consummare valent; item mulieres, quae possunt excipere semen humanum, etsi illud non retineant.

---

(1) mediis naturalibus et licitis; secus ai non nisi per miraculum aut per peccatum aut cum periculo mortis. — *S. Lig. l. c.* — *Scav.*

(2) vel morbo vel actu violento.

(3) relativa tamen solummodo respectu illius personae, quacum copula perfici nequit.

(4) V. *Sanch., de matrim. l. 9. disput. 17. n. 24.*

(5) Ex hodierna disciplina conjugibus impotentivis non amplius permittitur, ut simul habitent tamquam frater et soror (v. *Laudabilem* [5.] *de frigidis [IV. 15.]*), praesertim si juvenes sint, licet non inierint pro nullitate matrimonii. — Ita *nov.* cum *Alasia.* — Cf. *n. 890. not.*

Si tamen impotentia matrimonio valido pervenisset, separationem ab habitatione praeceptam esse non scimus, nisi adsit periculum incontinentiae, quod aliter auferri nequeat. Adverte tamen, non semper impotentiam, quae matrimonium contrahendum dirimeret, actum conjugalem illicitum reddere, si impotentia illa post matrimonium valide celebratum contingat. — Cf. *Sanchez, de matrim. l. 7. disp. 92. n. 7. et seq.; disp. 102. n. 6. 7.* Adverte insuper, quae auctor sub *n. 856. 3°.* de confessarii prudentia addit.

(1) et quamvis matrimonium cum fide dubia celebratum sit. — *S. Lig. n. 1102.*

(2) In dubio, num impotentia certa et perpetua antecedens fuerit an consequens, praesumitur antecedens, si vel naturalis sit, vel accidentalis quidem, sed conjux potens uno vel altero mense post celebratum matrimonium de hoc vitio alterius reclamet; consequens vero, si talis reclamatio propter impotentiam accidentalem longo tempore post celebrationem matrimonii fiat. — *Ferraris ad v.* Impedim. matrim. *art. 2. n. 51.* — *S. Lig. n. 1104.*

— *S. Lig. n. 1095.* — *Gousset n. 791.*(1)

5° „Summopere caveat confessarius, „ne in re adeo gravis momenti ac tot „difficultatibus obnoxia temere proce„dat aut quidquam propria auctoritate „decernat, sed casum rite examinatum „cum omnibus suis circumstantiis ad „ordinarium deferat, cujus tunc erit, „juxta locorum leges statuere ac de„terminare, quid in simili negotio „fieri oporteat. Imo, ut nobis vide„tur, confessarius prudens ac discre„tus de impotentia conjuges non in„terrogabit, neque etiam eos, quos „credit impotentes, praemonebit, ne„que ipsis ea de re consulentibus ul„timo respondebit, nisi ipse prius con„suluerit episcopum." —*Gousset ib.*(2)

PUNCTUM XIII.

De impedimento raptus.

857. — *Raptus* est violenta(3) abductio mulieris(4) de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detinetur, matrimonii ineundi causa.

Raptus dirimit matrimonium de jure ecclesiastico inter raptorem et raptam. — Constat ex *Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. matr.*

Triplex requiritur conditio ad illud impedimentum incurrendum, nempe 1° ut mulier rapta abducatur de loco in locum;(1) 2° ut foemina rapiatur matrimonii causa; 3° ut raptus fiat muliere repugnante seu omnino invita. Sic ex textu *concilii Tridentini* eruitur. — *S. Lig. n. 1107.*

Quaesita:

858. — Quaer. 1° *An impedimentum inducat raptus* seductionis *seu cum mulier inducitur muneribus, blanditiis etc. ad raptorem sequendum?*

Resp. Negative. Ratio est, quia Ecclesia per raptus impedimentum intendit tantum consulere perfectae libertati matrimonii, quae non laeditur, cum mulier consentiens abducitur, etiam invitis parentibus.(2) — *Ita*

---

1) Nec impotens declarari solet vir ante annum 18. et foemina ante 14., cum impotentia ante illud tempus ex imbecillitate aetatis provenire possit. — *S. Lig. n. 1067.*

(2) Amentes et imbecilles jure naturae ad matrimonium perpetuo inhabiles sunt, si numquam eum habent rationis usum, ut mortaliter peccare possint. — *Scav.*

(3) Sufficit vis moralis, v. g. metus gravis, ad finem abductionis illatus. — *Scav. etc.*

„Perinde insuper est", ita *editor rom.*, „sive raptor per se, sive per alios raptum exsequatur; itemque sive per se et penes se, sive per alios et penes alios raptam personam in sua retineat potestate. Id eruitur ex decisione *S. C. C. d. d. 25. Jun. 1864.*, ut videre est in *Act. vol. 1. fasc. 1. p. 15. et seq.* (item in *Anal. J. P. ser. 7. col. 1108. et seq.*). Impedimentum autem incurrit, qui pro se rapit, non vero qui rapiunt pro alio, quamquam hi alias poenas, tum civili, tum canonico jure in raptores decretas, incurrere possint. — V. *Schmalzgrueber l. 5. tit. 17. n. 20.*"

(4) etsi impubes sit, vidua vel corrupta etc. — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. s. 741. App. 1. n. 15.* — *Heiss, de matr. §. 43. II.*

(1) Nil refert, num mulier e propria domo per vim abstrahatur, an vero dolis circumducta in potestatem molientis rapinam inscia deveniat; itemque num e propriis aedibus abstrahatur, an vero per fraudes ex iis abducta praepediatur deinde, ne ad eas libere reverti possit. Aeque enim liber consensus abest, tum si per vim apertam, tum si per fraudes suae esse potestatis amplius non sinatur. V. declarationem *S. C. C.* supra in *not.* 3 allegatam. — (Nota edit. rom.)

(2) Theologi galli non pauci contendunt, *raptum seductionis* dirimere matrimonium, saltem in Gallia, ex praescripta consuetudine. Sed hoc non est admittendum; non enim obligare potest consuetudo, quae in falsa legis interpretatione innititur. — Ita recte *Vernier* — *Gousset n. 797.* et *alii.*

„Consuetudo, ad quam provocant in „favorem impedimenti seductionis, neque „habere vim legis. Est principium re„ceptum a theologis tum gallis, tum ex„traneis, consuetudinem innixam in falsa „legis interpretatione nil efficere. Con„suetudo, *licet longissimi temporis et* „*universalissima*, ait auctor collationum

communiter juxta *S. Lig. n. 1107.* Consentiunt *Sanchez, Bonacina, Salmant., Scavini etc.* contra *nonnullos.*(1)

„Andegavensium, *orta et servata solum-*
„*modo ex falsa suppositione legis, quae*
„*numquam quidem exstitit, exclusiva*
„*tamen causa fuit subeundi tale onus,*
„*nequit inducere indolem sacratam le-*
„*gis. Error communis, quamdiu sub-*
„*sistit, obligationem quidem parit; sed*
„*errore discusso res in pristinum resti-*
„*tuuntur et societas hac in re nativam*
„*libertatem recuperat . . .*" — *Gousset n. 800.* (Not. auct.)

(1) Juxta *Analecta J. P.* non requiritur ad raptus impedimentum, ut mulier sit invita, dum rapitur; innituntur autem nonnullis decisionibus *S. C. C.*, quas referunt *ser. 4. col. 1848. et seq.* Sed istae declarationes casus omnino particulares respiciunt, nec satis constat de circumstantiis, ut asseri possit, abesse violentam mulieris abductionem. Praecipua praesertim et recentior raptum seductionis respicere non videtur. In ipsa Gallia, ait *Scavini*, sententia docens, raptum seductionis inducere impedimentum dirimens matrimonii, quae jamdiu viguit, passim rejicitur. — (Nota auct.)

Agitur scil. praeter quaestionem de raptu seductionis in stricto sensu altera, num impedimentum raptus matrimonio obstet, dum mulier quidem in abductionem consentit, *ejus parentes autem inscii vel inviti sunt.* Nullum porro dubium, matrimonium etiam invitis parentibus valere, saltem si mulier abductioni consentiat, quoties jam sponsalia valida inter abducentem et mulierem subsistunt. — *S. Lig. n. 1108. etc. Quid vero, si sponsalia non praecesserint?* Non desunt, qui impedimentum raptus tunc haberi contendant. — V. *Ferraris ad v.* Impedim. matr. *art. 2. n. 118. et seq.* — *Analecta J. P. l. c.* — *Instr. pro judic. eccles. imper. austr. etc. §. 19.* Sed quamvis concedi debeat, in his adjunctis praesumptionem sane pro seductione et deceptione mulieris stare, insuper libertatem ad matrimonium requisitam deficere, si mulier in abductionem quidem libere consentiat, sed non matrimonii ineundi causa, *verior* tamen sententia videtur, non raptum, sed fugam haberi, quoties constat, mulierem omnino libere, absque vi physica vel morali vel dolo, licet invitis parentibus, in abductionem consensisse, et quidem ad matrimonium contrahendum. — Plura v. *Act. vol. 1. fasc. 1. p. 54. et seq.*

859. — Quaer. 2° *An valeant sponsalia contracta, dum rapta sub potestate raptoris versatur?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I^a Sententia *negat,* quia sponsalia libertatem requirunt, sicut ipsum matrimonium; lex enim poenalis extenditur, ubi eadem ratio militat. — *Sanchez — Salmant. etc.*

II^a Sententia *affirmat,* et hanc *probabiliorem* dicit *S. Lig. n. 1107.* cum *Lacroix etc.* Ratio autem hujus sententiae est, quia sponsalia minorem libertatem requirunt, quam matrimonium, ex eo, quod semper rescindibilia maneant.(1)

Resolves:

860. — 1° Non contrahitur impedimentum, si mulier abducatur tantum de cubiculo in cubiculum in eadem domo,(2) quia sic non proprie constituitur sub raptoris potestate; sed de domo in domum abduci debet.

2° Non contrahitur impedimentum, si mulier rapiatur alia de causa, secluso fine matrimonii ineundi, v. g. ex fine libidinis explendae etc., quia concilium hoc impedimento nihil aliud intendit, nisi libertati matrimonii favere.

3° Non incurritur impedimentum, si mulier rapiat virum, quia concilium loquitur tantum de viro raptore.

4° Non incurritur impedimentum, si matrimonium contrahatur raptorem inter et raptam, postquam haec a potestate raptoris fuerit liberata. Ex Tridentini textu hoc clare apparet. — *S. Lig. n. 1032.* Adnotat autem recte *S. Lig. ibid.*, durare hoc impedimentum, *quamdiu* mulier rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat.(3)

---

(1) Dubia tamen cum sit haec obligatio, confessarius eam urgere non potest. — (Nota edit. rom.)

(2) Potest tamen adesse impedimentum metus.

(3) Addimus haec principia ex *Act. vol. 1. fasc. 1. p. 24.:*

§. III.

De dispensatione ab impedimentis matrimonii dirimentibus.

Agendum: 1° de potestate dispensandi; 2° de causis dispensationis; 3° de modo dispensationem obtinendi.

PUNCTUM I.

De potestate dispensandi.

Principia:

861. — I. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis ecclesiasticis 1° valide in omni casu, quia primarius superior est; 2° licite, si de justa causa faciat: hoc enim recta gubernatio requirit.

II. Episcopus dispensare nequit *ordinarie* et *de jure proprio* in impedimentis dirimentibus. Ratio est, quia episcopus nihil potest in legibus Ecclesiae universalis, nisi ex concessione concilii vel Papae, aut ex consuetudine tolerata. Episcopi autem ex nulla harum rationum jus dispensandi in talibus impedimentis sibi vindicare possunt, ut patet tum ex praxi Ecclesiae, tum ex variis declarationibus *S. Congr.*, et praesertim *Pii VII.* anno 1809. in rescripto ad episcopos Galliae ([1].[2])

1° Non censetur puella ab ea *potestate* separata, si raptor potius per alium, quam per se, potestatem in puellam exercet.

2° Neque locus censetur *tutus* (quod requirit *Trid.*), qui publicus sit, neque *liber,* quamvis in eo nonnulli actus libere exerceri posse videantur.

3° Neque valet matrimonium in hoc statu contractum, etiamsi ante celebrationem prudenter praevideretur, quod puella in idem matrimonium consensisset, licet in loco tuto ac libero constitueretur.

4° Quare ex indole loci, in quo rapta ponitur, pendet matrimonii validitas.

5° Denique erues, matrimonium *sic* invalide contractum non convalidari, ubi viget lex Tridentina, per longam cohabitationem (cum mulier per cohabitationem jugiter in potestate raptoris maneat). — De poenis vero contra raptorem et cooperantes v. *conc. Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 6.*

([1]) Conqueritur S. Pontifex, quod non omnes Galliae episcopi ad S. Sedem recurrerint pro obtinendis facultatibus ad renovanda matrimonia tempore perturbationis gallicae invalide contracta.

Olim nimirum plures episcopi in Galliis ex privilegio sedi adnexo in impedimentis dirimentibus dispensare solebant. Sed privilegia ista suppressa sunt cum ipsis sedibus in nova dioecesium circumscriptione a *Pio VII.* facta anno 1802. per bullam *Qui Christi Domini,* in qua haec habentur: „Supprimimus, annullamus et „perpetuo exstinguimus titulum, dominationem totumque statum praesentem ecclesiarum archiepiscopalium, episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et praerogativis „cujuscumque generis."

Facile tamen episcopi obtinent facultatem dispensandi in impedimentis tertii et quarti gradus consanguinitatis, affinitatis et publicae honestatis ex benigna concessione Papae ad tempus determinatum facta et eo elapso renovanda. Occurrente igitur casu expedit prius ab episcopo inquirere, utrum ipse dispensare valeat. — (Not. auct.)

Ejusmodi facultates vero ex quasi-privilegio episcopus subdelegare nequit, nisi expressum sit. — *Heiss, de matr. §. 50. III. in nota.* — Cf. etiam supra *n. 784. not. 3.* et *Ferraris ad v.* Dispensatio *n. 53. et seq.*

Addimus duo responsa *C. S. Off. d. d. 22. Nov. 1865.* ad episcopum Southwarcensem:

Quaer. 1° In formula 2ª edicitur, ut episcopus, qui his a Pontifice facultatibus donatus est, *nullo modo iisdem uti possit extra fines suae dioecesis.* Sed idem alias facultates solet a S. Sede obtinere, quibus haec non apponitur limitatio, v. g. ut possit in matrimoniis mixtis contrahendis dispensare. Mihi (episcopo scil.) videtur, quoties alicujus rei facultatem R. Pontifex rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi, ita ut duobus Southwarcensi dioecesi subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium inire queant, concedere per dispensationem non possim. Quaeso te, S. Pater, ut edisseras, utrum haec sententia vera sit, i. e. quoties indultum ea verba *nullo modo uti etc.* minime praefert, haec semper in eodem subaudienda esse. . . . (v. *n. 862. not.*)

4° Cum in dispensando super matrimoniis mixtis Ecclesia catholico viro aut

Quaesita:

862. — Quaer. 1° *An, si sponsi sint diversae dioecesis, dispensatio*

ɜnda sit ab utroque episcopo, erque ex indulto speciali fa- e dispensandi gaudeat?

---

i cum anglicana muliere aut viro ıos directe cadere Ecclesiae bene- on debent) inire nuptias permittere , a quonam episcopo concedi dis- io potest, cum catholicus vel catho- enit ad matrimonium extra suam sim ineundum?

ɔ. ad 1um: *Clausulam* „nullo modo ssit extra fines suae dioecesis" *ita gi debere, ut facultates sub ipsa ehensae exerceri tantummodo pos- um propriis subditis in dioecesi ɜntibus actu, quo conceditur gra- Eamdem tamen clausulam non elligi in facultatibus, quae epi- ab Apost. Sede conceduntur, 'uerit expressa vel aliter constet ente Summi Pontificis vel nisi ta materia eam requirat. Fa- em vero dispensandi super im- ento mixtae religionis concedi clausula* „dispensare valeat intra suae dioecesis," *eam proinde ri non posse, nisi cum subditis ɜxsistentibus intra fines propriae sis, servatis ceteroquin iis, quae ntur in responsione ad 4um.*

ɔ. ad 4um: *Catholicos viros vel muli- ispensari posse justis accedentibus ı super impedimento mixtae re- is ab episcopo hanc facultatem te, cujus sunt subditi ob domici- vel quasi-domicilium in ejus di- acquisitum, dummodo in eadem si actu exsistant, quando dispen- em recipiunt; dispensationem vero ɔtentam exsecutioni tradi posse, nque mixta connubia contrahi ttuntur, nisi aliquid aliud obstet o ordinarii loci, in quo contra- matrimonium: secus pro dispen- ıe ad Apostolicam Sedem recur- m esse. — Act. vol. 2. fasc. 24. 9.*

Quid vero in casu urgentissimae ɜtatis?

p. Nequit episcopus generatim abs- acultate Apostolica dispensare in imento publico. Ad quaesitum: ɔiscopus in casu *urgentissimae ne- ɜtis* possit ante contractum matri- m in impedimento publico dispen- *S. C. C. 13. Mart. 1660.* re- it: *Negative.* — V. etiam *Schulte, buch des kath. Eherechtes p. 1. . p. 352.*

uoad impedimenta occulta autem communem sententiam in circum- s peculiaribus *matrimonio jam celebrato* dispensare (imo et hanc facultatem delegare) potest in iis casibus, in quibus Papa pro foro interno dispensare solet, si

1° matrimonium istud in facie Ecclesiae omnibusque adhibitis solemnitatibus,

2° cum ignorantia impedimenti saltem ex parte unius conjugis celebratum sit; si insuper

3° S. Sedes vel alius facultate dispensandi praeditus facile adiri non possit ob periculum in mora et distantiam locorum, paupertatem conjugum etc. et

4° causa gravis adsit, v. g. scandalum ex separatione oriturum, grave periculum incontinentiae vel infamiae etc.

Requirunt tandem plures consummationem matrimonii, quam tamen recte supponi ajunt, si jam ab aliquibus diebus sit initum.

Prodest vero ejusmodi dispensatio pro solo foro interno. Hinc, si impedimentum occultum postea detegatur et ad forum contentiosum deducatur, opus erit alia dispensatione a S. Sede impetranda, attamen pro solo foro externo et nisi confessarius prioris dispensationis fidem facere possit; impedimentum enim jam valide sublatum non ex eo reviviscit, quod nunc publicum factum sit.

Communissime saltem recentiores eamdem facultatem asserunt episcopo (quoad impedimenta occulta) etiam *ante matrimonium celebratum*, si gravissima mala nullo alio modo averti queant, nisi per proximam matrimonii celebrationem, nec tamen ad S. Sedem recurri possit, uti v. g. si quis in proximo mortis periculo ad legitimandam prolem hoc sacramentum suscipere velit; vel si, dum omnia ad nuptias jam sunt parata, occultum impedimentum detegatur et gravis infamia ex dilatione nuptiarum pertimescenda sit. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 2. n. 1—3.; Inst. 87. §. Haec potissimum.* — *Pignatelli, Consult. can. tom. 3. cons. 33. n. 3. et seq.* — *S. Liq. n. 1122. et seq.;* item *de leg. Append. n. 56. 57.* — *Scav.* — *Knopp, Eherecht §. 43. p. 434. et seq.*

Facultatem autem dispensandi etiam super impedimentis publicis episcopo in casu aliquo extraordinario vindicant, si scilicet universae alicui regioni ob obstaculum publicum impossibile sit, pro dispensationibus obtinendis ad S. Sedem recurrere, quin tamen hoc obstaculum malitiose, ad subvertendam scil. disciplinam ecclesiasticam, ab aliquo positum sit. — *Knopp l. c. p. 437.*

Cf. tandem *n. 863. Q. 2°.*

Resp. Controvertitur; duplex est sententia probabilis.

I^a Sententia *negat*. Ratio est, quia, cum episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito. Unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, quin hic etiam fiat habilis ad contrahendum cum illo, siquidem haec correlativa sunt. Aliunde Papa, delegando episcopum, ipsi totum jus suum tribuit; ergo valet dispensatio episcopi perinde, ac si a Papa ipso concederetur. Hanc opinionem *probabilem* dicit *S. Lig. n. 1142.*(¹)

II^a Sententia *affirmat*. Ratio est, quia episcopus unus jurisdictionem non habet in subditum alterius; facultas vero dispensandi ad proprios subditos restringitur.

863. — Quaer. 2° *An episcopi dispensare possint in impedimentis dirimentibus dubiis?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia, licet dispensatio impedimentorum dirimentium sit Papae reservata, attamen, cum reservatio sit odiosa, stricte est interpretanda et restringenda tantum ad casus certos. At, si agatur de dubio seu de probabilitate juris, inutilis videtur dispensatio ex dictis supra de impedimentis in genere, cum in hoc casu Ecclesia censeatur jurisdictionem supplere. (¹)

Quaer. 3° *An metropolitanus possit dispensare cum subditis suffraganeorum suorum in casu necessitatis vel indulti?*

Resp. Negative, quia dispensatio est actus jurisdictionis voluntariae et gratiosae, quae conceditur ex indulgentia et misericordia dispensantis: recursus autem ad metropolitanum haberi nequit, nisi in materiis ad forum contentiosum pertinentibus.

PUNCTUM II.

De causis dispensationis.

864. — Causae variae, quae afferuntur ad dispensationem obtinendam sunt: 1° graves vel leves; 2° motivae seu finales, vel tantum impulsivae; 3° verae vel falsae. — *Vide tract. de legibus n. 117. et seq.*

Nota 1° Si in petitione taceatur veritas necessario exprimenda, v. g. impedimentum aliquod aut circumstantia de-

---

(¹) Haec sententia pro praxi tuta dicenda. „Ex pluribus (ita *Bouvier* apud „*Scav.*) S. Poenitentiariae decisionibus „nuper obtentis episcopus, non ordinaria, „sed facultate a S. Sede absque ulla „conditione sibi concessa cum suis dioe„cesanis super aliquo impedimento cano„nico dispensans, facta mentione delega„tionis Apostolicae, valide dispensat etiam „in casu, in quo una pars est alterius „dioecesis, quia ea facultas procedit a „Papa et, sublato impedimento ex una „parte, altera pars fit libera.“ Decet tamen, alterum episcopum certiorem fieri factae dispensationis. — *Knopp, Eherecht §. 43. p. 440.*

Confirmantur haec per sequens responsum *C. S. Off. d. d. 22. Nov. 1865.* ad episcopum Southwarcensem:

Quaer. 2° Frequenter contingit, ut sive vir sive mulier aliquo vel dirimente vel impediente impedimento obstrictus vel obstricta, super quo dispensandi facultate praediti sumus, Liverpolium v. g. matrimonium cum alia vel alio ibidem commorante ineundi causa adire velit. Sciscitor, utrum hunc vel hanc e mea dioecesi discedentem omni impedimento liberare possim directe dispensando, atque ita impedimento sublato Liverpolium mittere, ubi alter ex sponsis commoratur, ad matrimonium ibidem ineundum.

3° Si duo ex subjectis meae dioecesi, inter se consanguinei vel affines, velint omni impedimento absoluti Liverpolium nuptias ibidem ineundi causa proficisci, quaero, an Apostolico indulto uti possim pro matrimonio, quod extra dioecesis meae fines ineundum erit, permittendo.

Resp. ad 2um et 3um. *Affirmative, nisi obstet tenor Apostolicae concessionis, impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab episcopo loci, ubi ipsum matrimonium contrahitur. — Act. vol. 2. fasc. 24. p. 670.*

(¹) Cf. *n. 789.* Quidquid sit de sententia, quae episcopo in dubio etiam [illegible] potestatem dispensandi vindicat quasi graves sane etiam auctores tuentur, recursus ad S. Sedem saltem tunc omitti non poterit, si praesumptio pro exsistentia impedimenti militet. — Cf. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 75. et seq.* — *Anal. P. ser. 1. col. 688. 689.*

randa etc., dicitur *subreptio* in dispensatione seu dispensatio *subreptitia*; si autem quid falsi afferatur ut verum, *obreptio* seu dispensatio *obreptitia*.

Nota 2° Quando dispensationes dicuntur *sine causa*, hoc significat, nullam adesse ex iis causis, quae allegari solent ut canonicae.

Principia:

865. — I. Ad *liceitatem* dispensationis requiritur causa gravis. — Constat ex *concilio Trid. sess. 24. cap. 5. de reform. matr.: In matrimoniis contrahendis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa et gratis concedatur.*

II. Ad *validitatem* dispensationis requiritur, ut in petitione nulla sit obreptio vel subreptio cadens in causam motivam seu finalem. Ratio est, quia superior non censetur dispensare, nisi sub tacita conditione: *si preces veritate nitantur.*(1)

Quaesita:

866. — Quaer. 1° *Quaenam sint causae justae, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Sunt sequentes: 1° *Angustia loci,* i. e. si timeatur, ne ob loci angustiam puella convenienter alteri non nubat. Angustus autem reputatur omnis locus non habens 300 focos.(1) — 2° *Defectus dotis competentis,* quae puellae a consanguineo offertur vel ab extraneo, sed ea conditione, ut consanguineo nubat(2). — 3° *Aetas jam provecta seu superadulta foeminae,* nempe quando jam 24. aetatis annum excedit et alium virum suae conditionis, cui nubere possit, non invenit(3). — 4° *Copula carnalis* jam habita cum consanguinea vel alia persona impedimento laborante et periculum, ne infamia sequatur etc. — 5° *Nimia partium familiaritas,* ex qua timetur scandalum, nisi contrahant. — 6° *Legitimanda proles* ex fornicatione nata aut concepta. — 7° *Sedatio gravium inimicitiarum* vel litis exstinctio inter oratorum parentes, consanguineos vel affines. — 8° *Virtutes christianae,* quae in altero viro probabiliter non invenirentur.(4) — 9° *Excellentia meritorum*

(1) Cf. etiam *p. 1. n. 117. III. not.* Ad interpretationem vero c. Super literis *ib. citati* addere juvabit, id, quod caput illud de nullitate impetrationis in casu malitiae statuit, valere, si absque illa obreptione vel subreptione Pontifex petitum [illegible]tem non tam absolute ac nonnisi ad[illegible]bitis certis moderationibus concessisset, [illegible] vero si eodem quidem modo con[illegible]sisset, sed non tam facile vel cito. — *Reiffenstuel l. 1. tit. 3. n. 189.* Hinc nil [illegible]ficiet subreptio etiam per malitiam, si [illegible]on fuit causa formae nec substantiae [illegible]e alicujus de contentis in literis . . ., [illegible]d erat omnino extra materiam in illis [illegible]itam", ut notat *Fagnanus, Comment. [illegible] caput alleg. n. 34.* — V. etiam *San[illegible], de matrim. l. 8. disp. 21. n. 32.* [illegible]terum caput istud non ad rescripta [illegible]citiae restringi, merito monet *Fagnan. [illegible] n. 20. et seq.*

[illegible]tare insuper dispensationem ajunt, si [illegible]er plures causas motivas allatas una, [illegible]e sola sufficit, vera est. — *Schmalz[illegible]eber l. c. n. 151. etc.*

(1) Valet causa *angustiae loci*, licet sponsa non sit ibidem remansura, sed alio quocumque domicilium suum translatura. Sic respondit theologus romanus interroganti D. Allirol, Aniciensi canonico et sedis episcopalis secretario. Consonat praxis *S. Congr.* — (Not. auct.) Facile scil. quisque videt, causam dispensandi hanc esse, quod eo in loco difficile sit, virum reperire, cui puella convenienter nubat. Neque vero attenditur, an forte haec difficultas sponsum alibi inquirendo cessare queat, utpote quod infrequens est et a communibus moribus alienum. — (Not. edit. rom.)

(2) vel si puella in genere nullam aut insufficientem juxta conditionem status sui dotem habet, ita ut virum impedimento non ligatum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et orator illam cum dicta dote minus competente ducere intendit. — V. etiam *Anal. J. P. ser. 6. col. 2195.*

(3) dummodo non sit vidua.

Addit editor romanus: Quoad hoc non eadem est omnium locorum ratio. Alicubi enim puella, quae vigesimum aut etiam decimum octavum annum attigerit, ita superadulta habetur, ut aegre reperiat, cui nubat.

(4) Haec ratio potius circumstantia dicenda est, quae, ad aliam causam accedens, ejus vim auget.

erga Ecclesiam(1). — 10° *Conservatio bonorum* in illustri familia. — 11° *Larga eleemosyna* in pia opera refundenda. — 12° *Paupertas viduae* prolibus(2) onustae, quos vir alere intendit et promittit.(3)

(1) a parte ejus, qui dispensationem petit, vel parentum ipsius.

(2) quinque scil. liberis ex alio viro procreatis. Secus petatur dispensatio ob *necessitatem auxilii*. — *Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts* §. 295. *II.*

(3) Tum ut alias quasdam causas addamus, tum ut breviter saltem et in genere indicemus, quibusnam de causis dispensationes super impedimentis in specie concedantur, haecce subjungimus:

Non inepte forte causae distinguuntur

1° *Publicae* sive *gravissimae*, si scil. matrimonium aliquod necessarium sit pro conversione regni vel conservatione ejusdem in fide, pro impediendo gravi bello etc. Vel ipsa praerogativa personae regiae, ducalis vel vere principis causam publicam constituit. *(Trid. sess. 24. c. 5. de ref. matr. — Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 134.)*

2° *Graviores*, nempe

a) periculum defectionis a fide, praesertim in loco mixtae religionis;

b) copula carnalis cum persona impedimento dirimenti ligata habita et publica effecta, ita ut mulier diffamata et innupta remaneret graviaque scandala exinde verisimiliter exoriri possent, praesertim si periculum mortis vel extraordinarium periculum animae timendum, proles concepta, insuper peccatum non ex intentione facilius dispensationem impetrandi commissum sit;

c) infamia carnalis copulae, falsa quidem, sed ex conversatione nimis libera oratorum exorta, ita ut oratrix diffamata et innupta remaneret graviaque scandala exinde timenda sint, modo familiaritas non sub spe dispensationem facilius impetrandi habita sit;

d) matrimonium cum ignorantia impedimenti saltem ex parte alterius celebratum, maxime si consummatum, si proles exinde suscepta sit, si post cognitum impedimentum copula non intercesserit, si solemnitates debitae omissae non fuerint.

3° *Graves*, nempe

a) exstinctio litis super rebus gravis momenti vel inimicitiae gravis aut confirmatio pacis recenter initae, et quidem inter virum et mulierem, eorumdem parentes, consanguineos et affines, dum discordiae aliunde, quam ex causa matrimonii illius contrahendi provenerunt et ante illius tractatus exortae sunt, quae causae tamen juxta gravitatem mali auferendi etiam illis sub 2° accenseri possunt;

b) incompetentia dotis, praesertim si dos sub conditione matrimonii promissa ante dispensationis exsecutionem vel tradatur vel si traditio omnino certa reddita sit.

4° *Leviores*, scilicet

a) aetas superadulta;

b) angustia loci, praesertim si haec conditio etiam pro domicilio a loco originis sponsae diverso verificetur ideoque „angustia *locorum*“ habeatur, vel si dos ita insufficiens sit, ut sponsa, etiamsi extra dictum locum nubere vellet, virum paris conditionis invenire non posset;

c) periculum matrimonii mixti;

d) paupertas viduae liberis gravatae.

Conservationis bonorum in illustri familia, excellentiae meritorum et similium causarum gravitas praecipue ex circumstantiis dijudicetur.

Notandum insuper: plures causas leviores gravem efficere vel vim alicujus causae ex particularibus circumstantiis graviorem evadere posse; facilius dispensari, quo minoris momenti est impedimentum, ita ut aliquando quaecumque rationabilis causa sufficiat; facilius pro foro interno (i. e. in impedimentis occultis), quam pro foro externo; facilius praeterea in foro externo, si personae alicujus major ratio habenda sit (cf. *Trid.* loco supra cit.) vel si orator opus bonum speciale quasi in compensationem vulneris per dispensationem legi infligendi praestet. Hinc *pro foro externo* triplicem dispensationis formam distinguunt: *formam pauperum*, in qua pauperes *(n. 879. Q. 4°.)* soluta modicissima tax pro expensis necessario sustinendis, tamen ob causam majoris momenti dispensantur, *formam communem* et *formam nobilium*, in quibus taxa et eleemosyna (compositio) respective major exigitur, sed causae minus graves, quae in forma pauperum, admittuntur; dispensatio in forma nobilium aliquando etiam „ex certis rationabilibus causis“ (i. e. quin causae exprimi debeant) conceditur, quem modum dispensationis *sine causa* (i. e. sine causa expressa) vocant. De hoc modo ita *Suarez, de leg. l. 6. c. 18. n. 26.*: „Quando datur dispensatio sine causa, imponitur aliqua satisfactio vel mulcta in pium opus vel in aliam utilitatem Ecclesiae communem, quod opus consurgit causa dispensationis

Nota 1° Aliquando contingit, ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens,

n altera juncta gravis reputetur
ıde sufficiat.

—

nc fit per modum commutationis,
iam in concessione indulgentiarum
imus."
nus tandem ex *Heiss* (*de matr.*
impedimenta juxta dispensabili-
psorum in quasdam classes red-

lispensabilia sunt:
, quae dirimunt matrimonium jure
vel naturali, videlicet
pedimentum impotentiae;
ıpedimentum consanguinitatis in
cta;
pedimentum ligaminis ex matri-
:onsummato.
, quae dispensationem vel ex na-
vel ex dispositione juris non ad-
, tolli tamen possunt solo con-
ebite posito, scilicet
pedimentum erroris;
pedimentum conditionis in duplici

pedimentum vis et metus;
ıpedimentum raptus;
pedimentum clandestinitatis (quod
aliquando aufertur per dispensa-
in radice — cf. *n. 894. Q. 3°.*).
ı aliis, quamvis Ecclesia dispen-
ısolute quidem posset, numquam
lispensat, videlicet
impedimento affinitatis in primo
ineae rectae, quod ex matrimonio
est (cf. *n. 813.*);
primo gradu cognationis natura-
inea transversa, i. e. inter fratrem
rem;
impedimento criminis *publico* cum
secuto, sive utroque sive uno
machinante.
n aliis, quamvis Ecclesia nonnum-
lispenset, dispensatio tamen non
pectanda, nisi urgeat causa publica
raordinaria, nempe
voto solemni castitatis in religi-
probata edito (cf. *n. 147.*);
ı impedimento ordinis sacri (cf.
;
matrimonio rato (nimium tamen
s asserere videntur ajentes, ra-
et nonnisi ex causa quasi-publica
lispensationem concedi: equidem
pedimentum potius sequenti classi
ırandum censeremus — cf. *Anal.*
ıer. 1. col. 697. et seq.*; *ser. 2. col.*
ser. 6. col. 2292. et seq. etc.*);
ı impedimento criminis *occulto,*
ı vel altero mortem machinante
ffectu secuto (requiritur causa ur-
ima sive, ut ait *Ben. XIV.* in
87., necessitas ratione alicujus
imminentis periculi).

Nota 2° Suppressio veri aut expressio falsi circa ea, quae jure, consuetudine aut stylo curiae romanae aperienda sunt, semper *substantialis* reputatur.(¹)

Nota 3° Causae nunc admissae ut canonicae pro 2° et 3° gradu sunt: angustia loci, lites vitandae, copula habita, scandalum tollendum et aetas superadulta mulieris. — *Bouvier.*

867. — Quaer. 2° *Quaenam sint necessario exprimenda de jure sub poena invaliditatis in petitione dispensationis?*

Resp. Sunt sequentia: 1° Vera et

IV. Neque facile speranda est dispensatio, quamvis neque publica, neque plerumque extraordinaria requiratur causa, in sequentibus:

a) in disparitate cultus (cf. *n. 826.*; requiruntur causae graves: insuper cautelae debitae adhibeantur);

b) in cognatione spirituali inter levantem et levatum;

c) in impedimento affinitatis in primo gradu lineae rectae, ex copula illicita orto (pro foro *externo*, ajunt, non sufficere infamiam mulieris ex copula propalata exsurgentem vel gravia scandala, sed requiri periculum vitae utrique oratori alias imminens; sufficit etiam periculum evidens matrimonii mixti junctum periculo, ne proles ex illicita copula, quae affininitatis causa fuit, procreata in haeresi educetur: difficultas tamen crescit, si mulier primo cognita vivat);

d) in impedimento affinitatis in primo gradu lineae transversae, praesertim publico et ex matrimonio orto (verificatis hisce duabus conditionibus omnino causa gravior requiritur);

e) in impedimento consanguinitatis in secundo gradu simplici et mixto, praesertim ante matrimonium contractum (requiritur in foro externo in 2° gradu et 1° et 2° mixto in forma pauperum causa gravior, in forma communi gravis, nec in forma nobilium ordinarie levior sufficiet). V. literas *Gregorii XVI. d. d. 22. Nov. 1836. (Anal. ser. 1. col. 689.)*

V. In ceteris impedimentis communius dispensatur. — Cf. *Act. vol. 2. fasc. 13. p. 63.*; *Heiss, Knopp, Schmalzgrueber etc.*

(¹) V. *Reiffenstuel l. 4. Append. n. 149.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 169.* Valet porro in genere praefata regula. Non tamen semper, quae in lege quoad aliquam dispensationem praecipiuntur, substantialia sunt eo sensu, ut non observata dispensationem irritam reddant. — Cf. v. g. *Ben. XIV.*, *Quaest. can. 183.* Hinc lex ipsa perpendenda etc.

legitima *causa movens* ad impetrandam dispensationem.(1) — 2° *Species* etiam *infima* impedimentorum, v. g. affinitas ex copula illicita vel non; honestas ex sponsalibus vel ex matrimonio rato. — 3° *Numerus impedimentorum*, v. g. si praeter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas.(2) — 4° *Filiatio* aut *compaternitas* in cognatione spirituali.(3) — 5° *Gradus*(4) *consanguinitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato; imo, si oratores sint in linea inaequali, exprimi debet etiam gradus propior(5). Hoc tamen non requiritur ad validitatem, nisi sint conjuncti in 2° gradu attingente 1um(6). — 6° *Copula incestuosa*(1) habita inter oratores sive intentione facilius dispensationem obtinendi,(2) sive etiam seclusa illa intentione. Evincitur ex bulla *Benedicti XIV. Pastor bonus* §. *41.*(3) — 7° *Variae circumstantiae* matrimonii cum impedimento celebrati, scilicet: an clandestine; an cum debitis proclamationibus; cum bona vel mala fide utriusque vel alterutrius tantum; an cum spe faci-

---

(1) Validum tamen foret matrimonium cum dispensatione ob incompetentiam dotis contractum, si, licet ante dispensationis exsecutionem, dos competens v. g. per haereditatem oratrici obvenerit, quin tamen hujus eventus notitiam habuerit. Idem resolvendum, si sponsus promiserit quidem, se oratricem esse dodaturum, postea vero promissis non steterit. — *Knopp* §. *44. p. 450. 6°.* — *Schulte, Eherecht p. 1.* §. *45. p. 365.* — V. etiam *Anal. J. P. ser. 6. col. 2193 —2195.*

(2) Cf. supra *n. 803. nota.* — Item si adsit impedimentum impediens, quod solummodo per dispensationem auferri potest et nondum sublatum est. — *Sanchez, de matr. l. 8. disp. 23.* Semper tandem circumstantia *mixtae religionis* addenda. — *Schulte, Eherecht p. 1.* §. *45. p. 370.* — Cf. *n. 784. Resp. 2°. not. 3.*

(3) Cf. *not.* ad *n. 805.*

(4) et *linea.* — Super affinitate v. g. in linea recta ex copula licita non, super affinitate vero ex copula illicita vel publica honestate etiam ex sponsalibus in dicta linea difficilius dispensari solet. — Cf. *Act. vol. 2. f. 14. p. 127.; f. 18. p. 382.*

(5) et quinam sexus stipiti proximior sit.

(6) Invalidatur in genere dispensatio, si reticetur primus gradus. Sed etiam in ceteris gradibus ob talem omissionem ad liceitatem literae declaratoriae a Dataria obtineri debent, dummodo agatur de foro externo; nam pro foro interno expressio propioris gradus non requiritur, nisi sit primus. — *Reiffenstuel, Jus can. t. 4. app. n. 166. et seq.; n. 195. 199.* — *Scav. etc.*

Sed cf. etiam *Quaest. canon. 183. Benedicti XIV.*

Ceterum, ut omnis difficultas amoveatur, in supplicatione „provenientia", ut ajunt, seu origo impedimenti in specie enarretur, v. g. dum agitur de affinitate ex copula illicita: „Titius cupit matrimonium contrahere cum Bertha, cujus matrem, aut sororem, aut neptem, aut materteram, aut consobrinam carnaliter cognivit etc." — Cf. *Act. vol. 2. fasc. 14. p. 128; fasc. 15. p. 190. et seq.; fasc. 18. p. 382.* Si agitur de impedimento publicae honestatis, etiam, utrum occultum sit, explicetur. — *Ib. p. 382.*

(1) Ut copula incestuosa declarari debeat, necesse est, ut sit consummata et, si non de dispensatione in forma pauperum agitur, formalis i. e. cum cognitione impedimenti perpetrata. — *Ben. XIV., Inst. 87.* §. *Satis verba.* — *Scav. t. 3. n. 923. 7°. not.* Fit vero incestuosa ex *quocumque* impedimento dirimenti. — *Heiss l. c.* — Cf. etiam *Act. vol. 2. fasc. 20. p. 493.*

Si tamen sponsi, qui quaerunt dispensari, sint spectatae conditionis ac bene morati, de copula non sunt interrogandi; offenderentur nimis, nec copula potest supponi. Si vero aliqua suspicio illius habeatur, interrogentur quidem, sed prudenter ac nonnisi gradatim ad copulam veniendo. Si autem sponsus esset rudis atque procax, clarius sine ulla offensione et scandalo posset interrogari. — *Scav.*

Vitiatur item dispensatio, si falso copula inter oratores allegetur, ut facilius dispensationem obtineant. — *Ben. XIV. l. c.* §. *Magnum hic.*

(2) Haec circumstantia semper exprimenda. — *Heiss* §. *54. III.*

(3) De controversia, an exprimenda si copula absque spe facilius consequendae dispensationem habita, v. *Reiffenstuel l. c. n. 184. et seq.* Auctor secutus est sententiam *S. Alphonsi n. 1135.*, nam fere communem.

lius dispensationem obtinendi; an matrimonium fuerit consummatum.(1)

868. — Quaer. 3° *Quid agendum in dubio, an causa falso allegata finalis fuerit aut impulsiva? vel an vera aut falsa?*

Resp. In omnibus his et similibus dubiis valida censenda est dispensatio. Ratio est, quia in dubio standum est pro valore actus. — *S. Lig. n. 1133.*(2)

Quaer. 4° *An cessante causa dispensationis cesset dispensatio, v. g. si mortua fuerit proles per matrimonium legitimanda etc.?*

Resp. 1° *Affirmative,* si causa cesset, antequam dispensatio expediatur aut fiat ab episcopo vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit. — *S. Lig. n. 1132.*

Resp. 2° *Negative,* si causa cesset dispensatione jam expedita et a delegato supplicantibus communicata, etiamsi cesset ante matrimonii celebrationem. Ratio est, quia per dispensationem jam impedimentum tollitur. — *S. Lig. ibid.*(3)

869. — Quaer. 5° *Quid speciatim exponi debeat, quando agitur de matrimonio primum contrahendo?*

Resp. 1° Impedimentum, a quo dispensatio rogatur, in sua propria specie exprimi debet, non unum pro alio, ne majus quidem pro minori, v. g. consanguinitas pro affinitate. Ratio est, quia in dispensationibus non valet argumentum a minori ad majus, nec superior vult in eo dispensare, quod ignorat.

Resp. 2° Si postuletur dispensatio impedimenti ex commercio illicito, exponendum est, an ab uno vel utroque sub spe dispensationis facilius obtinendae commercium illud habitum sit.(4)

870. — Quaer. 6° *Quid in postulatione dispensationis super matrimonio invalide contracto generatim sit exprimendum?*

Resp. Exponendum est: 1° an ambae partes vel earum una bona vel mala fide, seu cum notitia impedimenti vel non, matrimonium inierint; 2° an sub spe dispensationis facilius obtinendae; 3° an matrimonium consummaverint; 4° an clandestine aut in facie Ecclesiae, an post bannorum denuntiationes aut his omissis contraxerint.(1) Facilius enim aut difficilius pro variis istis circumstantiis solet impetrari dispensatio.

Nota: Si coram magistratu civili contraxerunt, ut inde facilius cum illis dispensetur, illud exprimendum est, cum mala fides adfuerit, quae reddit dispensationem ad obtinendum difficiliorem. Si contraxerunt civiliter cum intentione non contrahendi coram Ecclesia, illud etiam exprimi debet, quia matrimonium clandestinum attentarunt. Si autem bona fide et cum intentione dispensationem ab Ecclesia expostulandi civiliter contraxerunt, haec circumstantia non videtur absolute exprimenda: sed satius erit, illam non omittere. — *Bouvier.*

871. — Quaer. 7° *An ille, qui, obtenta dispensatione ab impedimento* affinitatis *ex copula illicita v. g. cum consanguinea sponsae, iterum cum eadem peccat, nova indigeat dispensatione?*

Resp. 1° *Negative* prorsus, si dispensatio non adhuc fuerit *exsecutioni* mandata a delegato, quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die *expeditionis,* sed a tempore *exsecutionis.* — *Ita omnes.*

Resp. 2° Imo *negative* etiam, licet dispensatio *exsecutioni* mandata fuerit. Ratio est, quia affinitas jam sublata est per dispensationem quoad effectum contrahendi matrimonium, et

(1) 8° Raptus forte prius peractus, licet rapta in locum tutum restituta jam sit. — *Heiss §. 43. III.*

(2) V. etiam *p. 1. n. 117. not.*

(3) Cf. *p. 1. n. 120. 2°.*

(4) V. *n. 867. 6°.*

(1) 5° an ab usu matrimonii bona fide celebrati cognito impedimento abstinuerint.

Addit *Heiss* (§. *58.*) pro foro interno: an impedimentum modo utrique conjugi sit notum, a quo tempore in matrimonio vivant et an proles suscepta sit.

proinde copula non est incestuosa. — *Ita communiter* contra *aliquos.*(1)

Si autem contracto matrimonio rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur jure petendi debitum, quia dispensatio concessa fuit ad *effectum contrahendi matrimonium* juxta stylum curiae, non vero ad liberius peccandum.

Indigeret vero nova dispensatione, ut patet, si peccaret cum alia sponsae consanguinea ante matrimonium, etiam post fulminatam dispensationem, quia nova affinitas contraheretur.

872. — Quaer. 8° *An nova requiratur dispensatio, si, obtenta dispensatione in impedimento* consanguinitatis, *copula* incestuosa *inter sponsos intercesserit?*(2)

Resp. 1° *Affirmative,* si copula habita fuerit ante dispensationis exsecutionem. Sic ex interpretatione communi atque ex stylo curiae romanae hujusmodi incestus declarationem exigente; illo enim manifestato Pontifex majorem supplicanti poenitentiam imponit. Constat etiam ex declaratione *S. Congr. mense Maji an. 1635.* — *S. Lig. n. 1141.*(1)

Resp. 2° *Negative* vero, si habita fuerit copula post dispensationis executionem. Ratio est, quia tunc, concessa dispensatione et ablata prohibitione matrimonii, cessat etiam malitia incestus. — Constat etiam ex eadem *S. Congr.*(2)

873. — Quaer. 9° *An nova requiratur dispensatio, si, petita dispensatione a consanguineis expressaque circumstantia incestus in petitione, copula ab eisdem iteretur?*

Resp. Negative, quia incestus moraliter idem est, nec numerus copularum declarari debet.

Unde nova copula non invalidat dispensationem, sive habeatur ante ejus fulminationem(3), sive post, sicut fuit resolutum supra *n. 871.* in casu simili; datur enim rationis paritas.(4)

874. — Quaer. 10° *Si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat?*

---

(1) „Si copula sit habita post dispen„sationem perfectam et factam ab ordi„nario vel post dispensationem impetra„tam in forma gratiosa, non commissaria, „non dubium est, quin dispensatio super „impedimento cognationis seu affinitatis „et matrimonium secutum sint valida, cum „dispensatio sit recte facta. . . . Nec ob„stat copula superveniens; nam, cum im„petrantes jam sint dispensati et habili„tati ad contrahendum matrimonium, non „est incestuosa. Constat ex declaratione „*S. Congr. Conc. Trid.*" — *Garcias, de benef. p. 8. c. 3. n. 70. et seq.* (Nota auctoris.)

Attamen non improbabiliter, uti censemus, *Knopp §. 47. p. 475.* cum *Sanchez* (quem *S. Lig. n. 1140.* immerito pro negativa citat), *Alasia* et *Carrière affirmativam* sententiam tenet. Negat autem *Alasia,* declarationem *S. Poenitentiariae* a *S. Alphonso l. c.* allatam quaestionem decidere, et provocat ad usum recentiorem, juxta quem nova in hoc casu dispensatio conceditur.

(2) Quae in hac et sequente quaestione statuuntur, non pro solo consanguinitatis impedimento, sed pro ceteris quoque valent. — Cf. *n. 867. 6°. not. 3.*

(1) Petenda tunc revalidatio prioris dispensationis, quam revalidationem vocat *Perinde valere.*

(2) „Congreg. Cardinalium Conc. Ti„dent. censuit, dispensationem reddi nu„lam ex copula praecedente dispensa„onem, si de ea facta non fuerit mentio „in supplicatione; copulam vero super„venientem post dispensationem ab ordi„dinario factam non impedire matrimonii „validitatem." — *Garcias ibid.* (Nota auct.)

(3) Dispensatio semper irrita fit, si ante ejus exsecutionem copula iteretur et ipsa data fuerit *in forma pauperum,* idcoque etiam, si a S. Poenitentiaria vel ab eius scopo vi quasi-privilegii concessa sit. — *Heiss §. 54. III.* S. Poenitentiaria tamen huic casui in ipso dispensationis instrumento providere solet. — *Knopp §. 47. p. 474.* — Cf. etiam facultatem trienn. episcopis Germaniae concessam sub. *n. 12.*

(4) Non exsistit haec paritas, cum ad *871.* non agatur de peccato inter dispensandos.

Resp. 1° *Affirmative,* si impedimentum contractum fuerit ex eodem crimine. Ratio est, quia relapsus in idem crimen retrahit superiorem a dispensando.

Resp. 2° *Negative,* si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso. — Ita *S. Lig. n. 1137.* et *alii communiter.*

Resolves:

875. — 1° Invalida esset dispensatio, si exprimeretur in petitione affinitas pro consanguinitate et vice versa etc., etiamsi ex errore inculpabili id fieret: superior enim concedit dispensationem juxta exposita in supplicatione, quae, cum de facto sint falsa, necessario nullam dispensationem efficiunt. Ex opposito valida esset dispensatio, ut patet, si error inveniretur in rescripto Pontificis, puta ex culpa amanuensis.(¹)

2° Invalida item esset dispensatio, si exprimeretur gradus tertius pro secundo, aut quartus pro tertio; etenim multo difficilius conceditur dispensatio pro gradu propinquiore, quam pro remotiore. Secus autem foret dicendum, si ex errore poneretur gradus tertius pro quarto, quia dispensatio *in majori* continet dispensationem *in minori* ejusdem speciei. — *Ita communiter* contra *paucos.*

3° Non est necessarium, dicere in petitione, quoties copula habita est cum consanguinea sponsae, quia ex variis copulis exsurgit unica affinitas; debet autem exprimi copula habita cum variis consanguineis sponsae, quia ex iis tot diversae affinitates contrahuntur: licet enim haec impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. — Constat ex declaratione *Benedicti XIV.* — *S. Lig. n. 1138.*

4° Error in nomine vel cognomine contrahentorum, vel dioecesis aut parochiae probabilius validitati dispensationis non officit, modo constet de *corpore,* i. e. de impedimento et causa(¹). — Ita *Sanchez l. 8. d. 21. n. 37.* et *alii communiter.*

(¹) Hoc tamen alii negant. — V. *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 157.*

PUNCTUM III.

De modo dispensationem petendi.

876. — Duo tribunalia Romae sunt constituta ad concedendas dispensationes nomine S. Sedis pro varia impedimentorum qualitate, scilicet *Dataria* et *Poenitentiaria.*

I. *Dataria:* Ad Datariam recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis, aut quae in notitiam aliorum ventura praevidentur, aut quae sine infamia, scandalo aliisque incommodis manifestari possunt.(²)

II. *Poenitentiaria:* Ad S. Poenitentiariam recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus, quae forum internum solum spectant, scilicet pro impedimentis occultis.(³) In

(¹) et de identitate personae.

Contrarium quoad nomen oratorum (nisi mutatio sit minima) et dioecesis absolute tenet *Corradus.* — Cf. *Schmalzgrueber l. c. n. 155.*

(²) Dataria enim etiam in omnibus occultis dispensare potest, non vero Poenitentiaria.

(³) Dispensat Poenitentiaria ex facultatibus ordinariis ipsi concessis *ad matrimonium celebrandum* in impedimentis dirimentibus occultis publicae honestatis, affinitatis ex copula illicita et criminis; *matrimonio* autem *jam celebrato* in tribus praedictis et praeterea in impedimentis cognationis spiritualis, consanguinitatis et affinitatis ex copula licita in 3° et 4° gradu; in 2° autem solummodo, si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint; item revalidat in 3° et 4° gradu publico matrimonium nullum ex causa subreptionis vel obreptionis occultae literarum Apostolicarum, nisi falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat (tunc enim ad Datariam recurrendum); imo potest quoad 1um et 2um gradum, vel quoad 2um tantum ac etiam 3um et 4um quum in matri-

postulato autem, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur.

Quaesita:

877. — Quaer. 1° *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum est et alterum occultum?*

Resp. 1° Si sint omnino *disparata,* recurrendum est ad Datariam pro publico et ad Poenitentiariam pro occulto, nec necessarium est, ut mentio fiat apud unum tribunal de dispensatione ab altero tribunali postulata vel obtenta. Censentur autem disparata impedimenta, quando unum non augetur ex altero, ut v. g. *consanguinitas* et *votum,* aut *consanguinitas* et *machinatio.*

Resp. 2° Si vero *non* sint *disparata,* petenda est dispensatio impedimenti publici a Dataria tacito altero, quod secretum remanere debet(¹), et utrumque est exprimendum in supplicatione ad Poenitentiariam, quia ex dictis dispensatio difficilior redditur. Habenda vero sunt ut *non disparata,* quando sunt talis rationis, ut conjuncta afferant majorem repugnantiam ad matrimonium contrahendum, puta si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit; tunc enim difficilior redditur dispensatio. Hinc in praefato casu orator petere debet a Dataria dispensationem ab impedimento consanguinitatis, et a Poenitentiaria dispensationem ab impedimento affinitatis ex causa illicita, simul exponendo dispensationem a Dataria obtentam. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 1139.*(¹)

878. — Quaer. 2° *An recurrendum sit ad sacram* Poenitentiariam, *ut circumstantia copulae occultae habitae inter consanguineos manifestetur?*

Resp. 1° Certum est, non dari obligationem exponendi copulam *occultam* in petitione ad Datariam pro impedimento consanguinitatis. Ratio est, quia nemo tenetur se diffamare, et aliunde haec revelatio *publica* incestus occulti non praecipitur.

Resp. 2° Haec autem circumstantia manifestanda est S. Poenitentiariae. Ratio est, quia generatim praescribitur, ut exponatur copula habita inter consanguineos, qui matrimonium inire volunt. Jam vero, cum certum sit non dari obligationem exponendi copulam occultam in petitione ad Dataria, quia nemo tenetur sese diffamare, nec dicatur in praecepto, in

---

monio celebrando, tum in celebrato convalidare dispensationem nullam ex reticita copula occulta, quae sine honoris detrimento detegi non valet (sed pro foro conscientiae tantum), vel ex copula publice quidem narrata, sed tacendo intentionem occultam et malitiosam in ipsa copula habitam ad facilius obtinendam dispensationem.

Attamen ex speciali concessione per Poenitentiariam plura etiam obtineri possunt, quae ad forum externum spectant, pro pauperibus scil., de quorum paupertate constare debet literis testimonialibus ordinariorum: imo in casibus extraordinariis et gravibus etiam pro oratoribus non pauperibus, quo in casu tamen ordinarius peculiaria motiva accurate exponat necesse est. Ceterum nulla pro rescriptis Poenitentiariae solvitur taxa, nisi de illis agatur, quae respiciunt matrimonialia impedimenta *fori externi,* pro quibus ordinarie quaedam taxa numeratur, tenuis quidem a pauperibus, major pro facultate a non pauperibus, quaeque a s. tribunali remitti debet ad officium Apostolicae Datariae. — Cf. *Ben. XIV.,* const. *Pastor bonus* §. *39. et seq.; §. 5.* et *Inst. 87.* — *Act. v. 1. f. 1. p. 63.; fasc. 6. p. 382.; vol. 2. fasc. 13. p. 62.* — *S. Lig. n. 1144.* — *Scav.*

(¹) in quantum sine infamia exponi non potest —

(¹) Distinctio sub *n. 877.* allata in[illegible] impedimenta *disparata* et *non dispar*[illegible] non videtur satis tuta. Sane, si in[illegible] impedimenta adsit aliquod occultum [illegible] diffamans, hoc in petitione ad Datari[illegible] exprimi non debet; sed in petitione [illegible] Poenitentiariam omnia impedimenta, et[illegible] ea, quae auctor vocat disparata, expo[illegible] da videntur. — Cf. *Reiffenstuel, J[illegible] can. t. 4. app. n. 152. 153.* — *S. L[illegible] Hom. ap. tr. 18. n. 85.* — *Gir[illegible] Expos. Juris Pont. p. 2. sect. 12[illegible]*

ciendam esse revelationem *publicam* incestus occulti, sequitur, copulam occultam saltem secreta manifestatione apud Poenitentiariam aperiendam esse(1), ne lex inutilis omnino evadat et a certa lege absque ulla causa exemptio concedatur.(2) Plures olim oppositum tenebant; sed hodie non est amplius de hoc dubitandum, ait *S. Lig. n. 1135.*, post bullam *Benedicti XIV. Pastor bonus.*

879. — Quaer. 3° *An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores non sint pauperes?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia obreptio cadit tantum in causam impulsivam, non autem motivam; paupertas enim non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis.* Unde debet semper adesse alia causa motiva. — Ita *S. Lig., Hom. apost. tr. 18. n. 87.*, ubi dicit, hoc constare ex decisione *S. Congr. C. d. d. 9. Sept. 1679.* — *Negant* tamen *aliqui*, quia, ajunt, Papa dispensare non intendit nisi illos, qui sunt vere pauperes. — *Lacroix n. 859.* — *Gousset n. 866. 12°.*

In praxi autem, licet peccent graviter illi, qui obtinent dispensationem in forma pauperum, cum non sint pauperes, attamen contracto matrimonio videtur, quod standum sit pro illius valore, saltem ob auctoritatem *S. Lig.* et *S. Congr.*, nisi probetur, hanc declarationem authenticam non esse.(3)

(1) simul cum impedimento, super quo vel jam obtenta vel obtinenda est dispensatio a Dataria —

(2) Idem tene de copula incestuosa occulta in genere. — Cf. *n. 867. 6°.*; *not. n. 876. II.*

(3) Authenticitatem hujus declarationis tantur etiam *Anal. J. P. ser. 6. col. 293.*, ib. fusius pro sententia affirmativa serentes.

Si tamen indulto ad dispensandum, od episcopis conceditur, adderetur clausula: *pro pauperibus tantum*, dispensio vi illius indulti diviti concessa irrita ret.

Quaer. 4° *Quinam censendi sint pauperes?*

Resp. Ex jure canonico debent esse aliquo modo *miserabiles*, cum de stylo curiae sic confici debeat petitio: *oratores, qui pauperes et miserabiles exsistunt ac ex suis labore et industria tantum vivunt.* In praxi exponendus est status fortunae, vel standum est regulis ab episcopo datis.

Ex declaratione a rectoribus *Apostolicae Datariae anno 1841*, data ii reputandi sunt *pauperes*, quorum fortuna valorem 5000 fr. non excedit; ii vero, quorum fortuna 10,000 fr. valorem non excedit, *fere pauperes* dicuntur. — *Bouvier, Dispens. imped. sect. 3. §. 3.*(1)

(1) Non omnino concordant auctores, dum definiunt, quinam pauperes in sensu juris canonici habendi sint. Affirmant ex recentioribus, omnes illos pauperibus accensendos, qui propria bona non possident, ex quibus decenter juxta conditionem suam vivere queant, sed qui insuper laborem et industriam suam impendere debent. — Cf. *Schulte, Eherecht §. 46. p. 386.* — *Stapf.* Strictius vetustiores verba illa „qui pauperes et miserabiles exsistunt etc.“ interpretari solent, ita ut illi soli pauperes dicendi sint, qui per laborem suum ea tantum acquirunt, quae ad congruam sustentationem exiguntur, quin bona debitis vel aliis oneribus non gravata possideant vel ea possidendi jus expeditum actu habeant, quorum reditus ad sustentationem per notabilem saltem anni partem sufficiant. — Cf. *Reiffenstuel, Jus can. l. 4. app. n. 372. et seq.* — *Schmalzgrueber l. 4. tit. 16. n. 232. et seq.*

In hac sententiarum discrepantia normam securiorem responsio Datariae in textu allata praebebit, quae, si prae oculis habeatur, valorem pecuniae interea valde decrevisse etc., quoad substantiam non differt a responso, quod *Pius VI. anno 1788.* super eadem materia dedit (v. *Knopp §. 48. p. 491.*) et in quo expresse additur, eos quoque, qui supra in declaratione Datariae „fere pauperes“ dicuntur, in forma pauperum dispensari, imo ipsis etiam taxam titulo eleemosynae remitti posse, si „nihilominus eorum conditione inspecta pauperes esse videantur.“ Ex hac norma vero una cum formula con-

880. — Quaer. 5° *Quomodo sit exsequenda dispensatio?*

Resp. 1° Quoad dispensationem *S. Poenitentiariae:* Fiat post absolutionem his verbis aut similibus: *Auctoritate Apostolica dispenso tecum super impedimento N., quod incurristi, ut matrimonium inire* (vel *initum perficere*) *valeas, et legitimam reddo prolem susceptam* (vel *suscipiendam*). *In nomine Patris etc.*

Si vero dispensatio sit a voto castitatis, dicitur: *Insuper tibi votum castitatis, quod emisisti, ut valeas matrimonium contrahere et illo uti, in opera, quae tibi praescripsi, dispensando commuto. In nomine etc.*(1)

Nota: Nulla formula sub poena nullitatis, imo nec sub praecepto rigoroso praescribitur: nulla enim in *rituali romano* habetur. Si confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; tunc enim causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret. — *Bouvier.*(2)

Resp. 2° Quoad dispensationem *Datariae:* 1° Delegatus(3) ad dispensandum debet inquirere de veritate causarum, ut in rescripto habetur; probabilius tamen haec informatio ad validitatem non requiritur.(1) — 2° Debet declarare coram partibus et testibus, tolli impedimentum matrimonii, et jubere, attestationem hujus dispensationis scribi in registris dioecesis. — 3° Debet transmittere rescriptum Datariae ad parochum alterutrius partis cum licentia, ut matrimonio adsistere possit.(2)

Nota: Dispensatio a *Dataria* semper

---

sueta „qui pauperes et miserabiles exsistunt etc." non immerito colligetur, non eos omnes, qui, facultates proprias non possidentes, ex sua industria vivunt, pauperibus in sensu stricto adnumerari posse, sed illos tantum, qui non gaudent nisi reditibus, mediocribus pro hominibus mediae conditionis.

Ceterum in hisce computandis ex ipsa rei natura non scrupulose procedendum, commendanda vero illorum ordinariorum praxis videtur, qui exquirentes a parochis, quid oratores absque vero gravamine solvere valeant, hanc summam in ipsa petitione exprimunt.

(1) Similes formulas exhibet *Ben. XIV., Inst. 87.* sub fine.

(2) Cf. etiam *n. 889.* not. *3. et 4.*

(3) Committitur exsecutio dispensationis episcopo vel ejus generali vicario (officiali), qui juxta communiorem sententiam eam alteri subdelegare nequeunt. Hinc nequidem successor episcopi dispensationem exsequi valet, si nomen delegati additum sit; secus, si sola dignitas exprimatur. Intelligitur vero per verbum *episcopus* vel *dioecesanus* solus episcopus, per verbum *ordinarius* autem vel episcopus, vel vicarius generalis. Nec vicario capitulari competit exsecutio dispensationum, quae ante mortem episcopi petitae sunt, nisi ad hunc finem obtineat indultum, quod a *S. Congr. Episc. et Regul.* postulari solet *(Anal. J. P. ser. 2. col. 2321.).* — Cf. *Scav. (de sacr. matrimonii, Annot.* K. *sub fine tractatus;* in editione vero 10ª *t. 3. n. 1028.); Heiss (§. 57.); Schmalzgrueber (l. 4. tit. 16. n. 217. et seq.) etc.,* qui etiam alia in exsecutione observanda notant, quae, cum mere ad forum externum pertineant, omittimus, ne nimis prolixi simus.

Diligenter autem clausulae appositae serventur, cum non servata „conditione et forma praescripta" corruat et nullus sit actus. — *Reiffenstuel, Jus can. tom. 4. app. n. 323.* — *Schulte, Eherecht p. 1. §. 45. p. 371.* — Cf. *n. 955. not. ult.*

An vero haec potestas delegata expiret morte delegantis, v. *p. 1. n. 116. Q. 6°. not. 2.*

(1) Sane haec informatio omitti nequit, si in literis exigatur. Solent autem auctores distinguere inter clausulam *„si preces veritate nitantur"* seu „si ita est" et alteram *„si preces veritate niti reperiris"*, quatenus posterior, si delegatus accuratam diligentiam non adhibuerit, dispensationem in omni casu irritam reddat, non vero prior, dummodo quae exponuntur, veritati consonent. — *Schulte, Eherecht p. 1. §. 45. p. 372.* — *Heiss §. 59. I. 1.* Cum tamen sententia, semper informationem ad validitatem actus requirens, saltem probabilis sit et informatio extrajudicialis (de qua v. *Archiv für k. Kirchenrecht 1867. fasc. 6. p. 465.*) sufficiat, securius aget exsecutor, si informationem in omni casu praemittat. — Cf. const. *Ad Apostolicae servitutis Ben. XIV. d. d. 25. Febr. 1742.* — *Ferraris ad v.* Dispensatio *n. 36. 45.* — *Heiss §. 57. I. 1.*

(2) *Ad 2° et 3°:* Sufficere videtur decretum dispensationis per literas publicas a delegato confectas et ad parochum missas, ut illud partibus promulget. — *Heiss §. 57. II.*

per episcopum petenda est.(1) Dispensatio autem a *Poenitentiaria* immediate ab oratore vel alio ejus loco peti potest.(2) Securius tamen et facilius ista quoque mediante episcopo et tacito nomine oratoris postulatur.

881. — Quaer. 6° *Quomodo ab episcopis dispensatio obtinenda sit, quando ex indulto dispensare possunt?*

Resp. Eaedem regulae, quae in curia romana habentur ut necessariae, necessario etiam servandae sunt, quia mens est Summi Pontificis, ut alio modo episcopi concessione Apostolica uti nequeant.(3)

Nota: Episcopus virtute indulti Apostolici dispensans sub poena nullitatis exprimere debet, se dispensare tamquam S. Sedis delegatum ex indulto delegationis concesso tali die et anno, et tot mensibus aut annis valituro, quia indulta illud vulgo praescribunt, et illud tunc praescribi sub poena nullitatis asserit *Bened. XIV.* in constitutione *Ad tuas manus d. d. 8. Aug. 1748.*

882. — Quaer. 7° *Quaenam sint clausulae, quae in dispensationibus a S. Poenitentiaria apponi solent?*

Resp. Sunt sequentes,(4) scilicet: 1° *Si ita sit.* Fides autem poenitenti(5) adhibenda est, nisi delegatus certe sciat oppositum ex notitia extra confessionem accepta.(6) — 2° *Audita prius sacramentali confessione.* Juxta hanc clausulam igitur necessaria est confessio(7). — 3° *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur, si occasio sit voluntaria, quae de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media. — 4° *Dummodo impedimentum sit occultum.*(1) — 5° *Injuncta ei gravi poenitentia salutari.* Intelligitur: juxta conditionem ac vires poenitentis.(2) — 6° *Praesentibus*

---

(1) Potest etiam quisque per se ad Datariam recurrere. — *Scav. t. 3. n. 916.*

(2) Cf. *Act. vol. 1. fasc. 2. p. 126.*

(3) Si episcopus vi privilegii dispensat, dispensatio cum quovis etiam divite semper gratis et sic *in forma pauperum* fieri debet. — Requiruntur vero et sufficiunt eaedem causae, ob quas potest et solet dispensare Papa. — *Reiffenstuel t. 4. app. n. 370. 144. — V. n. 879. 3°. not.*

(4) De his clausulis fusius *Ben. XIV., Inst. 87. §. Post haec et seq.*

(5) Nam testes requirendi non sunt, sed illum solum examinare fas est, qui dispensationem impetravit (agitur enim de foro interno). — *Ben. XIV. l. c.*

(6) Cf. *n. 880. Resp. 2°. 1°. not.*

(7) apud ipsum delegatum. — *Ben. XIV. l. c. §. Disceptabant olim.*

Dummodo confessarius literarum S. Poenitentiariae exsecutor servet", ita eadem S. Poenitentiaria, „quae sibi in iisdem literis praescribuntur, tunc datae vigore earumdem literarum dispensationes validae erunt, etiamsi contingat, poenitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quodsi confessarius advertat, poenitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi rite non posse, curare debet eumdem poenitentem rite disponere vel, si disponi nequeat in praesenti, una cum absolutione a peccatis differre quoque praedictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat, dispensationes easdem accelerare." — *Knopp §. 48. p. 485. not. 6.*

Debet autem dispensatio intra confessionem concedi. — Cf. *n. 880.*

(1) Appellatur impedimentum ex stylo Poenitentiariae *omnino occultum,* si praeter oratores et confessarium a nemine scitur; *occultum* autem, quod tam paucis notum est, ut neque sit famosum (i. e. licet in conjecturis positum, tamen jam fama divulgatum, ita ut ex matrimonio grave scandalum oriatur) neque notorium de facto (i. e. quod v. g. per 2 vel 3 personas fide dignas in aliquo loco, per 5 vel 6 in aliquo oppido, per 7 aut 8 in civitate probari potest) vel de jure (deductum scil. ad forum contentiosum) neque manifestum (cum nempe non per tot testes immediatos, quot notorium requirit, probari potest, sed solummodo per dimidiam illius numeri partem, qui tamen jam aliquos alios hac de re certiores fecerunt). — Cf. *Ben. XIV. l. c. §. Non ita et seq. — Heiss §. 58. — Knopp §. 47. p. 464.*

(2) Poenitentia vocatur *salutaris,* si non solum est proportionata gravitati peccati (juxta vires poenitentis), sed etiam medicinalis (cf. *n. 521. II. not.*); *gravis (n. 524. Q. 4°.)* duplicata vel triplicata autem *gravissima* appellatur. — Quoad tempus dicitur *longa,* si per hebdomadam usque ad annum (juxta gravitatem peccati) continuanda est; *diuturna,* quae ad 3 annos extenditur; *perpetua* vero, quae totam

laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae. Haec laceratio statim facienda est, sed intellige: moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem exsecutam. Si autem in literis non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur, quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a parocho caute adnotari in libro, qui non possit a quopiam alio adspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata possit. — *S. Lig. n. 1143.* (¹)

883. — Quaer. 8° *Quomodo taxa pecuniaria, quae oratoribus imponitur, conciliari possit cum decreto concilii Trid. jubente, ut dispensatio* gratis *concedatur?*

Resp. Si pecunia occasione dispensationum percepta in beneficium dispensantis vergeret, mandatum concilii Trid. violaretur et dispensatio simoniaca foret; verum non ita res se habet: pecunia enim accipitur tantum ut eleemosyna in opera pia impendenda. (¹)

884. — Quaer. 9° *Quomodo exsequenda sit dispensatio S. Poenitentiariae, si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune?*

Resp. In hoc casu uterque a respectivo confessario dispensandus est. — Constat ex responsione *S. Poenitentiariae d. d. 15. Nov. 1748.* Idem autem rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo, qui posterius cum

---

vitam complectitur, non quoad singulos dies (nisi id expresse in rescripto exigatur), sed quoad dies statutos. — Cf. *Heiss §. 59. — Knopp §. 48. p. 497.*

Cavendum tamen, ne poenitentia eligatur, ex qua poenitentis delictum detegi possit. — *Scav.*

Si vero aliqua poenitentia ab ipsa Poenitentiaria imposita inveniatur, praetermitti nequit. — *Ben. XIV., Inst. 87. §. Si dispensatio.*

(¹) Haud parvam difficultatem alia clausula creat, quae decretis *S. Poenitentiariae* apponi solet, si agitur de nuptiis jam celebratis et impedimentum uni soli conjugum cognitum est, scil.: *„dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum numquam detegatur.“* Vix huic conditioni, quae accurate observari debet, aliter satisfieri poterit, ac per 2 priores modos sub *n. 900.* indicatos, praesertim per secundum. — *Quid vero, si timendum, alterum conjugem certioratum consensum novum negaturum esse?* Si circumstantiae alium aptum modum, quo vere huic clausulae satisfit, non suppeditent (qua de re etiam episcopus consulatur, qui forte aliquando ipse dispensare poterit — cf. *n. 861. not. 2.*), solummodo recursus ad Poenitentiariam remanet, ut vel *in radice* dispenset (quae dispensatio tamen rarius conceditur, nisi de plurimis matrimoniis irritis agatur) vel aliquid de severitate clausulae remittat. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 87. §. Itaque rei difficultas et seq.* — Consulit *Giraldi (Expos. Juris Pont. p. 1. append. 2. ad libr. 4. decret.)*, hanc difficultatem statim in literis ipsis, per quas dispensatio petitur, S. Poenitentiariae exponere, potissimum si periculum sit in mora.

Per clausulam *„interdicto prius oratoribus quocumque tractu v. g. per mensem“* exigitur ob praecedentem incestum vel scandalosam familiaritatem oratorum abstinentia a quolibet familiari usu, ut resipiscant et datum scandalum reparetur. — *Act. v. 1. fasc. 7. p. 445.*

De motivis appositionis clausulae: *„praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quovis modo incursis et ab incestus reatibus“* v. *Act. vol. 2. fasc. 20. p. 493.*, de clausula vero *„dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint resoluta“ ib. fasc. 16. p. 257.*

(¹) Exiguntur ejusmodi taxae tum ad sumptus necessario pro exhibenda dispensatione tolerandos, tum ut fideles magis ab ejusmodi matrimoniis abstineant, tum tamquam quaedam compensatio pro liberatione a lege, impendenda ad causas pias, praesertim pro propaganda tuendaque fide, „pro qua quanta qualiaque S. Sedis onera, exprimi vix potest“ etc. — V. *Act. v. 1. fasc. 6. p. 382.*, ubi plura de his taxis et agentibus. Vitabitur vero, ne nimium forte onus inopibus imponatur, si observetur modus, quem *n. 879. Q.* sub fine *notae* indicavimus.

poenitente suo illud exsequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica exsecutio requiritur. — *Collet, traité des dispenses.* — *Bouvier etc.*

FORMULAE

AD POSTULANDAS DISPENSATIONES.

I. A Dataria.(1)

Beatissime Pater!

885. — *Joannes N.* (ponitur nomen proprium) *et Anna N., e parochia vulgo dicta N., dioecesis N., consanguinei in 2° gradu aequali matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi necessariam a Beatitudine Vestra suppliciter efflagitant. Rationes sunt:* 1° Aetas puellae, *quae jam viginti quinque annos nata alium probabiliter non inveniret virum, cui convenienter nubere possit;* 2° Virtutes christianae *in utroque oratore exsistentes;* 3° Angustia loci. (Ponantur aliae causae, si adsint.)

In loco N., die . . . etc.

P., rector parochiae.

Nota 1° Si sint *pauperes*, post expositas rationes dicitur: *Pauperes et miserabiles exsistunt, atque ex suis labore et industria tantum vivunt.*

Nota 2° Supplicatio a parocho oratorum confecta ad episcopum mittatur. Episcopus vero vel loco ipsius vicarius generalis eam testimonio, sigillo et chirographo episcopali munitam mittit Romam ad mandatarium suum, qui dispensationem sollicitat eamque ad episcopum transmittit.

(1) Praeter ea, quae jam in numeris praecedentibus de iis, quae in hisce literis explicari debent, exposuimus, adverte, easdem immediate ad S. Pontificem dirigi et in ipsis nomina et cognomina oratorum, eorumdem dioecesim (et quidem utriusque, si ad diversas pertineant, cum rescriptum ad ordinarium sponsae dirigi soleat) et locum habitationis (praesertim si ob angustiam loci dispensatio petatur) exprimi debere. — Insuper aetas oratorum addatur.

II. A Poenitentiaria.

Eminentissime et Reverendissime Domine!

886. — *Titius, conscius* (vel *ignarus*) *impedimenti, contraxit in facie Ecclesiae matrimonium cum muliere, cujus matrem* (vel *filiam* vel *sororem*) *prius carnaliter cognovit, quare, cum absque scandalo separari non possint et impedimentum sit occultum, humillime supplicat Eminentiae Vestrae, ut ei dispensationem benigne indulgeat, ut valide contrahere possit.*

Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me infra scriptum.

Nota: Hic exprimendum est nomen et cognomen illius, ad quem rescribendum est; nomen item oppidi vel civitatis, ad quam aut per quam rescribendum, et haec quidem vulgari lingua(1). — Supra supplicationem clausam et sigillatam ponitur: *Eminentissimo ac Reverendissimo DD. Cardinali Majori Poenitentiario.*

887. — Altera formula, quando duplex est impedimentum, unum publicum, aliud occultum:

Eminentissime et Reverendissime Domine!

Petrus et Anna, consanguinei in secundo gradu, non spe facilioris dispensationis obtinendae, sed vesana libidine victi, rem simul habuerunt. Joannes vero, Petri frater, Annam ducere intendit, constituta illi dote, quam aliunde habere non

(1) non idiomate latino, cum persaepe aliter sonent propria locorum nomina latine prolata. Addatur etiam dioecesis vel provincia nota, in qua illud oppidum etc. reperitur. Non vero interest, an literae exaratae sint latino vel propriae nationis idiomate; suppetunt enim S. Poenitentiariae pro cujuslibet nationis idiomate interpretes multiplices. — *Act. v. 1. fasc. 2. p. 127.*

Omittenda autem omnia, quae ad oratorum personas pertinent, uti nomina, patria etc. — Si unus tantum conjugum impedimenti conscius est, hic solus supplicet.

posset juxta status sui conditionem. Ambo supplicant SS. DD., ut Dataria Apostolica dignetur cum illis super dicto consanguinitatis impedimento dispensare. Eminentiae autem Vestrae humiliter supplicat oratrix Anna, quatenus ex speciali gratia cum ipsa dispensare dignetur, ut, non obstante praedicto affinitatis ex illicita copula provenientis impedimento penitus occulto, matrimonium cum dicto Joanne licite et valide contrahere possit.

Alia formula pro voto castitatis perpetuae.

Eminentissime et Reverendissime Domine!

888. *Puella quaedam, annos circiter quindecim nata, scienter et libere votum emisit castitatis perpetuo servandae; nunc autem confessarii judicio, qui jam dudum ipsius confessiones excipit, in certum salutis discrimen veniret, nisi nubat. Quapropter supplicat humiliter et enixe, votum sibi commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur Eminentia Vestra etc.*

Alia formula de re eadem.

889. — *Titius, cum castitatis voto sit obstrictus et cum in gravi versetur periculo incontinentiae, suppliciter orat Emin. V., ut dignetur oratori a praefato voto dispensationem indulgere, qua matrimonium contrahere possit etc.*

Nota 1° Supplicationes ad Datariam, in quibus causae canonicae non exprimuntur, vel quae testimonio episcopi aliave conditione requisita carent, dilacerantur et ab officiariis S. Congr. non respondetur.

Nota 2° In Gallia occurrit nunc sat frequenter causa, quae in supplicatione addi potest, scilicet matrimonium civiliter contractum vel periculum, ne contrahatur. Tunc vero dispensatio praecipue conceditur in gratiam sponsae, prolis natae vel nasciturae et familiae, vel ad vitandum scandalum religioni et moribus perniciosum.

Nota 3° Forma dispensationum tum in Poenitentiaria, tum in Dataria nunc recepta est *commissoria*, i. e. datur potestas dispensandi, non vero praecise dispensatur. Unde infertur, causas allatas debere esse veras tum tempore, quo rescriptum Romae expeditur, tum tempore, quo exsecutioni dispensatio mandatur; nam in rescripto dicitur: *si res ita sit* aut quid aequivalens, vel saltem subintelligitur.

Nota 4° Dispensatio pro foro interno committi solet doctori in theologia vel in jure canonico, vel, si haberi nequit, confessario ab episcopo approbato, qui non potest exsequi dispensationem, *nisi audita prius confessione*. Sed quoniam raro nunc inveniri possunt in plerisque locis confessarii in theologia doctores, ordinarie simpliciter facultas dispensandi confessario a poenitente eligendo committitur. (1)

CAPUT VII.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

890. — Matrimonium invalidum esse potest: 1° ob defectum consensus; 2° ob defectum formae praescriptae; 3° ob inhabilitatem partium. (2)

---

(1) Hujus delegati porro est, *literas* S. Poenitentiariae aperire et juxta ipsarum tenorem dispensationem exsequi. — V. *Ben. XIV., Inst. 87. §. Sed jam et seq.*

(2) 1° Si post matrimonium celebratum aliquod impedimentum *indispensabile utrique* conjugi indubie innotescat, conjuges non solum ab omni opere conjugali abstinere debent, sed etiam in genere a cohabitatione separandi sunt (*n. 855. III. not.*), invocato antea ad hunc finem interventu judicis ecclesiastici (*c.* Porro [3.] *de divort. [IV. 19.]*), nisi grave scandalum publicum, quod aliter auferri nequit, vel periculum incontinentiae illico separationem necessariam reddant. Si tamen impedimentum occultum esset, ex ejus manifestatione autem gravia incommoda provenirent et periculum incontinentiae non urgeret, uti frater et soror simul habitare non illicitum conjugibus putamus.

Si *unus solus* conjux impedimentum scit, regulariter alter monendus erit, licet monitio non profutura sit, qua monitione facta observandae erunt regulae modo expositae.

Si autem *neuter* impedimenti occulti conscius est et ex revelatione majora mala timentur, in bona fide relinquantur.

2° Si vero dictum impedimentum est

ARTICULUS I.
ATIONE MATRIMONII IRRITI OB FECTUM CONSENSUS.

ıst 1°, matrimonium nullum

e, *utrique* conjugi notum et ıec per simplicem consensus n tolli potest, recurratur ad lesiasticum, ut quoad separa- ɔhabitatione ea, quae conve- at (nisi grave scandalum etc. ıudicis dispositionem licitam dispensationem procuret. — publicum, ipsi conjuges se- ırochum vel confessarium dis- ı urgeant. Cohabitatio inter- potest, si periculum peccandi se separent ad tempus, pru- ɜn, ne impedimentum, prae- mans, publicum fiat.

ɔolummodo istud novit, regu- certior faciendus erit; quod ɜno incommodo fieri nequit, pedimenti protinus dispensa- ɜat et interim prudenter co-

sint in bona fide et circum- ɜ. ob periculum incontinentiae psis ante obtentam dispensa- itatem matrimonii occultare, el confessarius ipse dispen- ɜocuret et hac concessa con- culpa forte impedimentum ex- d patefaciat, ut matrimonium (cf. *n. 612.*). Si vero ob ımodum neutri exponi potest, ı relinquantur, obtinendo forte dum etiam peccatum materiale ɜm matrimonii *in radice,* quae pro tali casu sperari potest *6°. not.*).

; autem conjugi, qui impedi- ɜimens adesse certo scit, de- etere vel reddere, dum impe- ɜtud legitime non ablatum est, n mala ex negatione debiti et quamvis nullitas in foro bari nequeat. — *C.* Inquisiti- *sent. excommun. (V. 39.)* — *787.*

o attinet ad *revalidationem* hanc generalem regulam prae-

e specialis forma praeter re- consensus ad validitatem re- praeceptum Tridentini hac in ɔnjuges putativos non se ex- ı v. g. domicilium habent in Tridentinum promulgatum non *ulte, Eherecht §. 41. p. 338.* *§. 61. III.* Sufficit item, itas ex vi vel metu proveniat, ob solum defectum consensus(¹) revalidari posse per simplicem consensus renovationem.

Certum est 2°, requiri renovationem consensus utriusque partis, si utraque non vere consensit; et saltem illius, qui non consensit, si unicus sit. De pluribus autem controvertitur. Hinc

Quaesita:

891. — Quaer. 1° *An consensus ab utroque debeat renovari, si unus tantum ficte vel coacte consenserit?*

Resp. Negative. Ratio est, quia consensus alterius vere positus perseverat, quamdiu positive retractatus non fuerit. — *Ita communiter theologi,* et hanc sententiàm *veriorem* i. e. *moraliter certam* vocat *S. Lig. n. 1114.*

Nonnulli tamen *affirmant,* quorum alioqui sententia *non* videtur *probabilis.* At in praxi praestat, tutius

---

renovatio consensus secreta, absque forma Tridentina, si matrimonium putativum post debitas denuntiationes in praedicta forma jam celebratum et insuper impedimentum occultum sit. Quae quando deficiunt, consensus coram parocho et testibus renovetur necesse est. — *Act. vol. 2. fasc. 13. p. 52. et seq.* — *Ben. XIV., Inst. 87. §. Magno studio et seq.* — „Merito tamen theologi ac canonistae consulunt", ita *Schulte, Eherecht §. 41. p. 346.*, „matrimonium denuo in forma Tridentina celebrare, si timendum sit, ne impedimentum istud postea publicetur." — Cf. *Sanchez, de matr. l. 2. disp. 37. n. 11.* — *Instr. pro judic. eccles. imp. austr. §. 92.*

Haec etiam valent, si episcopus vi facultatum ipsi a S. Sede concessarum super quibusdam matrimonii impedimentis dispensat, licet in literis delegationis hujus circumstantiae mentio non fiat. — *Act. l. c. p. 56.*

Patet vero, ante consensum praestandum impedimentum removeri debere, quod iterum nullitatem actus induceret. Hinc opus est v. g., ut super impedimento dirimente valide dispensatum, error vel metus sublatus sit (*n. 832. not. 4.*), mulier rapta in locum tutum restituta (*n. 860. 4°.*) etc.

(¹) celebratum scil. cum errore aut per vim et metum aut ficte —

consilium eligere, et, quoad fieri absque incommodo seu periculo potest, curandum, ut consensus ab utroque eliciatur.(1)

Quaer. 2° *An consensus renovandus sit coram parocho et testibus?*

Resp. Negative. Apparet ex praxi Ecclesiae et sententia communi, ob incommoda nimirum, quae ex illa obligatione sequerentur.(2)

ARTICULUS II.
DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM FORMAE PRAESCRIPTAE.

892. — I. Certum est, matrimonium invalidum ratione clandestinitatis ineundum esse coram parocho et testibus, nisi obtineatur a S. Pontifice dispensatio a lege concilii Trid., quae raro conceditur. Lex enim illa tamdiu obligat, quamdiu non fuit impleta, cum sit conditio *sine qua non*, requisita in omni casu ad matrimonii validitatem, nisi recursus ad parochum sit impossibilis, ut supra, ubi de impedimento clandestinitatis,(3) dictum est.

II. Si ambo conjuges non renuant se sistere coram parocho, coram eo revalidandum erit matrimonium vel *publice*, vel *occulte*, prout nullitas matrimonii publica aut occulta fuerit. Ratio est, quia in priori casu scandalum est removendum, in posteriori vero praecavendum est et fama sponsorum servanda.

Constat insuper ex declaratione *cardinalis Caprara*, legati a latere in Galliis, in instructione de matrimoniorum irritorum revalidatione. Sic ille: „6° Si nullitas matrimonii occulta sit seu communiter ignoretur, matrimonium coram proprio parocho, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala contrahendum est, adnotata deinde revalidatione in secretorum matrimoniorum libro. 7° Si nullitas matrimonii publica sit, ad scandalum removendum matrimonium publice servata forma concilii Trid. celebrandum est. Quodsi ordinarius ob peculiares circumstantias judicaverit expedire, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit et quamprimum removeatur.“

Variae autem occurrunt difficultates, si una pars consentiat ad contrahendum coram parocho et altera renuat, vel si ambae sint male dispositae. Hinc

Quaesita:

893. — Quaer. 1° *Quid agendum, si una pars vel utraque consentiat ad consensum coram parocho renovandum, sed renuat pergere ad ecclesiam?*

Resp. Conjungendi sunt in domo sua vel in alio loco ab ipsis electo, dummodo adsint testes graves, quorum ope convalidatio hujus matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium, scilicet si invaliditas conjunctionis prioris sit notoria.

Quaer. 2° *Quid agendum, si una renuat contrahere coram parocho?*

Resp. Sic respondet *cardinalis Caprara* in instructione citata: „Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debet cum prudentia et in caritate instruatur. Et quatenus adhuc renuat, matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more, aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam

(1) V. etiam *Sanchez, de matrim. l. 2. disp. 32. n. 9. et seq.* coll. *disp. 36. n. 2. et seq.*, ubi de invaliditate loquitur, quae aliunde orta est, quam ex defectu consensus. — *Instr. pro judic. eccles. imp. austr. §. 93.*

(2) Excipe: si nullitas publice innotuerit. Omittuntur tamen proclamationes. — V. *n. 890. not.*

(3) *n. 840. Q. 4°.*

proprio parocho vel alteri sacerdoti ordinarii aut parochi licentiam habenti matrimonium renovetur."

894. — Quaer. 3° *Quid, si pars indisposita ne per procuratorem quidem velit contrahere etc.?*

Resp. Sic iterum respondet *cardinalis Caprara:*

„Si hactenus praescripta obtineri nullatenus possint et pars una ad celebrationem matrimonii juxta superius tradita faciendam adduci nequeat . . ., ad dispensationem in radice matrimonii seu ad matrimonii sanationem in radice deveniri posse judicamus,(1) ita ut saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animae saluti provideri possit."

Quaer. 4° *Quid, si neutra pars denuo matrimonium contrahere consentiat?*

Resp. Nihil omnino hic et nunc faciendum est, cum nulla dispensatio ab Ecclesia in tali casu concedatur. Restat igitur, ut parochus vacet ferventi orationi, frequenter Deo miserrimos concubinarios commendet et assiduis curis horum conversionem procurare satagat.

ARTICULUS III.
DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB INHABILITATEM PARTIUM.

Ad revalidandum matrimonium irritum ob impedimentum ecclesiasticum ante omnia obtinenda est impedimenti dispensatio. Duplicis vero generis datur, scilicet: 1° dispensatio simplex seu modo consueto; 2° dispensatio *in radice* matrimonii.

§. I.
De revalidatione matrimonii modo ordinario.

Regulae:

895. — I^a *Regula.* Si uterque conjux sit conscius impedimenti, utertque tenetur consensum renovare, obtenta dispensatione ad matrimonium revalidandum. Ratio est, quia scientia nullitatis matrimonii ob notum impedimentum dirimens necessario verum consensum in praecedente matrimonii contractu excluserat.

II^a *Regula.* Si una tantum pars impedimentum cognoverit, illa certo tenetur consensum suum renovare, saltem sola seorsim. Sequitur ex modo dictis.

III^a *Regula.* Pars ignara impedimenti non deberet necessario renovare consensum ad matrimonii validitatem, si impedimentum alteram tantum partem respiceret. Ratio est, quia consensus illius fuit ab initio validus et proinde perseverat: ergo sufficeret renovatio consensus partis inhabilis. Hinc, si fidelis duxisset non-baptizatam, quae ignorat impedimentum, sufficeret, ut cessante infidelitate vel obtenta dispensatione fidelis renovaret consensum, quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ei imprimere inhabilitatem personalem.

Quaesita:

896. — Quaer. 1° *An pars ignorans impedimentum necessario debeat consensum renovare ad validam matrimonii redintegrationem?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

I^a Sententia *communior affirmat.* Ratio est: 1° Quia impedimentum tollit efficaciam consensus a principio; ergo remanet inefficax, et proinde nullum effectum producere potest, cum perseveret eodem modo, quo datus est. Dispensatio autem simplex non sanat vitium, quod praecessit, sed partes reddit solummodo capaces ad consentiendum in posterum. 2° Quia in rescriptis *S. Poenitentiariae* haec clausula addi solet: *Altera parte de nullitate prioris matrimonii certiorata. — Sanchez — Sylvius — Navarrus etc.*

(1) Cf. *n. 904. Q. 2°.*

II^a Sententia *negat*. Ratio est, quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a jure positivo appositum, tamen de jure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus erga personam de jure naturae habilem ad contrahendum; ergo sublato impedimento sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectu per copulam conjugalem, cohabitationem aut per alia signa externa perseverat. Ergo accedente consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externa, utriusque consensus unitur et matrimonium convalidatur. — Nec obstat clausula *S. Poenitentiariae,* quae apponi censetur non ut vera conditio, sed ut simplex instructio(1), quia alias haec conditio saepe frustraretur. — *Salmanticenses etc.*

Ceterum in praxi non est recedendum a prima sententia, nisi obtineatur dispensatio *in radice,* saltem extra casum urgentis necessitatis. Si autem casus urgeat nec facile dispensatio in radice obtineri possit, licebit uti secunda sententia(2), quia in talibus angustiis non est prohibitum, uti opinione probabili etiam cum periculo frustrationis sacramenti. Necessitas autem urgens adest, quando ex manifestatione nullitatis matrimonii alteri parti facta vel ex separatione conjugum periculum mortis aut gravis infamiae vel scandali timeri prudenter potest. — Ita *S. Lig. n. 1115. 1116.*(3)

897. — Quaer. 2° *An renovatio consensus praerequirat cognitionem nullitatis matrimonii?*

Resp. Videtur *affirmandum* cum sententia *communiori.* Ratio est, quia renovatio consensus necessario procedere debet ex intentione efficiendi matrimonium: ille autem, qui credit, prius matrimonium validum fuisse, non vult matrimonium efficere, sed tantum renovat et ratum habet matrimonium prius initum, et cum irritum matrimonium istud exstiterit, matrimonium per ejusmodi consensum convalidari nequit. Hoc praesertim affirmandum est, si agatur de conjuge, qui praesumitur matrimonium dissoluturus, si nullitatem agnosceret. Tunc enim censeretur dicere, se velle matrimonium, sed quod fuit ab initio, et non aliud. — *V. S. Lig. ibid.*

898. — Quaer. 3° *An consensus renovari debeat coram parocho et testibus?*

Resp. 1° *Affirmative,* si impedimentum sit publicum. Ratio est: 1° quia urget tunc ratio scandali tollendi aut praecavendi; 2° quia sic exigunt semper brevia Datariae; 3° quia secus validitas matrimonii probari non posset coram Ecclesia, cum constet publice, parochum et testes non adfuisse, nisi celebrationi matrimonii invalidi, et sic finis intentus a concilio Trid. non obtineretur; possent enim conjuges post matrimonium clandestine revalidatum separari et cum aliis impune novas inire nuptias.(1)

---

(1) Merito *Benedictus XIV.* hoc negat. S. Poenitentiaria hanc clausulam adjungit, quia „tutioribus sententiis adhaerere consueta." — *Ben. XIV., Inst. 87. §. Nos tamen.*

(2) dummodo clausula „*altera parte de nullitate prioris consensus certiorata*" non obstet vel per Poenitentiariam ablata sit —

(3) *Quid vero, si, dum matrimonium celebrabatur, adfuit impedimentum juris divini, quod nunc per eventum rei sublatum est?* — Resp. Opus erit novo consensu ex parte utriusque conjugis. — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 21. n. 7.* — „Impedimento absque dispensatione mutatione facti sublato, conjugibus injungendum est, ut consensus declarationem coram parocho et duobus testibus iterent, nisi forsan, quod nuptiarum celebratarum tempore impedimentum obtinerit, et omnino occultum nec ullum rei probandae sit periculum: tunc enim concedi potest, ut consensum inter se renovent." — Ita *Instr. pro jud. eccles. imp. austr. quoad causas matrim. §. 92.*

(1) „Proclamationes tali casu haud repetantur; copulatio a parocho privatim

Resp. 2° *Negative,* si impedimentum sit occultum. Ratio est: 1° Quia lex concilii Trid. tunc videtur jam sufficienter adimpleta per praesentiam parochi et testium in primo matrimonio, vel quia concilium Trid., praescribendo praesentiam parochi et testium, merito praesumitur noluisse hunc casum comprehendere. Concilium enim voluit tantum occurrere incommodis, quae exsurgebant ex nuptiis clam celebratis; sed in nostro casu matrimonium jam publice est contractum, et idcirco illud abest periculum: sufficit igitur, novum consensum clam ponere. 2° Quia non tantum inutilis foret legis extensio ad hunc casum, sed etiam nociva, quippe locum praeberet pluribus scandalis, partes exponeret diffamationi multaque alia incommoda induceret. 3° Quia evincitur ex praxi constanti *S. Poenitentiariae,* ex decisionibus *S. Congr. Conc.* et aliorum tribunalium. — *S. Lig. n. 1110.* et *alii communiter* contra *paucos.*(1)

899. — Quaer. 4° *An saltem matrimonium nullum ob impedimentum occultum sit revalidandum coram parocho et testibus, si isti tempore matrimonii fuerint conscii impedimenti?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia adsistentia parochi et testium fuit praescripta a concilio Trid. non tam ad testandam matrimonii validitatem, quae multipliciter potest eis esse ignota, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant.

Affirmant autem *probabiliter,* ait *S. Lig. n. 1112.*, *Sanchez* cum *Lacroix* et *aliis pluribus,* quia parochus et testes, adsistendo matrimonio ipsis noto tamquam invalido, testes tantummodo fuerunt nullitatis matrimonii.

In praxi, seclusa gravi necessitate, tutior pars esset sequenda, seclusa nimia difficultate. Ceterum casus iste quoad praxim vix est probabilis.

900. — Quaer. 5° *Quotuplici modo possit renovari seu exigi consensus a parte ignara impedimenti post obtentam dispensationem?*

Resp. Hi sunt modi praecipui a variis auctoribus adsignati:

I^us^ *Modus.* Si conjux simpliciter dicat: *Nullum est matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum* vel: *Dixit mihi confessarius, nullum esse . . .; ideoque renovemus consensum.*

II^us^ *Modus.* Si dicat conjux: *Non habui verum consensum, quando matrimonium contraxi. Novum nunc praestare volo. Vis et tu praestare?* Hic modus communiter admittitur ab auctoribus et recte adhiberi potest sine mendacio, cum consensus nullus non sit *verus consensus* et aliunde conjux ignarus impedimenti satis sic cognoscit matrimonii nullitatem.

III^us^ *Modus.* Si dicat: *Angor scrupulis de valore nostri matrimonii, ideoque renovemus consensum!* Admitti potest ille modus juxta communiorem sententiam cum *S. Lig. n. 1117.* — Sufficit enim, ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, ut dubitet prudenter de valore primi matrimonii.

Exhibentur etiam alii varii modi a pluribus theologis, v. g. si conjux comparti dicat: *Dic, quaeso, si nullum esset nostrum matrimonium, nonne iterum contrahere velles?* — Vel: *Si non mihi nupsisses, nonne nunc nubere velles?* etc. Sed merito isti modi rejiciuntur, quia sic incertum est, num altera pars intendat consensum iterare in praecedens matrimonium, an vero in novum consentire. — V. *S. Lig. n. 1117.*(1)

---

et coram fidis testibus peragatur. Exceptio fieri potest, quando impedimentum loco, quo convalidatio instituenda veniat, notorium sit." — *Instr. modo cit. §. 91.*

(1) Cf. *n. 890. not.*

(1) Cf. *n. 882. 6°. not.*

§. II.

De revalidatione matrimonii cum dispensatione in radice.

901. — Dispensatio *in radice* est abrogatio legis ecclesiasticae, quae impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt. — *Bened. XIV., Inst. 87. n. 80. §. Haec sane.; de synodo l. 13. c. 21. n. 7.*

Haec igitur dispensatio effectum suum producit tollendo de medio legis effectus, qui ob matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem ac etiam in ipso contrahendi actu producti fuerunt. — Ita etiam *idem S. Pontifex.*

Hinc dispensatio simplex a dispensatione in radice in eo differt, quod prior effectum suum non habet nisi *a tempore, quo conceditur,* seu *ex nunc,* nec proinde eximere potest a consensus renovatione. Posterior vero convalidat matrimonium *a tempore matrimonii* seu *ex tunc,* i. e. per *fictionem juris* adscendendo ad radicem seu originem matrimonii, et in eodem statu rem ponit, ac si impedimentum numquam exstitisset. Hinc dicitur dispensatio *in radice,* propterea quod destruat effectum impedimenti *a radice* seu a principio matrimonii, scilicet 1° sanando vitium consensus; 2° validitatem matrimonio tribuendo; 3° legitimitatem filiis conferendo in ordine ad effectus spirituales (1).

(1) intellige, quod idoneus fiat ad beneficia, sacros ordines atque ecclesiastica officia, qua de re nulla umquam exstitit sententiarum dissensio. — (Not. edit. rom.)

De legitimatione prolis autem quoad effectus civiles, etiam post mortem alterius e conjugibus, v. *Sanchez, de matr. l. 8. disp. 7. n. 1. et seq.* (num. 4us hujus disputationis desideratur in editione Veneta anni 1612.) — *Act. v. 1. fasc. 3. p. 184. et seq.*, ubi plura de hujus revalidationis modo.

Principia:

902. — I. Potest Ecclesia seu S. Pontifex dispensare *in radice* matrimonii quoad omnia impedimenta *juris ecclesiastici.* Ratio est: 1° Quia dispensare in radice nihil aliud est, quam auferre impedimentum non tantum in futurum, sed etiam in praeteritum, seu tollere effectus, quos produxit, ita ut coram Ecclesia habeantur, quasi numquam exstiterint. In his autem nihil est, quod potestatem Ecclesiae superet. 2° Quia id constat ex praxi Ecclesiae, quae a pluribus saeculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur *Bonifacius VIII.* ann. 1301.; recentioribus autem temporibus frequentius dispensarunt in radice *Pius VI., Pius VII.* et *Leo XII.* etc.

903. — II. Tres autem conditiones requiruntur, ut matrimonium ope dispensationis in radice convalidari possit, scilicet:

1° Ut conjunctio conjugum *habuerit speciem extrinsecam justi matrimonii nec fuerit manifeste fornicaria.* — Sic *Benedictus XIV.* Idemque exigit *cardinalis Caprara.* Ratio est, quia secus non adesset verus consensus et proinde nullo modo posset adesse matrimonium, seu non adesset radix matrimonii, ut loquitur *Benedictus XIV.*

2° Ut consensus *utriusque perseveraverit;* neque enim Ecclesia consensum etiam ex una tantum parte retractatum convalidare potest. Aliunde non raro Pontifex exigit in rescripto, ut constet de permanente consensu utriusque partis.(1) *Contradicunt* tamen *nonnulli.*

(1) Si haec clausula (quae indicia positiva pro permanentia consensus exigit) desit, ex sententia *Scav.* consensus adhuc exsistens praesumendus est, nisi ejusdem revocatio certo constet.

„Attamen conceditur (sanatio in radice)", ita *Act. v. 1. fasc. 3. p. 186.*, „in casu quo unus conjux noverit impedimentum

3° Ut adsit urgens et gravissima causa. — Sic *Benedictus XIV.* In triplici autem casu praecipue haec haberi potest, nempe 1° quando una pars ad renovationem consensus quidem adduci nequit, sed consensum de praesenti exhibet, remanendi in matrimonio (sic *cardinalis Caprara*); 2° quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non posset; 3° quando urgens adest ratio non monendi conjuges de nullitate matrimonii.(¹)

Nota: Haec tertia conditio non requiritur ad validitatem dispensationis, si dispensatio concedatur a S. Pontifice; secus, si concedatur ab episcopo ex indulto particulari. — *Carrière n. 1444.*

Quaesita:

904. — Quaer. 1° *An dispensatio in radice possit obtineri et applicari, utraque parte illius ignara?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia nullo modo cognitio dispensationis requiritur, ut Ecclesia possit tollere effectum legis seu obstaculum, quod oberat efficaciae consensus; potestas enim Ecclesiae a tali cognitione est omnino independens. — Confirmatur ex praxi Ecclesiae. Etenim *Clemens XIII.*, ut refert *Collet*, concessit cuidam Procopo (qui videtur fuisse episcopus) facultatem, ut sanaret *in radice,* non monitis partibus, multa matrimonia invalide inita ob nimiam facultatum acceptarum extensionem. Alia quoque exempla ab aliis de simili matrimoniorum revalidatione referuntur.

Quaer. 2° *An possit concedi dispensatio* in radice, *si ambae partes, dum contraherent, impedimentum cognoverint?*

Resp. 1° *Negative,* juxta *communiorem* sententiam, si conjuges contrahendo clare cognoverint matrimonii nullitatem. Ratio est, quia, cognita matrimonii invaliditate, nequit dari in illud verus ac proprie dictus consensus, sed habetur tantum intentio vivendi in *concubinatu* et proinde consensus sanari nequit, cum a principio fictus fuerit.

Resp. 2° *Affirmative,* si conjuges contrahendo, etsi impedimentum cognoverint, non tamen matrimonium esse nullum putaverint vel ad ejus invaliditatem non attenderint. Sic videtur intelligendus *cardinalis Caprara,* qui supponit, posse obtineri dispensationem *in radice* ad convalidandum matrimonium *clandestinum,* quando una pars recusat consensum renovare coram Ecclesia. Eodem modo de matrimoniis civiliter tantum contractis distinguendum videtur.(¹)

905. — Quaer. 3° *An episcopus dispensare possit* in radice, *quando valet de impedimentis dirimentibus ex indulto particulari dispensare?*

Resp. Negative. Ratio est, quia dispensatio in radice requirit majorem potestatem et ideo non censetur contineri in aliis facultatibus. Constat etiam ex praxi Ecclesiae, quae semper dat specialem facultatem, quando

---

et alter ignoret, etiamsi certo praevideretur, quod, si alter impedimentum novisset, plenum faceret divortium. Imo etiamsi conjux impedimenti ignarus nolit cohabitare et divortium quaerat, sive semiplenum, ut evenit, quando ob legitimas causas conjuges separantur citra matrimonii nullitatem, sive etiam plenum, ut si quaeratur declarari matrimonii nullitas ex *praesumpto* (ideoque non exsistente) impedimento: tamen, si aliquis, cui intersit, detecto *vero* impedimento, *conjugi vel conjugibus ignoto,* imploret hanc dispensationem, concurrentibus gravibus urgentibusque causis haec dispensatio conceditur."

(¹) Conceditur quidem difficillime, uti *Benedictus XIV.* (*Inst. 87. l. c.*) observat, haec revalidatio, nisi de multis matrimoniis invalidis agatur; tamen non desunt exempla, eamdem etiam pro aliquo particulari matrimonio adhibitam esse, si sat graves rationes id suadebant. — Cf. v. g. *Act. l. c.* et *ib. p. 187.; vol. 2. f. 19. p. 438.*

(¹) Cf. etiam *n. 791.*

potestatem dispensandi in radice concedere intendit.

Quaer. 4° *Quomodo sit exsequenda dispensatio* in radice?

Resp. Eodem modo ac dispensatio simplex, addendo in formula verba: *in radice.* Sic v. g. *Ego auctoritate Apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sed nulla formula in *rituali rom.* habetur.(1)

CAPUT VIII.

DE DEBITO CONJUGALI.

906. — Audi initio *S. Ligorium* quaestionem hanc aggredientem (*de matrimonio n. 900.*): „Piget me, de hac materia, quae tantam prae se fert foeditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem. Sed utinam non esset haec materia frequens in confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino, confessarium plena tractatione, sed sufficeret, compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam. . .“

Conjugale *debitum* dicitur communis ea conjugum actio, quae generationi necessaria est quaeque a summo rerum omnium provisore ad humanam societatem propagandam est ordinata. Haec autem actio sita est in carnali copula, qua vir ac foemina unum quasi corpus et una caro efficiuntur.

Ejusmodi actus vocatur *debitum* ab apostolo; est enim id, quod sibi mutuo debent conjuges.

Agendum 1° de liceitate actus conjugalis; 2° de ejusdem obligatione; 3° de peccatis conjugum.

ARTICULUS I.

DE LICEITATE ACTUS CONJUGALIS.

1° In se; 2° quoad circumstantias.

§. I.

De liceitate actus conjugalis in se spectati.

Principia:

907. — I. Actus conjugalis inter legitimos conjuges(1) per se *honestus* est et *licitus,* modo debito fine exerceatur: est enim medium ab ipso naturae conditore statutum atque ordinatum ad legitimam humani generis propagationem.

II. Fines, qui actum hujusmodi honestum reddunt, sunt: 1° prolis generatio, quae inter praecipuos matrimonii fines enumeratur; 2° satisfactio obligationis erga alterum conjugem; 3° sedatio concupiscentiae, atque exinde vitatio incontinentiae tum in se, tum in comparte; 4° desiderium honesti amoris fovendi vel conciliandi, conjugalis affectus patefaciendi vel promovendi etc. — *Ita communiter* cum *S. Lig. (n. 881. et seq.) Sanchez aliique* contra *nonnullos,* qui postremos duos fines non admittunt.

Resolves:

908. — 1° Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem i. e.

---

(1) Ejusmodi exsecutio non *per se* necessaria est. Hinc omittenda, si praestat, neutrum conjugem de matrimonii nullitate certiorem fieri. Secus fiat pro foro conscientiae quoad eam partem, quae impedimenti conscia est et exsecutioni dispensationis se submittere parata; publice vero vel saltem ita, ut publice innotescat, si nullitas matrimonii publica est. — *Heiss §. 64. III.*

De competentia et modo judicium ferendi in causis matrimonialibus v. inter alia *Instr. pro judiciis eccles. imp. austr. §. 95. et seq. — Anal. ser. 6. col. 2071. — Act. v. 1. fasc. 7. p. 439.; v. 2. fasc. 19. p. 434.*

(1) Quoad matrimonium nullum cf. n. *890. not.*; quoad matrimonium dubium *n. 790.*

expresse excludendo. Patet
tione 9. ab *Innocentio XI.*
uae sic sonat: *Opus con-*
lam voluptatem exercitum
tus caret culpa ac de-
ali. Per se tamen esset
niale peccatum, quemad-
iale est, cibum ob solam
m sumere. Immunis autem
lpa est conjugii usus, si
it concupiscentiae, quippe
concupiscentiae remedium
is satisfactio, sive expresse,
ite intendatur.(1) — *S.*
2.

us graviter est usus matri-
mente adultera, ut si quis
l suam sibi aliam reprae-
S. Lig. n. 913. et *alii*
.

libus licitus est usus ma-
:um quia nulla lex in op-
:endi potest, tum quia stese idonei sunt ad actum perficiendum. Quodsi gella sequatur, id per acino fit et alii praeter ge- adsunt honesti fines congressum cohonestantes.

ous etiam, quorum semen mplius prolificum,(2) licet gii, dummodo copulam suf- perficere valeant vel ipsam

it auctor per haec adsignifi-
litor romanus, „etiam levem
nationem seu culpam *operan-*
solam voluptatem vix um-
. adesse." Et sane ex rei na-
finis licitus sedandae con-
in hoc actu rarissime desi-
linc, si in materia de sexto ge-
rrogationibus maxima sobrie-
n est *(n. 616. 924.)*, multo mi-
andi erunt poenitentes per
ca finem actus.

i semen emittere non valent —
matr. l. 7. disp. 102. n. 7.
te, conceptionem non simpli-
ibilem ideoque actum conju-
per se illicitum censendum
nen virile forte ad ingressum
organi genitalis muliebris ap-
it, dummodo ab hoc recipi
it. Sed licet conjuges genera-
neantur summam adhibere diperficiendi spem habeant non inanem. Favent enim senibus eaedem rationes, quas de sterilibus adduximus. Constat praeterea ex praxi Ecclesiae, quae matrimoniis senum benedicit. — *Vide S. Lig. n. 954. dub. 2.*(1)

§. II.

De liceitate actus conjugalis quoad circumstantias.

Praecipuae circumstantiae respiciunt personam, situm ac tempus.

I. De circumstantiis personae.

Quadruplex circumstantia seu impedimentum personae adnexum petitioni debiti obesse potest, scilicet: 1° votum castitatis; 2° affinitas ex incestu; 3° cognatio spiritualis; 4° impotentia corporalis.(2)

Principia:

909. — I. Quilibet conjux voto castitatis innodatus, vel affinitate(3) aut cognatione spirituali(4) ex proprio

---

ligentiam, ut effectus, a natura in opere conjugali intentus, certius sequatur, ad cavendum tamen, quantum in eorum potestate situm est, eum operis modum obligantur, quo nonnisi difficillime generatio obtineri potest. — Ita fusius *editor rom.* ad *n. 855. III.*

(1) Regula esto: conjugibus actus conjugalis ex capite impotentiae consequentis non prohibendus, quamdiu aliqua probabilis spes adhuc est, eumdem materialiter ita peragendi, ut conceptio absolute sequi possit, licet quacumque demum de causa non sequatur. — V. *Sanchez, de matr. l. 9. disp. 17. n. 20. et seq. etc.* Cf. etiam *n. 855. 856.*

(2) De hoc 4°. puncto v. *num. praeced.*

(3) Cf. *n. 811. III.*

(4) Acriter controvertitur, num conjux, qui absque necessitate scienter propriam prolem baptizavit (vel munus patrini quoad eam in baptismo solemni vel in confirmatione gessit), sine dispensatione debitum petere licite valeat. Tuentur graves auctores *affirmativam*, cum prohibitio petitionis hodie ob *c.* Si vir (2.) *de cogn. spirit. (IV. 11.)* saltem nulla certa lege probari possit, poenae autem omnino strictae interpretationis esse debeant. — Cf. *S. Lig., de bapt. n. 150.* — Supra *n. 806. 7°.*

Nolumus probabilitatem hujus sententiae infitiari; fatemur tamen, oppositam accuratiorem nobis videri. Cum enim lex canonica in genere statuat, contrahi cognationem spiritualem inter baptizantem et baptizatum, sane non est, cur id quo-

facto contracta impeditus, sub gravi debitum petere prohibetur. Alteri tamen conjugi petenti reddere potest, quin etiam per se tenetur; altera eni pars, ut nuper diximus, jure suo p vari non potest.(¹)

II. Neuter conjux debitum pe aut reddere potest, si vel casti voto divincitur uterque(²), vel que affinitatem aut spiritualem nationem ex propria opera co etenim propter votum vel p uterque vinculo impeditur.

Resolves:

910. — 1° Debitum redd est, quin imo tenetur no

---

ad legitimos conjuges negemus, cum jus eosdem nusquam excipiat. — Cf. *Fagnan. in 4. l. decr. de cogn. spir. c. 2. n. 8.* — *Ferraris, Bibl. pr. ad v.* Baptismus *art. 7. n. 20. 21.* Ex defectu cognationis ergo argumentum firmum pro prima sententia desumi vix poterit. — Cum praeterea jus non obstante cognatione spirituali usum matrimonii expresse permittat, si factum ex necessitate (*caus. 30. quaest. 1. c. 7.*), ignorantia (*c. 2. de cogn. spir.*) vel dolo (*caus. 30. q. 1. c. 4.* — *c. 2. de cogn. spir.*) contigerit, eo ipso legem generalem, usum matrimonii ejusmodi cognatis vetantem, pro ceteris casibus approbare videtur, quam legem canones praedicti necessario supponunt, *c. 2. de cogn. spir.* aperte innuit quamque invenies v. g. in *quaestione 1. caus. 30. c. 2.* quoad confirmationem (abstinemus enim a citatione *cap. 1.* ejusdem quaestionis, quod, licet ab auctoribus communiter afferatur, tamen a *Berardi* in opere *Gratiani canones genuini etc.* merito tamquam apogryphum rejicitur). Non enim praesumenda abrogatio legis prioris per posteriorem, nisi in quantum sensus legis posterioris talem abrogationem necessario exigit. — Imo, si nostram sententiam promere licet: talem prohibitionem usus matrimonii non tam in lege aliqua speciali, quam in ipsa rei natura quaerendam putamus. Cum enim ex praecepto Ecclesiae cognatio spiritualis matrimonium nondum celebratum dirimat, similem effectum, in quantum fieri potest, in jam celebrato producere debere videtur, donec dispensatio obtenta fuerit, nisi Ecclesia ob peculiares rationes in quibusdam circumstantiis ipso jure eumdem suspendat. Hinc *c. 2. de cogn. spir.* etiam pro casu ignorantiae addit: non sunt . . separandi . . ., *nisi ad continentiam servandam possint adduci.*

Ast, objicies, si *c. 2. de cogn. spir.* ad casum extendendum non est, de quo quaestionem instituimus, ei, qui in fraudem conjugii [illegible] prolem baptizavit, petere debi[illegible] non vero illi, qui [illegible] id [illegible]. — [illegible]

verba: *nec alter alteri debi subtrahere*, si solummodo re tur. Ipsi vero petitionem no non immerito ex eo colligitur pro spiritualiter cognato, uti circumstantiis pro incestuoso, sibus a generali prohibition debiti non dispensat, si cu — Cf. etiam *Sanchez, de disp. 26. n. 6. et seq.*

Ceterum, quidquid sit d solutione hujus dubii, in p *raldi (Expos. J. P. p. 1.* „praevaluit opinio ubique r si alter sine necessitate pr vel levaverit de sacro fo baptizaverit, hunc cognat here cum altero, quae impediret, saltem donec pensasset.“ Et hoc consul licet *editor romanus* ad sessionem libertati vindic hibitione petitionis debiti *Schmalzgrueber l. 4. tit. seq.* disputat, non conste

(¹) Dispensat tamen epis dum debitum, si conjux o ante matrimonium emis reat. — V. *p. 1. n. 333.* voto castitatis, quo trimonium se obstrin enim tunc votum perf *S. Lig. n. 986.*, qui cipit, si ambo conjuge sensu perfectam castit addendum censemus, dem voverit, sed alte ut simul usum sui ju *seq.*). Dispensat iten bitum, ob affinitaten venientem amissum. [illegible] unus tantu [illegible] ero ita appe [illegible] enuntiaver [illegible] *t. 3. c.* [illegible]

initum matrimonium, sed
qui ante matrimonium vo-
alterius oppositum emisit;
: contrahendo graviter pec-
alide tamen tradidit con-
quod Deo promiserat: alter
onjux, votum alterius ig-
s in rem vi contractus va-
ivit.
tum petere ac reddere pot-
matrimonio inito vovet re-
ingredi vel sacros ordines
post obitum uxoris, nec
ne indiget; nam ejusmodi
obligant, nisi post matri-
itionem.
ta communiorem et proba-
sententiam debitum petere
ijux ligatus voto, aut im-
affinitatis vel cognationis
(1), cum advertit, compar-
e non audentem versari in
ncontinentiae. Petere etiam
noties alter *interpretative*
. quando mulier verecundia
ac vir sentit, ut ait *S. Tho-*
voluntatem petendi, quia
s est reddere, quam petere.
. n. 930.(2)

ge affinitatem et cognationem
, quae post initum matrimo-
ihatur. — (Not. edit. rom.)
hez, de matr. l. 9. disp. 7.
ccuratius duos interpretativae
nodos distinguere videtur, qua-
non impeditus verecundia a
cetur, sed voluntas ipsius *pru-*
tesumitur vel quatenus debi-
rectis quidem verbis etc., sed
ecte externis signis sufficienter
etiam *n. 916. 2°. not.*) Si de
agitur, negat merito *San-*
2., eum, qui voto castitatis
debitum petere posse, si com-
iam vovendi concessit; alter
ab expressa petitione differre
ideoque impeditus petitionem
complere poterit, dummodo
cum cessione sui juris *quoad*
usum non approbaverit.
ur autem impeditus ad petiti-
i, si compars in periculo in-
versetur et spes adsit, ita
avertendi, etsi facultas ipsi

4° Conjux tamen vinculo impeditus ne ad vitandam quidem incontinentiam debitum exigere potest; incontinentiae quippe periculum est quidem causa dispensationem vel suspensionem voti obtinendi, non vero debitum petendi. — Ita *Sanchez aliique.* Excipe probabiliter: si agatur de impedimentis ab Ecclesia impositis, et dispensatio brevi obtineri nequeat ac magnum periculum incontinentiae sit in mora. — *S. Lig. n. 930.* — Confer, quae diximus *de impedimento impediente voti, de impedimentis dirimentibus cognationis spiritualis et affinitatis.*

II. De circumstantiis modi vel situs.

Regulae:

911. — I^a *Regula.* Situs simpliciter licitus ille est, quem natura ipsa docet, nempe ut mulier succuba sit, vir autem incubus. — Ita *S. Thomas* et *alii communiter.* Ratio est, quia ceteri situs naturae ordini nonnihil adversantur et consequenter aliquam ordinis violationem inferunt.

II^a *Regula.* Nullus situs, quantumvis innaturalis, est *per se* graviter illicitus, dummodo actus conjugalis satis perfici possit, quia qualiscumque situs inversio, dummodo perfici queat unio, generationem non impedit. — *S. Lig. n. 917.*

III^a *Regula.* Quilibet innaturalis situs, justa accedente causa, omni culpa vacat; interdum autem situs innaturalis facilior est vel etiam solus possibilis: et quidem major quaepiam facilitas vel necessitas ejusmodi inordinationem, quae per se levis est, amovere potest. — *S. Lig. ibid.*

Resolves:

912. — 1° Minime peccant conjuges, qui situm invertunt ob peri-

facta fuerit, votum castitatis emittendi. — Cf. *Sanchez disp. cit.* — *Lig. l. c.* V. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 1097.*

culum abortus tempore praegnationis, ob viri pinguedinem vel curvitatem, ob nimiam mulieris defatigationem, aut etiam ob frigiditatem, quando innaturali situ magis excitentur etc.

2⁰ Situs, qui solus possibilis est, qualiscumque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur, quia pars ista seminis non est generationi necessaria et per accidens, invitis conjugibus, deperditur.

3⁰ Cavendum est prudenti confessario, ne de variis congrediendi modis faciat quaestiones, quae non solum inutiles sunt, sed scandali etiam plenae. Hinc, si poenitens dubium de his injiciat, confessario satis erit nosse, an completa fuerit pollutio extra vas debitum. Dixi: *si dubia injiciat aut etiam dubitandi occasionem poenitens suppeditet;* nemo enim non videt, ejusmodi interrogationes in re tam lubrica, nisi manifesta adsit necessitas, numquam esse faciendas.(¹) — *S. Lig. n. 917.*

(¹) Vulgatissima est doctorum sententia, tum periculum scandali, quod confessarius et sibi et poenitenti, atque etiam aliis (nam non raro poenitentes de dictis et interrogationibus confessariorum cum aliis loquuntur) potest parere, tum reverentiam sacramento debitam efficere debere, ut, etiamsi forte timeat, ne satis integra ob omissam aliquam circumstantiam confessio evadat, tamen in materia adeo per se turpi ab ulterius inquirendo per interrogationes abstineat; in necessariis vero utatur iis verborum formis, quae quam decentissimae habeantur. Meminerit insuper confessarius, imprudentem hac de re, importunum et inverecundum modum loquendi non raro justam dedisse ansam, non solum male de ipso suspicandi, sed etiam eum penes ordinarios judices denunciandi, quasi in actu confessionis, ut ait *Gregorius XV.* (in const. contra sollicitantes), *turpes habuerit sermones*, et quidem judices tum in eos, qui ex malitia, tum in eos, qui ex mera imprudentia sic deliquerint, animadvertere consuevisse. Videatur de hoc argumento *Josephus Frassinetti* in *Dissertatione 10.*, cui titulus: *Sull' integrità necessaria alla confessione (Compend. della teolog. mor. vol. 2.).* — (Not. edit. rom.)

III. De circumstantiis temporis.

Hae circumstantiae praecipue spectant ad tempus praegnationis, lactationis, menstrui, morbi, festorum et sacrae communionis.

Unde sic:

913. — 1⁰ Nullo tempore *sub gravi* interdicitur actus conjugalis, saltem *per se*, quia nulla lex invenitur, qua opus conjugii ratione temporis umquam prohibeatur. Dixi: *per se;* quia forte quandoque ratione circumstantiarum induci posset proximum abortus aut valetudinis periculum. Sed hoc rarissimum est, nec facile in quibusdam casibus praevideri potest.

2⁰ Imo, juxta theologos plerosque actus conjugalis ne leviter quidem ratione temporis umquam interdicitur, quia nulla lex adsignari potest, qua etiam sub levi umquam prohibeatur. Attamen *S. Ligorio n. 924.* magis arridet opinio, quae non excusat a culpa veniali, si copula tempore praegnationis fiat,(¹) nisi adsit periculum incontinentiae vel alia causa honesta, quae vix alioquin abesse potest.

3⁰ Communior sententia docet, coitum tempore menstrui habitum non excusari a veniali ob indecentiam, quam prae se ferre videtur, nisi adsit aliqua causa cohonestans, nempe ad vitanda dissidia aut incontinentiam praecavendam etc. — *S. Lig. n. 925.* Confessarius autem prudens hac in re ab omni interrogatione abstinebit, cum nihil sit a poenitente necessario declarandum.(²) — Idem communiter tenent de copula a conjugibus tempore purgationis seu diebus partum sequentibus habita ob rationis paritatem.(³)

(¹) Cum de hujusmodi prohibitione non constet, non competit confessario, eam urgere. — V. etiam *not. praeced.*

(²) V. *not. praeced.*

(³) Mortale tamen esse posset *per accidens*, si scil. exinde uxori gravis morbus vel notabilis morbi aggravatio imineret. — *S. Lig. n. 926.* — Cf. n. *916. 6⁰. not.*

914. — 4° Non est illicitus actus conjugii tempore lactationis, quia nulla est lex prohibens nec periculum lac inficiendi, saltem proximum, teste experientia. Unde non est ratio, cur conjuges tanto tempore teneantur abstinere ab usu matrimonii cum continuo peccandi periculo. — Sic *communissime*, ait *S. Lig. n. 911.*

5° Actus conjugalis tempore morbi *per se*, saltem plerumque, neque *sub gravi*, neque *sub levi* est illicitus, quia crebro nullum inde accidit damnum conjugibus; labor autem, qui actum comitatur, in morbum, saltem communiter loquendo, admodum influere nequit.(1)

6° Juxta communiorem sententiam non est illicitus diebus dominicis ac festis etiam solemnioribus, tum quia nullum jus adversatur, tum quia maritalis congressus non amovet conjuges a festis Ecclesiae servandis. Plerique e ss. patribus, qui in oppositum objiciuntur, rem de consilio potius, quam de praecepto docere videntur. Hinc etiam deduces, non esse, cur ejusmodi usus tempore adventus vel quadragesimae prohibeatur. *Ita communiter. — S. Lig. n. 923.*

7° Denique *per se* non prohibetur die sacrae communionis, quamvis ad eam ex pietate tantum accedant conjuges, modo ex honesto fine agant. — *Ita communiter. — S. Lig. n. 922. et de euchar. n. 273. 274. — Lugo — Sanchez aliique,* qui docent, esse de mero consilio, abstinere a copula die communionis sive ante sive post communionem, modo non immediate post eam susceptam neque ex voluptatis causa(2) habeatur.

(1) Hoc nimis generaliter dictum videtur. In casibus particularibus pensandum erit tum incommodum seu damnum aegrotantis, tum incontinentiae in altero conjuge periculum. — V. *n. 915. III.; 916. 6°.* (Not. edit. rom.)

(2) V. *n. 908. 1°. not.*

ARTICULUS II.
DE OBLIGATIONE ACTUS CONJUGALIS.

Principia:

915. — I. Datur vi justitiae obligatio *per se* gravis, reddendi debitum alteri conjugi serio et rationabiliter petenti. Ratio est, quia ex ipsa natura contractus matrimonialis conjuges sibi invicem transferunt potestatem corporum in ordine ad usum conjugalem. Constat etiam ex verbis apostoli *1. Cor. 7. 3.: Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

II. Nulla datur *per se* obligatio petendi debitum conjugale. Ratio est, quia neuter conjux jure suo uti tenetur, et uterque illud remittere potest. *Per accidens* tamen dari potest petendi obligatio ex caritate vel alia virtute, praesertim in viro, v. g. si judicet, compartem versari in periculo incontinentiae ob verecundiam petendi, aut si petitio necessaria sit ad fovendum aut restaurandum amorem conjugalem etc. — V. *S. Lig. n. 928. 929.*(1)

III. Cessat obligatio reddendi debitum cessante jure illud exigendi; jus autem in sequentibus praecipue casibus perimitur(2), scilicet: 1° Si unus conjugum adulterium commiserit, quia frangenti fidem fides non amplius debetur, ut constat ex verbis ipsius Christi, ut supra.(3) — 2° Si

(1) Cf. etiam supra *n. 910. 3°.*

(2) Loquitur itaque auctor de jure stricto petendi, cui scil. respondet obligatio in comparte. Non tamen, ubi deest hoc jus strictum, petitio jam eo ipso illicita redditur, uti ex sequentibus quoque patet.

(3) Dum incestuoso jus petendi debitum adimitur directe in poenam ipsius culpabilis, adulteri jus circumciditur primario in gratiam innocentis. Hinc adultero debitum juste quidem negari potest, licet incontinentiae periculum patiatur, ipsi tamen petitio debiti per se non

petens usu rationis careat, quia petitio ejus non est humana.(1) — 3° Si reddens possit rationabiliter timere damnum vel periculum grave sanitatis, quia non censentur conjuges se obligasse ad debitum cum tanto incommodo reddendum.(2) — 4° Si petens ob commissum incestum cum consanguineis alterius in 1° aut 2° gradu aut aliam ob causam jus petendi amiserit.(3)

Resolves:

916. — 1° Tenentur conjuges ad cohabitationem, nec potest unus diutius abesse sine alterius consensu aut sine necessitate; haec quippe obligatio sequitur ex ipsa obligatione debitum reddendi. Causae autem justae abeundi ad longum tempus sunt: bonum publicum, familia alenda vel tuenda, damnum ab inimicis vitandum etc. Debet autem vir, qui alibi diu manere debet, uxorem eo ducere, si commode possit, ut secum cohabitet. — *S. Lig. n. 939.*

2° Graviter peccat conjux negans debitum toties, quoties est periculum incontinentiae vel gravis molestiae in altera parte. Item, si saepe neget alteri *serio* petenti. Secus autem, si compars benevole remittat aut remisse petat.(1)

3° Non peccat negans, quando alter immoderate petit, v. g. post tertiam vel quartam vicem eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, nempe ad noctem, vel si a nocte differat ad tempus matutinum, secluso tamen semper incontinentiae periculo. — *S. Lig. n. 940.*

4° Reprehendendae sunt uxores, quae maritis suis absque sufficiente causa debitum negant, etsi remisse petant, vel quae non concedunt, nisi coactae, viroque dure et contumeliose suas petitiones exprobrant.

5° Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incommoda, neque ob dolores graves quidem, sed tempore breves, neque ob dolores moderatos, sed diuturnos, v. g. capitis per plures menses post partum, neque ob sanitatem aliquantisper debilitatam, quia haec omnia conditioni matrimonii adnexa sunt; secus autem, si periculum vitae aut morbi gravissimi ex judicio medici vere prudentis pertimescendum esset. — *S. Lig. n. 952.*

6° Non est obligatio debitum reddendi alteri laboranti morbo contagioso in se gravi, ut est pestis, morbus venereus aut quid simile. Pari-

---

prohibetur; imo illud ex justitia exigere potest, si conditiones sub *n. 761. 3°.* enumeratae desint vel si altera pars illud crimen ignoret; poena enim, quae non ipso facto infligitur, non obligat, donec ab eo, cui competit, irrogetur. — *Sanchez, de matr. l. 1. disp. 68. n. 1. et seq.; l. 9. disp. 6. n. 9. 13. — Voit p. 2. n. 1213. 2°. — Scav.*

(1) Licite tamen redditur, nisi adsit periculum scandali, abortus vel alterius gravis damni; imo reddi debet, si urgeat periculum incontinentiae etiam materialis in amente vel ebrio (secluso tamen majori malo) vel si conjux perfecte amens vel ebrius non sit. — *S. Lig. n. 948. — Scav.*

(2) Idem teneo, si ejusmodi mala timenda sint pro prole jam concepta et in genere etiam, si pro petente. — *S. Lig. n. 909. 911. 950.* Censemus autem, petenti jus strictum exigendi debitum competere, si actus *ipsi soli* damnum infert et debitum non obstante hoc damno licite petitur.

(3) 5° Si nimis frequenter petatur (cf. *n. 916. 3°.*); — 6° Si divortium jure celebratum sit *(Voit p. 2. n. 1213. 6°.)*; — 7° Inter primum bimestre post celebratum matrimonium *(n. 759. 2°. not.)*; — 8° Saltem in genere, si petitio illicita est (cf. *n. 922. III. col. 2. not.)*.

Probabiliter debitum negare etiam una vel altera vice licebit, si mulier brevi antea valde male habita sit a petente, dummodo ex negatione majora mala timenda non sint. — *Voit l. c.*

(1) Attamen *remissa* petitio omnino distingui debet ab *interpretativa* vel *virtuali*, quae habetur per signa indicantia seriam voluntatem petendi et ex qua obligatio debitum reddendi oritur. Hoc maxime verificatur in foemina, quae potissimum subditur verecundiae et pudore non petit expresse, quod tamen petit. — *Ferraris, Bibl. pr. ad v.* Debitum conjugale *art. 1. n. 6.* — Cf. etiam infra *4°*.

ntur a reddendo debito la-
ebri valida aut alio morbo
pter nimiam corporis debi-
- *S. Lig. n. 950.*(1)
excusatur conjux a debito
ob timorem prolis numero-
procreatio prolis ad praeci-
matrimonii spectat; unde in-
illud est ipsimet matrimonio
n.(2) — *S. Lig. n. 941.*(3)

ibiliter tamen non obstante pe-
i sanitatis conjux debitum red-
t, ut compartem a probabili
iae periculo liberet (licet enim
m exponere propter opus ex-
tatis — *S. Lig. l. c.; de 5.*
366. 1.), vel ob aliam gravem
g. fovendum mutuum amorem),
us sit diuturnus et non soleat
: facili mortem inferre, quibus
etiam petere licet. Debet ta-
s vel reddens cum morbo con-
gravi hanc circumstantiam parti
ifestare. — *S. Lig. ib.* et *n. 909.*
d obligationem abstinendi ab
ob damnum, quod proli *jam*
vel *natae* forte accidere posset,
s et gravitas damni ex una,
carendi jure conjugali autem
arte perpendantur. Non con-
n conjugii prohiberi ob da-
tanti momenti, quod proli ob-
veri non potest, si longa abs-
fficillima sit. — *Sanchez, de*
. *disp. 22. n. 14. 15.* — *S.*
1. Esset vero actus conjugalis
exinde periculum mortis pro-
prole jam concepta oriretur,
ortum proxime timendum (cf.
.); vix umquam enim circum-
ncurrent, quae abortum per-
tum reddunt. — V. *p. 1. n.*
Ceterum ejusmodi pericula non
la: hinc liceitas hujus actus non
um vocanda, nisi in casu con-
ns saltem adsit timor.
de prole *concipienda* agitur,
uctores ad redditionem debiti,
nendum sit, ne proles infirma
m huic sit melius „sic esse, quam
esse." — *S. Lig. n. 951.*
tandem asserens, uxorem ex-
filios parere mortuos, debitum
n posse, nisi adsit periculum
iae, in concreto vix probabilis
si de hoc certo v. g. ex me-
judicio constet. Quoties enim
licebit? Nonne saepe post
ustos proles sana prodiit? etc.
debitum petere ab excom-

ARTICULUS III.
DE PECCATIS CONJUGUM.

917. — Patrari possunt peccata inter conjuges ratione actus conjugalis sive per *excessum,* h. e. actus ad generationem inutiles ponendo, sive per *defectum,* actum essentialem non perficiendo seu crimine *onanismi* torum maculando.(1)

Hinc paragraphus duplex.

§. I.
De peccatis conjugum per excessum.

Nota: Triplicis generis distinguuntur actus, qui praeter copulam, sed ejus occasione aut praetextu a conjugibus exerceri possunt. 1° Alii sunt nocivi generationi, ut sodomia et pollutio, et sunt contra naturam; — 2° alii utiles, ut tactus excitantes naturam et amorem foventes; — 3° alii nec nocivi, nec utiles, et dicuntur praeter naturam.

Principia:

918. — I. Quidquid est necessarium ad actum conjugalem complendum aut utile ad illum facilius, citius aut perfectius exercendum, est conjugibus omnino licitum. Etenim qui habet jus ad rem, habet etiam jus ad media necessaria vel utilia nec aliunde prohibita, et quibus licitum est principale, licitum etiam est ac-

---

municato, quamvis sit vitandus, et verius vel ipsi excommunicato jus petendi non ademptum est. Prohibetur tamen conjugibus communicatio, si jam per divortium (legitime) separati sunt (dum divortium durat et modo excommunicatus sit vitandus). Eosdem nec cohabitare posse, si ipsis v. g. ob dubium de valore matrimonii cohabitatio sub excommunicatione prohiberetur, per se patet. — *Salm. tr. 10. c. 3. p. 13. n. 145. et seq.* — *S. Lig. n. 931.; de censuris n. 202.*

(1) Cf. etiam *n. 908.*

An vero aliquando conjugibus aliqua de causa licere possit, actum hunc ponere, sed seminationem cohibere? — Cf. *Sanchez, de matr. l. 9. disp. 19.* — *Diana resol. t. 2. tr. 6. resol. 205.*

Insuper verecundia *locum secretissimum* requirit; unde illum actum publice habere, grave esset scandalum ac libidinis incentivum. — *Scav.*

cessorium ac medium ad illud ordinatum.

II. Quidquid in actu conjugali generationi obest seu pollutionem *per se* inducit extra conjunctionem naturalem, est graviter illicitum. Ratio est, quia effusio voluntaria seminis non est licita, nisi in ordine ad generationem, et proinde matrimonium non dat conjugibus facultatem, nisi ad seminis effusionem, quae generationi de se inservire potest: alioquin vero, si homines voluptate ipsa frui sine consequenti prolis alendae et educandae onere possent, filiorum generatio facile posthaberetur, imo vitaretur data opera, et sic societas ipsa ad interitum declinaret.

III. Quidquid non obest quidem, per se tamen minus necessarium minusve utile est ad actum generandi, culpae verti nequit nisi levi, a qua tamen alii fines ejusmodi actibus intrinseci excusant, nempe ut affectus conjugalis servetur ac foveatur aut saltem ut concupiscentia sedetur: quos tamen fines opus non est expresse intendere, sed sufficit, ut positive non excludantur.

Sic autem brevius enuntiari potest triplex adsignata regula: 1° *Quidquid* pro, *est licitum;* 2° *quidquid* contra, *est mortale;* 3° *quidquid* praeter, *est veniale.*

Resolves:

919. — 1° Culpa vacant inter conjuges oscula quaelibet honesta aut tactus in partes tum honestas, tum minus honestas (si tamen leviter fiant), ratione affectus conjugalis demonstrandi aut amoris confovendi, etiamsi aliquando *per accidens* sequeretur *involuntaria* pollutio; quia omnia amoris honesta signa, etiam tenera, ut media ad finem sunt licita iis, qui ex vinculo matrimoniali *cor unum* et *caro una* fieri debent.(1) —*S. Lig. n. 934.* et *alii communiter.*

2° Culpa etiam vacant *per se* tactus et adspectus minus honesti, si ad copulam *immediate* referantur. Imo idem tenendum, etiamsi essent *simpliciter* inhonesti, sed ad naturam excitandam necessarii aut utiles; tunc enim sunt copulae praeparatio et velut inchoatio.(1) — Si autem actus, quibus conjux se ad actum conjugalem disponit, tales sunt, ut pollutionem *per se* facile provocent, culpabiles esse queunt, si desit diligentia ad pollutionem *extra congressum* evitandam(2): quae diligentiae omissio, ubi hujusmodi sit, ut prope per eam quis pollutionem velle censeatur, gravis etiam culpa esse potest.(3) Quodsi, debita adhibita diligentia, pollutio praeter intentionem sequatur, nulla erit culpa.

3° Non peccant graviter conjuges, etsi tactibus, etiam sine intentione copulae habitis, exsurgat commotio spirituum vel membrorum generationi inservientium aut sequatur distillatio, quamvis haec in solutis mortalia essent; quia, secluso pollutionis aut *sodomiae* crimine, nihil fit contra bonum matrimonii.(4) — *Ita communiter.* —

(1) Neque, si in aliquo particulari casu certius praevideretur pollutio, damnandi videntur conjuges, si ob graviorem rationem ejusmodi conjugalis amoris consueta signa differre non possent, v. g. quia compars diminutionem affectus praesumeret etc. — Cf. *Sanchez l. 9. disp. 45. n. 33. et seq.* Ceterum principia de *voluntario in causa* applicentur.

(1) Cf. *not.* ad *n. 908. 1°.*

(2) et justa causa, scil. necessitas vel vera utilitas, uti jam ex contextu colligitur.

(3) Idem tene, si in hujus generis praeparationibus adesset animus sodomiticus. — Cf. *Sanchez, de matr. l. 9. disp. 17. n. 4. 5.* — *Sporer c. 2. n. 497. 498.* — *S. Lig. n. 916. 935.*

(4) Haec regula pro confessario haud parvi momenti est.

Sed cum, ut jam alias *(ad n. 912.)* adnotavimus, omnino exigi debeat, confessarium maxima sobrietate in hac materia uti et fines necessarii non excedere, ita tamen, ut simul quieti poenitentis consulatur, quaedam regulas pro praxi ad mentem editoris romani addendas censemus.

1° Conjuges non sunt de hac materia interrogandi, nisi dubium *probabile* de

S. Lig. — *Sanchez etc.* Levis autem culpa, quae in hujusmodi actibus in-

---

peccato *gravi* adsit. Tunc vero vix ulla adhibeatur interrogatio praeter hanc forte generalem: *Num nil amplius conscientiam tuam angit etc.?* — Cf. *n. 616. 1°. not.*; *n. 924. 930.*

2° Si peccata huc facientia accusentur, confessarius opportune increpet et corrigat, praesertim quae culpae gravis argui debent. Doceat vero poenitentem, si forte, quae sunt licita, illicita habeat vel, quae sunt levia, gravia. Licet porro etiam hic regula valeat, non esse quid de mortali damnandum, nisi de hoc certo constet, tamen dissuadenda apte erunt, licet forte peccatum vel ejus gravitas in dubium vocari possit, ea, quae etiam quoad hoc opus magnam indecentiam continent et absque vera utilitate adhibentur. Demum ne obliviscatur confessarius, conjugi fas esse quaedam simpliciter permittere, quae per se reprobanda essent, etiam gravia, si absque magno incommodo impediri non possint. — V. *n. 922. III. etc.* Sed haec quoque munia verbis, in quantum fieri potest, generalibus absolvantur.

3° Num poenitens, sponte ad particularia descendens, de aptiore confitendi modo instruendus sit numve inter vel post accusationem, confessarii prudentiae committi debet.

4° Si confessarius ex interrogatione vel accusatione intelligat, opus esse aliqua regula, hac pro captu poenitentis utatur: „ubi nihil fini commercii conjugalis seu matrimonii positive adversetur, non esse, cur conjux grave peccatum timeat adeoque materiam necessariam confessionis, licet leves culpae variis de causis intercedere possint.“ Haec regula ordinarie sufficiet poenitenti, ut de culpae gravitate conjiciat et conscientiam erroneam deponat. Eadem regula insuper modum insinuat, quo poenitens, qui species infimas distinguere non valet, absque difficultate accusare se possit, scil. se hac in re contra naturam peccasse vel gravis culpae reum esse. Confessarius sub his adjunctis, addito peccatorum numero, alia inquirere nequit: vel ipse aliquando difficulter in hisce quoad species infimas certum judicium ferre poterit, et reverentia sacramento debita alia non permittit. Quoad leves defectus vero poenitens adducatur, ut generali solum formula „culparum levium commissarum“ utatur. Talis confessio venialium enim integritate non caret et rei natura clamat, mere quod sufficiens sit, nil vero superflui exprimendum esse. — Cf. etiam *n. 616. 2°.*

esse potest, facile ob fines ipsi matrimonio intrinsecos aut alios extrinsecos excusatur, v. g. quia ad fovendum affectum vel ad sedandam concupiscentiam idonei sunt. (1)

920. — 4° Non peccat graviter, imo juxta communiorem et probabiliorem sententiam nec leviter uxor, quae seipsam tactibus excitat ad seminationem statim post copulam, in qua vir solus seminavit: — 1° quia seminatio mulieris pertinet ad complendum conjugalem actum, ut proprie conjuges sint una caro, et sicut uxor potest se praeparare tactibus ad copulam, ita etiam eam perficere; (2) — 2° quia, si mulieres post talem irritationem naturam compescere tenerentur, essent jugiter magno periculo expositae graviter peccandi. (3) — *S. Lig. n. 919.*

5° Poenitentem, quae nihilominus instructione de aliquo particulari se egere indicat, ad matrem vel etiam consanguineam vel amicam prudentem, quae maritatae sint, remittere consulunt auctores. *(Gobat, Experim. theol. tr. 10. cas. 17. n. 648. 649.)* Poterit hoc consilium perutile esse, sed aliquando etiam nocivum: quid v. g., si de peccatis mariti sermo sit et mater ipsi infensa? etc. Pro circumstantiis alterum etiam consilium applicari poterit: deprecetur uxor, quae v. g. verecundia retinetur matrem interrogare etc., mansuete, si maritus quid petat, de cujus liceitate dubitat, et, si nihil proficiat, marito asserenti, se jam nosse, quid leges connubiales permittant, tamquam superiori in re dubia pareat. *(Gobat ib.)* Applicari hoc medium in re tam difficili optime poterit, si vir alias honeste et sobrie agere soleat; forte etiam uxor, si quid desit, ob causam gravem excusabitur. (Supra sub 2°.) Uno itaque verbo: indicetur poenitenti via ad dubium tollendum, quae juxta prudens judicium in his circumstantiis sufficere debet.

6° Quodsi tandem nullus modus aptus apparet et tranquillitas poenitentis responsum exigit, ea brevitate et sobrietate confessarius se expediat, ut nemini offensae esse possit. — Cf. etiam *Gury, Casus consc. p. 2. n. 1102. et seq.*

(1) V. etiam *Sporer c. 2. n. 500.*

(2) Cf. *n. 811. II. not.*

(3) Haec 2ª ratio sat valida non videtur. Concedimus enim, non obligari uxorem,

5° Tactus cum seipso ex delectatione venerea absente altero conjuge juxta plurium sententiam a peccato gravi excusari non possunt, etiam seclusa pollutione aut proximo ejus periculo. Ratio est, quia conjux jus non habet utendi proprio corpore in ordine ad voluptatem secum explendam, sed tantum in ordine ad copulam. — *Lacroix n. 339. etc.* — *S. Lig. n. 936.* Alii tamen non pauci apud *S. Alphonsum* dicunt, secluso pollutionis periculo hoc culpam venialem non excedere. S. Alphonsus primam sententiam probabiliorem et suadendam (¹) censet.

6° Delectatio *morosa* de copula habita vel remote habenda, secluso pollutionis periculo, juxta communem sententiam est peccatum veniale tantum. — 1° Est peccatum aliquod, quia in hac voluptate, ad proximam copulam non relata, inordinatio invenitur, cum desit finis honestus et frustra moveantur inchoative saltem spiritus genitales. — 2° Veniale non excedit, quia, cum copula sit conjugibus *per se* licita, non potest esse graviter illicitum, de illa delectari. (¹) Non autem illicita est simplex cogitatio de his habendis vel habitis. — *S. Lig. n. 937.* — *Voit p. 1. n. 310.* Imo, nec desiderium copulae futurae, nec approbatio praeteritae sunt *per se* illicita, quia desiderium de re licita nequit illicitum esse.

§. II.

De onanismo in particulari.

921. — *Onanismus* in eo consistit, quod vir post incoeptam copulam ante seminationem se retrahat et semen extra effundat, ut generationem impediat. Quisque per se videt, hoc esse turpi libidini indulgere, quin onera matrimonii sustineantur. (²)

Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchae Judae, qui defuncto fratre suo Her juxta morem coactus est viduam ejus Thamar ducere, ut suscitaret semen fratri suo; sed *introiens ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et id-*

---

irritationem ex illo actu ortam illico violenter cohibere; naturaliter enim actum illum sequitur et ipsam supprimere aliquando physice impossibile erit, uti diximus in simili casu *p. 1. n. 430. col. 2. not.* Sed hoc omnino differt ab *excitatione* ad seminationem.

(¹) *S. Alphonsus,* dum dicit hanc sententiam *suadendam,* nequaquam significat, poenitentibus ingerendam a confessario esse opinionem de gravi in hisce actibus reatu; nam ipse aperte et vehementer eos increpat ac damnat *(de conscientia, mor. syst. n. 89.; de poenit. n. 604.),* qui peccati mortalis, ubi de re non sunt certissimi, conscientiam injiciunt. Hoc itaque unum sibi vult *S. Alphonsus,* poenitentes ab hujusmodi actibus summopere deterrendos. De hac quaestione videndus est *Andreas Mendo (Stater. opin. dissert. 5. quaest. 19.),* ubi pro opinione negante gravem horum actuum reatum ea argumenta *ad hominem* refert *(n. 152.),* quibus difficile sane est idoneum responsum reddere. — (Not. edit. rom.)

(¹) *S. Alphonsus n. 937.* in hanc rem affert illud *S. Thomae (de mal. q. 15. art. 2. ad 17.): Delectationes in bonitate et malitia consequuntur operationes delectabiles: et ideo, sicut carnalis commixtio non est peccatum mortale conjugato, est autem peccatum mortale non conjugato, similis etiam differentia est de delectatione et de consensu in delectationem. Non enim potest esse gravius peccatum consensus in delectationem, quam consensus in actum, ut patet per Augustinum....* At vero hoc argumentum probat, non modo consensum in delectationem (nam hoc dicit *morosa delectatio*) non esse mortale, sed ne veniale quidem esse peccatum. Et huc directe ducit etiam ratio ab auctore allata, scil. quod non possit esse graviter illicitum, delectari de re licita: cur enim illicitum utcumque erit, de re licita delectari, quando, ut ait S. Thomas, bonitas vel malitia delectationis desumitur ex bona vel mala re, de qua quis delectetur? — (Not. edit. rom.)

(²) Non tamen adest peccatum onanismi, si in illo actu semen a muliere recipi quidem, sed non retineri possit. — *Sanchez, de matr. l. 9. disp. 17. n. 22. 23.*

circo percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. — Gen. 38. 9. et 10.

Statuenda:

922. — I. Onanismus *voluntarius*(¹) est semper peccatum mortale, utpote contra naturam, ideoque in nullo casu conjugibus licitus esse potest. Ratio est: 1° quia plane pugnat contra finem primarium matrimonii et ad societatis exstinctionem *per se* tendit, ac proinde naturalem ordinem subvertit; 2° quia a supremo legislatore et naturae auctore *stricte* fuit prohibitus, ut constat ex textu *Gen.* modo relato; 3° constat insuper ex *propositione 49.* ab *Innocentio XI.* damnata, quae sic sonat: *Mollities jure naturali prohibita non est...* Unde sic: Onanismus est vera et proprie dicta mollities seu pollutio extra usum licitum matrimonii; ergo etc. Hoc confirmatur variis *S. Poenitentiariae* et *S. Officii* decisionibus infra referendis sub *n. 927. et seq.*

II. Vir onanista numquam a peccato gravi excusari potest et proinde numquam absolvendus est, nisi de peccato suo sincere doleat illudque in posterum vitare proponat. Ratio ex dictis patet.

III. Uxor ab omni peccato excusari potest, si gravi de causa(²) viro onanistae debitum reddat, modo interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque repugnantiam suam seriis admonitionibus aliisve displicentiae signis ipsi ostendat. Ratio est: 1° quia rei licitae vacat et utitur jure suo, quo propter malitiam viri privari non potest; nec rei intrinsece malae cooperatur, cum se *passive* tantum habeat et actio intrinsece mala consistat tantum in actu viri, contra naturae ordinem tunc recedentis; 2° quia non obligatur caritate ad peccatum mariti impediendum cum gravi suo incommodo; 3° quia patet ex variis responsionibus *S. Poenitentiariae,* quibus declaravit, hujusmodi mulierem inquietandam non esse. — V. *decisiones* infra referendas sub *n. 929. et seq.*(¹)

(¹) Numquam enim *directe,* aliquando tamen *indirecte* profusio seminis etiam post opus conjugii coeptum licet, scil. ob necessitatem, v. g. quia alii superveniunt et opus conjugii interrumpi debet. — *S. Lig. n. 954.*

(²) Inter gravia incommoda *Bouvier* recenset timorem rationabilem mortis, gravium saevitiarum, jurgiorum vel verberum (gravitatem dimetiendo juxta conditionem personae), divortii, infamiae aut gravis scandali; item timorem, ne maritus concubinam habiturus sit vel adulteraturus, vel ne blasphemias in religionem, injurias erga confessarium edat vel verba scandalosa coram liberis vel famulis proferat. — *Scav. III. n. 1035.* — Cf. *n. 925.*

(¹) *Potestne conjux debitum reddere, dum alter illicite illud petit? — Resp.* Vel illiceitas se tenet ex parte solius reddentis, vel ex parte solius petentis, vel ex parte actus, ita ut petentem et reddentem afficiat.

Pro 1° casu (v. g. si petens actum exigat ea conditione, ut reddens conceptionem impediat) sit regula: nec reddere tenetur, nec licet cum peccato proprio etiam veniali, cum nulla obligatio ad peccatum exsistere possit. Aliter, uti patet, si, quod peccatum *per se* dici deberet, per adjuncta licitum redditur.

In 2° casu obligatio est reddendi, si agitur solummodo de peccato veniali, v. g. si actus petatur ob solam voluptatem; vix enim demonstrari poterit jus negandi aliquod debitum grave justitiae, quia jure isto gaudens eo usurus est cum malitia levi. — Si vero petatur cum mortali (v. g. mente adultera vel ab eo, qui voto castitatis ligatus est, vel ab onanista), licite redditur sive potius *mere permittitur* ille actus, si adsit gravis causa (cf. *III.* in textu) et periculum proximum consensus in opus, *qua malum est,* non urgeat *(n. 923. 2°.; 926.).* — Imo redditionem in his circumstantiis *S. Alphonsus* probabilius simpliciter debitam ait, si petens non sit privatus suo jure v. g. per incestum. Censeremus tamen, in similibus nullam obligationem reddendi adesse, nisi ex negatione majus malum oriturum sit, quam ex redditione, vel damnum non exiguum proximo obventurum. Obligat enim tunc caritas, impedire vere majus malum vel damnum innocentis per opus

sentiendo,(¹) etsi exterius repugnantiam ostendat. Peccatum enim semper est odio habendum.

3° Tenetur uxor, saltem *ordinarie*, virum onanistam de obligatione recte agendi monere eumque pro posse a perversa agendi ratione avertere. Nec sufficit, quod semel eum monuerit,

---

in se licitum, quod absque notabili incommodo praestari potest.

In 3° casu vero distinguendum. — Licet reddere, si actus non sit ita intrinsece malus, ut numquam per circumstantias particulares illiceitas auferri possit, et si tales circumstantiae revera adsint. — Cf. *n. 916. 6°. et 7°.* Secus non licet; esset enim participatio in ipso actu illicito. — V. *n. 787.*

Si tamen monitio vel petitio, ut exigens a peccato desistat, profutura praevideatur et sine gravi incommodo fieri possit, permissioni praemitti a comparte debet, praesertim si agatur de peccato mortali (cf. *n. 923. 3°. 4°.*). — Ceterum vide *S. Lig. n. 943—946. — Sanchez, de matr. l. 9. disp. 6. — Layman l. 5. tr. 10. part. 3. c. 1. n. 17. et seq. — Voit p. 2. n. 1220.*

(¹) Intellige, si *opus ipsum malum* adprobet deque eo, uti tali in se, gaudeat. Nam inefficax complacentia non de malo opere in se, sed solum de effectu inde secuto, reatum per se non

eo prorsus abstinendum. constat, plurimos viros o uxoribus sic allectos ad m gem sese recepisse.

Quaesita:

924. — Quaer. 1° *Q gerere debeat confessariu jugibus de usu matrimon tacentibus?*

Resp. Difficultas haec praxis non adeo facile solvi praesertim temporibus, in nismi lues undequaque grass varia est confessariorum a Alii censent, conjuges gene ad matrimonii usum esse i dos, quia abusus matrimon munissimus, neque in re naturae opposita bona fides praesumi potest. Alii ec nantur, omittendas omnino vis interrogationes, quia co cet onanismi reipsa rei, for fide versantur et hac expul nihilominus in prava pecc suetudine, nec proinde ja absolvi poterunt et a sacra cipiendis exsulabunt. A d

confessarius semper ab omni quaestione abstinere non potest: etenim ex officio judicis, integritatem confessionis hac in re, sicut in aliis, *per se* procurare debet, quoties graviter suspicatur, poenitentem obligationi suae non satisfacere. Nec dicas, confessarium excusari ab obligatione interrogandi ratione gravissimi incommodi, quod in praesenti casu occurrit; nam generatim poenitentes absque tanto incommodo interrogari possunt, si caute et prudenter procedatur, v. g. inquirendo generali modo, num aliquid sit, quod conscientiam circa matrimonii sanctitatem remordeat.(1) Quod si negent, generatim ulteriore interrogatione non erunt urgendi. — Confirmatur haec doctrina recenti decisione *Congr. S. Off. d. d. 21. Maji 1851.* Quaesitum enim fuerat, qua nota digna foret sequens propositio: „Numquam expedit interrogare de hac materia (onanismi) utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur, ne conjuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.“ Responsum fuit: *Propositionem, prout jacet, esse falsam, nimis laxam et in praxi periculosam.* — *Vide infra n. 928.*

925. — Quaer. 2° *An uxor debitum a viro onanista petere possit?*

Resp. Affirmative probabilius gravi de causa, v. g. si periculo gravi incontinentiae ipsa exponatur, quia jus habet ad copulam et ratione sufficiente a peccato cooperationis excusatur. — Ita *S. Lig. n. 947.*(2) Sic etiam declaravit *poenitentiarius major, cardinalis de Gregorio,* in admonitione ad praefatas *S. Poenitentiariae* responsiones, quamvis addat, *S. Poenitentiariam* hac de re decisionem dare recusasse.

926. — Quaer. 3° *An peccet uxor consensum internum voluptati praebendo, quando actum conjugalem viro onanistae permittere potest?*

Resp. Negative, modo peccato viri assensum non praebeat. Ratio est, quia, cum minime peccet actum hujusmodi permittendo, nec peccat voluptatem ex eo provenientem admittendo, quamvis praesciat, virum copulam non esse perfecturum; actus enim ille in se honestus est et licitus mulieri, et per eam non stat, quominus debito modo perficiatur.

Nota: Confessarius de his foetidis rebus in s. tribunali poenitentiae agere coactus satagere debet, ut frequenter cor et mentem ad Deum erigat, ne, dum alios mundare nititur, ipse maculetur. Juvat, ipsum interdum exclamare cum psalmista: *Eripe me, Domine, de luto, ut non infigar.*

DECISIONES

Sacrarum Congregationum circa onanismum.

I. CONSULTATIO.

927. — Quaer.: 1° An possit absolvi mulier, quae pateretur equidem virum, si recte ageret in copula conjugali, vehementer autem desiderat, ut se retrahat vir, quia mulier illa prolem habere formidat.

2° An possit absolvi mulier, quae in copula conjugali posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non *se retraheret,* et non facit, quia illa copula sibi displicet.

Respondit *S. Poenitentiaria d. d. 27. Maji 1847.*: *Negative.*

---

(1) Cf. etiam *n. 919. 3°. not. sub 1°.* Per ejusmodi generalem interrogationem simul periculo occurretur, quod in sequenti dilemmate indicatur: „Cum non agatur de peccatis, quorum omissio possit oblivioni tribui, poenitens supponendus est vel in bona fide, et tunc interrogatio facile noxia evadet, vel in mala fide, et tunc inutiliter interrogabitur.“

(2) Ecce tibi *S. Alphonsi* sententia: „Justam causam (uxor) habet petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiae vel si deberet alias privari jure suo petendi plus, quam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum necne, tunc se continere.“ V. dicta in pari casu in *tract. de praec. car. n. 53. §. Si vero,* qui alter *S. Alphonsi* locus etiam clarius mentem ipsius explicat. Et haec confessarius probe advertat oportet, ut sciat, quandonam urgendi obligationem, et quando solum utendi consiliis et adhortationibus locus ipsi detur. — (Not. edit. rom.)

6° *usu quorumdam bonorum spiritualium privatur,* nempe bonorum, quae subsunt potestati Ecclesiae, ut sunt preces publicae, sacramenta etc.(1)

Hinc censura differt 1° a *depositione* et *degradatione,* quae non sunt *medicinales*, nec *ad tempus*, sed in poenam tantum et perpetuae; 2° ab *irregularitate,* quae ob solum quoque defectum animi vel corporis absque ulla culpa contrahitur et proinde non est poena, sed tantum impedimentum canonicum, licet ob quaedam crimina inflicta poenae quoque rationem habere possit.

Hinc etiam apparet, censuram non perpetuo durare, sed finem sortiri cum delinquentis emendatione: tunc enim solvi a vinculo censurae debet.

Suspensio tamen et *interdictum*(2) modo censurae, modo *poenae vindicativae* naturam induunt. Dignosces autem, esse poenam vindicativam, tum si feratur propter delictum mere praeteritum, tum si infligatur in perpetuum aut etiam ad tempus determinatum, puta pro duobus vel tribus mensibus.(3)

II. Divisio censurarum.

933. — Variae distinguuntur, scilicet:

1° *Excommunicatio, suspensio, interdictum,* de quibus speciatim dicemus.

2° *Censurae latae* vel *ferendae sententiae,* prout superior statuit, eas incurrendas esse ipso facto, quo quis legem violaverit, vel tantum post sententiam judicis ecclesiastici infligendas esse.

3° *Censurae latae a jure* vel *ab homine,* prout feruntur per canones seu leges ecclesiasticas, vel feruntur a legitimo superiore per modum sententiae judiciariae(1) aut praecepti(2), sive in unum, sive in plures. Si censura ab homine afficit personas determinatas, est *particularis;* si vero generaliter et absque determinatione personarum fertur, *generalis* est.(3)

4° *Censurae reservatae* vel *non reservatae,* prout superior earum absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis ministris ab iis absolvere per-

---

tumaciam contemptus formalis, sed sufficit interpretativus, in hoc consistens, quod quis sciens, quidquam ab Ecclesia sub censura prohibitum esse, nihilominus illud facere velit. — *Ferraris ad v.* Censura *n. 20.*

(1) Triplicis enim generis bona in Ecclesia exsistunt. Alia procedunt immediate *a capite* seu *Christo,* ut variae gratiae; alia procedunt *a corpore* seu *Ecclesia,* ut administratio sacramentorum, suffragia communia etc.; alia vero procedunt *a membris,* uti sunt preces ac bona opera singulorum fidelium. Jam vero censura non tollit usum bonorum primi generis, cum ab Ecclesia non dependeant; item per se neque tertii generis: nec enim vult Ecclesia privatorum preces impedire; sed tantum tollit vel prohibet usum bonorum secundi generis, aliquando quidem in toto, aliquando vero tantum in parte. — *Scav.* — Cf. etiam *n. 963. 964. 3° not.*

(2) *particulare* — *S. Lig. n. 52.*

(3) Juxta sententiam probabiliorem suspensio, non quidem in perpetuum, ad determinatum tamen tempus fulminata vera censura est, si lata fuerit ob crimen futurum vel etiam ob praeteritum, sed habens tractum successivum (*n. 934. 1°. not.*) — *S. Lig. n. 314.* — Cf. etiam c. Cum medicinalis (1.) *de sent. excomm.* in 6. *(V. 11.)* Aliam sententiam v. *n. 1034. not.*

Addunt vero, poenas illas etiam tunc rationem purae poenae habere, si aliqua conditio desit, ex cujus defectu censura, non vero pura poena invalidatur, vel si voluntas superioris, meram poenam constituendi, colligi potest. — Cf. *Reiffenstuel l. 5. tit. 39. n. 173.* — *S. Lig. n. 317. 10°.* — *Voit p. 2. n. 1431.*

Ceterum ejusmodi poenis, si non sunt censurae, applicari nequunt ea, quae jus quoad censuras qua tales statuit. — *Reiffenstuel l. c. n. 179.* — *Voit l. c.* — Infra *n. 941. Exc. 2°. 1034.*

(1) v. g. si cui, qui culpabilis inventus est, per sententiam judicis satisfactio sub censurae comminatione mandatur —

(2) Cf. *p. 1. n. 81. not.*

(3) Huc faciunt etiam *monitoria* sive mandata judicis ecclesiastici, quibus sub poena excommunicationis jubet revelationem alicujus criminis etc. — Cf. *S. Lig. n. 214.* — *Thesaurus, de poenis eccles. p. 1. c. 24. p. 36. Dic. III.* — V. etiam *n. 951. II. not.*

Aliae autem sunt Papae re-
aliae episcopis. *Censurae ab*
semper reservantur, nisi per
m generalem latae sint. (1)
nsurae notoriae vel *occultae,*
iblice constat, aliquem eas
e ob factum, quod est ita
, ut jam celari amplius ne-
el secus.
nsurae justae vel *injustae,*
vel *invalidae,* prout superior
veritati et legi consuluerit,
i censura imponenda.

Conditiones censurarum.

— Requiritur ad censurae
m, ut peccatum (2), cui in-
sit mortale, externum, con-
m, non mere praeteritum et
im cum contumacia.
ortale; censura enim, cum
gravissima, mortalem cul-
iirit. (3)
ternum (4); nam Ecclesia in
rno, ad quod censurae per-
ion judicat de mere internis.
nsummatum opere in genere
uia leges poenales sunt stricte

n. 582. not. 3.
rimen, ob quod censura infligi-
non subsistit vel non legitime
fuit, censura non ligat in foro
ae. Si vero pro foro externo
paret, exterius observanda est
lum scandalum et judiciorum
onem. — *S. Lig. n. 66. 68.*

bet praeterea censura fulminari
causa personali, cum hoc in
etur vindicta. — *C. 27. caus.*
. Excipe tamen 1° si id fiat
nodum judicii, sed per modum
s in eum, qui violentiam infert,
vi repellere licet (cf. c. Dilecto
ent. excom. in 6°. [V. 11.]);
iusa tam publica est ac mani-
nec negari possit, nec ullo exa-
geat. — *Collet p. 1. c. 3. art.*
ico 2°. — *Lacroix n. 20.*
de censuris, prout communiter
Sed cf. *n. 958. 996. Qu. 2°.*
. n. 30.
uidem grave ratione actus ex-
Not. edit. rom.)
us hanc conditionem sic *Schmalz-*

interpretandae juxta regulam juris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* (1) — Excipe: nisi legislator contrarium exprimat. (2)

4° *Non mere praeteritum* (3), quia censura est poena medicinalis, quae proinde ferri non potest in eos, qui jam ad meliorem frugem sese receperunt.

5° *Conjunctum cum contumacia* contra Ecclesiae legem seu praeceptum. Ratio est, quia finis praecipuus censurae est, pertinaciam frangere. — *V. S. Lig. n. 30. et seq.*

Resolves:

935. — 1° Qui a gravi culpa excusatur ob aliquam circumstantiam, etiam a censura excusatur, licet materia sit in se gravis.

---

grueber l. 5. tit. 39. n. 64. proponit, ut exceptionibus non indigeat: „Ut incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto seu lege infligente censuram continentur."

Huc pertinet regula, ad censuram incurrendam requiri, *ut completus sit ille effectus, quem legislator intendit sub censura prohibere.* Proinde si verba, diligenter inspecta, significent, prohiberi *ultimum* effectum, v. g. homicidium, censura non incurritur, nisi effectu illo ultimo secuto, scil. morte. Quando vero sub censura prohibetur principaliter ipsa *actio* vel *conatus,* tunc, ea posita, statim incurretur censura, etiam effectu non secuto. — V. *Bonacina, de cens. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 12. 13.* — *Lacroix l. 7. n. 59.* (Not. edit. rom.)

(1) Hinc in poenis positivis non valet illatio a minori ad majus.

(2) Probabiliter censura non incurritur, si quis, antequam opus malum consummetur, consilium mutet, sed consummationem jam impedire non possit; non enim esset contumax eo tempore, quo opus effectum ultimum ad censuram incurrendam requisitum sortitur. — *S. Lig. n. 40.; Hom. ap. tr. 3. n. 45.*

(3) i. e. vel *futurum,* vel *praeteritum,* sed ita, ut „habeat tractum successivum" v. g. per scandalum datum et nondum reparatum, per negationem restitutionis debitae — *S. Lig. n. 49. 54.*

2° Si quid omnino leve sub censura praecipiatur, haec non incurritur, modo res, quae levis sub aliquo respectu apparet, aliunde gravis non fiat.

3° Imprudenter et illicite, sed valide tamen ageret superior, qui ob quamlibet gravem culpam censuram ferret; finis enim Ecclesiae est, graviora tantum crimina punire.(1)

4° Excommunicatio, quae dicitur ferri *in animalia nociva*, v. g. in locustas, non est excommunicatio proprie dicta, sed adjuratio vel oratio in illorum interitum facta, ne noceant.

5° Item, quando dicuntur *mortui* excommunicari, id intelligendum est de quadam exsecratione vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerunt et in qua mortui sunt.

Quaesita:

936. — Quaer. 1° *Quomodo discernitur censura latae sententiae a censura ferendae sententiae?*

Resp. 1° Generatim censura latae sententiae erit: 1° si verba, quibus exprimitur, excludant alterius cujuscumque actionem seu ministerium, v. g. si his verbis feratur: *ipso facto, ipso jure, eo ipso, sine alia sententia;* 2° si verba sint temporis praesentis vel praeteriti, v. g. *excommunicamus, excommunicavimus etc.*; 3° si verba sint modi imperativi, v. g. *incidat in excommunicationem; maneat suspensus, interdictus etc.* — *S. Lig. n. 7.*

Resp. 2° Censura autem ferendae sententiae habenda est: 1° si verba, quibus fertur, alterius opem et ministerium expostulent, v. g. *excommunicetur per episcopum;* 2° si sint comminatoria tantum, v. g. *praecipimus sub interminatione anathematis,* nisi aliud ex adjunctis colligatur; 3° si tempus futurum exprimant, v. g. *excommunicabitur, erit excommunicatus etc.*(1)

937. — Quaer. 2° *An judicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat, utrum incurrerit?*

Resp. Negative, sive dubites, an graviter deliqueris, sive an casus sub censuram cadat.(2) Ratio est, quia juxta axioma communiter receptum et ipsam juris regulam *odia sunt restringenda.* — *Ita communiter.* Attamen censuram incurris, si dubium versetur circa gravitatem ipsius materiae, cui superior censuram adnexuit, tum in se spectatae, tum habita ratione finis etc. Tunc enim materia haec ut gravis reputanda est, cum talis sit judicio superioris, qui censuram tulit, et aliunde in dubio praesumptio superiori faveat. — *S. Lig. n. 32.* — *Salm. c. 1. n. 130. etc.*(3)

Quaer. 3° *An quis ligetur censura, quam manifeste injustam esse novit?*

Resp. Negative, sive superior falsa praesumptione nixus innocentem pro reo damnaverit, sive omiserit formas legales aut limites jurisdictionis excesserit. — *S. Lig. n. 68.* Attamen hallucinationis periculum in propria causa sedulo vitandum est(4).

938. — Quaer. 4° *An ignorantia a censura excuset?*

Resp. 1° Certo excusat ignorantia *facti,* scilicet quando quis ignorat, se ponere actum sub censura prohibitum. Sic v. g., si quis percutiat sacerdotem, putans esse laicum, non incurrit censuram latam in percussores clericorum. Ratio est, quia

(1) V. *conc. Trid. sess. 25. c. 3. de ref.* sub initio.

(1) *S. Lig. n. 8.*, quem confer. — Si verba sint ambigua, teneri potest *regula 49. juris in 6°.*, quod in dubio circa poenas benignior interpretatio sit facienda. — *Ita communiter.* (Not. edit. rom.)

(2) Excipe: si lex aliter statuat. — Cf. v. g. *Thesaurus, de poenis eccl. p. 1. c. 16. Resp. III.; c. 24. sub fine; p. 2. ad v.* Absolutio *c. 3. sub IV.*

(3) Cf. *n. 949. Q. 4°.* — V. etiam *n. 1034. not.*

(4) et scandalum. — Cf. *Thesaurus, de poen. eccl. p. 1. c. 22. §. Quinta differentia.* — Infra *n. 951. III. not.*

censura debet esse nota peccanti, ut sit contumax. Sic in jure can. c. Si vero aliquis (4.) *de sent. excomm.* (*V. 39.*) — *S. Lig. n. 43.*

Resp. 2° Excusat etiam ignorantia *juris* ecclesiastici praecipientis vel prohibentis aliquid sub censura. Constat ex iisdem rationibus modo allatis; non enim dici potest contumax in Ecclesiam, qui ejus legem ignorat, ut patet ex jure canonico c. Ut animarum (2.) *de constit. in 6°.* (*I. 2.*), ubi dicitur: *Ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.* — — *S. Lig. ibid.*

939. — Quaer. 5° *An excuset a censura ignorantia vincibilis?*

Resp. 1° *Affirmative,* si haec non sit *graviter culpabilis,* quia tunc ignorans non potest dici contumax in Ecclesiam. — *Ita omnes.*

Resp. 2° *Negative* vero, si illa ignorantia sit *graviter* culpabilis. Tunc enim potest dici *crassa:* porro ignorantia *crassa* non excusat a censura, ut patet ex jure can., loco modo citato. Haec enim ignorantia non impedit, quominus aliquis sit contumax contra legem, quam culpabiliter ignorat. — *S. Lig. n. 45.* et *alii communiter.*

Excipe tamen, si in decreto censurae dicatur: qui hoc fecerit *scienter, consulto, temere, qui praesumpserit etc.* Haec enim verba, utpote odiosa, in stricto sensu intelligenda sunt.(1) — *S. Lig. ib.*

Plures tamen contendunt, ignorantiam *graviter* culpabilem a censura excusare, licet a peccato mortali non excuset, quia potest dari ignorantia graviter culpabilis, quin ideo *crassa* dicenda sit.(2) — *S. Lig. ib.*

(1) Negant vero communius, per has clausulas etiam ignorantiam affectatam excusari. — *S. Lig. n. 48.*

(2) Melius forte assereretur, requiri majorem negligentiam, ut ignorantia peccati gravis damnari possit, si de poena, quam si de culpa agatur, uti etiam *Sanchez, de matr. l. 9. disp. 32. n. 38.* indicat. Censet vero *(ib. n. 33.)*, tunc ignorantiam crassam quoad censuras adesse, „quando ignorans aut nullam aut valde modicam adhibuit diligentiam, ut sciret, quod nosse tenetur."

940. — Quaer. 6° *An metus gravis a censura excuset?*

Resp. Affirmative generatim loquendo(1). Ratio est, quia leges ecclesiasticae poenales non videntur urgere cum tanto rigore. Nam, cum ex metu valde gravi leges ipsae ecclesiasticae cessent obligare, et ipsa poena illis adnexa corruat necesse est.(2) Major est difficultas, ubi agitur de praeceptis juris naturalis, a quibus implendis metus gravis excusare nequit. Sed etiam in hoc casu deest contumacia in Ecclesiam. Nam censura non incurritur propter violationem legis divinae, sed propter transgressionem culpabilem legis ecclesiasticae. — *S. Lig. n. 46.*

941. — Quaer. 7° *An requiratur, ut admonitio*(3) *delinquentis censuram praecedat?*

(1) et quidem etiam metus respective gravis.

(2) V. etiam supra *n. 815. Q. 4°. Resp. 3°. not.*

Excipe tamen 1° si lex ipsa aliter disponat; — 2° eas circumstantias, in quibus vel ipsa lex humana non obstante gravi damno obligat, uti si metus incutiatur in contemptum potestatis vel praecepti ecclesiastici, vel si agatur de malo gravissimo vitando etc. — *S. Lig. n. 46.* — *Scav.* — *P. 1. n. 108. III.*

(3) Duplex monitionis genus distingue: 1° Monitionem simpliciter, scil. sufficientem declarationem et intimationem, quod, qui tali legi vel sententiae non obedierit, talem poenam incurrat vel incurrere mereatur. Haec prorsus necessaria est, ut censura effectum obtinere possit, cum secus deesset contumacia. — 2° Monitionem *canonicam*, quae fit cum quibusdam juris formalitatibus. Quando porro haec exigatur, in praesenti quaesito expendendum. Ejus omissio censuram illicitam reddit, non tamen invalidam, nisi hoc in jure expresse statuatur. — *Collet p. 1. c. 3. art. 4. sect. 1.* — *Maschat, Instit. juris can. l. 5. tit. 39. n. 17. et seq. etc.*

Resp. 1° Nulla requiritur monitio pro censuris *a jure* latis, quia lex ipsa lata et cognita satis subditos admonet(¹). — *Ita omnes.*

Resp. 2° Requiritur autem admonitio pro censuris *ab homine* ferendis. Ratio est, quia non est contumax, qui antea non fuit admonitus de praecepto et de poena adnexa. Imo, ex jure canonico requiritur monitio triplex vel saltem una, in qua exprimatur, eam valere pro triplici.

Excipe 1° Si agatur de censura ab homine *per sententiam generalem* vel etiam *specialem respectu actus futuri*(²); tunc enim non est necessaria admonitio, cum decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat.

Excipe 2° Si agatur de *suspensione* et *interdicto*, quatenus non per modum censurae, sed tantum per modum purae poenae feruntur.(¹) — *S. Lig. n. 52. etc.* — V. *Casus consc. p. 2. n. 1119. et seq.*

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO SEU AUCTORE CENSURARUM.

Principia:

942. — I. Ecclesia gaudet vera potestate ferendi censuras. Constat ex scriptura sacra. Christus enim Ecclesiae suae tradidit potestatem ejiciendi e sinu suo filios delinquentes et contumaces his verbis apud *Matth. 18. 17.: Si . . Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo.* Haec autem potestas facultatem ferendi censuras includit, ut omnibus perspicuum est. Constat insuper ex universali et perpetua praxi Ecclesiae, necnon ex innumeris conciliis, praesertim ex *concilio Trid. sess. 25. c. 3. de reform.*

II. Censuras ferre possunt *de jure ordinario* omnes et soli superiores ecclesiastici jurisdictionem in foro externo et contentioso habentes. Patet ex verbis Christi apud *Matth.* jam citatis: *Quaecumque alligaveritis etc.* His enim verbis Christus dedit praelatis Ecclesiae in persona apostolorum omnem potestatem ad bonam et rectam Ecclesiae administrationem. Constat etiam ex variis locis juris canonici.

III. Censuras ferre possunt ex *potestate delegata* omnes et soli clerici,

---

Plura de hac monitione ac de forma ad ferendam censuram requisita v. apud canonistas. Immerito tamen ab aliquibus auctoribus postulatur, ut monitio fiat in scriptis; c. Medicinalis (1.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)* enim, quod illi auctores pro sua sententia allegant, de ipsa censura loquitur, non de monitione.

(¹) nisi lex ipsa aliquando monitionem exigat. — *S. Lig. n. 53.* Observat tamen *Benedictus XIV. (de syn. l. 10. c. 1. n. 5.):* Sententia declaratoria criminis „est necessaria pro foro externo, in quo nemo reputandus est censura innodatus, nisi legitime probetur reus criminis, cui est censura jure ipso alligata: in foro autem interno et coram Deo, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, ad incurrendum in censuram latae sententiae nulla est necessaria judicis declaratio, sed sat est, crimen perpetrare, cui illa est adnexa: suam quippe contumaciam et Ecclesiae contemptum satis aperte manifestat, qui in legem delinquit, quam scit in sui transgressores censurae vinculum statuere et illico injicere.“ — V. etiam *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 5. Resp. 3. §. Sed haec sententia.* Hinc sententia declaratoria exigitur, si judex ad denuntiationem ejus, qui censuram incurrit, procedere (cf. *n. 956. not.*) vel aliam ob causam auctoritatem suam inserere intendit, saltem dum crimen et contumacia non sunt notoria. — V. *Collet p. 1. c. 3. art. 4. sect. 3.* — *Maschat, Instit. juris can. l. 5. tit. 39. n. 18.* — *Thesaurus l. c. p. 2. sub* Censura *c. 1. §. Sed neque.*

Quoad censuras *a jure ferendae* sententiae vero disputant de necessitate monitionis. — *S. Lig. n. 55.*

(²) vel potius: per praeceptum generale vel speciale; quoad ejusmodi praecepta enim eaedem regulae servandae, ac quoad censuras a jure. Hinc brevius cum *Maschat l. c.* generatim ita statui potest: Monitio canonica non requiritur, nisi specialiter praecipiatur vel nisi censura feratur *judicialiter* per modum sententiae.

(¹) Cf. *n. 932.*

quibus concessa fuit a superiore jurisdictionem ordinariam habente. Ratio est, quia omnis et solus clericus est capax jurisdictionis ecclesiasticae; jurisdictio autem haec requiritur ad censuras ferendas, ut patet. — V. *S. Lig. n. 9. et seq.*

Regulae:

943. — 1° Censuras *de jure ordinario* ferre possunt: 1° Papa et concilium generale respectu universae Ecclesiae; 2° archiepiscopi tum in dioecesibus propriis, tum in dioecesibus suffraganeorum tempore visitationis, necnon cum agitur de causa ad eorum tribunal delata, quia tunc jurisdictione in suffraganeos pollent; 3° episcopi respectu propriae dioecesis, modo electi ac confirmati sint, esto non consecrati;(1) 4° vicarii generales episcoporum:(2) nam cum ipsis episcopis unum tribunal constituunt; 5° legati in territorio legationis et cardinales in ecclesia proprii tituli; 6° concilia provincialia in suis provinciis; 7° generales, provinciales et superiores locales ordinum religiosorum pro variis eorum statutis; 8° capitulum ecclesiae cathedralis, sede vacante et ante electionem vicarii capitularis, qui tali potestate deinceps exclusive gaudet. — *S. Lig. ibid.*

2° Parochi non possunt *de jure ordinario* ferre censuras, quia jurisdictionem non habent in foro externo et judiciali, sed tantum administrationem ad rectum parochiae ordinem. — *S. Thom. in 4. dist. 18. q. 3. art. 3.*

3° Laici et mulieres ne ex *delegatione* quidem censuras ferre queunt.(1) Proinde abbatissae monialium nequeunt propria auctoritate eas ferre, sed tantum decretum obtinere possunt, quo sub poena censurae mandata sua servari debeant. — *S. Lig. n. 12.*

4° Potestas delegata cessat morte delegantis, nisi causa a delegato jam fuerit incoepta saltem per citationem(2). — Delegatus vero ad censuras ferendas non potest alterum subdelegare, nisi expressam habuerit licentiam a delegante vel nisi sit delegatus saltem ad quascumque causas(3).

Quaesita:

944. — Quaer. 1° *An episcopi haeretici, excommunicati et suspensi possint valide censuras ferre?*

Resp. 1° *Affirmative,* si sint haeretici, excommunicati vel suspensi occulti. Ratio est, quia Ecclesia ob bonum commune iis adhuc usum jurisdictionis concedit. Illicite tamen agunt, quoties censuras ferunt. — *Ita communiter theologi* cum *S. Lig. n. 12.*

Resp. 2° *Negative,* si sint excommunicati(4) vitandi seu non tolerati, quia tales privantur omni ecclesiastica jurisdictione. *Quid vero, si sint quidem notorii, sed non vitandi?* Videtur, eos posse adhuc censuras valide ferre, quia, ajunt, colligitur ex constit. *Martini V. Ad vitanda,* ubi sancitur, excommunicatum toleratum in iis, quae pertinent ad publicum

---

(1) V. *S. Lig. n. 10.* et c. Transmissam (15.) *de elect. (I. 6.).* — Cf. etiam *Gonzalez Tellez* ad hoc caput. (Not. edit. rom.)

(2) *S. Alphonsus n. 10.* inducit dissidentes *Sayrum, Ugolinum* et *alios* apud *Lacroix l. 7. n. 24.* Sed est merus error aut Lacroixii, aut alterius, a quo Lacroix exscripserit; nam allegati doctores nihil a communi sententia discrepant. — (Not. edit. rom.)

(1) Papa tamen saltem viris laicis hanc potestatem delegare posset. — *S. Lig. n. 12.* — V. etiam *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 16.*

(2) uti colliges ex dictis *p. 1. n. 116. Quaer. 6°. not.*

(3) vel delegatus a Romano Pontifice. — V. c. Si pro debilitate (3.) *de officio delegati (I. 29.).*

Quid autem *jure ordinario* requiratur, ut quis delegari possit, v. apud *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 14.* — (Not. edit. rom.)

(4) vel suspensi a jurisdictione (cf. [illegible] *995. 4°.*) —

officium, non esse vitandum, ne ab iis quidem, qui id sciunt. — V. *S. Lig. ibid.*

945. — Quaer. 2° *An episcopus possit ferre censuram, si sit extra dioecesim?*

Resp. 1° *Affirmative,* si censura feratur per modum praecepti aut statuti ad futura crimina praecavenda. — *S. Lig. n. 21.*

Resp. 2° Etiam *affirmative,* si censura feratur per modum sententiae, quae tamen non indigeat cognitione causae et strepitu judiciali vel, etiamsi strepitu judiciali indigeat, feratur, obtenta venia ab ordinario territorii.

Resp. 3° *Negative,* si censura ferri debeat cum strepitu judiciali et licentiam neget ordinarius loci. Excipe: si episcopus vi expulsus a proprio territorio fuerit; tunc enim sufficit licentia petita, licet non obtenta. — V. *Schmalzgr. l. 5. tit. 39. n. 24.*

Quaer. 3° *An vice versa episcopus in sua dioecesi exsistens ferre possit censuram in subditum extra dioecesim exsistentem?*

Resp. 1° *Affirmative,* si agatur de crimine in propria dioecesi commisso. Ratio est, quia secus delinquens a nullo puniri posset; et quamvis abierit, non tamen cessat jurisdictioni proprii episcopi subesse. Nec obstat, quod citatio non possit fieri extra territorium; nam sufficit ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo citetur aut in loco publico. — *S. Lig. n. 22.*

Resp. 2° Imo potest episcopus censuram ferre in subditum delinquentem extra dioecesim, si agatur de re, quae ad suam dioecesim pertinet. Sic excommunicari possunt clerici, qui jussi accedere ad synodum non obtemperant; secus vero, saltem probabilius, si crimen extra territorium consummaretur.(¹) Excipe: nisi sermo sit de censura contra quempiam lata per modum praecepti specialis(¹) ad crimen praecavendum, ut *probabilius* docet *S. Lig. n. 23.* et *Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 7.* validis confirmat rationibus. — *S. Lig. n. 22.* — *Suarez* — *Salmant.*

946. — Quaer. 4° *An episcopus possit censura ligare subditum alienum*(²) *in sua dioecesi delinquentem?*

Resp. Affirmative Ratio est, quia omnis delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit. Sic ex jure can. c. Licet (20.) *de foro compet. (II. 2.)* Etenim licet episcopus non possit ferre censuram in peregrinum ante monitionem, saltem probabilius, potest tamen, postquam is deliquit in loco et ab ipso citatus fuit. — *S. Lig. n. 26.* et *de poenit. n. 591.*(³)

Quaer. 5° *An praelati regulares possint censuram ferre in subditos in quocumque loco exsistentes?*

Resp. Affirmative juxta sententiam communem. Ratio est, quia jurisdictio superiorum non est tantum territorialis, sed magis personalis; unde mutatio loci ex parte subditi

---

(¹) Cum leges afficiant territorium atque adeo legibus patriis non teneatur, qui degit extra, delinquens extra territorium non subjicitur censuris per statuta generalia latis. Quod quidem aperte confirmatur ex c. Ut animarum (2.) *de constit. in 6°. (1. 2.).* Et cum locus exemptus (licet situs sit inter fines dioecesis) quoad hoc comparetur cum locis extra territorium positis, propterea, ut communis doctrina habet, delinquens in loco exempto dioecesanas censuras non incurret. — V. *Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 6.* — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 49.* (Not. edit. rom.) Quinam vero locus exemptus dicendus, v. apud *S. Lig., de leg. n. 157.*

(¹) Idem asserit *Mazzotta tr. 8. disp. 1. qu. 1. c. 4. §. 2.* cum *Suarez disp. 5. sect. 5. n. 10. et seq.* quoad sententiam generalem vel ejusmodi praeceptum. Et nullum quidem dubium quoad sententiam; sed praeceptum generale, ab episcopo latum, hodie plerumque difficiliter a lege discerni poterit. — V. *S. Lig. n. 6.* coll. *p. 1. n. 85. 3°.* hujus compendii.

(²) qui scil. in illa dioecesi nec domicilium, nec quasi-domicilium habet — *S. Lig., de leg. n. 156.*

(³) Cf. etiam *n. 573. Q. 5°.*

Addit *editor rom.:* „Perperam vero

nihil jurisdictioni superioris detrahit. — Ita *S. Lig. n. 20.*(1)

ARTICULUS III.
DE SUBJECTO CENSURARUM.

Principia:

947. — I. Subjectum censurae non potest esse, nisi homo baptizatus, rationis capax et subditus. Debet esse 1° baptizatus, quia juxta apostolum Ecclesia non judicat de iis, qui foris sunt; 2° rationis capax, quia censura ordinatur ad correptionem delinquentis, quod locum non obtinet in eo, qui usu rationis caret;(2) 3° subditus, quia censura est actus jurisdictionis, quae proinde nonnisi in subditos exerceri potest.(3)

II. Impuberes, licet censuris absolute ligari possint, attamen ob aetatis levitatem ex indulgentia et benignitate Ecclesiae eas non incurrunt, nisi in lege specialiter expressum sit(4). — *S. Lig. n. 14.*

Expressus autem in jure duplex tantum casus invenitur, scilicet 1° si in monasteria monialium ingressi fuerint; — *Trid. sess. 25. c. 5. de regular.* 2° si clericos percusserint. — *C.* Pueris (60.) *de sent. excommunic. (V. 39.)* — *S. Lig. ibid.*

Quaesita:

948. — Quaer. 1° *An reges et reginae ligari possint censuris ab episcopis?*

Resp. Negative. Nam, licet in spiritualibus subjiciantur episcopis, attamen non possunt ab ipsis censura plecti, sed a solo Papa.(1) Hoc privilegium decursu temporis legitime introductum est et ipsis communiter a doctoribus tributum. — *S. Lig. n. 16.* — *Salmant. tract. 10. c. 1. punct. 13. n. 160.*

Quaer. 2° *An episcopi et cardinales censuris subjiciantur?*

Resp. 1° Certo non possunt subjici censuris latis a seipsis, quia nemo est sui ipsius subditus.

Resp. 2° Subjiciuntur autem censuris papalibus, quia Papa est omnium, etiam episcoporum, superior. Attamen ex privilegio juris non ligantur neque interdicto, neque suspensione, nisi in decernendis iis censuris „expressa(2) eorum mentio habeatur.“ *(C.* Quia periculosum (4.) *de sent. excomm. in 6°. [V. 11.])*

949. — Quaer. 3° *An religiosi exempti ab episcopo loci censuris episcopalibus ligari possint?*

---

urgeres cum quibusdam (v. *S. Alphons., de leg. n. 156. dub. 2.* et *de 3. praec. dec. n. 332.* §. *An autem)* sententiae oppositae qualemcumque probabilitatem. Probabilitas enim non sufficit ad obligationem imponendam multoque minus ad poenas contrahendas. — Casus autem, in quibus peregrinus ratione delicti sortiatur forum et censuris ab homine per sententiam possit plecti, v. apud *Lugo, Resp. mor. l. 6. dub. 22. n. 3. et seq.* et *Suarez disp. 5. sect. 5. n. 12.* — Cf. etiam *Sanchez, Consil. moral. l. 6. c. 1. dub. 15.*

(1) Haec intelligenda sunt de censuris latis *per particularem sententiam* aut *per statuta capituli seu superioris generalis.* Nam si censura quaepiam lata sit per statutum a superiore, qui speciale habet territorium, v. g. provinciam, tunc attendi potest loci limitatio atque adeo exemptio eorum, qui extra territorium illud delinquunt. — *Lacroix n. 28.* (Not. edit. rom.)

(2) Qui tamen habet lucida intervalla, ligatur censuris, modo tempore, quo erat rationis compos, causam dedit. — *S. Lig. n. 13.*

(3) Cf. supra *n. 946. Q. 4°.*

(4) vel nisi censura feratur per modum praecepti aut sententiae particularis. — *S. Lig. ib.*

(1) Reges, imperatores etc. non modo subjiciuntur Pontificiis censuris *latae sententiae per generalia* statuta, v. g. contra invadentes Ecclesiae bona, territoria, jura etc., sed etiam censuris *per sententiam* seu particularem seu generalem puniri possunt. — (Not. edit. rom.)

(2) saltem indirecte v. g. per clausulam: *etiam speciali seu individuali nota dignos* — *Thesaurus, de poen. p. 2. sub* Conceptio *c. 1. n. 3.* — *Giraldi, Expos. J. P.* p. 1. sect. 623.

Resp. 1° Affirmative probabilius, si regulares, licet exempti, delinquant circa ea, in quibus vi canonum et constitutionum subjiciuntur episcoporum jurisdictioni, v. g. in observatione festorum, quae episcopus indixerit servanda in sua dioecesi, vel in observatione censurarum ab episcopo promulgatarum etc. Ratio est, quia jurisdictio in foro externo inermis ad exsequendum leges et statuta esse non potest; nam secus inutilis evaderet. Si ergo in aliqua re episcopus in regulares jurisdictione pollet, eo ipso contra delinquentes procedere etiam per censuras potest. Qui enim contentiosam habet potestatem fori externi, uti illa potest in electione cujusvis poenae, praesertim vero spiritualis censurae, qua ecclesiastici praelati contra subditos procedunt.

Ex communiori autem sententia episcopi quoad haec non ordinaria, sed delegata a Sede Apostolica potestate procedunt. — Ita *S. Lig. n. 241.*(¹) Porro praecipuos casus, in quibus exempti quoque regulares episcopi potestati subjiciuntur, enumerat *idem auctor Hom. apost. tract. 20. c. 4.*(²) Id nihilominus a non paucis auctoribus absolute negatur, quibus favere videntur plura decreta *Pontificum* et *S. Congr. Conc.*

Resp. 2° Negative, si sermo sit de illis regularibus, qui non solum generali exemptionis privilegio, sed praeterea privilegio specialiori gaudent, vi cujus, licet aliis poenis corrigi et coërceri possint, si in iis deliquerint, in quibus eos episcopis Apostolica Sedes subjecit, non tamen puniri per censuras possunt. Quod quidem privilegium sublatum numquam generatim fuit, licet *Gregorius XV.* in quibusdam ipsi derogaverit. (Const. *Inscrutabili §. 6.*) — *S. Lig. n. 241.*(¹)

(¹) et *Bened. XIV., de syn. l. 9. c. 15. n. 3.*

(²) et *Schmalzgrueber l. 5. tit. 33. n. 253. 254.* — V. etiam *Bened. XIV., de syn. l. 9. c. 15. n. 4. et seq.;* supra *n. 173.*

(¹) Ad uberiorem explanationem hujus responsi aliqua, praesertim ex notis romani editoris deprompta, addimus:

1° Religiosi non exempti legibus ac censuris episcopalibus subjiciuntur non secus, ac alii clerici. Insuper, si episcopum habeant ceu proprium praelatum, censuris ligari ab ipso poterunt aeque ac reliqui regulares a suis superioribus. — *Sanchez, in decal. l. 6. c. 1. n. 11.* — *Schmalzgrueber l. 3. tit. 35. n. 61. 62.*

2° Sed etiam quoad exemptos immerito in dubium vocatur, eos per se ab episcopo in iis, in quibus ejus jurisdictioni subduntur, censuris plecti posse, etsi haec facultas in aliquo casu non exprimatur. Talem potestatem enim episcopo competere, non solum rationes evincunt, sed etiam *S. C. C.* decreta et fere unanimis doctorum consensus. — Cf. *Pignatelli t. 3. cons. 46. n. 6. et seq.; t. 7. cons. 44. n. 36. 37.* — *Monacelli, Formul. p. 3. tit. 3. form. 6. n. 13. et seq.* — *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 15.*, praes. *n. 5.* (ubi haec decisio *S. C. C. d. d. 7. Febr. 1632: In his, in quibus a jure communi, a sacro concilio Trident., a constitutionibus Apostolicis tributa est episcopo jurisdictio in regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere); l. 13. c. 4. n. 5. et seq.*

3° Exceptionem tamen 2ª regula patitur, nempe si regularibus speciale privilegium, a communi exemptionis praerogativa plane distinctum, tributum sit, ut censuris feriri nequeant etiam in iis, in quibus alioquin ordinariorum jurisdictioni subjiciuntur, quamvis aliis poenis coërceri ac puniri ab iisdem possint. Tale vero privilegium pluribus regularibus revera concessum esse, non solum ex exemplis patet, quae *S. Lig. n. 241.* affert, sed etiam ex jure can. c. Volentes (1.) *de privilegiis in 6°. (V. 7.) §. 1.* Sed duae limitationes huic exceptioni apponendae (quatenus leges per appositas clausulas huic speciali privilegio derogarunt), licet editor romanus, praesertim quoad priorem, aliter censeat. Derogatum scil. fuit huic regularium privilegio per *concilium Trid.* quoad tres casus, in quibus concilium expresse episcopis potestatem fecit, contra regulares etiam per censuras procedendi. Conceditur enim episcopis (ita *Sanchez, de matr. l. 7. disp. 33. n. 23.*), ut per censuras cogant exemptos, restituere bona novitiis abeuntibus; item ut clausuram monialibus imponant et inobedientes aut contradicentes compellant censuris; tandem

Quaer. 4° *Quomodo se gerere beat dubitans, an censura ligetur?* *Resp.* Si dubitet, an a censura fuit absolutus, se habere debet tamam censura adhuc innodatum, doc superiorem interrogaverit. Idem endum est, si dubitet de potestate perioris in censura ferenda, siquim pro eo semper praesumendum . — Secus vero, si dubitet, utrum censuram incurrerit, sive dubium sit *facti*, v. g. circa crimen (puta, si dubitet, an percussio clerici fuerit graviter injuriosa), sive dubium sit *juris*, i. e. circa sententiam [puta in dubio, utrum censura sit latae vel ferendae sententiae etc.] (¹). — *S. Lig. n. 32. 67.*

950. — Quaer. 5° *An possit quis ligari pluribus censuris simul?* *Resp. Affirmative;* nihil enim obstat, quominus quis pluribus simul vinculis constringatur. Nam quemadmodum potest quis plura patrare peccata specie et numero diversa, ita etiam potest diversis censuris pro specie et numero latis simul innodari, v. g. excommunicatione, suspensione (si clericus sit) et interdicto, necnon pluribus excommunicationibus etc. Imo, ob unum delictum potest quis ligari simul a jure et ab homine, a Papa et ab episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter superior novam intendat poenam imponere. — *Ita communiter* et *absolute probabilius* juxta *S. Lig. n. 28.*

Hinc 1° Si quis per unicum actum duo committeret peccata specie diversa, quorum unicuique est adnexa censura, duas incurreret censuras, v. g. qui clericum occideret in loco, ubi homicidium sub poena censurae prohibetur. Secus vero, si peccatum illud unicum non haberet malitias specie diversas. — *S. Lig. n. 28.*

2° Si quis iterat idem crimen, cui est adnexa censura, actu moraliter distincto a primo, iterum eamdem incurrit censuram; secus vero, si actus repetiti non sint inter se moraliter distincti. Sic percutiens clericum ter vel quater, posito notabili intervallo inter singulas percussiones, incurrit tres vel quatuor censuras, dum unicam incurrit, si eum pluries in continuo percutiat.

---

procedant per censuras contra exptos celebrantes in oratorio privato t horis non debitis, et quascumque sustitiones ablegent. — V. praeter *San*ez *l. c.* — *Lezana, Summa quaest. pal. tom. 2. ad v.* Exemptio regularium *11. etc.* Sequitur etiam necessario ex incipiis, quae invenies apud *Pignatelli 3. cons. 46.* passim (praesertim *n. 29.*); *m. XIV., de syn. l. 9. c. 16. n. 6. alios.*

Altera vero limitatio admittenda quoad ms, qui enumerantur in const. *Inscrubili Gregorii XV.* (quam unacum va- responsis *S. C. C.*, dictam constitunem interpretantibus, invenies apud *rraris ad v.* Regulares *art. 2. n. 5. seq.).* Additur enim *ib.* sub *§. 6.*: a ut episcopi in suprascriptis casibus praenominatas personas *in praemissis ibus et singulis* aut circa quoquodo delinquentes, quoties et quando ns fuerit, etiam extra visitationem, per asuras ecclesiasticas aliasque poenas ejusdem Sedis delegati procedere inemque jurisdictionem exercere libere licite valeant." — Cf. etiam *Fagn. 5. in c.* Quanto (26.) *de privil. n. 14. seq.*

In hisce itaque speciale privilegium, od per censuras puniri nequeant, regulibus non suffragabitur, nisi cum nesariis clausulis *post concilium Trid.* *post constitutionem Gregorii XV.* accessum vel saltem innovatum fuerit. e contrarium evincitur ex declaratione *C. C.* post Tridentinum apud *Suarez relig. tr. 8. l. 1. c. 10. n. 27.), Fagnum (l. c. n. 9.)* et *Lezana (l. c.)*, qua eritur, regulares, monasteria monialium e licentia episcopi adeuntes, incidere excommunicationem contra accedentes scopi edicto propositam, nisi habeant privilegio, quod non possint excomnicari. Hoc enim non negamus, si mo sit de privilegio undequaque vaos; negamus vero, privilegia in enumeis casibus valida esse, si ante praetas leges concessa sint.

(¹) modo per debitam diligentiam dubium solvi nequeat et scandalum vitetur. — *Scav.*

Cf. etiam *n. 937.*

3° Pariter plures incurreret irregularitates sacerdos excommunicatus, qui plures poenitentes successive absolveret, quia toties novum conferret sacramentum.(1) — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 6° *An appellatio excuset ab incurrenda censura?*

Resp. 1° Appellatio legitima excusat a censura conditionali(2), modo fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi.

Resp. 2° Appellatio legitima a censura jam lata(3) eam generatim non suspendit. Unde communis vox est canonistarum, appellationem tunc *devolutivam* esse, non vero *suspensivam*. — Ita *Collet, de censuris.* — *Bened. XIV.*, Const. *A militantis d. d. 30. Mart. 1742.*(4)

Quaer. 7° An censurae subjectum possit esse integra communitas?

Resp. 1° *Negative* quoad *excommunicationem*, nisi constet, omnes et singulas personas communitatis esse criminis participes et in eo contumaciter persistere.

Resp. 2° *Affirmative* quoad *suspensionem*, ita tamen, ut innocentes, si qui sint, feriat solum quoad functiones et jura ipsi communitati, ut tali, competentia, non vero quoad functiones ac jura, quae singulis singillatim competunt.

Resp. 3° *Affirmative* etiam quoad *interdictum*, quae censura id habet singulare, ut, si de generali interdicto agatur, integram communitatem et in hac etiam innocentes obstringat ex c. Si civitas (17.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)* Neque ideo tamen censuram ferens argui injustitiae potest, quippe per tale interdictum proprie loquendo non puniuntur innocentes, sed Ecclesia justas ob causas ea beneficia et officia tam nocentibus, quam innocentibus subtrahit. — *Ita communiter.* — V. *S. Lig. n. 18.317.* — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 44. et seq.*

(1) Hoc exemplum ad rem non facit, quia certo non constat, plura hic numero distincta haberi peccata. — V. supra *n. 211. Q. 9°.* (Not. edit. rom.)

(2) melius: a censura ferendae sententiae seu de futuro incurrenda — *Thesaurus, de poenis eccl. p. 1. c. 25. §. Tertio modo.*

(3) i. e. quam quis jam incurrit —

(4) De adjunctis, in quibus ex jure appellatio non admittitur, consule canonistas. Casus vero, in quibus simplex dumtaxat et extrajudicialis recursus per viam supplicis libelli ad S. Sedem vel respective et juxta causarum qualitatem appellatio, ad quos de jure, in solo devolutivo et sine retardatione vel praejudicio legitimae exsecutionis admittitur, enumerat *Bened. XIV.* in const. supra allegata. Brevius eos exhibet *Thesaurus l. c. p. 2. sub* Appellatio c. 5. — Cf. v. g. supra *n. 109. not. 2.*

Suspenditur etiam censura conditionata per prorogationem factam ab eo, in cujus favorem lata est, saltem si judex consentiat. — *S. Lig. n. 63.* — Cf. *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 25. §. Quartus modus.*

ARTICULUS IV.
DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

Principia:

951. — I. Censurae(1) non solvuntur per solam delinquentis poenitentiam vel obedientiam erga Ecclesiae mandata, nec per mortem illius, qui censuram tulit,(2) sed necessaria est absolutio a judice seu superiore legitimo impertita. — Constat ex cap. Cum desideres (15.) *de sent. excomm. (V. 39.)* et ex *prop. 44.* ab *Alexandro VII.* damnata.(3)

II. A censura ab homine per sententiam particularem(4) lata absolvere

(1) quas reus jam incurrit —

(2) Excipe suspensiones *ex informata conscientia* (v. *n. 993. not.*), quae cessant per mortem praelati, qui eas inflixit. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2322.*

Nec cessant per mortem censurati, si suspensionem et excommunicationem minorem excipias; ceterae enim quandam vim etiam post mortem exercere valent. — *Scav.*

(3) Si vero similis poena non ut censura lata sit, sed ut pura poena, per relaxationem sive dispensationem tollitur. — *Reiffenstuel l. 5. tit. 39. n. 179.*

(4) *Quid vero de censura lata ab ho-*

possunt tantum: 1° qui censuram tuit(1); 2° ejus superior; 3° ejus successor; 4° alius ab horum quopiam delegatus. Ratio est, quia ejus est absolvere, cujus est ligare.(2) Idem licendum de censuris a jure reservatis.(3)

III. Quilibet confessarius absolvere potest a censuris non specialiter reservatis Papae vel episcopo.(4) — Con-

---

sine per sententiam generalem? Eam non - reservatis auctores plerumque adnumerant. — V. *S. Lig. n. 73.* — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 94.* Sed distinguendum est. A censura lata per sententiam generalem ob crimen praecedens (v. g. per monitorium ad restituendum) ii tantum absolvere valent, qui in textu sub *II.* enumerantur. Talis sententia enim, licet secundum formam verborum sit generalis, communiter tamen in effectu ratione delicti est specialis, quia personae secundum se jam sunt certae et determinatae. Id insuper indoli sententiae judicialis congruit. Censura autem lata per sententiam generalem pro futuris criminibus seu potius lata per praeceptum generale quoad absolutionem censurae latae a jure aequiparanda est. — Cf. *Thesaurus, de poenis eccl. p. 1. c. 24. §. Dicendum III.*

(2) non tamen sine exceptione. — Cf. *Phillips, Lehrbuch des Kirchenrechts §. 193. I.* — *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 24. §. Nota, quod a regula.*

(3) Idcirco id valet, etiamsi reus mutet domicilium. Hinc bene *S. Lig. n. 72.* advertit, quod, si quis in alieno territorio ita deliquit, ut ab illius loci episcopo specialiter fuerit excommunicatus, non potest absolvi a proprio episcopo, nisi de episcopi excommunicantis licentia. — (Not. edit. rom.)

(4) Censura lata a jure ad certum tempus vel sub conditione ante elapsum illud tempus vel ante adimpletionem talis conditionis censetur tacite reservata. — *Ferraris ad v.* Interdictum *art. 8. n. 2.* — De cessatione vero talis poenae post tempus elapsum vel post conditionem expletam v. *Thesaurus, de poenis eccles. p. 1. c. 26. §. Circa primum dubium.*

(5) Excipe tamen censuras latas a jure in aliquem locum vel in communitatem; locus enim et communitas foro poenitentiae non subjacent. — *Scav.* — *S. Lig. n. 322.*

Potest vero haec absolutio saltem a parocho etiam extra confessionem imperari, licet id contra hodiernam praxim

stat ex *c.* Nuper (29.) *de sent. excomm. (V. 39.)* — *S. Lig. n. 70.*

952. — IV. Episcopi ex privilegio a synodo Trid. (*c.* Liceat) concesso absolvere possunt ab omnibus censuris occultis *etiam Papae reservatis*(1),

---

fieret. — *Thesaurus, de poenis eccl. p. 1. c. 24. Resp. 1°.* — *Scav. t. 1. n. 1004.*

Qui vero sic pro foro interno absolutus est, in externo quoque tamquam censura non innodatus se gerere potest, dummodo poena non sit notoria. Tunc enim propter scandalum necesse est, ut de absolutione quoque publice constet, ad quod tamen sufficit, si sciatur, illum confessum esse habenti facultatem absolvendi, et satisfactio, si qua necessaria erat, publice exhibita fuerit. Attamen dicta absolutio per se non suffragatur pro foro externo, quamvis a judice etiam quoad hoc rata haberi possit. — Cf. *Suarez disp. 7. sect. 5. n. 25. et seq.* — *Layman l. 1. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 7.* — *Thesaurus l. c. c. 22. §. Prima differentia.* — *Reiffenstuel l. 5. tit. 39. n. 247. 248.* — *Ferraris ad v.* Excommunicatio *art. 8. n. 4.* — *S. Lig. n. 65. not. 2.; n. 70.*

Quoad privilegia tamen regularibus concessa absolvendi a reservatis (ita editor romanus) *Clemens X.* in const. *Superna §. 7.* statuit: „Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere poenitentes a censuris quoad externum et judiciale forum, et absolutos ab eis in foro poenitentiali utique non censeri absolutos in exteriori judicio et contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos et denuntiatos ab episcopis cogi posse, gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus fuerint absoluti.“ Quod idem cavet *Urbanus VIII.* (in const. *In specula militantis*) quoad eos, qui ex privilegio bullae Cruciatae sibi confessarium eligunt, a quo absolvantur a casibus etiam Papae reservatis. Quae tamen declaratio extendi non debet ad alia indulta, sed singulorum formulae inspiciendae erunt.

(1) Haec vero facultas episcopis pro absolutione „*in foro conscientiae*“ conceditur. Quaeritur itaque, *num appositio hujus clausulae ita restringat facultatem, ut in administratione sacramenti poenitentiae tantum adhiberi possit.*

Haud pauci id *negant*, inter quos praesertim *Sanchez (de matr. l. 8. disp. 34. n. 29.); Suarez (de censuris disp. 41. sect. 2. n. 11.)* et *Lugo (de fide disp. 23. n. 63. et seq.)*, cum forum conscien-

exceptis censuris expressis in bulla Coenae.(1) — *S. Lig. n. 75. et seq.* Quo tamen privilegio non gaudent episcopi illarum regionum, in quibus concilium adhuc receptum non est. — V. *Fagnan. in c.* Dilectus (15.) *de temp. ordinat. (I. 11.) n. 25.* — *Suarez, de fide disp. 41. sect. 2. n. 6.* — *Sanchez, in decal. l. 2. c. 11. n. 3.* — *Lugo, de fide disp. 23. n. 54.*

Insuper a censuris Papae reservatis etiam non occultis in favorem eorum, qui Romam pergere impediti sunt vel ad longum tempus, vel etiam in perpetuum, cujusmodi censentur senes, pueri, mulieres, infirmi, pauperes etc. Recole dicta de privilegiis episcop. in *tract. de statib. n. 124.* et in *tract. de poenit. n. 574. II.; n. 582.* — V. *S. Lig. n. 84. et seq.* Hinc a doctoribus communiter recipitur haec regula: Casus papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit episcopalis. Imo censet *Castropalao* cum *aliis nonnullis*, absolutionem censurarum in hoc casu non ad solum episcopum, sed ad quemlibet confessarium spectare, et haec sententia non videtur improbabilis.(1) — *S. Lig. n. 92.* — *Pichler l. 5. tit. 39. n. 14.* Sed hujusmodi absolutio dari nequit sive ab episcopo, sive ab alio quolibet sacerdote, nisi imposito poenitenti onere se sistendi superiori, ubi impedimentum cessaverit(2).

V. Omnes(3) sacerdotes *ex concilio Trid. sess. 14. c. 7.* a qualibet censura(4) utcumque reservata absolvere possunt eos, qui sunt in articulo mortis positi, sed cum onere se praesentandi superiori vel delegato, si convaluerint. Sunt tamen, qui opinantur, onus sistendi se superiori habere dumtaxat locum, quando censura est notoria aut res ad forum contentiosum deducta fuit aut lex ipsa talem obligationem statuit.(5)

---

tiae per se non idem sit, ac forum poenitentiae seu sacramentale, sed clausula solum exprimat, absolutionem concessam non suffragari pro foro externo, cum insuper decisiones *S. C. C.*, quae pro contraria sententia allegantur, quaestionem non enodent. Alii clausulam istam secundum qualitatem personae, cui potestas confertur, interpretandam esse ducunt, ideoque sacerdotem, cui facultas ita restricta conceditur, solummodo in sacramento poenitentiae absolvere posse, episcopum autem etiam extra illud, cum confessiones audire non soleat. — Ita *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 22. §. Secunda differentia; c. 24. Resp. 1. Amplia II.* Alii tantum *affirmative* respondent, innixi praesertim decisionibus *S. C. C.* apud *Garcias* et *Fagn. (l. 1. de temp. ordin. tit. 11. in c.* Dilectus (15.) *§. 35. 36.)*

Hanc affirmantem sententiam, cui inter alios ex recentioribus etiam *Bönninghausen (de irregul. fasc. 1. p. 48. not. 29.)* et *Pruner (de jurisd. c. 3. art. 4. 2. d.)* adstipulantur, veriorem existimamus, tum ob verba concilii „*in* foro conscientiae," tum quia decisiones *S. C. C.* aperte ipsi favent. — V. *S. Lig. n. 81.; de poenit. n. 593.*, ubi ad mentem sententiae affirmantis recte addit, episcopum hoc modo etiam exteros absolvere posse, cum ratione confessionis, quam peragunt, pro foro interno subditi evadant.

(1) Cf. *n. 574. II.*

(1) V. *n. 574. II. not. 3.*

(2) quando impedimentum istud perpetuis non adnumeratur. Absolutio enim ab impedimentis non perpetuis solummodo indirecta *(n. 575. not. 3.)* est, proinde pro absoluto onus manet comparendi postea coram eo, qui ordinaria vel delegata potestate absolvendi gaudet. — *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 24. Resp. 2.* — *S. Lig. n. 84. 88.* — Cf. etiam *not.* ad *n. 955. Quaer. 5°.* Neque recursus ille requiritur, si episcopus forte ex facultate a Tridentino per c. Liceat data absolverit. — *Schmalzgruber l. 5. tit. 39. n. 262.*

(3) Cf. *n. 550. Q. 6°.; n. 574. IV.; n. 579.*

(4) Excipiunt plures cum *Lugo (de poen. disp. 20. sect. 10. n. 203.)* suspensionem, cum haec susceptioni sacramentorum validae et licitae non obstet. — Cf. *n. 997. Quaer. 5°.*

(5) V. *n. 576. not. 1.*

Reincidunt vero in censuras, qui vel ob impedimentum non perpetuum per episcopum absoluti sunt vel in articulo mortis ab alio, quam a superiore vel delegato, absolutionem obtinuerunt, si, quando

Resolves:

953. — 1° Archiepiscopus vel etiam patriarcha (imo et legatus a latere), licet superior episcopo, nequit suffraganeorum subditos absolvere, nisi in solo casu justae appellationis aut visitationis ex officio, quia in aliis casibus non gaudet proprie dicta jurisdictione.

2° Superior ecclesiasticus vel delegatus absolvere potest, etsi non sit sacerdos. Ratio est, quia jurisdictio, quae requiritur ad absolvendum a censuris, residere potest in clerico etiam sola tonsura initiato.

3° Qui habet facultatem generalem absolvendi a papalibus, non ideo absolvere potest a casibus *bullae Coenae*, nisi id specialiter exprimatur, quia illae censurae sunt specialiter reservatae; specialia autem non continentur *per se* in concessione generali. Pariter, qui potest absolvere a casibus *bullae Coenae*, non ideo potest absolvere ab haeresi.(1) — Ita declavit *Bened. XIV.* — *S. Lig. n. 113.*

4° Facultas concessa ab episcopo pro peccatis reservatis non intelligitur pro reservatis cum censura; secus, si concessio facta sit a Papa, quia casus papales omnes sunt reservati cum censura, duobus exceptis, scilicet 1° accusatione falsa de sollicitatione contra sacerdotem(2); 2° acceptatione munerum notabilium a religiosis. Reputantur autem munera notabilia ea, quae decem scutatis aequivalent.(1) — V. *S. Lig., de poenit. n. 580. 693.*

---

oterunt, coram ipso superiore vel alio delegato non compareant. — *Thesaurus, de poenis eccl. p. 1. c. 24. Resp. 2. n. 4.; c. 25. sub initio.*

(1) Cf. *n. 981.*

(2) cum quis scil. „vel per seipsum incitantes confessarios impie calumniatur et sceleste procurat, ut id ab aliis fiat." — *Ben. XIV.* in const. *Sacramentum*, § qua supra *n. 589.* Haec reservatio usque ad mandantes quoque, consulentes et omnes, qui procurantes dici queunt, extendit.

Attende vero ad sequens decretum *C. S. O. d. d. 27. Junii 1866:* „SS. D. Pius PP. IX. .. decrevit, a facultatibus, quibus episcopi aliique locorum ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla *Benedicti XIV.*, quae incipit *Sacramentum poenitentiae.*" Reservantur vero in praedicta bulla 1° attentatio absolutionis personae complicis in materia turpi *(n. 584.)*; 2° falsa denuntiatio sacerdotis de sollicitatione. — *Act. vol. 2. fasc. 24. p. 673.*

(1) Ad hujus reservationis interpretationem, quae difficultate non caret, ita ut non defuerint, qui hunc casum reservatum esse negarent (cf. *Ferraris ad v.* Reservatio casuum *n. 14.*), haecce addimus:

1° Reservatio intelligenda est de acceptatione munerum *illicita.* Licite vero a regularibus munera etiam ex causa gratitudinis, conciliationis benevolentiae ejusque conservationis erga ipsam religionem aliisve causis ex sua natura actum virtutis continentibus tribuuntur, si tamen discrete et cum debita licentia dentur, ut constat ex bulla *Nuper Urbani VIII.*

2° Requiritur donum pertingens ad materiam gravem ideoque ad peccatum mortale.

3° Non reservatur peccatum acceptationis munerum. Hinc a quolibet confessario ille absolvi potest, de quo, licet nunc impotens sit ad restitutionem, confessarius tamen certior fit, eum ex animo paratum esse ad restitutionem peragendam, quam primum poterit.

4° Reservatur itaque solummodo condonatio vel compositio illius debiti. Pro hisce itaque recurrendum ad S. Sedem et, alterutra obtenta, is, qui restituere deberet, ab hoc onere liber erit, etsi postea ad pinguiorem fortunam perveniat. Attamen, si munera valorem decem scutorum (54 franc. incirca) non attingant, Poenitentiarius major juxta const. *Pastor bonus Bened. XIV.* sub *n. 26.* compositionem concedere poterit. — Cf. *Thesaurus, de poenis eccl. p. 2. ad v.* Munera c. *10.* — *Scavini tom. 3. n. 429.* (edit. 10ª.)

Huc facit etiam facultas inter triennales sub n. 6. episcopis Germaniae concessa, scil. „absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus, injuncta poenitenti, quando agitur de muneribus infra valorem decem scutorum, aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium

5° Danda est absolutio a censuris non tantum illis, qui certo vel dubie illas incurrerunt, sed etiam cuilibet poenitenti, antequam absolvatur a peccatis, ut removeatur accipiendi sacramenti impedimentum, si quod forte exsistat. — *Rit. rom.* Qua vero forma utendum sit, recole supra *n. 430.*(1)

Quaesita:

954. — Quaer. 1° *An possit absolvi absens?*

Resp. Affirmative, saltem *valide*(2). Ratio est, quia sicut poena potest statui in absentem, ita et tolli potest. Constat etiam evidenter ex jure can. — *S. Lig. n. 117.*

Quaer. 2° *An vero episcopus absens absolvere possit exsistentem in dioecesi?*

Resp. Affirmative juxta omnes. Ratio est, quia ad absolutionem non requiritur cognitio causae nec strepitus judicialis et proinde nihil obstat, quominus episcopus talem actum jurisdictionis in alieno territorio exerceat. Secus tamen, si judicialis strepitus quandoque requiratur(3). — *S. Lig. n. 21.*

955. — Quaer. 3° *An possit absolvi invitus?*

Resp. Affirm. Ratio eadem est ac ea, quam modo attulimus; etenim, sicut poena in absentem et invitum ferri potest, sic etiam auferri. Attamen id fieri non expedit sine ratione valde gravi et cavendo, ne, dum ille a contumacia non cessat, censura contemptui habeatur. — *S. Lig. n. 117.*(1)

Quaer. 4° *An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia inter eas non est necessaria connexio. Non possunt quidem absolvi peccata mortalia alia sine aliis; secus autem est de censuris, quarum absolutio non confert gratiam sanctificantem censurato. Habentur ergo instar catenarum, quarum aliae sine aliis solvi possunt.

Quaer. 5° *Utrum absolvi possit a censuris ille, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censurae subjacebat?*

Resp. Negative, saltem *per se* et generatim loquendo. — Constat ex declaratione *S. Poenit. d. d. 5. Julii 1857.*(2)

---

religionis, cui facienda esset restitutio, — dummodo tamen non constet, quod illa non fuerint de bonis propriis religionis: quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem vel constet, fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, praestita in manus absolventis obligatione restituendi infra terminum ejus arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia."

(1) Non requiritur ad valide absolvendum *per se* determinata verborum forma. Hinc absolvens utatur pro foro interno illa, quae jam in ipsa sacramentali absolutione habetur, pro foro externo autem illis, quae in rituali romano vel dioecesano describuntur. — Cf. *Rit. rom., de sacram. poenit.*

(2) si tamen absolutio non in actu sacramentalis confessionis danda sit.

(3) vel si facultas episcopo data in hoc forte restricta sit.

(1) Absolutio vi aut metu gravi injuste extorta non valet. — *Lugo, de just. disp. 22. n. 129.* — *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Absolutio *c. 9.; ad v.* Censura *c. 20.* — *S. Lig. n. 119. etc.* — Valori censurae imponendae autem metus non officit, si aliud essentiale non desit. — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 23.*

(2) Reparatio scandali publici dati, ad quam ceteroquin jam jus naturale obligat, aliquando in rescriptis, quae facultatem absolvendi a censura largiuntur, expresse exigitur. *S. Poenitentiaria,* interrogata de sensu clausulae, ut reparetur scandalum *„eo meliori modo quo potest"* (quae facultati absolvendi cooperantes ad usurpationem bonorum ecclesiasticorum inserta erat), quando retractatio a culpabili sine gravissimo damno coram testibus fieri nequit, haecce declaravit *die 5. Jul. 1857.*: „Sufficere ad retractationem istam, petere veniam ab Ecclesia laesa et reparare scandalum datum fidelibus, quod peragi debet cum prudentia et meliori modo, quo fieri potest, ut

Nota: Quidnam sit absolutio censurarum tum *ad cautelam*, tum *ad reincidentiam* facta et quinam sint effectus utriusque absolutionis, apud canonistas inquiratur. — V. *Casus consc. p. 2. n. 1122. et seq.*

---

gravia damna impediantur, quae pro poenitente exinde provenirent. Sufficere insuper, si retractatio fiat in manus episcopi et deponatur in cancellaria episcopali, ut ibi asservetur, aut in manus confessarii, ut eam transmittat episcopo ut supra, et dein prudenter et non sine discretione divulgetur. Si sermo sit de infirmis constitutis in vitae periculo, satis est retractatio dicto modo facta et sufficienter ante susceptionem viatici publicata. Si nondum facta sit, sufficit, si fiat coram confessario et duobus testibus, ut dein tradatur episcopo et publicetur post mortem infirmi. Ceterum S. Poenitentiaria non censet conveniens, admittere secreto ad participationem sacramentorum eos, qui non fecerunt retractationem ut supra" licet dispositi sint, eam facere urgente gravi morbo vel cessante periculo, ut supplendum ex quaestionibus S. Poenitentiariae propositis) „propter verum scandalum pusillorum, quod exinde pro fidelibus oriretur ex opinata pertinacia poenitentis in censura." (Ex ital. idiom.) — M. *Scav. tom. 4. n. 215.* (edit. 10ª.) Brevius vero eadem *S. Poenitentiaria l. d. 10. Dec. 1860* ad *quaesitum*, „quomam modo debeat reparari scandalum publicum ab iis datum, qui absolvi petunt a censuris', in quas his temporibus ceciderunt, quibus talis reparatio difficilis est et periculis obnoxia" respondit: „Reparationem scandali esse necessariam de iure divino eamque faciendam esse melori modo, quo potest, judicio ordinarii seu confessarii." — *Act. vol. 1. fasc. 9. p. 565.* sub *n. 27.*

Insuper absolutio danda non est in genere, nisi praestita satisfactione, ei, qui censura innodatus est ob crimen, propter quod alicui satisfactio debetur. *Illicite* enim id fieret, nisi per causam sufficiens cohonestaretur vel quandoque etiam exigeretur. Ejusmodi causae autem sunt impossibilitas satisfactionis per partem laesam vel recusatio justae compensationis per eandem vel impotentia rei ad satisfaciendum. — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 101.* — *Thesaurus, de poenis eccles. l. 1. c. 20. §. Differentia 4ª.* — *S. Lig. n. 127. 128.* Quod vero ad *validitatem* attinet, distinguendum erit, utrum censura reservatis adnumerari debeat necne. In *priore casu* ille, cui ordinaria potestas absolvendi a reservatis competit, valide absolvet. *Delegatus* autem invalide agit, nisi satisfactio laesi tamquam conditio absolutionis injuncta sit; disputant vero de ejus validitate, si, hac conditione non apposita, delegatus illicite absolutionem impertiat. *Schmalzgrueber l. c.* sententiam, quae negat validitatem, communiorem, oppositam autem adhuc probabilem censet. — A censuris autem *non reservatis* eum, cui de jure absolvere conceditur, valide absolvere existimamus. (Cf. *Suarez, de censuris disp. 7. sect. 5. n. 43.)* Attamen talis absolutionis pro foro interno datae ratio habenda non est a judice pro externo, si pars laesa rationabiliter reclamet vel si casus v. g. ob scandalum sine publico Ecclesiae praejudicio dissimulari nequeat. — *Thesaurus l. c. c. 22. §. Prima differentia.*

Quid vero, si facultati absolvendi v. g. a S. Sede concessae inserta sit clausula „satisfacta parte"? — Alii eamdem ut „formam et conditionem" appositam asserunt, ita ut hac forma non observata absolutio irrita sit, quia ablativus absolutus conditionem indicat, quam regulam *Benedictus XIV.* in *Inst. 87. §. Nos tamen* confirmat. Alii vero negant, clausulam ea solummodo exigentem, quae de jure communi ad liceitatem actus observanda sunt, conditionem importare, nisi delegans sufficienter id exprimat. — V. *S. Lig. n. 121.*; *de poenit. n. 537. Q. 7.* — *Sanchez, de matrim. l. 3. disp. 33.* Posset tamen posteriori sententiae opponi, hanc clausulam non *eodem modo* in jure contineri, cum ex jure, si absolvendus impotens sit statim satisfaciendi, cautio vel juramentum sufficiat (v. *infra*). Ceterum ejusmodi controversiae de intentione delegantis difficulter per privatam auctoritatem finiuntur. In particularibus casibus quaestio forte sufficienter ad certum redigi poterit, si non solum verba instrumenti perpendantur, sed insuper ratio habeatur finis, ob quem censura lata est vel delegatio concessa. Si v. g. censura in aliquem fulminata sit, eo quod debitam satisfactionem neget, sane clausula „satisfacta parte", sub qua potestas absolvendi conceditur, ut conditio habenda erit. Si vero ejusmodi facultas detur, ut fideles indulgentiam aliquam lucrari valeant, non videtur complecti illos saltem casus, in quibus poenitens impotens est ad satisfaciendum. Hinc bene *Suarez (l. c. n. 41.)*, loquens de facultate sub dicta clausula in jubilaeo concessa: „Nihilominus probabilius censeo . . . . . juxta negotii qualitatem et conditionem personae et alias occurrentes circumstantias considerandum esse, an poenitens possit

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

Nempe 1° de excommunicatione; 2° de suspensione; 3° de interdicto.

ARTICULUS I.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Agendum 1° de ejus natura et divisione; 2° de ejus effectibus; 3° de praecipuis excommunicationibus in particulari.

§. I.

De natura et divisione excommunicationis.

956. — *Definitio: Excommunicatio* est censura, qua quis privatur communione Ecclesiae, seu censura, qua christianus bonis spiritualibus Ecclesiae communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet, vel omnino vel ex parte privatur.

Distinguitur 1° *major*, quae privat omnibus bonis Ecclesiae communibus; 2° *minor*, quae bonis aliquibus tantum privat.(1)

Excommunicati excommunicatione *majore* alii dicuntur *tolerati*, quos

---

moraliter prius cum effectu satisfacere, quam absolvatur a censura, et tunc id praemittendum esse. Si vero non possit nec etiam absolutio differri possit nisi per multum tempus vel cum magno detrimento, tunc censeo posse absolvi, si satisfaciat eo modo, quo de praesenti potest, i. e. praestando cautionem vel pignoratitiam, si potest, vel juratoriam, si majorem non potest, et exhibendo talia signa poenitentiae et propositi, ut confessor probabiliter judicet, absolutionem et profuturam ipsi poenitenti, et non impedituram seu futuram occasionem, quominus comparata potestate postea satisfaciat." — Praecipitur tandem ex jure aliquando ante absolutionem a censuris, praesertim excommunicationibus, cautio vel juramentum. Ita in genere ante absolutionem a criminibus enormibus juramentum exigitur standi mandatis Ecclesiae i. e. similia de cetero non committendi; item ante absolutionem a censuris, si laesio intervenerit, ob quam culpabilis satisfacere tunc von valet, sufficiens cautio aut, si eam praestare non potest, juramentum, se, ut primum poterit, satisfacturum; ante absolutionem per episcopum elargiendam ob impedimentum adeundi S. Sedem, quod perpetuum non est, juramentum suscipiendi postea mandatum Apostolicum; ante absolutionem a censuris reservatis in articulo mortis, si fieri potest, juramentum comparendi coram superiore competente, standi mandatis Ecclesiae et insuper cautio vel juramentum satisfaciendi quam primum, si alicui debetur satisfactio, quae ante absolutionem exhiberi nequit. — Cf. *Rit. rom.*, *tit. de absolutione ab excommunicatione etc.* — *Suarez disp. 19. sect. 2. n. 10.* — *Thesaurus l. c. p. 1. c. 22. §. An autem;* c. 24. *Resp. 2. et 4.* — *Pruner, de jurisdict. c. 3. art. 4. n. 3. 4.* Non constat vero, utrum praedicta juramenta et resp. cautiones pro solo foro externo praecipiantur, an etiam pro foro conscientiae; per eadem enim novae obligationes non enascuntur, sed eae tantum, quae jam subsistunt, confirmantur. — *Thesaurus l. c. c. 22. etc.* Cum tamen auctores consentiant, omissionem harum solemnitatum validitati absolutionis non obstare, nisi agatur de casibus in *bulla Coenae* contentis et promissio standi mandatis Ecclesiae etc. ex malitia poenitentis non praemittatur (*Giraldi, Expos. J. P. p. 2. sect. 39. §. Item monitos*) vel clausula juramentum etc. exigens tamquam conditio facultati absolvendi apposita sit, haec obligatio, utpote validitatem non attingens et dubia, praeter dictos casus non urgebit. Affert vero *Suarez disp. 7. sect. 5. n. 43.* sententiam *Navarri*, licet in rescripto Papae exprimatur, ut absolutio secundum formam juris detur, actum tamen etiam non servata hac forma valere, quia intentio Pontificis non est, inducere novam formam, sed solum admonere commissarium de eo, quod secundum jus facere debet etc.

(1) Nomine *excommunicationis* fere semper in jure intelligitur *major*, ut notat cum communi etiam *S. Alphonsus n. 133.*; ante *Gregorium IX.* tamen subinde veniebat etiam *minor*. — V. *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 119.*

Vox autem *anathema* usurpatur in sacris canonibus modo ad distinctionem excommunicationis *minoris*, ut in c. Engeltrudem (12.) *caus. 3. q. 4.*, modo ad significandam excommunicationem inflictam ob haeresim vel ejus suspicionem, modo denique ad significandas quasdam solemnitates, cum v. g. excommunicatio denuntiatur accensis candelis et postmodum exstinctis aliisque caeremoniis ab Ecclesia institutis. — *Schmalzgrueber l. c. n. 117.* (Not. edit. rom.)

ı non tenentur vitare; alii *non* :ti seu *vitandi*, quos fideles vitare tur.(1)

)lim omnes, qui excommunicatione ntur, *vitandi* erant (i. e. interdice- fidelibus communicatio cum ipsis actibus, qui excommunicatis per ram prohibiti sunt), et quidem vi- *publice*, si de censura notorie con- ; secus vero *privatim* ab iis, qui nt, aliquem censura innodari. — Cum non (14.) *de sent. excomm. 9.)*

„ad vitanda scandala et multa pe- , quae conscientiis timoratis con- e possunt", constitutio *Ad vitanda ini V.* in concilio Constantiensi (quae tutio non inter decreta concilii, sed rticulo 7°. concordati inter *Marti- V.* et nationem Germanicam in dicto io initi habetur), Christi fidelibus it communionem etiam in divinis ıcumque cum iis, qui quacumque ra ecclesiastica innodantur, nisi 1° ntia vel censura hujusmodi fuerit ontra personam, collegium, univer- n, Ecclesiae communitatem vel lo- ertum vel certam a judice publicata lenuntiata specialiter et expresse", isi haec denuntiatio a judice fiat so nomine proprio aut aliquot ap- ı signis, quae certe et absque dubio qui excommunicatur, significent et ıstrent (*Fagn. in c.* Quod (1.) *ıismat. [V. 8.] n. 47.)*; vel 2° nisi ercussores alicujus clerici, quos in ımunicationem „latam a canone adeo e constiterit incidisse, quod factum ossit aliqua tergiversatione celari aliquo suffragio excusari." Cum decretum *Martini V.*, utpote sci- imo approbante S. Sede ubique re- n, ut validum habendum sit, quamvis a concilii Basileensis (v. *Fagn. l. 45.)* et Lateranensis V. illud icent, hodie illi soli vitandi sunt, ıos indultum *Martini V.* non se lit. — Cf. *Ben. XV., de syn. l. 12. n. 4.* — *Kober, Der Kirchenbann §. 1. p. 246. et seq.*

ımen notandum:

Praefatum decretum communionem ndulget iis, qui censurae subjacent, ipsius constitutionis verbis „*Christi ıus* . . . misericorditer indulgemus" itur et interpretes communi senten- entur. — Cf. *n. 969. 2°. not. etc.*

Licet fidelibus jam nulla lege *ec- ıstica* prohibitum sit, toleratis etiam ıris consociari eosdemque ad tales requirere, quandoque tamen lex

Quaesita:

957. — Quaer. 1° *An, ut vitari debeat excommunicatus vitandus, oporteat, ut publice notus sit quatenus talis?*

Resp. Affirmative. Non enim sufficit, ut scias, esse vitandum, sed requiritur adhuc, ut factum istius excommunicationis sit vere notorium eo sensu, quod ipse a judice competente fuerit nominatim et publice excommunicatus, vel denuntiatus ut jam excommunicatione ligatus. — *S. Lig. n. 137.* Ille vero est nominatim excommunicatus, qui expresso nomine designatur verbis aut signis adeo indubiis, ut ab aliis omnino secernatur. — *S. Lig. n. 136.*

Advertendum vero est, quod, licet

---

naturalis vel *divina* tali communicationi obstabit ob laesionem prudentiae et caritatis v. g. per scandalum, quod praebetur; per damnum spirituale, quod fideli imminet; per retardationem emendationis excommunicati etc. — Cf. etiam *n. 233. Q. 4°.; n. 964. 3°. not.*

3° Communiter asserunt auctores, excommunicatis toleratis licere cum fidelibus communicare, *si ab hisce expresse vel tacite requisiti fuerint.* — V. *S. Lig. n. 169. etc.* Hinc quaestio, an per ejusmodi requisitionem excommunicatis illimitate facultas fiat cum fidelibus communicandi. Varias sententias hac de re v. apud *Bönninghausen, tract. de irregular. fasc. 1. p. 169. et seq.* (Cf. etiam infra *n. 966. 2°.)*. Juxta actualem vero Ecclesiae disciplinam eam solum sententiam tutam censemus, quae asserit, vitandis requisitis saltem quoad munia sacra *(n. 969. 2°. not.)* tunc tantum (et praemissa quidem, si opus fuerit, contritione) communicationem permitti, si gravis causa urgeat, censuratus hic et nunc absolutionem obtinere nequeat et alius, censura non ligatus, qui fidelibus satisfacere possit, non adsit. Hinc v. g. *S. Congr. de Propaganda Fide* ad quaesita vicarii Apostolici Tunkinensis *d. d. 21. Jan. 1789.* respondit sub 2°: „sacerdotem suspensum vel interdictum nullo umquam tempore administrare posse baptismum cum solemnitatibus, sed, quando propter necessitatem urgentem debeat baptizare, baptizet privatim." — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1704.* Itaque, quae in sequentibus de censuratis requisitis asseruntur, in hoc sensu interpretanda erunt.

non tenearis vitare excommunicatum non denuntiatum, potes tamen eum vitare, etiam publice, si publice notus est ut excommunicatus. — *S. Lig. n. 137. not. 3.*

Excipitur autem, qui sacrilegas manus in clericum injecerit, ita ut ejus delictum neque aliqua tergiversatione celari, neque ullo pacto excusari possit. Hinc statim, et ante ipsam judicis sententiam, incurrit excommunicationem atque vitari debet. — Ita expresse *Martinus V.* in constit. *Ad vitanda.*

Quaer. 2° *Quid de excommunicatione* minori *tenendum sit?*

Resp. Haec pauca teneto:

1° Non incurritur, nisi propter *communicationem*(1) cum vitando. Hinc in praesenti Ecclesiae disciplina rarissima est, cum valde raro excommunicati vitandi appareant(2).

2° Privat tantum perceptione sacramentorum(3) et electione passiva ad beneficia et dignitates Ecclesiae. Hinc non privat facultate administrandi sacramenta et proinde neque *graviter* peccat, neque *probabilius venialiter*, qui irretitus tali excommunicatione sacramenta ministrat.

3° Quilibet sacerdos ab episcopo approbatus ab illa absolvere potest(4). Sic enim usus invaluit. — *Ita omnes.*

958. — Quaer. 3° *An requiratur culpa gravis ad incurrendam excommunicationem minorem?*

Resp. Negative, sed sufficit culpa venialis(1) plene deliberata. Ratio est, quia non privat bono adeo notabili et facillime illius absolutio obtineri potest a quocumque sacerdote. Non tamen omitti potest in confessione culpa illa, ob quam illata est excommunicatio minor, licet sit venialis, quia sacramenti perceptionem impedit. — *S. Lig. n. 153. 154.*

Nota: Cum nihil occurrat addendum de excommunicatione minori, in decursu hujus tractatus agemus tantum de excommunicatione *majore,* quae sola proprie nomine excommunicationis communiter intelligitur.

§. II.

De effectibus excommunicationis.

959. — Effectus excommunicationis octo numerantur, scilicet 1° privatio sacramentorum; 2° privatio divinorum officiorum; 3° privatio suffragiorum Ecclesiae; 4° privatio sepulturae ecclesiasticae; 5° privatio jurisdictionis ecclesiasticae; 6° privatio beneficiorum; 7° privatio communicationis forensis; 8° privatio societatis civilis.(2)

---

(1) illicitam in divinis vel in civilibus — Aliquando tamen ejusmodi communicatio cum vitando etiam excommunicatione majore punitur. — *S. Lig. n. 199.* — *Thesaurus, de poen. eccles. p. 2. ad v.* Censura *c. 4. III. IV.* — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 128.*

(2) nisi forte alicubi ob percussionem clericorum. — Cf. *S. Lig. n. 265. et seq.*

(3) Ligatus hac censura peccat graviter, si absque justa causa sacramenta recipit; irregularitatem tamen non incurrit, etsi simul sacramentum administraret. — *Voit p. 2. n. 1424.* — *C.* Si celebret (10.) *de clerico excommunicato (V. 27.)*

(4) pro foro interno; pro externo autem quivis ordinarius judex ecclesiasticus. — *Voit l. c.*

(1) „Hoc intelligendum censeo de peccato veniali ex levitate materiae, ut quia communicatio parva est in aliqua salutatione aut colloquio aut communi mensa. At vero, si peccatum sit veniale ex imperfecta deliberatione et advertentia, probabilius mihi videtur, tunc non incurri censuram, quia ille non est actus perfecte humanus et consequenter illa non est inobedientia neque contumacia proprie dicta, sine qua non incurritur censura, servata proportione ad ejus causam et materiam." — *Suarez disp. 24. sect. 3. n. 3.* (Not. edit. rom.)

(2) Praeter hosce effectus, qui, si illos sub 6° apte definias, *immediati* sunt, alii habentur *mediati* seu *remoti,* ut adnotat *editor rom.,* scilicet

1° Irregularitas, quae ob violationem censurae incurri potest (v. *n. 1034.*).

2° Suspicio haereseos, „quam ille incurrit", ita editor rom., „qui toto anno contumaciter in excommunicatione persistat seu *insordescat.* Ratio, quia hic praesumitur male sentire de potestate Ecclesiae, dum nihil curat de censuris ab ipsa latis et de sacramentis, quae contra Ecclesiae praeceptum ab eo omittuntur. — V. *Bonacina disp. 2. q. 2. p. ult. n. 2.* — *Suarez disp. 17. sect. 1. n. 6.*

ibus privat excommunicatio,
lis comprehenduntur:
ritus, communio, crypta, potestas,
a, forum, civilia jura vetantur.

ivatio sacramentorum.

Excommunicatio privat tum
menta recipiendi, tum ea
ıdi. Hinc resolves:
viter peccat per se excom-
sive vitandus, sive etiam

inet illud *synodi Trid. (sess.*
c. *3.)*: „Si obdurato animo
nexus in illis per annum in-
iam contra eum tamquam de
ectum procedi possit.“ Quod
oix l. 7. n. 287., quem se-
Alphonsus n. 157., abs re
l censuras omnes; nam con-
di expresse spectat *excom-*
Duo autem sunt advertenda.
t, hoc intelligendum esse de
atis denuntiatis nominatim. —
ıvias in c. Alma *p. 1. §. 7.*
Sayrus, de cens. l. 2. c. 10.
Marius Alterius, de cens.
8. c. 3. — *Ugolinus, de*
1. c. 14. §. 3. n. 34. etc.
t, hanc suspicionem esse *le-*
ıfficiat ad indicendam reo pur-
— V. *Schmalzgrueber l. 5.*
195.“
itatus in causa criminali sub
nmunicationis insordescit per
oro canonico sententia defini-
ım contumax damnari potest
victo in absentia habetur. —
de poenis p. 2. ad v. In-
sub *III.*
io beneficiorum, de qua ita
l. c. sub *V.*: „Communis
net, non induci per insorde-
ı censura excommunicationis
onis per annum) privationem
jure, nisi sit excommunicatus
cui ipso jure sit adnexa pri-
ınc requiri sententiam decla-
nodsi erat crimen, ob quod
it privandus, tunc ob insor-
posse per sententiam privari;
ın erat crimen privatione di-
ipse post annum ob insorde-
atus a s. officio, ut suspectus
fuit contumax, tunc privan-
ntentiam ut haereticum prae-
— Plura v. apud *Thesaurus*

toleratus, qui sacramenta recipit(1) vel confert; excipe: 1° si sacramenta conferat in casu necessitatis(2); 2° si toleratus ea conferat ab ipsis fidelibus rogatus(3).

2° *Graviter* peccant Ecclesiae ministri, qui sacramenta conferunt excommunicatis sive vitandis, sive sim-

---

(1) *Valide* tamen eadem recipit praeter sacramentum poenitentiae, nisi ad hoc absque culpa et ceteroquin dispositus accedat (cf. etiam *n. 430. Q. 7°.)*; imo et *licite*, si, alias dispositus, versetur in ignorantia invincibili vel malum grave (uti occisio, mutilatio, infamia, gravis jactura bonorum etc.) secus immineat, modo non incussum sit in contemptum censurae. — *S. Lig. n. 158. 159.* Ex illicita vero receptione nullam poenam incurrit, praeter suspensionem ab ordine, si eum in hoc statu suscipiat. — *S. Lig. n. 160. not. 2.* — Infra *n. 999. 1°.*

(2) (v. g. si secus verum et grave incommodum pro ipso timendum sit) vel cum ignorantia prohibitionis. — Cf. *S. Lig. n. 170.* Attamen in priori casu etiam scandali ratio habeatur; recolantur praeterea pro similibus circumstantiis dicta sub *n. 208. Q. 3°.*

Ceteroquin etiam extra casum necessitatis *valide* sacramenta confert, si excipias sacramentum poenitentiae a vitando collatum illi, qui in periculo mortis non versatur. — *S. Lig. n. 167.* — Cf. *n. 966. 1°.*

(3) Cf. *n. 956. not.*

In gravissima vel extrema necessitate autem etiam a vitando sacramenta petere licet, prouti ab ipso tunc, si aliud non obstet, licite administrantur etiam sine petitione, modo alius minister magis idoneus non adsit. — *S. Lig. n. 172.; de sacr. in gen. n. 88.* — Supra *n. 233. Q. 5°.*

Sed quaenam sacramenta vitandus sub his adjunctis in articulo mortis conferre potest? Competit ipsi tunc administratio poenitentiae *(n. 550. Q. 6°.)* et, si de hujus validitate dubium sit (v. *n. 692. II°. Sent. not.)*, etiam eucharistiae vel extremae unctionis. — *S. Lig. de sacram. in gen. l. c.* — Cf. *n. 192. Q. 2°.* Non desunt tamen graves auctores, qui affirment, praeter sacramentum poenitentiae etiam eucharistiam (vel, ut addit *editor romanus*, extremam unctionem) a vitando conferri posse, et hanc sententiam benignitati Ecclesiae magis consonam censemus. — V. *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 146.*

pliciter toleratis, saltem per se(¹), cum sint indigni. Attamen non peccat contra prohibitionem Ecclesiae, sed tantum contra jus divinum ille, qui confert sacramenta solis toleratis. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius communionem, etiam in divinis, cum toleratis. Peccant autem contra jus divinum, quia non licet umquam *dare sancta canibus*. — V. *S. Lig. n. 158. 165. et seq.*

(¹) nisi scil. excommunicatus forte licite sacramenta petat vel administrans per circumstantias excusetur.

Addimus decisionem *S. Poenitentiariae d. d. 5. Jul. 1857.* ad instantiam pastorum italicorum editam, quae de adsistentia matrimonio excommunicati praestanda (v. *n. 848. Q. 3°.*) agit. „Parochus vocatus, ut adsistat matrimonio publici et notorii excommunicati, prius in id curam impendere debet, ut nuptias celebraturos dehortetur et impediat aut suspendat matrimonium, donec excommunicatus cum Ecclesia reconciliatus sit. Si vero operam frustra consumat et aliunde gravia scandala instent, vel pericula pro parocho cum damno ipsius parochiae immineant ex ulteriore adsistentiae suspensione, parochus licite in tali casu matrimonio publici et notorii excommunicati adsistere poterit. Pariter episcopus, concurrentibus ejusmodi circumstantiis et necessariis cautelis adhibitis, parocho permittere poterit, tali matrimonio adsistere.“ (Ex ital. idiom.) — *Scav., de censuris annot. Q. in fine tract.* (in edit. 10ª. *tom. 4. n. 215. Q. 2.*). Sub *10. Dec. 1860.* vero idem s. tribunal respondit: „Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur. At si reconciliari recusent et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, parochus ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a *S. Alphonso, de sacr. in gen. n. 54.* traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper missae celebratione.“ — *Act. vol. 1. fasc. 9. p. 563. n. 18.* — *Scav.* in edit. 10ª. *t. 4. n. 223. n. 18.* Ceterum parochus excommunicatus valide et licite alium ad adsistendum matrimonio deputat. — *S. Lig. n. 166.*

II. Privatio divinorum officiorum.

961. — Per officia divina intelliguntur missa, publicae processiones, vesperae solemniter decantatae, solemnis benedictio, consecratio chrismatis et similes caeremoniae, quae fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiae, vel quae propriae sunt ordinis clericalis, ut cantus epistolae vel evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica.

Hinc resolves:

962. — 1° Quilibet excommunicatus prohibetur sub gravi ab auditione missae omnibusque aliis divinis officiis proprie publicis(¹), etiam diebus praeceptis. — Constat ex *c.* Alma (24.) *de sentent. excomm. in 6°. (V. 11.)* — *S. Lig. n. 175.*

2° Potest tamen excommunicatus etiam vitandus(²) orare in eodem

(¹) Quodsi publicus excommunicatus, illicite missae adsistens, a celebrante monitus ecclesiam non deserat, excommunicationem incurrit Papae reservatam et etiam vi expelli potest, quamvis, ut adnotat *Giraldi*, „ecclesia non sit custodienda more castrorum“. — *Thesaurus, de poenis eccles. p. 2. ad v.* Censura *c. 10.*

Si vero vitandus, hisce non obstantibus, in ecclesia remanet, cessandum est ab officiis et missa quoque, quam vitandus audit, canone nondum incoepto interrumpenda. Canone autem incoepto celebrans potest vel missam abrumpere vel etiam prosequi; adstantes tamen illud sacrum audire saltem sub veniali prohibentur. Consecratione tandem peracta sacerdos, solo ministro manente, usque ad communionem inclusive pergat et reliqua in sacristia vel alio decente loco perficit. — V. *S. Lig. n. 176. 177.*

A fortiori excommunicatus a *celebratione* divinorum officiorum prohibetur, nisi sit toleratus et ad hoc requisitus (modo aliud impedimentum non obstet) vel nisi ignorantia aut grave damnum ipsum excusent. — *Scav.*

Ceterum obligatur excommunicatus inferre impedimentum istud, ut praecepto audiendi missam diebus festis satisfacere queat, si absque gravi incommodo fieri potest. — *Scav.* — *S. Lig., de 3. praec. dec. n. 325.*, licet *de censuris n. 161.* contrarium asserere videatur.

(²) tempore, quo non celebrantur divina —

loco, in quo alii orant, sed seorsim seu omnino separatus a coetu fidelium; potest etiam interesse concioni, lectioni scripturae sacrae et theologiae(1), quia haec non veniunt nomine officiorum divinorum et haec Ecclesia libenter ei permittit, ut ad conversionem inducatur. — *S. Lig. n. 174. 177.*

3° Potest etiam uti imaginibus, reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus sacris, ut gratias, quibus indiget, obtineat. Non tamen lucratur indulgentias rebus sacris adnexas, nec percipit ex aqua benedicta et aliis sacramentalibus fructum, qui ex benedictione Ecclesiae provenit. — *S. Lig. n. 174.*

4° Excommunicatus, ad horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur, sed eas privatim recitare debet; nec socium adhibere potest, nisi sit toleratus(2). Nec potest dicere: *Dominus vobiscum*, sed ejus loco dicere debet: *Domine, exaudi orationem meam.* Attamen dicendo *Dominus vobiscum* venialiter tantum peccaret. — *S. Lig. n. 178.*

III. Privatio suffragiorum communium Ecclesiae.

963. — Suffragia Ecclesiae sunt vel communia, vel privata.

Suffragia *communia* ea sunt, quae fidelibus proveniunt ex bonis operibus nomine Ecclesiae factis ab ejus ministris, ut sunt oblatio sacrificii, horae canonicae aliaeque orationes et opera, quae fiunt ab Ecclesiae ministris, prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiae aguntur. Ad haec etiam revocari debent satisfactiones Christi, B. Virginis et sanctorum, quae thesaurum Ecclesiae constituunt et a praelatis Ecclesiae per indulgentias applicantur.

Suffragia *privata* ea sunt, quae proveniunt ex bonis operibus, quae fideles proprio nomine peragunt. Talia sunt jejunia, orationes aliaque bona opera, quae a privatis fidelibus vel Ecclesiae ministris ceu personis privatis fiunt.

Hinc resolves:

964. — 1° Excommunicati *vitandi* privantur omnibus suffragiis communibus Ecclesiae. Perspicuum est ex eo, quod Ecclesia in jure suo prohibet, ne pro illis oretur vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat. Et hoc valet, etiamsi essent contriti et in meliorem vitam conversi, quia adhuc excommunicatio perdurat. — *S. Lig. n. 163.*

2° Neque *tolerati*, neque etiam *vitandi* privantur suffragiis privatis. Ratio est, quia non prohibentur fideles orare privatim pro excommunicatis, etiam in ecclesia et loco publico; ergo applicationem suorum bonorum operum eis facere possunt. — *S. Lig. n. 162.*

3° Excommunicati *tolerati* non privantur suffragiis communibus. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius fidelibus, communicare cum talibus excommunicatis, ut deducitur *ex dictis supra.* — *S. Lig. n. 164.*(1)

---

(1) Privatur autem facultate concionandi et legendi in theologia vel in jure canonico. — *S. Lig. n. 177.* — *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 132.*

(2) et requisitus.

Addit *editor romanus* cum *Schmalzgrueber l. c. n. 131.*: „Etiamsi non sit toleratus, potest socium ex aliqua necessitate vel utilitate vocare, praesertim si hic ei subditus sit, ut episcopo capellanus, servus domino etc.; nam hic non privatur communione domini sui, in quibus inservire ipsi tenebatur.“

(1) Dum agitur de spiritualibus bonis, quae Ecclesia praeter sacramenta fidelibus largitur, per preces scil., quae nomine Ecclesiae pro fidelibus fiunt, per indulgentias etc., distinguendum erit. Illa bona vel immediate, expletis conditionibus praescriptis, fidelibus conceduntur, uti indulgentiae, quas fideles ipsi, opera injuncta peragendo, lucrantur, vel potestas fit certis personis, eadem fidelibus applicandi, uti preces, quae nomine Ecclesiae ab ejusdem ministris funduntur. Bona

IV. Privatio sepulturae ecclesiasticae.

965. — Sepultura ecclesiastica ea est, quae fit in loco sacro seu ad sepulturam fidelium benedicto. Hinc:

1° Excommunicatus *vitandus* privatur sepultura ecclesiastica, ita ut

---

prioris generis excommunicati etiam tolerati non participant, uti ipse auctor *n. 962. 3°.* innuit; cum enim Ecclesia per const. *Ad vitanda* solis fidelibus indulgere voluerit, praesumi nequit, superiores, qui per potestatem clavium bona illa largiuntur, eorumdem etiam excommunicatos participes reddere velle. — V. *Suarez disp. 12. sect. 3. n. 6. et seq.* A bonis vero secundi generis toleratos excludi, hodie nullo firmo argumento ostendi potest. Ecclesia enim illimitate fidelibus potestatem fecit, in „quibuscumque" sacris cum toleratis communicandi; hinc jam nulla lex *ecclesiastica* obstat, quominus fideles, ideoque etiam ministri Ecclesiae qua tales, eadem toleratis applicent. — *S. Lig. n. 164.* Ordinarie tamen lex *divina* talem communicationem *publicam* prohibebit, saltem ob contemptionem et despicientiam censurarum, quae sane inde proveniret. (V. *n. 956. not.*)

Hoc potiori jure ad eos excommunicatos extendendum, qui sectae alicui haereticae vel schismaticae adscripti sunt. Licet enim dubitari nequeat, eosdem communiter toleratis adnumerari debere, Ecclesia tamen communicationem in divinis cum ipsis illicitam in genere semper censuit, cum per eam fere semper jus divinum vel naturale laedatur ob periculum perversionis vel participationis in ritu haeretico aut schismatico vel ob periculum et occasionem scandali. Hinc *S. Congr. de Propaganda Fide* in *Instructione pro missionariis orientis anno 1729.* asserere non dubitat, „posse quidem *speculative* casus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam (cum haereticis et schismaticis) in divinis tolerare liceret; sed *practice* circumspectis omnibus facti circumstantiis difficillime casus inveniri, in quibus ea communicatio licet." Cf. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 926.* Quibus inhaerens etiam *Benedictus XIV. (de syn. l. 6. c. 5. n. 2.)* docet, vix umquam ex gravissima et urgentissima causa catholicis licere, ab haereticis toleratis sacramenta recipere. Sic v. g. *Lacroix (l. 6. p. 1. n. 282.)* et *Voit (p. 2. n. 161.)* non improbabile censent, parentes catholicos, ad ministrum haereticum deferentes prolem, ut baptizetur, non peccare, quando ad hoc gravissimis poenis adiguntur. Contradicit quidem *S. Lig. (de bapt. n. 117. dub. 5.)* ob declarationem praesertim *Clementis VIII.*, non licere extra necessitatem extremam ne a schismaticis quidem petere sacramenta (V. *Pignatelli t. 7. consult. 41. n. 1.*). At non est proprie petitio sacramenti, ubi notoria coactio intervenit. Recte tamen *Lacroix ib.* docet, hoc neque ob metum mortis ad sumptionem eucharistiae extendi posse. — Cf. etiam *Anal. J. P. ser. 8. col. 1703. n. 183.* Quoad adsistentiam ad matrimonia haereticorum v. *S. Lig., de sacr. in gen. n. 54. §. Praeterea satis* et *Layman l. 5. tr. 10. p. 2. c. 4. n. 8.*

Juxta haec principia ad aliud quaesitum respondendum erit, *an* scil. *licitum sit, pro excommunicatis toleratis, etiam haereticis, missae sacrificium offerre.*

Nullum quidem dubium, posse pro iisdem *indirecte* offerri, v. g. pro eorum conversione, pro fidei propagatione etc., cum et pro vitandis id liceat, „quatenus eorum bonum resultat in Ecclesiae dilatationem", ut ait *Lugo, de euchar. disp. 19. n. 188.*

Sed num etiam *directe et in particulari* pro aliquo excommunicato? Distinguunt auctores *(Lugo l. c. n. 122. 185. — S. Lig., de euchar. n. 308. — Anal. J. P. ser. 6. col. 1542. n. 12. 14. etc.)* quoad hoc augustissimum sacrificium ea, quae sacerdos nomine Christi et Ecclesiae, et ea, quae ipse suo nomine facit. Ea, quae nomine Christi facit, essentiam sacrificii proprie dicti complectuntur; nomine vero Ecclesiae peragit caeremonias funditque preces, quas Ecclesia pro celebratione hujus sacrificii praecipit. Opus bonum et meritorium autem, quod sacerdos litando ponit, ad ipsius personam qua talem pertinet; idem quoad orationes inter *Memento* asserunt *Lugo (l. c. n. 185. sub fine), Kober (Der Kirchenbann cap. 6. §. 1. p. 279.) etc.*, licet aliqui contradicant *(Anal. J. P. l. c. n. 11.)*. Ea porro, quae sacerdos proprio nomine facit, vel pro excommunicatis vitandis applicari possunt *(Anal. J. P. l. c. n. 12.* — Supra *n. 964. 2°.)*. Sed etiam sacrum, quatenus nomine Christi et Ecclesiae offertur, pro toleratis applicare, aliqua lege *per se* prohiberi, non constat. — *Lugo l. c. n. 187. et seq.* — *S. Lig. n. 164.*; *de euchar. n. 309.* — *Anal. J. P. l. c. n. 16. 17.* Aut id publice i. e. aliis scientibus facere, illicitum existimamus ob pericula, de quibus supra. Hinc Ecclesia, licet adsistentiam ad matrimonia mixta non indiscriminatim prohibeat, tamen cavet, ne tali occasione missa celebretur. — V. *n. 960. 2°. not.*

n loco sacro sepeliri; si vero
co sepultus fuerit, ejus ca-
ui debet, si adhuc fieri
et locus sacer tali contactu
expiandus est. — *S. Lig.*

uidem *a fortiori* asserendum
. missas pro iis offerendas, qui
erodoxae nomen dederunt.
ctrinae non adversantur, quae
corpore juris allegari posse vi-
21. caus. 13. q. 2. — c. Sic-
] *de haeret. [V. 7.]* — c. A
] *de sent. excomm. [V. 39.])*
e in literis *S. P. Gregorii XVI.*
Febr. 1842. ad episcopum
m *(Der Katholik tom. 5. 1852.*
- *Archiv für kath. Kirchen-*
3. fasc. 6. p. 387.) et *d. d.*
42. ad praesidem monachorum
rr *(Probst, Exequien p. 148.*
J. P. ser. 4. col. 2391.) ha-
i qua posteriore epistola Pon-
ctissimis insistens Ecclesiae re-
pondet, non sufficere ad coho-
i *publicum* funus, quod pro
persona nominatim postulatum
ejus obitu aut annua die cele-
ioc fiat cum intentione, divinum
i seu alias preces offerendi pro
ex universa illa familia de se
addens: „Nec enim permittere
ut ullo modo fraus fiat prohi-
, *quae in catholica ipsa do-*
ititur, de sacro funere pro de-
atholicis non celebrando.“ Ne-
rsatur decisio *S. C. R.*, quae
um: „An liceat, in die anniver-
us principissae ad protestanti-
m pertinentis celebrare missam
n defunctorum regiae familiae“
Mart. 1859. resp.: „*Non li-*
detur exemplar epistolae in
evis S. M. Gregorii XVI. d. d.
1842.“ *(Falise, S. R. C. de-*
Missa §. 1. Missa, a quibus
rari nequit n. 14.) Haec, in-
i adversantur, cum vel ante con-
nstantiense statuta sint, vel fo-
num, quin etiam funera publica,

vero concilium (Constant.) non
favere ipsis excommunicatis,“
l. c. n. 191., „parum refert,
unt tamen indirecte juvari ex
bis praestito, ut possimus abs-
ulo cum eis communicare, nec
in sacris vel profanis eos vi-
nobis directe concilium indulsit.“
i. 1014. not.

2° Excommunicatus *toleratus*(1) pariter sepultura ecclesiastica privatur et, si in loco sacro fuerit sepultus, inde extrahendus est.(2) Attamen locus ille sacer non censetur pollutus, nec proinde expiandus est.

3° Attamen excommunicatus etiam *vitandus*, qui signa poenitentiae dedit ante mortem, sepeliri potest in loco sacro; sed antea absolutio est ei impertienda. Non debet tamen e loco sacro moveri, si absque absolutione sepultus sit. — *S. Lig. n. 186.*

4° Clerici, qui efferunt ac sepeliunt *vitandum*, excommunicationem majorem incurrunt. — Sic ex *Clementina de sepulturis.*(3) — *S. Lig. ibid.*(4)

V. Privatio jurisdictionis ecclesiasticae.

966. — 1° Excommunicatus *vitandus* omni jurisdictione ecclesiastica privatur. Unde non potest absolvere in foro poenitentiae, nec leges aut censuras aut sententias ferre, nec eligere ad beneficia aut ea conferre etc. Si autem talia ageret, nulla prorsus et irrita forent. — *S. Lig. n. 185.*

2° Excommunicatus *toleratus*, etsi *notorius*, valide jurisdictionem exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur, quamquam ejusdem acta per exceptionem seu oppositionem excommunicationis infirmari ac repelli possint.(5) Illicite tamen agit extra casum necessitatis aut nisi rogatus fuerit, et in re gravi a peccato mortali excusari nequit. Si autem rogatus fuerit, non peccat, etiamsi sacra-

(1) dummodo sit notorie excommunicatus — *Ferraris ad v.* Sepultura *n. 202.*
(2) V. *Anal. J. P. ser. 6. col. 1557.* — Cf. etiam *n. 964. 3°. not.*
(3) „Eos, qui propriae temeritatis audacia . . . excommunicatos publice . . . scienter sepelire praesumant, decernimus ipso facto excommunicationis sententiae subjacere.“ — Ita c. Eos, qui (1.) *de sepult. in Clement.* (III. 7.) — V. *n. 977. 5°. not.* Pro interpretatione ejusdem cf. praeter *S. Lig. l. c.* — *Thesaurus, de poenis eccles. p. 1. c. 41. §. Adverte etiam; p. 2. ad v.* Sepultura. *c. 5.*
(4) Cf. etiam *n. 1011. et seq.*
(5) V. *n. 968. 3°.*

menta sine causa ministret. Cum enim concessa sit fidelibus communicatio cum toleratis, indirecte etiam his indultum est, cum fidelibus petentibus communicare.(1) Hoc tamen valet, quatenus sacramenta petuntur ab excommunicato; nam quatenus petuntur a ministro exsistente in mortali, ad licite petendum requiritur justa causa. — Ita *S. Lig. n. 139.* et *de sacr. in gen. n. 88.*

VI. Privatio beneficiorum.

967. — 1° Excommunicatus quilibet, sive *toleratus*, sive *vitandus*, fit prorsus inhabilis ad beneficia(2) ecclesiastica obtinenda(3). Ratio est, quia beneficium datur propter officium: excommunicatus autem quilibet officii prorsus incapax est; ergo etiam beneficii. Excipe: si beneficium ab ipso Papa(4) conferretur(5). — *S. Lig. n. 180. 181.*

2° Non tamen excommunicatio privat beneficio jam obtento nec ejus fructibus ante sententiam judicis(6). Ratio est, quia neutrum in jure clare exprimitur. Unde beneficium retineri potest. Si tamen per annum negligat obtinere absolutionem, per judicem beneficio privari potest.(1) — *S. Lig. ibid.*

3° Excommunicatus accipiens beneficium(2) et ille, a quo accepit, peccant graviter, agendo contra gravem prohibitionem Ecclesiae. Conferens autem insuper incurrit excommunicationem minorem et suspensionem ipso facto a collatione illius beneficii, si excommunicatus sit vitandus. — *S. Lig. ibid.*

VII. Privatio communicationis forensis.

968. — Communicatio forensis intelligitur communicatio in iis, quae pertinent ad judicium sive civile, sive ecclesiasticum.

1° Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad judicium pertinente in foro *civili*. Proinde nequit esse judex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator etc.(3) Pariter nequit esse tutor, curator aut exsecutor testamenti. — Ita ex jure communi seu romano veteri. — *S. Lig. n. 184.* Verum illae juris dispositiones hodie plerisque in locis usum non obtinent.

2° *A fortiori* privatur *vitandus*

(1) Cf. *n. 956. not.*

(2) aut officia —

(3) item ad dignitates ecclesiasticas, quibus adnexa est jurisdictio (excepta tamen dignitate Papali) et ad obtinenda rescripta Apostolica, nisi in ipsa causa excommunicationis vel appellationis ad excommunicati defensionem impetrentur. — *S. Lig. ib.* — *Voit p. 2. n. 1416. 1418.*

(4) scienter —

(5) vel si in concessione Pontificis adsit clausula absolutionis a censura ad effectum, de quo agitur, consequendum, nisi tamen quis excommunicatus sit ob haeresim. — *S. Lig. ib.* — V. etiam *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Insordescentia *sub IV.*

(6) Haereticus tamen ipso facto privatur beneficiis et officiis prius rite obtentis, sed ita, ut ante sententiam declaratoriam criminis beneficia dimittere et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non teneatur. — *Ferraris ad v.* Haereticus *n. 49. et seq.* — *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Haeresis *c. 1. sub IV.*

(1) V. *n. 959. not.*

(2) Ex communi et probabiliori sententia valida est *acceptatio* beneficii, quod alicui *collatum* est, antequam excommunicationem incurreret, licet illud accepit jam ligatus excommunicatione *(Reifenstuel l. 5. tit. 39. n. 65.)*, non secus ac, si beneficii rite sibi collati *possessionem* excommunicatus accipiat vel alium mittat in possessionem, possessio et in possessionem missio valida est, quia tam possessio, quam missio in possessionem est quid facti, non juris. — V. *Schmalzgrueber (l. 5. tit. 39. n. 150.)*, qui addit (*ib. n. 154.*), probabiliter validam esse collationem pensionis, quae excommunicato clerico datur ad sustentationem, dum beneficium resignat aut permutat aut in lite cedit. (Nota edit. rom.) — V. etiam *S. Lig. n. 180.*

(3) Accusari tamen potest et per alium respondere debet in judicio, ne de sua malitia commodum reportare videatur. — *C.* Intelleximus (7.) *de judiciis (II. 1.)*

omni communicatione in jure *ecclesiastico*. Attamen potest appellare et appellationem prosequi. — Ita ex jure canonico, *c.* Cum inter (5.) *de exceptionibus (II. 25.)*.

3° Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione forensi privatur ipso facto; unde valide agit, si ea utatur, sed juridice repelli per exceptionem tum ab adversariis, tum a judice potest. — *S. Lig. ibid.*

VIII. Privatio societatis civilis.

969. — Actiones civiles, in quibus cum vitando non licet communiter consortium habere, hoc versiculo continentur:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1° *Os,* i. e. colloquia, literae, signa benevolentiae.

2° *Orare:* quaelibet communicatio in divinis, v. g. adsistere missae vel officiis publicis Ecclesiae.(1)

3° *Vale:* salutationes omnino particulares.

4° *Communio:* quaelibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis etc.

5° *Mensa*: invitatio reciproca ad mensam. — *S. Lig. n. 188.*

Causae autem graves excusare possunt communicationem reciprocam inter excommunicatum vitandum et fideles, scilicet necessitas, bonum spirituale excommunicati ipsius, conjunctio matrimonialis(1), status subjectionis (v. g. filii-familias minoris), ignorantia sive juris, sive facti. — *S. Lig. n. 200. et seq.*

Nota: Haec omnia de solis *vitandis* dicuntur(2), et quamvis *toleratis* minime faveat privilegium *Martini V.*, ex hodierna tamen consuetudine(3) isti non amplius peccant in civilibus communicando cum fidelibus, etiam ab ipsis non requisiti. Constat ex quotidiana communicatione cum protestantibus aliisque haereticis, non reclamante Ecclesia.

§. III.

De praecipuis excommunicationibus in particulari.

PUNCTUM I.

Excommunicationes Papae reservatae.

I. Contra omnes.

970. — I. *Excommunicationes bullae Coenae*(4).

Eas praesertim incurrunt:

(1) Ad quaesitum, num innodatus excommunicatione (lata contra cooperantes ad usurpationem bonorum Ecclesiae) admitti possit ad munus patrini in sacramentis baptismatis et confirmationis (prohibentur enim ex *rituali rom.* infideles, haeretici, publice excommunicati aut interdicti etc.), *S. Poenitentiaria d. d. 5. Jul. 1857.* respondit: „Post extravagantem *Ad evitanda Martini V.* fideles in administratione vel receptione sacramentorum aut in alio quocumque actu, qui sit divinus vel non, non obligantur vitare aliquam personam sub praetextu cujuscumque sententiae aut censurae a jure vel ab homine generaliter promulgatae, nisi censura vel sententia hujusmodi publicata fuerit et denuntiata specialiter et expresse contra determinatam personam, praesertim si scandala et mala praevidentur. Cum tamen hujusmodi excommunicati, suspensi, interdicti seu prohibiti per dictam extravagantem nullimode rehabilitati fuerint, evidens est, illos peccaturos, et quidem eo gravius, quo majus scandalum inde proveniet, si non obstante censura cum fidelibus in divinis communicare attentent." (Ex idiom. ital.) — Cf. *Scav., de censuris annot. Q. in fine tract.* (in edit. 10°. *tom. 4. n. 215. Q. 1.)*

(1) Cf. *n. 916. 7°. not. 3.*

(2) Facilius per communicationem cum excommunicato in divinis, quam in civilibus peccatur, uti patet. Regulariter vero communicatio ejusmodi illicita inter culpas leves recensetur; erit tamen mortalis, si fiat in divinis in re gravi vel in crimine criminoso (in crimine scil. vel contumacia, ratione cujus lata est excommunicatio) vel in contemptum prohibitionis Ecclesiae etc. — *Scav.* — *S. Lig. n. 196. et seq.* — *Voit p. 2. n. 1420.*

(3) vel, ut alii malunt, ob bonam fidem —

(4) Bulla *Coenae* continet censuras, quas S. Sedes sibi specialiter reservare consuevit. Sic vocata est, quia in die Coenae Domini Romae publicabatur. Usus autem ille, bullam hanc quotannis publicandi, in desuetudinem abiit; a tempore enim *Clementis XIV.* non amplius publicatur. — (Not. auct.)

1° Haeretici, eorum fautores et eorum libros legentes.

2° Falsificatores literarum Apostolicarum.

3° Occupantes terras, loca vel jura Ecclesiae.

4° Impedientes praelatos seu judices ecclesiasticos, ne suam jurisdictionem exerceant.(1)

5° Injicientes manus violentas in cardinales, episcopos aut nuntios Apostolicos.

6° Vexantes Romipetas seu peregrinos, ad Urbem pietatis causa accedentes.

7° Piratae in mari Pontificio eorumque fautores.

8° Subripientes bona christianorum naufragorum.

9° Usurpantes jurisdictionem fructusque beneficiorum.

10° Appellantes a Papa ad futurum concilium.

11° Schismatici et apostatae a vera fide.

971. — Quaer. *An bulla Coenae tamquam abrogata haberi debeat, postquam a tempore Clementis XIV. quotannis publicari desiit?*

Resp. Negative. Quamvis enim Pontifices ab hujusmodi publicatione abstinuerint, legem tamen in toto suo robore permanere voluerunt. Constat ex praxi Cancellariae Romanae; nam inter facultates, quae quotidie confessariis conceduntur, expressa mentio habetur de reservatione casuum bullae Coenae.(2)

972. — II. *Extra bullam Coenae.* Eas incurrunt praesertim sequentes:

1° Incendiarii ecclesiarum et aedificiorum profanorum. Excommunicatio probabilius ipso facto incurritur, saltem in incendio ecclesiarum. — *Pichler.* Probabiliter tamen *S. Lig. n. 218., Collat. Andeg. etc.* dicunt, illam non incurri, nisi per sententiam episcopi. Quidquid sit, non reservatur, nisi incendiarius publice ab episcopo ut excommunicatus denuntiatus fuerit.

2° Spoliatores ecclesiarum cum effractione. Probabilius ipso facto incurritur excommunicatio, sed non reservatur, nisi post sententiam episcopi, ut in casu praecedente. — *S. Lig. n. 218.*

3° Falsificantes literas Apostolicas aut falsas habentes et retinentes. Haec excommunicatio quoad primam partem etiam in bulla Coenae reperitur, ut supra videri potest.

4° Percutientes(1) graviter clericos(2) et religiosos utriusque sexus ex *concilio Lateran. II.*, ubi sic dicitur: *Si quis suadente diabolo . . . in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat.*(3) — Violentia autem seu percussio, quae fieri potest in clericum vel monachum, duplex est, nempe 1° *gravis,* quae Papae reservatur;

(1) Huc facit recursus contra hanc jurisdictionem ad tribunal laicum. Clerici recurrentes etiam severius puniuntur. — V. *Act. vol. 1. fasc. 9. p. 567. et seq.*

(2) Idem colligitur ex §. *Volentes praesentes* ipsius bullae, quam habes in const. *Pastoralis Romani Benedicti XIV. d. d. 30. Mart. 1741.*

(1) item percussionem efficaciter mandantes, consulentes vel in illam consentientes etc. —

(2) Assertio, clericos, ut hoc privilegio gaudeant, beneficium ecclesiasticum possidere vel habitum tonsuramque deferre et alicui ecclesiae ex mandato episcopi deservire etc. debere, argumentis sufficientibus non fulcitur, nisi forte alicubi consuetudo ipsi faveat. — *Reiffenstuel l. 3. tit. 1. n. 80. et seq.* — *Schmalgrueber l. 3. tit. 1. n. 39.* — *Thesaurus, de poenis ad v.* Injuria c. 2.

(3) Requiritur itaque, ut actus violentus graviter corpus vel honorem laedat et animus injuriandi graviter culpabilis adsit. Hinc haec excommunicatio non incurritur, si advertentia sufficiens deest; si percussio fiat ob justam defensionem, imo aliquando ex juris dispositione, etiamsi proveniat ex ira omnino vehementi et justa; si fiat potius ex joco vel casu, quamvis cum aliqua ira, non tamen mortaliter peccaminosa etc. — Cf. *Ferraris ad v.* Excommunicatio *art. 10. n. 3.* — *S. Lig. n. 273. et seq.*

2° *levis* [ratione tamen injuriae gravis(1)], quae reservatur episcopo(2). Monachus autem intelligitur quilibet religiosus, etiam monialis, vivens sub regula sive in ordine, sive in simplici congregatione cum auctoritate Pontificis saltem tacita, quamvis religio ab ipso nondum sit approbata; item conversus et novitius.(3) — *S. Lig. n. 264. et seq.* — *Scavini.*

5° Committentes tum simoniam realem in ordine et beneficiis, tum simoniam confidentialem. — *S. Lig. n. 218.*(4)

973. — 6° Committentes duellum vel illud acceptantes, etiam ad primam sanguinis effusionem, imo etiam pugna non secuta; omnes fautores, cooperantes et de industria spectantes. Sed requiritur, ut fiat pactum de tempore et loco. — *S. Lig. ibid.* et *n. 220.* — Recole insuper dicta de duello in *tract. de quinto praecepto n. 404.*

7° Violantes immunitatem ecclesiasticam quoad ecclesias et alia loca sacra seu privilegiata. Codex tamen civilis gallicus privilegium immunitatis non agnoscit.

8° Violantes clausuram monasteriorum ad malum finem, ut infra explicabitur *Append. II. n. 989.*

9° Fideles non revelantes(1) intra mensem confessarios sollicitantes. — Bulla *Gregorii XV. Universi* et decretum *C. S. O. d. d. 10. Mart. 1677.*

10° Cardinalium offensores et persecutores.

11° Personae episcopis inferiores, qui juramenta illicita et contraria libertati Ecclesiae a praelatis, canonicis etc. exigunt.

12° Dantes vel accipientes aliquid *cum pacto* ob ingressum in religionem, modo non sit pro alimentis.(2) — *C.* Sane (1.) *de simonia in extravag. comm. (V. 1.)*

974. — 13° Docentes vel sustinentes, licitam esse praxim interrogandi de nomine complicis. Interrogans vero ita, ut absolutionem deneget, si poenitens complicem manifestare abnuat, tantum suspensionem a confessione *ferendae sententiae* incurrit. — *Bened. XIV.*, Const. *Ubi primum d. d. 2. Jun. 1746.* — *S. Lig., de poenit. n. 491.*(3)

14° Parentes et alii quilibet ad statum religiosum cogentes, et religiosi, qui coactos admittunt. Item prohibentes sine justa causa mulierem ab ingressu religionis. — *C. Trid. sess. 25. c. 18. de regularibus.*

15° Docentes vel defendentes propositiones damnatas, etiam disputative, i. e. ut probabiles. — *S. Lig. n. 218.*(4)

---

(1) quae scilicet qua percussio levis i. e. nullum signum in corpore relinquens, graviter tamen injuriosa est ratione reverentiae clerico exhibendae, uti si fiat in clericum dignitate fulgentem, modo valde probroso, cum scandalo gravi etc. — Cf. *S. Lig. n. 277. et seq.*

In dubio vero ex ipso jure judicanda est gravis. — *Ib.*

Ceterum canonistae et moralistae plurima de hac percussione disserunt.

(2) etiamsi sit publica. — *S. Lig. n. 279.*

(3) Cf. etiam *Fagnanum in c.* Nullus (2.) *de foro compet. (II. 2.) n. 56. et seq.*

Eremitas quoque privilegio canonis gaudere, modo habitum eremiticum ex legitima facultate deferant et sub speciali obedientia episcopi vel alterius praelati alicui ecclesiae vel eremitorio in communitate aut separatim deserviant, docet *Ferraris ad v.* Excommunicatio *art. 10. n. 16.* et *ad v.* Eremitae *n. 10. et seq.* Alii tamen, v. g. *Fagn. l. c. n. 62.*, quem sequitur *Giraldi (Expos. J. P. p. 1. sect. 923.)*, id negant, nisi eremitae vivant in congregatione et habeant modum vivendi ab episcopo approbatum. Multo minus privilegium extendi potest ad illos vagos, qui habitu singulari indati huc illuc discurrunt ad eleemosynas colligendas, licet de episcopi licentia alicui ecclesiae deserviant. — *Scav.*

(4) Cf. *p. 1. n. 293.*

---

(1) absque legitima causa et vero impedimento — v. *n. 589. II. not. 1.*

(2) Cf. *p. 1. n. 291.*

(3) Supra *n. 501.*

(4) Generaliter excommunicatione reservata plectuntur, quicumque damnatas theses docent, defendunt, edunt aut de iis,

16° Docentes, licitam esse absolutionem per literas.

975. — 17° Illi, qui sectae *massonicae* aut *carbonariae* vel aliis hujus generis nomen dederunt vel favorem praestiterunt. — Excommunicatio lata a *Clemente XII.* (1738.) in const. *In eminenti*, renovata a *Benedicto XIV.* (1751.) in const. *Providas*, a *Pio VII.* (1821.) in const. *Ecclesiam a Jesu Christo* et a *Leone XII.* (1825.) in const. *Quo graviora*. Eodem modo excommunicantur etiam ii, qui istos non denuntiant. *(Pius VII.* in alleg. const.)(¹)

---

etiam disputative, publice aut privatim tractant, nisi forsan impugnando. — *Alex. VII.*, Constit. *In congregatione* — *Innoc. XI.* et *Alex. VIII.*, Constit. *Sanctissimus* — *Clemens XI.*, Constit. *Unigenitus* — *Bened. XIV.*, Constit. *Detestabilem etc.* Quandoque etiam eidem poenae subjiciuntur, qui eas in praxim reducunt. — *Innoc. XI.* circa propositiones 68 *Michaelis de Molinos.* (Not. auct.)

(¹) Praeter dictas constitutiones, quarum textum habes in *Act. vol. 1. fasc. 5. p. 301. et seq.*, mentio quoque facienda const. *Gregorii XVI. d. d. 15. Aug. 1832.*, encyclicae *Pii IX. d. d. 9. Nov. 1846.* et allocutionis *ejusdem Pontificis d. d. 25. Sept. 1865. (Act. vol. 1. fasc. 4. p. 193.)*, decreti tandem *Congr. S. O. d. d. 13. Jul. 1865.* quoad Fenianos *(Act. vol. 1. fasc. 5. p. 290.*, ubi animadversiones adduntur), in quo praesertim haec: „Societates occultae, de quibus in Pontificiis constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando. Voluit praeterea Sanctitas sua, ut Tibi subjungeretur, recurrendum esse ad S. Sedem, et quidem omnibus ad amussim expositis rerum adjunctis, si quae forte difficultates in applicatione praedicti decreti inveniantur.“

Constitutio vero *Pii VII.* in textu citata carbonarios spectat. — V. *Act. l. c. p. 273. etc.* Quoad ejus interpretationem v. declarationes *S. Poenitentiariae d. d. 8. Nov. 1821.* apud *Scav. tom. 2. append. 1. in fine tomi* (in edit. 10ª. *tom. 4. n. 181.)*, ex quibus praeter alia collige, hisce sectis adscriptos ex eo etiam peccare posse, quod haereticam doctrinam forte profiteantur.

Nota 1° Sub eadem poena excommunicationis reservatae prohibetur quibuscumque fidelibus, legere aut retinere catechismos et libros, quibus a carbonariis describuntur, quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta, codices ac libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos: ac mandatur, ut illos locorum ordinariis vel aliis, ad quos eosdem recipiendi jus pertinet, omnino tradant. — *Pius VII. ib.*

Nota 2° Quomodo se gerere debeat confessarius erga poenitentem societati occultae addictum, sic habet *P. J. Schneider (Manuale sacerd.* in *elencho excommunicationum Papae reserv. extra bullam Coenae* sub *61.*, in edit. 4ª. *p. 415.*):

„Murarius confiteri volens, leges illas ecclesiasticas, quae societatem murariorum prohibent, aut ignoraverat aut noverat. Si leges *ignoraverat*, et a confessario de iis monitus *resipiscit* vereque contritus serio promittit, se omnem conversationem cum hac societate in posterum pro viribus evitaturum esse, excommunicationis reservatae poenae non subjacet et proinde absolvi potest. Si *ignoraverat* illas leges et a confessario monitus *non resipiscit*, sed leges ipsi patefactas spernit, ex transgressore legis materiali fit transgressor formalis et contumax, proindeque poenae excommunicationis reservatae subjacet et absolvi nequit. — Si leges(¹) *noverat*, tamquam legis transgressor contumax poenae excommunicationis Papae reservatae subjacet et absolvi nequit, nisi debitam dispositionem afferat. Quam si afferat, confessarius ab ordinario facultatem absolvendi et necessaria consilia petat.“

„Si confessarius scit, poenitentem esse murarium, licet legum ecclesiasticarum ignarum, tunc, si spes est, fore ut poenitens monitus resipiscat, ipsum monere debet; si vero timendum est, ne poenitens ex transgressore legum materiali fiat transgressor formalis indeque in profundiorem etiam perniciem sit ruiturus, tunc e duobus malis minus erit eligendum et a monitione illa abstinendum, sive potius tempora meliora erunt exspectanda; interim vero quibuscumque aliis mediis, quae ad exoptatum finem perducere queant et quibus saluti ejus prospici possit, religiose erit utendum.(²)

976. — Quaer. 1° *An absolvi*

(¹) et specialiter poenam censurae —

(²) Sed aliae etiam circumstantiae occurrere possunt. — V. *Münster. Pastoralblatt 1863. Nr. 6.* vel *Archiv für kath. Kirchenrecht 1865. fasc. 3. p. 445. et seq. etc.*

possint illi, qui praedictae sectae nomen dederunt, si, licet emissi juramenti eos poeniteat, externe tamen cum iisdem sociis communicent?

Resp. Negative, quia satis non est, si quis erroribus suis interne renuntiet, cum externe eosdem profiteri videatur. Constat etiam ex responsione *Congregationis S. Officii.*(1)

Quaer. 2° *An habendi sint ut vetiti coetus illi, qui profitentur, se nihil moliri contra religionem vel civilem rempublicam, et nihilominus occultum ineunt foedus juramento firmatum?*

Resp. Affirmative. Constat ex declaratione *S. Poenitentiariae d. d. 21. Aug. 1850.* Interrogatum enim s. tribunal respondit: *Coetus illos in bullis Pontificiis comprehendi.*(2)

Non obstante praefato decreto contendit *Kenrick*, coetus operariorum ob suas utilitates coëuntium licitos esse *per se,* etiamsi in iis signa adhibeantur et arcanum habeatur. Juxta istam sententiam non certo excommunicationem incurrerent operarii vulgo nuncupati *Compagnons du devoir*, quippe qui praecipue foedus ineunt ad sibi invicem opitulandum; sed propter arcanum res periculo plena est.

Duo praeterea adnotanda sunt, scilicet

1° Praefatas censuras a Pontificibus illatas incurri etiam, ubi Pontificiae constitutiones non fuerunt promulgatae. — Sic *C. S. Off.*, approbante *Gregorio XVI., die 27. Jun. 1838.*

2° Proscriptam esse a *Pio IX.* sequentem propositionem: „Constitutiones Apostolicae, quibus damnantur „clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum „de secreto servando, earumque asseclae „et fautores anathemate mulctantur, nullam vim habent in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio.“ — Encycl. *Quanta cura d. d. 8. Dec. 1864.* sub *8°.*

II. Contra clericos et religiosos.

977. — Excommunicationem incurrunt:

1° Parochi non implentes juramentum de residentia.

2° Confessarii absolventes complicem peccati turpis.(1)

3° Absolventes a casibus bullae *Coenae.*

4° Participantes in sacris cum excommunicatis a Papa.(2)

5° Clerici excommunicatum sepelientes.(3)

6° Moniales exeuntes extra claustra sine licentia.

7° Religiosi sine licentia viaticum vel extremam unctionem ministrantes, vel matrimonium solemnizare praesumentes.(4) — *C.* Religiosi (1.) *de priv. in Clem. (V. 7.)*

---

(1) Postulatum. Poenae ecclesiasticae a plurimis Romanis Pontificibus in eos statutae sunt, qui societati, quam *liberorum muratorum* dicunt, nomen dederent atque juramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent. Dubium exoritur, utrum ii, qui, licet eos emissi juramenti poeniteat, communicando tamen cum ceteris eidem sectae adhaerentibus vel eorum conventicula adeundo, vel *alio quolibet modo* veros ejusdem societatis cultores se palam exhibere perseverant, ad poenitentiae aut sanctissimae eucharistiae sacramenti participationem legitime per confessarium possint admitti. Sacerdotes inveniuntur nonnulli, qui hujusmodi homines reapse admittunt. Quaeritur, quomodo se gerere debeat confessarius? *Resp. Congr. S. O. sub die 5. Julii 1837.: Juxta exposita non licere.*

(2) Ignoramus circumstantias et tenorem hujus responsi. Non negamus quidem, ob pericula praesumptionem contra ejusmodi societates occultas stare (v. *Ind. vol. 1. fasc. 5. p. 292.* sub *V.*); sed quoad positivam Ecclesiae legem v. decretum *Congr. S. O. d. d. 13. Jul. 1865.*, in *not.* ad *n. 975.* relatum.

(1) Cf. *n. 584. 588.*

(2) V. *not.* ad finem *n. 956.*

(3) Haec excommunicatio non solos clericos ferit nec simpliciter inter reservatas numeranda est, ut patet ex c. Eos, qui (1.) *de sepult. in Clement. (III. 7.)* — V. etiam *n. 965. 4°. not.*

(4) Poena haec contra religiosos absque

8° Religiosi, qui praetextu privilegiorum absolvunt a casibus Papae reservatis(1).

9° Religiosi mendicantes transeuntes sine licentia superiorum ad alium ordinem praeter Carthusianum.(2)

10° Confessarii extra Urbem et intra Italiam praesumentes absolvere praetextu privilegiorum a casibus bullae *Coenae*, vel a quinque *Clementis VIII.*, qui dicuntur *Clementini*, aut ab aliis, quos ordinarii sibi reservant. — Decretum *S. Congr. Episc. et Reg.*, approbatum a *Clemente VIII.*, *d. d. 9. Jan. 1601*(3).

PUNCTUM II.

Excommunicationes jure episcopis reservatae.

978. — 1° Excommunicatio ob percussionem clerici levem (sed ut incurratur, injuria debet esse gravis)(4); — 2° ob procurationem abortus foetus animati, effectu secuto (fertur in procuratores et cooperantes, sed *probabilius* non in mulieres ipsas praegnantes pharmacum sumentes) — *S. Lig., de 5. praec. dec. n. 395. —397.* et *de cens. n. 213.*(5); — 3° ob communicationem in *crimine criminoso* (seu in crimine, propter quod aliquis fuit excommunicatus) cum excommunicato ab episcopo; — 4° ob culpam illius, qui, licet absolutus *indirecte* a censura in periculo mortis, tamen superiori(1) non se praesentavit intra mensem post convalescentiam; — 5° ob culpam fratrum minorum, qui tertiarios ad divina officia admittunt(2); — *S. Lig. n. 213.* — 6° omnes excommunicationes occultae (excepta bulla *Coenae*); (3) — 7° omnes excommunicationes sive occultae, sive notoriae quoad personas, quae Romam ire nequeunt, ut sunt infirmi, detenti, senes, impuberes, pauperes, mulieres et omnes aliis subditi vel familiae necessarii: nec scribere Romam tenentur; (4) — 8° omnes excommunicationes ab ipsis latae *(ab homine)* et praesertim excommunicatio in *monitorio*(5).

PUNCTUM III.

Excommunicationes non reservatae.

979. — Has incurrunt: 1° Ingredientes monasteria monialium(6) non ad malum finem nec praetextu privilegiorum. — *S. Lig. n. 221.* — 2° Superiores clausuram monialium sine justa causa intrantes pro tertia vice. — 3° Imprimentes libros de rebus sacris agentes sine licentia superiorum vel sine nomine auctoris(7), item profitentes aliquam scientiam,

---

licentia parochi matrimonium solemnizantes juxta veriorem sententiam abrogata est per suspensionem a *concilio Trid. (sess. 24. c. 1. de ref. matr.)* ipso jure latam contra sacerdotes sive saeculares, sive regulares, qui hoc agere ausi fuerint. — Cf. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 891.*

(1) in bulla *Coenae*, vel ab iis, quos episcopus sibi reservavit, vel a casibus, quos vocant *Clementinos*, extra Urbem et intra Italiam Papae reservatis. — Cf. *10°.* et *Scav. tom. 3. tr. 10. disp. 1. c. 4. art. 2. Q. 1.*

(2) Cf. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 542.*

(3) et alterum *d. d. 26. Nov. 1602.* — Plura v. apud *Thesaurus p. 2. ad v.* Absolutio *c. 3.* sub *IV.*

(4) Cf. *n. 972. 4°.*

(5) V. *p. 1. n. 403. 6°. not. 3.*

(1) episcopo scilicet, si ipsi se praesentare obligabatur, vel ejus delegato — *cf. c.* Eos, qui (22.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)* — supra *n. 576.*

(2) tempore interdicti generalis localis, satisfactione praestita — v. *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Censura *c. 14. III.*

(3) Cf. *n. 574. II.*

(4) Cf. *n. 574. II. not. 3.*; *n. 952. IV.*

(5) Cf. *n. 951. II. III.*

Addit *Thesaurus l. c. ad v.* Absolutio *c. 3.* excommunicationem ob extractionem ejus ab ecclesia, qui illuc confugit, auctoritate privata; item ob percussionem et rapinam rerum ejusdem auctoritate privata.

(6) sine debita licentia in scriptis obtenta — *C. Trid. s. 25. c. 5. de regul.* — Cf. tamen *n. 989. 1°.*

(7) Hoc tamen desuetudine obsolevit. — (Not. auct.)

quin prius emittant fidei professionem.(1) — 4° Sepelientes in loco sacro haereticos, usurarios publicos et interdictos. — 5° Contrahentes matrimonium in casibus prohibitis. — 6° Mandantes homicidium alicujus fidelis. — 7° Religiosi apostatae(2) habitum dimittentes. — 8° Omittentes denuntiare haereticos, haereticaliter blasphemantes et sortilegos. *(Voit — Pichler — S. Lig.)* — 9° Pingentes *Agnus Dei* a Papa benedictos, aut venales habentes vel deaurantes. — 10° Legentes libros haeresiarcharum non erroneos nec de religione tractantes. — 11° Sacerdotes recipientes praefecturas saeculares. — 12° Clerici contrahentes matrimonium cum impedimento ordinis(3). — 13° Clerici ficte resignantes vel permutantes beneficia. — 14° Confessarii praesumentes absolvere a casibus bullae *Coenae*(4). — 15° Religiosi instituentes novum ordinem sine licentia Papae.(5)

PUNCTUM IV.

Excommunicationes ferendae sententiae.

980. — Iis subjici possunt: 1° Fideles non satisfacientes praecepto communionis paschalis. Haec censura in plerisque locis abiit in desuetudinem; attamen Romae adhuc viget.(6) — 2° Incestuosi et adulteri (ex variis synodis Galliae). — 3° Divinatores, magi, sortilegi et ad ipsos recurrentes.(1) — *Pichler.* (Latae sententiae, si haeresim saperent.) — 4° Percutientes clericum consentientem(2). — *S. Lig. n. 274.* — 5° Laici frequentantes monasteria monialium ad colloquendum cum ipsis (extra clausuram). Pro *clericis* adest poena suspensionis et pro *regularibus* privatio officii.(3) — *S. Lig. n. 232.* — 6° Usurpantes bona nosocomiorum et montium pietatis. (Alii dicunt latae sententiae, sed sine reservatione.)(4)

Aliae excommunicationes ferendae sententiae in jure communi reperiuntur; at in usu sunt parum obviae. Pleraeque diversae sunt pro diversis regionibus et dioecesibus. Ceterum in praxi harum notitia minimi momenti esse videtur, cum incurri non possint, nisi praevia judicis ecclesiastici sententia, quae rarissime, nostris saltem temporibus, locum habet.

Nota: In praxi confessarius praesertim attendere debet ad casus vigentes in singulis locis, qui reperiuntur in libello censurarum et peccatorum reservatorum singulis dioecesibus proprio. Plerumque autem de jure particulari reservantur ordinario.

---

(1) Hoc non servatur in regionibus, ubi haereses impune grassantur aut ubi gubernium ita declinavit ad atheismum, ut, quid quisque professor impius in scholis tradat, nihil curet. — (Not. auct.)

(2) Videtur legendum: *temerarie* — Q. Ut periculosa. (2.) *Ne clerici vel monachi in 6°. (III. 24.)* — V. *Thesaurus l. c. ad v.* Habitus *c. 2.* — *Bönninghausen, de irregul. fasc. 1. p. 2. c. 2. §. 3. p. 136.*

(3) V. *Bönningh. l. c.*

(4) sine facultate vel in articulo mortis servata forma praescripta in eadem bulla, scil. praevia cautione de stando mandatis Ecclesiae et de satisfaciendo. — *Thesaurus l. c. ad v.* Absolutio *c. 3. III.*

(5) Cf. *n. 138. 2°.* cum *not.*

(6) Non novimus legem *generalem,* contra tale peccatum excommunicationem, licet ferendae sententiae, decernat. Concilium Later. *(c.* Omnis [12.] *de poenit. et remiss. [V. 38.])* quoad culpabilem statuit, ut „vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura.“

(1) Cf. *cap.* Si quis ariolos (1.) *caus. 26. q. 5.* et *cap.* Aliquanti (6.).

(2) rectius: Clericus percussioni consentiens.

(3) Cf. *n. 992.*

(4) *Conc. Trid. sess. 22. c. 11. de ref.* anathemati Romano Pontifici reservato subjicit omnes „usurpare praesumentes vel convertere in proprios usus, per se vel per alios, jurisdictiones, bona, census, jura feudalia et emphytheutica, fructus, emolumenta seu quascumque obventiones ecclesiarum, beneficiorum, montium pietatis seu alterius pii loci: vel impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: et clericos fraudis et usurpationis hujusmodi fabricatores seu consentientes.“ — (Not. auct.)

APPENDIX I.

DE CRIMINE HAERESIS, LECTIONE PRAVORUM LIBRORUM ET INDICE.

I. De crimine haeresis.

981. — Excommunicatio ob haeresim est prima et praecipua bullae *Coenae*. Eam incurrunt non haeretici tantum, sed etiam eorum fautores.

Quoad haereticos ipsos ad excommunicationem incurrendam requiritur, ut adsit vere haeresis, i. e. error voluntarius, exterius manifestatus et pertinax contra articulum aliquem a Deo revelatum et ab Ecclesia propositum. Hinc:

1⁰ Excusat ignorantia etiam vincibilis, imo crassa: probabilius autem non excusat ignorantia affectata, quia adest contumacia. Secus tamen sentit ut *probabilius S. Lig. n. 301.* ob contrariam rationem.(¹)

2⁰ Non excusat dubium positivum externatum, quia dubitans judicat positive, veritatem ab Ecclesia propositam posse esse falsam. — *S. Lig. n. 302.*

3⁰ Excusatur, qui haeresim intra mentem tenet vel qui, eam exterius manifestans, intus dissentit. — *A fortiori* excusatur, qui manifestat haeresim suam ad consilium petendum, quia non manifestat animo errorem profitendi. — *S. Lig. n. 304.*

Principia circa absolutionem ab haeresi.

I. Ab haeresi notoria et ad forum judiciale(¹) deducta episcopus absolvere potest(²) vel per seipsum, vel per de-

---

(¹) *Lugo, de fide disp. 20. sect. 6.*, relatis variis sententiis *(n. 172.)*, tamquam veriorem et communiorem eam amplectitur, quae asserit, quamlibet ignorantiam, etiam crassam et affectatam, excusare ab haeresi et haereticorum poenis *(n. 174.)*. Ita ipse *n. 175.*: „Haereticus simpliciter et absolute non est, nisi is, qui *scienter* recedit ab Ecclesia; nam qui ex ignorantia recedit, adhuc manet in ea dispositione, ut possit acceptare et firmissime credere, quidquid ei sufficienter proponitur ut dogma Ecclesiae. Quare sicut non perdit fidem nec recedit a fide, qui per ignorantiam etiam culpabilem negat fidem, ita nec perdit catholicismum nec recedit ab Ecclesia catholica atque adeo non est haereticus, qui per ignorantiam etiam culpabilem recedit a doctrina Ecclesiae catholicae, quia adhuc cum illo peccato potest dicere ex corde, se credere firmissime omnia, quae Ecclesia proposuerit et docuerit.“ Hanc doctrinam dein applicat ad ignorantiam affectatam *(n. 190. et seq.)*, cum limitatione tamen, per ipsam scil. non excludi haeresim, „si omissio diligentiae debitae ad explorandam Ecclesiae mentem procedit ex contemptu Ecclesiae et ex falsa opinione de defectu infallibilitatis, quam Ecclesia habet in iis, quae proponit“, cum tunc auctoritatem Ecclesiae pertinaciter neget; item, licet quis affectet ignorantiam ad liberius peccandum, si id fiat animo, non recedendi a sua opinione, etiamsi constaret de mente Ecclesiae etc.: secus vero, si eam affectet ad liberius peccandum, quia, si de Ecclesiae sensu constaret, non auderet se illi opponere *(n. 191.* — v. etiam *n. 203. et seq.)*.

Sed quid, si talis ignorantia crassa vel affectata ipsam Ecclesiae auctoritatem attingat? Etiam tunc allatam doctrinam valere, censet *Lugo ib. n. 196. et seq.* Sed contrarium defendit inter alios v. g. *Layman l. 2. tr. 1. c. 12. n. 3.* et *c. 13. n. 2.* §. *Verum hic*, quem secutus est auctor noster *p. 1. n. 210.* Et haec 2ª sententia forte magis modo agendi convenit, quem Ecclesia pro foro externo observat; nescimus enim, an verum sit, plerisque heterodoxorum Ecclesiae catholicae auctoritatem sufficienter cognitam esse, uti vult *Lugo l. c. n. 194.*: nec praetereundum, vim verbi „haeresis“ etiam ab usu Ecclesiae pendere (cf. *Lugo l. c. n. 177. et seq.*).

(¹) quomodocumque, etiam si haereticus sponte suum delictum ad forum illud detulerit —

(²) Absolutio ab excommunicatione, in quam quis propter haeresim incidit, episcopo vel inquisitori in hoc casu pro utroque foro competit. „Quinimo uterque potest poenitentem haereticum, postquam suos egeravit errores, ad simplicem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur: eamque absolutionem, licet a confessario datam in foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, a cujus jurisdictione permanat, recte observat *Del-Bene.*“ — *Bened. XIV. ib. c. 4. n. 3.* Item excommunicatione per absolutionem episcopi sublata, quivis confessarius a peccato haeresis absolvere potest. — *Reiffenstuel l. 5. tit. 7. n. 369.*

legatum. — *Bened. XIV., de syn. l. 9. c. 4. 5.*

II. Solus Papa absolvere potest ab haeresi, sive notoria, sive occulta, quae nondum in foro judiciali agitata fuit.(1) Dicitur autem haereticus occultus ille, qui, etsi cum alio haereticos sermones miscuerit, notorie tamen non habetur ut talis aut, etiamsi cum nemine suam haeresim communicaverit, nihilominus *aliquos actus extrinsecos exercuit, ex quibus dignosci poterat tamquam haereticus.* — V. constit. *Pastor bonus Bened. XIV. d. d. 13. Apr. 1744.*(2)

Hinc elucet, quod nemo haereseos reus absolvi possit ab inferiore judice, antequam fuerit in forum judiciale vocatus aut illi sese sponte obtulerit. Episcopus autem in utroque foro abjurationem protestantium recipere valet.

Nota 1° Juxta *Layman* usus viget in Germania, non mittendi ad episcopum protestantes, qui volunt Ecclesiam catholicam amplecti, sed postquam veram fidem edocti fuerint et haeresim abjuraverint, ad sacramentalem confessionem et eucharistiae susceptionem admittuntur.(3) Alibi etiam ejusmodi praxis obtinet.

Nota 2° Quoad ritum absolvendi haereticos in foro externo eorumque abjurationem excipiendi v. regulas, quas tradit *P. Maurel* in eximio opere, cui titulus *Guide pratique de la liturgie romaine.*

II. De lectione pravorum librorum.(4)

982. — Excommunicantur scienter legentes vel retinentes libros haereticorum de religione tractantes vel haeresim continentes; item eos imprimentes vel defendentes. Sic in bulla *Coenae*(1). Illi autem libri dicuntur tractare de religione, in quibus explicatur sacra scriptura vel qui tractant de theologia dogmatica, scholastica et morali, de ritibus sacris, de jure canonico aut de historia ecclesiastica.(2) Hinc:

1° Incurrit excommunicationem legens librum etiam anonymum de haeresi *ex professo* tractantem, quia auctor praesumendus est haereticus. Dicunt vero plures, non incurrere excommunicationem legentes epistolam vel concionem haeretici seorsim impressam, quia non est liber. Sed recte notat *S. Lig. n. 293.*, in expurgatorio romano, edito ex decreto Tridentino, prohiberi sub excommunicatione, non tamen reservata, omnes scripturas ab haereticis compositas, etiam breves et quamvis haeresim non contineant, donec examinentur et approbentur.(3) Quia vero diaria

(1) Absolvit per Poenitentiarium majorem foro interno in genere ab haeresi occulta, aliquando etiam a publica. — Const. *Pastor bonus Ben. XIV. §. 9. 10.*

(2) V. etiam *prop. 3.* et *4.* damn. ab *Alexandro VII.* — *Bouix, de episcopo p. 5. c. 19.*

(3) *Layman l. 2. tr. 1. c. 13. n. 4.* solum docet, eos, qui, utpote materiales haeretici, excommunicatione non ligantur, a parochis absolvi posse, nisi consuetudo diocesis obstet. Ceterum in Germania ubique, in quantum scimus, ad episcopum in simili casu recurritur, nisi quis delegatione generali ad hunc finem gaudeat: et recte, cum de foro etiam externo agatur.

(4) Prohibetur *per ipsum jus naturae* lectio illorum librorum, quorum usus periculum peccati affert, et quidem, in quantum idem jus hoc periculum vitare praecipit. Hanc prohibitionem porro per aliquam concessionem a superiore factam auferri non posse, per se patet. — V. *n. 985.*

(1) quae ita habet sub *n. 1.*: „Excommunicamus et anathematizamus ... eorumdem (haereticorum) libros, haeresim continentes vel de religione tractantes, sine auctoritate Nostra et Sedis Apostolicae scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore.“ — V. etiam *Lugo, de fide disp. 21. n. 33. et seq. etc.*

(2) Ut liber ad propositum dicatur *de religione tractare*, non sufficit, si obiter tantum de hujusmodi objecto agat. Sed neque requiritur, principale argumentum libri esse de religione, sed satis est, si, licet per accidens, tamen ita notabiliter de religione tractet, ut auctor arbitrio prudentis ex professo vel instituto de hoc agere, vel talem materiam notanter lectori persuadere velle censeatur. — Cf. *Reiffenstuel l. 5. tit. 7. n. 46.* — *Voit p. 1. n. 366. Q. 2°.*

(3) Non apparet, quodnam decretum *S. Lig. l. c.* et, quos ipse citat, *Salmant. (de censur. c. 4. p. 5. n. 73.)* prae oculis habuerint. Quorumnam librorum vel

publica (vulgo *les journaux*) censurae ecclesiasticae subjacent, patet, illa sub praefata lege includi, si ab haereticis scribantur et de religione tractent.(1)

2° Non incurrit vero excommunicationem audiens legentem, saltem probabiliter, quia non legit. — Nec qui parum quid legit, ob materiae parvitatem. Gravitas autem materiae stricte determinari nequit; aliquando paucae lineae sufficiunt, si haeresis occurrat. — *S. Lig. n. 284.* Nec qui ex necessitate legit ad convincendum haereticum, si non pateat recursus ad superiorem. — *S. Lig. n. 283.* Nec qui parvo tempore librum retinet, v. g. uno alterove die. — *S. Lig. n. 295.* Neque si librum retineat exspectando tempus opportunum, ut superiori tradat; secus, si illum diu retineret, licet a legendo omnino abstineret. — *S. Lig. ibid.*

3° Qui legit folia ex libro prohibito separata, censuram non incurrit, quia non legit librum, sed libri fragmenta.

4° Legens librum haereticum non incurrit excommunicationem reservatam, nisi auctor sit damnatus ut haereticus vel natus in secta haeretica.(2) Incurrit vero excommunicationem indicis, quae non est reservata.(1) — V. *Casus p. 2. n. 1133.*

III. De indice librorum prohibitorum.

983. — Index confectus et vulgatus fuit jussu *Pauli IV. anno 1558. Pius IV.* illum perfecit cum *concilio Tridentino* et publicavit *anno 1564.* Auxit *Clemens VIII. anno 1595.* Congregatio Indicis a *S. Pio V.* instituta est. — *Vide S. Lig., ad tract. de fide append. de prohibitione librorum cap. 4. n. 17. etc.*

Index tres classes praecipuas librorum prohibitorum exhibet. — *Prima classis* complectitur omnes libros haereticorum haeresim continentes vel de religione ex professo tractantes; *secunda* libros catholicorum contra fidem vel bonos mores; *tertia* libros editos sine nomine auctoris, qui pravam doctrinam tradunt. — *S. Lig. n. 289.*

Libri 1ae classis habendi sunt ut prohibiti sub poena excommunicationis. Libri autem 2ae et 3ae classis prohibiti non censentur, nisi specialiter in indice designentur. Excipe libros, qui generaliter et per se in indice prohibentur (ut in regulis indicis). Libri contra mores non prohibentur sub excommunicatione. — *Sic communiter.* Libri vero contra fidem prohibiti sub excommunicatione fere sunt ii omnes, qui post bullam *Alexandri VII.* brevibus aut bullis Summorum Pontificum prohibiti indicantur.(2)

„scriptorum" usus per indicem excommunicatione puniatur, v. *n. 983. not.* In *Decretis de libris prohibitis* indici additis (v. *n. 984. 6°. not.*) *§. 1.* autem opera quoque minoris voluminis, quae ab haereticis scripta vel edita sunt etc., in quasdam classes redacta prohibentur, quorum operum argumentum tamen semper religionem attingit; sed nec particularis excommunicatio ibi statuitur, nec decreta illa nota esse poterant Salmanticensibus, qui insuper hic de decreto *Clementis VIII.* loquuntur.

(1) Quaer. 1° Utrum ephemerides seu diaria subjici debeant censurae ordinarii et an etiam quoad opiniones politicas?

2° An eidem censurae subjaceant non solum articuli doctrinales, sed etiam articuli, in quibus facta narrantur?

Resp. S. C. O. anno 1832. ad episcopos Helvetiae:

Ad 1um: *Affirmative.*

Ad 2um: *Affirmative.* — (Not. auct.) V. etiam *n. 985.*

(2) Inspectis variis auctorum sententiis et textu bullae ipsius putamus, non constare, prohibitionem illam extendi ad libros eorum, qui alicui sectae haereticae non adnumerantur; hoc vero sufficere, ut liber sub prohibitione bullae *Coenae* comprehendatur, etsi auctor haereticus tantum materialis esset, cum non agatur de poena contra auctorem, sed de cautela pro aliis. — Cf. *Gury, Casus cons. p. 2. n. 1134.*

(1) V. *not. seq.*

(2) Cum divisio librorum prohibitorum in tres classes, quae habetur in praefatione ad indicem veterem et supra in textu minus accurate refertur, ad poenas contra istorum librorum usum latas relationem non habeat et in editionibus indicis a tempore *Alexandri VII.* non amplius inveniatur (quamvis libri, qui sunt 1ae clas-

Nota: In indice probibentur in odium auctoris omnes libri haeresiarcharum, licet haeresim non contineant et de religione non tractent.

Regulae indicis praecipuae, Tridentini jussu editae:

984. — 1⁰ Libri omnes ante annum 1515. damnati prohibentur(¹), etiamsi in indice descripti non reperiantur.

2⁰ Libri omnes haeresiarcharum omnino vetantur, etiam non erronei aut non tractantes de religione. (Excomm. non reserv.) Ceteri libri haereticorum non erronei nec de religione tractantes permitti possunt, modo examinati et approbati fuerint. (Clausula haec non videtur modo vigere.)

3⁰ Scripturae et libri controversiarum in lingua vernacula legi non possunt, nisi approbati fuerint a S. Sede, vel editi cum notis desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris(¹).

---

sis, tamquam tales per appositionem „I^a classis ind. Trid." adhuc designentur), praescindendo ab hisce tribus classibus regula generalis sic proponi potest:

Prohibentur sub excommunicatione latae sententiae et Papae reservata libri in bulla *Coenae* (cf. *n. 982.*) vel per aliquod speciale S. Sedis decretum, post *5. Mart. 1664.* editum, sub tali excommunicatione vetiti; — sub excommunicatione latae quidem sententiae, sed non reservata libri omnes, qui hac poena per regulam 10^ae indicis vel per specialia decreta plectuntur vel qui sub excommunicatione etiam reservata prohibiti erant ante *5. Mart. 1664. Alexander VII.* enim per const. *Speculatores d. d. 5. Mart. 1664.* ad poenas in constitutione *Pii IV.* latas (scil. ad excommunicationem non reservatam) „omnes et singulas poenas per constitutiones Apostolicas et decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas" reduxit, exceptis tamen poenis in bulla Coenae contentis.

Passus concernens vero *regulae 10^ae indicis* ita habet: „Ad extremum vero omnibus fidelibus praecipitur, ne quis audeat contra harum regularum praescriptum aut hujus indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere."

„Quodsi quis libros haereticorum vel cujusvis auctoris scripta, ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat."

„Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum, quo afficitur, judicio episcoporum severe puniatur." —

Etiam excommunicatio a Tridentino in decreto de editione etc. ss. librorum (*sess. 4.*) lata contra imprimentes, vendentes vel retinentes libros sacros sine nomine auctoris etc. inter non reservatas recensenda est. — Cf. *Ferraris, Bibl. prompt. ad v.* Libri prohibiti. — *Anal. J. P. variis in locis etc.*

(¹) „eodem modo damnati censeantur, sicut olim damnati fuerunt" — ita *reg. 1^a indicis.*

(¹) *Responsum.* Cum ad Sacram Congregationem Indicis certo relatum fuerit, sacratissimos bibliorum libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur; cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores sanctiori divini eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur: censuit eadem *S. Congregatio*, revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt: vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas, nisi *quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae patribus vel ex doctis catholicisque viris. — d. d. 13. Jun. 1757.* — Item *d. d. 7. Jan. 1836.* (Nota auct.)

Ex collatione *regulae 4^ae indicis, observationis ad ipsam jussu Clementis VIII. factae, decisionis S. C. Ind. modo relatae et a Benedicto XIV. approbatae et encyclicae Gregorii XVI. contra societates biblicas d. d. 8. Maji 1844.* statuendum videtur: Ut versiones s. scripturae in lingua vulgari editae legi possint, opus est de rigore juris licentia S. Sedis, qua concessa non permittuntur, nisi versiones a catholicis auctoribus factae et a S. Sede approbatae vel cum dictis adnotationibus editae; insuper consensus episcopi vel inquisitoris in scriptis obtineatur. — Pro praxi autem servetur regula, a *Benedicto XIV. (de syn. l. 6. c. 10. n. 6.)* proposita: „Ubi nullus quoad vernaculam sacrarum scripturarum lectionem abusus irrepsit, aut sileant episcopi, aut solum quartae indicis regulae urgeant complementum. Ubi vero abusus semel innotuit, etiam synodali decreto radicitus evellatur."

Libri vero controversiarum inter catholicos et haereticos hujus temporis in vulgari idiomate licite leguntur, si episcopus aut inquisitor, consilio parochi vel confessarii super utilitate talis lectionis audito, licentiam in scriptis dederit. — Cf. *Reg. 4.*

4° Libri de obscoenis *ex professo* tractantes absolute prohibentur, quamvis in indice non reperiantur.

5° Pariter vetantur omnes libri tractantes de astrologia, divinatione et sortilegiis (probabilius sub excommunicatione non reservata).

6° Omnes libri damnati propter falsi dogmatis suspicionem prohibentur sub poena excommunicationis, ceteri sub peccati mortalis reatu.(1)

Quaesita:

985. — Quaer. 1° *An lex indicis, prohibens lectionem quorumdam librorum, obliget de jure naturali, vel de jure positivo tantum?*

Resp. Urget ex utroque jure, saltem *per se*, seu libros non prohibet, nisi quia sunt perniciosi et proximum perversionis vel peccati periculum inducunt; de jure autem naturali quisque hujusmodi periculum effugere tenetur. Unde, etiamsi obligatio indicis alicubi non agnosceretur, nihilominus lectio librorum in indice repositorum sub gravi(2) prohiberetur. Censurae tamen de solo jure positivo urgent, ut patet. Qua de re animadvertit *S. Lig. in appendice (ad tract. de fide) de prohib. libr. c. 1. n. 12.*: „(Theologi omnes) addunt, nec cum licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis alicui occasio esse possit.“

Duo praeterea notanda sunt:

1° Privati homines debent confessarii mandatis obsequi in his, quae lectionem librorum respiciunt. Ita respondit *S. C. Inquisit. anno 1832.* ad episcopos Helvetiae interrogantes:

An fideles, salva conscientia, legere possint ephemerides vel libros, qui censuram ordinarii non subierunt? *Resp. Recurrant ad confessarium.*

2° Confessarius ipse debet episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter prae oculis habere gravissimum monitum, quod *S. Ligorius* (*l. c. in resolut.* post *c. 4.* sub *n. 8.* tradidit, nempe: „In hac re expedit ordinarie, rigidiores opiniones sequi.“

986. — Quaer. 2° *An lex indicis in Gallia urgeat?*

Resp. Hac de re non omnes conveniunt. *Affirmant* alii, quia lex generalis est. *Negant* autem alii, tum quia, ajunt, lex indicis recepta non fuit (quod de cetero adversarii dicunt historice falsum), tum propter diuturnam legis desuetudinem. Alii vero, mediam incedentes viam, dicunt, non esse receptam in Gallia indicis prohibitionem quoad poenam excommunicationis, urgere tamen quoad reatum peccati, quod plerumque ob periculum perversionis aut malae delectationis ex lectione talium librorum committitur.(1)

Verum, quidquid in antecessum dixerint non pauci Galliae theologi, nunc amplius dubitandum esse non

(1) Praeter decem regulas jussu Tridentini editas exstant aliae regulae generales, ab ipsa *S. Congr. Indicis* statutae et jussu Pontificum in volumine indicis librorum prohibitorum editae, quibus libri in quasdam classes redacti vetantur, sub hoc titulo: *Decreta de libris prohibitis nec in indice nominatim expressis.* — (Not. auct.)

(2) saltem in genere —

(1) Sententia, quae asserit, bullam *Coenae* vel indicem librorum prohibitorum in Germania non receptos esse vel consuetudine contraria iterum abrogatos, tuta dici nequit. — Cf. *Reiffenstuel l. 5. tit. 7. §. 3.* — *Anal. J. P. ser. 1. col. 356. et seq.; ser. 4. col. 1401. et seq.* Ex altera parte omnes fere canonistae et moralistae germani in eo conveniunt, eosdem penes nos non secundum suum rigorem receptos esse. — Cf. *adnot. in fine append. ad S. Alphonsi trad. de fide, editioni Ratisbonensi (1846) additam.* Hinc facultatem per jus requisitam, retinendi et legendi libros prohibitos, quam etiam episcopi in Germania, non tamen absque clausulis, sacerdotibus largiri vi quinquennalium valent, impetrare omnibus magnopere consulimus, eos tamen peccati damnare non audemus, qui sine hac facultate libros retinent et legunt, quibus pii etiam et docti universi per Germaniam absque tali facultate utuntur, salvo tamen jure naturali et constitutionibus Romanorum Pontificum, quibus opera speciali modo interdicentibus, uti contigit quoad opera Eybel etc.

videtur, propter non ambiguas *Pii IX.* declarationes. Pontifex enim non tantum suasionibus egit, ut Galliae episcopos induceret ad leges indicis recipiendas, sed etiam tantam auctoritatem prae se tulit, ut nemini deinceps liceat affirmare, legem indicis in Gallia non vigere. Satis sit, in medium afferre testimonium *S. Congr. Concilii,* ac proinde Pontificis ipsius, in actis *Concilii Remensis an. 1857.*, scilicet: *Ceterum servari regulas indicis.* — *V. Card. Gousset, Exposition des principes du droit canonique.*

987. — Notatu vero dignum est, episcopos Galliae in dies conari, ut leges indicis exsecutioni mandentur, ut patet ex conciliis provincialibus Avenionensi, Tolosano, Burdigalensi, Albiensi, Auscitano, Rupellensi etc.(1)

988. — Quaer. 3° *An incurrat excommunicationem indicis legens manuscripta majoris formae ab haeretico exarata?*

Resp. Affirmandum videtur cum *S. Lig. (n. 293.), Suarez, Lacroix* et *aliis communius.* Ratio est, quia in usu vulgari manuscripta saepe librorum nomine insigniri solent; sic enim appellabantur omnia scripta, antequam typographia inventa fuisset. Plures tamen contradicunt, quia manuscripta nomine librorum non veniunt.(2)

Quaer. 4° *A quonam impetranda sit licentia libros prohibitos legendi?*

Resp. Ordinarie loquendo a solo Pontifice Romano vel a *Congregationibus S. Inquisitionis* aut *Indicis.* Facultas enim permittendi ei competit, cujus est vetare. Episcopi tamen ad illud munus aliquando delegantur. *Viva* censet, eos, urgente magna necessitate, hanc licentiam impertiri posse.

Nota: Episcopis aliisque ecclesiarum ordinariis potestas inest, prohibendi lectionem pravorum librorum, et quidem sub poena censurae subeundae. Hanc potestatem in episcoporum memoriam revocavit *Leo XII. d. d. 26. Mart. 1825.*, et recentius confirmavit *Pius IX. d. d. 24. Aug. 1864.*, qui jussit, episcopos hac in re *tamquam Apostolicae Sedis delegatione perfungi.*

Ceterum, cum in materia adeo gravi et difficili multo plura dicenda forent, quam brevitas nostri operis permittat, lectorem ad canonistas remittimus.

APPENDIX II.

DE CLAUSURA MONASTERIORUM.

Respectu 1° ingredientium; 2° egredientium; 3° colloquentium ad crates absque facultate.

I. Quoad ingressum in monasteria.

989. — 1° Incurrunt(1) excommunicationem omnes fideles utriusque sexus ingredientes(2) monasteria monialium, et moniales eos admittentes.(3)

---

(1) Vide etiam eruditissimum mandatum pastorale dd. episcopi Lucionensis *de indice librorum prohibitorum ann. 1852.*, in quo inter alia multa dicitur:

„Congregationis Indicis decreta tandem hodie tanti sunt momenti et tam graves adferunt consecutiones etiam quoad negotia mercaturae librariae, ut tribunal, lites inter mercatores provinciae, quam vocant de la Seine, dijudicans, absque haesitatione hujus rei laudabile initium ponens, non dubitaverit, die 11. Oct. 1852. declarare, esse rationem sufficientem resiliendi a contractu inter editorem et typographum pro publicatione alicujus operis facto, quod idem opus ecclesiasticum gallicum, ad usum clericorum destinatum, a S. Sede in indicem referebatur.“ — *Ami de la religion t. 158. p. 130. 131.* (Not. auct. ex idiom. gall. versa.)

(2) Quae hic disseruntur, ad interpretationem loci concernentis in bulla *Coenae* potius spectant. Ceterum cf. *n. 983. not.*

(1) per *conc. Trid. sess. 25. c. 5. de regular.* —

(2) sine justa causa et legitima facultate —

(3) Monasteria monialium sine clausura hodie ab Ecclesia tolerantur; sed non gaudent exemptione a jurisdictione episcopi, etsi hac fruantur ordines, ad quos pertinent, nec moniales in ipsis profitentes sunt verae professae. — Cf. *Ben. XIV.*, *Inst. 29. et 105.* — *Ferraris ad v.* Moniales *art. 3. n. 6.*

Addit auctor: In Gallia non videtur nunc admittenda excommunicatio pro ingredientibus monasteria mulierum, juxta dicta *de statibus*, cum ibi non sint religiosae stricto sensu seu solemniter professae.

Attamen non est reservata, nisi sit in malum finem(1).

2° Item mulieres ingredientes monasteria virorum qualibet de causa, exceptis reginis vel aliis ex familiis principum.(2) Item religiosi eas admittentes vel introducentes praetextu privilegiorum; secluso autem tali praetextu incurrunt suspensionem et privationem officii ipso facto.(3)

3° Praelati saeculares sine necessitate ingredientes pro prima vice interdictum ab ingressu ecclesiae incurrunt, pro secunda vice suspensionem a munere pontificali et pro tertia vice excommunicationem non reservatam. Praelati vero regulares prima vice eamdem excommunicationem incurrunt cum privatione omnis officii. Alii dicunt, pro tertia vice.

Nota 1° Possunt ingredi monasteria: 1° episcopi(1) in casu necessitatis aut visitationis, sed sociati a paucis personis maturis; 2° praelati regulares semel in anno visitationis causa; 3° confessarius ordinarius(2) ad sacramenta in necessitate ministranda, sed superpelliceo et stola indutus(3); 4° medicus ordinarius, qui licentiam renovare debet quolibet trimestri(4), et medicus extraordinarius ordinarii de-

---

(1) quo in casu reservata est extra Urbem et intra Italiam, vel nisi fiat sub praetextu facultatum a Rom. Pontifice, a legatis vel ab aliis concessarum, quae annullantur. — Cf. const. *Ubi gratiae Greg. XIII. d. d. 13. Jun. 1575.*; const. *Salutare Ben. XIV. d. d. 3. Jan. 1742.*, quae constitutiones tamen facultates postea concessas abrogare haud valent. Non videtur insuper per hanc constitutionem *Benedicti XIV.* ablata facultas, quae communiter imperatoribus, regibus etc. ab auctoribus vindicatur (v. *Ferraris, Bibl. pr. ad v.* Moniales *art. 3. n. 53.*), quia ibi non sunt expressae, nisi personae inferiores iisdem, et ipsi sunt speciali nota digni.

Plurimi tamen hanc censuram semper Pontifici reservatam ajunt, quam sententiam etiam *Giraldi (Expos. J. P. p. 2. sect. 160.)* ob stylum curiae amplectitur. Eidem *Thesaurus (de poenis eccles. p. 2. ad v.* Clausura *c. 4. §. Item secundum* et *§. Advertendum)* quoque favet. Quoad violationem autem clausurae monialium per introductionem quorumcumque sine licentia legitima v. eumdem *Thesaur. l. c. c. 5.*

(2) Cf. const. *Regularis disciplinae Ben. XIV. d. d. 3. Jan. 1742.* et *Thesaur. l. c. c. 2.* (Constitutiones *Salutare* et *Regularis* habes apud *S. Lig.* post *n. 243.)*

(3) In hisce casibus, etiamsi regulares introducant mulieres absque praetextu facultatum, incurritur excommunicatio ipso facto Papae reservata. — *Reiffenstuel l. 3. tit. 35. n. 74.* — *Thesaurus l. c. c. 3.*, qui dicit, id „magis communiter et in praxi observari."

(1) Possunt ingredi monasteria monialium, quae eorum jurisdictioni subsunt. — Const. *Salutare Ben. XIV. etc.*

(2) vel extraordinarius — *Alex. VII.* in const. *Felici.*

(3) *S. C. E. in Lucen. 29. Mart. 1509.*

Quaer. 1° An episcopus, habens facultatem dandi benedictionem Apostolicam in articulo mortis, teneatur quoad moniales eam committere earum confessario ordinario, vel potius sit in ejus facultate, aliquando ingredi monasterium, ut eis det benedictionem. Et quatenus *affirmative* ad 2am partem:

2° An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat.

3° An episcopus et confessarii, sive ordinarius, sive extraordinarius, ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere.

Resp. S. C. C. d. d. 10. Maji 1727.:

Ad 1um: *Negative quoad primam partem, et ad secundam affirmative, et ad d. secretarium cum emmo secretario brevium.* (Cf. etiam *n. 1088. sub fine.*)

Ad 2um: *Debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confessario monialium et uno probo sacerdote per eam eligendo.*

Ad 3um: *Uniantur decreta.* — V. *Lucidi, de visitat. sacr. liminum p. 1. vol. 2. de 5. relationis capite sub IV. p. 176. n. 164.*, qui *ib.* addit, reproposito 3°. dubio *die 5. Julii ejusdem anni* responsum fuisse: *Affirmative, servatis servandis.* — V. *Bened. XIV., Quaest. canon. n. 564.*

Potest confessarius etiam intrare clausuram ad commendationem animae agonizantis, ut colligitur ex const. *Felici Alex. VII.* — V. *Thesaur. l. c. c. 6.*

(4) De jure licentia pro singulis ingressibus requiritur. — Medici et chirurgi *ordinarii* tamen habere debent licentiam generalem ingrediendi clausuram, etiam de nocte, in casibus urgentis necessitatis. (*S. C. E. 2. Jul. 1599. etc.*)

factu; 5° fabri et alii necessarii, qui artem suam extra clausuram exercere non possunt.

Nota 2° Licentiam concedere potest episcopus(1), vel quivis alius ab ipso delegatus, v. g. vicarius generalis vel confessarius monialium, aut ipsa abbatissa etc.; sed causa gravis(2) requiritur, minor tamen pro foemina, quam pro viro; pro ingressu diurno, quam pro nocturno; et pro ingressu propinquorum, quam exterorum.

II. Quoad egressum e monasteriis.

I. Ex parte monialium.

990. — 1° Incurrunt excommunicationem reservatam ex bulla *Decori S. Pii V.* moniales e monasterio egredientes absque urgentissima necessitate, etiamsi occulte fiat.

2° Item concedentes licentiam egrediendi sine ratione valde gravi. Eamdem incurrunt excommunicationem eas comitantes vel recipientes.

3° Non datur materiae parvitas, etiamsi egressus fiat uno passu tantum. — *Ita communiter theologi,* et ideo in tali casu excommunicatio incurritur.

4° Excusantur moniales tum a censura, tum a peccato in casu urgentis necessitatis, v. g. in incendio, epidemia etc.(3); sed requiritur licentia episcopi in scriptis consignata, quoties postulari potest.(1) — *S. Lig. n. 229.*

II. Ex parte religiosorum.

991. — 1° Ex consuetudine et ex fine status sui religiosi ad clausuram ita tenentur, ut sine licentia e proprio conventu egredi non possint.

2° Nullam tamen censuram incurrunt, nisi dimisso habitu et animo non redeundi(2) egrediantur. Sed nocturna egressio furtiva est casus reservabilis.

3° Egressus est ex genere suo peccatum grave, quia turbat ordinem et finem vitae religiosae; ratione materiae veniale esse potest, v. g. si die fiat et ad breve tempus etc.

III. Quoad collocutionem ad crates cum monialibus.

992. — 1° Laici frequentantes(3) monasteria monialium incurrunt excommunicationem ferendae sententiae (in variis locis(4) latae sententiae).

2° Clerici vero suspensionem per episcopum imponendam incurrunt.

3° Regulares autem subeunt excommunicationem et privationem vocis et officii ferendae sententiae, etiamsi collocutio fiat semel et per quadrantem cum dimidio(5), ex decreto *S. Congregationis anno 1669.* —

---

(1) etiam pro monasteriis Sedi Apostolicae immediate subjectis, ex jure delegato et in perpetuum muneri episcopali concesso.

Pro ingressu in monasteria regularibus immediate subjecta ex *conc. Trid. (sess. 25. de regul. c. 5.)* licentia superioris regularis sufficiebat. Hodie tamen simul episcopi permissio requiritur. — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 23.*

(2) necessitas (moralis) — ex *Trid. l. c.*

(3) Constitutio *Decori Pii V.* tres casus enumerat, in quibus monialibus exire de monasterio licet, scil. magnum incendium, infirmitatem leprae aut epidemiae, quam concessionem sane ad casus omnino similes et urgentes extendere fas est, si periculum aliter evitari nequit, „cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta." (*C.* Exiit. [3.] *de verborum signif. in 6°. [V. 12.] §. Nec quidquam.*) — *Ferraris ad v.* Moniales *art. 3. n. 26. et seq.*

(1) In aliis vero casibus minus gravibus petenda est de jure licentia a S. Sede vel a S. Congregatione. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 12. n. 26. et seq. etc.*

(2) Sufficit ad excommunicationem incurrendam sola temeraria habitus dimissio. — Cf. *n. 979. 7°.* cum *not.*

(3) sine rationabili causa et legitima facultate (quod etiam pro seq. casibus subintelligatur) — c. Monasteria (8.) *de vita et honest. cler. (III. 1.) etc.*

Hanc facultatem elargiri autem iisdem competit, qui ingressum in clausuram permittere possunt.

(4) et aliquando ipso jure communi — cf. const. *Romanus Pontifex Clem. XII. d. d. 12. Febr. 1732.*

(5) „per quodcumque modicum temporis spatium", ait decretum. — V. etiam *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 15. n. 7.*

S. Lig. n. 236. Ex decreto anteriori *Sixti V. (anno 1590.)* incurrunt privationem officii et vocis cujuslibet ipso facto, si frequentare praesumant ad colloquendum cum qualibet muliere ibidem degente.(¹) — *S. Lig. n. 232.* Probabiliter excipitur abbatissa extra Romam.

4° Frequentia consistit in eo, quod quis tribus diebus continuis, vel semel singulis mensibus per annum circiter, aut quater in una hebdomada monasterium adeat. — *S. Lig. n. 232.*

Nota: Respectu religiosorum intelliguntur nomine monasterii tantum claustrum, domus, officinae interiores (v. g. capitulum, bibliotheca), non vero ecclesia, sacella juncta ecclesiae, nec hortus, si sine transitu per monasterium possit adiri(²). Quoad moniales vero clausura respicit domum integram, et omnia septa huic adnexa atque muro circumdata.(³)

ARTICULUS II.
DE SUSPENSIONE.

993. — Definitio: *Suspensio* est censura, qua clericus privatur ad tempus, ex parte vel toto, usu potestatis, quam habet ratione ordinis, officii vel beneficii.

Suspensio est *censura,* quia *per se* fertur in medicinam per modum monitionis, ut delinquens a contumacia desistat. Sic 1° differt a depositione et degradatione, quae sunt merae poenae et perpetuae in vindictam criminis; 2° differt ab irregularitate, quae non est *per se* poena, sed merum impedimentum seu inhabilitas, non solum ab exercenda potestate ecclesiastica, sed etiam ab ea recipienda impediens.

Attamen suspensio non est necessario et essentialiter censura; aliquando enim fertur ad certum tempus vel in perpetuum ad puniendam culpam mere praeteritam, et proinde tunc non est medicinalis.(¹) Constat ex praxi Ecclesiae et ex jure canonico.

(¹) Haec poena ipso facto statuta illos solos religiosos complecti videtur, qui a superioribus ob praedicandum verbum Dei vel celebrandas missas ad monasterium mittuntur et sine debita venia personas intra clausuram degentes „adloquuntur".

(²) et a clausura clavi et muro convenienti separatus sit. — *S. C. Ep. et Reg.*

(³) V. etiam *Thesaurus l. c. c. 1.*

Quamvis *Reiffenstuel (l. 3. tit. 35. n. 66.)* consuetudines contra leges clausuram tuentes non omnino reprobet, eas tamen merito invalidas declarat, si occasionem peccandi praebere incipiant vel utilitati communi perniciosae sint. — Cf. *Trid. sess. 25. de regul. c. 5. sub initio.*

(¹) Item, si oretenus infligatur. — *S. C. C.* apud *Monacelli.* — Cf. *n. 932. not. 3.*

Singulares species suspensionis sunt:

1° *Suspensio ex informata conscientia* seu facultas episcopis et praelatis jurisdictione quasi-episcopali gaudentibus data, interdicendi suis clericis adscensum ad sacros ordines vel suspendendi eosdem a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis (quod tamen probabilissime ad beneficium extendi nequit) ex quacumque causa (gravi tamen, uti rei natura et contextus verborum expostulant, cujus aestimatio conscientiae episcopi relinquitur — *Anal. J. P. ser. 7. col. 581. et seq.*), etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extra-judicialiter. — Cf. *Trid. sess. 14. c. 1. de ref.*

De hujus suspensionis origine et charactere v. *Anal. J. P. l. c. col. 565. et seq.* Ipsa, uti ex dictis colligitur, nullas solemnitates requirit; exprimendum tamen est, episcopum agere vigore *cap. 1. sess. 14. conc. Trid.*, ne censeatur via ordinaria procedere, quo in casu solemnitates necessariae essent. — *Scav.*

Videtur vero ex decisionibus *S. C. C.* non infligi posse propter crimina publica (cf. *Giraldi, Exp. J. P. p. 2. sect. 43.* — *Anal. J. P. ser. 7. col. 570. et seq.*); insuper statui nequit tamquam poena perpetua, imo ordinarie ultra sex menses non protrahitur *(Anal. J. P. l. c. col. 575. et seq.).*

Ita suspensus, qui sacrum ordinem solemniter exercet, irregularitatem incurrit. — Nec conceditur contra hanc episcopi sententiam appellatio, sed solummodo recursus ad S. Sedem, attamen sine effectu suspensivo. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 12. c. 8. n. 3. et seq.* — *Anal. J.P. ser. 7. col. 568. 569.* — *Ferraris ad v.* Suspensio *art. 1. n. 14. et seq.*

Cessat haec suspensio etiam per mortem episcopi, qui eam tulit. — *Supra n. 951. not. 2.* — *V. n. 1019. Q. 4°. not.*

2° *Suspensio ad cautelam* vel *inhibitio,* praeceptum scil. episcopi, clericum

Divisio: Suspensio duplex distinguitur:

1° *Totalis*, qua clericus arcetur ab omni functione vel jure ecclesiastico.

2° *Partialis*, qua functione vel jure aliquo tantum privatur.

Suspensio autem *partialis* triplex est: 1° *ab ordine*, quae privat exercitio functionum ordinis, v. g. celebratione missae, cantu solemni evangelii, epistolae etc.; — 2° *ab officio*, quae privat usu tum ordinis, tum jurisdictionis sive in foro externo, sive etiam in foro interno. — 3° *a beneficio*, quae privat reditibus et administratione beneficii. — Hae autem singulae iterum in suspensionem *totalem*, vel *partialem* sive ordinis, sive officii, sive beneficii subdividi possunt. — V. *S. Lig. n. 315. et seq.*(1)

Regulae generales:

994. — *I^a Regula.* Peccat graviter clericus suspensus, si actum vetitum exerceat, nisi ignorantia invincibili aut alia legitima causa, v. g. necessitatis, excusetur(2). Ratio est, quia in re gravi Ecclesiae resistit. Potest tamen facere ea omnia, quae a laicis fieri solent, v. g. canere in choro more laicorum etc. Suspensus autem ab ordine, si hunc solemniter exerceat, non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem incurrit, ut suo loco dicemus.

II^a Regula. Suspensio *absolute* et *simpliciter* sine ulla determinatione ad hoc vel illud semper censetur *totalis*(1), et proinde privat omni usu ordinis, jurisdictionis et beneficiorum. Suspensio vero *partialis* privat ea parte tantum hujus potestatis, quae in lege, vel statuto, vel mandato aut sententia exprimitur.

III^a Regula. Suspensio *ab ordine absolute* et *simpliciter* privat exercitio et usu cujuscumque ordinis sive majoris, sive minoris. Suspensio *a jurisdictione* privationem omnis jurisdictionis importat.

IV^a Regula. Suspensio *ab officio simpliciter* et *sine limitatione* privat usu tum jurisdictionis, tum ordinis, seu cujuscumque ministerii ecclesiastici. Hinc parochus ab officio suspensus nec missam celebrare, nec praedicare, nec officiis praeesse, nec sacramenta ministrare potest.

Resolves:

995. — 1° Suspensus simpliciter ab ordine non intelligitur suspensus a jurisdictione, et vice versa. Suspensus ab ordine superiore non ideo ab inferiore est suspensus(2). Item suspensus a beneficio non censetur suspensus ab officio, nec vice versa.(3) — *S. Lig. n. 316.*

---

arcens ab exercitio ministerii, non praecise quia criminis reus est, sed vel quia fama publica de ipso mala refert, vel quia jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter instituta est, vel alia justa de causa. Non habet *per se* rationem poenae, et multo minus censurae. — *Scav.* — *Act. vol. 2. fasc. 17. p. 284.* — *Anal. ser. 8. col. 1643. et seq.* — V. etiam *n. 1029. not.*

(1) Per suspensionem *a divinis* sine allo addito juxta communiorem sententiam intelligitur suspensio ab officio, nisi forsan usus illa verba aliter explicet. Promiscue enim hae duae formulae in jure can. adhibentur. — *Scav.*, in edit. 10^a. *tom. 1. n. 1015.*

(2) vel nisi suspensus, qui a judice nominatim non denuntiatus est, a fidelibus requiratur et aliud non obstet, uti communiter addunt auctores. Extrav. *Ad vitanda Martini V.* enim in genere de censuratis loquitur. — Cf., quae sub *n. 956. etc.* quoad interpretationem hujus constitutionis diximus.

Item *S. Alphonsus n. 313.* ob materiae parvitatem saltem a peccato gravi eum excusat, qui v. g. actum levem jurisdictionis exercet.

(1) nisi circumstantiae aliud clare suadeant — cf. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 891. §. Cum autem.*

(2) suspensus tamen ab ordine inferiore etiam a superiore suspensus censetur. — *Ferraris ad v.* Suspensio *art. 7. n. 7.* — *Bönninghausen, de irreg. fasc. 1. p. 1. c. 6. n. 7. p. 58.* Is vero, qui ab aliquo speciali officio suspenditur, non eo ipso suspensionem a ceteris officiis incurrit. — *Devoti, Inst. can. l. 4. tit. 20. III.*

(3) Per accidens tamen lex contra crimen, quod suspensionem ab officio in-

2° Non incurritur irregularitas violatione suspensionis latae propter delictum mere praeteritum vel in perpetuum. — *S. Lig. n. 314.* Ratio est, quia tunc non est violatio censurae. *A fortiori*, si suspensio lata fuerit propter defectum inculpabilem mentis vel corporis. Nec incurritur per exercitium cujuslibet actus, a quo quis fuit suspensus, praeter exercitium *solemne* ordinis sacri.(1) — *Ita communiter.*

3° Episcopus suspensus a pontificalibus, si missam celebraret etiam cum pontificalibus, non incurreret irregularitatem, quia non exerceret actum substantialem ordinis episcopalis. — *S. Lig. n. 314. etc.*

4° Actus ordinis clerici suspensi non dependentes a jurisdictione sunt validi, quia Ecclesia nequit tollere potestatem ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Actus vero jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denuntiatus, quia privatur actuali jurisdictione; validi autem sunt, si non sit denuntiatus, quia Ecclesia eo ipso, quod toleret suspensum, ei non adimit jurisdictionem ob bonum fidelium. — *S. Lig. n. 314. etc.*

Quaesita:

996. — Quaer. 1° *An sacerdos suspensus absolvi possit a peccatis per simplicem confessarium, antequam a censura solvatur per superiorem?*

Resp. Affirmative. Ratio est, quia effectus suspensionis non est, privare receptione sacramentorum.(1) Sufficit igitur, ut sit dispositus ad sacramentum poenitentiae, scilicet ut sit saltem attritus de peccatis et promittat, se esse procuraturum quamprimum, in quantum in ipso erit, absolutionem a censura et interea se potestate vel juribus prohibitis usurum non esse.

Quaer. 2° *An possit ferri suspensio* partialis *pro sola culpa veniali?*

Resp. Affirmative juxta sententiam communem, modo sit ad breve tempus et proinde lata ab homine. Ratio est, quia tunc magnum onus non inducit, nec proinde deest proportio inter culpam et poenam. Secus autem, si esset ad tempus diuturnum vel indicta a jure, ita ut incurratur sine praevia monitione; talis enim censura non incurritur, nisi ob peccatum mortale. — *S. Lig. n. 321.*

997. — Quaer. 3° *Quomodo tollatur suspensio?*

Resp. 1° Si suspensio rationem habeat *censurae*, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem superioris, si sit reservata; attamen si lata fuerit ad certum tempus determinatum vel sub conditione resolutiva, cessat per seipsam transacto tempore vel adimpleta conditione statuta.(2)

Resp. 2° Si vero imposita sit *in perpetuum* propter culpam omnino praeteritam, tollitur ut mera poena per solam dispensationem praelati vel ejus delegati, quia tunc non est censura. — *Ita communiter.*(3)

Quaer. 4° *Quaenam forma ad-*

---

ducit, etiam privationem beneficii statuere potest. — Quoad *insordescentiam* vero in suspensione cf. c. Cum bonae (8.) *de aetat. et qualit. (I. 14.)* et supra *n. 959. not.*

Cum porro beneficium detur propter officium, suspensus ab officio beneficium obtinere non potest. — *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Episcopus c. *1.* Hinc ejus electio non quidem ipso jure irrita est, ut aliqui volunt (v. g. *Goritia, tab. 216. III. 1.*), irritanda tamen per competentem judicem. — *Kober, Die Suspension c. 6. p. 94.*

(1) Cf. *n. 1034.*

(1) Cf. *n. 430. Q. 7°.*

(2) Excipe tamen quoad conditionem resolutivam, si obstent verba decreti, v. g. clausula: *suspensus maneat, donec satisfactione praemissa, absolutionem meruerit obtinere.* — V. *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 26. Circa 1um dubium. Amplia III.*

(3) Cf. *n. 993. not. sub 1°.*

hibenda sit ad tollendam suspensionem?

Resp. 1° Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo etc.*

Resp. 2° Si publica sit, in foro *interno* eadem forma tollitur; in foro vero *externo* adhibenda est forma solemnis in rituali determinata. Solemniter autem nemo a suspensione absolvere potest, nisi ipse superior aut specialiter ad hoc delegatus.

Quaer. 5° *An sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit suspensum a censura in articulo mortis, si superior aut delegatus desit?*

Resp. Negant non pauci ea ducti ratione, quod nulla appareat causa, cur Ecclesia ei conferat talem potestatem; suspensio enim non privat facultate recipiendi sacramenta, si excipias promotionem ad ordinem superiorem. Sufficit igitur ad salutem aeternam, ut suspensus in tali periculo constitutus a peccatis absolvatur.(1) *Alii* tamen probabiliter censent, sacerdotem in hoc casu moribundum absolvere posse. Ratio est, quia Tridentinum generaliter et indistincte dicit *a quibusvis censuris*, atque adeo, cum nullam censuram excipiat, nostrum non est distinguere, ubi lex concilii nihil distinguit(2). — V. *Diana tom. 5. tr. 1. res. 205.*(1)

Suspensiones Papae reservatae.(2)

I. Contra episcopos.

998. — Incurrunt suspensionem: 1° Ordinantes non subditum absque licentia sui episcopi. — *Trid. sess. 23. c. 8. de reform.*(3) — 2° Ordinantes(4) religiosos non professos. — Const. *Romanus Pontifex Pii V.* — 3° Ordinantes monachum sine licentia(5). — *Decr. part. 1. dist. 58. can. 2.*(6) — 4° Conferentes tonsuram conjugato aut infanti vel illiterato. — *C.* Nullus (4.) *de temp. ordin. in 6°. (I. 9.)* — 5° Conferentes ordines extra dioecesim sine licentia episcopi loci, licet ordinatus sit ordinantis subditus.(7) — 6° Conferentes ordines sacros ante aetatem praescriptam. — *C.* Vel non (14.) *de temp. ordin. (I. 11.)*(8) — 7° Conferentes ordines simoniace. — *C.* Cum detestabile (2.) *de sim.*

---

(1) His adnumerandus *Thesaurus l. c. p. 1. c. 24. resp. 4.*, qui censet, talem confessarium in his adjunctis ab iis tantum censuris reservatis absolvere posse, quibus moribundus a receptione sacramentorum et ecclesiastica sepultura arcetur.

(2) Adde, quod nulla amplius in aegroto poenitente supponi debet contumacia. Cum vero absolvi reus, contumacia cessante, debeat, patet, locum tollendi etiam suspensiones opportunissimum adesse. — Ita *editor rom.* Accedit convenientia, fidelem ex hac vita decedentem a censuris ecclesiasticis solvi; item analogia cum administratione sacramenti poenitentiae extra periculum mortis, in qua clericus a suspensionibus non reservatis absolvitur *(S. Lig. n. 322.)*, licet receptioni illius sacramenti non obstent et licet non semper aliqua necessitas id exigat: assertio enim, hanc absolutionem a suspensionibus esse solummodo ad cautelam pro casibus dubiis (v. *Kober, Die Suspension c. 7. p. 139. et seq.)*, nobis sat probata non videtur.

(1) Plura alia ad hanc materiam spectantia facile supplebit lector ex dictis de censuris in genere.

(2) Inter sequentes suspensiones plures occurrunt, quae non sunt reservatae; clausulae insuper a jure appositae perpendendae etc. Hinc conferantur loca citata; *Thesaurus, de poenis p. 2.*; *Ferraris ad v.* Ordo *art. 4.*; *Kober, Die Suspension c. 8. et seq.*

(3) Consonat const. *Speculatores Innocentii XII. §. Ita vero.*

(4) sine titulo *legitimo* (titulus paupertatis enim sine speciali privilegio ante professionem applicari nequit) —

(5) abbatis.

(6) Poena in hoc canone statuta non videtur suspensio. — Cf. *Kober, Der Kirchenbann Einleit. §. 2. p. 43.*

(7) Cf. *Trid. sess. 6. c. 5. de ref.; sess. 14. c. 2. de ref.*

(8) Praedicta suspensio est ferendae sententiae. — Cf. *Ferraris ad v.* Ordo *art. 4. n. 7. et seq.*

in extrav. comm. (V. 1.)(1) — 8° Submittentes laicis bona et jura Ecclesiae absque consensu capituli et licentia Apostolicae Sedis. — *C.* Hoc consultissimo (2.) *de rebus Eccles. in 6°. (III. 9.)* — 9° Alienantes bona Ecclesiae. — *C.* Ambitiosae (unic.) *de rebus Eccles. in extrav. comm. (III. 4.)*(2) — 10° Ingredientes in monasteria monialium sine necessitate.(3) — *S. Lig. n. 320.* — 11° Non visitantes limina apostolorum statutis temporibus. — Const. *Romanus Pontifex Sixti V.*(4)

II. Contra regulares.

Incurrunt suspensionem: 1° Non deferentes habitum regula determinatum.(5) — 2° Recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis. — *C.* Non solum (2.) *de regular. in 6°. (III. 14.)*(6) — 3° Apostatae suscipientes ordines sacros in apostasia. — *C.* Consultationi (6.) *de apostat. (V. 9.)*(7) — 4° Suscipientes ordines sacros ante professionem. — Const. *Romanus Pontifex Pii V.* — 5° Introducentes mulieres in claustra monialium. — *Pius V.*(8) — 6° Introducentes mulieres in sua monasteria.(9)

III. Contra clericos.

999. — Incurrunt suspensionem: 1° Suscipientes ordines, dum sunt censura(1) ligati. — *C.* Cum illorum (32.) *de sent. excomm. (V. 39.)* — 2° Suscipientes duos ordines majores eodem die, vel duobus diebus continuis. — *C.* Literas (13.) et c. Dilectus (15.) *de temp. ordinat. (I. 11.)*(2) — 3° Suscipientes ordines furtive, i. e. sine praevio examine et sine admissione ab episcopo facta.(3) — 4° Recipientes ordinem sacrum post matrimonium receptum, etiam non consummatum.(4) — *C.* Antiquae (un.) *de voto in extrav. Joan. XXII. (V. 6.)* etc. — 5° Suscipientes ordines sacros(5) simoniace.(6) — 6° Celebrantes missam sine communione.(7)

Nota: Plures aliae apud auctores videri possunt; sed vix in praxi obviae sunt aut prorsus in desuetudinem abierunt.

Suspensiones episcopis reservatae.

1000. — Sequentes praecipue casus exhibentur: 1° Susceptio ordinis per saltum(8) vel ante aetatem praescriptam(9), vel non servatis interstitiis(10). — *Trid. sess. 23. cap. 14. de ref.* — 2° Susceptio ordinis ab episcopo alieno sine dimissoria proprii

(1) Cf. c. Si quis (45.) *de sim. (V. 3.)* et const. *Sanctum et salutare Sixti V.*

(2) Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 12. c. 8. n. 9. et seq.*

(3) Cf. Const. *Dubiis Gregorii XIII.*

(4) V. *Thesaurus p. 2. ad v.* Limina c. *1.*

(5) Cf. c. Ne in agro (1.) *de statu monach. in Clem. (III. 10.) §. 4.*, quae suspensio contra monachos nigros statuitur.

(6) et c. Constitutionem (3.) *ib.* coll. c. Ad Apostolicam (16.) *de regular. (III. 31.)*

(7) V. *Bönninghausen, de irreg. fasc. 1. p. 2. c. 2. §. 3. p. 137.*

(8) Const. *Ubi gratiae Greg. XIII.* — Const. *Monialium Pauli V.*

(9) Const. *Regularium Pii V.* coll. const. *Decet Romanum Pontificem ejusdem Pontificis.*

(1) juxta alios: *excommunicatione* — V. *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Ordo c. *4.*

(2) *C. 15.* de diverso casu agit. — Cf. etiam c. Cum lator (2.) *de eo, qui furtive ordinem suscepit. (V. 30.)*

(3) *C.* Veniens (1.) *de eo, qui furtive ordinem suscepit.*

(4) Hosce suspensionem incurrere, alii probabilius negant. — *Thesaur. p. 2. ad v.* Apostasia c. *4. sub II.* — V. *n. 979. 12°.*

(5) vel minores, imo etiam tonsuram — *Extrav. in seq. nota cit.* — *Trid. sess. 21. c. 1. de ref.*

(6) *C.* Per tuas (37.) et Si quis (45.) *de simon. (V. 3.)* coll. c. De simoniaco (22.) *ib.* — *C.* Cum detestabile (2.) *de sim. in extrav. comm. (V. 1.)* — *Conc. Constant. sess. 43.* — Const. *Sanctum et salutare Sixti V.*

(7) *C. 11. dist. 2. de consecr.*

(8) Cf. etiam c. *1. dist. 52.*; c. Tuae literae (un.) *de clerico per saltum promoto. (V. 29.)*

(9) V. *n. 1026. 2°.*

(10) In jure nulla poena ipso facto contra eos statuitur, qui non exspectatis interstitiis ordinantur, si casus sub *n. 999. 3°.* allatos excipias. — *Ferraris ad v.* Ordo *art. 4. n. 46.*

episcopi(1), vel a proprio episcopo extra dioecesim sine ordinarii licentia. — *Trid. sess. 23. c. 8. de ref.*(2) 3° Susceptio ordinis sine titulo clericali, vel cum titulo ficto sine dispensatione.(3) — 4° Benedictio nuptialis a quocumque sacerdote sine licentia parochi sponsorum. — *Trid. sess. 24. c. 1. de ref. matr.*(4) — — 5° Interruptio totalis missae sine gravi causa.(5)

APPENDICULA.

De depositione et degradatione. (6)

1001. — *Depositio* et *degradatio* sunt poenae gravissimae, suspensioni valde affines et ipsi adsimilari solent, quia solas afficiunt clericos et eodem modo(7) privationem jurium et beneficiorum ecclesiasticorum inducunt. Attamen non sunt proprie censurae, quia ratione tantum poenae, non vero medicinae infliguntur.

Depositio est poena ecclesiastica, qua clericus privatur usu potestatis ecclesiasticae et omni titulo radicali ad eam exercendam, necnon omni jure ad beneficia valide possidenda, idque in perpetuum. Est igitur *per se* poena irremissibilis.

Degradatio est solemnis privatio omnium titulorum, bonorum, privilegiorum et honorum ecclesiasticorum, ita ut degradatus, solo remanente ordinis charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur. Hinc differt a *depositione:* 1° quia degradatio est *solemnis* privatio bonorum ecclesiasticorum: depositio autem non ita; 2° quia degradatio privat utroque privilegio clericali, scilicet canonis et fori: depositio autem his privilegiis non privat. Hinc percutiens depositum incurreret excommunicationem; non vero, si in degradatum violentas manus injiceret: a laico enim non differt.

Degradatio non potest infligi, nisi pro immanibus sceleribus, iisque maximis, qualia sunt crimen haeresis manifestum, falsificatio literarum Apostolicarum, sodomia frequentata et notoria, gravissima calumnia episcopo apposita etc.(1) — V. *S. Lig. n. 323. et seq.*

Quaer. *An degradatus teneatur ad horas canonicas et ad votum castitatis?*

---

(1) Cf. etiam Const. *Speculatores Innoc. XII.*

(2) praeterea *Trid. sess. 6. c. 5. de ref.*; *sess. 14. c. 2. de ref.*

(3) Cf. *Ben. XIV., Inst. 26. §. Ac primum.*

(4) V. etiam *n. 977. 7°.*

(5) Est ferendae sententiae. — *Ben. XIV., de sacr. missae sect. 2. n. 104.* (alias *l. 3. c. 14. n. 2.*)

(6) Ab hisce poenis differt simplex *oeconomica remotio* a parochia. Dum scil. privatio parochiae nonnisi ob causas omnino graves et ordine judiciali aprime servato statuitur, haec remotio locum habet tum ob imperitiam et inidoneitatem parochi ad parochiam, ut par est regendam *(Trid. sess. 21. c. 6. de ref.)*, tum ob grave odium et aversionem plebis, quibus exstantibus parochus parochiae suae consulere non possit. Si temporanea fuerit, loco parochi interea vicarius idoneus constituendus est, aequa portione reditnum ipsi adsignata; si vero de perpetua remotione agatur, succurrendum est parocho adsignatione alterius beneficii. — *Act. vol. 2. fasc. 17. p. 283. 284. — Anal. J. P. ser. 8. col. 1643. et seq.* — V. etiam *n. 993. not. sub 2°.*

(7) „Clerici a sacris officiis aut ecclesiasticis stipendiis *suspensi* dignitatem et beneficium non amittunt, sed tantum privantur fructibus beneficii aliisque inde pendentibus, suique ordinis ac dignitatis munera exercere prohibentur. Verum *depositio* non solum clericum ab omni munere ordinis ac beneficii repellit, sed eum etiam officio et beneficio omnino privat titulumque aufert, ita ut ad illud sine nova collatione redire nequeat." — Ita *Devoti, Inst. can. l. 4. tit. 20. §. 6.*

Ceterum non negamus, depositionem et suspensionem totalem perpetuam reapse non differre, prout depositio etiam partialis ab officio (quae indirecte etiam privationem beneficii exigit) vel a beneficio esse potest. — Cf. *Reiffenstuel l. 5. tit. 37. n. 23. et seq.; tit. 39. n. 160.*

(1) nec pro aliis criminibus, nisi quae sunt in jure expressa, excepto casu, si clericus post alias poenas praescriptas ei inflictas esset incorrigibilis. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 9. c. 6. n. 10. 11.*

Resp. Affirmative quoad utrumque(1), quia non debet hoc onere solvi et commodum percipere ex sua malitia. Hinc invalide matrimonium contraheret. — *S. Lig. n. 327.*

ARTICULUS III.
DE INTERDICTO.(2)

1002. — Definitio. *Interdictum* est censura, qua usus divinorum officiorum, aliquorum sacramentorum et sepulturae ecclesiasticae certis personis prohibetur aut in quibusdam locis, in poenam criminis alicujus.

Hinc differt interdictum: 1° Ab excommunicatione, quae majoribus bonis privat, quam interdictum, nec loca, sed solas personas afficit. — 2° A suspensione, quae solos afficit clericos et eatenus tantum privat rebus sacris, quatenus sunt usus alicujus ministerii ecclesiastici, non vero quatenus sunt bona fidelium. Insuper interdictum afficit loca et privat sepultura ecclesiastica, non vero suspensio. — 3° Ab irregularitate et a cessatione a divinis, quae proprie et per se non habent rationem poenae, nec proinde censurae. — *Vide S. Lig. n. 328.*

Divisio. Interdictum est multiplex, scilicet:

1° *Personale, locale* vel *mixtum*(3), prout immediate afficit personam, vel locum, vel utrumque simul.

2° *Generale* vel *particulare*, prout extenditur ad totam regionem, civitatem et communitatem, vel ad oratorium, ecclesiam particularem aut personas determinatas restringitur.(1)

Regulae:

1003. — I. Interdictum generale non cadit, nisi in personas vel loca designata. Hinc: 1° Interdicto clero alicujus loci, non ideo interdicitur populus, nec interdicuntur regulares: et vice versa. — 2° Interdicta civitate, incolae innocentes non sunt interdicti et alio ire possunt, ut divinis officiis intersint. — 3° Interdictis civibus urbis, ecclesiae interdicto non subjacent ibique peregrini officiis adesse possunt. (Episcopi semper eximuntur, nisi specialiter designati fuerint.)

II. Interdictum sine limitatione in aliquod totum omnes ejus partes afficit. Hinc: 1° Interdictum civitatis involvit omnes illius urbis ecclesias, etiam exemptas a jurisdictione interdicentis, quia tunc a jure interdicuntur. — 2° Interdictum familiae vel communitatis singula ejus membra complectitur. — 3° Interdictum ecclesiae singula sacella in ea contenta attingit. At vice versa dici nequit.

III. Interdictum latum in certa loca, v. g. in castrum aut civitatem, afficit etiam suburbia et aedificia contigua. Hinc, interdicta ecclesia, interdicuntur sacella, quae eam immediate tangunt, necnon coemeteria contigua, non vero vice versa: quia *accessorium sequitur principale*, et non principale accessorium.

---

(1) Attamen nec *Clemens XI.*, nec *S. C. C.* decidere voluerunt, damnatum ad triremes ad recitationem divini officii obligari. — *Ferraris ad v.* Degradatio *n. 9.*

(2) Paucissima doctrinae auctoris addimus. Raro enim haec materia, quae absque latiore explanatione non absolvitur, in praxi occurrit. — Ceterum v. v. g. *Bönningh., de irregul. fasc. 1. p. 2. c. 3. §. 2. p. 178. et seq.*

(3) Haec tertia species ab aliquibus omittitur, cum interdictum locale non includat personale, nisi respectu personarum, quarum culpa locale positum est *(n. 1006. 1°.)*, nec interdictum personale in se contineat locale, quamvis utrumque simul infligi possit.

(1) Dividitur etiam in *totale* et *partiale*. Partiali adnumerandum est *interdictum ab ingressu ecclesiae*, quod prohibet, hoc interdicto ligatos in ecclesia (non autem in oratorio privato) adsistere missae et divinis officiis; nec missam coram ipsis in ecclesia celebrare licet. Disputatur autem, num ipsis permittatur, ecclesiam ingredi, ut ibi privatim orent. — *Ben. XIV., Inst. 55. §. Porro die 18. Sept.* — Cf. etiam c. Is, cui (20.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)*

Quaesita:

1004. — Quaer. 1° *Quinam sint effectus interdicti?*

Resp. Sunt tres, ut patet ex definitione superius data, scilicet:

1° *Prohibitio a divinis officiis,* scilicet a missa, precatione publica et solemni, publica recitatione horarum in choro, benedictione publica aquae, olei, templi, cereorum etc. Clerici, qui non afficiuntur per interdictum, celebrare possunt, sed januis clausis et sine campanarum sonitu. — *S. Lig. n. 333.*

2° *Prohibitio ab administrandis et recipiendis aliquibus sacramentis,* scilicet eucharistia, ordine et extrema unctione. — Viaticum moribundis ministrari potest, et juxta aliquos etiam extrema unctio(1). Baptismus (etiam solemnis), confirmatio et poenitentia omnibus permittuntur, exceptis illis, qui causam vel favorem interdicto dederunt(2), probabilius etiam matrimonium, sed absque benedictione. — V. *S. Lig. n. 334.*

3° *Prohibitio a sepultura ecclesiastica.* Extenditur etiam ad infantes et amentes in interdicto locali. — Clerici tamen non nominatim interdicti sepeliri possunt in ecclesia (cum missa), etiamsi ecclesia esset specialiter interdicta (sed sine missa). — *S. Lig. n. 335.*

1005. — Quaer. 2° *Quomodo peccent violantes interdictum, et quaenam poenas incurrant?*

Resp. 1° *Quoad clericos:* 1° Peccant graviter violando interdictum *personale*, quia agitur de re gravi, nisi excuset materiae parvitas, v. g. si exerceant functiones, quae a laicis fieri possunt, vel si brevi tempore relinquant ostium templi apertum etc. 2° Peccant etiam graviter violando interdictum *locale,* si locus sit specialiter vel generaliter interdictus et agant publice, apertis januis, contra prohibitionem; secus venialiter tantum peccant. — Si autem functiones sacras non obstante interdicto exerceant, irregularitatem incurrunt.(1) Demum ipso facto excommunicantur, si quem in interdicto loco sepeliant. — Ita ex c. Episcoporum (8.) *de privilegiis in 6°. (V. 7.)*(2) — *S. Lig. n. 336.*

Resp. 2° *Quoad laicos:* 1° Peccant graviter violantes interdictum *personale*, cum ipsos directe afficiat. 2° Peccant etiam graviter violantes interdictum *locale,* si compellant clericos ad officia divina celebranda contra interdictum, quo in casu excommunicationem Papae reservatam incurrunt(3); item si sacramenta in loco interdicto reciperent, quia cooperarentur ad id, quod clericis sub peccato gravi prohibetur. 3° Peccant autem tantum venialiter, si, interdicto loco, ipsi non personaliter interdicti divinis officiis dumtaxat adsistant. — *S. Lig. ibid.*

Quaer. 3° *Quam ob causam ferri possit interdictum?*

Resp. Ferri non potest *per se loquendo,* nisi propter culpam gravem bono publico oppositam. Sic pro interdicto personali requiritur culpa illius, qui interdicitur: nam poena est propter culpam; pro interdicto autem generali et locali sufficit culpa illius, qui est caput communitatis, vel praecipuorum ejus membrorum. Ex jure can. eruitur. — *S. Lig. n. 337.*

Interdicta personalia generalia.

1006. — Incurrunt interdictum: 1° Qui dant causam interdicto locali,

(1) si aliud sacramentum recipere non valent.

(2) nisi de ipso delicto prius satisfecerint vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem etc. — V. c. Alma (24.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)*

(1) Cf. *n. 1034.*

(2) Excommunicatio statuitur in c. Eos, qui (1.) *de sepulturis in Clement. (III. 7.)*, quod confer.

(3) Cf. c. Gravis (2.) *de sent. excomm. in Clement. (V. 10.)*

licet sit ipsa communitas. — *C.* Si sententia (16.) *de sent. excommunicat. in 6°. (V. 11.)* — 2° Capitulum, quod sede vacante dimissorias ad ordines recipiendos infra annum concedit. — *Trid. sess. 7. c. 10. de ref.* — 3° Communitas vel societas civilis, quae permittit usurariis, conducere domum in suis terris ad foenus exercendum. — *C.* Usurarum (1.) *de usuris in 6°. (V. 5.)* — 4° Communitas et capitulum, quae appellant a sententiis Pontificiis ad futurum concilium. — Bulla *Coenae.*

Interdicta personalia specialia.

1007. — Incurrunt personale interdictum: 1° Episcopi conferentes ordines simoniace (ab ingressu ecclesiae). — *Sixtus V.* — 2° Violantes interdictum generale locale (ab ingressu ecclesiae). — *C.* Episcoporum (8.) *de privilegiis in 6°. (V. 7.)* — 3° Ferentes excommunicationem absque praevia admonitione et testibus. (Interdictum per mensem). — *C.* Sacro (48.) *de sent. excomm. (V. 39.)* — 4° Episcopi vel alii praelati, recipientes beneficia in confidentiam (ab ingressu ecclesiae). Est reservatum. — *Pius V.*

Interdicta localia.

1008. — Interdicuntur: 1° Loca, in quibus scienter haeretici sepulti sunt.(1) — 2° Territorium et loca illius, qui percutit episcopum aut capit, vel haec fieri mandat. — *C.* Si quis (1.) *de poenis in Clement. (V. 8.)* — 3° Civitas, quae insequentibus hostiliter cardinales auxilium praebet, vel delinquentes non punit intra mensem. — *C.* Felicis (5.) *de poenis in 6°. (V. 9.)* — 4° Regna, loca, terrae eorum, qui impedire praesumunt legatum Pontificium, ne terras sibi subjectas ingrediatur. — *C.* Super gentes (un.) *de consuetudine in extrav. comm. (I. 1.)*

(1) *C.* Quicumque (2.) *de haereticis in 6°. (V. 2.)*

APPENDIX I.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

1009. — *Cessatio a divinis* est prohibitio clericis facta, ut abstineant ab officiis divinis, ab administratione sacramentorum et ab ecclesiastica sepultura in aliquo loco determinato.

Haec cessatio distinguitur ab interdicto: 1° Quia interdictum potest esse personale, non vero cessatio a divinis. — 2° Quia interdictum est censura, unde, qui illud violat, fit irregularis; transgressor autem cessationis a divinis, licet graviter peccet, nullam tamen censuram incurrit, nec fit irregularis. Haec enim cessatio non adhibetur ad corrigendos delinquentes. — 3° Quia durante interdicto generali licet, celebrare officia divina januis clausis et submissa voce, et etiam solemniter in quibusdam festis; haec vero in cessatione a divinis etiam prohibentur.

Duplex distinguitur cessatio a divinis:

1° Alia *a jure,* quae ipso facto exsistit, quando polluitur ecclesia vel exsecratur.

2° Alia *ab homine,* quae imponitur a superiore jurisdictionem habente in foro externo in signum moeroris vel ad reparationem gravis injuriae Deo illatae, et tunc afficit omnes, qui in hoc loco versantur.

Causae etiam cessationis a divinis *a jure* referuntur in *tractatu de eucharistia,* ubi agitur de loco celebrationis. Sacramenta, quae ministrari possunt tempore interdicti, concedantur etiam tempore cessationis.

Quaer. *A quibusnam cessatio a divinis imponi possit?*

Resp. Imponi potest ab iisdem, qui possunt ferre censuras, praecedentibus debitis monitionibus. — *S. Lig. n. 340.*(1)

(1) Etiam ecclesiasticis communitatibus vi consuetudinis hoc jus competere potest. — Cf. c. Ex frequentibus (1.) *de sent. excomm. in Clement. (V. 10.) etc.*

APPENDIX II.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

1010. — Corpora fidelium defunctorum ex praecepto Ecclesiae in loco sancto ad hoc benedicto et consecrato aut in ipsa ecclesia sepelienda sunt. Qui autem non pertinent ad Ecclesiam Christi, nec more ecclesiastico, nec in loco sancto sepeliri possunt. Deneganda est sepultura ecclesiastica etiam christianis, qui ea indigni visi sunt, propterea, quod aut fidem deseruerunt, aut in contumacia et impoenitentia e vivis excesserunt vel filii rebelles fuere, ut constat ex dictis de effectibus excommunicationis et interdicti.(1)

Quaesita:

1011. — Quaer. 1° *Quinam privandi sint sepultura ecclesiastica?*

Resp. De jure communi sunt sequentes:

1° *Infideles* omnes, quicumque sint, sive pagani, sive judaei, mahumetani, sive etiam infantes sine baptismo mortui.(2)

2° *Apostatae* a christiana fide. Adnumerari autem debent inter apostatas omnes impii homines, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum docent, seu uno verbo: quicumque christianam revelationem negant.

3° *Haeretici,* qui errores suos palam profitentur(1), eorumque fautores notorii, necnon schismatici publici.

4° *Excommunicati publici* et *notorii,* et *interdicti nominatim,* si absque poenitentiae signis decesserint(2), nec votum ullum(3) reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint.(4)

---

(1) Haec poena non solum vi alicujus censurae invenitur latae sententiae, sed etiam saepe per se. Juxta veriorem sententiam, quam etiam praxis adminiculat, tunc sententia declaratoria judicis non requiritur; opus tamen est, crimen esse notorium et insuper, uti existimamus, ita certum, ut etiam coram judice ecclesiastico sufficienter probari possit. Attamen parochi hanc poenam per se non exsequantur, si ad ordinarium recurrere possunt. — *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 41.; p. 2. ad. v.* Sacramentum *c. 2.* — V. etiam *n. 1013.*

(2) V. *n. 388.* — Si vero dubium occurrat, an sint valide baptizati, necne, ecclesiastica sepultura privari non debent. — *Ferraris ad v.* Sepultura *n. 172.*

(1) „Si tales haeretici publici et manifesti, licet nondum per Ecclesiam declarati, in hoc tam gravi crimine decesserint, ecclesiastica careant sepultura, nec oblationes fiant aut recipiantur pro iisdem." — Const. *Inter cunctas Martini V.,* in concilio Constant. edita.

(2) Adest signum poenitentiae, si moriens nomen Jesu invocavit, vel Dei misericordiam imploravit, vel pectus tutudit, vel confessarium petiit etc., ad quod probandum unus testis sufficit. — *Thesaurus l. c. p. 2. ad v.* Concubinarius *sub V.*

(3) Ut tale votum eosdem ab hac poena liberet, serium esse debet, ita ut per eos non steterit, quominus reconciliarentur ecclesiasticae unitati. — *C.* A nobis (28.) *de sent. excomm. (V. 39.)*

Etsi toleratus signa poenitentiae exhibuerit, *decet* tamen, ipsum ante sepulturam ab excommunicatione absolvi. Pro vitando autem, licet poenitens decesserit, absolutio de praecepto exigitur. — Ita *Schmalzgrueber l. 5. tit. 39. n. 127.*

Cf. etiam *n. 965.*

(4) *Quaesitum:* S. Poenitentiaria die 5. Sept. 1855. respondit: Episcopi et parochi *passive se habeant,* si adsit grave et imminens periculum malorum publicorum vel usus vis publicae, cum denegatur sepultura praedictis personis (qui scil. propter usurpationem bonorum Ecclesiae excommunicatione latae sententiae tenentur), nisi publice retractaverint. Quaeritur, an praedicta verba de simplici tumulatione intelligenda sint, ita ut permitti possit, eosdem in loco sacro sepeliri, anve parochus, ut mala, quae timentur, evitet, defuncto honores funebres deferre possit, deducendo eumdem ad ecclesiam clero et confraternitatibus intervenientibus, cantare missam etc.?

Resp. S. Poenitent. die 5. Jul. 1857.: Consulantur jus divinum et ecclesiasticum, et auctores probati. — *Scav. tom. 1. annot. Q. in fine tract. 4.* (in edit. 10°. *tom. 4. n. 215. Q. 3.)*

Die 10. Dec. 1860. autem eadem *S. Poenitentiaria* ad *quaesitum:* Si quis... censura ecclesiastica notorie innodatus obierit et juxta sacros canones et normas hac super re a doctoribus traditas eccle-

5° *Suicidae*, qui sibi mortem intulerunt ira aut desperatione impellente, nisi signa poenitentiae aut amentiae dederint. Non denegatur autem sepultura iis, qui in statu phrenesis aut in alio morbi excessu seipsos occiderunt.

1012. — 6° *Duellantes*, si in ipso conflictu decesserint. — *Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de ref.* Imo, juxta *rituale romanum* sunt privandi sepultura, etiamsi signa poenitentiae dederint; et juxta bullam *Bened. XIV.*, *licet absoluti fuerint* et etiamsi extra locum conflictus cum signis poenitentiae decesserint.(1)

7° *Peccatores publici et notorii*, qui in impoenitentia mortem oppetierunt. Tales sunt v. g., qui publice vitam degunt in adulterio vel concubinatu. (2) Sed ad hoc requiritur: 1° Ut impoenitentia sit omnino certa; 2° ut sit adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit.(1)

Quaer. 2° *An sepeliendi sint in loco sacro rei, qui morte plectuntur?*

Resp. Affirmative, si confessi fuerint ante mortem aut signa dederint indubia poenitentiae. Sed sepeliendi sunt sine solemnitate.

1013. — Quaer. 3° *Quid agendum in dubio, utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, necne?*

Resp. Episcopus est interrogandus, si facilis recursus ad ipsum pateat(2): secus pro sepultura concedenda agendum erit juxta principium: *In dubio odia sunt restringenda.* Cum enim incommoda magna, nostris praesertim temporibus, ex denegatione sepulturae oriri soleant, expedit, ut talis denegatio non fiat, nisi de ejus obligatione certo constet.

Quaer. 4° *An sit deneganda sepultura, si sacerdos solus testis fu-*

---

siastica sepultura carere omnino debeat, et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exsequiae et ipsa ecclesiastica sepultura, quomodo in hujusmodi casu se gerere debeat parochus, *respondit: Curandum, ut cuncta ad normam sacrorum canonum fiant: quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad exsequias et ad sepulturam ullo modo concurrat.* — *Act. vol. 1. fasc. 9. p. 563. n. 21.* — *Scav. tom. 3. n. 216.*

(1) „Declaramus, sepulturae sacrae privationem, a s. Trid. synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam judicis, *a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto*, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit." — Ita in bulla *Detestabilem Ben. XIV. d. d. 10. Nov. 1752.*

(2) *C.* Omnis utriusque (12.) *de poenit. et remiss. (V. 38.)* annuam confessionem et communionem paschalem cuivis fideli praecipit; „alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura."

Est porro sententia communis, interdictum in hoc canone latum esse ferendae sententiae, nisi alicubi leges dioecesanae aliud statuant. Non desunt, qui idem de prohibitione sepulturae ecclesiasticae asserunt. Sed sententia, quae eamdem latae sententiae ait, nobis non solum communior et verior apparet, ut eam vocant *Thesaurus (de poenis p. 2. ad v.* Sacramentum *c. 2.)* et *Giraldi (Expos. J. P. p. 1. sect. 912.)*, sed etiam certa, cum *rituale rom. (tit. de exsequiis)* inter eos, „qui ab ecclesiastica sepultura ipso jure sunt excludendi," etiam illos enumeret, „de quibus publice constat, quod semel in anno non suscepernnt sacramenta confessionis et communionis in pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt."

Non tamen per hoc consuetudinibus legitimis, maxime nostris hisce temporibus, vim denegamus.

Plura huc facientia v. in *Anal. J. P. ser. 5. col. 354. et seq.* sub *X.* et *XI.*

(1) De poenis contra eos, qui has leges negligunt, vide c. Quicumque (2.) *de haereticis in 6°. (V. 2.)* et c. Eos, qui (1.) *de sepulturis in Clement. (III. 7.)* (supra *n. 965. 4°.* et *n. 977. 5°.*).

Ecclesiastica sepultura autem a parocho retardari aut differri non potest sub praetextu compositionis quartae funeralis vel propter jus sepulturae minime solutum: imo, cadavera pauperum fidelium gratis tumulari debent. — Cf. *Ferraris ad v.* Sepultura *n. 169. et seq.*

(2) uti expresse praecipit *rituale rom. (tit. de exsequiis).*

erit repulsae et impoenitentiae moribundi?

Resp. Negative (nisi aliunde ipsi denegari debeat ob aliquam ex causis supra expositis, v. g. propter censuram etc.), sed tacere debet sacerdos de impia dispositione moribundi et sinere, ut credatur, eum fuisse sacramentis rite expiatum: debent enim vitari scandala, quantum fieri potest. Imo, operae pretium erit, ut sacerdos, dubius de dispositione moribundi, ipsum absque testibus adloquatur et ad confessionem inducat, ne malus ejus animus innotescat, modo tamen aliquod scandalum non sit necessario reparandum. Hoc, quod statutum est in variis dioecesibus, prudentia suadet.

1014. — Quaer. 5° *An deneganda sit sepultura mimis et comoedis?*

Resp. Negative, modo sacramenta Ecclesiae non recusarint, sicut de ceteris peccatoribus dictum est in quaesito praecedenti. Nulla enim invenitur lex canonica, quae eos a sepultura ecclesiastica excludat. — *Gousset t. 2. n. 637.*

Nota: Quando benedicitur coemeterium, pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquenda est, ut inserviat pro sepultura infantium, qui sine baptismo e vivis excesserunt, et infidelium, qui in locis christianorum mortui sunt, necnon aliorum quorumlibet, quibus ecclesiastica sepultura deneganda est. Non requiritur absolute, ut pars illa v. g. per murum aut sepem aut altam foveam a reliquo coemeterio separetur, sed sufficit, ut aliquo modo discerni possit.(¹)

(¹) Quoad sepulturam haec in Gallia ex codice civili statuta sunt:

1° Prohibetur, ne sepultura fiat absque licentia magistratus civilis *(le maire)* scripto data, et ante viginti quatuor horas post obitum, exceptis casibus extraordinariis a magistratu civili determinandis, v. g. ob pestem, putredinem etc.

2° Qui absque licentia supradicta defunctum sepelirent aut sepeliri juberent, damnari possent ad carcerem a sex diebus ad duos menses, et ad mulctam a 16 ad 40 francos.

3° Prohibetur, ne defunctorum corpora in ecclesiis aut aliis aedificiis clausis, quae ad coetum fidelium destinantur, sepeliantur. Non autem prohibetur sepultura in sacello, quod in coemeterio sit exstructum.

4° Ponenda sunt defunctorum corpora in coemeterio secundum ordinem incoeptum sine ulla distinctione, nisi aliqua concessio obtineatur juxta conditiones praescriptas in decreto *d. d. 12. Jun. 1804. art. 43.* — (Not. auct.)

Hodie non raro accidit, ut etiam ii, quibus sepultura ecclesiastica deneganda esset, juxta statuta legis civilis in loco ad fidelium sepulturam consecrato sepeliri debeant. Ejusmodi usus tolerari quidem potest per conniventiam, si absque scandalo aboleri non valet. Ita *S. C. O. d. d. 23. Jul. 1609.* quoad sepulturam haereticorum notoriorum in ecclesia. — V. *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 809. §. Subdit.* Attamen mos alicubi viget, in simili casu non benedicendi nova coemeteria, sed singula sepulcra tantum (Cf. *rit. rom.* sub *Exsequiarum ordo.* — *Anal. J. P. ser. 6. col. 1556.)*

Quid vero, si in tali casu coemeterium per sepulturam infidelis vel excommunicati vitandi pollueretur?

Resp. De jure exhumandus esset sepultus, si fieri potest (c. Sacris [12.] *de sepulturis* [*III. 28.*]), et coemeterium reconciliandum *(c.* Consuluisti [7.] *de consecr. eccl.* [*III. 40.*]) — V. etiam *n. 965.* Cum tamen exhumatio hodie vix toleretur, reconciliatio ex mente legis praedictae etiam sine exhumatione perfici potest. Si autem, antequam episcopus hac de re disposuerit, sepultura alicujus fidelis differri amplius nequeat, parochus defunctum sepeliat ritu ecclesiastico, benedicens sepulcrum, in quo tumulandus est. — *Scav. tom. 1. adnot. R. in fine tract. 4.* (in edit 10°. *t. 4. n. 46. 8°.)* cum *Gousset etc.* Imo, si praevideatur, ejusmodi casus saepius eventuros, reconciliationem coemeterii melius omitti, censemus.

TRACTATUS
DE IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

1015. — Definitio: *Irregularitas* stricte sumpta est impedimentum canonicum prohibens, ne quis clero adscribatur, vel ad ordinem superiorem adscendat, vel functiones ordinis suscepti exerceat.(1)

Hinc differt irregularitas a censuris, depositione et degradatione praesertim ex hoc capite, quia censurae, depositio et degradatio semper supponunt culpam et habent rationem poenae, irregularitas vero non semper culpam supponit et, si quando per modum poenae imponatur, hoc fit secundario tantum nec ad reum puniendum, sed ad indecentiam in sacro ministerio praecavendam.

1016. — Divisio: Varia distinguitur irregularitas:

1° Irregularitas *ex defectu* vel *ex delicto,* prout oritur ex quibusdam defectibus in jure expressis, vel contrahitur ex certis delictis in jure determinatis.

2° Irregularitas *totalis* vel *partialis,* prout excludit ab omni ordine(2) et ordinis usu atque(3) ob omni beneficio ecclesiastico, vel arcet tantum ab aliquo ordine suscipiendo, non vero ab aliis jam susceptis(1).

3° Irregularitas *perpetua* vel *temporalis,* prout ex se semper durat, nisi tollatur dispensatione aut aliis modis infra determinandis; vel durat tantum ad aliquod tempus et postea cessat absque ulla dispensatione. Sic irregularitas ex defectu aetatis evanescit completo tempore ad ordines requisito.

---

(1) Non prohibentur itaque irregulari ea, quae laicis licita sunt, ut in ecclesia cantare, sacramenta suscipere, si ordinem excipias etc.

(2) etiam a tonsura —

(3) indirecte —

Qui post collationem beneficii fit irregularis, *per se* nec beneficio, nec ejus administratione et fructibus privatur, quamvis officia ipsi prohibita per alium exercere debeat. Si tamen irregularitas ex delicto proveniat et beneficiatus per eam inhabilis sit ad beneficii munera obeunda, privandus est beneficio per judicis sententiam; interim vero, qui per alium suis officiis satisfacere non potest, quamprimum dispensationem procurare obligatur et, si nolit vel nequeat, beneficium dimittere, saltem nisi aliud gravis necessitas, v. g. infamiae metus, permittat. Fructus tamen restituere non tenetur, si hucusque officiis suis saltem per alium satisfecit.

Dixi *per se;* si enim lex ob aliquod crimen amissionem beneficii *ipso facto* statuat, huic sane standum, applicando principia, quae pro simili casu ex jure colliguntur.

Qui autem irregularitate jam tenetur, inhabilis est ad susceptionem beneficii, cujus officium exercere nequit; imo, talis susceptio ipso facto nulla est. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 101. §. Inquiritur. — Bönninghausen, de irregularit. fasc. 1. p. 1. c. 5. §. 2. p. 29. — S. Lig. n. 342. 343. — Scav. — Ferraris ad v.* Irregularitas *art. 2. n. 12. — Suarez, de censuris etc. disp. 40. sect. 2. p. 11. et seq.*

(1) vel arcet ab aliquo tantum ordinis ministerio.

Jurisdictione tamen non privat, nec ejus violatio aliquam poenam ipso jure induit. — *S. Lig. n. 342. 2°. — Mazzotta tr. 8. disp. 5. ante quaest. 1.*

In genere irregularitas ex delicto est totalis, sicut ea, quae praecedit ordinis susceptionem: quae vero ex defectu praecedit ordinisque susceptionem sequitur, partialis. — *Ferrari, Summa inst. can. l. 1. tit. 10. 1°. — S. Lig. n. 413.*

Principia:

1017. — I. Nulla umquam incurritur irregularitas, nisi in jure canonico(1) expressa sit. — Hinc 1° irregularitas *ab homine* non admittitur; 2° irregularitas incurritur ipso facto ante omnem judicis sententiam, et etiam ob defectum vel crimen occultum. — Ex c. Is, qui (18.) *de sent. excomm. in 6°. (V. 11.)*

II. Irregularitas *ex defectu* semper incurritur stante defectu, quia rationem poenae non habet, sed rationem solius impedimenti. — Irregularitas vero *ex delicto* non incurritur absque culpa, et quidem gravi, quia, licet finis irregularitatis non sit, punire nec corrigere reos, non contrahitur tamen, nisi ratione delicti proprie voluntarii et vere gravis.(2) — *S. Lig. n. 348.*

Quaesita:

1018. — Quaer. 1° *An ad irregularitatem* ex delicto *incurrendam praeter scientiam legis divinae requiratur scientia legis ecclesiasticae prohibentis?*

Resp. Affirmative probabilius. Ratio est, quia irregularitas haec rationem poenae habet. — *S. Lig. n. 350.* vocat hanc sententiam probabiliorem et communissimam(3). Excipe tamen homicidium ob particularem indecentiam, quam inducit. — *S. Lig. ib.*

Quaer. 2° *An requiratur etiam scientia poenae seu irregularitatis*(1)?

Resp. Duplex sententia probabilis.

I^a Sententia(2) *negat,* quia irregularitas non est poena medicinalis, sed inhabilitas seu poena mere punitiva. — Ita *Lacroix, Elbel etc.*

II^a Sententia *affirmat.* Ratio est, quia irregularitas *ex delicto* censetur vera poena, et quidem extraordinaria, imposita in vindictam criminis, licet effectus illius primarius sit, inhabilitatem constituere. Porro, ubi tanta poena infligitur, non censetur Ecclesia cum tanto rigore procedere, ut incurratur ab illo, qui eam ignorat. Haec sententia sat *probabilis* videtur, ait *S. Lig. n. 351.*

Quaer. 3° *An censearis irregularis in dubio, utrum irregularitatem incurreris?*

Resp. 1° *Negative* in dubio *juris* seu in dubio, an talis casus subjaceat legi irregularitatem statuenti. Ita fere omnes theologi. Ratio est, quia, ubi dubium adest, irregularitas haec non certo in jure exprimitur. Praeterea odia sunt restringenda. — *S. Lig. n. 346.*

Resp. 2° In dubio *facti* distingue: vel est dubium de homicidio patrato, vel de alio delicto. Si *prius, probabilius* et *verius* irregularitatem incurristi ob specialem indecentiam, quae in homicidio reperitur, ut ex jure colligitur.(3) Si *posterius, probabilius* et *verius* non incurristi, quia in dubio nemo damnandus est. — *S. Lig. n. 347.*(4)

---

(1) scil. in decreto Papae vel concilii generalis —

Per consuetudinem autem irregularitates novae non inducuntur. — *S. Lig. n. 345.* — *Bönninghausen l. c. c. 4. n. 1. p. 18.* (coll. tamen *ib. p. 2. c. 3. §. 1. p. 162.*)

(2) Factum, cui irregularitas ex delicto adnexa est, insuper externum et in genere suo consummatum esse debet; item commissum post septimum aetatis annum (*C.* Si furiosus (un.) *de homicidio in Clement.* [*V. 4.*]). — *S. Lig. n. 348.*

(3) Fatemur, nos huic sententiae *S. Alphonsi* acquiescere non posse. Quaenam enim ratio convincens, poenam positivam directe ob violationem legis divinae constitui non posse? etc. *C. Proposuisti autem,* a S. Alphonso allatum, praecipue de lege mere humana loquitur, qua ignorata sane nullum delictum adest. Nec *c. 2. de constit. in 6°.* ad rem esse videtur.

(1) *si agitur de delicto* —

(2) *valde probabilis* ex *S. Lig.;* eam *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. c. 1. §. 1. not. 1. p. 79.* merito omnino amplexandam ait.

(3) Cf. *n. 1039. Q. 4°.; n. 1040.*

(4) Cf. *notam* ad *Quaer. 5°. 1°.* sub fin

1019. — Quaer. 4° *An incurratur irregularitas ob crimen externum quidem et consummatum, sed prorsus occultum?*

Resp. Affirmative verius, ait *S. Lig. n. 349.* Ratio est, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suae jurisdictioni subjaceant, nempe modo sint externa, prout imposuit excommunicationem haeresi omnino occultae etc. Constat insuper ex *cap.* Liceat (6.) in *Trid. sess. 24. de ref.*, ubi concilium praebet facultatem episcopis, absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis.(¹)

Quaer. 5° *Quomodo irregularitas tollatur?*

Resp. Tollitur sequentibus modis, scilicet

1° *Per dispensationem:* 1° Papae in omni casu, modo non adsit impedimentum de jure naturali seu quod exercitium ordinis sacri impossibile reddat; 2° episcopi, si irregularitas ex delicto occulto proveniat(²); 3° utriusliibet delegati pro ratione acceptae facultatis, ut dictum est de absolutione a censuris *n. 951.*(¹)

(¹) De varia Ecclesiae disciplina quoad crimina occulta cf. *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. in ingressu hujus partis n. 1. et seq. p. 61.* Quoad hodiernam disciplinam v. *not. 5.* ante *n. 1031.* Ex *concilio Trid. sess. 14. c. 1. de ref.* vero episcopis insuper jus competit, ob occultum crimen, licet irregularitatem non gignat, „ex privata tantum scientia, quamvis delictum in foro externo concludenter probari non possit, laicum ingressu ad ss. ordines et clericum tam sacrorum exercitio, quam adscensu ad altioris ordinis gradum interdicere, ita quidem, ut nullo jure obstringantur ad manifestandam ipsi reo causam rejectionis vel suspensionis, neque huic ulla competat appellatio ad superiorem, sed recursus dumtaxat ad Sedem Apostolicam permittatur.“ — Ita *Bönningh. l. c. n. 4. p. 77.*

(²) excepta ea, quae oritur *ex homicidio voluntario,* et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum. — *Trid. sess. 24. c. 6. de ref.* Plura ad interpretationem hujus capitis v. apud *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 1. c. 6. n. 2. et seq. p. 39.* Hinc episcopus dispensare valet etiam in delictis occultis homicidii casualis, homicidii patrati absque moderamine inculpatae tutelae et mutilationis *(S. Lig. n. 388. 395.),* probabilius autem non in delicto haeresis, etiam occultae, saltem in genere. *(Ferraris ad v.* Irregul. *art. 3. n. 10. — Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. c. 2. §. 1. n. 6. p. 124.)* Imo, ex communi sententia dispensare quoque potest cum homicida casuali publico, ut ministret in ordinibus minoribus antea susceptis (juxta alios etiam, ut eosdem suscipiat — *Bönninghausen l. c. fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 2. VI. p. 70. not. 1.* coll. *ib. p. 3. c. 1. §. 1. V. p. 139. not. 1.*, ubi idem quoad irregularitatem ex homicidio voluntario justo eoque publico asseritur) et beneficium simplex obtineat. *(Giraldi, Exp. J. P. p. 2. sect. 49.)*; item ex c. At si (4.) *de judiciis (II. 1.)* super infamia a judice declarata vel inflicta ob adulterium vel alia crimina adulterio minora (quod tamen negat *Bönninghausen l. c. fasc. 3. c. 6. n. 3. not. 28. p. 165.)* et ex c. Veniens (1.) *de eo, qui furtive (V. 30.)* super furtiva susceptione ordinum sacrorum, nisi etiam excommunicatio incursa sit.

Subsistit haec concessio Tridentini, si actus, per quem irregularitas inducitur, est quidem publicus, sed non qua delictum (v. g. si occulte excommunicatus publice celebrat); non vero, si crimen, ex quo irregularitas provenit, est publicum, sed actus, per quem inducitur, occultus (v. g. si excommunicatus notorius privatim celebrat). — *Fagnanus in c.* Vestra (7.) *de cohab. cleric. (III. 2.) n. 148.*

Nequit autem episcopus hoc jus exercere respectu eorum, qui in ipsius dioecesi domicilium verum non habent (exceptis forte exemptis et vagis — v. *Suarez, de censuris etc. disp. 41. sect. 2. n. 7. 12.)*, ita ut quasi-domicilium non sufficiat. Nec facultas ista per se praelatis competit, qui sunt episcopis inferiores, quamvis jurisdictionem quasi-episcopalem habeant. — *S. Lig., de poenit. n. 593. — Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 1. c. 6. n. 4. 6. — Ferraris l. c. n. 14. et seq.*

In irregularitatibus *ex defectu* antea episcopi dispensant ex jure super bigamia similitudinaria tum quoad exercitium ordinum susceptorum, tum quoad receptionem etiam sacrorum *(S. Lig. n. 452.)*, et cum illegitimis ad ordines minores et beneficia simplicia. *(S. Lig. n. 428. — Bönninghausen l. c. fasc. 3. c. 3. III. p. 96.)*

Tandem episcopo potestatem vindicant auctores, dispensandi in irregularitatibus dubiis. — *S. Lig. n. 400.* — Cf. supra *n. 863.*

(¹) Ceterum facultas absolvendi a re-

2° *Per cessationem causae*(1), v. g. per aetatem requisitam adeptam, si irregularitas ex defectu aetatis proveniat; item per mutationem domicilii seu loci, aut per emendationem, si ex infamia oriatur. Attamen pro infamia juris dispensatio requiritur. — V. *S. Lig. n. 352. et seq.*(2)

1020. — Quaer. 6° *Quomodo fiat dispensatio ab irregularitate?*

Resp. Nulla forma invenitur praescripta in jure; unde nulla determinata necessario adhibenda est. Fieri autem potest formula sequenti aut alia aequivalenti: *Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter* . . . (talem causam), *in nomine Patris etc.* vel *Auctoritate mihi concessa a S. P.* (vel ab episcopo) *dispenso tecum etc. . ., et habilem reddo et restituo te exsecutioni ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris etc.*(3)

---

servatis non se extendit per se ad irregularitates, nisi harum expressa fiat mentio, ne ipso quidem jubilaei tempore, in quo solummodo potestas, dispensandi constitutos in ordinibus majoribus vel minoribus super irregularitate occulta, proveniente ex violatione censurarum, una vice et pro foro conscientiae tantum conceditur. (Const. *Benedicti XIV. Inter praeteritos d. d. 3. Dec. 1749. n. 50.* et const. *Benedictus Deus d. d. 25. Dec. 1750. n. 4.*) — *Scav.*

(1) sed non semper; non cessant hoc modo irregularitates ex delicto, neque omnes ex defectu; manet enim irregularitas ex defectu lenitatis, sacramenti etc. — *Scav.*

(2) 3° *Per susceptionem baptismi* cessant irregularitates ex delicto *(Ferraris ad v.* Irregul. *art. 3. n. 2.)* et, uti addunt auctores, ex infamia facti *(S. Lig. n. 364.)*, vel potius: juxta ss. canones naturam talis impedimenti post baptismum non induunt. *(Bönninghausen l. c. f. 1. p. 1. c. 6. n. 1. p. 39.; fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 1. pag. 7. not. 3.)*

4° *Per professionem religiosam* deletur irregularitas ex defectu natalium, sed solummodo ad ordines suscipiendos, non autem quoad dignitates et praelaturas. — *S. Lig. n. 353. 426.*

(3) vel, si nullum habet ordinem: *habilem reddo te ad omnes ordines suscipiendos.* — Cf. *rit. rom., de sacr. poenit. tit. ult.*

(1) Haec irregularitas de jure etiam morbo cessante manet et per dispensationem Pontificis tolli debet, nisi amentia etc. ex causa potius accidentali, v. g. febre, provenerit. Definivit etiam *S. C. C.* (cf. *Ferraris ad v.* Irreg. *art. 1. n. 47.)*, clericum, qui levi epilepsia semel affectus fuit et deinde per plures annos dicti morbi signa amplius non dedit, non esse irregularem et promoveri posse.

Exercitium tamen ordinum jam susceptorum permitti ab episcopo potest, si vel sufficiens tempus jam elapsum est, ita ut cessatio morbi prudenter praesumi possit (quod praesertim ex judicio religiosi et pii medici decidendum putamus), vel raro et minus vehementer morbus ingruit. Hinc ajunt, epileptico, qui v. g. semel solummodo in mense cadit absque clamore et spuma, celebrationem missae permitti posse, privatim tamen adjunctoque sacerdote jejuno, qui missam adveniente morbo perficiat. — Cf. *S. Lig. n. 398. et seq.* et *alios passim.*

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI.

1° De irregularitatibus ex defectu; 2° ex delicto.

ARTICULUS I.
DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

1021. — Octo earum species numerantur, scilicet ex defectu 1° animi; 2° corporis; 3° natalium; 4° aetatis; 5° libertatis; 6° sacramenti; 7° lenitatis; 8° famae.

Defectus illi vel potius qualitates oppositae his exprimuntur versiculis:

Natales, animus, libertas, corpus et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

I. Ex defectu animi.

1022. — Triplex defectus animi adsignatur, scilicet rationis, scientiae et fidei confirmatae.

1° *Rationis.* Hinc sunt irregulares perpetuo amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant. Facilius tamen illis permittitur susceptorum ordinum exercitium, quam novorum susceptio.(1)

2° *Scientiae.* Irregulares sunt, qui non habent scientiam singulis ordinibus necessariam, sive de facto nesciant, sive discendi sint incapaces. Constat ex dictis in *tract. de sacramento ordinis* et ex *decreto part. 1. dist. 36. can. 1.*

3° *Fidei confirmatae.* Irregulares sunt neophyti in adulta aetate recenter baptizati, usquedum ab episcopo digni judicentur. Constat ex jure can. — *Vide S. Lig. n. 397. et seq.*(1)

II. Ex defectu corporis.

1023. — Ex duplici capite incurritur haec irregularitas: 1° Si quis ad exercitium ordinis sit ineptus. — 2° Si aliis notabilem horrorem aut indecentiam afferat(2).

Hinc irregulares habentur:

1° *Mutilati* crus ligneum gerentes; manu, pollice aut indice uti non valentes.

2° *Caeci* visu totaliter carentes, vel ita caecutientes, ut in missali legere non possint.(3)

3° *Surdi,* qui nihil audiunt, ita ut nullatenus vocem ministri respondentis audire queant.(4)

4° *Muti* aut *balbutientes,* qui verba integra pronuntiare non possunt, aut nonnisi cum magna difficultate, ita ut risum aut contemptum adstantium moveant.

5° *Claudi,* qui sine baculo ad altare sistere non valent.

6° *Carentes naso,* aut enormiter distortum, demissum aut productum habentes.

7° *Monstruosi,* v. g. habentes gibbum enormem, qui magnam inducat deformitatem etc. — *V. S. Lig. n. 403. et seq.*(1)

Quaesita:

1024. — Quaer. 1° *An sit irregularis, qui uno oculo caret?*

Resp. 1° *Negative,* si careat tantum oculo dextero, quia minus necessarius est ad missae celebrationem, modo notabilis inde non nascatur deformitas.

Resp. 2° *Affirmative,* si careat oculo sinistro, qui dicitur *oculus canonis,* quia necessarius est ad canonem missae legendum. Excipe, si canonem oculo dextero sine deformitate legere possit. Hoc autem judicio episcopi subjiciendum est. — *Ita communiter* cum *S. Lig. n. 404.*

Quaer. 2° *An possit celebrare et eucharistiam ministrare, qui, jam ad sacerdotium promotus, habet pollicem vel indicem impeditum?*

Resp. 1° *Negandum* videtur absolute quoad missae celebrationem, saltem *probabilius* juxta *communem* sententiam. — *S. Lig. n. 408.* et *de euchar. n. 244.*

Resp. 2° *Negative* etiam *per se* quoad eucharistiae administrationem, exceptis tamen casibus necessitatis, in quibus aliis digitis uti potest.(2)

---

(1) Dissentiunt auctores, num irregulares sint, qui sacramento confirmationis carent. Sed *affirmanda* haec quaestio ex decis. *S. C. C. d. d. 27. Sept. 1601. -- Giraldi, Expos. J. P. p. 2. sect. 91. — Phillips, Kirchenrecht tom. 1. §. 48. sub fine. — Bönninghausen, de irregular. fasc. 3. p. 3. c. 5. §. 3. III. p. 156.* Hinc non apparet tuta sententia, eos, qui absque confirmatione ordines suscipiunt, non vel nonnisi venialiter peccare. — *Giraldi ib.*

(2) quae praesertim prudenti aestimatione ab episcopo determinanda erunt. — *C.* Cum de tua (2.) *de corpore vit. (I. 20.)* *S. C. C.* vero difficiliorem se praebet in hujusmodi dispensationibus concedendis cum oratore promovendo ad ordines, quam cum jam promoto. — *Act. vol. 1. fasc. 10. p. 612.*

(3) Dispensantur tamen, praesertim quando non sunt omnino caeci, sub debitis cautelis a Pontifice, si sacerdotio jam insigniti sint et constet, eos in celebratione non errare. — *S. Lig. n. 404. etc.*

(4) Surdaster (difficulter audiens) non est irregularis. — *S. Lig. n. 405.*

(1) Cf. etiam dicta *de euchar. n. 404.* in *nota.*

(2) Plura de hisce v. apud *Bönninghausen, de irregul. fasc. 3. c. 8. p. 186. et seq.;* recentiores decisiones autem in *Anal. J. P. ser. 6. col. 2287. n. 32. et seq. — Archiv für kath. Kirchenrecht 1865. fasc. 4. p. 130. — Act. vol. 1. fasc. 2. p. 88. 89.; fasc. 10. p. 612.*

III. Ex defectu natalium.

1025. — Defectus natalium inducit irregularitatem. — Constat ex *cc.* Ut filii (1.) et Nimis (18.) *de filiis presbyt. (I. 17.)*

Hinc 1° irregulares sunt illegitimi, etiam occulti, seu quicumque nati sunt ex fornicatione, adulterio(1) vel incestu; 2° omnes, qui nati sunt ex matrimonio clandestino et in gradu prohibito, etiam incognito(2); 3° non vero sunt irregulares(3) illegitimi tempore suae conceptionis vel nativitatis, quorum parentes tunc temporis habiles erant ad contrahendum matrimonium et postea contraxerunt, quia per matrimonium subsequens legitimati sunt.(1) — *V. S. Lig. n. 420. et seq.*

Non sunt irregulares illegitime nati ex matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab uno saltem ignorato. — *S. Lig. ib.*

Quaer. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium?*

Resp. Tollitur 1° per legitimum subsequens matrimonium parentum, ut modo dictum est(2); 2° per professionem religiosam; 3° per legitimam dispensationem(3).

IV. Ex defectu aetatis.

1026. — 1° Irregulares habentur, qui aetatem canonicam non attigerunt. Sed non est irregularitas stricta, cum cesset completa requisita aetate.

2° Qui scienter ordinem(4) suscipiunt ante canonicam aetatem, peccant graviter et ipso facto suspenduntur.

3° Si suspensionem violent, novam incurrunt irregularitatem, a qua, etiam post adeptam aetatem, absque dispensatione non solvuntur. — *S. Lig., de sacr. ord. n. 799.* Quaenam vero

---

(1) dummodo de adulterina origine indubie constet — *Act. vol. 1. fasc. 6. pag. 350. et seq.*

(2) scil. ex matrimonio, quod omissis proclamationibus absque dispensatione celebratum et ob impedimentum dirimens nullum est, quamvis sponsi impedimentum ignoraverint. — *S. Lig. n. 425.* Idem tene de natis ex matrimonio legitimo, cujus usus illicitus erat propter solemne votum castitatis in religione approbata aut propter ordinis sacri susceptionem. — *Scav.*

Legitimi vero censentur: 1° Filii nati ex matrimonio, quod, ut etiam auctor in sequentibus indicat, praemissis debitis proclamationibus (nisi vel desuper dispensatum fuerit vel [juxta communiorem sententiam] de impedimento agatur, quod per proclamationes detegi non potuit) et in facie Ecclesiae vel certe alio modo inculpabiliter celebratum, ob occultum impedimentum postea dignoscitur irritum, si vel unus sponsorum impedimentum ignoravit, sive ignorantia fuerit juris sive facti. Dubitatio de valore matrimonii, quae matrimonium rite contractum supervenit, bonam illam fidem non excludit; insuper in dubio bona fides praesumitur. — 2° Filii nati ex infidelibus, quorum matrimonium validum fuit secundum naturam et eorum leges, quamvis invalidum secundum jus canon. — 3° Expositi, de quorum parentibus non constat. Ex decreto tamen *S. C. C.* (apud *Petra tom. 5. const. 24. Sixti IV. n. 10. et seq.*) petenda est pro hisce expositis dispensatio saltem ad cautelam, etsi adsint conjecturae pro legitimitate ipsorum. — *S. Lig. n. 424. 425. 432.* — *Scav.* — *Ferraris ad. v.* Irreg. *art. 1. n. 71.* — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 115.* — *Anal. J. P. ser. 8. col. 2255.* — *Nec. prolem.* — *Bönninghausen l. c. fasc. 3. p. 3. c. 3. II. p. 12. et seq.* — *Edit. rom. n. 745. not.*

(3) nisi ad cardinalatum — Const. *Postquam Sixti V.*

(1) Indubie legitimantur sub his circumstantiis, si tempore conceptionis *et* nativitatis parentes matrimonium celebrare poterant; idem asserendum, si id tempore conceptionis fieri potuit. Acriter vero controvertitur, si solummodo pro nativitatis tempore verificatur. — Cf. lit. *Redditae nobis Benedicti XIV. d. d. 5. Dec. 1744.*

(2) Tollitur etiam per sanationem matrimonii in radice. — Supra *n. 901.* — *Bönningh. l. c. III. p. 86. et seq.*

(3) quae dispensatio tamen non latius explicanda est, sed certos intra fines cohiberi debet; et ideo ei, cui data est copia suscipiendorum ordinum, non etiam conceditur eo ipso copia obtinendi beneficii, saltem curati, et cui beneficii curati, nondum copia obtinendi canonicatus in ecclesia cathedrali etc. — Cf. *Devoti t. 1. tit. 7. §. 14.* — *Bönnigh. l. c. p. 108.*

(4) sacrum — Ita ex const. *Cum ex sacrorum Pii II.* — Cf. *Bönningh. l. c. fasc. 3. c. 4. II. 2. p. 129. et seq.* — *Thesaurus p. 2. ad. v.* Ordo *c. 1.* — *S. Lig., de ordine n. 799. Not. 2.*

pro singulis ordinibus aetas r ıuiratur, vide supra *n. 711. Q. 2°*.

V. Ex defectu libertatis.

Ex triplici vinculo oritur lib rtatis defectus, scilicet ex vinculo serv tutis, matrimonii et officii. Hinc

1° Omnes servi proprie dicti irregulares sunt, donec plenam libei atem consequantur.

2° Irregulares sunt uxorati, nec ordines suscipere possunt, nisi d consensu uxoris castitatem voventis et religionem ingredientis, saltem si juvenis sit(1).

3° Irregulares sunt, qui ex officio et juramento negotiis saecularibus implicantur, ut judices, magistratus etc.(2) — *Vide S. Lig. n. 455. 456.*

VI. Ex defectu sacramenti.

1027. — Per defectum sacramenti intelligitur in praesenti casu sacramentum matrimonii pluries receptum seu bigamia. Patet, bigamos esse irregulares, ex jure can. ex toto titulo *de bigamis.* Ratio autem convenientiae est, quia in bigamia deficit perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia, quae unio est omnino simplex et non multiplex. Id vero illatum est ex apostolo *(1. Timoth. 3. 2.): Oportet ergo episcopum esse unius uxoris virum.*

Bigamia de jure canon. triplicis est generis, scilicet bigamia *vera,* bigamia *interpretativa* et bigamia *similitudinaria.*(3)

1° Bigamia *vera* habetur, cum quis plures successive uxores(1) ducit et cum singulis matrimonium consummat.

2° Bigamia *interpretativa* seu *ficta* ea est, qua quis ex interpretatione juris ut bigamus habetur, licet unicam duxerit uxorem. Talis est 1° qui ducit et cognoscit viduam a suo priore marito cognitam; 2° qui ducit mulierem quamlibet ab alio corruptam et matrimonium consummat; 3° qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ea commissum(2); 4° qui contrahit duo matrimonia, unum validum et alterum invalidum, licet in bona fide. Imo, etiamsi utrumque matrimonium esset invalidum, irregularis fieret, qui utrumque maritali affectu consummaret. Evincitur ex variis locis juris can.(3)

3° Bigamia *similitudinaria* seu *methaphorica* habetur, cum quis contrahit matrimonium post votum solemne religionis aut ordinem sacrum susceptum, licet nullum sit matrimonium. Ratio est, quia ille merito censetur duo matrimonia contraxisse, primum spirituale cum Christo, secundum carnale cum muliere. Constat ex titulo *de bigamis.* — *V. S. Lig. n. 436. et seq.*

---

(1) vel nisi ob uxoris adulterium divortium actum sit juridice. — Cf. n. *710. II. not. 2.; 761. not. 2.; 762. Q. 2°. not. 3.*

(2) quousque durat istud officium. „Excipitur", ita *editor romanus*, „si habeant specialem dispensationem Papae pro illis officiis, vel si consuetudo, sciente Papa, id permittat. — *S. Lig. n. 456.*"

(3) Requiritur vero ad quamvis bigamiae speciem, matrimonium, de quo agitur, *vere consummari,* ad quod actus sodomiticus non sufficit. — Cf. c. Debitum (5.) *de bigamis (I. 21.).*

(1) valide —

(2) licet occultum et vi extortum fuerit — *S. Lig. n. 442. 447.*

(3) Bigamia non enascitur ex culpa, sed primario *(v. Bönningh. l. c. fasc. 2. p. 3. c. 2. p. 175.)* ex defectu significationis unionis Christi cum Ecclesia, unica ejus sponsa. Hinc adest, licet ignoretur circumstantia, quam necessario supponit (v. g. mulierem cognitam non esse virginem, uxorem adulterium commisisse), quia sic jam de facto illa significatio matrimonio deficit. — Nec requiritur *actualis* defectus sacramenti, sed satis est *affectus intentionis cum opere secuto,* ut dicitur in c. A nobis (7.) *de bigamis. (I. 21.)* Hinc sufficit ad irregularitatem praedictam matrimonium de facto in foro externo celebratum, licet unum vel etiam utrumque de jure irritum sit, ut in textu recte asseritur. Excipit tamen *Bönningh. l. c. §. 2. p. 181.* in *not.*, si nullitas proveniat ex defectu consensus.

Econtra bigamus non est, qui saepius fornicatur vel adulterium committit. — *Bönningh. l. c. §. 1. c. p. 178.*

VII. Ex defectu lenitatis.

1028. — Irregularitatem ex defectu *lenitatis* contrahunt, quicumque voluntarie, active, efficaciter et proxime ad necem vel mutilationem alicujus, licet juste, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam(1). — *V. S. Lig. n. 457. et seq.*

Resolves:

1° Sunt irregulares carnifices, judices et omnes, qui hujusmodi judicio cooperantur(2). Excipe: 1° testes coactos(3); 2° accusatores damnorum suorum compensationem petentes(4).

2° Non tamen sunt irregulares medici et chirurgi, licet membra abscindant aut mortem remediis bona fide datis accelerent, nisi gravis negligentia intercedat(1). — *S. Lig. n. 384.*

3° Nec clerici medicinam aut chirurgiam exercentes citra incisionem et adustionem. Imo nec, si incisionem aut adustionem in casu necessitatis adhibeant; necessitas enim nulla lege regitur. Imo etiam extra necessitatem, si clerici non sint in sacris constituti, modo mors aut mutilatio(2) non sequatur.(3) — *S. Lig. n. 384. 385.*

4° Non sunt irregulares, qui aggressorem occidunt in justa defensione, quia non censetur defectus lenitatis, vitam propriam, servato moderamine inculpatae tutelae, defendere etiam cum morte injusti aggressoris.(4)

5° Milites non fiunt irregulares in bello justo defensivo, neque in justo offensivo, nisi propria manu occiderint(5). In bello vero injusto totus

(1) modo mors vel mutilatio reapse sequantur. — *Ben. XIV., Inst. 101.*

(2) ut ministri justitiae sive ad causae probationem, sive ad ejus exsecutionem, itaque concurrentes juridice. Eos autem, qui ut personae privatae concurrunt, irregulares fieri, alii affirmant, si ita mortem vel mutilationem rei directe et notabiliter accelerent *(v. Bönninghausen l. c. fasc. 2. p. 3. c. 1. §. 1. IV. p. 137.)*, alii vero negant, nisi id fiat injuste et cum peccato *(v. S. Lig. n. 465.)*. — Cf. etiam *n. 1037. 3°.* „Omnes accusatores" etc.

Proinde clerici, qui supplicio capitali sine causa sufficiente, v. g. ex curiositate, adsistunt, irregulares non fiunt, modo in poenam efficaciter non influant; in majoribus constituti tamen venialiter peccant. — *S. Lig. n. 463.*

(3) Hosce excipiendos esse, validis argumentis negat *Bönninghausen l. c. III. p. 133. et seq.*

(4) vel ut de praecavendis injuriis ipsis ipsorumve bonis inferendis provideatur, etiamsi judex saecularis, officio suo satisfaciens, contra reum criminaliter procedat eidemque poenam sanguinis infligat, dummodo punitionem accusati directe et expresse non petant. — Plura v. apud *Bönninghausen l. c. II. 1. p. 121. et seq.*

Lex canonica tamen in hoc casu a clerico requirit protestationem, per hanc accusationem vel denuntiationem poenam sanguinis non intendi, et certo quidem, si actio speciem prae se fert, quod ad rei punitionem tendat, uti si quis maleficum judici denuntiet ad futuras injurias praecavendas. — Cf. *Bönninghausen l. c. p. 120. et seq.* — *Barbosa, Collect. in jus Pontif. ad c.* Praelatis (2.) *de homic. in 6°. (V. 4.)* — *S. Lig. n. 468. etc.*

Excipitur etiam Papa, qui suis legibus non tenetur, prout ii, quibus papale privilegium suffragatur, ut inquisitores fidei; excipiuntur praeterea ecclesiastici cum jurisdictione criminali, qui hanc alteri solummodo delegant, quae cooperatio jam per se proxima non est. — *Scav.*

(1) quo in casu irregularitas ex delicto oritur. — Cf. *n. 1037. 5°.*

(2) ex gravi culpa —

(3) Econtra clerici, qui sunt vel religiosi vel in sacris constituti vel beneficium ecclesiasticum obtinent (de quo v. etiam *Ben. XIV., Inst. 101. §. Inquiritur ergo)*, irregularitatem, et quidem ex delicto *(n. 1037. 5°.)*, incurrunt, si artem chirurgicam per incisionem vel adustionem exercuerint et mors vel mutilatio infirmi inde secuta sit, etiamsi in arte illa periti sint, omnem diligentiam adhibuerint et mors infirmi casu ipsiusve culpa ex incisione vel adustione provenerit, dummodo suametipsa manu secuerint vel usserint. — Cf. *Bönninghausen fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 2. p. 74. et seq.* — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 10. n. 1. et seq.* — Infra *n. 1037. 5°. not. etc.*

(4) Cf. *n. 1038. 1039.*

(5) vel mutilaverint, aut directe et proxime ad mortem vel mutilationem alicujus cooperati sint. Sed lis est inter doctores, utrum haec conditio locum habeat in bello justo tum offensivo tum defensivo, an ab irregularitate eximatur ille, qui in bello defensivo propria manu occidit vel mutilat. *Affirmat* posteriorem dubii partem *Bene-*

exercitus fit irregularis, etiamsi unicus tantum homo pereat.(1) — *S. Lig. n. 374.*

III. Ex defectu famae.

1029. — Infamia duplex distinguitur: 1° infamia *facti*, quae contrahitur ante quamlibet sententiam ex notorietate alicujus criminis enormis vel per exercitium artis ignominiosae; 2° infamia *juris*, quae triplici modo contrahitur, scilicet: ex crimine in jure notato, ex judicis sententia et ex crimine parentum.(2)

---

dictus XIV. (Inst. 101. §. Sin autem): negat eam *Bönninghausen (l. c. fasc. 2. p. 3. c. 1. §. 2. 1. p. 143.).* Omnes tamen in eo conveniunt, irregularitatem abesse, si occisio etc. tunc sive clerico, sive laico necessaria sit ad propriae vitae defensionem, quae necessitas ceteroquin in bello defensivo facile aderit. Hinc *Benedict. XIV.* et *Fagn. in c.* Petitio (24.) *de homic. (V. 12.) n. 4. 14.* clericum irregularem esse negant, qui in bello defensivo occidit, si jussus bellum ineat nec pro Ecclesia vel patria tuenda laici sufficiant. Plura speciatim de clerico pugnante v. apud citatos auctores et in *Act. vol. 1. fasc. 5. p. 275. et seq.*

Ceterum clericus in ordinibus majoribus vel beneficiatus sane graviter peccat, si militiam profitetur, etsi saeva non exerceat; irregularitatem tamen per hoc solum non incurrit. — *Act. l. c.* — *Bönninghausen l. c. n. 3. p. 151.* — Cf. etiam *Ben. XIV. l. c. §. Inquiritur ergo.*

(1) Haec irregularitas in bello injusto ex delicto provenit. — *Bönninghausen l. c.* — V. *n. 1037. 3°.*

(2) Distinguenda infamia sine culpa, et infamia, quae ex propria culpa oritur.

Enascitur irregularitas *per infamiam absque culpa*

1° ex exercitio officiorum de se licitorum, quae tamen ex jure infamantia habentur, uti v. g. officium carnificum etc. — Cf. *Ferraris ad v.* Irregul. *art. 1. n. 12. §. Octava.* „Sed nescio", ita *Bönninghausen l. c. fasc. 3. c. 6. not. 5. p. 158.*, „an hodie ullum sit officium, cui macula inhaereat."

2° quandoque ex crimine parentum, uti v. g. infamia eorum, qui cardinales persecuti sunt, in filios et nepotes ipsorum transfertur, juxta c. Felicis (5.) *de poenis in 6°. (V. 9.)* Alii casus, v. g. ex dispositione legis civilis, hodie vix occurrent. — *Mazzotta tr. 8. disp. 5. q. 2. cap. 3. I.* — *Bönninghausen l. c. not. 8. p. 159.*

Quaesita:

1030. — Quaer. 1° *Quaenam sint*

3° ex infamia facti (de qua mox dicemus), orta ex crimine communiter existimato, licet, saltem ab eo, cui imputatur, commissum non sit.

Diffamatus infamia facti etiam de crimine, quod ipsi cum certitudine imputari nequit vel de quo sententiam absolutoriam quidem retulit, at non ex capite innocentiae, sed ex defectu sufficientium probationum, irregularis est quoad adscensum ad ordines superiores (c. Non debet [56.] *de testibus et attest. [II. 20.]*; c. Omnipotens [4.] *de accusat. [V. 1.]*); insuper ab officio (raro a beneficio) ad cautelam suspendendus (praesertim si agitur de crimine, quod ex jure poena plectendum est, quae incompatibilis est cum ordinum exercitio, v. g. excommunicatione), donec infamia cesserit vel dispensatio obtenta fuerit. — *Anal. J. P. ser. 2. col. 2917.* — Cf. *n. 993. not. sub 2°.*

Irregularitas *per infamiam ex propria culpa* oritur

1° per infamiam facti ob crimen verum i. e. per diffamationem publicam, ortam ex crimine certe commisso, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos et honestos laeditur, quamvis illi crimini infamia nec ipso jure, nec per sententiam adnexa sit.

2° per infamiam juris, illam scil., quae in quaedam crimina committentes vel per jus can., vel per jus civile alicujus regionis (c. Omnes [2.] et Infames [17.] *caus. 6. q. 1.*) decernitur. Enascitur vero aliquando *ipso facto* (quo in casu tamen ut irregularitas oriatur, notorietas facti exigitur, nisi crimen istud jam ex alio capite hanc inhabilitatem inducat), in aliis criminibus nonnisi post sententiam judicis (modo sententia condemnatoria criminis in rem judicatam transierit). Crimina uni vel alteri speciei adnumeranda distincte referunt canonistae.

Putamus autem, delicta illa, quae in jure romano infamantia habentur et nec in jus canonicum ut infamantia recepta sunt, nec inter leges alicujus regni, infamiam canonicam non parere. — Etiam consuetudinis in similibus ratio habenda erit.

3° si quis per judicem in poenam infamis declaratur vel poena aliqua infamante (v. g. damnatione ad triremes) plectitur. — Cf. *Phillips, Kirchenrecht tom. 1. §. 53.* — *Ferraris ad. v.* Infamia. — *Bönninghausen cap. cit. p. 157.* — *Mazzotta l. c. c. 3.* — *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 33.* — V. etiam c. Ex literis (14.) et c. Petrus (17.) *de homic. (V. 12.)*

crimina, quibus ex jure *adnexa est infamia?*

Resp. Sunt sequentia: homicidium, perjurium factum in judicio, simonia, sodomia, adulterium, exercitium usurarum, invasio cardinalium vel episcoporum. Sic ex jure can. Praeterea ex *Tridentino sess. 24. c. 6. de ref. matr.*(1) adjicitur raptus mulierum, duellum et paratio armorum contra parentes.(2) Non incurritur autem irregularitas, nisi haec crimina sint vere notoria; secus enim fama non deficit. — *V. S. Lig. n. 362. et seq.*

Quaer. 2° *An sint irregulares innocentes, qui ex falsis testimoniis ad poenas infamantes damnati fuere?*

Resp. Affirmative(3), donec sententia fuerit revocata vel legitimam dispensationem obtinuerint, quia de facto sunt infames.

Quaer. 3° *An sint irregulares filii carnificum?*

Resp. Negative proprie *per se;* convenit tamen, ut ad sacros ordines non promoveantur, nisi in aliena dioecesi, ne dedecus in Ecclesiam redundet.

Nota: Irregularitas ex infamia facti cessat, cessante ipsa infamia, v. g. per publicam emendationem vel probationem innocentiae, absque dispensatione; secus, si de infamia juris agatur.(4) — *V. S. Lig. n. 364.*

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO. (5)

1031. — Quintuplici ex capite irregularitas ex delicto incurritur, scilicet 1° ex mala baptismi susceptione et ex ejus iteratione; 2° ex mala ordinum susceptione et usurpatione; 3° ex censurae violatione; 4° ex quorumdam criminum enormium patratione, 5° ex homicidio et mutilatione.

Haec versiculo sequenti exhibentur:

Fonte reus, sacris, censura, crimine, letho.

I. Baptismi iteratio atque mala susceptio.

1032. — Hinc irregularis est:

1° Qui in adulta aetate(1) suscepit baptismum ab haeretico declarato extra casum necessitatis, quia ejus errori communicare videtur.

2° Qui publice et solemniter rebaptizat. Item qui scienter rebaptizatur.(2) Item clericus adsistens baptismo iterum collato. Ita ex variis locis juris. — *V. S. Lig. n. 356.*

Iuxta *Benedictum XIV. (de syn. l. 7. c. 6.)* fit irregularis, qui rebaptizat etiam sub conditione culpabiliter seu sine justa causa. Sed hoc ipse tenet ut doctor particularis contra multos alios: porro ad irregularitatem contrahendam requiritur certitudo.(3)

---

(1) et *sess. 25. c. 19. de ref.*

(2) Non invenimus, ubinam delictum hoc per Tridentinum infamia puniatur.

(3) modo non constet, poenam illegaliter inflictam esse —

(4) Irregularitas ex dispositione juris civilis orta per restitutionem famae a principe saeculari factam etiam quoad effectum canonicum cessat. — *Phillips l. c.* — *Bönninghausen l. c. n. 3. p. 165.*

(5) Hodie nonnisi crimina, licet occulta, quae in jure expressa sunt, et reliqua crimina publica, quae infamiam afferunt, irregularitatem pariunt. — *Devoti tom. 1. tit. 7. §. 2. not. 1.* — Supra *n. 1019. Q. 4°. not.*

Disputatur vero, an infantes doli capaces irregularitatibus ex delicto innodentur. Communior sententia canonistarum affirmat. — Cf. *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 17. Limita II.* — *Bönninghausen l. c. fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 2. p. 45.*

(1) scienter — V. *Bönninghausen, de irregul. fasc. 1. p. 2. c. 1. §. 2. p. 98.*

(2) Haec irregularitas rebaptizantem et rebaptizatum non solum ab adscensu ad superiores ordines arcet, sed etiam ab exercitio jam susceptorum. — *Benedict. XIV., Inst. 84. §. Nos quidem.* — *Bönninghausen l. c. §. 1. n. 3. p. 92.; n. 5. p. 95.* — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1701. n. 179. et seq.*

(3) De hac quaestione v. plura apud *Bönninghausen l. c. n. 2. p. 86.*, qui ipse *Benedictum XIV.* sequitur. *S. C. C.* in hisce casibus dispensationem ad cautelam exigit. Plures decisiones huc facientes v. in *Anal. J. P. l. c. col. 1691. c. 5.*

Quaer. 1° *An fiat irregularis, qui occulte rebaptizat?*

Resp. Videtur *negandum probabilius*, quia in jure can. videtur agi tantum de eo, qui publice rebaptizat. — Ita *Layman, Sylvius etc.*(1)

Quaer. 2° *An sit irregularis rebaptizans vel rebaptizatus ex metu*(2)?

Resp. Negative, probabiliter saltem, licet metus non tollat voluntarium nec a peccato excuset. — Ita *S. Lig. n. 356. etc.*

II. Ordinum usurpatio aut illicita susceptio.

1033. — 1° *Usurpatio.* Irregulares sunt, qui solemniter exercent actum ordinis sacri, quem non habent. *Probabiliter* tamen soli clerici huic irregularitati subjacent.(3)

2° *Susceptio illicita.* Sic irregularitatem incurrunt: qui furtive ordinantur, i. e. qui non examinati nec admissi, per dolum, inscio episcopo, sese ordinandis immiscent; — qui curant promoveri ab alieno episcopo sine literis dimissorialibus, vel qui plures ordines sacros eodem die recipiunt, et probabiliter etiam, qui per saltum ordinantur; — denique qui ordinantur ab episcopo suspenso, haeretico, schismatico aut simoniaco.(4) — *S. Lig. n. 359. et seq.*

III. Violatio censurae.

1034. — Irregulares sunt, qui vinculo alicujus(1) censurae(2) ligati(3) solemniter exercent ordinem sacrum(4), ut jam supra dictum est. Hinc

1° Irregularis esset non tantum sacerdos, qui missam celebraret cum censura, sed etiam diaconus, qui evangelium cum stola cantaret etc., et sacerdos, qui cogeret censuratum ad celebrandum(5).

Ceterum adverte, baptisma quidem iterandum esse sub conditione, si urgeat dubium probabile, non vero, si de levi tantum dubio agatur, cum praesumptio sit pro valore baptismatis. — V. *Anal. J. P. l. c.*, praesertim *n. 175. 176. 178. 182.; col. 1606. n. 138. et seq.*

(1) *Affirmant* vero *Thesaurus p. 2. ad v.* Baptisma *c. 1.* — *Bönninghausen l. c. n. 4. p. 94. etc.*

(2) *gravi* —

(3) Contrariam sententiam *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. c. 4. p. 191.* veriorem habet.

(4) Consentiunt auctores, irregulares esse non minus illos, qui durante matrimonio, etiam nondum consummato, aliquem sacrum ordinem contra canonum praescripta suscipiunt (c. Antiquae [un]. *de voto in extrav. Jo. XXII.* [*tit. 6.*] — cf. etiam *Thesaurus p. 2. ad. v.* Ordo *c. 3. sub III.*), quam furtive ordinatos, qui irregulares evadunt saltem quoad adscensum ad ordines superiores (c. Veniens [1.] *de eo, qui furtive* [*V. 30.*]). In ceteris vero casibus ab auctore allatis haud pauci asserunt, ordinatos suspensionis poenam incurrere. — Plura v. apud *Bönninghausen fasc. 2. p. 2. c. 8. p. 98. etc.*

(1) validae — Pro casu *dubii* v. supra *n. 937.*; *n. 949. Q. 4°.* — Cf. quoque *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. c. 3. §. 1. p. 174. et seq.*, qui, paululum rigorosior, cum *Suarez* etiam in dubio facti de existentia censurae ad irregularitatem vitandam non solum exigit, ut diligentia debita adhibita dubium solvi et absolutio a censura antea obtineri nequeat, sed etiam ut rationabilis necessitas pro exercendo ordine urgeat. — Quoad *appellationem* vero v. *Thesaurus, de poenis p. 1. c. 25. Tertio.*

(2) ideoque etiam interdicti ab ingressu in ecclesiam (c. Is, cui [20.] *de sent. excomm. in 6°.* [*V. 11.*]) —

Excipe excommunicationem *minorem.* — Cf. *n. 957. Q. 2°. ad 2. not.*

Kober (*Die Suspension c. 6. p. 95.*) et *Bönninghausen* (*l. c. p. 141.*) tamen omnem suspensionem, licet naturam pure poenae tantum prae se ferat (v. *n. 932.*), irregularitatem gignere censent.

(3) aut cum violatione interdicti localis (c. Is, qui [18.] *ib.*) —

(4) per actum vi censurae ipsis prohibitum, licet sint tolerati, modo tamen sic agendo graviter peccent. — Et hoc verius affirmandum, etsi invalide ordinem exerceant, si hoc serio faciant, dummodo invaliditas non oriatur ex defectu intentionis. — *S. Lig. n. 171.* — *Bönninghausen l. c. p. 163.*

Tenentur vero hac irregularitate clerici quoque ordinibus minoribus insigniti, si haec solemniter exerceant, quidquid alii contra sentiant. — Cf. *Fagnan. in c.* Si quis (2.) *de cler. excomm.* (*V. 27.*) *n. 16. et seq.* — *Giraldi, Expos. J. P. p. 1. sect. 651.* — *Kober, Die Suspension c. 6. p. 96.*

Cf. etiam *n. 993. not. sub 1°.*

(5) rectius: episcopus vel sacerdos censuratus, qui alium cogit ad celebrandum coram ipso. — *C.* Illud (5.) *de cler. excomm.* (*V. 27.*). De sensu hujus capitis cf. *Bönninghausen l. c. p. 161.*

2° Duplicem incurrit irregularitatem, qui duplici censura ligatus ordinem sacrum exercet, et haec in postulatione dispensationis exprimi debent. Idem dicendum est de eo, qui cum eadem censura pluries celebrat.(1) Sed sufficit, ut in numero plurali exprimatur postulatio.

3° Irregularis est sacerdos, qui, ab ordine suspensus, sacramentaliter absolvit, quia etiam absolvere est actus potestatis ordinis, non vero actus solius jurisdictionis, qualis esset v. g. actus excommunicandi, confessarios approbandi, adsistendi matrimonio(2), a votis dispensandi etc.(3)

IV. Crimina enormia.

1035. — Hac appellatione intelliguntur *haeresis* et *apostasia a fide.* Hanc irregularitatem incurrunt etiam haereticorum et apostatarum credentes, fautores, receptatores, defensores, imo et ipsorummet filii.(4) — C. Statutum (15.)(1) *de haereticis in 6°.* (*V. 2.*) Haec autem crimina, ut irregularitatem inducant, debent esse publica: hinc irregularitas ista in irregularitatem ex defectu famae recidit, ut ait *S. Lig. n. 362.*(2)

V. Homicidium et mutilatio.

1036. — *Principium:* Irregularitas incurritur ex homicidio voluntario(3)

---

(1) Contrarium tenet *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Censura *c. 11.* pro utroque casu, nisi quis ligetur censuris specie diversis, ut excommunicatione et suspensione. *Bönninghausen (fasc. 1. p. 1. c. 6. n. 7. p. 57.)* vero, licet hanc sententiam validissimis argumentis inniti agnoscat, consulit, utpote securius, etiam quoad censuras ejusdem speciei aut numerum, quantum fieri potest, exprimere, aut saltem declarare, plures adfuisse censuras.

(2) Fit autem irregularis, si v. g. excommunicatus matrimonium solemniter benediceret. — *S. Lig. n. 171.*

(3) Item irregularitatem non incurrit per concionem *(S. Lig. n. 358.)* nec per adscensionem ad ordinem superiorem *(Ben. XIV., de syn. l. 12. c. 3. n. 6. 7.).*

(4) Irregularitas, quae filios haereticorum eorumque, qui haereticis favent etc., devincit, irregularitatibus ex defectu adnumeranda est. Plura de extensione ejusdem v. apud *Bönninghausen l. c. fasc. 3. c. 5. §. 3. II. p. 142. et seq.* Num vero hoc impedimentum, quo praediti, si textum juris inspicias, quoad beneficia ecclesiastica seu officia publica devinciantur, vera irregularitas sit vel inhabilitas tantum, disputant auctores. Certum est, eosdem ad ordines absque dispensatione Apostolica admitti non posse. — V. *Bönninghausen l. c. p. 145.* — *Anal. J. P. ser. 8. col. 1737. n. 223.*

Notat tamen *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Haeretici *c. 3.*, hanc inhabilitatem (saltem quoad ordines) non procedere de filiis istorum in regionibus, in quibus palam et impune haereses grassantur, cui limitationi praeter eos, quos *Bönninghausen l. c. p. 152.* enumerat, etiam *Layman (l. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12.) et Mazzotta (tr. 8. disp. 5. q. 2. c. 31.)* adstipulantur. Nec dissentit *Phillips (Kirchenrecht tom. 1. §. 48. p. 482.)*, qui quaestionem hanc controversam ait. Sed contradicunt *Reiffenstuel (l. 5. tit. 7. n. 273. et seq.)* et *Seitz (Recht des Pfarramtes tom. 2. p. 1. sect. 2. c. 2. §. 24. p. 144.)*, nisi alicubi consuetudo suffragetur, absolute vero *Bönninghausen l. c.*

(1) et c. Quicumque (2.) —

(2) Cf. *n. 1029. not.* — Videtur tamen haeresis etiam occulta, dummodo externata, irregularitatem inducere. — Cf. *Bönninghausen l. c. fasc. 1. p. 2. c. 2. §. 1. p. 111.*

(3) Per verbum *voluntarium* auctor non intendit excludere homicidium *casuale,* ut ex sequentibus patet, sed solummodo indicat, actum humanum requiri.

Adest autem homicidium *voluntarium* ad distinctionem a casuali, si quis cum expresso ac formali occidendi proposito alteri laesionem intulit, quae revera mortem adduxit, vel absque animo quidem occidendi, voluntarie tamen et deliberate actionem quamdam posuit, quae est causa proxima, et moraliter per se, et inevitabilis mortis, seu aliis verbis: ex qua per se et immediate mors sequitur, non per accidens. — *Bönninghausen fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 1. p. 14.*

Homicidium *casuale* econtra illud vocant, quod contingit casu, per inadvertentiam, negligentiam, temeritatem, sine intentione mortis vel in se proxime, vel in causa proxima, per se loquendo connexa cum effectu. Comprehendit vero haec definitio tum homicidium *simpliciter seu mere casuale,* quod scilicet omnino involuntarium est et absque omni culpa casu ac fortuito evenit, tum homicidium *casuale mixtum,* quod quidem non intenditur formaliter et in se ipso, nec aequivalenter vel in causa proxima, nihilominus indirecte voluntarium est, eo quod com-

et graviter culpabili, etiam occulto, sive directe, sive indirecte volito, sive ex actione physica vel morali patrato. Idem est dicendum quoad mutilationem.

Nota: Mutilatio intelligitur, quando a corpore separatur aliquod membrum principale seu pars corporis, quae officium per se distinctum habeat, v. g. pes, manus, oculus etc.(1) — *S. Lig. n. 379.*

Resolves:

1037. — 1° Sunt irregulares, qui causa sunt immediata mortis alicujus, etiamsi illos poeniteat, antequam laesus moriatur. Ratio est, quia causa physica necessario operatur. — Item omnes, qui alios aut seipsos mutilant.(2) — Si quis lethaliter hominem percusserit, et alter occiderit, uterque incurrit irregularitatem, quia uterque est vere homicida.

2° Sunt irregulares mandantes et consilium dantes, effectu secuto ex consilio vel mandato. Excipe: si ante exsecutionem mandatum retractaverint et retractatio mandatario innotuerit.(3) — *S. Lig. n. 370. et seq.*

3° Item cooperantes, ut homicidium celerius, audacius aut securius fiat. Sic irregulares fiunt 1° qui se mutuo excitant, licet unus solum occidat; 2° omnes praeliantes in bello injusto, si ibi aliquis pereat(1); 3° qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium; 4° omnes accusatores, judices et testes injusti.

4° Item consentientes, si consensus in homicidium efficaciter influxerit. Unde non est irregularis, qui homicidium, etiam suo nomine vel gratia factum, postea approbat, quia in illud non influxit.(2)

5° Non fiunt irregulares, qui dant operam rei licitae, adhibita sufficienti diligentia, ne accidat homicidium.

---

mittitur vel omittitur aliquid, quo commisso vel omisso alterius mortem secuturam praevideri potest et debet (pro foro interno vero melius: sufficienter praevidetur — v. *p. 1. n. 8. 1°. not.*). — *Bönninghausen l. c. c. 5. §. 2. p. 40.*

Casum, in quo etiam descendentes homicidae irregulares fiunt, v. *ib.*

(1) Abscindens digitum pollicem aut indicem debet petere dispensationem ad cautelam. — *S. C. C. d. d. 12. Jul. 1867.* (*Anal. J. P. ser. 7. col. 1131.*)

(2) In mutilatione sui ipsius ex c. Qui partem (6.) *dist. 55.* etiam ille irregularitatem incurrit, qui solummodo partem membri sibi absque urgentissima causa abscindit, modo mutilatio sit tanta, ut per se et seclusa inadvertentia sine peccato mortali fieri nequeat. Affirmat vero communior sententia, non requiri ad hunc effectum, ut quis sciens *et volens* semetipsum mutilaverit aut sui mutilationem ab aliis factam procuraverit, sed sufficere, si sua culpa mutilationem adduxerit, licet eam *invitus* passus sit. — *S. Lig. n. 365. 415.* — *Bönninghausen l. c. cap. 7. II. p. 92. et seq.*

(3) Difficilius vero consulens ab irregularitate excusabitur, licet consilium revocaverit. Oppositum enim *efficaciter* persuadendum esse ad hunc finem, omnes consentiunt. Hoc quidem facile fit, si consilium fuit mere doctrinale vel etiam auctoritativo modo datum. Si vero fuit vestitum, revocatio ab irregularitate excusare non videtur, si quis effectum consilii sui abolere de facto non valeat, nisi forte ille, cui consilium datum est, revera non per consilium actus, sed ex mera sua malitia ita agat. — *S. Lig. n. 373.* — *Bönninghausen l. c. c. 5. §. 1. III. p. 30.* — *Mazzotta tr. 8. disp. 5. q. 1. c. 1. §. 1. II.* — Cf. etiam *p. 1. n. 677. Q. 1°.*

Plura quoad tale mandatum et ceteros cooperandi modos v. apud *Bönninghausen l. c. II. p. 16. et seq.* Inducit vero cooperatio irregularitatem ex homicidio *voluntario*, ita *Suarez* apud *Bönninghausen ib. IV. p. 31. not. 1.*, „*si cooperans directe intendit homicidium*, sive suis manibus et actionibus percutiat, aut impediat alium, ne se defendat, sive solum defendat ipsum occisorem vel illi animum praebeat, etiam sola praesentia ad illum finem exhibita. *Si autem ipse non intendit homicidium, neque etiam suis manibus infert lethale vulnus*, ordinarie non incurret hanc irregularitatem homicidii voluntarii", sed casualis tantum. — Cf. etiam *not.* ad *5°.* sub *1°.*

(1) V. *n. 1028. 5°.*

(2) Neque irregularitatem evadit, qui sui servandi causa adhibito moderamine inculpatae tutelae aggressorem, qui injuria illata ab ipso lacessitus atque ad vindictam impulsus mortem inferre parat, occidit vel mutilat, si sufficienter praeviderit, quod illata injuria necis ipsi intentandae periculum allatura sit. — *Bönninghausen fasc. 2. p. 3. c. 1. §. 3. p. 158.*

Hinc non sunt irregulares 1° qui committunt homicidium casuale, nisi interveniat negligentia graviter culpabilis(¹); 2° nec ii, qui infirmo bona fide aliquid cibi vel potus nocivi praebent, vel qui illum moventes aut volventes causa sunt, cur decedat; 3° nec medici, qui pharmacum mortiferum infirmis dederunt, modo sint periti aut bona fide agant. Excipe tamen clericos in sacris, cum incisione aut adustione operantes praeter necessitatis casum.(²) — V. *S. Lig. n. 384.*

Quaesita:

1038. — Quaer. 1° *An incurrat irregularitatem, qui dans operam rei illicitae aliquem occidit, v. g. si clericus in venatione casu hominem occidat?*

Resp. Negative probabilius. Ratio est, quia homicidium neque in se, neque in causa est voluntarium; opus enim positum, etsi de se illicitum, non est *per se* mortiferum. — Secus autem, si ratione circumstantiarum proximum mortis alicujus periculum induceretur, ut v. g., si quis tormento bellico ignem admoveret, ubi est populi frequentia. — *S. Lig. n. 387. etc.*

Quaer. 2° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob suae aut innocentis vitae defensionem?*

Resp. ad 1um *Negative,* nisi excedat *moderamen inculpatae tutelae.* Ratio est, quia nullius culpae reus est. Constat insuper ex jure can. Consule *S. Lig. n. 388.*(¹)

Resp. ad 2um *Negative* pariter. Ratio est, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur, nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex c. Ex literis (14.) *de homicidio* (*V. 12.*). — Ita *S. Lig. n. 388. etc.*

1039. — Quaer. 3° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob defensionem libertatis, honoris vel bonorum temporalium cum moderamine inculpatae tutelae?*

Resp. Negative juxta *communiorem* sententiam. Constare videtur ex variis locis juris canonici. Insuper, cum ibi nullum adsit peccatum, non potest incurri irregularitas, nisi ob defectum lenitatis: porro irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi in casibus in jure expressis; casus autem praesens in jure non reperitur. — *S. Lig. n. 389.*(²)

Quaer. 4° *An habendus sit irregularis, qui dubitat, an homicidium patraverit necne?*

(¹) Ex homicidio *casuali* juxta *Bönninghausen fasc. 2. p. 2. c. 5. §. 2. p. 48. 52. et 60.* irregularitas enascitur:

1° Si quis in re per se licita peragenda versatus fuerit aut ad hujusmodi actionem exercendam alterum mandato, consilio vel alio quovis modo induxerit, at vero ad praecavendum homicidii periculum sufficientem cautelam ac debitam diligentiam non adhibuerit, quando mors alterius, sive tertii sive ipsiusmet, cui mandatum vel consilium datum fuit, secuta est.

2° Si quis operam dederit rei illicitae, ex qua, alicujus mortem secuturam esse, praevidere potuerit ac debuerit (melius: sufficienter praeviderit), quippe quae vel saepte natura vel concurrentibus circumstantiis ad mortem inferendam apta mortisve facilis inductiva sit, aut ad hujusmodi actionem exercendam alterum mandato, consilio aut alio quovis modo induxerit, quando mors alicujus secuta sit, quantacumque adhibita sit diligentia ad vitandum homicidii periculum.

3° Si quis culpabiliter omiserit impedire homicidium, cui *juris officio vel speciali contractu* obviare tenetur necnon absque gravi suo damno ac periculo potuit. — Assertionem sub *3°. Bönninghausen communem* et *probabiliorem* vocat, *dubiam* vero *S. Lig. n. 376.*

(²) Cf. *n. 1028. 3°.*

(¹) V. *n. 1028. 4°.*

(²) Canonistae in solutione dubiorum propositorum sub *Q. 2°.* et *3°.*, si scil. de eo agitur, qui ad mutilationem injustam propriam cavendam, ad vitam alterius innocentis defendendam, ad propria bona servanda etc. occidit vel mutilat, rigidiores sunt theologis. — Cf. *Bönninghausen l. c. fasc. 2. p. 3. §. 3. II. 2. p. 157. et seq.* — *Thesaurus, de poenis p. 2. ad v.* Homicidium *c. 1.* — *S. Lig. n. 388. et seq.* — Quoad defensionem honoris v. etiam *p. 1. n. 398. Q. 6°.* Ceterum haec ad irregularitatem ex defectu lenitatis potius pertinent.

Resp. 1° *Negative*, quando non constat, homicidium esse patratum, seu si dubitetur de ipso homicidio, an fuerit patratum necne. Ratio est, quia poena non est infligenda, nisi de ipso delicto constet. — *Ita communiter.* — *S. Lig. n. 347.*

Resp. 2° *Affirmative* autem, si constet de homicidio patrato et tantum dubium sit, utrum tua actione causa illius fueris.(¹) Ratio est, quia, licet generatim irregularitas in dubio incurri non debeat, attamen in praesenti casu incurrenda est ex juris canonici dispositione ob odium speciale, quod homicidium meretur. — Constat ex c. Significasti (18.) et c. Ad audientiam (12.) *de homic. etc.* — *S. Lig. n. 347.*

1040. — Quaer. 5° *An sit irregularis, qui dubitat, utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto?*

Resp. Negative. Ratio est, quia pro solo dubio homicidii lex irregularitatem imposuit. — *S. Lig. n. 347.*

Quaer. 6° *An habendus sit irregularis, qui abortum procuravit dubitans, an foetus animatus sit necne?*

Resp. Negative. Ratio est, quia tunc non constat proprie de homicidio. — *S. Lig. ibid.* Attamen debet haberi ut irregularis, qui procurat abortum v. g. post plures dies a conceptione; constat enim, foetus animari fere statim post conceptionem. — V. dicta in *tract. de quinto praecepto decalogi n. 402. 403.*

(¹) Limitant plures auctores hanc responsionem ad solum dubium, an homicidium a *clerico* commissum sit, addentes, irregularitatem sic exortam solummodo usum ordinum sacrorum, imo solam missae celebrationem vetare. — Cf. *S. Lig. n. 347. dub. 3.* — *Bönninghausen fasc. 1. p. 1. c. 4. n. 2. p. 20. et seq.*

Sane, interpretatio capitum juris, quae hanc materiam tractant (praesertim c. *12. 18. 24. de homicidio [V. 12.])*, difficultate non caret. Nos illam quidem sententiam veriorem censemus, quae defendit, in quocumque dubio *facti* probabili ex dispositione juris obligationem adesse, se in utroque foro pro irregulari gerendi, nisi aperta praesumptio contra factum, quod irregularitatem inducere queat, militet *(n. 1025. 1°. not.)*.

APPENDIX

DE INDULGENTIIS ET JUBILAEO.

CAPUT I.

DE INDULGENTIIS.(¹)

1041. — *Indulgentia,* ut vox ipsa indicat, idem est ac gratia, condonatio, misericordia, remissio. Indulgentia enim est condonatio poenae peccatis debitae, per applicationem satisfactionum Christi et sanctorum: nam Christus, salvator noster, Deo Patri pro plena peccatorum nostrorum remissione suas satisfactiones obtulit. Hae autem satisfactiones pretii infiniti, quibus accedunt etiam satisfactiones Beatissimae Virginis, necnon satisfactiones superabundantes sanctorum, dicuntur *Ecclesiae thesaurus,* de quo per *indulgentias* participamus. Hinc

Definitio: Indulgentia est remissio poenae temporalis Deo debitae, pro peccatis(¹) quoad culpam remissis(²), con-

(¹) Decisiones *S. Congregationis Indulgentiarum* plerasque, quas in notis hujus appendicis citamus, ex decretis authenticis ejusdem Congregationis, a *Prinzivalli Romae 1862.* editis, deprompsimus, ad quam collectionem etiam numerus citationibus additus referatur.

(¹) post baptismum commissis — *Scan.*

(²) Indubie tamen asserendum, poenitentiam sacramentalem „salutarem et convenientem", ut ait Tridentinum, ob indul-

:essa a legitimo ministro extra sacramentum poenitentiae per applicationem :hesauri Ecclesiae.

Divisio: Multipliciter indulgentia listinguitur, scilicet

1° *Plenaria* vel *partialis*, prout ntegra poena temporalis remittitur(¹) rel ejusdem pars tantum.

2° *Personalis* vel *localis* aut *realis*, rout conceditur immediate personis, r. g. confraternitati, vel est affixa ilicui loco, v. g. templo, oratorio etc., ut adnectitur alicui rei(²), v. g. magini, cruci, rosario etc.

3° *Temporalis* aut *perpetua*, prout d tempus determinatum, aut sine ullo ermino praefixo conceditur.

---

entiam plenariam post confessionem illam poenitente lucrandam a confessario omitti on posse (cf. etiam const. *Inter praeritos Ben. XIV. d. d. 3. Dec. 1749. §. 64.)*; imo etiam alia opera poenitentiae astanter talibus poenitentibus commenentur, ut securius veniam poenae temoralis assequantur, cum satis constet de ente Ecclesiae, indulgentias plenarias olummodo *vere* poenitentibus largiendi, t sic *suppleat*, in quo humana infirmitas eficit etc. Hinc *Baronius (Annal. ad nn. 1073. n. 71.)* merito ait, „Sedis postolicae indulgentias illis communiari, qui, quantum suppetunt vires, bene perari non praetermittunt, non autem navis, otiosis ac negligentia torpescenbus." — Cf. etiam c. Antiquorum (1.) *de oenit. in extrav. comm. (V. 9.)*

(¹) Plenaria etiam plenissima ex stylo riae quandoque vocatur. Auctores taen ab indulgentia plena sive plenaria istinguere solent *pleniorem*, quando scil. enariae superadditur potestas extraornaria absolvendi a reservatis, et *pleissimam*, si ultra facultas dispensandi votis et hujusmodi vinculis accedit. *Ferraris ad v.* Indulgentia *art. 1. n. 10.*

(²) portatili —

Indulgentiae reales tamen fere semr sunt simul personales, cum, paus exceptis, solummodo proprietarii arum rerum, quibus indulgentiae adae sunt, hasce lucrari valeant. — *Laurel, Le chrétien éclairé sur la nare et l'usage des indulgences p. 1. 6. sub fine* (in versione german.: *Die blässe, ihr Wesen und ihr Gebrauch. aderborn, Schöningh 1866.* — Semda et duodecima editio hujus operis probatione *S. Congr. Indulg.* gaudent.)

Principia:

1042. — I. Ecclesia habet veram potestatem, indulgentias concedendi. *Est de fide contra protestantes.* Etenim Christus, ut ex ss. scripturis patet, dedit Ecclesiae plenam potestatem ligandi vel solvendi, tum in foro interno, tum in foro externo spirituali. Ita, cum ipse Christus dixit Petro *(Matth. 16. 19.): Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Ergo dedit Petro, i. e. Ecclesiae suae, potestatem solvendi, quidquid est ligatum: ergo etiam potestatem liberandi a poena peccatis debita. Accedit definitio *concilii Trid. sess. 25.* in *decreto de indulgentiis,* ubi anathemate damnantur, qui *aut inutiles esse* (indulgentias) *asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse, negant.* — Constat insuper ex universali traditione et perpetua praxi Ecclesiae.

1043. — II. Soli Ecclesiae praelati habent potestatem, indulgentias concedendi. Etenim haec facultas competere iis solum potest, qui habent potestatem in corpus mysticum Christi et qui thesaurum Ecclesiae dispensare soli possunt.

Hinc 1° Solus Papa indulgentias concedere potest respectu omnium fidelium; ille enim solus habet jurisdictionem in fideles universos.(¹) —

(¹) Indulgentiae, antequam populo annuntiantur, ab episcopo recognoscantur, cui etiam publicatio ipsa competit. (Dispositio Tridentini, adhibendi ad publicationem duos de capitulo, non est in usu. — *Scav.)* — Cf. *Trid. sess. 21. c. 9. de ref.* — *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 18. n. 1. 3.*

Haec approbatio et recognitio tamen non requiritur, si publicandae non sunt, nisi in concessione exprimatur. — *Bouvier, Traité dogmatique et pratique des indulgences etc. p. 1. c. 6. a. 3. §. 2.* — Cf. *n. 1086.*

Cum incongruum sit, *S. C. I.* „omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas apogryphas-

Suarez — Lacroix l. 6. p. 2. n. 1317.

2° Episcopi(1) possunt quidem *de jure communi* concedere indulgentias suis dioecesanis.(2) Sed ex decreto *concilii Lateran. IV. can. 62.* ita restricta est eorum potestas, ut non possint *ordinarie* concedere, nisi indulgentias 40 dierum(3), in die consecrationis ecclesiae autem unius anni.

3° Delegatus easdem indulgentias concedere potest, ac ille, a quo fuit delegatus. Ratio est, quia actus jurisdictionis per delegatos exerceri possunt, ut apud omnes in confesso est.

4° Cardinales possunt concedere indulgentias 100 dierum in ecclesiis suorum titulorum; nuntii vero 100 vel 200 aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis. — *Lacroix n. 1321. 1322.*

5° Praelati episcopo inferiores non possunt ullas indulgentias concedere; neque vicarii generales, nisi ex delegatione expressa episcopi; neque vicarii capitulares sede vacante; multo minus parochi.(1) — *Lacroix n. 1323.*

1044. — III. Quatuor requiruntur in subjecto ad indulgentias lucrandas:

1° Ut sit baptizatus, quia thesaurus Ecclesiae infidelibus dispensari nequit, ut patet; et non sit excommunicatus(2), quia secus communione bonorum spiritualium privatur.

2° Ut sit subditus concedentis, ut constat ex dictis.(3)

3° Ut opera injuncta(4) tempore

---

que indulgentias descriptas continent," eadem *S. Congr. d. d. 14. Apr. 1856.* generale decretum edidit, in quo locorum ordinarios hortatur, ut sollicite „invigilent non modo, ut ejusmodi indulgentiae falsae et apogryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut decreta a S. Congr. salubriter edita, ac praesertim super earumdem indulgentiarum publicatione et impressione observentur, imprimis vero decretum sub die *19. Ian. 1756.* latum etc., quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur, complures indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa S. Congregatione, ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa praesenti decreto declaravit, impetrantes posthac hujusmodi generales concessiones teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad secretariam ejusdem S. Congr. deferre.*" Ad falsas vero ejusmodi indulgentias a veris internoscendas commendantur, quae *Benedictus XIV.* (*de synodo*) hac de re edocuit (v. etiam *Maurel l. c.*) et in dubiis recursus ad *S. C. I.* intimatur. — V. *Act. vol. 3. fasc. 26. p. 106.*, quorum editores addunt: „Indulgentiae obtineri a Rom. Pontifice possunt per secretariam brevium (v. *Maurel p. 2. in ingressu sub 6°.*) vel etiam alia ratione. Cum agitur de indulgentiis generalibus, quae scil. lucrifieri possunt a fidelibus ubique locorum, exemplar concessionis exhiberi debet secretariae *S. C. Indulg.* etc."

(1) modo sedem habeant i. e. jurisdictione episcopali gaudeant; agitur enim de actu jurisdictionis, non ordinis. — *Scav.*

Possunt vero hanc potestatem, utpote ordinariam, clericis delegare. — *Ferraris ad v.* Indulg. *art. 2. n. 12.*

(2) Locales generatim concessas etiam alienigenae lucrari valent. — *Diana tom. 4. tr. 5. resol. 30. n. 4.* — *Bouvier l. c. art. 1.*

(3) Possunt tales indulgentias concedere in perpetuum. — *Ferraris ad v.* Indulg. *art. 2. n. 8.* Prohibetur tamen, *eidem* objecto v. g. per successorem episcopi aliam indulgentiam 40 dierum applicari. — *Maurel p. 1. §. 3.*

(1) Communicatio meritorum ordinis, quam quandoque superiores regularium insignibus benefactoribus concedunt, non est largitio indulgentiarum, sed, ut ait *Suarez*, oblatio seu donatio suffragiorum tantum. — *Maurel ib.*

(2) excommunicatione majore —

(3) V. *n. 1043. 2°. not. 1.*

(4) *Quaes.* In concedendis indulgentiis a S. Sede saepius requiritur, ut pie visitetur ecclesia parochialis seu oratorium publicum. Quaeritur ergo, utrum ad implendam hujusmodi conditionem publicum sit censendum oratorium sive in monasteriis, sive in seminariis aut aliis conventibus canonice dedicatum, cui tamen christiana plebs publice non solet accedere. In hypothesi, quod *negative* respondetur, rogat episcopus Virdunensis, ut quodcumque, ut supra, oratorium in sua diocesi exsistens aut exstiturum visitari deinceps valeat ad indulgentias lucrandas.

Resp. Negative, ac propterea recurrat

praescripto impleat, quia sub hac conditione conceduntur indulgentiae.(1)

4° Ut sit in statu gratiae, saltem quando ultimum opus praescriptum ponit(2), quia non remittitur poena, nisi dimissa culpa.(3) — *S. Lig., de poenit. n. 533. etc.*

Quaesita:

1045. — Quaer. 1° *An sit valida concessio indulgentiae facta sine causa?*

Resp. Negative. Ratio est, quia praelati Ecclesiae non sunt nisi delegati Christi ad thesaurum Ecclesiae dispensandum. Christus autem nequit ratas habere profusiones thesauri sui, a dispensatoribus prodigis factas. — Ceterum non est fidelium nec simplicium sacerdotum, judicare de sufficientia causae, ob quam indulgentia conceditur; debent enim simpliciter existimare, justam esse. — *S. Lig. ib. n. 532. etc.*

Quaer. 2° *An peccatum veniale sit obex ad lucrandam indulgentiam?*

---

in casibus (particularibus). — *S. C. Ind. 22. Aug. 1842. (n. 540.)* — Cf. etiam *Maurel p. 1. §. 7. sub fine.*

V. *n. 1084. 1° nota.*

(1) Si indulgentia conceditur a primis vesperis, etiam ab hoc tempore (usque ad solis occasum ipsius festi) opera praescripta valide peraguntur (cf. *decis. S. C. Indulg. d. d. 29. Maji 1841. [n. 511. 4°.]*); secus solummodo ab ortu usque ad occasum solis, nisi indultum plus concedat. — *S. C. I. 2. Jul. 1754. (n. 214.)*

Quando vero indulgentia a primis vesperis incipit? — *Resp.* Si concessa est intuitu mysterii vel sancti illo die colendi. In aliis casibus consulantur literae concessionis. — *Maurel p. 1. §. 7.*

Quoad *translationem festorum* v. *n. 1083.*; quoad *indulgentias concessas pro festis Domini vel B. V. Mariae n. 1092.*; quoad *extensionem* vero *indulgentiarum n. 1093.*

(2) nisi concessio aliud exigit. — *Maurel p. 1. §. 7. 2°.* Quod vero spectat ad sensum clausulae: *qui vere poenitentes, confessi ac s. communione refecti ecclesiam visitaverint,* ex decr. *S. C. I. d. d. 19. Maji 1759. (n. 241.)* visitatio ecclesiae praescripta sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum valide fit. — Cf. etiam *Ben. XIV., Inst. 48.*

Quid vero, si opus praescriptum fiat cum culpa veniali ex parte finis vel circumstantiarum? — *Bouvier (p. 1. c. 7. art. 1. §. 1. q. 2.)* magis arridet sententia illorum, qui affirmant, hoc indulgentiae non obesse, nisi culpa afficiat substantiam operis, uti v. g. si quis det eleemosynam mere ob vanam gloriam. — Cf. etiam *S. Lig., de poenit. n. 533.; n. 534. 11.* — *P. 1. n. 30.*

(3) 5° Ut opera perficiantur per actum humanum; non enim sufficit actus mere materialis. — *Bouvier p. 1. c. 7. art. 1. §. 2.*

6° Ut debita intentio adsit. — Cf. *n. 1055.*

7° Ut opera fiant per eum, qui indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna, quae etiam per alium fieri potest. — *Ferraris ad v.* Indulg. *art. 2. n. 41.*

8° Non satisfit tandem operibus requisitis per opera, ad quae quis jam alio titulo obligatur, nisi indulgentia praecise hisce operibus concessa sit vel intentio concedentis hac de re sufficienter pateat. — Cf. *Ben. XIV., Inst. 52. sub initio.* — *S. C. I. 29. Maji 1841. (n. 511. 2°.)* — V. etiam infra *n. 1087.* et *Maurel p. 1. §. 7. sub 3.*

Pro *indulgentia plenaria* insuper, saltem ordinarie, haecce requiruntur:

1° Confessio sacramentalis. — Cf. *n. 1051. 1052.*

2° Communio. Haec etiam in pervigilio fieri potest. — *S. C. I. 12. Jun. 1822. (n. 429.)* — *Maurel p. 1. §. 7. sub 3.*

3° Preces *vocales* (quoad surdo-mutos cf. *n. 1057.*) juxta intentionem concedentis, quae etiam cum socio alternatim recitari possunt.

Ad *quaesitum* autem: An sufficiat quinquies Pater et Ave, quae recitari solent ad adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare ibique fundantur preces, quemadmodum ex. gr. pro lucranda indulgentia plenaria praescriptum est associatis operi propagationis fidei? *respondit S. C. I. d. d. 29. Maji 1841. (n. 511. 3°.): Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur.* — Monet tamen *Benedictus XIV.* (Const. *Inter praeteritos d. d. 3. Dec. 1749. §. 83.*): Licet oratio brevis, cum sensu ferventis pietatis adhibita, praescripto ac legi constitutionis (indulgentiam promulgantis) satisfacere possit, plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio aut parum propenso ad res spirituales animo, sive taedio negligentiaque proficisci solet. — Sufficiunt porro juxta communem sententiam 5 Pater et Ave vel oratio aequivalens.

Quoad *aegrotos* v. *n. 1057.* not. ult.

Resp. Negative, nisi agatur de indulgentia *omnino* plenaria seu *plenissime* plenaria. Ratio est, quia, quamvis remitti non possit poena huic peccato debita, potest tamen remitti poena debita pro aliis peccatis jam deletis. Sicut enim non repugnat, culpam alicujus peccati venialis remitti, quin aliórum culpa remittatur: sic nec repugnat, deleri poenam venialium aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat poena pro uno aut pluribus venialibus. — Ita *S. Lig. ib. n. 534. etc.*

1046. — Quaer. 3° *An indulgentia, quae conceditur ut* plenaria, *possit* partialiter *saltem obtineri, si adsit obex impediens, quominus integre obtineatur, v. g. affectus ad aliquod veniale?*

Resp. Affirmative. Ratio est 1° quia ex dictis in quaesito praecedenti non obstat peccatum veniale aliquod non remissum, quominus poena pro aliis debita remittatur; 2° quia Summus Pontifex, concedendo indulgentiam plenariam, non praesumitur illam velle restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venialia: sed potius merito censetur eam concedere juxta capacitatem subjecti, ita ut remittatur saltem poena, quae remitti potest, nempe poena peccatorum jam remissorum. Secus enim indulgentiae plenariae plerumque nihil prodessent, cum raro fideles affectum omnem, vel minimum, erga quodlibet veniale exuant ac sufficientem dolorem de omnibus venialibus ita concipiant, ut omnium remissionem consequantur. Hinc fieret, ut potiores essent indulgentiae partiales, quam plenariae, quod sensui communi repugnat. — *S. Lig. ib. n. 534.*

Nonnulli tamen docent, indulgentiam plenariam non concedi nisi *plenarie* seu *plenissime*, sicuti ajunt, ita ut totum vel nullum effectum sortiri debeat. Sed haec sententia probabilis non apparet.

1047. — Quaer. 4° *Quid intelligatur per indulgentias 10 vel 15 dierum, annorum, quadragenarum etc.?*

Resp. Intelligenda est remissio tantae poenae, quanta olim remittebatur vel remissa fuisset per poenitentiam canonicam ejusdem temporis. Sic v. g. per indulgentiam septem annorum tanta remittitur poena, quanta remittebatur per poenitentiam septem annorum juxta antiquos canones injungi solitam. — Quanti autem valuerint coram Deo poenitentiae canonicae et quanti nunc valeant indulgentiae partiales tot dierum vel annorum, nos omnino latet, quia ignoramus, qualem proportionem satisfactiones nostrae habeant cum poena pro peccatis nostris debita. — *Ita communiter.*

Quaer. 5° *An indulgentias lucretur, qui opus pro eis praescriptum non integre perficit?*

Resp. 1° *Negative*, si partem operis notabilem omittat, ita ut secundum aestimationem moralem illud quoad substantiam non perficiat, quia simpliciter conditionibus requisitis satisfacere non censetur.

Resp. 2° *Secus*, si minimam partem praetermittat, quia tunc *moraliter* vel *quoad substantiam* censetur perfici opus praescriptum. Pars autem minima *respective* sumenda est. Sic in rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero, si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, quia omissio quintae partis operis notabilis est. — Ita *S. Lig., de poenit. n. 534.* — — *Voit p. 2. n. 658. etc.*

1048. — Quaer. 6° *An et quomodo indulgentiae defunctis applicari possint?*

Resp. 1° Applicari possunt, si adsint duae conditiones sequentes: 1° ut tamquam illis *applicabiles* in rescripto Pontificis specialiter concedantur(¹); 2° ut adsit intentio, talem applicationem faciendi. — *Ita omnes.* — *Suarez disp. 53. sect. 4.*

(¹) Indulgentia concessa vivis, quam etiam defunctis applicare permittitur, nequit simul applicari pro vivis et pro defunctis. — *S. C. I. 15. Jan. 1839. (n. 483.).*

p. 2° Indulgentia tamen nequit ıri defunctis per modum *ab-* *mis*, sed tantum per modum *gii*, nempe Deum deprecando, ıigne velit talem applicationem are et animabus purgatorii ap-. Ratio est, quia Pontifex ctionem non habet in animas torum: hinc eas absolvere a velut per sententiam non pot- — Ita *Lacroix n. 1336.* — *de poenit. d. 27. n. 58.*

9. — Quaer. 7° *An indul- infallibiliter prosit animabus torii, quibus applicatur?*

p. *Controvertitur.* I^a Sen- *affirmat.* Ratio est, quia us dedit Ecclesiae potestatem ıilem his verbis: *Quodcumque is etc.* Concessio autem indul- pro defunctis est vere actus n, cum procedat ab Apostolica itate; clavis autem semper aperit debitis conditionibus: ergo in- tia est semper efficax et infalli- ım pro defunctis, quam pro vivis, adsint requisita. — Ita *Suarez.* Sententia *negat.* Ratio est, ıulla adest promissio divina, vi Deus censeatur indulgentiam n certo acceptare. Hinc vide- ım tantum admittere pro suo acito applicandam. Praeterea ıa servat usum celebrandi per ıres annos ac pro iisdem ani- sacra, v. g. anniversaria, etiam ıribus privilegiatis seu quibus et privilegium indulgentiae ple- : inanis autem esset illa praxis, im in primo sacro illis appli- iberarentur. — *S. Lig. ib.* *f.* — *Billuart, de indulg. art.* *es 3°.*

ıum est autem, indulgentias de- ut plurimum saltem prodesse; enim inutile quid ageret Ec- eas ipsis applicando, quod sane impietate dici nequit.

0. — Quaer. 8° *An applicatio is facienda sit certis animabus inatis, vel generalis sufficiat?*

Resp. Sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia et proinde in omnes animas distribui possunt. Elucet aliunde ex praxi Ecclesiae, quae jubet(1), missas celebrari pro defunctis in genere, praesertim die 2da Novembris. Item, quando fiunt collectae in ecclesiis pro „animabus purgatorii", missae inde celebrandae pro omnibus in genere applicari debent. Si autem quis velit restringere applicationem suam, tunc animas quasdam specialiter determinare debet(2). Pius est usus, applicare indulgentias animabus majori auxilio indigentibus (3). Ceterum quisque propriae devotioni indulgeat.

Quaer. 9° *An requiratur status gratiae ad lucrandam indulgentiam pro defunctis?*

Resp. Duplex sententia probabilis:

I^a Sententia *communior*(4) *affirmat,* quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi eam prius suam fecerit. Atqui indulgentias suas facere nequit ille, qui in statu peccati mortalis versatur. Hanc sententiam *probabiliorem* vocat *S. Lig., de poenit. n. 534.*

II^a Sententia *negat,* quia opus ponitur tantum tamquam conditio, qua posita S. Pontifex applicat defuncto indulgentiam sive satisfactiones Christi et sanctorum(5). — *Billuart* — *Sua-*

---

(1) Cf. *n. 377. Q. 17°.*

(2) saltem indirecte.

Quoad privilegium altaris v. *n. 1089. I. 3°.*

(3) Operi cuilibet, quo animae purgatorii juventur, pietas numquam deest. Ceterum pietas magis elucere videtur, si, servato ordine caritatis, plus eorum animae juventur, quibus ex quopiam titulo plus debemus. — (Not. edit. rom.)

(4) Sed *Naldus (Summ. ad v.* Indulgentia *n. 7.)* dicit *magis receptam* sententiam *negativam;* et qui hanc praeferunt, certe eam *probabiliorem* judicarunt. — (Not. edit. rom.) Etiam *Bouvier (p. 1. c. 4. art. 2. §. 3. q. 1.)* negativam sententiam *communiorem* vocat.

(5) Ex *Toleto* ratio est, quia causa satisfactionis seu pretium poenarum non est opus illius, qui est in peccato, sed indul-

rex etc. — Prima sententia ut tutior omnino commendanda est. Quam maxime igitur inducendi sunt fideles, ut, si quando noxae gravis se reos deprehendant, prius cum Deo reconciliari curent, quam pro aliis satisfacere satagant(1).

1051. — Quaer. 10° *An requiratur* confessio *et* absolutio *etiam pro venialibus ad lucrandas indulgentias, quae conceduntur cum clausula:* contritis *et* confessis?

Resp. 1° Certo requiritur *confessio,* non obstante statu gratiae. Ratio est, quia, etsi confessio tunc non sit necessaria ad remittenda peccata, requiritur tamen tamquam conditio seu opus praescriptum. — Constat ex decreto *S. Congr. Indulgentiarum*, a *Clemente XIII.* approbato *die 19. Maji 1759*(2).

Hinc ruit probabilitas sententiae oppositae, quae antea a multis theologis defendebatur. — Confessio autem fieri potest in vigilia diei, qua lucranda est indulgentia. Sic statuit eadem S. Congregatio(1). — *V. S. Lig. ib. n. 534.* — *Bouvier etc.*

Resp. 2° Non requiritur autem *absolutio.* — Constat ex recenti declaratione *S. Congr. Indulgentiarum d. d. 15. Decembris 1841.* — *V. Maurel p. 1. §. 7. sub 3.*(2)

1052. — Quaer. 11° *An requiratur toties confessio, quoties lucranda est indulgentia plenaria?*

Resp. 1° Non requiritur quoad omnes indulgentias plenarias. Sunt enim variae indulgentiae, pro quibus lucrandis nulla requiritur confessio: tales sunt indulgentiae pro exercitio *viae Crucis* concessae(3).

Resp. 2° Requiritur quoad plerasque indulgentias plenarias. Evincitur ex rescriptis variarum concessionum.

Attamen ex indulto speciali in perpetuum concesso fideles, qui *semel saltem in hebdomada*(4) *confiteri consueverunt,* omnes indulgentias plenarias in hebdomada occurrentes lucrari possunt (dummodo in statu gratiae permaneant)(5). — Sic ex decreto *Clementis XIII. d. d. 9. Sept. 1763*(6). — Constat etiam ex decreto *S. Congr. Indulg. d. d. 5. Dec. 1841.*, jam in *num. praeced.* cit.(7)

---

gentia ipsa et thesaurus meritorum Christi et sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod indulgentiae applicantur, fit nomine Ecclesiae, in qua numquam deest gratia. Exemplum prostat in eo, qui dat eleemosynam et mittit illam per manus hominis exsistentis in peccato mortali; non enim perditur fructus eleemosynae ex eo, quod sit in peccato ille, qui exsequitur opus. — V. *Diana tom. 4. tr. 5. res. 36.* (Not. edit. rom.)

Cum tamen ordinarie ad lucrandas indulgentias plenarias confessio et communio praecipiantur, ad hasce pro defunctis obtinendas status gratiae requiretur. — *Bouvier l. c.*, qui addit, ad validam applicationem altaris privilegiati statum gratiae non esse necessarium. Hanc sententiam vix non moraliter certam censemus, licet auctor dissertationis *in Anal. J. P. ser. 8. col. 2126.* eam probabiliorem solum habeat.

S. C. I. (n. 588.), interrogata de hac quaestione, ad probatos auctores remisit. — Cf. etiam decis. datam *20. Aug. 1822. (n. 432. 3°.)*.

(1) non tamen arcendi ab illa applicatione indulgentiarum, licet forte aliquando in statu gratiae non inveniantur.

(2) *Decr. auth. n. 241.*

(1) in eodem decreto *(n. 241.)*.

(2) Cf. *n. 1077. Dub. 2.*

(3) Requiritur tamen status gratiae. — Cf. *n. 1044. 4°.*

(4) *nisi legitime impediantur* —

(5) et quin aliquid innovetur „circa indulgentias jubilaei tam ordinarii, quam extraordinarii aliasque ad instar jubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur."

Aliud decretum *S. C. d. d. 12. Mart. 1855. (n. 449.)* nil novum addit.

(6) *n. 259.*

(7) „Attende ad verba *semel saltem in hebdomada.* Non dicitur *octonis diebus transactis.* Ideoque aliquis juxta tenorem decreti confiteri potest v. g. die Lunae unius hebdomadae et exspectare, donec ad confessionem redeat, diem sabbati alterius hebdomadae, qui est tertius decimus post ultimam confessionem. Sic verum erit, ipsum confessum esse in utraque hebdomada, quod sufficit." — *Monit.*

Nota 1° Episcopi non pauci, praesertim in Gallia, obtinent a curia romana extensionem hujus privilegii ad alteram hebdomadam seu ad eos, qui bis in mense confitentur(1).

Nota 2° Item ex decreto *S. Congr. Indulg.* a *Pio VII.* approbato die *12. Junii 1822.* fideles, qui singulis hebdomadis confiteri non solent, confessionem ad lucrandam indulgentiam die festo necessariam octo diebus ante festum facere possunt(2).

1053. — Quaer. 12° *An quis possit eadem die* diversas *aut pluries* easdem *indulgentias lucrari?*

Resp. 1° Quoad indulgentias *diversas* generatim eas possunt fideles lucrari, saltem si sint partiales(3) et adnexae operibus diversis vel iisdem operibus, quae pluries in die repeti possunt. — *Ita communiter* theologi, et praxi Ecclesiae et fidelium confirmatur.

Resp. 2° Quoad indulgentias *easdem* id pendet a mente Pontificis indulgentias elargientis. Unde ad literas concessionis attendendum est; quae si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiae.

Sic eodem die obtineri non possunt indulgentiae *stationum* seu *visitationis ecclesiae,* ut constat ex decreto *S. Congr. Indulg.* ab *Innocentio XI.* approbato(1). — *Voit p. 2. n. 655.* — *Lacroix n. 1370.*(2) Contra lucrari licet pluries in die indulgentias varias adnexas rosario et singulis ejus partibus, vel recitationi actuum fidei, spei et caritatis etc., quia in rescripto Pontificis dicitur: *toties, quoties.*

Quaer. 13° *An quis eodem actu seu opere plures indulgentias lucrari queat?*

Resp. 1° *Affirmative,* si opus praescriptum repeti non possit aut non soleat *eodem die,* ut *jejunium, communio etc.,* et concurrant diversae indulgentiae lucrandae, v. g. indulgentiae diversarum confraternitatum vel affixae diversis ecclesiis, ex *diversis titulis* et *eodem die* concessae.

Resp. 2° *Negative* vero, si concurrant indulgentiae *eodem titulo,* v. g. si quis habeat duo numismata, quorum singulis indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium; tunc enim plures indulgentiae *simul eodem tempore* obtineri nequeunt, nisi opera injuncta iterentur, quia talis censetur esse mens concedentis, cum injungat opera, quae iterari possunt. — Ita cum *Voit p. 2. n. 655. etc.*

1054. — Quaer. 14° *An possint acquiri plures indulgentiae plenariae eodem die?*

---

p. 1. §. 7. sub 3. — (Nota auct. ex id. all. versa.)

(1) quod indultum intelligendum est de omnibus et singulis indulgentiis tam localibus, quam personalibus, pro quibus acquirendis sacramentalis confessio ... requiritur. — *S. C. I. 4. Dec. 1843. (n. 560.)*

(2) „Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari potest ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus injunctis et dummodo nullius lethalis culpae post peractam confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam jubilaei concessas, ut in citato decreto *9. Dec. 1763.*" — Ita *S. C. I. ib. (n. 429.)*

Restringitur autem haec concessio ex urbis decisionis ad loca, „in quibus ob penuriam confessariorum nequeunt fideles frequenter" (quod ex collatione cum decreto *d. d. 9. Dec. 1763.* intelligendum videtur de confessione semel saltem in hebdomada peragenda) „confessione sacramentali expiari." — Cf. etiam *n. 1077. 1°.* et *2°.*

(3) De plenariis cf. *Q. 14°.*

(1) ajente: „semel dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri." — Textum invenies apud *Lacroix l. c.* Excipe tamen, si indulta particularia plus concedant. — Cf. *n. 1090.*

(2) „Indulgentia *plenaria quotidiana perpetua vel ad tempus concessa* visitantibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium ita semper intelligenda est, ut semel in anno tantum ab unoquoque fideli acquiri possit, excepto solummodo casu, quod in decreto etc. concessionis favore alicujus ecclesiae seu publici oratorii clare et explicite expressum sit, indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christi fideli rite disposito acquiri posse." — Ita *S. C. I. 15. Mart. 1852. (n. 624.)*

Resp. 1° Nemo potest lucrari secundam indulgentiam eodem tempore(1), si post primam nulla poena luenda amplius remaneat.

Resp. 2° Secus *affirmative*. Constat ex recenti decisione *S. Congr.*(2) Antea disputabatur in scholis. Alii negabant, saltem plerumque, quia communio, quae solet generatim praescribi ad indulgentiam lucrandam, eadem die repeti non potest. Affirmabant alii, quia communio non fuit imposita ut opus adimplendum, sed potius tamquam conditio necessaria ad indulgentiam lucrandam.(3) Sed superveniente praefata decisione, lis omnis de medio sublata est.

1055. — Quaer. 15° *An et qualis intentio requiratur ad lucrandas indulgentias?*

Resp. 1° Certo requiritur intentio saltem virtualis, quoties indulgentia conceditur cum certa intentione sibi proponenda(1); secus enim nulla esset.

Resp. 2° In ceteris casibus *controvertitur.*

I^a Sententia, quae *probabilior* videtur, docet, requiri intentionem *positivam*, saltem *virtualem*. Ratio est, quia opus praescripium dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum; hoc autem praestare nequit ille, qui saltem virtualiter lucrari indulgentiam non intendit. — Ita *Billuart, de indulg. art. 5. Petes 8°*. Hoc tamen intelligendum est dumtaxat, cum de fine expresse ab Ecclesia praescripto agitur.

II^a Sententia tenet, sufficere intentionem *habitualem*. Ratio est, quia *per se* nulla requiritur intentio. Effectus enim indulgentiae seu remissio poenae pendet omnino a concessione Ecclesiae, non vero ab intentione agentis; unde, licet se passive habeat nec attendat ad indulgentiam, imo nesciat, se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus jus ad illam consequitur. Indulgentia enim conceditur ab Ecclesia per modum *solutionis* pro opere posito; sed ad *solutionis* validitatem non necessario requiritur, ut ille, pro quo tribuitur, eam noverit.(2)

---

(1) pro seipso —

(2) Postulatum: An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae eucharistiae. — *Responsum S. Congregationis: Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus. — 29. Maji 1841. (n. 511. sub 1°.)* — (Not. auct.)

Quaer. 1°. Quum ex diversis decretis *S. Congr. Indulg.* jam liceat, plures plenarias indulgentias eodem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur, an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas, quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei affixerit.

2° Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam vel publicum oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae.

Et quatenus *affirmative:*

3° An sufficiat, ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur, quot sunt indulgentiae lucrifaciendae, quin de ecclesia post quamlibet visitationem quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur.

Resp. S. C. Ind. d. d. 29. Febr. 1864.: Ad 1um: *Affirmative.* — Ad 2um: *Affirmative.* — Ad 3um: *Negative.* (*Act. vol. 1. fasc. 2. p. 116. — Anal. J. P. ser. 7. col. 765.*)

(3) Haec ratio certo quoad jubilaeum non valet. — V. *n. 1087. not. sub fine.*

(1) v. g. orandi pro felici statu Ecclesiae — *Scav.*

(2) „Ratio allata pro 1^a^ sententia, prouti eam auctor intelligendam dicit, ad secundam potius sententiam adducit. Nam statuit, eum *dumtaxat* finem intendi oportere, quem Ecclesia *expresse* praescribat. Atqui Ecclesia certe numquam *expresse* praescripsit, ut fideles haberent intentionem lucrandi indulgentiam. — Quodsi Ecclesia subinde praescribit, ut fideles in hunc aut illum finem orent, v. g. *ut inimicos sanctae Ecclesiae Deus humiliare dignetur*, hoc pertinet ad *opus injunctum*, non vero ad intentionem fruendi indulgentiae lucro; unde fieri potest, ut aliquis in eum finem preces dirigat, de lucro autem indulgentiae neque cogitet, neque quidquam sciat." — Ita non immerito quoad hanc additionem, ab auctore in recentis-

In praxi prior sententia suadenda videtur, ut tutior et efficacior ad pios animae motus excitandos. Aliunde non valet usus probabilitatis in materia indulgentiarum, siquidem non probabilitas, sed veritas effectum producit. Ceterum communiter admittunt, sufficere intentionem mane habitam ad lucrandas omnes indulgentias per diem occurrentes. Laudabilis et utilissima est praxis piarum animarum, quae mane semper renovant propositum, lucrandi omnes indulgentias adnexas bonis operibus, quae hac die sunt peracturae. — *Lacroix etc.*

1056. — Quaer. 16° *Utrum, si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas indulgentias, commutatio necessario in confessione fieri debeat?*

Resp. Affirmative. Standum est enim regulae, quam tradit *Benedictus XIV.* in const. *Inter praeteritos §. 63.*, ubi statuit, hujusmodi commutationes in sola confessione faciendas esse.

Recensita enim controversia de commutatione votorum, absolutione a censuris ac potestate dispensandi in aliis materiis seu opera praescripta commutandi, num haec omnia fieri debeant a confessario in actu sacramentalis confessionis, necne, concludit: „Nos vero, ad omnem difficultatem tollendam, in instructione (const. *Convocatis d. d. 25. Nov. 1749.*) injunximus, non posse a poenitentiariis ullas absolutiones, commutationes ac dispensationes dari extra actum sacramentalis confessionis; idque Nobis et congruum esse, et materiae gravitati ac ministerii qualitati conveniens visum est atque omnem controversiae ansam eripit, et conforme est praxi Poenitentiariae Nostrae Apostolicae.“ (1)

1057. — Quaer. 17° *An et quomodo surdi-muti lucrari valeant indulgentias, quibus adnexae sunt orationes vocales?*

Resp. Has indulgentias in antecessum lucrari non poterant, cum requisitis conditionibus satisfacere non valerent. Sed ex benigna concessione *Pii IX. d. d. 15. Mart. 1852.* hujusmodi beneficio frui possunt, modo sequentia servent, scilicet: 1° Si ecclesia aliqua visitanda sit, satis erit, si eam adeundo surdi-muti mente et affectu Deum orent. 2° Si publicae preces habendae sint, non aliud ab iisdem requiritur, nisi ut fidelibus adunatis pia mente(2) conjungantur. 3° Si orationes privatae sint recitan-

---

imis demum editionibus factam, *editor romanus.*

An vero alia ejusdem editoris adnotatio: defensores prioris, sicut illos posterioris sententiae ad intentionem Pontificis recurrere, ut dubium elidant; notissimum vero esse principium, quoties de rebus in Ecclesiae potestate sitis probabiles feruntur ac in praxim deducuntur opiniones, illam, sicubi opus est, supplere, quod ad actus valorem pertineat, an haec, inquam, adnotatio litem dirimat, dubitamus. *Bouvier p. 1. c. 7. art. 1. §. 2.* et *Maurel p. 1. §. 7. sub 1.* hos sequuntur, qui intentionem actualem vel virtualem requirunt.

Quoad indulgentiam altaris privilegiati autem v. *n. 1089. VII. 2°.*

(1) Quamvis haec edicta *Benedicti XIV.*, ut notat *editor romanus,* occasione jubilaei anni 1750 emanarint, et constitutio *Convocatis,* quam Pontifex expresse hoc loco indigitat, alias etiam conditiones apponat, quas nemo instar generalium legum habendas censuit (cf. *ib. n. 25. 26.*): tamen, si verba *Benedicti XIV.* in textu allata perpendas; item *Sanchez* (*de matr. l. 8. disp. 34. n. 30.*), *Thesaurus* (*de poenis p. 1. c. 22.*), imo etiam *Viva* (*de jubil. quaest. 10. art. ult. n. 4.*), quos citat, non praecise vel exclusive de jubilaeo disserere, contraria sententia sane per haecce nonnihil infirmata videtur. — V. etiam *n. 1062. not. in init.* et supra *n. 952. not.*

Quoad ejusmodi absolutiones etc. tempore extensionis jubilaei majoris ad orbem cf. *n. 1062. not. sub fine; n. 1064. I. 5°. not.*

(2) „mente in Deum elevata et piis cordis affectibus“ — ita *decretum.*

dae, a confessario commutationem in alia quaevis pia opera (1) obtinere poterunt. — V. folium *L'Univers, 1er février 1854.* — *L'Ami de la religion, 2. fév. 1854.* (2)

1058. — Quaer. 18° *An amittantur indulgentiae, si res mobilis, cui adnexae sunt, alteri tradatur?*

Resp. 1° *Affirmative,* si dominium rei illius in alium transferatur. Ratio est, quia Ecclesia intendit tantum concedere indulgentias personae, pro qua res aliqua fuit benedicta, vel pro primo, qui ea utitur. (3) Ita sapientissime statuit Ecclesia ad praecavendos abusus, qui secus irreperent, si indulgentiae possint de uno ad alterum transferri ac donari.

Resp. 2° *Negative* vero, si per traditionem non transferatur rei dominium, i. e. si res alteri solo commodato tradatur, modo tamen commodans non intendat, beneficium indulgentiae commodatario concedere. Constat ex decisione *S. Congr.* (1) — *Vernier n. 84.* — *Gouset t. 2. n. 906. etc.*

Quaer. 19° *Quibusnam rebus indulgentiae applicari possint?*

Resp. Applicari possunt indulgentiae quibuslibet rebus *solidis*, ne ferro quidem vel ligno exceptis, ut olim. Etiam corona vitro solido confecta cum appositis indulgentiis benedici potest. Solae igitur res, quae facile frangi aut lacerari possunt, ut papyrus, vitrum insufflatum etc., excipiendae sunt. — Constat ex recenti decisione *S. Congr. Indulg.* (2)

---

(1) „aliquo modo manifestata" —

(2) *Decret. authent. n. 625.*

Aegrotis vero sequens *decretum S. C. I. d. d. 18. Sept. 1862.* favet: „Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus sanctissimum eucharistiae sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos, chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, solemniter deferatur, proindeque hujusmodi fideles tot plenariis indulgentiis privantur, quas consequerentur, si, conditionibus injunctis adimpletis, ad sacram eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum curatores etc. humillimas preces porrexerunt Sanctissimo Domino nostro *Pio PP. IX.*, ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur .... Sanctitas Sua spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christi fideles, exceptis tamen illis, qui in communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra communio et visitatio alicujus ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes, confessi, ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quae injunctae fuerint, loco s. communionis et visitationis alia pia opera, a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant." — *Act. vol. 2. fasc. 21. p. 538.*

(3) „Coronae, cruces, rosaria etc., ut supra, benedicta, quoad indulgentias non transeunt personam illorum, quibus concessae sunt aut quibus ab iis prima vice distribuuntur. Nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo potest, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante. Necnon eadem commodari aut precario dari non potest pro indulgentiarum communicatione: alioquin amittant indulgentias jam concessas." — Ita *Elenchus*, uti vocant, *indulgentiarum* hisce objectis per benedictionem Apostolicam concessarum, quem invenies in *Act. vol. 1. fasc. 9. p. 573.*

Hinc post mortem prioris possessoris indulgentiae ad alium non transeunt. — *S. C. I. 10. Jan. 1839.* (*n. 482.*)

(1) *9. Febr. 1745.* (*n. 133.*) — *10. Jan. 1839.* (*n. 482.*) — Alia v. *n. 1080. 1091.*

(2) *Maurel p. 2. art. 6. n. 87.* — (Nota auctoris.)

Decretum praefatum, datum *1. Mart. 1820.* (*n. 420.*), ita habet:

In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc. et iisdem applicandi indulgentias expressa dicitur, quod ab hujusmodi benedictione Sanctitas Sua rejicit imagines sive impressas, sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata (vulgo *medaglie* nuncupata), quae ex ferro, stanno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur. Hinc proposito dubio etc. *quaer.:*

Resolves:

1059. — 1° Episcopus potest concedere indulgentias suis subditis extra suam dioecesim versantibus, quia jurisdictionem habet personalem in illos. Possunt vero episcopi concedere indulgentias solum per modum *absolutionis*, ideoque pro solis vivis. — *Ita communiter.*

2° Quisque potest lucrari indulgentias pro alio quolibet christiano vivente per modum *solutionis* seu *satisfactionis;* quamvis enim fructus meriti non sit applicabilis alteri, fructus satisfactionis tamen applicabilis est, modo ille sit in statu gratiae. Sed ad hoc requiritur intentio specialis, indulgentiam pro isto determinato lucrandi(1). Applicatio autem satisfactionis fieri potest ignoranti, non petenti, absenti etc. — Ita *Suarez* — *Lugo* — *Lacroix n. 1327. etc.*

3° Non amittuntur indulgentiae rei alicui adnexae, nisi res illa omnino mutata fuerit, ita ut res eadem amplius dici nequeat; v. g. si ecclesia omnino aut fere ex integro esset diruta, indulgentiae ei inhaerentes cessarent.(2) Neque amittuntur, si per successivas reparationes totaliter renovaretur, siquidem eadem moraliter remaneret. Proinde nec amittit indulgentias corona, quae successive reparatur, licet globuli ex integro per partes subinde renovati fuerint(1). — *Gousset n. 905.*

4° Indulgentiae non exspirant morte concedentis,(2) cum sint gratiae, nec ante notitiam revocationis. — Indulgentiae accipiendae sunt, ut sonant; cum tamen sint gratiae, large sunt interpretandae, servata nihilominus verborum proprietate.(3) Unde censendae sunt perpetuae, si datae sint sine temporis restrictione. — *S. Lig. n. 534.*

1060. — 5° Indulgentia pro articulo mortis concessa(4) non requirit

---

1° An ab hujusmodi benedictione rejiciantur etiam coronae seu rosaria, quae ex ferro, stanno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficientur.

2° Specialiter, an possint applicari indulgentiae coronis ex vitro seu crystallo confectis.

Resp. Ad 1um: *Negative.*

Ad 2um: *Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto.*

Per recentem tandem *Elenchum* supra allegatum etiam cruces, crucifixi, statuae etc. *ferreae* expresse admittuntur.

Debent autem haec objecta referre imaginem alicujus sancti vel solemniter canonizati, vel saltem in martyrologio rom. relati *(Elenchus),* nec sufficit imago alicujus beati, nisi simul adsit imago sancti. — *S. C. I. 22. Dec. 1710. (n. 28.)*

(1) et concessio talis applicationis per Papam (ut expresse ait *Lacroix l. 6. p. 2. n. 1328.),* quae tamen, quantum scimus, numquam datur.

(2) Ad *quaesita:*

1° An cesset indulgentia ss. rosarii, vel aliae indulgentiae, si nova aedificetur ecclesia fere in loco, ubi vetus exsistebat?

2° An cesset indulgentia, si nova ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris ecclesiae?

3° An cesset indulgentia, si nova ecclesia aedificetur in alio loco, et non in coemeterio veteris ecclesiae?

S. C. I. d. d. 9. Aug. 1843. (n. 557.) respondit:

Ad 1um: *Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur.*

Ad 2um: *Affirmative.*

Ad 3um: *Ut in secundo.*

(1) item, si objectum frangatur, sed ita, ut adhuc suam speciem (v. g. crucis aut imaginis) referat. — *Ferraris ad v.* Indulgentia *art. 1. n. 20.*

Ad *quaesitum,* num indulgentiae amittantur

1° si rumpatur coronarum filum, sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit?

2° si globuli quatuor vel quinque deperdantur?

S. C. I. d. d. 10. Jan. 1839. (n. 482.) respondit:

Ad 1um: *Negative, quia coronae eaedem perseverant quoad formam moralem.*

Ad 2um: *Negative ex allata ratione in praecedente responsione.*

(2) nisi hoc in ipsamet concessione exprimatur explicite vel implicite, v. g. per clausulam: *usque ad beneplacitum nostrum.*

Nec cessat indulgentia perpetuo concessa per cessationem causae. — *Ferraris ad v.* Indulg. *art. 3. n. 52. et seq.*

(3) Cf. etiam principium sub *n. 1055. S. In praxi* ab auctore enuntiatum.

(4) ordinarie — Cf. tamen *n. 1088.*

applicationem confessarii aut ministerium alterius. Expedit tamen, moribundos nomina Jesu et Mariae saepius invocare, et ipsis in mentem lucrandam indulgentiam revocari.

6° Si moribundus habeat plures imagines, cruces, numismata aut rosaria benedicta, potest lucrari indulgentiam toties, quoties nomen Jesu repetierit vel praestiterit opus requisitum (saltem probabilius), sive indulgentiae ex eadem concessione, sive ex diversis proveniant. Sufficit autem ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus tantum postea mors sequatur. — Ita *S. Lig. ibid.* — *Suarez etc.* Possunt pariter moribundi plures lucrari indulgentias titulo variarum confraternitatum, etiamsi eas ignorarent aut de iis non recordentur. (1) — *S. Lig. ibid.*

7° Requiritur autem, ut moribundus secum habeat res, quibus affixae sunt indulgentiae, scilicet rosaria, cruces etc. Attamen necesse non est, ut haec habeat collo appensa, brachio obvoluta manuve apprehensa, sed sufficit, ut haec sint in lecto vel juxta moribundum appensa, licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat aut recordetur, se habere. (2) — *S. Lig. n. 534.*

8° Etsi expediat, ut omnia opera fiant in statu gratiae, id tamen necessarium non est juxta sententiam communem, sed sufficit, si ultimum opus in gratia fiat. — *S. Lig. ibid.* — *Concina n. 34. etc.* (1)

Nota: Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia *S. Congr. Indulg.* (*Decreta de libris prohibitis in indice rom. §. 3. n. 12.*)(2)

---

(1) V. tamen *n. 1055.*

(2) Notat *Maurel (p. 2. art. 6. n. 87.)* in genere: „Ut quis indulgentias rosariis etc. benedictis concessas lucrari possit, eadem vel secum portare vel asservare debet. Dum autem peragit pias considerationes aut orationes, tamquam conditio ad indulgentiam lucrandam requisitas, objectum illud vel secum portare, vel saltem, si asservatur in cubiculo vel alio decente loco habitationis, coram se habere debet." — Non sufficit itaque praesentia rerum benedictarum materialis tantum, sed requiritur formalis i. e. cum devotione erga eas conjuncta.

(1) Qui alicui congregationi nomen dederunt, si omittant (absque contemptu) opera injuncta per diem, non peccant, imo participant de piis operibus, quae in illa fiunt. — *Scav.* — Cf. *Bouvier in fine partis 3ae.*

Ad *quaes.* vero: „An quaedam speciales preces quotidianae sint necessario recitandae ad obtinendas indulgentias, quae a Pontificibus fuerunt concessae sodalibus congregationum de B. M. V. rite institutarum in collegiis et aliis locis etc., romanae congregationi consociatarum? Ratio dubii in eo statuitur, quod hujusmodi preces non videantur requirere decreta de indulgentiis, quae sunt congregationibus Apostolica auctoritate concessae." *S.C.I. 31. Jan. 1848. (n. 601.) resp.: Ubi nullae sunt praescriptae preces quotidianae ad effectum lucrandi indulgentias, non tenentur Christi fideles ad aliquas determinatas recitandas.*

Et *25. Jan. 1842. (n. 525.)* eadem *S. C.* declaravit: „Dummodo sodalitates sint canonice erectae et sodales adimpleant opera injuncta a SS. Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suae respectivae confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime descripti fuerint in confraternitatem, inobservantia partialis seu generalis statutorum non obest acquisitioni indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam sodalitatis administrationem, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias acquirendas."

(2) „Articulus ille ita est intelligendus, ut, si agatur de edenda concessione alicujus indulgentiae vel summarii indulgentiarum, quod ex brevi Apostolico vel rescripto desumendum est, aut de summario ex auctoritate S. Congregationis jam vulgato, in potestate ordinarii sit, licentiam concedere, earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); econtra vero, si sermo sit de summario vel ante collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa *S. Congregationis Indulg.* licentia." — Ita eadem *S. C. 22. Jan. 1858. (n. 674. — Act. vol. 3. fasc. 26. p. 102. et seq.)*

CAPUT II.

DE JUBILAEO.

1. — Vox *jubilaeum* deducitur plures ab hebraeo *jobel*, quod :at quinquagesimum, quia apud eos annus jubilaei anno quinqua- recurrebat, vel juxta alios ab verbo significante sonum tubae, dicebatur quinquagesimus annus. alios etiam jubilaeum deducitur *al*, quod significat germinare, nno quinquagesimo terra non tur et incolae fructibus sponte antibus vescebantur.

imitationem jubilaei veteris testa- institutum est jubilaeum ec- ticum, quod Romae et in uni- orbe cum plenissima peccatorum entia, magno gaudio et solemni- unc celebratur. Post primam nstitutionem ex decreto *Boni- VIII.*(1) *anno 1300.* habitum no quoque quinquagesimo, ex o autem *Urbani VI.* quolibet rigesimo tertio; ex statuto denique *II.* quolibet anno vigesimo quinto ari coepit.

2. — Definitio: Jubilaeum ulgentia plenaria solemnis, quam us Pontifex aliquando concedit us fidelibus cum obligatione, certa pia peragendi, tribuens simul sariis specialem potestatem, a is censurisque reservatis absol- ac pleraque vota commutandi.

ic jubilaeum non differt nisi *entaliter* ab indulgentia plenaria aria, scilicet ratione solemnitatis ivilegiorum ipsi adnexorum(2), et etiam ratione uberrimarum et extraordinariarum gratiarum, quae illud

---

rum, ut indulgentia alicui orationi obtineri possit, debet recitari in iomate, in quo indulgentia ipsi con- est, nisi Pontifex eam etiam in alio ate recitare permittat, quo in casu sit exacta oportet. — *Maurel p. 2. n. n. 4.*, ubi plura.

Cf. c. Antiquorum (1.) *de poenit. rav. comm.* (*V. 9.*)

Quoad haec privilegia primario con- r bulla, qua jubilaeum conceditur. ntur praeterea in jubilaeo tum ordinario, tum extraordinario omnes regulae a *Benedicto XIV.* traditae, quibus bulla jubilaei non adversatur. — *S. C. I. 15. Mart. 1852.* (*n. 622.*)

Sunt vero facultates, quae juxta constituta a *Ben. XIV.* (praesertim in constitutionibus *Benedictus Deus d. d. 25. Dec. 1750.; Celebrationem d. d. 1. Jan. 1751.; Convocatis d. d. 25. Nov. 1749.; Inter praeteritos d. d. 3. Dec. 1749.*) et mentem auctorum probatorum tempore extensionis jubilaei majoris ad universum catholicum orbem concedi solent, sed una vice tantum pro singulis fidelibus durante jubilaeo et pro iis solis, „qui jubilaeum consequi sincere ac serio statuerunt atque ex hoc animo ipsum lucrandi et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi ad confessionem accedunt“ (Const. *Benedictus §. 4.*), breviter sequentes:

Directe pro poenitente facultas eligendi confessarium inter approbatos ab episcopo loci, ubi confessio fit. Hinc etiam regulares quicumque, oblatae, tertiariae etc. pro confessione ad lucrandum jubilaeum requisita absque superiorum licentia ex dictis approbatis quemcumque sacerdotem, etiam saecularem, eligere possunt; moniales vero et earum novitiae aliquem ex approbatis a loci ordinario ad audiendas monialium confessiones, sive ad hunc finem generatim, sive pro aliis monasteriis approbatus sit (cf. *n. 174. 3°.*). — Const. *Celebrationem §. 9—11.* Quoad controversias hac de re olim agitatas cf. *ib.* — *Bouix, de jure regularium tom. 2. p. 5. sect. 3. c. 3. q. 23. p. 259.*

Directe pro confessario et indirecte pro poenitente:

I. Facultas absolvendi, in foro conscientiae dumtaxat, „ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam ordinariis locorum ac Pontifici et S. Sedi, etiam in bulla die coenae Domini legi solita seu per alias quascumque Apostolicas constitutiones quomodocumque reservatis et a ss. canonibus fulminatis; necnon ab omnibus peccatis et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem ordinariis ac Pontifici ... reservatis.“ — Const. *Benedictus §. 4.*

Haec concessio etiam pro censuris publicis valere videtur; in quantum tamen dictae facultates cum illis concordant, quae poenitentiariis in Urbe decurrente anno sancto tributae sunt, serventur conditiones etiam ab his in absolutione servandae. — Cf. Const. *Convocatis n. 27. et seq.*

concomitantur. Has enim gratias omnino speciales arguunt miri et stupendi effectus, quos jubilaeum producere solet, etiamsi non fiant solemnes fidelium coadunationes, nec divinum verbum praedicetur.

1063. — Divisio. Varium distinguitur jubilaeum, scilicet

1° *Jubilaeum majus*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *annus sanctus* vocatur. Dicitur etiam jubilaeum *ordinarium*, eo quod sit jure fixum et determinatum.

2° *Jubilaeum minus*, quod solet concedi a singulis SS. Pontificibus post uniuscujusque exaltationem et in aliis peculiaribus circumstantiis, et dicitur jubilaeum *extraordinarium*.

3° *Generale*, quod conceditur universo orbi, cujusmodi semper est jubilaeum *majus* et quandoque etiam jubilaeum *minus*; sed concedi solet Urbi seu Romae soli, antequam orbi concedatur. (1)

Ajunt vero, juramentum satisfaciendi quamprimum, in hac constitutione praescriptum iis, qui ligantur censuris ob partem laesam, cui tamen hic et nunc satisfacere nequeunt, non requiri, si poenitens est revera perpetuo impotens ad satisfaciendum, vel si pars laesa satisfactionem remittat vel justam satisfactionem oblatam recuset. — *S. Lig., de poenit. n. 537. Q. 7.* — Supra *n. 955. Q. 5°. not. 2.*

Excipiuntur tamen ab hac ampla facultate:

1° Haeresis formalis externata, quamvis occulta, nisi potestas absolvendi saltem aequivalenter indicetur (v. g. per formulam: „absolvendi ab omnibus peccatis... etiam in speciali forma ordinariis locorum et Sedi Apostolicae reservatis, quorum absolutio in aliis casibus non intelligitur concessa per simile generale indultum". — Cf. *Scav. tom. 3. annot. G. n. 23. in fine tract. 10.*) — Const. *Inter praeteritos §. 85.*

2° Complicitas in peccato turpi, nisi hoc expresse concedatur.

3° Peccata et censurae, a quibus ne in solo foro conscientiae quidem ipse poenitentiarius major absolvere potest. — Cf. const. *Pastor bonus Ben. XIV. n. 11. et seq.*

4° Neque absolvi possunt ii, qui a S. Sede vel ab aliquo praelato seu judice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus pro jubilaeo lucrando concessum satisfecerint et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint. — Const. *Benedictus §. 5.*

II. Facultas dispensandi ab irregularitate, incursa ob violationem censurarum per exercitium ordinis. — Cf. *n. 1019. Q. 5°. 1°. not. ult.*

III. Facultas commutandi vota simplicia (non excepto voto, commutationem non petendi — *Ferraris ad v.* Jubilaeum *art. 2. n. 39.*), etiam jurata et Sedi Apostolicae reservata (Const. *Benedictus §. 4.*), quam facultatem etiam ad juramenta Deo facta extendunt. — *Ferraris ib. n. 35.* — V. *n. 1075. Q. 17°.*

Sententiam fere communem, non requiri pro praefata commutatione votorum specialem causam (*S. Lig. n. 537. Q. 4.*), merito, uti nobis videtur, *Bouvier* (*p. 4. c. 3. art. 2. §. 3. 4°.*) temperat, cum praesumi nequeat, Pontificem ad actum inutilem potestatem elargiri velle.

Excipiuntur ab hac facultate: 1° Vota castitatis perpetuae et ingressus in religionem (Const. *Benedictus §. 4.*), nisi dispensatio devoluta sit ad ordinarium, dummodo tamen haec devolutio non ex causa mere accidentali proveniat, v. g. quia tempus urget et recursus ad S. Sedem impossibilis est. — *Bouvier l. c. n. 3.* et *Q. 3.*

2° Vota in favorem tertii, si jam sint acceptata, nisi tertius juri suo renuntiet. — Const. *Benedictus ib.*

3° Vota poenalia praeservativa a peccato, nisi commutatio fiat in aliud opus, quod aeque vel magis ad praeservandum conducit. — *Ib.*

Hae vero absolutiones, commutationes et dispensationes absque speciali concessione (v. *resp. S. Poenit. d. d. 16. Mart. 1865. n. 1087. not. sub fine.*) extra actum sacramentalis confessionis exerceri nequeunt. — Const. *Convocatis n. 25.* etc.

(1) Annus integer ordinarie conceditur Romae ad lucrandum jubilaeum majus, et anno sequenti concedi solet per extensionem omnibus aliis orbis christiani regionibus. Singulis autem parochiis ad jubilaeum lucrandum conceduntur tantum quindecim dies vel tres hebdomadae: episcopus tamen potest justis de causis illud tempus prorogare. (Consulatur hac de re tenor concessionis — *Editor.*) — Jubilaeum *minus* primum etiam fit Romae, sed paucis hebdomadis, et deinde extenditur ad universum orbem, ut, decurrente anno, tempore ab episcopo determinando fieri possit. — (Nota auctoris.)

4° *Particulare*, quod conceditur alicui provinciae, civitati vel loco particulari, ut est celeberrimum jubilaeum ecclesiae Aniciensi concessum, quoties festum Annuntiationis B. Virg. in diem sacrum Parasceves incidit.(1)

Conditiones ad jubilaeum requisitae.

1064. — I. Ad jubilaeum generale, sive *majus*, sive *minus*, sequentes requiruntur conditiones (2), scilicet 1° *Jejunium* trium dierum, feria 4ª., 6ª. et sabbato.(3) — 2° *Eleemosyna* aliqua vel juxta cujusque facultatem.(4) — 3° *Visitatio* (5) ecclesiarum (6), pie orando ad S. Pontificis intentionem. Olim ponebatur in indulto: *Qui processioni interfuerint vel ecclesias visitaverint:* nunc processio non injungitur ut conditio indulgentiae. — 4° *Confessio* peccatorum cum sincero dolore peracta.(1) — 5° *Communio* in statu gratiae facta.(2) Ita ex variis constitutionibus, praesertim ex bulla *Inter praeteritos Benedicti XIV. d. d. 3. Dec. 1749.* pro jubilaeo anni sancti.(3) (*V.* compendium hujus bullae apud *S. Lig. n. 536.*)

II. Pro jubilaeo particulari attendendum est ad tenorem indulti concessi; ordinarie tria tantum requiruntur, nempe confessio, communio et visitatio alicujus ecclesiae.

---

(1) Quoad indulgentias, quae vocantur *in forma jubilaei*, cautione opus est, cum *Clemens VIII.* et alii Pontifices antea concessas abrogaverint. Nec indulgentiae simplices plenariae hoc nomine insigniri debent. — Cf. *Ben. XIV., de syn. l. 13. c. 18. n. 9.*

(2) Jejunium et eleemosyna pro solis jubilaeis extraordinariis praescribi solent. — *Bouvier p. 4. c. 2. art. 2. sub init.*

(3) Qui quoad jejunia dispensatus est, hac dispensatione diebus, quibus dictum jejunium praescribitur, absque commutatione uti non potest, si jubilaeum lucrari vult. — *Bouvier p. 4. c. 2. a. 2. §. 1.* — Cf. etiam *n. 1087. not. sub fine.*

(4) Non necesse est, dare pecuniam, sed sufficit alia res appretiabilis, v. g. vestis etc.

(5) *devota*, animo nempe, exhibendi honorem Deo aut sanctis ejus — Const. *Inter praeteritos §. 76.*

(6) Sufficit pro obtinendo jubilaeo visitatio alicujus sacelli, quod facit partem ecclesiae, cujus visitatio exigitur. — *S. C. I. 1. Jul. 1826.* (*n. 444.*) [Quaerebatur vero de sacello, in quo ss. eucharistiae sacramentum asservatur].

Si in aliquo loco unica adest ecclesia, ordinarius tot visitationes ejusdem ecclesiae substituere potest, quot visitationes diversarum ecclesiarum pro acquisitione jubilaei exiguntur. — *S. C. I. 15. Mart. 1852.* (*n. 622.*)

Ajunt, sufficere, orare ante ostium, sub vestibulo vel in coemeterio, si quis prae hominum multitudine ecclesiam ingredi nequeat; item ante ostium ecclesiae, si hoc clausum sit, excepto tamen, si visitatio altaris vel sacelli interioris exigitur. Quodsi plura altaria etc. visitari deberent, opus esset saltem motu corporali versus illud altare, cum intentione illud visitandi, recitando dein preces debitas. — *Ferraris ad v.* Jub. *art. 3. n. 7. et seq.* — *Bouvier etc.*

(1) Qui confitens inculpabiliter obliviscitur peccati mortalis, non tenetur iterum confiteri ad lucrandum jubilaeum, sed sufficit, si suo tempore peccatum illud clavibus Ecclesiae subjicit. — *Bouvier p. 4. c. 2. art. 1. §. 2. Q. 1.*

Sufficitne eadem confessio ad lucrandum jubilaeum et ad satisfaciendum praecepto annuae confessionis? — *V. n. 1087. not. sub fine.*

(2) Confessio et communio ante visitationes ecclesiarum, inter vel post easdem peragi possunt. — Const. *Convocatis n. 45.* Cf. etiam *n. 1076.* not. *2.*

(3) Opera haec ad lucrandum jubilaeum praescripta ubique peragi possunt, si visitatio ecclesiarum excipiatur, cum ecclesiae *designatae* visitari debeant. Qui tamen confitetur in loco, ubi jubilaeum non celebratur, nequit frui privilegiis, quae confessariis in loco jubilaei concessa sunt. — *Bouvier p. 4. c. 4. Q. 1.* — Cf. etiam decis. *S. C. I. d. d. 28. Nov. 1759.* (*n. 244. dub. 2.*)

Patet vero ex sequentibus, omnia opera injuncta detentis legitimo impedimento (impotentia morali scil. seu notabili difficultate — const. *Inter praeteritos §. 54.*) valide in opera aliunde non debita (*ib. §. 53.*) commutari posse, si excipias orationem (quae a visitatione ecclesiarum separari potest — *ib. §. 53.*), confessionem et in genere communionem (cf. *n. 1066. Q. 4°. 1067.*).

Haec commutatio episcopo competit vel delegatis ab ipso (const. *Benedictus §. 3.*); ast saltem confessarii delegati eam in ipsa confessione peragere debent. (*Bouvier p. 4. c. 3. art. 2. §. 6. 6°.*) — V. *n. 1062. not. sub III.*

Quaesita:

1065. — Quaer. 1° *An jubilaeum lucrari possint absque jejunio pueri, senes, infirmi vel alii, qui jejunare non possunt?*

Resp. Negative, nisi commutationem jejunii in aliud opus obtineant. Ratio est, quia jejunium expresse praescribitur velut conditio indulgentiae lucrandae: non enim injungitur ut praeceptum, a quo necessitas excusat, sed adsignatur ut consilium cum promissione indulgentiae. Confessarii autem in jubilaeo approbati facultate hujusmodi commutationis gaudent.(1) — Ita *Layman lib. 5. tract. 7. c. 8. n. 12.* — *Voit p. 2. n. 663.*

Quaer. 2° *An possit satisfieri jejuniis injunctis per jejunia alias debita, v. g. si jubilaeum fit in tempore quadragesimae aut quatuor temporum?*

Resp. Negative per se cum *S. Lig. n. 536. sub 11.; n. 538. Qu. 12.* Ratio est, quia una solutione nequit satisfieri duplici oneri, et Pontifex, imponendo jejunium, intendit semper imponere specialem obligationem de re non adhuc praecepta.

Attamen, si Pontifex determinet vel determinandum permittat pro jubilaeo lucrando tempus, quo ex praecepto Ecclesiae jam servandum est jejunium, ut est tempus quadragesimae vel quatuor temporum, eo ipso censetur dispensare fideles ab obligatione, commutationem jejunii in aliud opus obtinendi.(2) — *S. Lig. n. 536.* Haec doctrina recenti decisione *S. Poenitentiariae d. d. 20. Jan. 1865.* confirmatur.(3)

1066. — Quaer. 3° *An commutari possit visitatio ecclesiarum pro impeditis?*

Resp. Affirmative. Sic moniales, carcerati, infirmi et quicumque alii gravi de causa a visitatione ecclesiae impediti commutationem hujus operis in aliud a confessario impetrare possunt. Sic statuerunt *Bened. XIV.* in bulla *Inter praeteritos* et alii sequentes SS. Pontifices.

Quaer. 4° *An confessio et communio commutari possint?*

Resp. Negative, saltem generatim loquendo. Ratio est, quia bullae loquentes de operibus commutandis non loquuntur de confessione nec de communione, saltem pro adultis. Imo expresse a *Benedicto XIV.* excluduntur in *bulla cit. §. 53.*, ubi dicitur, quod facultas, commutandi pia opera, non intelligitur data circa confessionem et communionem (praeterquam pueris) aut orationem in visitatione necessariam.(1)

Attamen, ut videtur, si quis, communicaturus die ultima, a communione inopinato casu impediretur, commutationem communionis vel prorogationem jubilaei obtinere posset. — *Ita communiter,* ait *Bouvier, de indulgentiis p. 4. c. 2. §. 3. Quaest. 1.; c. 3. §. 5. sub 5°.*

1067. — Quaer. 5° *An pueri nondum communione refecti, ea omissa, jubilaeum lucrari possint?*

Resp. Negative, nisi commutationem obtineant. Eruitur enim ex bulla *Bened. XIV. Inter praeteritos §. 80.* et *Leonis XII.* pro jubilaeo, eos(2) posse jubilaeum lucrari, *commutata communione* de licentia episcopi in aliud opus pium. — *Bouvier ibid.*

1068. — Quaer. 6° *An communio paschalis sufficiat ad jubilaeum lucrandum, si tempore paschali jubilaeum celebretur?*

Resp. Affirmative, nisi communio specialis pro acquirenda jubilaei indulgentia in bulla seu rescripto Ponti-

(1) Cf. *not praec. sub fine.*

(2) Idem asserit *Bouvier p. 4. c. 2. a. 2. §. 1.*, si quis hisce diebus *specialiter designatis* ad jejunium per votum aut poenitentiam obligetur.

(3) Ejus tenorem v. *n. 1087. not. sub fine.*

(1) V. etiam const. *Benedictus Deus §. 3.*

(2) dummodo durante tempore jubilaei judicio parochi etc. ad communionem admitti non possint — Const. *Inter praeteritos §. 80.*

is requiratur. — Constat ex declatione *S. Congr. Indulg. d. d. 15. Dec. 841.*, ut infra in fine hujus appencis *n. 1087.*(1) dicetur.

Quaer. 7° *An confiteri debeant la venialia habentes?*

Resp. Affirmative omnino. Olim hoc magna agitabatur controversia; d corruit post expressam declaratiom *Benedicti XIV. l. c. §. 77.* Non men requiritur necessario absolutio, m de ea nulla mentio fiat.(2)

1069.—Quaer. 8° *An confessio fa- a in vigilia 1ae diei jubilaei sufficiat?*

Resp. Negative. Ratio est, quia nnia opera fieri debent intra interllum temporis ad jubilaeum luandum statuti.(3) Potest tamen inoari confessio sive in vigilia, sive te, modo tempore jubilaei termiitur. — *Bouvier ibid.* Attamen ri posset confessio in ea parte viliae, quae primas vesperas subseitur, quia prima dies ecclesiastico ore a primis vesperis computari solet: hoc in jubilaeo ordinario Urbis nstanter servatur, ut patet ex bulla 'eregrinantes Bened. XIV. d. d. Maji 1749. §. 5. — Insuper dies l praestanda opera injuncta, ut conat ex ejusdem constitutionis §. 6.(4), mi possunt vel *naturales*, vel *ecesiastici*, nimirum a primis vesperis ius diei usque ad integrum ipsius subquentis diei vespertinum crepusculum.

Quaer. 9° *Quaenam quantitas eemosynae eroganda sit?*

Resp. 1° Si in bulla dicatur: *qui derit eleemosynam*, sufficit quanti- s quaelibet, modo non sit ita parva, fere nihil esse videatur.

Resp. 2° Si dicatur: *quantum tique pro sua facultate visum terit*(5), tunc quantitas debet aliquo modo proportionem habere cum cujusque facultatibus: unde sufficeret pauperi, obolum tribuere, non vero diviti. — *Ita satis communiter.* — *S. Lig. n. 538. Q. 11.*

1070. — Quaer. 10° *An et quomodo eleemosynam facere debeant pauperes, religiosi et filii familias?*

Resp. 1° Omnes tenentur vel ad eleemosynam aliquo modo, saltem per alium, faciendam, aut ad aliud opus pium a confessario determinatum subrogandum. Ratio est, quia, ubi agitur de aliqua gratia obtinenda, impossibilitas conditionem praestandi ab ea non excusat, sicut impossibilitas praeceptum adimplendi, ut jam supra dictum est. — *Layman l. 5. tr. 7. c. 8. n. 12.* — *Lacroix n. 1428. 1430.*

Resp. 2° Pauperes satisfacere possunt dando rem minimam, v. g. assem vel frustulum panis etc. Sed consultius est, hoc opus in aliud eis commutare, ut dicunt expresse *Lacroix* et *Layman ibid.*

Resp. 3° Religiosi et filii familias satisfaciunt, si ab eorum superioribus aliqua eleemosyna erogetur ipsorum nomine et ipsis scientibus(1). Pariter uxores per viros, et famuli per dominos satisfacere possunt.

1071. — Quaer. 11° *An opera injuncta in una hebdomada perfici debeant?*

Resp. 1° *Affirmative quoad jejunia.* Constat clare ex formula, quae sic jacet: „Qui processioni interfuerint vel ecclesias visitaverint et „feria *quarta, sexta* et *sabbato al-* „*terius ex duabus hebdomadis* jejuna- „verint, pariterque sua peccata confessi „et sancta communione refecti fuerint „eleemosynamque tribuerint etc.“ Ex his autem evidenter patet, tria jejunia eadem hebdomada esse facienda. — *Ita omnes.*(2)

(1) quem confer —
(2) Cf. *n. 1051.*
(3) Cf. etiam *notas* ad *n. 1052.*
(4) coll. const. *Convocatis n. 45.* (v. ipra *n. 1064. 5°. not.*)
(5) vel si exigatur in subsidium alicujus i operis — *S. Lig. ib.*

(1) et consentientibus.
(2) Item singulae visitationes ecclesiarum in jubilaeo majori uno die (saltem juxta ecclesiasticam computationem) perficiendae sunt. — Const. *Benedictus §. 2.*

Resp. 2° *Negative* vero *quoad alia opera.* Ratio est, quia in citata formula, quae usurpari solet, dicitur tantum, jejunia esse facienda in eadem hebdomada, non vero reliqua opera, ut attendenti ad ordinem grammaticalem patebit. Insuper alias sequeretur absurdum, nempe quod, si processio injungeretur, et quidem unica, v. g. in principio jubilaei, nemo posset illud in secunda hebdomada lucrari.

Affirmant tamen *S. Lig.* et *alii plures,* innixi tum in textu indulti, tum in consuetudine fidelium. Sed ex utroque contrarium adstrui merito potest.(1)

Ceterum evanescit difficultas et clarissime patet mens Ecclesiae ex bulla *Pii IX.* pro jubilaeo post exaltationem suam ab ipso concesso *20. Nov. 1846.,* ubi dicitur: 1° *Pro Urbe:* „Qui a die „6ta Dec. usque ad diem 27am ejus„dem mensis bis visitaverint *intra „tres illas hebdomadas* (basilicas etc.) „ibique per aliquod temporis spatium „devote oraverint, et *intra easdem „hebdomadas* peccata sua confessi „sanctissimum eucharistiae sacramen„tum reverenter susceperint etc.“ 2° *Pro orbe:* „Qui . . . . designan„das (ecclesias) vel earum aliquam „*spatio trium hebdomadarum* bis „visitaverint, aliaque opera devote „peregerint etc.“

1072. — Quaer. 12° *An et quomodo jubilaeum lucrari possint viatores?*

Resp. 1° Potest pro ipsis prorogari tempus jubilaei usque ad reditum, nec tenetur quis suum iter differre, nisi id commode possit; 2° si reperiantur in itinere, dum incipitur jubilaeum in suo loco, possunt pariter illud lucrari post reditum; 3° si transeant per loca, ubi jubilaeum celebratur, possunt illud ibidem lucrari. — Ita *S. Lig. n. 538.* cum *aliis communiter.* Constat ex bullis variis pro jubilaeo. — Consule bullam modo cit. *Pii IX.*(1)

1073. — Quaer. 13° *An jubilaeum pluries lucrifieri possit?*

Resp. Negandum videtur, nisi hoc in bulla aut rescripto concessionis specialiter expressum reperiatur.(2)

---

(1) Consulit nihilominus *Bouvier (p. 4. c. 2. a. 2. §. 2. Q. 3.),* eleemosynam elargiri in eadem hebdomada, in qua jejunium absolvitur, nisi ex bulla concessionis aliud colligatur. *S. Lig.* autem *(de poenit. n. 537. Q. 1.)* ex consuetudine communi probabilissimum censet, illum, qui alia opera in 1a hebdomada jubilaei extraordinarii, de quo hic quaestio praecipue instituitur, implevit, communionem (et probabiliter etiam confessionem) dominica immediate sequenti perficere posse.

(1) Ajunt etiam, confessarios in favorem eorum, qui actualiter opera praescripta peragere non valent, sed *brevi post* id valebunt, tempus jubilaei prorogare posse, quod extendunt etiam ad casum moralis obstaculi, v. g. si confessarius utile censet, absolutionem sacramentalem differre. Si vero prorogatio ad longum tempus extendi deberet, opera commutanda esse, dicunt. — V. *Bouvier p. 4. c. 3. §. 4.*

Conferatur de hoc tenor concessionis; in bullis *Benedicti XIV.* pro jubilaeo *ordinario* talem facultatem prorogandi non invenimus.

Huc facit etiam decisio *S. C. I. d. d. 28. Nov. 1759. (n. 244.): In casu, quo quis, peractis una hebdomada praescriptis operibus, inabsolutus remittitur ad aliud tempus, non tenetur opera, quae jam peregit tempore jubilaei, repetere, dum absolvetur, ad effectum lucrandi jubilaei indulgentias.*

(2) „Saepius interrogata est S. Congrega„tio Indulgentiarum, num saepius obtineri „possit jubilaei indulgentia, opera praescri„pta durante tempore concesso pro jubilaeo „saepius peragendo. Congregatio semper „respondit, standum esse bullae aut brevi „concessionis: *standum est concessioni.* „Si bulla de hoc silet, censent communi„ter, jubilaeum semel solummodo obtineri „posse.“ — *Maurel l. c. pag. 67.* (Not. auct. ex idiom. gall. versa.)

In nostra vero editione (13a) idem auctor *(p. 1. in fine §. 7.)* ait: „Si bulla „de hoc silet, censent communiter, indul„gentiam, saltem si agitur de jubilaeis „extraordinariis, semel tantum obtineri „posse. Tempore anni sancti sive jubi„laei ordinarii autem indulgentia toties „obtineri potest, quoties visitationes prae„scriptae, item confessio et communio „iterantur. (*Ben. XIV.*)“

1074. — Quaer. 14° *An per con-'essionem* invalidam *in jubilaeo ollantur censurae et reservatio pec-atorum?*

Resp. 1° *Affirmative probabilius,* i confessio fuerit *inculpabiliter* nulla.

Resp. 2° *Affirmative probabili-er,* etiamsi confessio fuerit nulla *cul-abiliter*, dummodo poenitens non miserit sacrilego silentio ipsa peccata eservata. — V. *Salmant., de poenit.* :. *13. n. 42.* — *Lugo, de poenit. lisp. 20. n. 108. et seq.*(1)

1075. — Quaer. 15° *An peccet raviter, qui, postquam absolutus st a reservatis, non implet cetera pera praescripta?*

Resp. Negative cum sententia *com-muni.* Ratio est, quia non apparet, talem obligationem fuisse impositam, neque ex natura jubilaei, neque ex praecepto Pontificis aut confessarii. — Ita *S. Lig., de poenit. n. 537. Q. 3.* — *Lugo ib. d. 20. n. 100.* — *Salmant. ib. c. 13. n. 57.* contra *plures.*(1)

Quaer. 16° *An, qui confessus est tempore jubilaei et oblitus fuit confiteri peccata sua reservata, possit deinde a quocumque confessario absolvi?*

Resp. 1° *Affirmative,* si confessarius habuerit expressam intentionem, ab omnibus peccatis, etiam reservatis, absolvendi.

Resp. 2° *Affirmative* etiam *probabilius,* si confessarius de hoc non cogitaverit, quia poenitens vi jubilaei jus acquisivit, ut a quolibet confessario absolvi possit.(2) — *Ita communius* cum *S. Lig. n. 537. Qu. 4.* — *Lacroix n. 1449. etc.*

Si quis autem confessionem intra jubilaeum inceperit(3), ab omnibus peccatis reservatis deinde absolvi poterit. — *Layman* — *Navarrus etc.*

Quaer. 17° *Utrum confessarius possit tempore jubilaei dispensationes votorum concedere?*

Resp. Negative; nam, inquit *Benedictus XIV.* (const. *Inter praeteritos §. 45. et seq.*), facultas *dispensandi* non includitur in facultate *commutandi.* Non pauci theologi asserunt, illum, qui tempore jubilaei fuerit confessus, posse deinceps a quolibet confessario votorum commu-

---

Et sane, de hoc quoad jubilaeum ordi-arium respectu indulgentiae obtinendae non vero respectu aliarum gratiarum, v. :. absolutionis a censuris, casibus reserva-is etc.) dubitari vix potest ex const. *Con-ocatis n. 52.* et *Inter praeteritos §. 84.* Num vero indulgentia plenaria jubilaei tiam defunctis applicari possit, ex tenore ullae decidatur. — *Bouvier p. 4. c. 4. Q. 9.*

(1) Ita auctor in recentissima editione. *V. n. 580. Q. 9°.*) Veriorem tamen, *sal-em in genere,* sententiam *negantem* cen-emus, quam etiam *S. Lig., de poenit.* ı. *537. Q. 2°.*; *Pruner, de jurisd. c. 2. rt. 6. n. 5. Q. 3°. p. 31. etc.* ample-tuntur. Sane, *Benedictus XIV.*, ut *edi-or rom.* ad *n. 580. Q. 9°.* adnotat, ex-resse docet, confessarios facultatibus pro ubilaeo concessis cum illis poenitentibus ıti posse, „qui et ad consequendum jubi-aeum praeparati sint et certum habeant ropositum adimplendi opera ad ejusdem equisitionem injuncta.“ (V. const. *Inter raeteritos §. 62. 86.*) Sed *ordinarie* alis sincera voluntas in eo supponi non oterit, qui sacrilege confitetur.

Quoad ea vero, quae *Salmant. l. c.* et *Lugo l. c. n. 112.* de absolutione a censu-is extra sacramentum poenitentiae tempore ubilaei asserunt, v. *n. 1062. not. in fine.* Hec doctrinam, quam *Lugo ib. n. 113.* roponit: „Probabile mihi videtur, quo-ies defectus non sit in integritate circa pea reservata, tolli posse reservationem peccatorum) virtute illius absolutionis, si oenitens habeat animum lucrandi jubi-aeum et confitendi postea valide ac po-endi omnia alia requisita,“ sat tutam exi-timamus. — Cf. *Viva, de jub. quaest. 11. art. 6. n. 2.*

(1) *Ben. XIV.* censet, tales vix a peccati mortalis reatu immunes esse. — Const. *Benedictus §. 6.; Inter praeteritos §. 86.* Qui tamen cum vera intentione lucrandi jubilaeum a censuris absolutus vel in voto dispensatus est, non reincidit, si postea, mutata voluntate, jubilaeum non lucratur, etiam culpabiliter. — *Ib.*

(2) Cf. etiam *n. 581. Q. 10°.*

(3) et absolutio a confessario justa de causa dilata fuerit — *S. Lig., de poenit. n. 535. 3.* — *Ferraris ad v.* Jubil. *art. 2. n. 32.*

tationem accipere, quamvis praefatam commutationem tunc non postulaverit. Haec sententia a *S. Ligorio ib. n. 537. Q. 4.* dicitur *probabilis.*(1)

Quaer. 18° *Utrum facultas absolvendi a censuris includat facultatem absolvendi ab irregularitatibus?*

Resp. Negative. Ita *communis* sententia contra *nonnullos,* qui censent, irregularitates ex delicto comprehendi sub nomine censurarum. Exstant tamen plura exempla hujusmodi concessionis.(2)

1076. — *Nota* 1° In jubilaeo *anni sancti* seu *majori* suspenduntur toto anno omnes aliae indulgentiae tam plenariae, quam particulares pro vivis concessae, non autem suspenduntur indulgentiae concessae pro defunctis. Imo ex concessione *Benedicti XIV.* omnes indulgentiae, etiam illae, quae alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt. — V. bullam ejusdem Pontificis jam pluries citatam.

Excipiuntur a suspensione indulgentiarum pro vivis: 1° indulgentiae pro moribundis; 2° indulgentiae pro oratione *Angelus;* 3° indulgentiae pro visitatione sacratissimi sacramenti solemniter expositi *(Indulgences des* 40 *heures);* 4° indulgentiae pro iis, qui comitantur ss. sacramentum infirmis delatum; 5° omnes indulgentiae, quae ab alio, quam a Papa, conceduntur. — De his constat ex constitutionibus *Benedicti XIV.* et *Leonis XII.* (3).

(1) Consentit *Bouvier p. 4. c. 3. art. 2. §. 3. n. 6.,* si talis commutatio, tempore jubilaei adhuc currente, a confessario approbato postuletur vel si id fiat apud confessarium elapso quidem jubilaei tempore, sed postquam intra idipsum tempus cum eodem hac de re jam actum fuerit. In aliis casibus assertionem dubiam censet.

(2) Omittimus paucas alias quaestiones, quas auctor in recentissima editione addit, cum ea, quae continent, jam supra *n. 1062.* in *nota* proposuerimus.

(3) Suspenduntur etiam extra Romam facultates, absolvendi a casibus S. Sedi reservatis et commutandi vota etc., exceptis tamen inter alias facultatibus, quae episcopis de jure communi vel per concessionem Apostolicam ad habitualem dioecesium gubernationem indultae permissaeque dignoscuntur et quae superioribus regularibus respectu suorum subditorum regularium a Sede Apostolica tributae sunt. — Cf. de hisce suspensionibus praesertim const. *Cum nos Bened. XIV. d. d. 17. Maji 1749.*

Nota 2° Nullus ordo necessario requiritur in operibus ponendis, modo ultimum opus in statu gratiae fiat. Si quis autem labatur in peccatum mortale post confessionem, non tenetur iterare visitationes ecclesiarum, jejunia vel eleemosynam; tenetur tamen iterum confiteri (1). — Sic *Bened. XIV.* in bulla modo citata.

DECISIONES PRAESERTIM RECENTIORES

Curiae Romanae

circa indulgentias.(2)

POSTULATUM

circa confessionem ad lucrandas indulgentias requisitam.

1077. — *Dubium* 1um: Per decretum *S. Congr. Indulg.,* datum *die 12. Junii 1822.,* conceditur, confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad indulgentiam lucrandam.

Quaer. 1° An verba *infra hebdomadam* significent octo dies tantum, quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdomadam illam totam et integram, quae ante festum decurrit, ita ut ex. gr. confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam indulgentiam die sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc 13 dies inter confessionem et festivitatem intercessissent.

Quaer. 2° An confessio octavo die ante festivitatem peracta vi hujus indulti suffragetur tantum ad unam indulgentiam lucrandam, an vero per hanc confessionem aliae etiam lucrifieri possint indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent et ad quas lucrandas sacramentalis confessio ceteroquin requiretur.

Dubium 2um: *Quaer.* An, cum in

Haec suspensio tamen locum non habet illo tempore, quo jubilaeum majus ad orbem extenditur. — Cf. *Bouvier p. 4. c. 5.*

(1) nec sufficit contritio. — Const. *Inter praeteritos §. 79.*

(2) Specialiora quoad singulas indulgentias conferantur apud *Bouvier, Maurel etc.*

bulla vel brevi, quo conceditur indulgentia, confessio tamquam conditio *sine qua non* praescribitur, necesse sit, ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad indulgentiam lucrandam.

Resp. S. Congr. d. d. 15. Dec. 1841.:

Ad dubium primum:

Ad 1um: *Affirmative* quoad 1^{am} partem. — *Negative* quoad 2^{am}.

Ad 2um: *Negative* quoad 1^{am} partem. — *Affirmative* quoad 2^{am}.

Ad dubium secundum: *Negative.* — *(Decr. auth. n. 521.)*

POSTULATUM

de tabellis s. viae crucis exercitio inservientibus.

1078. — 1^{0} Episcopus S. Flori (in Gallia) petit, utrum indulgentiae, quae lucrantur in contemplatione stationum viae crucis, cessent, si cruces vel tabulae tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem pictura exornandis aliave de causa, quamvis deinde et cruces et tabulae suis locis restituantur.

2^{0} Quid, si non omnes, sed nonnullae tantum supradictis de causis amoveantur? Quid, si omnes cruces cum tabulis per mensem circiter amoveantur, ut saepissime contingit pro murorum dealbatione?

3^{0} Quid, si in prima erectione cruces et tabulae ita inter se adhaereant, ut nullus exstet symmetricus ordo? Poteruntne intra ejusdem ecclesiae ambitum contrectari de loco ad locum, ut aeque distent, quin indulgentiae amittantur, et quibus in casibus nova erectio canonica requiratur?

Ex secretaria *S. Congr. Indulg. die 21. Martii 1836.* quoad proposita dubia *respondetur:*

Ad 1um: *Non amittunt indulgentias.*

Ad 2um: *Gaudent indulgentiis, non obstantibus etc.*

Ad 3um: *Affirmative; et non cessant indulgentiae, nisi pereunte materia.* (1)

(Ami de la religion, 9. Aug. 1836.)

(1) Ut indulgentiae exercitio viae crucis concessae acquiri possint, opus est canonica erectione stationum. — *S. C. I. 3. Apr. 1731. (n. 67.); 3. Aug. 1748. (n. 168.); 20. Mart. 1849. (n. 572.) etc.*

Indulgentiae viae crucis crucibus tantum sunt adnexae, minime vero imaginibus, quae necessariae non sunt *(S. C. I. 20. Sept. 1839. — n. 494. Dub. 2.)* nec benedicuntur *(30. Jan. 1839. — n. 486.).* — Possunt absque indulgentiae detrimento imagines novae substitui, dummodo cruces superpositae *omnes* vel *in majore parte* perseverent *(20. Aug. 1844. — n. 564.).* Imo, etiam cruces a vetusta tabula ad novam transferri possunt, quin nova canonica erectione stationum opus sit *(15. Nov. 1845. — n. 570.)*, dummodo via crucis in eadem ecclesia remaneat.

Cruces *ligneae* esse debent *(14. Jun. 1845. — n. 567.).*

Requiritur quoad dispositionem stationum aliqualis distantia inter unam et aliam *(28. Aug. 1752. — n. 206.).*

Nequeunt 14 stationibus jam cognitis atque probatis aliae subrogari *(16. Febr. 1839. — n. 487.).*

POSTULATUM

de requisitis ad indulgentias pro exercitio viae crucis lucrandas.

1079. — *Quaer.* Utrum ad lucrandas indulgentias pro visitatione 14 stationum viae crucis concessas requiratur recitatio sex *Pater, Ave* et *Gloria* praeter praedictarum stationum visitationem.

Responsum S. Congr. Ind. d. d. 22. Sept. 1829: Ad consequendas indulgentias pro visitatione 14 stationum viae crucis concessas nihil aliud requiritur, quam divini nostri redemptoris Jesu Christi passionem meditando ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum multitudo personarum praelaudatas stationes visitantium vel capacitas loci, in quo eaedem sunt erectae, permittant. Ita res est, ut constat ex bulla *Inter plurima Benedicti XIII. d. d. 3. Martii 1726.*, confirmata per aliam bullam *Exponi nobis Clementis XII. d. d. 16. Januarii 1731.* ac decreto *S. C. Indulg. d. d. 3. Aprilis 1731.*, ac etiam brevi *Benedicti XIV.*, quod incipit *Cum tanta, d. d. 30. Augusti 1741.* Hinc est, quod *Adoramus te,*

Christe — Pater noster — Ave, Maria — Miserere nostri, Domine sit tantum laudabilis consuetudo a piis Christi fidelibus in exercitium visitationis stationum viae crucis introducta. (1)

(Ami de la religion, 28. Oct. 1829. n. 1588.)

RESPONSUM

S. Congr. Indulg. circa varias indulgentias.

1080. — *Quaer.* 1° Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cujuscumque sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex.

Quaer. 2° Utrum, qui privilegium habet personale pro quatuor missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis nigro colore celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari.

Quaer. 3° Utrum, qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti paramentis nigris diebus non impeditis, ut privilegii indulgentiam consequatur.

Quaer. 4° Utrum ad lucrandam indulgentiam plenariam orationi *O bone et piissime Iesu etc.* concessam necesse sit, aliam orationem addere pro intentione Summi Pontificis.

Quaer. 5° Utrum ad indulgentias applicandas crucibus, rosariis etc. alius ritus sit necessarius, praeterquam signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum.

Quaer. 6° Utrum indulgentia concessa cadat solum in Christo ex aere, ligno vel alia quaque materia facto, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam.

Resp. S. Congr. Indulg. d. d. 11. April. 1840:

Ad 1um: *Affirmative.*
Ad 2um: *Affirmative.*
Ad 3um: *Ut in secundo.*
Ad 4um: *Negative.* (1)
Ad 5um: *Negative.* (2)
Ad 6um: *Affirmative.*
(*Decr. auth. n. 500.*)

DECRETA

quoad erectionem et aggregationem confraternitatum.

1081. — Pro legitima et valida erectione et aggregatione *confraternitatum in genere* ratio habenda imprimis constitutionis *Quaecumque Clem. VIII. d. d. 7. Decemb. 1604.*, quam cum opportunis additionibus exhibet *Ferraris ad v.* Confraternitas *art. 1.* — V. etiam *Act. vol. 1. fasc. 10. p. 628.; vol. 2. fasc. 21. p. 534. et seq.*

Indulta generalia recentiora vero, quae constitutioni illi nonnihil derogant, habentur sequentia:

(1) Ad praedictas indulgentias lucrandas necessario requiritur aliquis corporis motus (ordinarie procedendo ab una statione ad aliam, in quantum circumstantiae id permittunt). — *S. C. I.* in *decr.* supra *cit.* et *d. d. 26. Febr. 1841.* (*n. 507.*)

In publico vero exercitio viae crucis, quando perturbatio excitari potest, unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus. — *S. C. I. 6. Aug. 1757.* [*n. 236.*] (*Bouvier l. c.* suadet, ut populus tunc ad singulas stationes surgat et genuflectat. Conversio ad singulas stationes, in quantum decenter fieri potest, magis adhuc indoli hujus exercitii conveniet.)

(1) Accessit recentius decretum *S. C. Indulg. d. d. 31. Jul. 1858.*, in quo sic: „Sanctitas Sua, inhaerendo decretis praedecessorum suorum eorumdemque concessiones confirmando, etiam quoad applicationem pro animabus in purgatorio detentis, benigne declaravit, praememoratam indulgentiam plenariam lucrari ab iis utriusque sexus Christi fidelibus, qui *vere poenitentes, confessi sacraque communione refecti* dictam orationem *En ego etc.* quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, ante quamcumque sanctissimi crucifixi imaginem *devote recitaverint*, ac insuper *per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.*" (*Decr. auth. n. 677.*)

(2) V. *n. 1091. sub I.*

1° *Decretum S. C. Indulg. d. d. 8. Jan. 1861.*, in quo post sanationem institutionum et aggregationum, quae ex omissa observatione eorum, quae in const. *Quaecumque etc.* sub poena nullitatis praecipiuntur, irritae sunt, additur: „Simulque (Sanctitas Sua) mandavit, ut in posterum formula in hujusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a *Clemente VIII.*, cujus constitutionis adminus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis, cujus quidem formulae exemplar iis praesertim, quibus interest, communicandum in actis S. Congregationis servandum praecipit, et ut societati aggregatae ab ordine, instituto seu archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et privilegiorum, ab ordinario tamen loci recognitus, cujus impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus brevibus etc., non obstante decreto *S. C. Indic.* et altero decreto *S. Congr. Indulg.*, explicante et moderante praedictum decretum *Indicis, d. d. 22. Januar. 1858.*" (v. *n. 1060. not. in fine.*) — *Act. vol. 2. fasc. 13. p. 57. et seq.* Additur duplex exemplar formulae in praefato decreto memoratae.

2° *Decretum ejusdem S. C. d. d. 19. Octobr. 1866.* hujus tenoris:

„Per decretum hujus *S. Congr. Indulg.*, editum *die 8. Januarii 1861.*, confirmata et pristinae observantiae restituta constitutione *Clementis VIII.* incip. *Quaecumque*, data sub *die 7. Decembris 1604.* super institutionibus vel aggregationibus confraternitatum, inter cetera cautum fuit, ut in formula aggregationum, quae *concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII.*, hujus ejusdem constitutionis *saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis.* Nunc vero Sanctissimus Dominus noster *Pius PP. IX.*, enixe postulantibus nonnullis tum superioribus ordinum regularium, tum rectoribus archiconfraternitatum, ut hujusmodi literae aggregationum commodius exaratae respectivis confraternitatibus expediantur, ... benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a literis aggregationum dari possit, ita tamen, ut simul cum praefatis literis adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis vero et in suo robore permanentibus reliquis omnibus, quae tam in laudata constitutione *Clementis VIII.*, quam in praefato decreto praescribuntur." — *Act. vol. 2. fasc. 18. p. 362.*

Formulam vero, per quam ab Apostolica Sede episcopis facultas impertitur erigendi sodalitates, v. in *Act. vol. 2. fasc. 14. p. 107.*, ubi etiam speciale decretum pro confraternitate ss. rosarii exhibetur. (V. etiam *Anal. J. P. ser. 8. col. 1536.*)

DECISIONES

confraternitatem B. Mariae de Carmelo concernentes.

1082. — I. *Quaer.* Quidam sacerdotes, . . . debite delegati ad recipiendos fideles in confraternitatem Carmeli et ad benedicendum habitum hujusce confraternitatis, non habent potestatem inscribendi nomina receptorum in registro sodalitatis, nec mittunt eorum nomina ad monasteria religiosorum S. Carmeli. Quaerunt, num ejusmodi fideles sic recepti indulgentias dictae confraternitati a S. Sede concessas lucrari possint.

Resp. S. C. Indulg. d. d. 17. Sept. 1845.: Affirmative, quatenus sacerdotes debite delegati sint ad recipiendos fideles in sodalitatem. Monendi tamen sunt praefati sacerdotes, ut nomina receptorum in album ipsius

sodalitatis vicinioris sive monasterii religiosorum respective adscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur. (1) — *(Decr. auth. n. 569.)*

II. *Quaer.* Vicarius generalis dioecesis Briocensis quaerit a *S. C.*, an sacerdos, qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi scapularia, habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, quando opus est, scilicet cum recursus ad alterum sit impossibilis, ut hoc commodo fideles non priventur.

Resp. S. C. I. d. d. 22. Jun. 1842.: Negative. Vigore enim obtentae facultatis, benedicendi ac imponendi scapularia, non sequitur, quod sacerdos ea quoque gaudeat potestate, commutandi obligationes injunctas, nisi expresse enuntietur in rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium. Et rursus *eadem S. C.: Accedente gravi impedimento non teneri confratres neque ad jejunia, neque ad recitationem horarum canonicarum aut officii parvi B. M. V., neque ad abstinentiam diebus Mercurii et sabbati; consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessarii pro aliqua commutatione impetranda. — (Ib. n. 534.)*

III. *Decretum.* — Etsi per plura decreta, praesertim vero sub diebus *12. Febr., 7. Mart. 1840.* et *24. Aug. 1844.* ab hac *S. Congr.* indulgentiis praeposita, satis superque provisum sit circa legitimam fidelium admissionem in sacri scapularis sodalitatem, declarando inter alia pro indulgentiarum ac privilegiorum acquisitione, *ut fideles ipsi in eamdem sodalitatem ingredientes habitum seu scapulare ab habentibus facultatem benedictum legitime recipiant ipsumque deferant continuo pendens a collo, unaque sui parte pectus, et altera scapulas contegens; et licet a sacerdotibus facultatem habentibus non servetur forma in rituali et breviario ordinis carmelitarum praescripta, rata habeatur adscriptio, dummodo praefati sacerdotes non deficiant in substantialibus, nempe in benedictione et impositione habitus, ac in receptione in confraternitatem:* plures tamen hujusmodi fidelium adscriptiones invalidae ac nullae prorsus inveniuntur, ita ut fideles sacris indulgentiis ac privilegiis frustrentur ob habitus impositionem peractam a non habentibus facultatem, vel ob ipsum habitum diversa forma confectum. *Quaeritur* itaque:

1°. An pro valida admissione ad confraternitatem B. Mariae Virginis de Carmelo ceteraque omnia lucra sufficiat, *reliquis servatis*, impositio habitus confecti duobus pannis in una eademque extremitate funiculorum positis, modo postea ad lucrum effectivum indulgentiarum, privilegiorum etc. ipsemet admissus quilibet sibi imponat habitum rite confectum juxta decretum *d. d. 12. Febr. 1840.*

2° An admissiones hujusmodi, etiam bona fide hucusque factae, sint invalidae, donec iterentur vel a S. Sede in radice sanentur. — Et quatenus *affirmative:*

3° An ad praecavendas piorum perturbationes ac alia incommoda liceat, de tali sanatione pro tota Gallia quoad omne praeteritum Sanctitatem Suam obsecrare.

Resp. S. C. Indulg. d. d. 11. Aug. 1862.: Ad 1um: *Negative.* — Ad 2um: *Affirmative.* — Ad 3um: *Non expedire, et supplicandum SSmo pro sanatione omnium adscriptionum modo praedicto hucusque ubique factarum; et typis publicetur decretum.*

Facta demum de his omnibus Sanctissimo Domino nostro *Pio PP. IX.* fideli relatione in audientia habita die

(1) Tenorem indulti *Gregorii XVI. d. d. 30. Apr. 1832.*, quo legitime recepti in dictam sodalitatem spiritualium gratiarum ipsi concessarum participes redduntur, licet inscripti non sint, auctor in prioribus editionibus exhibuit, sed in recentissimis, utpote nimis prolixum, solummodo indicavit.

18. Septembris ejusdem anni . . ., Sanctitas Sua eminentissimorum patrum resolutiones benigne confirmavit, ac insuper de Apostolica Sua benignitate omnes et singulas adscriptiones, modo praedicto hucusque(1) non solum in Gallia, verum etiam ubique peractas, clementissime sanavit, et ut praefatae resolutiones et hujusmodi sanationis gratia ab universis Christi fidelibus facilius dignoscantur, hoc generale decretum typis publicari mandavit. — (*Act. vol. 1. fasc. 6. p. 367. et seq.*)

IV. *Quaer.* Statutam inveni confraternitatem nostrae dominae de monte Carmelo. Sacerdos ad id legitime deputatus scapularibus juxta praescriptum benedicit, et laicus eadem scapularia distribuit per integrum territorium. Possuntne hoc modo lucrifieri indulgentiae?

Eadem S. Congr., antequam quidquam decerneret, remisit instantiam uni ex consultoribus ejusdem S. C., qui censuit, respondendum esse: „Negative quoad devotos, qui pro ingressu in societatem habitum benedictum de manu sacerdotis auctoritatem habentis non receperunt."

S. C., consultoris sententiam approbans, *resp. 18. Sept. 1862.: Negative, juxta votum consultoris.* — *Act. vol. 1. fasc. 4. p. 241. et seq.*

V. *Quaer.* Presbyter quidam, facultatem habens, scapulare B. M. V. de Carmelo et scapulare caeruleum conceptionis immaculatae compluribus dedit personis. Quae duo scapularia ita confecta et aptata fuerant, ut ambae partes unius scapularis cum partibus alterius unirentur, eademque chorda jungerentur. Per errorem vero ambo scapularia ita male confecta fuerunt, ut nullum constituerent determinatum scapulare; binae enim partes ejusdem coloris ita componebantur, ut pars pectoralis nonnisi caerulea esset, et pars, quae ad tergum descendebat, nonnisi coloris tanei, et viceversa. Unde *quaeritur:*

1° An scapulare dictae formae pro utroque scapulari valeat. — Et quatenus *affirmative:*

2° Numquid supplendum vel emendandum sit. — Et quatenus *negative ad primum dubium:*

3° Utrum dispensatio, an nova scapularium distributio sit necessaria.

4° Quaerit orator a S. Congr. facultatem distribuendi, si opus sit, personis, de quibus supra, ambo dicta scapularia.

Resp. S. Congr. Indulg. d. d. 29. Aug. 1864.:

Ad 1um: *Negative, et ad mentem.* Mens est: *Valere, dummodo partes cujuscumque scapularis ita disponantur, ut una ab humeris, altera a pectore dependeat, licet omnes uno funiculo connectantur.*

Ad 3um: *Supplicandum SSmo pro sanatione.*

Ad 4um: *Provisum in 3°.*

SSmus vero D. N. *Pius PP. IX.* in audientia habita die 26. Sept. ejusdem anni . . . petitam sanationem benigne concessit, contrariis quibuscumque non obstantibus. — (*Act. vol. 1. fasc. 7. p. 431. et seq.*)

VI. *Quaer.* Cum in civitate N. hoc in nonnullarum piarum matrum more positum sit, ut parvulis suis, etiam rationis usum nondum adeptis, sacrum scapulare consueto ritu imponi faciant, superior domus religiosae missionariorum societatis Mariae ejusdem civitatis, de huiusmodi impositionis validitate dubitans, exquisivit: Utrum sufficiens esset isthaec scapularis impositio, ut parvuli, cum ad rationis usum pervenerint, indulgentiis aliisque privilegiis illud gestantibus concessis frui possint et valeant.

Resp. S. Congr. Indulg. 29. Aug. 1864.: Affirmative. — (*Act. ib. p. 430.*)

(1) i. e. usque ad diem 18. Sept. 1862.

TRANSLATIO

indulgentiarum alicui festo adnexarum, quando transfertur ipsum festum.

1083. — I. *Decretum*. . . . Alias tum a S. Congregatione Rituum, tum ab hac S. Congregatione indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita quaesitum est, utrum in translatione festorum etiam translatae intelligantur adnexae indulgentiae, et vel negativa intercessit responsio, vel, in singulis casibus recurrendum esse ad hanc S. Congr., sancitum est, nec umquam generali decreto publice evulgato usquedum huic translationi indulgentiarum provisum est. . . .

Sanctissimus itaque Dominus noster *Pius PP. IX*. . . . benigne mandavit, ut omnes indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt et in posterum concedentur, vel etiam, si libuerit de consensu ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novemdialibus vel septenariis sive triduanis precibus ante vel post festum vel ejus octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die, quo festa hujusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad officium et missam) in aliquibus locis vel ecclesiis publicisque oratoriis sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferuntur. Cum vero transfertur tantum officium cum missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, indulgentiarum nullam fieri translationem, decrevit. — Romae ex secretaria *S. Congr. Indulg. die 9. Aug. 1852.* (*Decr. auth. n. 627.*)

II. *Quaer.* An decretum sub die *9. Augusti 1852.* de translatione indulgentiarum intelligendum sit de omnibus festis per annum rite translatis cum eorum solemnitate. Rationem dubitandi adducunt haec verba ejusdem decreti: *quibusdam festis;* non desunt enim, qui inde autumant, hic solum agi de festis ad dominicam remissis ob ecclesiasticas conventiones a S. Sede cum exteris nationibus initas, ut fert idem decretum.

Resp. S. C. Indulg. 11. Aug. 1862.: Decretum praedictum intelligendum esse de omnibus festis rite translatis, prout in eodem decreto. — *(Act. vol. 1. fasc. 8. p. 489.)*

III. *Quaer.* Utrum indulgentiae alicui festo adjunctam lucretur quisquis die ipsa juxta kalendarium breviarii romani, vel potius juxta kalendarium uniuscujusque dioecesis, ordinis etc. Item, qui sodalitati cuicumque nomen dederunt, an indulgentias acquirant die, qua festum celebratur in ordine regulari, ad quem attinet sodalitas, licet sit diversa a die kalendarii romani vel dioecesani.

Resp. S. Congr. Indulg. 29. Aug. 1864.: Indulgentiam acquiri a Christi fidelibus die fixa et rite constituta in sua dioecesi, a regularibus ordinibus die rite constituta in suo kalendario; ab hominibus, qui sodalitati nomen dederint, quae ad regularem ordinem attineat, indulgentiam acquiri die rite constituta in kalendario dioecesis vel in kalendario ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant, non tamen in utraque die. — *(Act. l. c. p. 490.)*

Varia quaesita circa indulgentias.

1084. — *Quaer.* 1° An ad lucrandam indulgentiam vel fructus orationis *Sacrosanctae etc.* necessario flexis genibus haec oratio sit dicenda, vel an saltem in casu legitimi impedimenti ambulando, sedendo recitari valeat.(1)

(1) Opera, quibus indulgentiae concessae sunt, eo modo, ordine, tempore etc. perfici debent, prout in literis concessionis exigitur. Hinc non est necessarium (decens tamen), preces ad lucrandas indulgentias sive plenarias, sive partiales re-

2° An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferendi, ita ut illud physice tangant, vel an super vestes retineri possint.

3° An indulgentiae, adnexae ad recitationem parvi officii B. V. Mariae a s. m. *Pio V.*, valeant pro solo officio romano, vel an pro variis officiis B. M. Virginis ab auctoritate episcopali compositis ad instar officii romani.

4° Qui recitat hymnum: *Veni, Creator etc.* non juxta correctionem metri, sed juxta pristinum metrum, lucraturne indulgentias? Doxologiae (hymni *Veni, Creator)* variatio, intra tempus paschale et extra, estne de essentia operis ad lucrandas indulgentias?

In Galliis hymnus *Veni, Creator* doxologiam habet auctoritate episcopali propositam; qui praedictum hymnum recitant cum ista doxologia, valentne suas illius facere indulgentias (1)?

5° Antiphona *Regina coeli,* quae dici solet tempore paschali loco precum *Angelus Domini etc.,* recitatur in aliquibus locis cum versiculis et responsis diversis ab illis, quae dantur in breviario romano: an recitatio praedictae antiphonae cum ista commutatione jus det aequale ad indulgentias.

Resp. S. C. Indulg.:

Ad primum — *Affirmative* ad primam partem. *Negative* ad secundam.

Ad secundum — *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad secundam.

Ad tertium — *Affirmative* ad primam partem. *Negative* ad secundam.

Ad quartum — *Negative* in omnibus.

Ad quintum — *Negative.*

Factaque de omnibus Sanctissimo Domino nostro *Pio IX.* relatione . . . Sanctitas Sua Sacrae Congregationis votum benigne approbavit. In audientia autem Sanctissimi die 26. Julii 1855. . . . Sanctitas Sua ex speciali gratia clementer indulsit, ut oratio *Sacrosanctae* pro lucranda indulgentia a *Leone X.* adnexa seu fructu dictae orationis etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerunt infirmitatis tantum causa. — Romae ex secretaria praefatae S. Congr. *die 26. Julii 1855. (Decr. auth. n. 652.)*

POSTULATUM

relate ad coronas in speciem annuli confectas.

1085. — *Quaer*: Utrum annuli aurei vel argentei decem nodulis circumdati, quibus utuntur quaedam piae personae ad rosarium B. Virginis recitandum, benedici possint cum appositis indulgentiis.

Respondit emin. cardinalis praefectus *S. C. Indulg. 23. Jul. 1836.* de mandato Sanctitatis Suae *Gregorii XVI.: Negative. — V. Bouvier p. 2. c. 6. art. 2. §. 3. 3°. Q. 6°.*

POSTULATA

de interventu ordinarii quoad indulgentias a Sede Apostolica concessas.

1086. — *Quaer.* 1° Utrum indulgentiae locales, i. e. quae cuidam loco, v. g. ecclesiae, altari, affiguntur, nullae sint et nullius valoris, ita ut frustra conarentur fideles illas lucrari, quamdiu eas non permisit publicari illius loci episcopus.

Resp. Negative quoad nullitatem indulgentiarum. Exspectanda tamen erit publicatio ordinarii, postquam illas recognoverit, ut sciant fideles,

---

citare genibus flexis, nisi hoc ipsum praescribatur. — *S. C. Indulg. d. d. 18. Sept. 1862. (Anal. J. P. ser. 6. col. 1943.; ser. 4. col. 1639.)*

(1) Qui quotidie recitat hymnum *Veni, Creator Spiritus* et sequentiam *Veni, sancte Spiritus*, non lucratur in eodem mense duas indulgentias plenarias; legitur enim in decreto *S. C.: Veni, Creator Spiritus vel Veni, sancte Spiritus. — S. C. I. 29. Maji 1841. (n. 511.)*

an sint indulgentiae plenariae vel partiales, et quae sint conditiones adsignatae ad illas acquirendas. (1)

Quaer. 2° Utrum indulgentiae, privilegia et facultates personales, i. e. quae alicui personae privatae conceduntur, v. g. indulgentia concessa alicui pro articulo mortis, indultum personale altaris privilegiati, facultas benedicendi coronas B. M. V. cum applicatione indulgentiarum, sint pariter nullae et nullius valoris, quamdiu episcopus loci illas non recognovit et exsecutioni mandari non permisit.

Resp.: Negative.

Quaer. 3° Utrum indulgentiae, quas Summi Pontifices omnibus totius orbis fidelibus concessere in bullis seu rescriptis, jam publicatis et ab auctoribus probatissimis citatis, sint nullae et nullius valoris, ita ut illas fideles lucrari non valeant, nisi antea ab ordinariis locorum in suis respectivis dioecesibus promulgatae fuerint.

Resp.: Negative.

Quaer. 4° Utrum, supposita illius promulgationis necessitate, episcopus quicumque possit illas indulgentias, de quibus in tertio dubio agitur, promulgare in sua dioecesi, modo eas reperiat relatas apud auctores fide dignos, v. g. *Ferraris* vel in *La raccolta.*

Resp.: Affirmative ex supra expositis, et in casu, de quo in dicto dubio. — Ita declarandum putavit *S. Cong. Indulg. 31. Aug. 1844.*

Quaer. 5° Utrum, qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes viae crucis, benedicendi cruces, numismata, debeat exhibere dictas facultates ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis.

Resp. Affirmative quoad viae crucis erectionem, negative relate ad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus. — *S. C. Indulg. d. d. 5. Febr. 1841. sub 2°. (Decr. auth. n. 566. 506.)*

(1) Addit ibidem *S. C.: Et hic sensus est responsionis datae sub die 28. Jan. 1842. in una pariter* Rothomag. *pro indulgentiis localibus, minime vero generalibus seu personalibus, ut infra dicetur.* Responderat vero in hoc decreto Rothomag. (*n. 528. dub. 5.*) *S. C.: Quando Sanctissimus etc. concessit aliquam indulgentiam ab omnibus fidelibus lucrandam, non est sua intentio, ut omnes fideles illam possint lucrari statim ut illis de concessione Sanctissimi constat, sed necessarium est antea, ut ordinarii locorum hanc indulgentiam recognoverint ac in suis dioecesibus respectivis promulgaverint.*

POSTULATUM

de communione pro indulgentia visitationis pastoralis, missionis, benedictionis papalis et jubilaei.

1087. — *Quaer.* Utrum tempore visitationis pastoralis et spiritualium recessuum seu exercitiorum, quae frequenter peraguntur in paroeciis dioecesis (Quebecensis), lucrari possit indulgentia plenaria a fidelibus sacra communione peracta, eodemque tempore per ipsam unicam communionem praecepto paschali satisfieri. — Et rursum: An idem dicendum sit de indulgentia jubilaei.

Resp. S. C. Indulg. d. d. 15. Dec. 1841.: Affirmative quoad primam partem, quemadmodum responsum fuit episcopo Monasteriensi die 19. Martii currentis anni relate ad acquisitionem indulgentiae plenariae papali benedictioni adnexae, quae in paschate resurrectionis impertitur, una eademque communione tantum in paschalis praecepti adimplementum peracta. (1)

(1) Videtur in genere asserendum, hodie per communionem paschalem etiam indulgentias occurrentes obtineri posse. (*Cf. n. 1044. 4°. not.*) Ad *quaesitum* enim: „An Christi fideles, secundum canonem *Omnes utriusque sexus* sacramentum eucharistiae suscipientes tempore paschali possint per hanc s. communionem lucrari indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam inter cetera praescribitur s. communio? Ea praesertim de causa de hac re dubitat orator, quod a s. m. *Benedicto*

l secundam partem similiter: *tive, nisi aliter constet ex ndictionis jubilaei.* (1) — *uth. n. 522.*)

—

V. in literis encyclicis *Inter praetc.* videtur definitum, unam comn pro indulgentia in forma jucessa et pro paschali etiam praeifficere non posse". *S. C. I. ii 1844.* (*n. 563.*) *respondit: ive, dummodo indulgentia luida non sit in forma jubilaei, tantum requiritur peculiaris atque communio. Satis enim um est a. SS. D. N. Gregorio I. per decretum S. hujus Congr. Ionaster. sub die 19. Mart. anni*

iam ipsum decr. *S. C. I. d. d. t. 1841.* (*n. 508.*) et *9. Aug. . 556.*)

os, qui missam celebrat v. g. pro eidemque applicat indulgentiam n altaris privilegiati, vel qui in B. M. V. celebrat pro accepta na, potest eodem die vi s. com- in missae sacrificio peractae liam indulgentiam plenariam vel defunctis applicabilem, ad quam m praescribitur s. communio. — *10. Maji 1844.* (*n. 563.*)

scimus, an secunda pars hujus quae de jubilaeo extraordinario letur, ad quodvis jubilaeum exssit, uti vult auctor sub *n. 1068.* Iaec decisio enim non solum reversatur, non satisfieri operibus endum jubilaeum injunctis per iunde jam debita, nisi Pontifex isponat (const. *Inter praeteritos* sed opponitur etiam decisioni potemporis, quam in *nota praeceimo* loco attulimus. Alias deciontrarias v. apud *Bouvier p. 4. 1. §. 3. Q. 2.* et *Scav. t. 4. sub I.* (edit. 10ª). Hinc non resed indultum continere videtur. quoad jubilaeum extraordinarium re jam simile decretum *d. d. . 1842.* (*n. 556.*), Aniciensibus m (cf. supra *n. 1063. 4°.*), exsistit. aliud, quam particulare indultum, videtur in plerisque sequentibus *itentiariae* responsis, occasione xtraordinarii, 1864 concessi, datis. *aer.* 1° Episcopi illi, qui expedire ecesi putant, ut dioecesani s. juuantur in proxima quadragesima, e commutare tres dies jejunii in alia pia opera: vel in locis, s ex S. Sedis benignitate dispensatum est super abstinentia a carnibus, possuntne injungere hanc abstinentiam per tres dies, haud obstante dicta dispensatione et firmo manente praecepto jejunii ecclesiastici?

2° Episcopi illi, in quorum dioecesibus obvenit, ut jubilaei tempus incidat paschali tempore, possuntne suis fidelibus declarare, per communionem paschalem satisfieri communioni ex jubilaeo injunctae?

3° Cum perutile sit ad fideles disponendos pro acquisitione indulgentiarum jubilaei, sacras missiones peragere, et cum econtra in dioecesi non habeantur tot operarii, qui unico mense integram dioecesim percurrere valeant, possuntne iidem episcopi designare varios menses pro locorum varietate suae dioecesis intra annum 1865?....

S. Poenitentiaria, facta praemissorum relatione SSmo D. N. Papae *Pio IX.*, juxta ejusdem SSmi Domini mentem *respondit d. d. 20. Jan. 1865*:

Ad 1um: *Per jejunium quadragesimale, etiamsi adsit necessitas utendi lacticiniis, satisfit duplici oneri.*

Ad 2um: *Affirmative.*

Ad 3um: *Ex novo indulto SSmi affirmative.*

II. *Quaer.* An responsum (supra ad *1um* relatum) applicari possit etiam in jejuniis, quae locum habent extra quadragesimam, ita ut per jejunium praescriptum, v. g. quatuor anni temporibus vel in vigilia alicujus sancti, satisfieri etiam possit jejunio injuncto ad lucrandam jubilaei indulgentiam.

Facta relatione etc. *die 28. Apr. 1865.* SSmus *benigne annuit pro gratia adimplendi duplex praeceptum tantum.*

„In quo rescripto", ita editor *Actorum*, „animadversione est dignum illud adverbium *tantum*, quo indicatur, SSmum non intendisse indulgere pro ejusmodi jejuniis lacticiniorum usum, sicuti indulserat tempore quadragesimae. Quare per jejunia, quae obveniunt tempore adventus, in vigiliis etc., satisfieri etiam a quolibet potest injunctis jubilaei jejuniis, attamen lacticinii usus proscribitur."

III. *Quaer.* 1° An omnia opera injuncta, vel saltem nonnulla ex ipsis, peragi debeant in unica ex hebdomadibus in mense

POSTULATA

de indulgentia in articulo mortis.

1088. — I. *Quaer.* Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluri-

bus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendi.

---

praescripto occurrentibus, vel omnia adimpleri possint quibuslibet mensis diebus, pronti cuilibet fideli placeat.

2° An in jejuniis, impositis tamquam operibus injunctis, uti quis possit privilegio sibi concesso ex bulla Cruciatae.....

4° An, eveniente justa causa commutandi opera injuncta, praescripta in brevi praesentis jubilaei, ejusmodi commutatio fieri possit *extra actum sacramentalis confessionis.*

S. Poenitent. d. d. 16. Mart. 1865. resp.:

Ad 1um: *Opera injuncta adimpleri posse intra mensem, excepto jejunio, quod spatio unius hebdomadis dicti mensis et diebus praescriptis adimpleri debet.*

Ad 2um: *Negative.*

Ad 4um: *Ex declaratione facta a SSmo D. N. Papa Pio IX. affirmative. — (Act. vol. 1. fasc. 3. p. 174. et seq.)*

Pleraque haecce responsa *S. Poenitentiariae* itaque indultum largiri, constat tum ex verbis ipsis, tum ex eo, quod non ad hoc tribunal spectet, ejusmodi controversias per authenticas declarationes dirimere, et quod ipsa *S. Poenit.* in resolutionibus *d. d. 20. Jan. 1865.* profiteatur, se ad mentem SSmi respondere, ad mentem scil., quam Pontifex in concessione illius jubilaei habuit.

Non negamus tamen, per ejusmodi indulta saepius concessa viam sterni, ut lapsu temporis forte etiam per decreta generalia regulis a *Benedicto XIV.* statutis saltem quoad jubilaea extraordinaria derogetur. —

Sed sufficitne simile indultum quoad communionem paschalem, ut quis insuper per unam confessionem jubilaeum lucrari et praecepto confessionis annuae satisfacere valeat?

Negari posset, cum sit principium generale, ut supra jam innuimus, non satisfieri operibus ad lucrandum jubilaeum injunctis per opera ex alio titulo jam debita, cum insuper confessio non solum tamquam dispositio ad statum gratiae pro jubilaeo lucrando exigatur, sed tamquam opus per se debitum (const. *Convocatis n. 46.; Inter praeteritos §. 7. 78.),* cum tandem in nullo indulto hoc concessum videatur, imo responsum, quod in *nota praeced.* retulimus, contrarium edicat. Nihilominus quaesitum probabilissime *affirmandum* censemus, quia duo illa praecepta, quoad confessionem annuam nempe et communionem paschalem, ut connexa a fidelibus communiter accipiuntur et, quia quoad confessionem pro lucrandis indulgentiis jam alia indulta generalia concessa sunt.

Certo ille, qui confessus est ad jubilaeum lucrandum et durante tempore, inter quod dein confessio annua peragi deberet, nullo amplius peccato mortali inquinatur, ad aliam confessionem vi praecepti ecclesiastici per accidens obligatus non erit juxta dicta *p. 1. n. 478. Q. 2°. — Scav. t. 4. n. 348. sub. XVI.* (edit. 10°.) — V. etiam *Bouvier p. 4. c. 2. art. 2. §. 2. Q. 2.*

Resp. Negative in eodem mortis articulo. — S. C. Indulg. 5. Febr. 1841. (n. 506.)

Quaer. Utrum indulgentia plenaria in articulo mortis, quae sine alia declaratione adjecta concedi solet, in vero mortis articulo accipienda sit, an in praesumpto, an demum in utroque.

Resp.: In vero tantum articulo accipi. (1) — *S. C. I. 23. Apr. 1675. (n. 10.)*

---

(1) Videtur per hanc resolutionem confirmari sententia communis, talem indulgentiam, in periculo mortis applicatam, effective solum in vero mortis articulo acquiri, in illo scil. momento, cui immediate mors succedit, nisi forte in concessione aliud exprimatur. — *V. Bouvier p. 2. c. 2. Q. 3°. — Maurel p. 2. §. 97.*

Licet porro *S. C. Indulg.* per decreta *d. d. 20. Sept. 1775. sub 6°. (n. 357.), 24. Sept. 1838.* et *12. Febr. 1842. (n. 529.)* prohibuerit, benedictionem Apostolicam in articulo mortis juxta formulam *Benedicti XIV.* in const. *Pia mater d. d. 5. Apr. 1747.* pluries impertiri permanente infirmitate etsi diuturna, nisi „infirmus convaluerit ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat", tamen per decretum *d. d. 12. Mart. 1855. (n. 646.)* non solum declaravit, non vetari elargitionem aliarum indulgentiarum plenariarum etiam in eodem mortis articulo, quas sacerdotes ex alio capite, ac vi const. *Pia mater,* forte concedere possunt (v. *n. 1060. 5°.*), sed etiam prohibitionem quoad benedictionem Apostolicam ad formam const. *Pia mater* sustulisse videtur. Juxta *Bouvier l. c.* vero haec benedictio Apostolica iteranda est, si infirmus in praecedente elargitione ejusdem non erat in statu gratiae, et idem consulit ut tutius, si infirmus post primam largitionem se gravi culpa inquinavit.

II. *Quaer.* An cunctis petentibus sit indulgentia plenaria in articulo mortis concedenda.

Resp.: Cunctis petentibus concedendam esse. — Ib.

Quaer. An contriti, sed neque confessi, neque ss. communione refecti indulgentiam plenariam consequantur, quam supplicantibus passim pro mortis articulo largiuntur Romani Pontifices.

Resp. Ejusmodi contritos indulgentiam lucrari, si Pontifex in sua concessione confessionem vel aliud simile non requirit. — Ib.

Quaer. An benedictio cum indulgentia plenaria juxta constitutionem *Benedicti XIV. Pia mater* impertienda sit pueris, qui defectu aetatis primam communionem necdum instituerunt.

Resp. Affirmative. — S. R. C. d. d. 16. Dec. 1826. — Cf. *Gardellini.* Supple: modo pueri peccati capaces fuerint.

Quaer. Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiae plenariae potestne, si sit periculum in mora, concedi tum valide, tum licite iis, qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo sacramentis refecti vel poenitentiae, vel eucharistiae, vel extremae unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum.

Resp.: Affirmative ad formam bullae Benedicti XIV. — S. C. I. d. d. 20. Sept. 1775. (n. 357.)

III. *Quaer.* Invocatio saltem mentalis, de qua fit mentio in brevibus ad episcopos de hac benedictione missis, praescribiturne, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio *sine qua non* ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam.

Resp.: Affirmative. — Ib.

IV. *Quaer.* Utrum sufficiat recitatio confessionis, i. e. *Confiteor etc.*, in sacramento poenitentiae habita pro recitatione illius praescripta, quando impertienda sit benedictio cum indulgentia in mortis articulo.

Resp. Negative juxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat. — S. C. I. d. d. 5. Febr. 1841. (n. 506.)

Quaer. Utrum necesse sit, tribus vicibus recitare *Confiteor,* quando administratur sacrum viaticum, extrema unctio ac indulgentia in mortis articulo impertitur.

Resp. Affirmative juxta praxim et rubricas. — Ib.

Quaer. Utrum sacerdos valide conferat indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a Summo Pontifice praescripta ob libri deficientiam.

Resp. Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva. — Ib.

V. *Quaer.* Episcopus ad supradictam benedictionem impertiendam delegatus cum facultate subdelegandi

1° debetne perpaucos subdelegare sacerdotes, ut majus sit benedictionis istius et indulgentiae hujus adnexae desiderium, simul et major utrique concilietur reverentia?

2° potestne omnes suae dioecesis subdelegare confessarios, ne etiam una, si fieri possit, ex suis ovibus tanta privetur gratia?

3° potestne subdelegare omnes directe et speciatim parochos sive plurimos sacerdotes in dignitate constitutos, et indirecte et confuse omnes confessarios hisce verbis: *Dilecto nobis in Christo etc. Te delegamus, eligimus et deputamus, quatenus valeas etc. Insuper quemcumque confessarium a te ad tui libitum semel vel pluries et, quandocumque opus fuerit, eligendum pariter eligimus et deputamus ad eamdem gratiam conferendam?* Hic delegandi modus estne validus?

Resp.: Affirmative ad 1^{am} partem. — *Negative* ad 2^{am}. — *Affirmative* ad tertiam partem *quoad parochos speciatim ruri degentes. — Ib.*

VI. *Quaer.* Quae in supradictis brevibus exstat clausula: *et quoad moniales illarum confessarium ordinarium,* statuitne, tale munus invalide quoad illas exerceri a quolibet sacer-

dote (etiam vicario generali) deputato ad hanc benedictionem impertiendam sive omnibus et singulis fidelibus in tota dioecesi, sive monialibus tantum, sive specialiter moniali hic et nunc aegrotanti, nisi sit illarum confessarius ordinarius? Si ita sit, quisnam est ille confessarius ordinarius? An qui jurisdictione in illas gaudet ordinaria? etc.

Resp. Facultas pro confessario ordinario tantum. — *Ib.* — Cf. etiam *n. 989. Not. 1°. not. 3.*

POSTULATA
de altari privilegiato.

1089. — I. 1° Quamvis altaria etiam pro vivis quandoque privilegiata fuerint *(Anal. ser. 8. col. 2060.)*, ordinarie tamen per *altaris privilegium* illud intelligitur, vi cujus ex indulto Summi Pontificis per celebrationem missae indulgentia plenaria conceditur, solis animabus defunctorum applicabilis.

2° De efficacia talis concessionis ita *S. C. I. d. d. 28. Jul. 1840. (n. 502.): Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet.*

3° Ad *quaesitum* episcopi Andegavensis: Utrum privilegium altaris sive proprie dictum, sive personale, applicari possit pluribus defunctorum animabus in cujuscumque diei missa (servatis servandis), sicuti expresse, sed speciatim declaratum fuit a *S. C. die 19. Maji 1761.* pro missa in die commemorationis omnium defunctorum?

S. C. I. d. d. 29. Febr. 1864. sub 1. resp.: Negat. — *Act. v. 1. f. 10. p. 626.*

4° Ad *quaesitum* vero: An, quando requiritur sacrificium missae pro indulgentia lucranda, missa possit offerri pro uno et indulgentia pro altero?

S. C. I. d. d. 31. Jan. 1848. (n. 602.) oratori communicari jussit votum consultoris, qui ad mentem *P. Cavallieri* quaestionem decidendam esse censuit, scil.: „nexum quaestionis pendere ex verbis indulti. Si indultum cantet: *qui pro defuncto missam in tali altari dixerit, liberat animam ejus etc.*, tunc sacrificium et indulgentia non possunt dividi, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum. Pariter, si fundator aut stipem erogans imposuit onus celebrandi in altari privilegiato, divisibilitas locum non habet. ... Si autem in indulto omissum fuerit etc. *pro defuncto,* sed tantum datum fuerit ordinario modo pro altaribus privilegiatis, tunc dividi potest indulgentia, scil. offerri sacrificium pro uno et indulgentia pro altero. Sic sacerdos onus habens sacrificandi, sed non in altari privilegiato, adimplet siquidem obligationem suam per applicationem sacrificii et liber est quoad applicationem indulgentiae, de qua nequit stipem percipere, quod simoniacum est etc.“ — Addimus exempli causa, in concessione talis privilegii a S. Sede *d. d. 8. Jan. 1856.* ad septennium pro ecclesiis parochialibus dioecesis Ratisbonensis facta hanc formulam adhiberi: *ita ut, quandocumque sacerdos aliquis ... missam pro anima cujuscumque Christi fidelis, quae Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare ... celebravit, anima ipsa ... indulgentiam consequatur.*

II. — 1° Appellatur hoc privilegium *locale,* si altari ad hoc designato adnexum est: *personale,* si alicui personae conceditur; etiam laici enim pro missis, quas celebrari curant, hujus privilegii participes fieri possunt. — V. *Anal. ser. 8. col. 2150. XIX. 3.*

2° Quoad extensionem etc. privilegii inspiciendae sunt clausulae decreto concessionis appositae. — V. v. g. *Anal. J. P. l. c. col. 2144. XVII.; 2166. XXXIV.*

Ad *quaes.* An, cum in brevibus indulgentiarum verba illa apponuntur *praesentibus ad septennium valituris,*

idem septennium debeat a die datae vel a die publicationis computari?

S. C. I. d. d. 18. Maji 1711. (n. 32.) resp.: Computandum a die datae. — Tempus tamen in brevibus Apostolicis positum pro confirmatione privilegii altaris in regionibus remotis non a die datae, sed a die praesentationis brevis ordinario est computandum. — *S. C. I. d. d. 4. Febr. 1736. (n. 83.)*

Quodsi episcopo indultum factum sit, altaria ad septennium proximum privilegiandi, septennium computandum est a die respectivae designationis uniuscujusque altaris. — *S. C. I. d. d. 22. Sept. 1841. (n. 515. — Anal. J. P. l. c. col. 2070. n. 3.)*

3° Sub generali suspensione indulgentiarum inter annum jubilaei non comprehendi altaria privilegiata, patet ex dictis *n. 1076. Nota 1.*

4° Quoad publicationem hujus privilegii cf. *n. 1086. Qu. 1°. 2°. 5°.*

III. — 1° Ordinarie privilegium *locale* cum clausula conceditur: „in qua (ecclesia scil.) aliud altare privilegiatum non reperiatur concessum." Haec clausula tamen, saltem si de privilegio indefinite pro omnibus concesso agitur, non attingit altaria pro certo personarum coetu, v. g. pro confraternitate, ibi jam concessa. — *S. C. I. d. d. 21. Maj. 1742. (n. 115.)*

Estne haec clausula per se subaudienda in decreto, etsi non exprimatur? *Affirmative* respondendum censemus ex decreto *S. C. I. d. d. 17. Maji 1750. (n. 189.)*, saltem si secundum altare sub eodem intuitu concessum appareat, ac primum, et primi ne in supplicatione quidem mentio injecta sit: decretum enim *d. d. 14. Jun. 1845. (n. 567.)*, specie tenus oppositum, alias circumstantias supponere videtur. — *Anal. J. P. ib. col. 2128. et seq.* — V. infra *VIII. 2°.*

2° Possunt in eadem persona plura privilegia *personalia* uniri, dummodo in respectivis indultis aliter expresse non disponatur. — *S. C. I. d. d. 27. Maj. 1839. (n. 490.)*

IV. — 1° Licet sacerdos indulto altaris privilegiati *personalis* fruatur, in quocumque altari celebret, sive fixo, sive portatili *(S. C. I. d. d. 15. Dec. 1841. Dub. 3. — n. 521.)*, privilegium *locale* tamen non conceditur altari portatili *(S. C. I. ib. et 27. Sept. 1843. [n. 548.])*, saltem nisi exprimatur *(S. C. I. 31. Jan. 1843. [n. 546.])*. Hinc altare debet esse fixum saltem ita, ut a loco dimoveri non possit *(S. C. I. d. d. 20. Mart. 1846. [n. 574.])*, licet non sit consecratum, sed solummodo lapis sacer consecratus cum capsula reliquiarum ss. martyrum in ejus medio reponatur *(S. C. I. d. d. 30. Jan. 1760. [n. 246.])*. Accedit etiam recentius decretum *S. C. I. d. d. 26. Mart. 1867.*, in quo sic: *Ne dubium circa qualitatem altaris fixi exoriatur, Sanctitas Sua edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. (Act. vol. 3. fasc. 26. p. 90. et seq.)*

2° Tale altare privilegium concessum non amittit, licet renovetur aut noviter exstruatur, dummodo permaneat in eadem ecclesia et sub eodem titulo. — Idem dicendum, si ecclesia destructa in eodem loco reaedificetur: secus, si alibi. — *Anal. J. P. ib. col. 2124.*

3° Translatio privilegii ad altare diversum exigit interventum S. Sedis. — *Ib. col. 2132.*

4° Aggregatio ecclesiae quoad privilegia et favores spirituales ad alteram ecclesiam privilegia altaris non comprehendit. — *Ib. col. 2134.*

V. — 1° Ut indulgentia per privilegium locale vel personale concessa obtineatur, necesse est, celebrari missam de Requiem (non tamen absolute in colore nigro — v. *n. 300. not. 2.)*, quoties regulae liturgicae id permittunt. — Cf. *n. 377. Q. 15°.* cum *not.; 1080. Q. 2°. 3°.* Addimus sequentes decisiones:

S. C. I. d. d. 2. Jul. 1669. declaravit, celebrationem missarum sanctorum ritus duplicis revera suffragari pro mis-

sis privilegiato altari addictis, quod postea etiam declaratum fuit a *S. R. Congr. d. d. 5. Apr. 1687.*, necnon confirmatum anno subsequenti a ven. *Innoc. XI.* pro dominicis aliisque diebus privilegiatis, in quibus defunctorum missae celebrari vetitum est. Deinde eadem *S. C. d. d. 20. Jul. 1751.* declaravit, quod missae, quae celebrantur tempore officii generalis pro defunctis vel in festis sanctorum ritus duplicis vel in dominicis tunc occurrentibus, gaudeant privilegio. Et non obstante clausula: *quandocumque sacerdos aliquis missam defunctorum die ... celebraverit etc.*, in concessione fortasse apposita, *SS. D. N. Clemens PP. XIV. d. d. 7. Mart. 1771.* declaravit: *Constare de privilegio ad formam resolutionum S. C. I. — S. C. I. 7. Mart. 1771. (n. 352.)*

Quaesitum: An missa de festo semiduplici, votiva vel de feria celebrata in altari privilegiato, in quo exponitur ss. eucharistiae sacramentum sive in ostensorio, sive in ciborio, suffragetur pro defunctis, ac si missa de Requiem dicatur in casu.

Resp. S. C. I. d. d. 20. Jul. 1751. (n. 200.): Affirmative.

Quaer.: Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato, legendo missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata sive ratione expositionis ssmi. sacramenti, sive stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio, ac si legeret missam de Requiem per rubricas eo die permissam.

Resp. S. C. Indulg. d. d. 11. Apr. 1864.: Affirmative, deletis tamen verbis: aut ex rationabili motivo, *et facto verbo cum SSmo. — Act. vol. 1. fasc. 1. p. 42.*

2° *Quaer.* 1° Utrum post indultum Apostolicum rmo ordinario (Andegavensi) *d. d. 10. Maji 1860.* concessum, quod permittit, *ut in omnibus ecclesiis parochialibus dioecesis Andegavensis ter in qualibet hebdomada celebrentur cum cantu missae de Requiem, dum officia occurrunt ritus duplicis, quibusdam tantum exceptis,* applicatio privilegii fieri possit in hisce tribus missis taliter cantatis ... vel differenda sit dicta applicatio in tres alias dies, in quibus missa dicetur juxta rubricam ordinariam et secundum alias praescripta a S. Congr.

2° Utrum, qui ter in hebdomada habet privilegium personale, possit valide (quando in eadem plura inveniuntur festa duplicia et plura semiduplicia vel infra) potius eligere ad applicationem privilegii festa duplicia, quam differre ad semiduplicia.

Resp. S. C. Indulg. d. d. 20. Aug. 1864.:

Ad 1um: *Affirmative, quatenus non occurrant festa semiduplicia in hebdomada.*

Ad 2um: *Ut in primo. — Act. vol. 1. fasc. 10. p. 626.*

VI. — 1° Nequeunt recipi onera perpetua ac fundationes ad altaria privilegiata. — *S. C. I. d. d. 14. Dec. 1711.* apud *Maurel p. 2. §. 96. sub fine. — Anal. J. P. ib. col. 2148.*

2° *Quaer.:* Cajus sacerdos, habens privilegium personale altaris privilegiati, bis aut ter in hebdomada accepto stipendio pro missa celebranda in altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem altaris privilegiati celebrat in altari non privilegiato. Quaeritur, an bene se gerat et utrum oneri suscepto satisfaciat.

Resp. S. C. I. d. d. 16. Febr. 1852. (n. 620.): Affirmative.

3° — a) *Quaer.:* Utrum sacerdos, qui bona fide hisce desuper errasset (die scil. non impedito sacrum faciendo in colore diei — cf. *V.*) sive alios in errorem traxisset, ita ut defunctorum animae praedicta indulgentia frustratae fuissent, ad aliquod remedium teneatur, et in eventum, quo hacce obligatione sit adstrictus, quaenam debeat esse ista reparatio.

Resp.: Affirmative quoad illos sacerdotes, qui pacto obligabantur, ut

missam agerent in altari privilegiato, eosque debere lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus missae fructum applicaverunt, toties, quoties diebus non impeditis usi non sunt indumentis nigri coloris. — S. C. I. d. d. 22. Febr. 1847. (n. 586.)

b) *Quaer.:* Utrum, qui hac (non celebrando scil. diebus non impeditis missam defunctorum) vel alia quacumque ratione indulgentiam altaris privilegiati non lucretur, possit satisfacere applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat.

Resp. S. C. I. d. d. 16. Febr. 1852. (n. 619.): Negative.

Utrum porro decretum sub *b* interpretationem authenticam decreti sub *a* contineat, ita ut sacerdos in simili casu semper aliam missam cum privilegio applicare debeat (uti censet auctor dissertationis in *Anal. J. P. ser. 8. col. 2162. n. 5.)*, an prius decretum de illo sacerdote intelligendum sit, qui bona fide obligationi suae defuit, posterius vero de illo, qui non egit bona fide, decernere non audemus. — V. etiam *n. 377. Q. 14°.*

4° Nequit pro applicatione missae cum privilegio altaris majus stipendium accipi, quod quidem per se patet *(n. 377. Q. 14°.)*. Hinc *S. C. I.* in decreto *d. d. 19. Maji 1761. (n. 250.)*, in quo missae die commemorationis omnium fidelium defunctorum celebratae in perpetuum privilegiatae declarantur, addit: „decernendo tamen, ut nonnisi consuetam eleemosynam unusquisque sacerdos pro dicta missa, licet privilegiata, accipiat et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit.“ — Cf. etiam supra *I. 4°.*

VII. — 1° Num status gratiae in sacerdote requiratur, qui privilegium altaris obtinere vult, v. *n. 1050. Q. 9°.* cum *not.*

2° Ut indulgentia privilegii localis obtineatur, non opus est intentione. — *Anal. J. P. ib. col. 2126. n. 2.*

Ad *quaes.* enim: Utrum missa celebrata in altari privilegiato sit per se privilegiata, an necessarium sit, offerentem eleemosynam vel sacerdotem intentionem habere applicandi privilegium?

S. C. I. d. d. 12. Mart. 1855. (n. 651.) resp.: Affirmative ad 1am partem, *negative* ad 2am.

3° Quoad 2am indulgentiam obtinendam per missam privilegiatam cf. *n. 1087. not. 1. §. Sacerdos.*

VIII. Inter concessiones generaliores altarium privilegiatorum hasce commemoramus:

1° Patriarchalibus, metropolitanis et cathedralibus totius orbis ecclesiis *Benedictus XIII. d. d. 20. Jul. 1724.* altare privilegiatum quotidianum perpetuum concessit (modo nondum tali gaudebant), per patriarchas, archiepiscopos et episcopos respective locorum semel pro semper designandum. (Textum v. apud *Ferraris ad v.* Altare priv. *n. 11.)*

2° Item *Clemens XIII.* „speciali gratia altaris privilegiati quotidiani ad septennium omnes et singulas totius orbis ecclesias parochiales benigne decorari voluit, revocatis hujusmodi privilegiis intuitu paroeciae sive in perpetuum, sive ad tempus jam concessis; ea tamen adjecta lege, ut quilibet episcopus de hujusmodi gratia supplicet pro sua respective dioecesi et unum dumtaxat breve pro omnibus uniuscujusque dioecesis parochialibus ecclesiis suffragetur. Praeterea, ne hujusmodi privilegio fraudentur aliae ecclesiae pollentes speciali praerogativa, veluti collegiatae et abbatiales nullius et parochiales a se dependentes, Sanctitas Sua pari benevolentia modo supra indicato hoc idem privilegium mox enuntiatis ecclesiis communicatum voluit. Exspirato vero septennio, sede plena, eadem Sanctitas Sua mandat, ut ipsimet episcopi et abbates, sede autem vacante, vicarii capitulares sive in spiritualibus abbatiarum administratores pro renovatione ejusmodi privilegii supplicent.“ — *S. C. I. d. d. 19. Maji 1759. (n. 242.)*

Pro interpretatione hujus indulti cf. *Anal. J. P. l. c. col. 2070. et seq.* Id unum addimus, ex decretis *S. C. I. d. d. 18. Sept. 1776. (n. 365.)* et *d. d. 10. Sept. 1781. (n. 379.)* ecclesias cathedrales, quamvis sint etiam parochiales, alterutro tantum duorum indultorum sub 1° et 2° gaudere posse, *„salvis tamen peculiaribus circumstantiis."* — V. supra *III. 1°.* — Cf. etiam decis. *S. C. I. d. d. 14. Nov. 1766. (n. 289.)* et *d. d. 24. Maji 1843. (n. 553.)*

3° Eodem privilegio gaudent omnia altaria cujuslibet ecclesiae tempore orationis quadraginta horarum (quocumque anni tempore fiat). — *S. C. I. d. d. 28. Jun. 1841. (n. 513.)* Notandum tamen, quod juxta sensum *S. C. Indulg.* hic intelligitur oratio 40 horarum proprie sic dicta et instituta in omnibus secundum instructionem *Clem. XI. d. d. 21. Jan. 1705.* et constit. *Accepimus Benedicti XIV. d. d. 16. Apr. 1746.* — Cf. *Maier, Die liturg. Behandlung des Allerheil. p. 349. et seq.* — Supra *IV. 4°.*

4° Die 2. *Nov.* missae gaudent privilegio, ac si essent in altari privilegiato celebratae, ut supra jam adnotavimus. — *S. C. I. d. d. 19. Maji 1761. (n. 250.)*

5° Secus vero dicendum de missis de Requiem etiam cantatis in die obitus, tertio, trigesimo et anniversario. — *S. C. I. d. d. 12. Mart. 1855. (n. 651.)*

POSTULATUM
de indulgentia Portiunculae.

1090. — *Quaer.* An visitantes ecclesias ordinis S. Francisci die 2. Augusti lucrentur indulgentiam plenariam *toties, quoties* in eas ingrediuntur et parumper ibi orant. Et an requiratur, ut communio fiat in eadem ecclesia.

S. C. Indulg. d. d. 8. Jul. 1850. respondit: Affirmative ad 1^{am} partem, *negative* ad 2^{am}. — *(Correspondance de Rome, 24. Jul. 1850. p. 31.)* (1)

(1) Addimus hac occasione principium, in *Act. vol. 1. fasc. 11. p. 687.* enuntiatum: Indulgentias rite visitantibus regularium ecclesias concessas intuitu regularis familiae, a qua ecclesiae reguntur, cessante regulari familia pariter cessare.

POSTULATA
de rosario et corona S. Birgittae.

1091. — I. *Quaer.* An director (confraternitatis), ab episcopo sic designatus (1), eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum et scapularia benedicere ac imponere possit.

Resp. S. C. I. d. d. 18. Nov. 1842. (n. 542.): Negative, nisi in hujusmodi concessionibus facta sit mentio de facultate rectoribus pro tempore tradenda pro rosariorum, coronarum seu scapularium benedictione.

II. *Quaer.* Constat ex pluribus recentioribus decretis *S. Congr. Indulg.* circa benedictionem crucium, coronarum etc. cum applicatione indulgentiarum, quas Summus Pontifex impertiri solet, signanter ex decr. *d. d. 11. Apr. 1840., d. d. 7. Jan. 1843.* et *23. Jan. 1848.*, nec formulae alicujus recitationem, nec aspersionem cum aqua benedicta, nec alium ritum requiri praeter signum crucis, quamvis in indulto dicatur „in forma Ecclesiae consueta"; et ideo sacerdotem a Summo Pontifice facultatem habentem cruces, coronas etc. solo signo crucis benedicere iisque indulgentias applicare posse et valere.

Cum vero decreta supra citata specialiter de benedictionibus cum applicatione indulgentiarum Apostolicarum loquantur, ideo dubitatur, num illae declarationes etiam comprehendant benedictionem cum applicatione indulgentiarum rosarii S. Dominici et coronae septem dolorum B. M. V., quae impertiri solet a patribus ordinis praedicatorum et ordinis servorum Mariae, ita ut sacerdotes, qui vel immediate a Summo Pontifice, vel a superioribus generalibus praedictorum ordinum ex auctoritate Apostolica ipsi facta, facultatem habent, benedicant rosaria S. Dominici et coronas septem

(1) Huic quaestioni enim alia praemittebatur, scil.: An episcopus designare possit directorem uniuscujusque confraternitatis suae dioecesis, sive jam exsistentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae. — *S. C. resp.: Affirmative.*

dolorum B. M. V., id solo signo crucis perficere possint et valeant; an vero pro valore actus omnino adhibenda sit formula benedictionis simulque aspersio cum aqua benedicta.

Etsi haec ultima opinio minus probabilis videatur, eo quod decreta *S. C. Indulg.* omnino generalia sint, nec ullam distinctionem aut exceptionem faciant, tamen pro majori securitate summopere desiderandum est, ut *S. C. Indulg.* illud dubium solvere dignetur; et in casu, quo formula adhibenda sit, petentes ab obligatione illam adhibendi dispensationem implorant, cum pro utraque benedictione et indulgentiarum applicatione eaedem rationes militent.

Resp. S. C. Ind. d. d. 29. Febr. 1864.: Pro coronis rosarii et septem dolorum servandam formulam, cum responsa S. Congr. d. d. 11. Aprilis 1840. et d. d. 7. Jan. 1843. non comprehendant casus, de quibus agitur in precibus.

Quoad dispensationem: *Non expedire. — Act. vol. 1. fasc. 9. p. 454. et seq.*(1)

III. — 1° Quando possessor coronae Domini vel crucis, cui applicatae sunt indulgentiae *viae crucis,* preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive crucem tali privilegio ditatam, nequeunt adstantes et simul recitantes absque speciali facultate easdem indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis. — *S. C. I. d. d. 29. Maji 1841. (n. 511. sub 12°.)*(1)

2°. Fideles, qui non intenderent recitare coronam precatoriam, at recitantes quasdam preces manu tenent coronam sive Domini, sive Beatae Virginis et grana volvunt, non lucrantur pro unoquoque *Pater,* vel *Ave,* vel *Credo* vel alia oratione easdem indulgentias, quas ipsi lucrarentur pro iisdem precibus, si recitarent coronam precatoriam. — *Ib. sub 8°.*

3° Quando coronis B. M. V. de licentia Sedis Apostolicae applicata fuit benedictio cum indulgentiis S. Birgittae nuncupatis, fideles illas coronas recitantes non tenentur meditari quindecim mysteria D. N. J. C., ut indulgentias percipere valeant. — *S. C. I. d. d. 1. Jul. 1839. (n. 491.)*

4° Non datur etiam haec obligatio, si benedictio respiciat indulgentias consuetas, quae citantur, ut in *Elencho;* sed datur, si coronae benedicantur cum indulgentiis pro recitatione rosarii. — *Ib.*

5° Quando requiritur meditatio mysteriorum, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur *oratio dominicalis* et *salutationes angelicae*(2); pro personis idiotis sufficit tantum recitatio rosarii absque mysteriorum meditatione. — *Ib.*

6° Electio mysteriorum libera est; invaluit tamen consuetudo (ut per gyrum cujuslibet hebdomadae singula mysteria percurrantur), recolendi gaudiosa in 2ª et 5ª feria, dolorosa in 3ª et 6ª, gloriosa tandem in dominica, feria 4ª et sabbato, si tamen tertia

(1) Colligunt ex hac decisione editores *Act. ib.:*

1° In coronis aliisque pietatis objectis benedicendis consuetam Ecclesiae formam substantialiter consistere in signo crucis super iisdem efformando ab eo, qui ad effectum indulgentiarum facultatem benedicendi habet.

2° Eamdem tamen consuetam benedicendi formam ad illum effectum non sufficere, quando peculiaris forma est ex praescripto servanda.

3° Eamque formam servandam esse, sive sacerdos benedicendi facultatem obtineat a Rom. Pontifice, sive ab eo, qui benedicendi potestate ordinario veluti jure gaudet, quamvis de forma in benedictione sequenda mentio non fiat.

(1) Recitans alternatim cum socio orationem, cui applicatae sunt indulgentiae (v. g. coronam vel salutationem angelicam, dictam *Angelus Domini*), lucrari potest indulgentias huic orationi applicatas. — *S. C. I. d. d. 1. Mart. 1820. (n. 420.)*

(2) nec necesse est, fieri mentionem specialem mysterii in recitatione salutationis angelicae, dicendo v. g. post haec verba: *ventris tui, Jesus* haec alia: *quem concepisti etc.* — *Ib.*

tantum rosarii pars in qualibet die recitetur. — *Ib.*

7° Corona, divae Birgittae nuncupata, revera constat sex decadibus et in qualibet decade recitatur *oratio dominica, angelica salutatio* decies repetita et *apostolorum symbolum,* et in fine aliud *Pater noster* cum tribus aliis *angelicis salutationibus.* At vero ex pluribus decretis, asservatis in actis *S. Congr.*, indulgentiae S. Birgittae lucrari possunt cum coronis etiam ordinariis, sive quindecim, sive quinque tantum decadum, dummodo sint benedictae ab habentibus facultatem cum indulgentiis quoque divae Birgittae nuncupatis. — *S. C. I. d. d. 25. Sept. 1841. (n. 517.)*

INDULGENTIAE
concessae pro festis Domini Nostri, B. V. Mariae etc.

1092. — *Quaer.* 1° An, quando invenitur concessa indulgentia *plenaria* in omnibus et singulis festis Domini, intelligenda sint festa praecipua, nativitatis scilicet, circumcisionis, epiphaniae, paschatis, adscensionis et corporis Christi, juxta praxim S. Congregationis; an vero intelligenda sint festa enuntiata in decisione Massiliensi(1) sub die *5. Martii 1855.*; an omnia et singula festa, etiam secundaria(2), quae in aliquibus tantum locis celebrantur.

Et quatenus *affirmative* pro festis praecipuis:

2° Quando invenitur concessa indulgentia *partialis* in reliquis omnibus Domini festivitatibus, de quibusnam festis intelligendum sit.

3° An, quando invenitur concessa indulgentia *plenaria* in omnibus et singulis festis B. Mariae V., intelligenda sint festa praecipua, conceptionis nempe, nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis juxta praxim S. Congregationis, an vero standum sit resolutioni diei *5. Martii 1855.* An intelligantur inclusae etiam festivitates pene innumerae, quae per orbem recoluntur, licet non in omnibus, sed in aliquibus tantum locis celebrentur.

Et quatenus *affirmative* pro praecipuis:

4° Quando invenitur concessa indulgentia *partialis* in reliquis omnibus festis ejusdem B. Mariae V., de quibusnam festis intelligendum sit.

5° An, quando invenitur concessa indulgentia *plenaria* vel *partialis* in omnibus et singulis festis apostolorum, intelligenda sint festa natalis uniuscujusque apostoli, vel etiam festa secundaria.

Resp. S. C. I. d. d. 18. Sept. 1862. Ad 1um et 3um: *Affirmative* ad 1^{am} partem, *negative* ad 2^{am} et 3^{am}. *Declaravitque expresse Sanctitas Sua, ut, quoties in concessione inveniantur verba* in festis *vel* in omnibus et singulis festis Domini, *aut etiam* in festis *vel* in omnibus festis *vel* in omnibus et singulis festis Domini N. J. C., *semper intelligantur tantum festa nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, dominicae paschatis resurrectionis, adscensionis et corporis Christi; ac pariter declaravit, ut, quoties in concessione inveniantur verba* in festis *vel* in omnibus festis *vel* in

(1) De hac decisione nil addimus, cum, uti ex responsis patet, ejus notitia ad rem non faciat.

(2) Praeter festa Domini, B. V. Mariae et ss. apostolorum, majori festivitate ubique obeunda (*praecipua* in quaesitis vocantur), alia occurrunt, minus solemni apparatu recolenda. Horum *secundariorum* festorum porro quaedam in universa Ecclesia celebrantur, ut inter *festa Domini* transfiguratio, inventio et exaltatio crucis etc. — inter *festa B. V.* festivitates ss. rosarii, B. M. V. de mercede, de monte Carmelo — inter *festa apostolorum* cathedra S. Petri romana et antiochena, festum de vinculis apostolorum principis etc.; alia vero celebrare, nonnisi peculiaribus locis ob speciales causas concessum est: ita festum ss. redemptoris etc. Haec, quae ex ingressu hujus decreti deprompsimus, sufficient, ut quaesita et responsa intelligantur.

omnibus et singulis festis B. M. V., *semper intelligantur dumtaxat festa conceptionis, nativitatis, annuntiationis, purificationis et assumptionis.*

Ad 2um: *Intelligendum esse de omnibus festis Domini, quae celebrantur ab universa Ecclesia.*

Ad 4um: *Pariter intelligendum esse de omnibus festis B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia.*

Ad 5um: *Affirmative* ad 1^{am} partem, *negative* ad 2^{am}. — V. *Anal. J. P. ser. 6. col. 1940. et seq.*

De extensione indulgentiarum.

1093. — Decretis, quae *n. 1089. II. sub 2*^{0} attigimus, sequentia addimus:

1^{0} *Quaer.:* 1^{0} An indulgentiam, quae concedi solet pro peregrinantibus ad aliquam insignem ecclesiam, consequi valeant incolae oppidi ejusdem ecclesiae. Et quatenus *negative:*

2^{0} An alia hujusmodi indulgentia pro incolis sit concedenda.

Resp.: Ad 1um: *Negative.*

Ad 2um: *Concedendas esse indulgentias juxta qualitatem ecclesiae. — S. C. I. d. d. 2. Jul. 1754. (n. 215.)*

2^{0} *Quaer.:* Utrum paroeciae, quae gaudent indulgentia plenaria propria pro festivitate respectivi patroni, lucrari quoque possint indulgentiam plenariam, concessam per dioecesim diebus festivis patronalibus omnium paroeciarum.

Resp.: Negative, quia in tali indulgentiarum concessione mens est concedentis, ut una tantum acquiratur indulgentia plenaria, minime vero duae, quod accideret, si quaelibet paroecia, quae gaudet indulgentia ob festum sui patroni, lucrari posset illam, quamvis affirmatur concessa per dioecesim absque limitatione ob festa patronalia omnium paroeciarum. — S. C. I. d. d. 15. Dec. 1841. (n. 523.)

3^{0} *Decr. S. C. I. d. d. 27. Febr. 1673.* Cum a nonnullis locorum ordinariis dubitaretur, utrum ecclesiis monialium, quae sub ipsorum cura sunt, indulgentiae convenirent, generatim concessae ecclesiis fratrum pariter et monialium ordinis eremitarum S. Augustini tum in diebus festis sanctorum ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus, reverendissimus etc., ut omnis dubitatio et contentionum occasio tollatur inter locorum ordinarios et regulares, petiit super eo dubio a *S. Congr.* responsum; quae ... censuit, Christi fideles, ecclesias monialium visitantes, quae regularium vel episcoporum curae subduntur, aeque in utrisque jam dictas indulgentias lucrari. — *Anal. J. P. ser. 4. col. 1773.*

Haec responsio tamen intelligenda quoad moniales, quae ritum sequantur in officio recitando et simul institutum profiteantur ordinis aut congregationis respectivae. — Cf. *Act. vol. 1. fasc. 12. p. 741. et seq.*

APPENDIX.

PROPOSITIONES DAMNATAE.

PROPOSITIONES DAMNATAE(1) AB ALEXANDRO PAPA VII.

Feria 4., die 24. Septembris 1665.

1094. — 1. Homo nullo umquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, bullam *Coenae* solum prohibere absolutionem haeresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati *Tridentini,* in qua de occultis criminibus sermo est, anno *1629. 18. Julii* in consistorio S. C. eminentiss. card. visa et tolerata est.

4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum *Urbani VIII.*

9. Post decretum *Urbani* potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

---

(1) Aliquando propositiones damnantur *in globo,* et est, quando cuivis propositioni sua singularis nota non adsignatur, sed notantur omnes generatim veluti respective *erroneae, haereticae* etc. Hoc non facit ad substantiam, si et unus et alius modus a legitima auctoritate procedat. „Condemnationes generales utiliter in Ecclesia adhibentur, ut quasi primus ictus erroribus nascentibus inferatur, et saepe etiam ultimus, prout circumstantiae id exigunt et gradus obstinationis, quae animos occupat.“ *(Bossuet, Second écrit sur le livre de Fénelon n. 2.)*

Insuper notandum cum *S. Alphonso:* Nonnulli inducuntur ad reprobandas cunctas opiniones, quae aliquam similitudinem habent cum propositionibus damnatis, inepte putantes, eas ita generaliter proscribi, ut nullam patiantur exceptionem vel justam interpretationem. Quod revera est contra naturam propositionum damnatarum; juxta enim omnium doctorum consensum non sunt clausis oculis rejiciendae omnes opiniones, nisi expresse aut virtualiter in proscriptis contineantur. Ceterum, regulariter loquendo, propositiones damnatae intelligendae sunt, ut jacent, et in sensu rigoroso atque ab auctoribus illarum intento: praeterquam quod quaedam opiniones damnatae sunt, quia nimis generaliter loquebantur, et ideo non sunt extendendae ad omnes casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam ab illis distinguuntur. — *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 760. Dices II.* — *Scav.*

10. Non est contra justitiam, pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata, in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico, calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet, interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio, a *Pio V.* imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit poena.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam, beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator, conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere praecepto.

24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit, dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

. . . Idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, praedictas propositiones et unamquamque ipsarum ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet, ita ut, quicumque illas aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam

in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore exsistente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Feria 5., die 18. Martii 1666.

Prop. 29. In die jejunii qui saepius modicum quid comedit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas ante beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die palmarum recitans officium paschale satisfacit praecepto.

35. Unico officio potest quis satisfacere duplici praecepto, pro die praesenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per *concilium Tridentinum*.

37. Indulgentiae concessae regularibus et revocatae a *Paulo V.* hodie sunt revalidatae.

38. Mandatum *Tridentini*, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi *quamprimum*, est consilium, non praeceptum.

39. Illa particula „*quamprimum*" intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii (vulgo *regalo*), dum, deficiente illa, nimis aegre ageret vitam et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiae, reo correcto ejusque contumacia cessante, cessant censurae.

45. Libri prohibiti „*donec expurgentur*" possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

PROPOSITIONES DAMNATAE AB INNOCENTIO PAPA XI.

Feria 5., die 2. Martii 1679.

1. Non est illicitum, in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur, proximum diligere actu interno et formali.

11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est, absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas.

15. Licitum est filio, gaudere de parricidio parentis, a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex haereditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo et fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est, jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis a simi-

libus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa, sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato, occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est, defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam, ad quae jus inchoatum habemus et quae nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam haeredi, quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut et jus habenti in cathedram vel praebendam contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet, procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est, furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *mohatra* licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit *concilium Tridentinum*, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent, concilium vel 1° videtur per hoc *„digniores“* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel 2° locutione minus propria posuit *„digniores“*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur 3°, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere

malitiam et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturae prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit, in confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum adscendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis adspiciatur, ne domo expellatur.

52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare matutinum et laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens confessio et communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur, confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet, sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.

60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quinimo directe et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est, quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat mysterium SS. Trinitatis et incarnationis Domini nostri Jesu Christi.

65. Sufficit, illa mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES DUAE DAMNATAE DIVERSIS TEMPORIBUS.

1. Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo majus ex non-usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

2. Licet, per literas seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere.

PROPOSITIONES DUAE AB ALEXANDRO PAPA VIII. DAMNATAE.

24. Augusti 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae mortalis.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

PROPOSITIONES AB EODEM PONTIFICE DAMNATAE.

Die 7. Decembris 1690.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet, sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis
malum et prosequitur bo
ut coelestem obtineat glo
est recta, nec Deo placens

11. Omne, quod non e
christiana supernaturali,
dilectionem operatur, pecc

12. Quando in magnis p
deficit omnis amor, deficit
et etiamsi videantur crede
fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam aete
dis intuitu Deo famulatur,
caruerit, vitio non caret,
tuitu licet beatitudinis op

14. Timor gehennae no
naturalis.

15. Attritio, quae gehe
narum metu concipitur, sin
benevolentiae Dei propter
bonus motus ac supernatu

16. Ordinem, praemitte
ctionem absolutioni, indux
tia aut institutio Ecclesia
Christi lex et praescriptio,
id ipsum quodammodo dic

17. Per illam praxim,
solvendi, ordo poenitenti
versus.

18. Consuetudo modern
ministrationem sacramenti
tiae, etiamsi eam plurim
num sustentet auctoritas et
poris diuturnitas confirmet
nus ab Ecclesia non habet
sed abusu.

19. Homo debet agere
poenitentiam pro peccato

20. Confessiones apud
factae pleraeque vel sacril
vel invalidae.

21. Parochianus potes
de mendicantibus, qui
communibus vivunt, de
nimis levi et incongrua
seu satisfactione, ob qua
lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judi
jus ad communionem pe
praetendunt, antequam co
delictis suis poenitentiam

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. Virgine Maria in die purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae, ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc.*, praetermissis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla *Urbani VIII.* „*In eminenti*“ est subreptitia.

TABELLA

AUCTORUM PLERORUMQUE IN OPERE RELATORU

(Intra parenthesim adnotatur editio, qua usi sumus.)

Abelly *(Ludovicus)*, natione gallus, episc. Ruthenensis. — Probabilista moderatus, doctrina et moribus suavis. — *Medulla theologiae moralis*, 1 vol. in 12. Hinc de eo dicit *Boileau: Le mielleux Abelly*. — Defunctus est an. 1691.

Amort *(Eusebius)*, germanus. — Probabilista moderatus. — Doctrina sapientiaque clarus, magnisque laudibus a *S. Ligorio* donatus. — *Theologia eclectica moralis, scholastica etc.*, 4 vol. in folio. — Ex humanis sublatus est an. 1775. — *(Bononiae, 1753.)*

Antoine *(Gabriel)*, S. J., gallus. — Probabiliorista; brevitate ac methodo praestans; in severiores generatim doctrinas propendet ultra modum. — *Theologia moralis universa*, 6 vol. in 8. — Idem auctor etiam theologiam dogmaticam pari voluminum numero constantem et communi suffragio comprobatam edidit. Efflavit animam an. 1743. — *(Avenione, 1818.)*

S. Antoninus, ordinis praedicatorum, archiepiscopus Florentinus, italus. — Unus ex antiquioribus theologis, qui ad praxim respexerint. — *Summa theologica*, 2 vol. in 4. — Ad coelites migravit an. 1459. — *(Lugduni, 1511.)*

Azor *(Joannes)*, S. J., hispanus. — Probabilista moderatus. — Sapientia, doctrina, rationum pondere merito inter theologos maxime commendatus. — *Institutiones morales*, 2 vol. in folio. — Diem obiit supremum an. 1603. — *(Coloniae Agrippinae, 1608.)*

Billuart *(Carolus Renatus)*, belga, ordinis praedicatorum. — Probabiliorista moderatus. — Perspicuitate, doctrina, soliditate et eruditione inter probatissimos theologos recensendus. — E vivis excessit an. 1757. — *(Parisiis, 1827.)*

Bonacina *(Martinus)*, doctor Medi lanensis, italus. — Probabilista. Is auctor, ut tum rerum copia, tum eruditio et doctrinae nitiditate inter summos the logiae moralis doctores jure meritoque a scribi debeat. — *De morali theologi* 3 vol. in folio. — Vita functus est a 1631. — *(Lugduni, 1684.)*

Bouvier *(J. B.)*, episcopus Cenom nensis, gallus. — Probabilista moderatu vir valde sapiens, in rebus moralibus ve satus et in practicis peritus. — *Institutiones theologicae in usum seminariorum* 6 vol. in 12. — Cursum peregrination hujus vitae absolvit an. 1855. — *(Parisii 1853.)*

Busembaum *(Hermanus)*, S. J., ge manus. — Probabilista; brevitate, conci nitate et ordine rerum clarus. — Immeri illi fuit a quibusdam laxitatis impacta no licet propositiones quasdam tunc probabil ac postea damnatas tradiderit vel sine no retulerit. Ejus doctrinam docuit atque ex pianavit (rejectis tamen nonnullis ejusde sententiis) *S. Alphonsus de Ligorio*, qui idem jam pridem praestiterat *P. Lacroi* S. J. — *Medulla theologiae morali* 1 vol. in 12. — Innumeras sortitus est edi tiones. — Vitam cum morte mutavit anno 1668. — *(Tornaci, 1848.)*

Castro Palao *(Ferdinandus)*, S. J. hispanus.—Probabilista; auctor valde docti sapiens, eruditus, copiosus. — *Opera mo ralia*, 5 vol. in fol. — Ex hac vita a Deo evocatus est an. 1633. — *(Lugduni, 1651.)*

Comitolus *(Paulus)*, S. J., italus. — Probabiliorista, styli elegantia perspicu — *Responsa moralia*, 1 vol. in 4. — Debitum naturae solvit an. 1626. — *(Ingolstadii, 1709.)*

Collet *(Petrus)*, Congr. miss., gallus. —

Doctrina et eruditione praestans; sed, teste *S. Ligorio*, in severiores doctrinas generatim deflectit. — *Continuatio prælectionum theologicarum Honorati Tournely* sive *Tractatus de universa theologia morali*, 18 vol. in 8. — Item *Institutiones theologiae*, quas e fusioribus operibus suis contraxit, 5 vol. in 12., 1745. — Ex hac vita migravit an. 1770. — *(Parisiis, 1770.)*

Concina *(Daniel)*, ordinis praedicatorum, italus. — Doctus, eruditus, disertus, sed rigidarum sententiarum fautor, juxta *S. Lig., de 7. praec. dec. n. 547.* — *Theologia christiana dogmatica moralis*, 10 vol. in 4. — Excessit e vita an. 1756. — *(Romae, 1773.)*

Collationes Andegavenses (Conférences ecclésiastiques du diocèse d'Angers). — Doctrina sana et eruditione refertae. — Probabiliorismum sectantur. — Notis illustratae sunt ab emin. card. *Gousset.* — *(Parisiis, 1829.)*

Cuniliati *(Fulgentius)*, ordinis praedicatorum, italus. — Probabiliorista. — *Theologia moralis universa*, 2 vol. in 4. — Vitae curriculum complevit an. 1759.

Diana *(Antonius)*, ordinis clericorum regular., siculus. — In doctrina benignus, fortasse aliquando etiam benignior. — *Resolutiones morales*, 5 vol. in fol. — Desiit inter mortales vivere an. 1663.

Elbel *(Benjaminus)*, ordinis minorum, germanus. — Probabilista. Sana nitidaque doctrina praestat, necnon casuum practicorum expositione et solutione. — Scripsit decurrente saeculo XVIII. — *Theologia moralis in modum conferentiarum*, 10 vol. in 12. — *(Augustae Vindelicorum, 1748.)*

Escobar *(Antonius de Escobar et Mendoza)*, S. J., hispanus. — Probabilista. Vir doctrina et virtute praeclarus, saepe a *S. Lig.* citatus; aliis quidem benignus, sibi autem valde austerus. Dira calumnia de laxis opinionibus a jansenista Pascal et sociis impetitus et lacessitus. Rigidioris ethicae partes in privata agendi ratione adeo amplexatus est, ut, cum per 50 annos decurrente quadragesimali tempore quotidie et saepe bis in die vehementer concionaretur, nihilominus omnia Ecclesiae jejunia rigorose servaverit, si excipias ultimum vitae annum, scilicet dum octogenarius laboribus simulque infirmitatibus confractus foret. — *Theologia moralis universa*, 7 vol. in folio. — *Examen sacerdotum seu compendium theologiae moralis juxta doctrinam 24 doctorum S. J.*, 1 vol. in 8. — Candidam effavit animam anno 1669.

Ferraris *(Lucius)*, ordinis minorum, italus. — Eruditione doctrinaque eminens. — *Bibliotheca canonica, moralis, theologica etc.*, 10 vol. in fol. — *(Venetiis, 1782.)*

Gobat *(Georgius)*, S. J., germanus. — Auctor multum eruditus et experientia abundans, sed satis benignus. — Obiit anno 1679.

Layman *(Paulus)*, S. J., germanus. — Probabilista moderatus. Rationum momentis doctrinaeque perspicuitate eminens, interque maximos theologiae moralis doctores sine dubio referendus. — *Theologia moralis*, 1 vol. in fol. — Ad meliorem vitam translatus est an. 1625. — *(Lugduni, 1643.)*

Lacroix *(Claudius)*, S. J., belga, doctor Coloniensis. — Probabilista. Vir doctus, in practicis rebus versatus, copia rerumque delectu, styli nitore et solutionum nitiditate spectandus. — *Theologia moralis*, 2 vol. in fol. — Quod opus adnotationibus illustravit vir doctus et eruditus *Franciscus Zacharia* ejusdem soc. — Animam Deo reddidit an. 1714. — *(Coloniae, 1748.)*

Lessius *(Leonardus)*, S. J., belga. — Probabilista. — *Tractatus de justitia et jure ceterisque virtutibus cardinalibus*, 1 vol. in fol. — Auctor valde commendatus nitida expositione. Sic ad eum scribebat *S. Fr. Salesius (Epist. 436. d. d. 26. Aug. 1618.)*: „Vidi ante aliquot annos opus illud utilissimum de justitia et jure, in quo et breviter et simul luculenter difficultates illius partis theologiae prae ceteris auctoribus, quos viderim, egregie solvis." — Ad mercedem laborum migravit an. 1623. — *(Parisiis, 1628.)*

Ligorius *(Sanctus Alphonsus Maria de Liguori)*, episcopus S. Agathae Gothorum, fundator congregationis SS. Redemptoris, italus, a Gregorio XVI. in sanctorum album relatus. Eximiam theologiam moralem composuit, suffragio S. Congr. Poenitentiariae et S. Sedis comprobatam. — *Theologia moralis*, 3 vol. in 4. (Bassani, 1822.) (1) — Edidit etiam compendium ejusdem operis, tribus constans vol. in 12., cui titulus: *Homo apostolicus instructus ad audiendas confessiones (Mechliniae, 1824).*(2) — Tandem his adjecit aliud compendium brevius italice scriptum, cui titulus: *Istruzione e pratica per gli confessori.* — Ad coelestem patriam transivit anno 1787. — *(Taurini, 1829.)*

Lugo *(Joannes)*, cardinalis de Lugo, S. J., hispanus. — Probabilista, vir ingenio praeclarus; auctor maximi ponderis et judicio *S. Ligorii* inter moralistas commendatissimus. Sic enim *S. Alphonsus, de 7. praec. dec. n. 552.*, adducto hujus viri testimonio, ait: „Ita optime arguit doctis„simus *Lugo*, qui post *d. Thomam* non „temere inter alios theologos facile prin-

(1) Novam editionem emend. et opportunis notis auctam curavit P. *M. Haringer*, 8 vol. in 8. (*Ratisbonae, 1846.*)

(2) Denuo editum *Ratisbonae 1862.*

„ceps dici potest, cum in dubiis discutien-
„dis hic auctor saepe, nullo praeeunte, fal-
„cem ita ad radicem ponat, ut rationes,
„quas ipse in medium adducit, difficulter
„solvi queant." Praecipua ejus opera sunt: *De justitia et jure*, 2 vol. in fol. — *De sacramentis in genere et eucharistia*, 1 vol. in fol. — *De poenitentia*, 1 vol. in fol. — Obdormivit in Domino Romae anno 1660. — *(Lugduni, 1654.)*

Mazzotta, S. J., italus. — Probabilista. Solida et perspicua gaudet doctrina. — Vivis valedixit anno 1748. — *Theologia moralis*, 4 vol. in 12.

Molina *(Ludovicus)*, S. J., hispanus. — Probabilista. Pondere rationum et doctrinae soliditate gravissimus. — E vivis sublatus est anno 1600.

Navarrus (seu *Martinus Azpilcueta, doctor Navarrus)*, hispanus. — Inter antiquiores casuistas vir eminens. — *Enchiridion* sive *Manuale confessariorum*. — Mortalitatem exuit anno 1586. — *(Paristis, 1602.)*

Pontas, doctor Sorbonicus, gallus. — Probabiliorista. Proponit et magna eruditione resolvit casus conscientiae ad universam theologiam moralem pertinentes. — *Dictionnaire des cas de conscience*, 2 vol. in fol. — Hujus operis compendium exhibuit doctor *Petrus Collet*, nonnullis adnotationibus adjectis, 2 vol. in 4. — Morte correptus est an. 1728. — *(Paristis, 1794.)*

Reuter *(Joannes)*, S. J., germanus. — Probabilista moderatus; doctrina, soliditate, concinnitate et ordine rerum insignis. — *Theologia moralis*, 4 vol. in 8. — *(Coloniae Agrippinae, 1756.)* — Egregium insuper edidit opus in usum imprimis confessariorum, cui titulus: *Neoconfessarius*. — Vitam clausit an. 1762. — *(Lovanii, 1762.)*

Roncaglia *(Constantinus)*, Congreg. Matris Dei, italus. — Probabilista valde moderatus. Regularum practicarum expositione, doctrina sana inter plerosque ceteros theologos eminere videtur. — *Universa theologia moralis ad usum confessariorum*, 2 vol. in fol. — E corpore migravit an. 1737. — *(Venetiis, 1760.)*

Salmanticenses *(Theologi collegii Salmanticae in Hispania)*, ordinis carmelitarum discalceatorum. — Probabilistae. Copia rerum et doctrinae perspicuitate insignes. Propter sanam doctrinam generatim valde commendantur. Interdum tamen decisionum rigorem forte plus aequo declinare et temperare videntur. — *Collegii Salmanticensis cursus theologiae moralis*, 3 vol. in fol. — Illud opus medio saeculo XVIII. in lucem prodiit. — *(Venetiis, 1764.)*

Saettler *(Casparus)*, doctor Argentinensis. — Probabiliorista moderatus. Auctor in doctrina nitidus et concinnatus. — *Theo-*

logia morali
Hoc opus pro
Illud selectis
lustravit et a
lici exegit pe
logiae moralis
professor. —

Sanchez
— Probabilis
sibi nomen c
in praecepta
Consilia mo
matrimonio,
animam an.

Sporer *(*
germanus. —
inter moralis
an. 1714. —
in fol. — *(*

Suarez *(*
— Probabilist
post *d. Thom*
Benedicto X
tus et apud o
pientia admoc
edidit opera,
scholastica,
vol. in fol. co
ivit an. 1617.

Sylvius *(*
sis. — Prob
soliditate clar
ritate inter th
summam S.
Ejus obitus c
piae, 1697.)

Tamburin
— Probabilist
rientia et dict
Viginti annis
legio romano
2 vol. in fol.
1675. — *(Lu*

S. Thomas
lus. — Doctor
princeps ex
tiatus. — Imn
mira soliditate
et eruditione l
net *Summa t*
editiones app
vel 3 vol. in f
gloriae corona
(Paristis, 16

Toletus *(*
lis hispanus. —
ctrina, rerum
praeclarus. —
ceptore, *prodi*
— *Instructio*
Toleti, 1 vol.
duni, 1681.)
plevit anno 15

Valentin, gallus, in rebus practicis versatus, in vestigiis probatorum auctorum insistens. — *Examens raisonnés sur les commandements, les sacrements, les devoirs des prêtres*, 4 vol. in 8. — Extinctus est anno 1847.

Vogler *(Josephus)*, S. J, germanus. — Exiguum, sed non mediocriter commendatum libellum scripsit de justitia et jure, cui titulus: *Juris cultor theologus circa obligationes restitutionis.* — Opus prodlit decurrente saeculo XVIII. — *(Paristis, 1813.)*

Voit *(Edmundus)*, S. J., germanus. — Probabilista moderatus. Doctrina et imprimis practicis resolutionibus commendatus. Nitidior tamen rerum expositio et magis ordinata methodus in opere desideraretur. — *Theologia moralis*, 2 vol. in 8. — *Augustae Taurinorum, 1833.* (¹) — Ex hac vita excessit versus finem saeculi XVIII.

Vernier *(J. Baptista)*, gallus, Bisuntinus. — Probabiliorista in doctrinis practicis versatus, sed saepius severioris ethices sectator. — *Theologia moralis practica*, 2 vol. in 8. — *(Vesuntione, 1828.)* — Decessit anno 1834.

Viva *(Dominicus)*, S. J., italus. *Damnatae theses ab Alexandro VII., Innocentio XI.* et *Alexandro VIII. ad theologicam trutinam revocatae.* — Natus est anno 1648. — *(Patavii, 1732.)*

(¹) Prostat editio recens Herbipolensis.

Accedunt etiam plures hodierni theologi, doctrina et sapientia notissimi necnon commendatissimi, quos saepe consuluimus quorumque haud raro vestigia studiose secuti sumus, nempe: Gousset, cardinalis, archiep. Rhem.: *Théologie morale à l'usage des curés et des confesseurs*, 2 vol. in 8. — Carrière, super. gener. congr. a S. Sulpitio: *Praelectiones theologicae de matrimonio, de justitia et contractibus* 8 vol. in 8. — Scavini: *Theologia moralis universa ad mentem S. Alph. M. de Ligorio*, 4 vol. in 8. — Neyraguet: *Compendium doctrinae S. Ligorii*, 1 vol. in 8.(¹), pro quo opere congratulandi gratia *Pius IX.* auctori missionarii Apostolici munus contulit. — Bouix, cui S. Pontifex *Pius IX.* plurimum gratulatus est de ingenio ac soliditate, quibus sacrorum canonum studium promovere satagit. Plura opera scripsit, nimirum: *De principiis juris canonici.* — *De jure liturgico.* — *De judiciis ecclesiasticis* (ubi de vicario generali episcopi). — *De curia romana.* — *Du concile provincial.* — *De episcopo* (ubi de synodo dioeces.). — *De capitulis.* — *De parocho.* — *De jure regularium.* — Grassi: *Universa theologia moralis*, 3 vol. in 8. — *(Aesti, 1854.)*

(¹) Iterum *Ratisbonae 1851.* editum.

INDEX ALPHABETICUS.

Nota 1° Numerus romanus partem indicat, arabicus autem paragraphum.
Nota 2° Persaepe praeter paragraphum indicatam etiam sequentes conferri debent.

A.

Abbas. Collatio tonsurae et ordinum minorum per abbatem II. 704.
Abbatissa leges ferre nequit I. 86. — vel censuras II. 943.
Abortus procuratio I. 402. II. 978. — ad vitandam infamiam I. 10. 403. — irregularitatem inducens II. 1040.
Abrogatio quid I. 121. — quoad consuetudinem I. 139.
Absentes non sunt absolvendi a peccatis II. 429. 467. 974. — An valide absolvantur a censuris II. 954.
Absolutio a peccatis. Forma absolutionis II. 425. — Abs. plurium unica forma II. 428. — Formae conditionatae validitas II. 431.; quando licita et debita II. 434. — Praesentia ad absol. requisita II. 429. — Abs. per literas II. 467. 974. — Abs. a peccatis ante abs. a censuris II. 430. — Absolutio cum jurisdictione dubia II. 549.
Absolutio quibus concedenda II. 621. 624.; — quibus differenda II. 621. 623.; post n. 640.; — quibus neganda II. 622. 626. 627. — An ad ejus valorem praeter contritionem etiam actus expliciti fidei vel spei requirantur II. 445. — An danda iis, qui non habent materiam necessariam II. 422. — vel materiam, de qua dubitatur, an sit sufficiens II. 439. — qui peccata jam rite remissa confitentur II. 418. — qui solummodo peccatum oblitum confitentur II. 496. — qui ignorant credenda necessitate medii I. 195. — qui ignorant mysteria trinitatis et incarnationis I. 196. — Abs. moribundorum II. 505. — suspensorum II. 996. — proprii complicis in peccato turpi II. 584.; poenae contra absolventes II. 584. 588. 977. — Abs. debitoris I. 632. II. 627. — clerici habituati in peccato turpi, adscensuri ad sacros ordines II. 718. — Abs. eorum, qui sequuntur opinionem sententiae confessarii oppositam I. 78. II. 627. — qui choreas vitare nolunt I. 244. 245. — Vide Consuetudinarii, Recidivi etc.
Absolutio a censuris II. 951. — Abs. vi aut metu extorta I. 781. II. 955. — Abs. absentis, inviti II. 954. 955. — Forma abs. II. 955. — An eadem forma sufficiat pro censuris et peccatis II. 430. — Facultas absolvendi a censuris non includit eam, absolvendi ab irregul. II. 1075.
— **a reservatis** II. 574. 580. 951. praesertim in articulo mortis *ib.* II. 579. — Absolutio indirecta a reservatis II. 575. — Suspensio facultatis absolvendi tempore jubilaei II. 1076. — An absolutio competat confessario simplici etiam extra mortis articulum II. 575.; quaenam peccata tunc confitenda II. 577. — An reservatio tollatur per confessionem nullam aut sacrilegam II. 580. 1074. — Oblivio reservati absque culpa in confessione II. 578. 581. 1075. — Interpretatio facultatis absolvendi a reservatis II. 583. 584. 953. 1019. — Absolutio peregrinorum II. 582. — Abs. ab haeresi II. 981.
Abstinentia a cibis praecepta I. 485. 502. — Causae excusantes I. 487. 507.
— **a servilibus** v. Opera.
Acceptatio legis an necessaria I. 98. — acc. in contractibus I. 772. 797. etc.
— **munerum a religiosis** II. 953.
Acceptio rei alienae I. 634. — Restitutio an facienda ab eo, qui a beneficiato superflua ex beneficio accipit, quin sit pauper I. 560. — ab eo, qui a fure pecuniam accipit, ut taceat, si ex officio clamare non debet I. 693. — ab eo, qui rem ex turpi contractu accepit I. 760.
Accessio I. 591.
Accusatio. Obligatio ad eam II. 24.
Accusator II. 24. — Quinam accus. esse possit *ib.*
Accusatus v. Reus.
Acedia I. 179.
Acolythatus II. 697. v. Ordo.
Actiones an ad Deum referendae I. 31. 32. — An ex motivo caritatis fieri debeant *ib.* I. 218. — Actiones, ex quibus motus turpes sequuntur I. 155. 413.
Actus humanus I. 1.; quotuplex I. 2; ejus constitutiva I. 3. — A. hominis I. 1.

— liber quid I. 11.; quotuplex *ib.* — indifferens I. 2. 24. — bonus, malus I. 2. etc. — meritorius quid, quotuplex I. 33. — Actus externus an moralitatem addat I. 25.; an declarandus in confessione I. 25. II. 489. — Quos actus lex praecipere possit; an heroicos, mere internos etc. I. 88. — Actus mali eam malitiam habent, quae apprehenditur I. 145. — An uno actu pluribus praeceptis satisfieri possit etc. I. 105. — Interruptio actuum I. 161.
Actus fidei I. 186.; spei I. 211.; caritatis I. 217.
— conjugalis v. Debitum conjug.
Adjunctio (species accessionis) I. 591.
Adjuratio quid, quotuplex, quibus lic. I. 316.
Admonitio ante censuram ferendam requisita II. 941. 1007.
Adoptio quid II. 807. — Impedimentum dirim. matrim. *ib.*
Adoratio quid, quotuplex I. 257.
Adrogatio II. 807.
Adulatio I. 440.
Adulterans scripturas, chirographa etc. II. 28.
Adulterium quid etc. I. 422. — Restitutio propter adulterium I. 731. — Adult. matrimonium dirimens II. 820. 822. — Causa legitima divortii II. 761.
Adultus baptizandus sub conditione an obligetur ad confessionem II. 419.
Advena v. Peregrinus.
Adventitia bona I. 543.
Advertentia ad peccatum I. 144. 150. — Non advertens ad gravitatem peccati, sciens, se male agere I. 43.
Advocatorum obligationes II. 9. — quoad pretium II. 11. — Defensio causarum minus probabilium II. 10. — Opera pauperibus impendenda I. 229. II. 11.
Aedificatio (species accessionis) I. 592.
Aegrotus v. Infirmus.
Aequivocatio I. 441.
Aetas requisita ad legem I. 92. 93. — ad jejunium I. 486. 489. — ad ordines II. 711. — ad matrim. II. 835. — Aetatis defectus irregularitatem inducit II. 1026.
Aetheris usus an parienti licitus I. 403.
Affinitas II. 810. — Non parit affinitatem II. 812. — Quo jure dirimat affinitas II. 813. — Impedimentum dirimens matr. II. 811. — Aff. ex matrimonio invalido II. 815. — Impedit in conjugatis usum matrim. II. 811. 909.
Aggregatio confraternitatum II. 1081.
Aggressor vitae I. 395. — integritatis corporis I. 397. — honoris I. 398. — pudicitiae I. 398. 399. — bonorum temporalium I. 397.
Agnus Dei quid II. 190. — An liceat, eos tangere I. 286.; pingere etc. II. 979.
Alearum ludus I. 944. II. 101.
Alienigenae v. Peregrinus.
Alimenta debita parentibus I. 364. — filiis I. 372. — conjugi I. 378. — fratribus I. 826. — illegitimis I. 730. 825. 828.
Alluvio (species accessionis) I. 591.
Altare II. 391. — portatile II. 390.
— privilegiatum quid etc. II. 1089. — Conditiones ad indulgentiam acquirendam II. 1050. 1080. 1089. — Non celebrans in altari privilegiato, dum ad hoc obligatur II. 377. 1089. — Acquisitio aliarum indulgent. simul cum illa altaris priv. II. 1087. — Aliquae concessiones generaliores altaris priv. II. 1089.
Amens an sit subditus legi I. 91. 92. — Eum provocans ad intrinsece malum *ib.* — Quoad dominium I. 542. — Receptio sacramentorum per amentem II. 228. — Receptio baptismi II. 247. — confirmationis II. ante 270. — eucharistiae II. 321. — extr. unctionis II. 689. — Semifatui quando absolvendi a peccatis II. 439.
Amissae res I. 575.
Amor versus parentes I. 363. — versus filios I. 371. — Amoris initium quoad attritionem II. 453. — V. Caritas.
Amores, praesertim inter juniores I. 420.
Amphibologia I. 441.
Amplexus v. Oscula.
Anathema v. Excommunicatio.
Angelus Domini (oratio) II. 1076. 1084.
Angustia loci, causa dispensandi in matrim. II. 866.
Animae dispositiones ad euchar. II. 324. — Directio animarum spiritualium II. 641.
Animalia sylvestria, fugitiva etc. cujusnam sint I. 570. — Damnum per ea illatum I. 667. — Ea pascens in pascuis alienis I. 608.
Animatio v. Foetus.
Animus clericandi II. 714. — non adscendendi ad ordines superiores II. 715. — Animi defectus irregularitatem inducentes II. 1022.
Annulus nuptialis II. 770.
Antichresis I. 938.
Aperi Domine (oratio) II. 81.
Apes. Quid, si avolarint I. 574.
Apostasia I. 208. — Apostatae privandi sepultura eccles. II. 1011.
Apparitoris obligationes II. 15. — Quodnam pretium exigere possit II. 17.
Appellatio non semper admittitur II. 950. — a Papa ad futurum concilium II. 970. — An appell. impediat censuram incurrendam II. 950.
Applicatio missae II. 354. — Conditiones ad ejus valorem requisitae II. 355. — Obligatoria in genere II. 354. — ratione officii i. e. obligatio pastorum celebrandi pro grege II. 361.; quibusnam diebus facienda I. 476. II. 364.; encyclica Pii IX. II. 364.; varia de hac obligatione solvuntur dubia II. 362. — ratione stipendii

II. 369.; quid, si multa stipendia adsint, quin cognoscantur in specie intentiones II. 367. cf. Stipendium. — ratione beneficii II. 377. — ratione promissionis II. 372. — Observanda pro pp. Soc. Jesu II. 378. — Applicationis missae in ludo expositio I. 292.
Approbatio confessarii II. 537. — A quonam habenda II. 539. — An sufficiat praesumpta II. 541. — Limitatio et revocatio ejusdem II. 542. — Approb. sacerdotis extranei II. 544. — Approbatio regularium II. 557.
Aqua in baptismo II. 236. — in missa II. 277. 280.
Arbitrorum obligationes II. 7.
Arcae in ecclesiis expositae ad colligendas eleemosynas pro missis celebrandis II. 357. — Arcae parcimoniae I. 873.
Arctati ad ordines II. 707.
Arma clericis prohibita II. 103.
Arrhae in venditione I. 887. — in sponsalibus II. 728.
Ars notoria etc. I. 264.
Artes clericis prohibitae II. 98. 105. — excusantes a jejunio I. 507.
Articulorum fidei brevis expositio I. 198.
Articulus mortis II. 551. — Indulgentiae in articulo mortis II. 1060. 1076.; praesertim concessa per Ben. XIV. II. 1088. — V. Jurisdictio.
Artifex dives an excusetur a jejunio I. 510.
Artificum obligationes II. 37.
Aspectus obscoeni inter solutos I. 417. — in ecclesia I. 424. — inter conjuges II. 919.
Assecuratio I. 940.
Assistentia sacerdotis ad missam cum stola aut pluviali II. 408. — Assist. parochi ad matrim. II. 769. 845. 960. — Ad matrim. mixtum II. 828. — Assistere baptismo etc. haereticorum an licitum I. 192.
Astrologia I. 266.
Attentatio matrimonii II. 820.
Attentio in missa I. 344. — in sacramentorum confectione II. 202. — in sacr. receptione II. 228. — in horis II. 90.
Attritio quid II. 441. — An sufficiat in sacr. poenitentiae II. 454. — Ex gehennae metu concepta II. 451. — An sufficiat attr. ex metu poenarum purgatorii pro peccatis venialibus II. 452. — An extra confessionem venialia remittat II. 457. — Attr. in sacr. poenitentiae an sufficiat ad satisfaciendum praecepto caritatis I. 218. II. 445. — V. Contritio.
Auctorum dominium I. 566.
Auditio missae I. 341. — detractionis I. 453.
Augurium I. 266.
Auriga an possit recipere mercedem integram a pluribus I. 926. — V. Pretium.
Auspicium I. 266.
Avaritia I. 175.
Avertentes alios a statu religioso II. 150.
Azymi II. 279.

Balsamum in
Ejus venditio
Banna v. Proc
Baptismus qu
cessitas II. 2
228. 235. —
231. — B. v
leat peccatum
bapt. revivis
mortalia post
— Quaenam
b. II. 1019.
253.; mat. p
II. 241. 247.
collatus ab l
inter ministr
iteratio II. 2
obstetrice et
— Baptismi
ceptio irregu
— Subjectun
adultis requi
suscipiente r
sub conditio
debeant II. 4
baptizandi II
torum bapt.
reluctantibus
tio caesarea
debitus II. 2
qualitates, o
969. — Caes
ante 253.; o
Interrogation
255. — Qua
— Quid qu
alicujus cont
Barbitonsor
festo I. 359.
Bellum quid,
I. 407. —
I. 408. — I
gulares II.
Benedictio
233. — Be
778. — Nup
benedicenda
an supplend
II. 844. — I
— Ben. nu
pertienda II.
missam fieri
Beneficiati
ad horas II.
celebratione
377. — Non
conditiones
ctus in pios
— An sup
turum I. 5
ben. ob hor

a ben., superflua ex reditibus eccles. male expendente I. 560. — ab eo, qui talia bona accipit, quin sit pauper *ib.*
Beneficiorum natura, divisio, acquisitio, amissio II. 127. — Permutatio eorum sine auctoritate superioris I. 287. 294. — Renuntiatio per metum I. 781. — Digniores ad benef. eligendi II. 130. — Pluralitas benef. II. 132. — Simonia quoad ben. I. 287. — An sit sim., dare temporale ad conciliandum sibi superiorem ratione beneficii I. 289. 294.
Bestialitas I. 435.
Bibliorum sacrorum lectio in lingua vulgari II. 984.
Bigamia II. 1027.
Binatio II. 883.
Blasphemia quid, quotuplex, quale peccatum I. 299. — Formulae blasphematoriae I. 300.
Bona filiorum familias I. 543. — uxoris I. 548. — clericorum I. 558. — B. nuper amissa, derelicta, vacantia I. 575. — Bonorum ecclesiasticorum laesio I. 285. 286. 750. II. 980. — Bona eccles. per metum tradita I. 781. — Bonorum usurpatio tempore perturbationis I. 750.; restitutionis obligatio ex hac direptione I. 751. — Bona hostibus erepta cujusnam sint I. 409. — Bona temporalia an dimittenda ad scandalum vitandum I. 236.
Bona fides quoad praescriptionem I. 589. — V. Possessor.
Bonitas actuum humanorum I. 26. — An requirat semper motivum caritatis I. 31. 218. — Multiplex in eodem actu esse potest I. 29.
Bonum ex integra causa I. ante 26.
Brevia quid I. 128.
Breviario quonam utendum II. 56. — Eo carens I. 109. II. 93. 96. — V. Horae can.
Bullae quid I. 128. — Bulla Coenae II. 970.
Bullaria I. 128. — Bullarium Ben. XIV. rite promulgatum I. 129.

C.

Caecus. Recitatio horarum per ipsum II. 96. 97. — irregularis II. 1023.
Caeremoniae in administratione sacram. praeceptae II. 233. — V. Baptismus etc.
Calendarium dioeceseos II. 72.
Calix II. 391. 394. 404.
Calumnia I. 445. — V. Detractio, Fama.
Cambium I. 927. — An licitum I. 928. — Camb. Francofurtense I. 929. — Literae cambii I. 928.
Campsarius, Campsor I. 927.
Cancellaria rom. quid I. 127.
Candelae ad missam II. 400. — Quot requisitae II. 391. — C. stearinae II. 401.
Canonicorum praecipuae obligationes (residentia, officium chori, missa convent.) II. 115.
Capellania II. 377.
Capellanorum obligationes II. 377. — Dispositio de reditibus capellaniae I. 562. — Capellanorum militum jurisdictio II. 556.
Capitale v. Sors.
Capitis damnati an s. eucharistia reficiendi II. 323. — Privatio sepulturae II. 1012.
Capituli cathedralis obligationes II. 115. 121. — Jus conferendi canonicatus II. 128. — Munera et jura sede vacante II. 122. — Leges ferre nequit I. 86. — Consilium ejusdem an ab episcopo audiendum II. 121. — Quoad literas dimissorias II. 707. 1006. — Quoad censuras II. 943.
Carcerati quoad communionem paschalem I. 111. — An possint fugere II. 26.
Cardinales an censuris ligentur II. 948. — Quas indulgentias concedere possint II. 1043.
Caritas quid, ejus objectum I. 217. — Necessitas quoad Deum I. 217. — quoad seipsum I. 221. — quoad proximum I. 220.; ordo in dilectione proximi servandus quoad bona et personas I. 220. 221. — quoad inimicos I. 224. — quoad pauperes I. 221. 227. — quoad delinquentes corrigendos I. 230. — An teneamur semper agere ex motivo caritatis I. 31. 218. — An ad id obligemur, ut legi alicui satisfaciamus I. 103. — Car. peccata remittit II. 454. — Vitia opposita I. 234.
Carnium usus quibusdam diebus vetitus I. 485. 502. — Carnes prohibitae I. 502. — Mixtio carnis cum piscibus I. 501. 514. — Carnes diebus vetitis ministrare pueris I. 486. — famulis I. 507. 513. — Caupo carnes tali die praebens I. 255. — Carnibus vesci diebus vetitis in locis haereticorum I. 192.
Castitas II. 164. 167. — Laesio personae voto castitatis ligatae I. 284. 285. — Ligatus voto castitatis peccans contra cast. cum alia persona, quae eodem voto ligatur II. 492. — Votum cast. in religione II. 164. — conjuges ligans I. 333. II. 780. 909. — Quid, si concurrat votum cast. cum obligatione ducendi mulierem defloratam II. 783. — Votum cast. vel suscipiendi ss. ordines an solvat sponsalia II. 731. — Votum cast., impedimentum impediens matrim. II. 780. — imped. dirim. matr. II. 797. — An votum castitatis ab uxore extra religionem factum, ut vir sacros ordines recipiat, matrim. dirimat II. 44.
Castrensia bona I. 543.

Casus reservati v. Reservatio.
Caupo praebens vinum se inebriaturis I. 255. — carnes die vetito *ib.* — choreas admittens I. 256. — quaevis folia publica hospitibus proponens *ib.*
Causa quid I. 7. — Causa graviter mala quando effectum venialiter malum constituat I. 10. not. 1. — Causae excusantes a lege I. 108. — Appositio voluntaria causarum deobligantium a lege I. 110. — Causae requisitae ad dispensandum a lege I. 117. — ad votorum irritationem I. 331.; dispensationem I. 332; commutationem I. 335. II. 1062. — Causa contractus I. 759. — Causae excusantes ab auditione missae I. 351. — a recitatione horarum II. 93. — a jejunio I. 507. — ab operibus prohibitis die festo I. 360. — a furto I. 616. — a restitutione I. 715. — Causae ad absolvendum sub conditione II. 435. 439. — Causae ad solvenda sponsalia II. 731. — ad dispensandum in bannis II. 739. — in impedimentis dirim. matr. II. 864. — An, causa cessante, cesset dispensatio ad matrimonium contrahendum data II. 868.
Censura quid II. 932. — quotuplex II. 933. — Conditiones requisitae, ut incurratur II. 934. — An excuset ab ea incurrenda ignorantia II. 571. 938. vel metus II. 940. — Admonitio praecedens II. 941. 1007. — Appellatio contra censuram II. 950. — Dubium, an quis censuram incurrerit II. 937. 949. — Potestas eam ferendi II. 942. — Quid, si episcopus versetur extra dioecesim etc. II. 945. — Subjectum II. 947. — Absolutio a censuris v. Absolutio. — Censurae violatio quando irregularitatem inducat II. 1034. — Vide Reservatio.
Census I. 931. — An licitus I. 932.
Certitudo quotuplex I. 39. — Sufficiens ad recte agendum *ib.*; ad jurandum I. 310.; ad dandam absolutionem II. 624. — Certitudo fidei I. 186. 193.; spei I. 211.
Cessatio legis I. 121. — dispensationis I. 120. II. 868. — praescriptionis I. 585. — promissionis I. 799. etc.
— a divinis II. 1009.
Cessio bonorum an debitorem perpetuo a restitutione eximat I. 719. 788. — An bona cessurus aliquid occulte reservare possit I. 788. — Cessione bonorum a tuo creditore facta, cuinam restituere debeas I. 700. — Cessio, qua ludentes beneficio legis renuntiant I. 948.
Character sacramentorum quid II. 193. — Sacram. characterem imprimentia II. 191.
Chirographorum emptio et venditio I. 887. 894. 895. — Ea adulterans etc. II. 28.
Chiromanti
Chirurgoru
Medicus.
Chocolata i
Choreae an
eas frequen
244. 245. -
hendendae
tens I. 256.
Chorus. Obli
II. 118.; r
nialium in
horarum ca
supplenda I
Chrisma qui
chrismate I
tere II. 254
firm. II. 2
I. 288.
Ciborium v.
Circumstant
ib. — Dant
ib. II. 482.
totum actum
— peccator
483. — Qu
gravantibus
485. — dig
numero pers
sacro II. 48
— effectu
492. — me
164. — sc
237. — acc
antiqui II.
— restituti
Civium obli
tatem I. 38
Clandestin
monium.
Clausulae d
appositae II
Clausura II.
bus Galliae
lantes claus
Clericorum
ponere poss
— Cl. privi
tiones (vitae
canon., scie
— Cler. pr
II. 98. —
— habitatio
quidam lud
rum II. 10
infestus II.
amplectens
717. — in
714. — ver
— medicina
— adsistens
— Quomodo
quoad publi

— An teneantur legibus civilibus
— Poena in clericos sodomiticos
— Vide Percussio.
ris parvi usus in missa II. 404.
us I. 829.
r. Caecus.
tus clericos in sacris obligans
— An aliquando obligatio ad
n subsistat II. 42.
rii benedictio et exsecratio II.

die jejunii v. Collatiuncula.
ones pravae quale peccatum I. 173.
Obligationes erga eosdem I. 377.
detrahens I. 449.
naturalis v. Consanguinitas. —
lis II. 805. — legalis v. Adoptio,
o. — Cf. Incestus.
I. 3.
tio conjugum I. 378. II. 760.
6.
beneficii II. 128. — C. ab haere-
cienda I. 806.
ncula serotina in die jejunii I.
Cibi in ipsa permissi I. 498.
io ad crates cum monialibus II.

ramentorum II. 393.
e fugientes cujusnam sint I. 574.
alienas occidens I. 573.
ictitiae usus per celebrantem

rnitas II. 805.
tio (species accessionis) I. 591.
atum I. 841.
icatio fidelium cum excommu-
t haereticis, praesertim in sacris
II. 956. 960. *seq.* 969. — cum
I. 238.
ionis subjectum II. ante 316.
ntes etc. II. 321. — Surdomuti
322. — Capitis damnati II. 323.
io ad suscipiendam commun. II.
Comm. sub utraque specie II.
Quid, si moribundus brevi ante
icavit II. 319. — quoad pueros
320. — quoad amentes etc. II.
Communio paschalis, quosnam
quo tempore, loco I. 480. —
contra transgressores hujus prae-
980. 1012. — Comm. facienda
andis II. 710.
io ad comm. requisita ex parte
II. 324. — Intentio requisita II.
ui urgente necessitate absque con-
communicavit, teneturne quam-
confiteri II. 327. — Communio
cato dubio mortali II. 481. —
quis in confessione inculpabiliter
st peccati mortalis II. 326. 495.
sitio ex parte corporis II. 329.
Quid in dubio de jejunio II.
Corporis decentia II. 336. 914.
— Sacerdotes more laicorum communicantes, milites II. 337.
Administratio c. cui competat II. 288. — Obligatio eam dispensandi pro parocho et aliis sacerdotibus II. 291. — Quaenam requirantur ad licitam communionis administrationem II. 294. — Eam ministrans in mortali II. 209. 212. — Ritus Ecclesiae praescripti II. 294. 299. 300. 301. 404. — Vestis sacra etc. II. 295. — Quid, si sacerdos laboret infirmitate in pollice vel indice II. 296. 1024. — si ministrans desit II. 302. — An liceat, plures vel majores particulas dare ob devotionem II. 302. — particulas frangere, si deficiant, vel dare partem majoris hostiae II. 303. — Quid, si supersint hostiae et desit tabernaculum II. 303. — si hostia decidat in terram etc. II. 296. — Hora conveniens II. 297. — Locus debitus II. 297. — Comm. extra missam II. 298. vel in missa cum paramentis nigris II. 299. — Quid, si peccator eam petat I. 10. II. 218. vel non absolutus II. 667. — Gratiarum actio post comm. II. 385. — An sit illicitum, edere vel exspuere statim post communionem II. 333.
Communio infirmorum. Modus administrandi II. 304. — An secreto deferri possit II. 305. — an sine veste sacra etc. II. 306. — An in necessitate dari possit mediante instrumento II. 306. — An pluries infirmis non jejunis II. 308. 309. 334. — Quid, si delato sacramento infirmus indispositus inveniatur II. 309. — si jamjam communicaturus iterum confessionem petat et infamia ex hoc timenda II. 498. — Quid, si tussi laboret II. 320. — si sacras species rejiciat II. 313.
— requisita ad indulgentias lucrandas II. 1044. 1053. 1087. — pro jubilaeo II. 1064. 1066. 1068. 1087.
— frequens II. 338.
— spiritualis II. 345.
Communistarum systema circa bonorum divisionem I. 527.
Communitas integra an sit subjectum censurae II. 950.
Commutatio voti quid, quotuplex, quibus competat I. 334. — An commutato voto ad primum redire liceat I. 335. — Quid, si secundum fiat impossibile I. 336. — Com. juramenti I. 314. — testamenti I. 832. II. 376. — poenitentiae II. 531. — Com. operum scapularis II. 1082. — Com. operum in jubilaeo II. 1062. 1064.
Comoedis an deneganda sepultura eccles. II. 1014.
Comoedias repraesentare, iis interesse I. 246.
Compaternitas II. 805.
Compensatio occulta quando licita I. 620. — liberans a restitutione I. 716. — Compensatio in restitutione famae I. 461.

Complex in damno I. 673. — Nominis complicis in confessione manifestatio II. 499. — Licetne interrogare in confessione de nomine complicis II. 501. 974. — Complex poenitentis an corrigendus a confessario II. 663. — Absolutio proprii complicis in peccato turpi II. 584. 977.
Compositio in condonatione missarum II. 377. — quoad munera illicite a religiosis recepta II. 953.
Concilia leges condere possunt I. 85. — Conciliorum provinc. confirmatio per S. Sedem *ib.*
Concilii Trid. decreta ubinam obligent I. 97. II. 838. — Consuetudines contra decreta reformatoria conc. Trid. I. 139.
Concio a parocho facienda II. 112. — Obligatio concionem audiendi I. 339. — C. per diaconum II. 697. — Ordinatus censura irretitus concionem habens II. 1034. — Choreae an in concione reprehendendae I. 245.
Concionator exsistens in peccato mortali publico II. 210. — utens notitia ex confessione II. 668. — imparatus accedens, speciale Dei auxilium exspectans I. 282. — Caute loquatur de superstitionibus I. 272. — An debeat jejunare I. 512.
Concubinatus I. 421.
Concupiscentia quid, quotuplex I. 15. — Influxus in voluntarium I. 15. 16. — — Motus concupisc. compescendi I. 16. — Remedia *ib.*
Concursus. Quid, si indignus vel minus dignus, omisso digniore, praecedente concursu eligatur I. 670.
Magnus populi concursus an ab integritate confessionis excuset II. 471. 498. — V. Cooperatio.
Conditio possidentis melior I. 79. — Cond. ad legem I. 82. — ad orationem I. 259. — ad juramentum I. 307. — ad votum I. ante 320. — ad testamentum I. 815. — ad praescriptionem I. 581. — ad contractus I. 756. — ad contritionem II. 449. — ad propositum II. 459. — ad confessionem II. 467. — apposita in contractu I. 795. — in sacramentis II. 205. 206. — in absolutione II. 431. — in matrimonio II. 750. — Cond. ut impedimentum dirimens II. 795. — Conditio turpis contractui apposita I. 796.; matrimonio addita II. 752.
Condonatio debiti I. 716. 787. — rationabiliter praesumpta I. 722.
— missarum II. 377.
Confessarii approbatio II. 537. — jurisdictio II. 545. — Munera qua patris II. 599. — qua medici II. 603. — Curet removere frequentiam peccatorum venialium I. 156. — An dolorem in poenitente excitare teneatur II. 625. — An actus internos injungere possit I. 90. — Munera qua doctoris II. 606. — Scienti[illegible] sita II. 606. — Callere debet the[illegible] ascet. et myst. II. not. ante 641. — C[illegible] docendi poenitentes II. 610. — Qu[illegible] deficientes in examine conscientiae — Munera qua judicis II. 614. — [illegible] tudine *ib.* — De obligatione inte[illegible] II. 614. (v. Interrogationes.) — certum peccatum taceatur II. 61[illegible] absolutione concedenda, differendi[illegible] ganda v. Absolutio. — An possi[illegible] super indispositum recitare loco al[illegible] nis II. 222. — Tenetur corrigere de[illegible] administratione sacr. poenit. comm[illegible] 643. — Defectus quoad poenite[illegible] stitutioni forte obnoxium I. 691.
Confessarius confessiones excip[illegible] mortali II. 211. — peccans cum [illegible] tente II. 487. — petens nomen [illegible] cis II. 501. 974. — V. Sigillum.
An stolam deferre debeat II. 22[illegible]
An loqui possit cum poenitente [illegible] confessione II. 646. 652. — Quid [illegible] terrogetur de confessione audita [illegible] II. 650. — Quid observandum quo[illegible] dulas confessionis II. 660.
De modo agendi confessarii cu[illegible] etc. II. 503. — cum poenitentil[illegible] II. 641. — cum moribundis II. [illegible] cum scrupulosis I. 48. — cum [illegible] II. 620. — cum accusatis II. 25. [illegible] iis, qui non sequuntur opinionem [illegible] sarii I. 78. II. 627. — cum iis, q[illegible] catum reticent II. 619. — cum c[illegible] poenitentis II. 663. — cum occas[illegible] II. 628. — cum consuetudinariis [illegible] cidivis II. 632. — cum iis, qui [illegible] exigunt I. 874. — cum obligatis [illegible] stitutionem I. 632. II. 627. — c[illegible] dibus restitutioni in solidum obn[illegible] 698. — cum judice, qui muner[illegible] pit II. 3. — cum sponsis, qui t[illegible] impedimento ignorato II. 613. 77[illegible] qui addicti sunt habitui pravo I [illegible] — cum sponso, qui matrimonium [illegible] differt II. ante 731. — cum fili[illegible] invitis parentibus matrimonium ce[illegible] volunt II. 756. — cum conjugibu[illegible] ignorant nullitatem matrimonii I [illegible] 890. — cum iis, quibus innotes[illegible] pedimentum dirimens II. 890. - [illegible] iis, qui sine dispensatione celebr[illegible] matr. mixtum II. 831. — cum conj[illegible] qui de matrimonii usu tacent II. [illegible] Monita pro confessario quoad co[illegible] nes generales II. 518. — quoad [illegible] poenitenti forte injunctas II. 525. — peccata filiorum I. 368.
Confessarii monialium II. 565.
Confessio II. 464. Ejus necessitas [illegible] Quando praecepta jure divino II. [illegible] An statim post peccatum *ib.* — A[illegible] mittenda administrationi et susc[illegible]

sacram. II. 210. 231. — Confessio annua I. 477. II. 465. — An fieri debeat apud sacerdotem, qui ad hoc veniam apud parochum impetravit II. 553. — Ejus materia v. Poenitentia. — Peccata oblita II. 494. — Peccata dubia II. 477. — Confessionis dotes II. 467. v. etiam Integritas etc. — An eam contritio praecedere debeat II. 447. — An ad confessionem peccati obliti statim post confessionem novus actus doloris requiratur II. 448. — Confessio venialis peccati sine dolore II. 446. — Conf. absque specificatione peccatorum II. 421. 424. — C. scripto facta II. 467. — per interpretem II. 504. 651.— Conf. peccatorum antea jam confessario relatorum II. 514. — V. Circumstantiae. — Conf. iteratio quando necessaria et quomodo facienda II. 511. — Quid, si conf. cum contritione dubia facta II. 513. — si confessarius ante absolutionem obliviscitur peccatorum vel ea non audivit II. 514. 515. — Conf. locus, tempus II. 439. — V. Absolutio etc. — Conf. mutorum etc. II. 503. 662. — eorum, qui ignorant idioma confessarii II. 504. — adultorum, qui sub conditione baptizantur II. 419. — puerorum ante primam communionem I. 478. — moribundorum II. 504. 505. — Conf. requisita pro indulgentiis II. 1044. 1051. 1077. — pro jubilaeo II. 1064. 1068. 1069. — in dispensatione matrim. per Poenitentiariam II. 882.

Confessio generalis II. 517. — Modus eam peragendi II. 519. — per interrogationes instituendi II. post 520.

Confessionale monialium removendum a locis occultis II. 569.

Confirmatio quid etc. II. 260. — Materia II. 261. — Forma II. 265. — Minister II. 267. — Quando episcopus confirmare teneatur II. 269. — Subjectum II. ante 270. — Obligatio II. 270. — C. requisita in ordinando II. 714. 1022. — Dubium, an quis sit confirmatus II. 270. — Dispositio ad conf. II. 271. — Intentio in confirmando adulto necessaria II. 230. — Patrini II. 271. 805.

Confraternitatum erectio et aggregatio II. 1081. — Omittentes opera in statutis e. designata II. 1060. — C. S. Mariae de Carmelo II. 1082.

Congregationes romanae earumque officia I. 126. — Earum auctoritas I. 130. — religiosae sive saeculares II. 138. — V. Confraternitas, Conservatorium.

Conjugatus quoad receptionem ss. ordinum II. 710. 762. — quoad ingressum in religionem II. 759. 761. 762. — Est irregularis II. 1026.

Conjugum obligationes I. 378. — Quid sibi invicem donare possint I. 813. — De turpibus sermones miscentes I. 420. II. 919. — An monendi de nullitate occulta matrimonii II. 612. 890. — Conjux sacros ordines suscipere aut in religionem ingredi volens II. 710. 761. 762. — V. Maritus, Uxor, Debitum conjug.

Consanguinei collaterales II. 804. — An incestus cum consanguineis juxta diversitatem gradus specie differat I. 423. II. 486.

Consanguinitas II. 799. — Impedimentum dirim. matr. II. 800. — Regulae ad gradus consanguinitatis computandos II. 801.

Conscientia quid, quotuplex I. 36. — recta, erronea I. 37. — certa, dubia I. 39. — — probabilis, improbabilis I. 51. — perplexa I. 44. — scrupulosa, laxa I. 45.

Conscriptioni ad militiam se subtrahentes I. 749.

Consecratio valida et licita II. 281. — Materia valida et licita II. 276. — Forma II. 285. — Quomodo proferenda II. 286. — Dubium de debita prolatione formae II. 201. — Cons. dubia quomodo iteranda II. 287. — Cons. unius speciei II. 282. — Quid, si hostiae sub aliis lateant; si calix coopertus; si plures hostiae adsint inscio sacerdote II. 282. — si ciborium cum hostiis extra corporale vel coopertum maneat II. 283. — si hostiae non consecratae misceantur consecratis II. 282. — Quando hostiae pro communione populi consecrandae afferri possint II. 282.

Consensus legislatoris, legem infirmans I. 98. 137. — C. ad peccatum I. 144. 150. — Dubium, an consensus praestitus sit I. 156. — Deliberatio de praestando consensu I. 155. — C. ad contractum I. 772. — ad matrim. II. 747. — ad revalidationem matrim. II. 882. 890. *seq.* — ad divortium II. 761. — C. parentum ad matrim. filiorum I. 370. II. 754.

Consentiens in damnum I. 681. — Vide Suffragium.

Conservatoria II. 138. — An mulieribus ibi degentibus confessarius extraordinarius dari debeat II. 568. — Eorum capellae an publicae II. 387.

Consiliarius etc. aliquibus decretum ante promulgationem prodens cum damno aliorum civium I. 895.

Consilium I. 26.

— doctrinale nocivum alteri praebens I. 679. 680.

Consobrinus II. 804.

Constitutiones Pontificiae I. 128. — Corpori juris non insertae an vi legis gaudeant I. 129.

Consuetudinarii II. 632. post 640. — Quodnam peccatum admittant I. 145. — An absolvendi, si pluries in anno confiteri recusant II. 640. — Clerici ha-

bituati in vitio turpi, adscensuri ad ordines sacros, an absolvendi II, 718.
Consuetudo ad legem inducendam vel abrogandam quid; conditiones requisitae I. 137. — Quomodo tollatur I. 139. — C. contra leges Trid. I. 139. — C. contra leges clausurae II. 992.
— peccati quando adsit II. 638. — An confitenda II. 485. — C. blasphemandi I. 300.
Consulens damnum I. 676. 698.
Contemptus legis quando mortalis I. 101. 153.
Continentia v. Castitas, Coelibatus.
Contractus quid, quotuplex I. 754. — Quasi-contractus *ib.* — C. subsidiarii I. ante 936. — C. gratuiti I. 797. — C. onerosi I. 881. — Distinguenda in contr. I. 755. — Materia c. I. 756. — Contractus circa rem alienam I. 638. 756. — C. circa rem turpem I. 760. — Causa c. I. 759. — Subjectum I. 761. — Consensus ad c. requisitus I. 772. — Vitia huic consensui opposita (error, metus) I. 775. 793. — C. per procuratorem I. 774. — Obligatio c. I. 714. 785. — An res detentae ex contractu in periculo rei propriae praeferendae I. 661. — C. initi absque formalitatibus essentialibus I. 786. 789. — Quomodo obligatio c. cesset I. 787. — Modificationes c. per juramentum, modum, conditiones I. 790. — Restitutio rei ex turpi contractu acceptae I. 760. — Restitutio ob fictum consensum in contractu I. 774.
Contractus trinus I. 919. 866. not.
Contritio quid II. 440.; quotuplex II. 441. — Ejus necessitas II. 442. 448. — Quandonam praecepta II. 443. 445.; an statim post peccatum patratum II. 444. — An confessionem praecedere debeat II. 447. — Confessio cum contritione dubia facta an repetenda II. 513. — Ejus dotes II. 449. — An comparatio formalis inter varia mala et peccatum necessaria II. 450. — An temporis diuturnitas *ib.* — Signa ordinaria doloris II. 625. — extraordinaria II. 639. — Contr. de venialibus II. 451. — Necessitas amoris initialis II. 453. — Contr. efficacia II. 454.; quoad remissionem poenae II. 456. — V. Attritio.
Contumacia quoad censuram II. 932.
Contumelia I. 462. — Restitutio ob contumeliam I. 463.
Convicium I. 462.
Cooperantes positivi et negativi I. ante 673. 690. — Quo ordine restituere debeant I. 702.
Cooperatio ad malum quid, quotuplex I. 248. — Quando licita *ib.* -- Coop. per petitionem sacramenti ab indigno v. Minister. — Coop. per matrimonium cum sponso publico peccatore II. 769. 775. — Coop. ad damnum I. 673. 687. Coop. ad damnum per exemplum I. 6 667. — Coop. negativa I. 690. — Co ad furtum I. 249. — ad diffamatior I. 459. — ad usuram I. 855. — Co famulorum I. 250. — mercatorum 254. — operariorum I. 252. — cau num I. 255. — judicis II. 3. 4.
Cooperator v. Vicarius.
Copia confessarii quando desit II. 325
Copulam extorquens sub promissione n trimonii I. 729. II. 729. 783. — C. quisita ad affinitatem II. 811. — ad gamiam II. 1027. — Causa ad disp sandum quoad matrim, II. 866. — Ex nenda pro dispensatione ad matrim. 867. 876. 878. — V. Debitum conjuga
Corona v. Tonsura.
— S. Birgittae II. 1091. — V. Rosario
Corporale II. 301. 391. 396.
Corporis dispositiones ad eucbar. II. 3 333. — Irregularitas ex defectu corpo II. 1023.
Corpus juris canonici quibusnam p tibus constet I. 125.
— juris civilis I. 131.
Correctio defectuum in administratio sacr. poenit. commissorum II. 643.
— fraterna praecepta I. 230. — Facien a praelatis regularibus II. 146. — a par chis II. 113. — ab aequalibus vel inferio bus I. 233. — respectu uxorum I. 379. 38 — filiorum I. 375. — discipulorum I. 3 — denuntiandorum II. 24. — An corrige dus peccans ex ignorantia I. 231. — poe tens ignorantia laborans II. 611. 612.
Crapula v. Ebrietas.
Credenda et scienda necessitate medii 194. — necessitate praecepti I. 197.
Creditorum genera I. 704. — Quo o dine ipsis restituendum I. 705. — Cr ditor, qui solutionem accipit, ad qua jus non habet I. 707. — Cred. usura exigendas pro solutione accipiens I. 85 — An homicida creditoribus occisi re stituere debeat I. 726.
Crediti emptio etc. I. 894. 895.
Crimen alterius revelare quando liceti. 46 — Crimen criminosum II. 969. 978. — Qu impedimentum dirim. II. 820. — Cri mina irregularitatem inducentia II. 102 1031. — An crimen occultum irregula ritatem inducat II. 1019.
Crines. Quid, si solummodo crines abluti in bapt. II. 239.
Crux altaris II. 391. 399.
Culpa theologica, juridica (lata, levis, le vissima) I. 657. — Culpa requisita ad casum reservatum II. 570. — ad censu ram II. 934. — ad obligationem restitu tionis I. 659.
Cultus Deo debitus I. 257. — Cultus sanctorum I. 257. 262.

Cultus disparitas, impedim. matr. II. 777. 824.
Currus ducere die festo an lic. I. 358.
Custodes, qui damnificantes etc. non denuntiant I. 693. II. 35. — Tributa contra officium suum non exigentes I. 745. — Custodes aegrorum, domus etc. an excusentur a missa audienda I. 351.

D.

Damnificator injustus I. 657. — Quid restituere debeat I. 658.
Damnum emergens, ab usura excusans I. 856. — a restitutione excusans I. 715. — V. Impossibilitas.
Damnum illatum quando onus restitutionis inducat I. 659. 672. — Restit. ob damnum per accidens per opus illicitum causatum I. 663. 669. 672. — ex errore illatum I. 664. — dubie illatum I. 668. — Causam damni culpabiliter ponens et damnum postea non impediens I. 662. — Damna reipublicae illata quomodo resarcienda I. 712. — Restitutio ob damnum in bonis animi I. 723. — corporis I. 725. — ob damna a judice non impedita II. 4. — ob damnum ratione militiae illatum I. 746. — ob damna a famulis per incuriam illata I. 383. vel non impedita I. 691. — V. Cooperatio.
Dataria quid I. 127. — Facultates ejus quoad impedimenta matrim. II. 784. 876.
Debitor dubitans de peracta solutione I. 655. 721. — immemor debiti, creditori aliquid donans I. 718. — solvens creditori creditoris sui I. 720. — sciens suum statum labilem et non petenti prae aliis integre satisfaciens I. 707. — Quid, si debitum in transmissione ad creditorem perierit I. 711. — An religionem ingredi possit I. 718. — An absolvendus ante restitutionem I. 632. II. 627.
Debitum conjugale quid II. 906. — Liceitas II. 907. — Quid, si matrimonium sit nullum II. 612. 890. — Prohibitio ejusdem per votum II. 780. 909. — per supervenientem cognationem spiritualem II. 806. 909. — vel affinitatem II. 811. 815. 909. — Quid, si interveniat impedimentum dubium II. 790. — Modus debitus II. 911. — Tempus II. 913. — Locus II. 388. 917. — Peccata per excessum II. 918. — Oscula etc. I. 420. II. 919. — Regulae pro confessario ad dijudicandas res ad debitum conjug. pertinentes II. 919. — Reddere debitum illicite petenti II. 922. — Onanismus in usu matrim. II. 921. — An a comparte permitti possit II. 922.
Obligatio ad illud I. 378. II. 915. — Quomodo jus amittatur *ib.*
Decalogi praecepta scienda I. ante 197. 201.
Deceptio v. Dolus, Error.
Decisiones congregationum rom. an vim legis habeant I. 130.
Dedicatio ecclesiae. Jejunium et festum occasione dedicationis I. 515.
Defectus scientiae debitae in confessario II. 608. — Defectus dotis, causa ad dispens. in matr. II. 866. — Defectus in administratione sacramenti poenit. commissi II. 643. — V. Irregularitas.
An aperiendi defectus in commodato I. 843. — in venditione I. 882. — a sponsis II. 732.
Defensio v. Aggressor.
Deflorator ad quid obligetur I. 728. II. 729. 783.
Defunctus. Applicatio indulgentiarum pro defunctis II. 1048. 1073.
Degradatio II. 1001.
Delectatio morosa I. 169. 170. 412. etc. — Delectatio de omissione inculpabili alicujus praecepti I. 172. — de modo peccandi *ib.* — ob bonum effectum ex peccato I. 173. — de pollutione I. 430. 431. — de actu conjugali II. 920. — Agere propter solam delectationem I. 28. 180. not. 1. II. 908.
Delegatio, Delegatus v. Jurisdictio.
Deliberatio ad actum humanum I. 1. — ad peccatum I. 144. 150. — ad votum I. 320.
Delictum v. Crimen.
Denuntiationis obligatio II. 24. — Den. sacerdotum corruptorum I. 233. II. 592. — haereticorum I. 210. — Denuntiandi confessarii sollicitantes II. 589. — Falsa denuntiatio sacerdotis de sollicitatione II. 588. 596. 593. — V. Correctio fraterna, Custos.
Denuntiator quis II. 24. — Pro omissione denuntiationis aliquid accipiens I. 784.
Depositio canonica II. 1001.
Depositum I. 844.
Derogatio I. 121.
Desertores milites I. 747.
Desiderium mali I. 167. — sub conditione: si licitum I. 171. — Des. perpetuo in hoc mundo vivendi I. 214.
Desperatio I. 211. — Quale peccatum I. 213. — Remedia I. 215. — Regulae practicae I. 216.
Desuetudo quoad legem I. 121.
Detractio quid, quotuplex I. 445. — illicita I. 446. — Detr. facta ab accusato innocente II. 25. — Quale pecc., communitati regulari detrahere I. 455. — mortuis detrahere *ib.* — Detr. per manifestationem complicis in confessione II. 499.; vel ejus, qui fuit occasio peccati II. 502. — An specie differant detractiones in materiis specie diversis I. 449. — Detrahens unico actu pluribus vel uni coram pluribus qualiter peccet I. 165. — Audiens detractiones I. 453. — Restitutio ob detr. v. Fama.

Diaconatus II. 697. — An sit sacramentum II. 698.
Diaconus quando baptisma administrare possit II. 243. — quando eucharistiam II. 289. 290.
Differentia peccatorum in gravitate I. 146. — in specie I. 157. II. 482. — in numero I. 160.
Difficultas v. Impossibilitas.
Dilatio restitutionis I. 632. 713. II. 627. — impletionis voti I. 327. — impletionis poenitentiae II. 530. — absolutionis II. 621. 623.
Dilectio v. Caritas.
Dimissoriae literae a quonam concedi possint in genere II. 707. — religiosis II. 708. — Poenae ob ordinationem absque dimiss. II. 1000. 1033.
Discipulorum obligationes I. 385.
Disparitas cultus qua impedim. matrim. II. 777. 824. — V. Matr. mixta.
Dispensatio a lege quid, quotuplex I. 114. — Quinam dispensare possint *ib.* — An superior cum semetipso I. 116. — Disp. negata a secundario superiore, concessa a primario et vice versa I. 119. — Causae ad disp. requisitae I. 117. — An uti liceat dispensatione tacita vel praesumpta I. 118. — Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione I. 118. 512. — Cessatio disp. I. 120. II. 880.
Disp. in voto I. 332. — in votis solemnibus II. 40. 147. — in voto perpetuae castitatis ante matrimonium emisso I. 333. II. 784. — quoad labores prohibitos die festo I. 362. — quoad jejunium I. 507. — quoad horas can. II. 94.
Disp. quoad impedimenta matrimonii impedientia II. 784. 826. — quoad imped. dirim. II. 861. — quoad impedimenta matrimonio supervenientia II. 125. 811. — Quid, si imped. sit dubium II. 863. — Causae dispensationis II. 864. 866. 889. — Exprimenda in petitione II. 867. 869. — Disp. subreptitia et obreptitia II. 864. — Perinde valere quoad disp. II. 872. — Modus petendi disp. II. 876. 885. — Formulae ad petendas disp. II. 885. — Quid, si duo impedimenta concurrant, publicum et occultum II. 877. — Disp. in forma pauperum II. 866. 879. — Disp. exsecutio II. 880. 884. 889. — Clausulae a S. Poenitentiaria dispensationibus appositae II. 882. — An, causa cessante, cesset disp. II. 868. — Disp. per episcopum vi indulti II. 881. — Disp. in radice II. 901.; conditiones ad eam requisitae II. 903.; cui competat II. 905.; ejus exsecutio *ib.*
Dispositio ad sacramenta recipienda II. 231. V. Baptismus etc.
Disputatio cum haereticis I. 192.
Dissolutio sponsalium II. 731. — matrimonii II. 759.
Distantia a missa excusans I. 352.
Distillatio I. 428. 432.
Distinctio v. Differentia.
Distractio in oratione I. 261. — in hor II. 92. — in missa I. 347. II. 202. 41 — in confectione sacramentorum II. 20
Distributiones in choro cuinam bonoru generi accensendae I. 565.
Divinatio I. 266.
Divisio primaeva bonorum I. 526.
Divortium quid II. 760. — Causae I 761. — Auctoritas requisita II. 76 890. — An, facto divortio, innocens a teram partem ad reditum cogere poss II. 762.
Doctor. Munera confessarii qua doctor II. 606.
Dolor v. Attritio, Contritio.
Dolus in contractu I. 779. — in petitior dispensationis I. 117. not. 1.
Domicilium quoad leges I. 94. — quoa ordines II. 706. — quoad matrimoniu II. 845.
Dominica v. Festa.
Dominium quid, quotuplex I. 536. - Objectum I. 537. — Subjectum I. 542.- Acquisitio I. 569. — Dominium parv lorum I. 542. — filiorum I. 543. - uxorum I. 548. — clericorum I. 558. - religiosorum II. 153. — auctorum 566. — Dom. in famam propriam I. 45 539.
Dominorum obligationes erga famulo I. 382. 924. — Num dispensatus famu lis carnes die jejunii praebere possit I. 51
Domum locare usurariis vel meretricibu I. 250.
Dona an a judice accipi possint II. 3. - a sponso accepta an dissolutis sponsal bus restituenda II. 728.
Donatio quid I. 801. — Conditiones 802. — Subjectum I. 803. — Quantit bonorum, quae licite donari potest 805. 826. 827. 828. — Donatio inter vi vos I. 810. — Facta in gratiam absenti I. 811. — Quid, si donator vel d rius moriatur ante acceptationem I. 81 — Quando revocari possit I. 813. - Donatio facta a moriente I. 819. — Don mortis causa I. 835.; an objectum si donatum occulte recipi possit post mor tem donatoris I. 836.
Donationes conjugum I. 813. — religio rum II. 153. 953. — ad pias causas 818. 823.
Dos I. 548. — Defectus dotis, causa di pensationis II. 866. 867.
Dotes contritionis II. 419. — confessio II. 467. — confessarii II. 599. — V. Dispositio.
Dubitatio de culpa proximi I. 465. - An eam semper in meliorem partem in terpretari teneamur I. 466.

Dubium quid, quotuplex I. 40. — Quid in dubio de actionis liceitate I. 41. 42. — In dubio standum pro valore actus I. 75. — Quid in dubio de adimpletione obligationis I. 80. v. Lex. — de utilitate correctionis fraternae I. 230. — an effectus proveniat a causa naturali I. 264. 267. — de voto I. 322. — de obligatione ad missam audiendam ex parte infirmi I. 353. — de justitia belli I. 408. — de possessione rei alienae I. 652. — de damno illato I. 668. — de influxu suffragii injusti I. 682. — de solutione debiti I. 655. 721. — de prole, utrum ex adulterio nata sit, vel ex quali patre I. 733. — de obligatione recitandi horas II. 95. — de omissione partis in recitatione horarum II. 53. — de vocatione ad statum religiosum II. 152. — de valore materiae et formae in sacram. I. 57. II. 197. 200. — de collata confirmatione II. 270. — de prolatione debita formae in missa II. 201. — de accusatione, gravitate etc. peccati quoad confessionem II. 477. — de jurisdictione II. 549. — de reservatione peccati II. 572. — de validitate sponsalium II. 723. — de impedimento matrim. II. 789. — de impotentia II. 856. — de valore baptismi ob matrim. celebrandum II. 831. — de censura II. 937. 949. — de irregularitate II. 1018. — de homicidio vel mutilatione II. 1039. 1040.

Dubium de aliquo fidei articulo I. 210.

Duellum I. 404. — Ejus poenae II. 973. 1012. — Restitutio ob duellum I. 727.

Dulia I. 257.

Dux belli. Ejus jura et officia I. 10. 408. 409. — Restitutio ob damnum injuste illatum I. 746.

E.

Ebrietas I. 181. — An liceat ob bonum effectum, quem gignit I. 182. — Peccata in ebrietate quando imputabilia I. 10. 183. — Votum in ebrietate emissum I. 320.

Ebrii aggressoris occisio I. 396.

Ecclesia gaudet potestate leges condendi I. 83. — festa instituendi I. 474. — Ejus praecepta I. 473.; scienda necessitate praecepti I. 197. 202.

Ecclesiae pollutio et reconciliatio II. 388. — Ejus exsecratio II. 390. — Celebratio in ecclesia violata II. 386. — V. Sacrilegium.

Educatio filiorum corporalis I. 372. — spiritualis I. 374.

Effectus sacramentorum II. 195. — baptismi II. 235. — eucharistiae II. 275. — missae II. 347. 350. — extremae unctionis II. 673. — excommunicationis II. 959. — interdicti II. 1001.

Effectus peccati an accusandi in confessione II. 490.

Egressus e monasterio v. Clausura.

Ejectus e religione II. 147.

Electio ad beneficium II. 128.

Electuaria an frangant jejunium I. 493.

Eleemosyna praecepta I. 227. — Conditiones, sub quibus obligat *ib.* — Quantitas I. 228. — An uxor, filii, famuli eleemosynam dare possint *ib.* I. 555. 557. — E. praescripta pro lucrando jubilaeo II. 1064. 1069. 1070.

Emphiteusis I. 920.

Emptio quid I. 881. — Emptio rei jam venditae I. 886. — Emptio viliori pretio ob anticipatam solutionem etc. I. 894. 895. — E. apud veteramentarios vili pretio facta I. 900. — E. censuum in gubernio fundatorum I. 934. — V. etiam Venditio.

Emptoris obligationes I. 885. — Emens merces a gabellarum fraudatoribus I. 744. — Quid, si rem furtivam emptam alii vendiderit I. 638. — An eam furi restituere possit ad pretium recuperandum I. 644.

Ephemerides quoad prohibitionem II. 982. 985.

Epikeia I. 113.

Epileptici irregulares II. 1022. — An ipsis communio dari possit II. 322.

Episcopatus II. 697.

Episcoporum obligationes (praes. residentia, praedicatio, visitatio) II. 106. — Obligatio celebrandi pro grege II. 361. — confirmandi II. 269. — probandi candidatos ad sacros ordines II. 721. — Etiam indignos occultos a ss. ordinibus repellere possunt II. 218. — Oblig. quoad puellas religionem ingressuras II. 140.

Episcoporum facultates et privilegia II. 124. 180. — quoad leges condendas I. 85. II. 121. — quoad prohibit. librorum II. 988. — quoad indulgentias concedendas II. 1043. — Eorum interventus quoad indulgentias a S. Sede concessas II. 1043. 1086. — An possint legem pontificiam non acceptare I. 99. — an beneficia conferre II. 128. — dies festos instituere I. 474. — testamenta vel legata pia commutare I. 832. — nonsubditos confirmare II. 268. — eosdem ordinare II. 705. — impedire clericum religionem ingressurum II. 148. 717. — concedere facultatem celebrandi in oratoriis privatis vel ipsi ibidem celebrare II. 386. — limitare approbationem II. 542. — vel eam revocare II. 543. — an restringere facultatem, confessionem paschalem apud quemvis approbatum aut extra dioecesim peragendi II. 553. 555. — facultatem dare confessario ignoranti II. 609. — A quonam episcopo impetranda facultas absolvendi navigantes in oceano II. 555. — Potestas quoad approbationem regularium II. 558. — Potestas dispensandi quoad leges I. 115. — quoad vota I. 332. 333. — quoad labores pro-

hibitos die festo I. 362. — quoad jejunium I. 507. — quoad impedimenta matr. II. 125. 784. 811. 861. 881. — quoad impedimenta usus matr. II. 909. — in irregularitatibus II. 1019. — Potestas absolvendi a censuris II. 951. 952. — a reservatis II. 574. 580. 582. 952. 978. 981. — ab excommunicatione lata in confessarium, qui complicem absolvit II. 588. — An censuris subjiciantur II. 948. — Poenae in episcopos statutae, praesertim ob illegalem ordinum collationem II. 998. 1007.

Erectio confraternitatum II. 1081.

Eremitae an gaudeant privilegio canonis II. 972.

Error quomodo dignoscatur vincibilis et invincibilis I. 38. — Error circa causam motivam etc. in dispensatione I. 119. II. 867. — E. in contractu I. 775. — circa causam contractus I. 759. 778. — in horis II. 65. 73. — in confessione II. 643. — Error quoad jurisdictionem confessarii II. 548. — quoad sacerdotem, qui matrimonio adsistit II. 849. — Error, impedimentum matrim. II. 795.

Errores circa matrimonium damnati a Pio IX. II. 792.

Eucharistia quid etc. II. 272. — Quamdiu Christus praesens in eucharistia maneat II. 273. — Effectus II. 275. — An aliquando deleat mortale II. 275. — Materia remota II. 276. — Aqua vino admiscenda II. 277. 280. — Materia proxima II. 281. — Forma II. 285. — Quid cum hostia dubie consecrata II. 313. — Cui confectio euch. competat II. 288. — Tangens euch. in mortali II. 209. — Eam gestans, actu luxurioso se inquinans I. 284. — Eam transferens absque veste sacra II. 295. aut cum capite cooperto II. 307. — Asservatio euch. II. 310. — Quid, si supersint hostiae et tabernaculum desit II. 303. — Quid cum fragmentis hostiarum consecratis, quae inveniuntur II. 312. — E. quoties renovanda II. 314. 315. — Expositio euch. II. 310. — V. Communio, Consecratio, Hostia, Missa, Pyxis.

Evictio. An venditor teneatur de evictione I. 638. 639. 888.

Examen conscientiae. Obligatio ad illud II. 507. — Diligentia requisita *ib.* — An obligatio ad scribenda peccata, ne e memoria excidant II. 509. — Ordo in ipso commendandus *ib.*

— apum I. 574.

Examinatores synodales, qui occasione examinis ad parochiam aliquid recipiunt I. 293.

Excommunicatio quid, quotuplex II. 956. — Ejusdem effectus II. 959. 1011. — Praecipuae excomm. in specie II. 970.

— minor II. 957.

Excommunicatus subditur legibus ecclesiasticis I. 92. — Excomm. vitandus quinam II. 956.

Exemplo pravo alios ad damnum inferendum inducens I. 614. 667. — V. Scandalum.

Exemptio II. 173. — An exempti censuris ligari possint ab episcopo loci II. 949.

Exercitia spiritualia ordinandorum II. 710.

Exercitium ordinum II. 713.

Exhaeredatio filiorum I. 824.

Exorcismum facere quibus competat I. 317. — An licitus in dubio de possessione I. 318. — Vitanda in ejus usu *ib.*

Exorcistatus II. 697. — V. Ordo.

Experientia an suppleat scientiam II. 609. — triennalis in matrim. II. 856.

Expositio ss. sacramenti II. 310.

Expositio infantium I. 734. — Onus restitutionis *ib.*

Exsecratio ecclesiae, vasorum sacr. etc. II. 390. 391. — E. vasorum, antequam artifici reficienda tradantur II. 394.

Exsecutio dispensationum matrim. II. 880. — dispensationis in radice II. 905.

Exsecutor testamenti I. 832. 834.

Exteri v. Peregrini.

Extrema unctio quid II. 672. — Effectus II. 673. — Materia II. 674. — Forma II. 682. — Minister II. 684. — Subjectum II. 689. — Obligatio eam recipiendi II. 692. — Dispositiones II. 693. — Intentio in suscipiente II. 230. — Caeremoniae II. 685. — Tempus aptum II. 688. — Iteratio II. 691.

F.

Fama quid I. 445. — Dominium famae an homini competat I. 454. 539. — Restitutio famae I. 457. — Quomodo facienda I. 458. — An pecunia compensanda I. 461. — Causae excusantes I. 460. — Defectus famae irregularitatem inducens II. 1029.

Famulorum obligationes I. 383. — An aegrotans operas suas supplere debeat I. 382. — Meretricibus etc. famulans I. 240. — F. adjuvans dominum in actionibus turpibus I. 250. 251. — ministrans carne die vetito I. 250. — Quid quoad jejunium et abstinentiam I. 507. 513. — quoad auditionem missae die festo I. 351. — quoad labores tali die I. 361. — Fam. furta I. 608. — Quando compensationem occulta uti possint I. 623. — Restitutio facienda ob damna per eorum incuriam illata I. 383. — ob damnum domini culpabiliter non impeditum I. 691. — Quamnam eleemosynam elargiri ipsis competat I. 228.

Far ut materia euch. II. 278.

Fatuus v. Amens.

Favores ampliandi I. 76. 112.

Festa ab Ecclesia instituta I. 474. — Dies consecrationis ecclesiae an sit dies festus

de praecepto I. 515. — Quaenam diebus festis praescripta I. 338. v. Missa. — An obligatio, hisce diebus audire concionem, adsistere officio vespertino etc. I. 339. 340. — Quaenam prohibita I. 338. 354. v. Opera. — Votum celebrandi festum I. 474. — Festa D. N. Jesu Chr., B. V. Mariae etc. quoad indulgentias II. 1092.
Feudum I. 920.
Fideicommissum v. Substitutio.
Fidejussio I. 936.
Fides quid, quotuplex I. 186. — Ejus necessitas quoad actum internum et externum I. 187. 189. — Quando urgeat praeceptum fidei eliciendae I. 188. — Dissimulatio f. I. 190. — Fidei objectum I. 193. — Fidei externa negatio I. 210. — Plurium fidei articulorum negatio I. 163. — Dubium de fidei articulo I. 210. — bona ad praescriptionem I. 589. — ad possessionem I. 635.
Fiduciaria institutio haeredis I. 840.
Filiatio spiritualis II. 805.
Filiorum obligationes erga parentes I. 363. — Dependentia a parentibus quoad electionem status I. 369. — praesertim quoad statum religiosum I. 369. II. 150. et matrimonium I. 370. II. 754. 755. — Eorum dominium I. 543. — An retinere possint, quae lucrantur in domo paterna I. 547. 623. — An eleemosynam elargiri possint I. 228. — Sunt haeredes necessarii I. 822. — Quae in haereditatem paternam conferre debeant I. 808. — F. furta I. 608. — An matri juranti credere debeant, ipsos esse illegitimos I. 733. — V. Minores.
Finis quid, quotuplex I. 28. — Fons moralitatis I. 28. 29. — Finis malus in quantum bonitatem actus corrumpat I. 30. II. 1044. — Finis matrimonii II. 744. — actus conjugalis II. 907. — V. Intentio.
Foemina quando minor, pubes I. 762. II. 835. — V. Mulier.
Foetus quando censeatur animatus I. 402. — V. Abortus. — Foetus abortivus quoad bapt. II. 247.
Fontes moralitatis I. 26.
Fontis baptismalis benedictio in sabbato sancto II. 254.
Forma sacramentorum v. Sacramentum, Baptismus etc.
Formulae pro testamentis I. 819. — pro dispensationibus matrim. II. 885.
Fornicatio I. 421. — Fornicatio sponsae cum extraneo an speciem mutet II. 486. — Restitutio propter eamdem I. 728. — V. Promissio.
Forum poenitentiae et externum in quo discrepent II. 416. 432. 618. — F. competens pro litibus matrim. II. 763.
Fratria II. 814.
Fratrum obligationes I. 377.
Fraudatio tributorum I. 737. 738.
Fraus v. Dolus.
Fructus rei quid I. 591. 636. — Quinam restituendi *ib.* etc. — Fructus missae II. 850.
Fuga tempore persecutionis I. 192. — F. an liceat reo II. 26.
Functiones sacras praeter sacramenta in mortali exercentes II. 210.
Funera. Ob eorum jus non solutum differre sepulturam illic. II. 1012.
Fur summam pecuniae paulatim subripiens I. 163. — Rem certo perituram auferens I. 646. — An interesse restituere debeat I. 649. — Quid, si res furtiva apud ipsum perierit I. 647. — Summa a fure tradita, ne ipsum denunties, an restituenda I. 784. — V. Possessor malae fidei.
Furtum quid, quotuplex I. 605. — Illicitum *ib.* — Materia gravis in f. I. 606. — F. minuta I. 609. — Cooperatio ad f. I. 249. — Quo ordine restituendum I. 702. — Causae excusantes I. 616. — F. in ecclesia I. 285. — Furta uxorum, filiorum, famulorum I. 608. — religiosorum II. 159.

G.

Gabellarum fraudatores I. 744. — Ementes merces ab hisce *ib.*
Gaudium de peccato I. 168.
Geomantia I. 266.
Gestio negotiorum I. 848.
Glos II. 814.
Gradus incesti an speciem peccati mutent I. 423. II. 486. — Gr. consanguinitatis II. 799. — Computatio eorumdem II. 801. — Gr. affinitatis II. 811. 812.
Gratia v. Sacramentum, Sacramentale.
Gratiarum actio post missam et communionem II. 385.
Gravitas peccatorum I. 146. — Grav. pecc. in lege I. 100. — in voto I. 325. — in jejunio I. 494. — in operibus servilibus I. 359. — in furto I. 606.
Gula I. 180.
Guttae calici inhaerentes II. 284.

H.

Habitatio cum mulieribus clericis interdicta II. 99.
Habitum deferendi quaenam obligatio pro clericis II. 45.
Haereditas v. Haeres, Legatum, Testamentum.
Haeres quis I. 814. — Quinam haeredes esse possint I. 821. — Haeredum genera I. 822. — Obligationes I. 823. — Legitima haeredum necessariorum I. 825. — Haer. necessarii an exhaeredari queant I. 824. — H. fideicommissarius vel fiduciarius I. 840. — Haeres dubiae vel malae fidei an praescribat I. 590. 656. — Haeredes ejus, qui damnatur ad mortem ob homicidium, an restituere debeant I. 727.
Haeresis quid, quotuplex I. 186. 208. — Quale peccatum I. 209. — Dubium de

aliquo fidei articulo I. 210. — H. causa ad divortium II. 761. — Suspicio haereseos qua effectus excommunicationis II. 959.
Haeretici an obligentur legibus Ecclesiae I. 92. — Quid quoad clandestinitatem matrim. II. 838. 841. — An rebaptizandi II. 249. — Matrimonia cum ipsis II. 772. — Eos in auxilium vocare an lic. I. 408. — Excommunicantur II. 970. 981. — Quis eos absolvat II. 981. — Privantur ipso facto beneficiis II. 967. — et sepultura eccles. II. 1011. — Haereticorum libros legentes II. 982. 983. — V. Communicatio, Denuntiatio.
Hasta. Venditio sub hasta I. 907.
Homicidium illicitum I. 388. 392. — Restitutio ob homic. I. 725. — Impedimentum dirim. II. 821. — Irregularitatem inducit II. 1028. 1036.; quid in dubio de homicidio II. 1039. — Homic. voluntarium, casuale II. 1036. 1037.
Honestas publica, imped. matr. II. 816.
Honor. Restitutio honoris laesi parentibus debiti I. 366. — V. Contumelia.
Hora refectionis in jejunio I. 505.
Horae canonicae quid II. 49. — Obligatio ad eas gravis II. 50. — et diei affixa *ib.* — Integre recitandae II. 81. 96. — Dubitans, an aliquid omiserit II. 53. — Quot peccata, horas integri diei non recitare I. 163. II. 52. — Recitatio in peccato mortali II. 92. — Intentio, attentio et devotio II. 90. — Tempus debitum II. 62. — Recitatio intra missam I. 346. — Causae excusantes quoad tempus II. 64. — Locus et situs II. 69. — Ordo et rubricae servandae II. 71. 72. — Pronuntiatio II. 81. 89. — Recitatio cum socio II. 88.; obligatio ad hoc II. 97. — Interruptio II. 81. 83. — Appositio aliarum precum II. 87. — Causae a recitatione excusantes II. 93. — Obligatio ad psalmos graduales etc. II. 60. — ad officium defunctorum die 2. Nov. et litanias in rogationibus II. 61. 66. — Obligatio proficiscentium II. 72. — religiosorum II. 50. 54. 146. — recenter ordinatorum II. 68. — V. Breviarium, Chorus, Distractio.
Hospitale. Prolem ad hosp. deferentes I. 734. 735.
Hostiae materia II. 276. — Forma etc. II. 281. 282. — H. consecrandae sint recentes II. 315. — Quid, si fracta II. 284. — V. Consecratio, Eucharistia.
Hyperdulia I. 257.
Hypocrisis I. 440.
Hypotheca I. 939.

I.

Idololatria I. 263.
Ignorantia quid, quotuplex I. 13. — Influens in voluntarium I. 14. — Excusans a lege I. 108. — An impediat effectum irritationis per legem I. 136. — An excuset a poena I. 134. — An sit peccatum I. 145. — Peccans ex ignorantia an corrigendus I. 231. II. 611. — Ign. quoad principia legis naturalis I. 123. — quoad impedimentum matr. II. 787. — reservationem II. 571. — censuram *ib.* II. 938. — irregularitatem II. 1017. 1018.
Illegitimi quoad haereditatem I. 825. 828. — irregulares II. 1025. — V. Alimenta, Spurius.
Illegitimitas quomodo auferatur II. 1025.
Illiterati irregulares II. 1022. — Conferens tonsuram illiterato II. 998.
Impediens alium a consecutione alicujus boni I. 671.
Impedimenta impedientia matrimonii II. 776. — Quis in ipsis dispenset II. 784. — Quid, si impedimentum sit dubium II. 789. — Imped. dirimentia matrim. II. 44. 794. — Sola Ecclesia impedimenta dirimentia constituere potest II. 785. 792. — Quinam hisce subjaceant II. 786. — An ipsis ligentur ignorantes II. 787. — An impedimenta dirimentia ab Ecclesia constituta etiam in casu gravissimi incommodi subsistant II. 788. — Matrim. celebratio cum impedimento dubio II. 789. — M. contractum cum impedimento putato II. 791. — An a confessario facienda monitio de impedimento ignorato II. 612. 613. — Obligatio revelandi impedimenta matr. II. 741. — An ob imped. dirimens extra confessionem cognitum denegandum sit matrimonium II. 218. — Quid, si ex confessione noscatur II. 667. — Quid, si detegatur immediate ante nuptias II. 771. — si conjugibus innotescat II. 890.
Quando impedimentum ex stylo Poenitentiariae vocetur occultum II. 882. — V. Debitum, Dispensatio.
Imperfectio I. 26.
Impossibilitas excusans a lege I. 100. 108. — a restitutione I. 715. 717. — a missa I. 351. — a jejunio I. 507. — ab horis II. 93. — ab integritate confessionis II. 497.
Impotentia qua imped. matr. II. 854.
Improperium I. 462.
Impuberes quinam I. 762. — II. 835. — Vota eorum quoad irritationem I. 330. — Impub. quoad contractus I. 763. — An censuris ligari possint II. 947.
Impudicitia v. Luxuria.
Inadvertentia I. 13. — Quando excuset a peccato I. 14.
Incestus I. 423. — Circumstantiae in incestu exponendae I. 423. II. 486. — Privat jure petendi debitum II. 811. 815. 909.
Index librorum prohibit. II. 983. — Ejus obligatio II. 985. — Quid quoad folia publica (les journaux) ab haereticis scripta II. 982. 985. — An libri prohibiti legi possint, si nullum inde periculum timendum I. 121.

— Regulae praecipuae ind. II. 984. — Poenae contra legentes libros prohibitos II. 983. 988.
Indifferens actus an detur I. 24.
Indissolubilitas matrimonii II. 758.
Indulgentia quid, quotuplex II. 1041. — Ind. 10 dierum etc. quid II. 1047. — Quinam eas concedere valeant II. 1043. 1059. — Conditiones requisitae ad indulgentias lucrandas II. 1044. 1060. 1080. 1084. — Confessio praescripta II. 1044. 1051. 1077. — Intentio II. 1055. — Extensio II. 1093. — Indultum pro sardo-mutis II. 1057. — pro aegrotis *ib.* — Necessitas interventus ordinarii quoad ind. a S. Sede concessas II. 1043. 1086. — Interpretatio induig. II. 1059. — Quoties indulgentiae acquiri possint II. 1053. 1092. — Indulgentia plenaria quotidiana II. 1053. — An ind. plenaria partialiter obtineri possit II. 1046. — Applicatio indulgentiarum pro defunctis II. 1048. 1073. — Translatio ind. ob translationem festorum II. 1083. — An exspirent morte concedentis II. 1059. — Indulgentiae confraternitatibus concessae II. 1060. — Indulgentiae adnexae orationibus: Regina coeli II. 1084. — O bone et piissime Jesu II. 1080. — Sacrosanctae II. 1084. — Veni, Creator *ib.* — Veni, sancte Spiritus *ib.* — Decisio quoad officium B. M. V. II. 1084. — Ind. quibusdam objectis adnexae II. 1058. 1059. 1060. 1080. 1085. 1091. — Decisiones S. Cong. Indulg. II. 1077. — Editio summariorum indulg. II. 1060. — V. Articulus mortis, Jubilaeum, Moniales.
Infamatio sui ipsius I. 454. 539.
Infamia, irregularitatem inducens II. 1029.
Infans an obligetur legibus humanis I. 92. — Infantes baptizati defuncti an invocari possint I. 262. — Restitutio hospitio facienda ob infantem expositum I. 734. 735. — Quaenam sacramenta ipsis valide conferantur II. 228. — Quando baptizandi II. 246. 249. — V. Puer.
Infideles an opera bona facere possint I. 207. — An teneantur legibus ecclesiast. I. 92. — An censuris II. 947. — Eorum matrimonia II. 772. — Quomodo haec matr. solvantur per conversionem alterius II. 759. — Privandi sepultura eccl. II. 1011. — An eorum filii baptizari possint II. 248.
Infidelitas I. 186. 205.
Infirmus quando medicum adhibere debeat II. 34. — Rejectis mediis naturalibus a Deo sanitatem sperans I. 282. — A parocho visitandus II. 114. 688. — Quis confessionem infirmorum excipere possit II. 559. not. — Examen conscientiae ab infirmis faciendum II. 508. — Infirmis an gravis injungenda poenitentia II. 524. — Privil. quoad indulgentias II. 1057. — V. Communio.
Informata conscientia v. Suspensio.
Ingressus in monasteria II. 989.
Inhabilitas ad contractum I. 761. — ad donationem I. 803. — ad matrim. II. 772. — ad ordines v. Irregularitas.
Inimicorum dilectio I. 224.
Injuria quid, quotuplex I. 599. — Prohibita I. 600. — Quid, si opus externum mala intentione ponatur, damnum vero non probabile sit I. 604.
Injustitia v. Damnum, Furtum.
Innocentis occisio I. 400. 408. — An damnari possit, si juridice nocens probetur II. 2.
Inspiratio aetheris pro pariente I. 403.
Institutio fiduciaria, fideicommissaria I. 840.
Integritas confessionis II. 468. — Ejus necessitas II. 469. — Quaenam complectatur II. 469. 471. — Sensus particulae „circiter" quoad numerum II. 472. — Error in numero II. 473. — An liceat, venialia accusare coram confessario ordinario, mortalia coram alio II. 475. — An simulare aliam vocem II. 476. — Quid quoad peccata dubia II. 477. — vel oblita II. 494. — An repetendum peccatum certum, jam tamquam dubium accusatum II. 480. — Causae ab integr. excusantes II. 497. — Quid de manifestatione complicis II. 499. — Non excusat ab int. magnus populi concursus II. 471. — nec poenitentium multitudo II. 498. — V. Circumstantiae.
Intemperantia in potu sine periculo ebrietatis quale peccatum I. 184. — V. Gula, Ebrietas.
Intentio quaenam requisita, ut satisfiat alicui obligationi I. 103. — ut satisfiat praecepto audiendi missam I. 344. — in recitatione horarum II. 90. — ad conficienda sacramenta II. 203. — Intentio conditionata II. 205. 206. — Int. ad suscipienda sacram. II. 228. — ad applicationem missae II. 354.
Interdicti quoad contractus I. 771.
Interdictum II. 1002. — Ejus effectus II. 1004. 1011. — Poenae in violatores interdicti II. 1005.
— ab ingressu ecclesiae II. 1002.
Interesse ex capitali proveniens quibusnam fructibus adnumerandum I. 636. — An a fure restituendum I. 649. — Interesse ex ipso interesse I. 871.
Interpres an ab ignaris idiomatis loci in confessione adhiberi debeat II. 504. — Tenetur ad sigillum II. 651.
Interpretatio legis quid, quotuplex I. 112. — Regulae *ib.*
Interrogationes a confessario faciendae II. 614. — quoad debitum conjugale II. 912. 924.
Interruptio quaenam actus multiplicet I. 161. — comestionis in die jejunii I. 506. — praescriptionis I. 585. — admi-

nistrationis sacramenti II. 199. — missae II. 407. 1000. — horarum can. II. 81.
Interstitia in ordinatione servanda II. 713.
Inventio bonorum I. 575. — Inventor an praescribere possit I. 586. not. 4.
Invidia I. 177.
Invocatio sanctorum I. 258. 262.
Ira I. 178.
Irregularitas quid II. 1015. — quotuplex II. 1016. — Quando sit totalis *ib.* — Conditiones, ut incurratur II. 1017. — Non incurritur propter poenarum violationem, quae sunt censuris similes II. 932. 995. — Dubium, an quis irreg. incurrerit II. 1018. — Quaenam irregulari liceant II. 1015. — Quomodo tollatur irr. II. 1019. — Irregul. ex defectu II. 1022. — ex delicto II. 1031.; an hae ab ignorantibus incurrantur II. 1018.
Irrisio I. 462.
Irritatio per legem I. 135. — voti I. 830. — juramenti I. 314.
Iteratio sacramentorum II. 200.

J.

Jactantia I. 440. — de peccatis I. 168. 420.
Jejunii praeceptum I. 488. — Per plures dies non jejunans I. 163. — Tristitia de molestia jejunii I. 173. — Quosnam obliget et quaenam exigat jej. I. 489. — Unica refectio I. 490. — Abstinentia a cibis vetitis I. 502. — Tempus debitum I. 505. — Causae excusantes I. 507. — Quid, si quis duplicem refectionem jam sumpsit I. 494. — An, qui in quadragesima jejunare nequit, a carnibus abstinere teneatur I. 109. — Vovens j. per mensem etc. I. 328. — Jejunium in die consecrationis ecclesiae I. 515. — incidens in quaedam festa I. ante 507. — Decisiones S. Poenit. quoad jejun. I. 513. — V. Abstinentia, Carnes.
— pro s. communione praeceptum II. 308. 309. 329. 334.
Jubens damnum inferri I. 673.
Jubilaeum quid II. 1062. — quotuplex II. 1063. — Indulg. in forma jubilaei *ib.* — Facultates concessae pro jub. II. 1062. — Conditiones ad illud acquirendum II. 1064. — An sufficiant opera ex alio titulo jam debita II. 1064. 1065. — Speciatim de communione II. 1068. — de confessione II. 1068. 1069. 1087. — de eleemosyna II. 1069. — Tempus peragendi opera requisita II. 1071. — Commutatio operum II. 1062. 1064. — An saepius acquiri possit II. 1073. — An indulgentia pro defunctis applicari queat II. 1073. — Notanda quoad validitatem absolutionis a reservatis II. 1074. — Suspensio indulgentiarum etc. tempore jub. II. 1076. — Quomodo viatores illud lucrari valeant II. 1072.
Judaei. Communicatio cum ipsis I. 238. — V. Infidelis.
Judaismus I. 205.
Judicis obligationes II. 1. I. 693. — Qui quoad munera recipienda II. 3. — Co operatio ad injusta II. 3. 4. Cf. Irregu laritas ex defectu lenitatis. — Judex pr foro interno II. 614.
Judicium temerarium I. 465.
— in juramento I. 309.
— in causis matrimonii II. 905.
Juramentum quid, quotuplex, licitum et I. 306. — Conditiones I. 307. — For mulae juramenti I. 308. — Jur. petiti a pejeraturo I. 249.
Juramenti promissorii obligatio, interpreta tio, cessatio etc. I. 312. — Quid, si cum errore emissum I. 313. — vel ob metum I. 314. — Jur. contractui adjectum I. 79 — Opus juratum ponens cum intentione no satisfaciendi I. 104. — Jur. in perturbo tionibus publicis I. 310. 387.
Jurisdictio quid, quotuplex II. 545. — Jur. per metum acquisita I. 781. — Jur. delegata an subdelegari possit I. 11 II. 547. 850. 943. — An potestas speciali delegata exspiret morte concedentis I 116. 6°. not. 2.
— ad excipiendas confessiones necessari II. 545. — Datur simul cum approbation II. 539. 546. — Quibus competat jur ordinaria II. 546. — Quibus delegar possit *ib.* — Quomodo j. delegata exspi ret II. ante 545. — An delegatus pos finitam delegationem absolvere possit II 554. — Quando Ecclesia jur. suppleat II. 548. — Jurisd. dubia II. 549. — Quosnam approbatus absolvere possit II. 554. — Jur. in articulo mortis II. 546. 550. 574. 952 609. — Jur. super navigantibus in oceano II. 555. — Jur. capellanorum militum II. 556. — V. Moniales, Regulares, Reservatio.
Juris natura et divisio I. 519. — Generalia principia I. 522. — Species praecipuae I. 536. — Jus naturale, divinum etc. I. 122. — Jus rom., gallicum I. 131. 543.
Jus patronatus II. 128.
Jusculo ex carne simul cum piscibus vesci in die jejunii an lic. I. 504. not.
Justitiae natura, divisio I. 517. — Principia generalia I. 532. — Reparatio v. Restitutio.

L.

Labor in die festo v. Opera.
Lacticinia in die jejunii I. 502.
Lactare v. Mater. — Debitum conj. tempore lactationis II. 914.
Laicus quoad baptismum II. 243. 245.
Laridum in jejunio I. 504.
Larvis uti an liceat I. 239. — Choro cum larvis I. 244.
Latria I. 257.
Laudes v. Matutinum.

Laxitas v. Conscientia laxa.
Laxismus qua systema I. 53. 58.
Lectio librorum haereticorum etc. II. 982. V. Index. — Lectiones impudicae I. 419.
Lectoratus II. 697. — V. Ordo.
Legatarius I. 814.
Legatum quid I. 829. — in testamento formis legalibus destituto I. 817. 818. — oretenus factum I. 819. — Legati commutatio I. 832. II. 376. — Leg. relictum puellis, ut nubant I. 830. — relictum pauperibus *ib.* — Quomodo in legato ad missas celebrandas relicto taxandae sint missae II. 376.
Legislator quis I. 83. — An possit praecipere sub levi in materia gravi I. 101.
Legitima haeredum necessariorum I. 825. — Legitima filiorum an laedi possit I. 825. 826.
Legitimatio per subsequens matrimonium II. 1025.
Lenitatis defectus, irregularitas II. 1028.
Levir II. 814.
Lex quid, quotuplex I. 81. — Ejus proprietates I. 82. — Quinam leges condere possint I. 83. — quinam eas irritare et reformare I. 87. — Ejus objectum I. 88. — Subjectum I. 91. — Promulgatio I. 96. — Acceptatio I. 98. — Obligatio I. 100. — Lex dubia I. 60. — In dubio justa praesumenda I. 84. — Lex dubie promulgata I. 97. — dubie acceptata I. 99. — Interpretatio I. 112. — Epikeia I. 113. — Modus satisfaciendi legi I. 103. — Causae a lege excusantes I. 108. — Legis cessatio I. 121. — V. Praeceptum.
Lex naturalis I. 122. — divina positiva I. 124. — ecclesiastica I. 125. — civilis I. 131. — poenalis I. 133. — irritans I. 135. — Lex civilis aliquid in materia justitiae statuens quando ante sententiam judicis obliget I. 789.
Libellus infamatorius I. 446. — Restitutio ob talem libellum I. 459.
Liber. Scandalum per editionem etc. malorum librorum I. ante 241. — Cooperari editioni I. 253. — An mali libri domino reddi possint I. 241. — V. Index, Lectio.
Libertas quid I. 11. — in homine lapso I. 12. — Libertati opposita I. 13. — Libertatis defectus, irregularitas II. 1026.
Licitatio I. 907. — Fraudes in ea occurrentes I. 908.
Ligamen, impedim. matrim. II. 833.
Ligna caedens in sylvis alienis I. 608.
Linea in consanguinitate II. 799.
Litaniae recitandae diebus rogationum II. 61.
Literae anonymae I. 447. — Literas alienas aperiens et legens I. 471. — L. cambii I. 927. 928. — L. dimissoriae quoad ordines v. Dimissoriae.
Liturgia v. Breviarium, Caeremoniae, Rubricae.
Locatio I. 920. — Obligationes inde enascentes I. 921. — Quid in casu incendii, sterilitatis I. 924. 925.
Locus ad restitutionem I. 709. — ad horas II. 69. — ad missam I. 348. II. 386. — ad baptismum II. 253. — ad matrimonium II. 770. 893.
Loteria I. 943.
Lucrum filii in domo paterna I. 547. — in ludo I. 947. — in mutuo v. Usura. — An excuset opera servilia die festo I. 353.
Ludus I. 944. — Missam aut preces in ludo exponens I. 292. — Restitutio ob ludum I. 947. — Ludi clericis prohibiti II. 101.
Lumen ad missam II. 391. 400. — ad communionem II. 301. — ante sanctissimum II. 310. 311.
Luxuria quid, quotuplex etc. I. 176. 411. — Luxuria cum persona voto castitatis ligata I. 284. 285. II. 492. — V. Sacrilegium.

M.

Magia I. 271. 272.
Magistri obligationes I. 384.
Magnetismus animalis quid I. 276. — Ejus effectus I. 277. 280. — Decisiones S. Congr. Off. I. 280. 281.
Maledicere creaturis, mundo, mortuis I. 305.
Malefactor an occidi possit I. 392.
Maleficium I. 271. 272.
Malitia v. Bonitas.
Malum morale quid I. 26. — malum in intrinsece *ib.* — Non sunt facienda mala, ut eveniant bona I. 9. — Plura mala inimico optans I. 165. — Malum temporale proximo desiderans ob bonum finem I. 223. — Suadens minus malum I. 237.; quid quoad restitutionem I. 677.
Mandans I. 673.
Mandatum (contractus) I. 846.
Manifestans. Non manifestans I. 690.
Manipulus II. 392.
Manuscripta v. Chirographa, Scriptura.
Mappae altaris II. 391. 392. 395.
Maritus quaenam vota uxoris irritare possit I. 330. 331. — Notabilem partem bonorum communium prodige impendens an restituere teneatur I. 556. — item ob damna uxoris non impedita I. 692. — An vivente uxore ss. ordines licite suscipiat II. 43. 710. 1026. — V. Conjuges.
Martyrium. Ad mart. se offerre quando liceat I. 282.
Mater an filiorum vota possit irritare I. 330. — An filios proprio lacte nutrire debeat I. 372. — V. Parentes.
Materia legis I. 88. — Quaenam gravis vel levis I. 101. — Mat. voti I. 323. —

contractus I. 756. — sacramentorum v. Sacramenta, Baptismus etc. — Parvitas materiae an detur in peccatis contra spem I. 213. — in blasphemia I. 299. — in juramento I. 311. 313. — in luxuria I. 412. — in violatione jejunii I. 490. — in esu carnium die abstinentiae I. 485. — in missae auditione I. 342. — in violatione sigilli II. 649. — Materia gravis in furto I. 606.

Matertera II. 804.

Matrimonium unde dictum II. ante 722. — Ejus natura II. 744. 792. 793. — Fines II. 744. — Est sacramentum II. 746. — Intentio in suscipiente II. 230. — Consensus requisitus II. 747. — Consensus per procuratorem II. 749. — Quid, si quis dicat, se ficte consensisse II. 753. — Matrim. sub conditione II. 750. — Simulatio matrim. ob gravem causam II. 222. 771. — Materia et forma II. 764. — Minister II. 765. — Subjectum II. 772. — Quid, si baptismus contrahentis dubius vel invalidus II. 831. — Quinam parochus adsistere debeat II. 845. — Quid, si ad episcopum vel parochum recurri nequeat II. 838. 840. 843. — Locus debitus II. 770. 852. — Matrimonii unitas II. 757. — Indivisibilitas II. 758. — Dissolutio matrimonii non consummati II. 759. — Forum competens pro litibus matrim. II. 763. — V. Benedictio, Dispensatio, Divortium, Impedimenta, Revalidatio, Sponsalia.

Matrimonia clandestina II. 836. — Ubique illicita II. 838. — M. clandestina haereticorum II. 838. 841. — Quid, si discesseris in locum, ubi Trid. non est receptum II. 839. — Matrim. cland. an instar sponsalium habenda II. 730.

Matrimonia mixta II. 824. — Dispensatio quoad eadem II. 784. 827. — Observanda in iisdem II. 828.

Matrimonium civile II. 730. — An instar sponsalium habendum II. 730. — An inducat impedimentum honestatis publicae II. 819.

Matrimonium inter infidelem et fidelem II. 824. 825. — Quis in eis dispensare valeat, et sub quibus conditionibus dispensetur II. 826. — Matr. infidelium quomodo solvatur per conversionem ad fidem christianam II. 759.

— conscientiae II. 745.

— ad Morganaticam sive ad legem Salicam sive sinistrae manus *ib.*

— verum, praesumptum, putatum II. 745.

Matrina v. Patrinus.

Matutinum an separari possit a laudibus II. 84. — An nocturni ab invicem separari possint II. 85. — Qua hora recitandum II. 62. 65. — Celebratio missae ante mat. II. 383.

Medicorum obligationes II. 31. — speciatim quoad animam aegrotantis *ib.* fl. 33. — Tenentur ad media tutiora I. 57. II. 31. 34. — Pauperibus gratis mederi debent I. 229. II. 32.

Mediorum influxus in moralitatem actus I. 29. — Media ad peccatum adhibita an in confessione explicanda I. 164.

Meditationis necessitas I. 262.

Mendacium quid, quotuplex I. 438. 440. — illicitum I. 439. — Mendac. in confessione II. 471. 474.

Mercatores v. Venditio.

Merces prohibitas importantes I. 744. — Ab hisce ementes *ib.*

Meretricium I. 421.

Meretrices an in societate permitti possint I. 421. — Illis domum locare an lic. I. 250. — munera vel literas amatorias deferre I. 251.

Meritum actuum humanorum I. 33. — Quid ad illud requiratur I. 34. 35.

Mesmerismus I. 276.

Metus quid, quotuplex I. 17. 780. — Influxus in voluntarium I. 18. — Quando excuset a lege humana I. 19. 108. — Metus in juramento I. 314. — in voto I. 322. — in contractu I. 780. — in sponsalibus I. 780. II. 724. — in matrimonio I. 781. — Metus qua impedimentum dirimens matr. II. 832. — Quid de uxore cognita a consanguineo viri ex vi aut metu II. 815.

Militum officia I. 408. — Onus restitutionis iis incumbens ob damnum injustum I. 746. — Quid quoad legem abstinentiae I. 487. — quoad jejunium I. 507. — quoad s. communionem II. 337. — Milites desertores ad quid teneantur I. 747. — Quando sint irregulares II. 1028.

Militiae injuste se subtrahentes I. 749.

Minister sacramentorum II. 202. — An requiratur in ipso attentio *ib.* — intentio II. 203. — fides et probitas II. 207. 208. — An peccati reus ante confectionem sacramenti confiteri teneatur II. 210. — Obligatio ministrandi sacramenta II. 213. — Sacramenta petens a ministro indigno II. 233. — V. Parochus, Sacerdos, Baptismus etc.

Ministrans requisitus ad missam II. 391. 398. — ad communionem II. 302.

Minor quinam I. 762. — An contrahere valeat I. 763. — V. Infans, Puer.

Miracula petere quando liceat I. 282.

Missa II. 347. — Fructus II. 350. — Valor II. 352. — Pro quibusnam offerri possit II. 349. — An prosit defunctis, et quidem plus missa pro defunctis II. 353. — Quid, si missa votiva vel de Requiem petatur II. 377. — An celebranda pro excommunicatis, haereticis II. 964. — vel coram excomm. vitando II. 962. —

Obligatio celebrandi ratione sacerdotii II. 359. — Tempus II. 381. — Quantum temporis missa lecta durare debeat II. 384. — Celebratio repetita eodem die II. 383. — Locus II. 386. — Requisita ad missam II. 391. — M. pro defunctis in colore violaceo II. 300. — Quaenam missa dicenda in aliena ecclesia II. 405. — Missa dicenda ab ordinario in collatione ordinum generali II. 708. — Missae injunctae neosacerdotibus II. 716. — Missa nuptiarum II. 770. — Missae interruptio II. 407. 1000. — M. celebratio absque communione II. 999. — absque jejunio, ut viaticum administretur II. 334. — cum capite cooperto II. 409. — per sacerdotem lepra infectum II. 337. — Distractio in missa I. 347. II. 202. 410. — Gratiarum actio post missam II. 385. — V. Applicatio, Consecratio, Eucharistia, Rubricae.

Missa audienda diebus festis I. 338. — Requisita ad satisfaciendum praecepto I. 341. — Praesentia corporis *ib.* — Attentio I. 344. — Confessio vel recitatio breviarii inter missam I. 346. — Locus debitus I. 348. — An debeat audiri missa parochialis I. 349. — An satisfaciat praecepto, nesciens esse diem festum, coactus etc. I. 104. — Causae excusantes I. 351. — Iter aggrediens inter hebdomadam, si praevidetur inde impossibilitas audiendi missam die festo I. 111. — Votum audiendi missam per mensem etc. I. 328.

Missae celebratio ad satisfactionem praescripta II. 526.

Missale II. 391.

Missiones commendantur II. 536.

Mobilia, immobilia quid I. 831.

Moderamen inculpatae tutelae I. 395. 405. — Illud excedens an restituere teneatur I. 727. — an sit irregularis II. 1028. 1039.

Modus in contractu I. 794.

Mohatra I. 903.

Molere die festo I. 358.

Mollities v. Pollutio.

Monachus v. Regularis.

Monetae v. Pecunia.

Moniales quibusnam confiteri possint II. 565. — Debet ipsis dari confessarius extraordinarius II. 566. — Huic se omnes praesentare tenentur II. 567. — A quonam ipsis indulgentia in articulo mortis elargienda II. 989. 1088. — Indulgentiae concessae ecclesiis monialium II. 1093. — An respondere possint in administratione s. communionis II. 302. — Poenae in moniales legem clausurae violantes II. 990. — Collocutio ad crates cum iisdem II. 992. — Status actualis monialium in Gallia II. 177. 568. — Quis moniales a votis simplicibus dispensare possit II. 180. — An lucrari valeant indulgentias ordinis II. 179.

Monitio a confessario facienda II. 610. — Mon. delinquentis an praecedere debeat censuram II. 941. — V. Correctio fraterna.

Monitorium II. 933.

Monopolium I. 912.

Monstrantia et lunula an consecrandae II. 311. 396.

Monstruosi infantes quoad baptismum II. ante 247.

Montes pietatis I. 880.

Moribundorum confessio et absolutio II. 505. — iis adsistendum II. 688.

Mortem ex taedio exoptans I. 214. — vel ob vitae infortunia I. 223. — Jurisdictio in mortis articulo II. 546. 550. 574. 952.

Mortale peccatum quid I. 146. — Ejus exsistentia I. 148. — Necessaria ad mortale I. 150. 151. — Quaenam sint in genere mortalia I. 152. — Dubium, an quid sit mortale I. 156. — Quomodo fiat veniale I. 153. — Sola mortalia vitare intendens I. 154.

Mortuis detrahens I. 455. 457. — Civiliter mortui quoad contractus I. 770.

Motus primo primi I. 1. 15. — secundo primi I. 15. — Motus luxuriosi I. 432. — in ecclesia I. 285. 424. — V. Concupiscentia.

Mulier an possit esse testis in testamento I. 816. — in matrimonio II. 836. — An respondere possit tamquam ministrans in administratione s. communionis II. 302. — an in missa II. 398. — Scandalum per mulierem I. 239. — Mulier vi oppressa I. 21. 390. 398. 399. II. 1027.

Multiplicatio actuum quomodo augeat numerum peccatorum I. 161. 162.

Munera v. Dona.

Muratores liberi II. 975.

Murmuratio v. Detractio.

Mustum ut materia eucharistiae II. 276.

Mutatio materiae et formae in sacramentis II. 198. 279.

Mutilatio illicita I. 388. — sui ipsius I. 391. — Restitutio ob mutilationem I. 725. — Irregularitatem inducit II. 1028. 1036. 1040.

— verborum quoad formam sacramentorum II. 199. — in horis II. 81. 89.

Mutus quoad damnum I. 690. — Accipiens pecuniam a fure, ut taceat I. 693.

— quomodo confiteri teneatur II. 503.

Mutuum quid I. 849. — Praeceptum I. 850. — Obligationes ex mutuo I. 851. — Lucrum ex mutuo v. Usura. — Mutuum petens ab usurario I. 10. 249.

Mysteria rosarii II. 1091.

N.

Nativitatis Domini nocte an liceat tres missas celebrare II. 384.

Nativitas (species accessionis) I. 591.

Navigantes in oceano an a simplice sacerdote absolvi queant etc. II. 555.

Necessitas extrema, gravis, communis I. 220. 616. 619. — In necessitate extrema bona aliena sibi vindicare licetne I. 616. — Excusans a prohibitione operum servilium die festo I. 361. V. Impossibilitas. — Necessitas fidei I. 187. — spei I. 212. etc.
Necromantia I. 266. 274.
Negotiatio clericis prohibita II. 105. — V. Emptio, Venditio, Societatis contractus.
Negotiorum gestio I. 848.
Neophytus irregularis II. 1022.
Nigrorum commercium I. 541.
Nocturni injuncti ordinandis II. 715. — V. Matutinum.
Nomen in baptismo imponendum II. 255. — Ejus mutatio *ib.* — Nomen complicis a confessario non exquirendum II. 501. 974. — V. Usurpatio.
Notarii obligationes II. 20. — Instrumenta conficiens die dominica II. 23.
Notorietas juris, facti I. 450. 451. II. 219. 882.
Novatio an exstinguat debitum vetus I. 787.
Noverca II. 814.
Novitiatus necessitas ad professionem II. 139. — Novitii a quonam ordinandi II. 708.
Numerus peccatorum v. Integritas.
Numularii (banquiers) quoad lucrum ex mutuo percipiendum I. 875.
Nundinae an licitae die festo I. 355.
Nuntius a pluribus mercedem pro itinere accipiens I. 926. — V. Pretium.
Nuptiae v. Matrimonium.

O.

Obedientia qua virtus II. 169. 172. — Praestanda a filiis I. 367. — a famulis I. 383. — a discipulis I. 385. — a civibus I. 386. 394. — a clericis II. 38. 716. — Votum obedientiae in religione II. 168.
Objectum qua fons moralitatis I. 26.
Oblationes cujusnam sint I. 565.
Obligatio non imponenda, nisi de ea certo constet I. 60. — An cesset, si ei debito tempore non satisfactum est I. 106. — Obl. ex sententia judicis dubie justa etc. II. 4.
Obligationes filiorum I. 363. — parentum I. 371. — conjugum I. 378. II. 915. — dominorum I. 382. — famulorum I. 383. — magistrorum I. 384. — discipulorum I. 385. — civium I. 386. 394. — laicorum II. 1. — clericorum II. 38. 716. — religiosorum II. 153.
Oblivio I. 13. — Quando excuset a peccato I. 14.
Obreptio in petitione dispensationis I. 117. II. 864.
Obscoena audiens ad quid obligetur I. 420.
Observantia vana I. 264.
Obsessionis signa I. 318. — V. Exorcismus.
Obsides occidere illic. I. 401.
Obstans. Non obstans quoad damnum I. 690.
Obstetrices instruendae quoad ritum baptismi II. 245. 249.
Occasio peccati quid, quotuplex II. 628. — Occasionem peccati permittens vel ponens, ut reus corrigatur I. 237. 238. — Actio, quae mere occasio damni est, an onus restitutionis pariat I. 659. 669. ante 673. — V. Periculum.
Occasionarii II. 628. post 640.
Occisio injusti aggressoris quando licita vel debita I. 395. — Irregularitatem inducens II. 1028. 1036. — V. Aggressor, Homicidium, Innocens, Suicidium.
Occultum impedimentum quale ex stylo S. Poenitentiariae II. 882. — V. Notorietas.
Occupatio bonorum I. 569.
Odium quid I. 177. ante 234. — Odium filiorum in parentes I. 364. — inimicorum I. 226. — Propinquitas personarum an mutet speciem in odio II. 493.
Officium parvum B. M. Virginis quoad indulg. adnexas II. 1084. — V. Horae.
Olea sacra II. 677. — Oleum infirmorum II. 674. — Ejus renovatio *ib.* — Olei sacri venditio I. 288. not. — V. Unctio.
Omen I. 266.
Omissio quando peccaminosa I. 6. 10. — Peccata omissionis I. 143. — Omissio in audiendo sacro I. 342. — in horis recitandis II. 51.
Onanismus quid I. ante 428. II. 921. — An a conjuge comparte permitti possit II. 922. — Decisiones curiae rom. II. 927.
Oniromantia I. 266.
Opera viva, mortificata, mortua I. 35. — Opera bona infidelium I. 207. — Op. vindicativa, medicinalia II. 521. — Op. misericordiae I. 227. — An opera semper ex caritate fieri debeant I. 31. 218. — diebus festis prohibita I. 338. 355. — Notarius die festo instrumentum conficiens II. 23. — Quaenam sit materia gravis I. 359. — Causae excusantes I. 360. — auctoris sine ejus consensu typis edere an lic. I. 567.
Operariorum obligationes II. 37. — Quinam excusentur quoad opera servil. in festis I. 361. — a jejunio I. 507.; quid, si divites I. 510.
Operatio caesarea II. 256.
Opifices v. Operarii.
Opinio quid, quotuplex I. 51. — Quamnam sequi liceat I. 55. — Quid in materia sigilli II. 650.
Oratio quid, quotuplex I. 259. — Ejus necessitas I. 259. 260. — Efficacia et

conditiones I. 259. — Pro quibus orandum et quinam exorandi I. 262. — Obligatio ad or. matutinam et vespertinam I. 261. — Orat. dominica ab omnibus scienda I. 197. 204. — An orationes ad libitum in missa addi possint II. 406. — Orat. dicendae in missa quotidiana defunctorum *ib.* — Orat. ab episcopo in ordinatione injunctae II. 715. — Orationes: Aperi Domine, et: Sacrosanctae II. 81. 1084. — V. Distractio, Indulgentia.
Oratorium privatum, publicum I. 348. II. 387. — quoad celebrationem missae II. 387. — quoad audiflonem missae I. 348. — quoad indulgentias lucrandas II. 1044. — Oratoria privata an benedicenda peculiari ritu II. 389.
Ordinatio per gradus facienda II. 710.
Ordo quid II. 694. — Septem ordines II. 696. — Materia et forma ordinum II. 700. — Minister II. 704. — Quinam proprius ordinandi episcopus II. 706. — Literae dimissoriales v. Dimissoriae. — Subjectum II. 709. — An conjugatus ordinari possit II. 710. 762. — Intentio in suscipiente adulto requisita II. 230. — Tempus II. 712. — Locus *ib.* — Poenae propter illegalem ordinum collationem vel susceptionem II. 998. 1007. — Irregularitas ob ordinum usurpationem aut illicitam susceptionem II. 1033. — Ordo sacer, impedimentum matrim. II. 797.
— in legis observantia I. 106. — in correctione I. 232. — in caritate I. 220. — in restitutione I. 702. — in horarum recitatione II. 72.
Ornamenta v. Paramenta, Vestes.
Ornatus. Mulier gerens ornatum superfluum I. 239.
Oscula quandonam peccaminosa I. 413. II. 919.
Ostensorium II. 311. 396.
Ostiariatus II. 697. — V. Ordo.

P.

Pactum v. Contractus.
Paganismus I. 205.
Palla II. 301. 391. 397.
Palpo I. 684.
Panis, eucharistiae materia II. 276.
Papae potestas quoad leges I. 85. — An dispensare possit in praeceptis divinis I. 115. — Potestas quoad vota I. 832. — quoad vota solemnia II. 40. 147. — quoad ultimas voluntates I. 832. — quoad impedimenta matrim. II. 784. 861. — quoad indulgentias II. 1043. 1062.
Paramenta sacra quaenam benedicenda II. 391. — Exsecratio *ib.* — Materia II. 395.
Paraphernalia bona I. 548.
Parentum obligationes I. 371. — non implentes juramentum puniendi filios I. 315. — disponentes in favorem unius ex filiis prae altero I. 827. 828. — filios a statu religioso avertentes II. 150. — vel ad illum cogentes II. 974. — propriam prolem baptizantes II. 244. 806. 909. — Irritatio votorum per parentes I. 330. — Consensus par. an ad valorem matrim. requisitus II. 754.
Parochia. An in ea missa audienda I. 349. — communio paschalis recipienda I. 480. — confessio annua peragenda I. 477. II. 553. — banna denuntianda II. 737.
Parochi obligationes (praesertim residentia, oratio, praedicatio, administratio sacramentorum, correctio, visitatio) II. 110. — An restituere teneatur, si non residet II. 111. — Quid ipsi agendum circa choreas I. 245. — Obligatio parochi ministrandi sacramenta II. 213. — etiam cum periculo vitae II. 214. 292. — Instruat fideles in recto baptizandi ritu II. 249. — Quid, si plurimi ab obstetrice invalide baptizati II. 249. — Notet baptizatos in libro baptismali II. 252. — Obligatio dispensandi eucharistiam, praesertim infirmis II. 291. — sacrificium offerendi pro grege II. 361. — Interdum accersat confessarios ignotos II. 536. — Omissio proclamationum, si sciat, non adesse impedimentum II. 735. — Adsistentia ad matrimonium quomodo praestanda II. 851. — Quid, si sponsi careant sufficiente notitia religionis II. 743. — si filii invitis parentibus nuptias celebraturi sint II. 756. — An exigenda confessio a nupturis II. 774. — An adsistere possit matrimonio publici peccatoris vel excommunicati etc. II. 769. 830. 960. — Observanda quoad matrimonia mixta II. 828. — Quid, si immediate ante nuptias impedimentum detegatur II. 771.
Parochus in quibusnam dispensare possit I. 116. — speciatim quoad labores prohibitos die festo I. 362. — quoad jejunium I. ante 507. — Baptismi collatio jure ordinario parocho competit II. 248. — item dispensatio eucharistiae II. 288. — Gaudet jurisdictione ordinaria in foro interno II. 546. — An aliis jurisdictionem ad confessionem delegare possit II. 539. 546. — An sacerdotes ex alia dioecesi ad excipiendas confessiones advocare queat II. 552. — Quinam a jurisdictione parochi eximantur II. 563. 564. — An renuente episcopo statum religiosum amplecti possit II. 148. 717. — Quinam parochus matrimonio adsistere debeat II. 845. — Ejus remotio oeconomica not. ante II. 1001.
Parochus regularis II. 111. 147.
Parochus peccans cum parochiana II. 487.
Pars. An teneatur ad partem, qui ad totum est impotens I. 109.
Participans in praeda et in actione damnosa I. 686. — V. Cooperatio.
Particulae v. Consecratio, Eucharistia, Hostia.

Parvitas v. Materia.
Parvulus v. Infans, Puer.
Pastores animarum quinam II. 214. — Eorum officia v. Episcopus, Parochus.
Patena II. 391. 394.
Pater v. Parentes.
Paternitas spiritualis II. 805.
Patrimonium clericorum I. 558. — Titulus patrimonii II. 710.
Patrinus v. Baptismus, Confirmatio. — Impedimentum dirimens ex officio patrini II. 805. 806.
Patronatus jus II. 128.
Patruelis II. 804.
Patruus II. 804.
Pauper an excusetur a prohibitione laboris in die festo I. 361. — a jejunio I. 507. — a lege abstinentiae I. 487. — Quid ipsis liceat in extrema necessitate I. 616. — Pauper fictitius an eleemosynam restituere debeat I. 649. — Quinam censendi sint pauperes II. 879.
Paupertas qua virtus II. 155. — P. religiosa II. 153. — Titulus paupertatis ad ordinationem II. 708. 710. 998.
Peccator notorius, publicus etc. quis II. 219. v. Notorietas. — Peccans ex ignorantia an corrigendus I. 231. II. 611. — Quibusnam peccatoribus sacramenta deneganda II. 218. — Quibusnam sepultura eccles. II. 1011.
Peccatum quid, quotuplex I. 143. 146. — Peccata interna I. 167. — P. capitalia I. 174. — P. requirit voluntarium I. 6. 144. — Advertentia requisita I. 43. 144. 150. — Ejus gravitas I. 146. — P. differunt gravitate I. 147. — Differentia specifica I. 157. — numerica I. 160. — Peccati species quoad confessionem II. 482. — Peccatorum internorum malitia I. 167. — Pecc. originale an deleatur per baptismum validum, sed informem II. 194. — Peccata conjugum v. Debitum conjugale. — V. Actus, Mortale, Veniale etc.
Peculium quid I. 543.
Pecuniam falsam expendens I. 885.
Pensio ecclesiastica II. 135. — Pensio a gubernio episcopis etc. soluta, cum bona ecclesiastica saecularizata sint, cujusnam sit naturae I. 563. II. 127.
Pensionarii clerici an superfluum in pauperes erogare debeant I. 559.
Percussio parentum I. 366. — clericorum II. 123. 957. 972. 978. 980.
Perdita res v. Inventio.
Peregrinus quibus legibus teneatur I. 94. 95. — An obligetur lege abstinentiae I. 487. — jejunii I. 511. — An ab episcopo dispensari possit I. 115. — An gaudeat privilegiis locorum, quae peragrat I. 141. not. 2. 142. — An censuris ligari possit II. 946. — Quid quoad receptionem sacramentorum, praesertim baptismi II. 244. — quoad confessionem II. 554. — absolutionem a reservatis II. 582. — dispensationem in irregularitatibus II. 1019. — ordines II. 706. — matrimonium II. 846. 847. 848.
Periculo graviter peccandi se sine causa exponens I. 154. — vel ob gravem causam I. 430. — vel ut peccatum alienum impediatur I. 222. V. Occasio. — Periculum mortis II. 551. — Periculum in mutuo I. 859. — Homicidium ex actione periculosa I. 400. not. 2.
Perinde valere in dispensatione matrimoniali II. 872.
Perjurium v. Juramentum.
Permutatio divini officii II. 73. — beneficiorum II. 135.
Perplexus quomodo agere debeat I. 44. 106.
Persecutio v. Fuga.
Persona. Error circa personam in contractu I. 775. 777. — in matrim. II. 795.
Pestis. Obligatio pastoris quoad sacramenta tempore pestis II. 214. 292. — Oblig. medici tempore pestis II. 34.
Petrolei usus coram ss. sacram. II. 310.
Pharmacopolarum obligationes II. 32.
Philtrum I. 271. 272.
Picturas obscoenas adspiciens I. 418.
Pietas I. 363. 377.
Pignus I. 938.
Pingere die festo an lic. I. 357. — acu I. 358.
Piscari die festo an lic. I. 358. — An clericis prohibitum II. 104. — V. Venari.
Pisces in die jejunii I. 502.
Poena an subeunda ante judicis sententiam I. 133. — P. conventionalis in mutuo I. 861. — in sponsalibus II. 728. — V. Censura.
Poenitens an obligetur, sequi opinionem confessarii I. 78. II. 627. — timens, ne diu invalide confessus sit II. 516. — accusans venialia coram confessario ordinario, mortalia coram alio II. 475. — simulans aliam vocem II. 476. — Poenitens pius quale examen confessioni praemittere debeat II. 508. — Monita, si solummodo affert materiam dubiam vel levem II. 424. 463. — An obligetur sigillo sacramentali II. 652. — V. Confessarius.
Poenitentia ut virtus II. 412. — ut sacramentum *ib.* — Ejus vis, partes, actus, necessitas II. 413. — Sacr. poen. informe II. 232. 449. — Materia remota et proxima II. 417. — necessaria et sufficiens II. 417. 424. — An peccata jam remissa sint materia sufficiens II. 418. — an peccatum accusatum in genere II. 421. 424. — Quid, si materia sufficiens dubia II. 422. — Forma II. 425. — Intentio requisita in suscipiente II. 230. — Caeremoniae II. 428. — V. Absolutio, Confessio etc.
Poenitentiae forum v. Forum.
— sacramentalis v. Satisfactio.
Poenitentiaria quid I. 127. — Facultates

tes ejusdem quoad impedimenta matrimonii II. 784. 876.
Pollutio quid I. 428. — quale peccatum I. 284. 429. II. 919. — Poll. nocturna I. 430. — in choreis I. 431. — post s. communionem I. 284. — Communio post pollutionem II. 337. — V. Onanismus.
— ecclesiae v. Ecclesia.
Polyandria II. 757.
Polygamia II. 757.
Portiunculae indulgentia II. 1090.
Possessio in dubio dominii rei I. 652. — qua conditio ad praescriptionem I. 582.
Possessionis per daemonem signa I. 318. — V. Exorcismus.
Possessor. Restitutio facienda a possessore bonae fidei I. 635. 902. — Quid, si rem alienam alteri donavit I. 637. — vel vendidit I. 638. — An res aliena bona fide empta restitui possit venditori ad pretium recuperandum I. 644. — Rest. facienda a possessore malae fidei I. 645. V. Furtum. — facienda a possessore dubiae fidei I. 652. — Quid, si dubitat, an bona vel mala fide possidere inceperit I. 656. — si neglexerit inquirere in dominum I. 653.
Potestas leges ferendi I. 83. — Potestas ministri poenitentiae II. 536. — V. Episcopus, Papa etc.
Potus an frangat jejunium I. 490.
Praecepta legis veteris et novae quotuplicia I. 124. — Praec. decalogi I. ante 257. — Ecclesiae I. 473. — Praec. diversis an unico actu satisfieri possit I. 105. 107. — an diversis actibus simul I. 106. — Quid in concursu duorum praeceptorum incomposibilium I. 106. — An praecepta omittenda ob scandalum I. 236. — Praecepta decalogi et Ecclesiae ab omnibus scienda I. 197. 201. II. 247.
Praeceptum in sensu stricto quomodo differat a lege I. 81.
Praedam facere an militibus liceat I. 409.
Praedicatio v. Concio.
Praedicator v. Concionator.
Praelati v. Episcopi, Regulares.
Praescriptio contra legem I. 137. — quoad bona I. 580. — Conditiones ad hanc requisitae I. 581. 655. — Quando interrumpatur, suspendatur I. 585. — A restitutione excusans I. 716.
Praesentatio ad beneficium II. 128.
Praesentia Christi in eucharistia II. 272. — materiae ad consecrationem II. 281. — poenitentis ad absolutionem II. 429. — parochi ad matrimonium II. 845.
Praesumptio quid I. 211. — Quot modis committatur I. 213. 214. — An admittat parvitatem materiae I. 213.
Prandium in jejunio I. 505.
Precarium I. 841.
Precibus alium ad damnum inferendum inducens I. 675. — V. etiam Oratio.
Presbyter v. Sacerdos.
Presbyteratus II. 697. — V. Ordo.
Pretium accipiens pro re ex justitia alicui debita, si simul alteri prodesse potest I. 757. 926. — pro re ex alia virtute debita *ib.*
Pretium justum in venditione I. 889. — Circumstantiae, propter quas augeri potest I. 890. 891. 901. — Pretium ab advocato exigendum II. 11. — ab apparitore II. 16.
Princeps leges condere potest I. 84. — Quibusnam id competat I. 87. — Legata profana in favorem reipublicae constituta commutare valet I. 832. — Jus ejusdem quoad bella gerenda I. 407. — quoad tributa exigenda I. 737.
Principia actuum humanorum I. 3. — ad conscientiam in dubiis efformandam I. 75.
Privignus II. 814.
Privilegium quid, quotuplex I. 141. — Nemo per se tenetur uti privilegio *ib.* — Privil. episcoporum II. 124. — clericorum II. 123. 972. 978. 980. — regularium II. 173. 138. not.
Probabiliorismus I. 53. — Impugnatur I. 60. 66. 69.
Probabilis. Cur et quando juxta sententiam probabilem agere liceat I. 55. 77.
Probabilismus I. 53. — Vindicatur I. 60.
Probabilitas quid, quotuplex I. 51. 52. — Quid ad eam requiratur I. 54. — Ejus efficacia ad conscientiam efformandam I. 55. — Valor probabilitatis extrinsecae I. 54. 78. — Varia systemata circa probabil. I. 53.
Probatio semiplena II. 25.
Probitas in ministro sacramentorum II. 207. — in eorum subjecto II. 231.
Proclamationes matrimonii II. 734. — Earum necessitas *ib.* — Tempus II. 736. — Locus II. 737. — Quando repetendae II. 736. — Dispensatio super iis II. 739. — Procl. in revalidatione matrimonii II. 891. 898. — quoad matrim. mixta II. 829. — Obligatio revelandi impedimenta II. 741.
Procuratoris obligationes II. 9. 14. — Contractus per procur. I. 774. — Matrimonium per procur. II. 749.
Prodigi jura quoad contractus I. 771.
Profectitia bona I. 543.
Professio religiosa. Ad ejus valorem requisita II. 139. — Quid per jus novissimum II. 138. — Per metum facta I. 781. II. 139. — An obligatio ad divinum officium inde enascatur II. 146. — Solvit vota I. 334. — sponsalia II. ante 731. — matrimonium ratum II. 759. — irregularitatem ex defectu natalium II. 1019.
Prohibitio quoad consuetudines I. 139.
Proles exposita I. 734.

Promissio quid, conditiones requisitae I. 797. — Obligatio I. 798. — Quid, si promissarius vel promittens moriatur ante exsecutionem I. 800. 837. — Promissio prodiga juramento firmata I. 315. 799. — Promissio nuptiarum facta puellae diviti etc., si in paupertatem etc. incidat I. 315. — Promissio matrimonii facta puellae a promittente violatae I. 729. II. 729. 783.
Promulgatio legis I. 96. — Quid pro lege evangelica I. 124. — An authentica interpretatio indigeat nova promulgatione I. 112. — Ubinam leges pontificiae et episcopales promulgandae I. 97. — An leges pontificiae statim post promulg. obligent I. 97.
Pronuntiatio in horis can. II. 81.
Propositiones damnatae a variis Pontificibus II. 1094. — a Ben. XIV. circa duellum I. 406. — De sensu damnationis II. 1094. not. — Eas docentes etc. II. 974. — Errores circa matrimonium damnati a Pio IX. II. 792.
Propositum differt a voto I. 320.
Propositum in contritione II. 458. — Ejus dotes II. 459. 462. — Requisitum pro venialibus II. 463. — An invariabile esse debeat II. 460. — Quid, si quis certo credit, se relapsurum II. 461.
Proprietas I. 519. 520.
Proprium dioecesis an obliget II. 60.
Proxeneta. Venditio per proxen. I. 915. — Ejus jura *ib.*
Proximus diligendus I. 220. — adjuvandus I. 227. — corrigendus I. 230.
Pruritus. Illum tactu abigere an lic. I. 432.
Puberes quinam I. 762. II. 835. — statum vitae eligentes I. 369. 370.
Publicitas criminis I. 451. II. 219. — impedimenti II. 882.
Puella munera accipiens ab amasio I. 240. — P. expositae, degentes in hospitio, coram quonam parocho matrimonium celebrare debeant II. 848. — V. Puer.
Pueri quando obligentur ad leges ecclesiasticas I. 93. — Quando confirmandi II. ante 270. — Quando obsolvendi II. 439. — Quando s. communione reficiendi II. 320. — Quando extrema unctione roborandi II. 689. — An ipsis applicanda indulgentia in articulo mortis II. 1088. — V. Infans.
Pupillus quis I. 762.
Purificatorium II. 391. 397.
Pyxis qualis pro asservanda eucharistia requisita II. 310. 311. 396. — Pyxidis purificatio II. 315. — Pro administratione s. communionis super corporali reponenda II. 301. — V. Consecratio.

Q.

Quasi-castrensia bona I. 543.
Quasi-contractus I. 754. 6°.
Quasi-domicilium quoad leges I. 94. — quoad ordines II. 706. — quoad matrimonium II. 845. 846. 847.
Quasi-patrimonialia I. 558.

R.

Radices restitutionis I. 633.
Rapina I. 605.
Raptus qua species luxuriae I. 427. — qua impedim. matrim. II. 857. — Raptus seductionis II. 858.
Ratihabitio damni illati I. 674.
Ratum matrimonium quid II. 745. — Quomodo solvatur II. 759.
Rebaptizans, rebaptizatus et adsistens irregulares II. 1032.
Rebellio v. Revolutiones.
Receptator I. 685.
Recidivi II. 632. 635. post 640. — An priores confessiones repetere debeant I. 513.
Reconciliatio. Ordo in ea post offensionem servandus I. 225.
— ecclesiae pollutae II. 389.
Recursum praebens v. Receptator.
Reditus beneficiatis in Gallia a gubernio solvendi an sint bona ecclesiastica I. 563. II. 127. V. Beneficiatus. — Reditus stolae I. 565.
Reductio donationis sive legati I. 806.
— missarum II. 376. 377. — ad quem spectet *ib.*
Refectio unica in die jejunii I. 490.
Referendarii officia II. 14.
Reges an censuris ligari possint II. 948.
Regina coeli (Antiphona) II. 1084.
Regulae ad conscientiam in dubio et formandam I. 75. — pro scrupulosis I. 47. — pro legis interpretatione I. 112. — pro absolutione recidivorum II. 635. — pro absolutione conditionata II. 436.
Regularum obligatio pro religiosis II. 145. — An iisdem teneantur parochi religiosi II. 147.
Regulares praelati an censuras ferre possint in subditos quocumque loco exsistentes II. 946. — Defectus leves subditorum non corrigentes II. 146. — Regularium superiores an vota subditorum irritare valeant I. 330. — Quos ad ordines admittere possint II. 138. — quando concedere literas dimissorias II. 708. V. Superior. — Regularis ad episcopatum assumptus II. 147. — Parochus regularis an ad residentiam obligetur II. 111. — ad regulas II. 147.
Quibus mediis ad perfectionem tendere teneantur II. 142. — Votum paupertatis in religione ad quid obliget II. 153. 951. (Pro patribus soc. Jesu cf. etiam I. 378.) — Votum castitatis II. 164. — Regularis peccans contra castitatem II. 48. — Votum obedientiae II. 168. — Regularium vota in Gallia an sint solemnia

II. 184. — Obligatio regulae II. 145. 147. — Obligatio ad chorum II. 50. 54. 55. 146. — Nequeunt ordinarie confiteri extra ordinem suum II. 174. 557. 559. — Quid in jubilaeo II. 174. 1062. — Quid in itinere II. 174. — Violatio clausurae per eosdem II. 989. 991. — Dimissio habitus II. 979. — Mutatio status II. 147. — Transitus ad alium ordinem II. 147. 977. — Admittentes coactos ad statum religiosum II. 974. — Censurae in regulares statutae II. 977. 998. — A quonam episcopo ordinandi II. 708.

Eorum privilegia II. 173. — Exempti an censuris ligari possint ab episcopo loci II. 949. — Quid quoad administrationem sacramentorum II. 176. 977. — speciatim quoad administrationem baptismi II. 244. — eucharistiae I. 484. II. 290. — extremae unctionis II. 684. — Eorum jurisdictio quoad sacram. poenitentiae II. 557. — in domibus privatis II. 439. 553.

V. Congregatio, Conservatoria, Status, Vocatio.

Detrahere communitati religiosae I. 455.

Relatio actuum ad Deum I. 31. 32. — (operatio mercatoria) I. 906.

Religio qua virtus I. ante 257. — Ejus actus *ib.*

Status religiosus v. Status.

Religiosus v. Regularis.

Reliquiae sanctorum. Earum veneratio et expositio I. 258. 286. — indigna tractatio I. 284. — Reliquiae s. crucis I. 258.

Remedia contra motus concupiscentiae I. 16. — contra peccata II. 605. — contra peccata capitalia I. 174. — contra desperationem I. 215.

Remissio debiti a parte creditoris I. 716. — restitutionis per infamatum I. 460. — peccati v. Absolutio. — poenae peccatis debitae v. Contritio, Indulgentia.

Repressalia an licita I. 409.

Reprobatio consuetudinis per superiorem I. 139.

Res inventa I. 575. — Res aliena, quam quis ex contractu possidet, periens I. 661.

Reservationis natura II. 570. — Quibusnam competat *ib.* — Conditiones, ut peccatum reservatum censeatur *ib.* — An ignorantia a reservatione excuset II. 571. — Dubium de reservatione II. 572. — V. Absolutio.

Casus Papae reservati absque censura II. 953.

Vota Papae reservata I. 333. — An votum reservatum commutatum etiam reservetur I. 336.

Residentia. Obligatio episcoporum ad eam II. 107. — parochorum II. 111. — canonicorum II. 116.

Resignatio beneficiorum II. 131. 134.

Responsa S. Sedis quoad magnetismum I. 280. — usuram I. 876. — jejunium I. 513. — vota religiosa in Gallia II. 178. 185. — obligationem celebrandi pro populo II. 364. *seq.* — indulgentias II. 1077. *seq.* — matrimonium II. 792. — onanismum II. 927.

Restitutio quid; debita I. 626. — An ex bonis diversi ordinis fieri debeat I. 628. — Ejus radices I. 633. — Facienda a possessore bonae, malae vel dubiae fidei v. Possessor. — Facienda ob injustam damnificationem I. 657. v. Damnum. — Rest. ob injustam cooperationem I. 673. V. Cooperatio. — Quantum sit restituendum I. 694. 648. cum notis. V. Solidaria obligatio. — Cui restituendum I. 699. — Quid, si dominus dubius etc. *ib.* — vel incognitus I. 699. 701. — Quo ordine restituendum a cooperantibus I. 702. — creditoribus I. 704. — Quomodo restituendum I. 708. — Restitutio per simulatam donationem I. 709. — Modus restituendi reipublicae I. 712. — Expensae pro restitutione I. 709. V. Debitor. — Rest. praestanda a moribundis I. 632. — Quo loco restituendum I. 709. — Quando restituendum I. 713. — Dilatio restitutionis I. 166. 629. 632. — Causae excusantes a restitutione ad tempus I. 715. — in perpetuum I. 716. — V. Acceptio, Adulterium, Bona, Contractus, Contumelia, Damnum, Duellum, Fama, Fornicatio, Fructus, Homicidium, Honor, Libellus, Ludus, Moderamen, Mutilatio, Occasio, Simonia, Stuprum, Suffragium, Tributa, Usura. — Advocatus, Beneficiatus, Creditor, Debitor, Famulus, Infans, Judex, Maritus, Miles, Parochus, Superior etc.

Restrictio mentalis quid, quotuplex I. 441. — Quando licita I. 442. — Jurare cum restrict. mentali I. 310. 442.

Retrovenditio I. 903.

Reus quis II. ante 25. — An veritatem fateri teneatur II. 25. — Quando restrictione mentali uti possit I. 444. — An fugere ipsi liceat II. 26. — Se sistens coram judice cum certo mortis periculo I. 390. — Reorum occisio I. 392. — Occisio rei aufugientis I. 394.

Revalidatio confessionis II. 511. — Reval. matrimonii irriti ob defectum consensus II. 890. — ob defectum formae praescriptae II. 892. — Quid, si renuant conjuges iterare consensum coram parocho II. 893. — Reval. ob inhabilitatem partium II. 895. — Quid, si impedimentum per rei eventum sublatum sit II. 896. — Modus consensum exigendi a parte impedimenti ignara II. 900. — Reval. cum dispensatione in radice II. 901.

Revelatio criminis alieni v. Detractio. — secreti I. 469. — peccatorum per confessionem cognitorum II. 647.
Reverentia versus parentes I. 365.
Reviviscentia sacramentorum II. 232.
Revocatio testamenti I. 833. — mandati I. 647. — consilii I. 677.
Revolutiones an liceant I. 387.
Risus de turpiloquio I. 420.
Rituale rom. an de praecepto II. 224.
Ritus infidelium an a principibus christianis possint approbari I. 206.
Rixae occasione occisus I. 727.
Rixantes an damnum resarcire debeant I. 727.
Rocchettus an vestis sacra II. 225.
Rosaria indulgentiis ditanda II. 1058. 1080. 1091. — in speciem annuli confecta II. 1085. — Rosarii mysteria II. 1091.
Rota rom. quid I. 127.
Rubricae an de obligatione quoad missam II. 402.; de aliquibus praeceptis in specie II. 409. 410. — Quaenam servandae in breviario II. 71. 72. — V. Oratio.

S.

Sabbatum. Abstinentia in sabbato I. 485. II. not.
Sacerdos. Qua scientia gaudere debeat promovendus ad sacerdotium II. 711. — Sacerdotes curam habentes an semper in statu gratiae esse debeant II. 212. — Aliquando etiam cum mortis periculo sacramenta ministrare debent II. 214. — An se habiles reddere teneantur ad excipiendas confessiones II. 536. — Obligatio ministrandi eucharistiam morituris II. 291. — Obligatio celebrandi II. 359. — S. rubricas observare non valens II. 404. — Sacerdos in mortali contritus, sed absque confessione celebrans an quamprimum confiteri teneatur II. 327. — More laicorum communicans II. 387. — Obedientia ordinario in ordinatione promissa II. 716. — Peccans contra castitatem II. 492. — Sacerdotes corruptores an denuntiandi II. 592. Indigent, ut sacramenta conferant, in genere consensu parochi II. ante 202. — nisi necessitas gravis adsit *ib.* II. 213. — Jurisdictione gaudent in articulo mortis II. 546. 550. 574. 952. — Speciatim de consensu parochi requisito ad ministrandam euchar. II. 289. 291. — ad excipiendas confessiones II. 553. — ad extremam unctionem II. 685. — ad adsistendum matrimonio II. 849. 1000. — An conferre possint ordines minores II. 704.
Sacramentalia quid II. 190. — Eorum effectus II. 233.
Sacramentorum natura etc. II. 190. — Effectus II. 190. 192. 195. — Materia et forma II. 196. — An tutius in illorum administratione eligendum I. 57. — Conditionata collatio II. 205. — Iteratio II. 200. — Observanda in eorum administratione II. 223. 233. — Simulatio II. 220. 222. 771. — Obligatio ea administrandi II. 113. 213. — Indignis deneganda II. 217. 667. 769. — Subjectum II. 227. — Requisita ad validam susceptionem II. 228. — ad licitam II. 231. 830. — An sacramenta valide, sed *illicite* suscepta, remoto obice, reviviscant II. 232. — Indigna eorum administratio et susceptio I. 284. — Ea petere a ministro indigno an lic. I. 249. II. 233. — Ab omnibus de sacramentis scienda I. 197. 203. — V. Minister, Parochus, Sacerdos.
Sacrificium v. Missa.
Sacrilegium quid, quotuplex I. 283. — per peccatum luxuriae I. 284. 424. II. 492.
Sacrosanctae (Oratio) II. 81. 1084.
Saecularis v. Laicus.
Saecularisationis indultum pro religiosis II. 147.
Saevitia, causa divortii II. 761.
Salutatio angelica sub qua obligatione scienda I. 201. — indulg. pro sal. ang. II. 1076.
Sanctitas vitae in clericis requisita II. 38.
Sartoris obligationes I. 916. II. 37. — An excusetur a laboris prohibitione die festo I. 111. — An a jejunio I. 507.
Satisfactio in sacramento poenitentiae injungenda II. 521. — etiam si poenitens indulgentiam plenariam lucrari velit II. 1041. — Quandonam, quanta II. 523. — Quaenam opera eligi possint II. 525. — Obligatio poenitentis, se ei submittendi II. 527. 534. — Quid, si nimis difficilis II. 535. — An circumstantiae praescriptae observandae II. 528. — An plures missae a confessario injunctae simul audiri possint etc. I. 107. II. 535. — Satisfactio in mortali II. 529. — vel per alterum II. 535. — Quid, si quis ejusdem obliviscitur II. 530. — Quo tempore peragenda II. 527. 530. 534. — Commutatio satisfactionis II. 531. — Enumerantur varia opera satisfactionis II. post 535. — Quaenam poenitentia ex stylo curiae vocetur salutaris, gravis, longa etc. II. 882. — Satisf. partis ante absolutionem a censuris II. 955.
Scandalum I. 234. — per luxuriam I. 239. — per pravos libros I. 240. — per choreas I. 242. — per spectacula I. 246. — Reparandum ante absolutionem a censuris II. 955.
Scapulare B. M. V. Variae resolutiones circa ipsum II. 1082. — Commutatio operum scapularis *ib.*
Schedula confessionis. Quid circa eam observandum a confessario II. 660. — An exigenda a nupturis II. 774.
Scienti et volenti non fit injuria I. 600. 601.

Scientia in ordinandis requisita II. 711. — Ejus defectus irregularitatem inducit II. 1022. — Sc. requisita in clericis II. 38. — in confessariis II. 606.
Scientia legis an necessaria ad peccatum I. 144. — ad casum reservatum II. 571. — ad censuram II. 571. 938. — ad irregularitatem II. 1018.
Scribarum obligationes II. 19.
Scribere peccata, ne quis eorum obliviscatur, an necessarium II. 509.
Scripta v. Chirographum.
Scripturae s. abusus I. 284. — Ejus lectio in lingua vulgari II. 984.
Scrupulosus. Regulae pro eorum directione I. 47. 48. — Excusantur ordinarie a correctione fraterna facienda I. 233. — Notanda pro ipsis quoad auditionem missae I. 345. — quoad examen conscientiae II. 508.
Scrupulus quid, signa, remedia scrup. I. 45. 46.
Sculpere die festo an lic. I. 357.
Secale ut materia eucharistiae II. 278.
Secretariorum obligationes II. 19.
Secretum I. 468. II. 29. — Ejus obligatio I. 469. 566.
Sectae massonicae II. 975.
Senex sexagenarius an a jejunio excusetur I. 509. — An s. valide matrimonium contrahat II. 856. — An ipsi liceat usus matrimonii II. 908.
Semifatui v. Amens.
Sententia judicis in falsa facti praesumptione fundata an obliget I. 102. — Quid, si dubie justa vel injusta II. 4. — V. Opinio.
Separatio a toro v. Divortium.
Sepultura ecclesiastica II. 1010. — Quinam ea privandi II. 965. 1011. — Ejus prohibitio per interdictum II. 1004. 1005. 1011. — Quid in dubio de neganda sepultura II. 1013. — Ejus dilatio ob jus sepulturae etc. non solutum II. 1012. — Sepulturae haereticorum interesse I. 192.
Sequestrum I. 845.
Sermones impudici I. 419.
Servi sunt irregulares II. 1026. — Conditio servilis qua impedim. matrim. II. 795. — V. Famuli.
Servitus qua dominium in homines I. 539. 541. — qua species juris I. ante 593. 596. — praescriptio quoad eamdem I. 584. 598. — S. qua matrimonii impedimentum II. 795.
Sigillum confessionis quid; ejus obligatio II. 647. — Differt a sigillo secreti naturalis *ib.* II. 648. — An liceat, in hoc uti opinione probabili II. 650. — Quis ad illud teneatur II. 648. 651. — Quaenam objecta complectatur II. 655. — Varii modi illud violandi II. 664. — An superior vel confessarius uti possit notitia confessionis II. 670. 671.
Signa vocationis religiosae II. 151. — S. dispositionis ad absolutionem ordinaria II. 625. — doloris extraordinaria II. 639.
Silentium oeconomicum I. 98.
Siligo ut materia eucharistiae II. 278.
Simonia quid, quotuplex I. 287. — Quid ad eam requiratur I. 288. — Quid, si temporale principaliter detur ob spirituale I. 289. — Ejus poenae I. 293. II. 972. — Restitutio ob simoniam I. ante 736. — Vide Spirituale, Stipendium.
Simulatio I. 438. 440. — sacramentorum II. 220. — specialiter matrimonii II. 222. 771.
Simultas materiae et formae in sacram. II. 197.
Societates occultae v. g. fenianorum, murariorum, carbonariorum II. 975. — operariorum II. 976.
Societatis contractus I. 917.
Sodomia I. 433.
Solidaria obligatio ad restitutionem I. 694. — Dubium de solidaritate vel an restitutio ab aliis facta I. 696.
Sollicitatio ad peccatum an accusanda I. 237.
— in confessione a confessario facta denuntianda jure positivo II. 589. 973. — An etiam jure naturali II. 592. — Modus denuntiationis II. 598. — Poenae contra sollicitantes II. 597.
Somnambulismus v. Magnetismus.
Somnia an fidem mereantur I. 270.
Sororius II. 814.
Sortium usus an licitus I. 269. — Sortis periculum I. 859.
Sortilegium I. 266. 271.
Species peccatorum I. 157. — in confessione exponendae II. 469. 471. — Vide Circumstantiae, Integritas.
Specificatio (species accessionis) I. 591.
Spectacula v. Comoediae.
Spelta ut materia eucharistiae II. 278.
Spes I. 211. — Ejus necessitas I. 212. — Vitia opposita I. 211. 213.
Spicas etc. colligere an lic. I. 576.
Spirituale an objectum contractus esse possit I. 758.
Sponsalia II. 722. — Conditiones II. 723. — Spons. sub conditione *ib.* — ex metu celebrata I. 781. II. 724. — Spons., dum rapta sub potestate raptoris exsistit II. 859. — Matrim. clandestinum vel civile an valeat pro sponsalibus II. 730. — Obligatio ex sponsalibus II. 726. — Arrhae in iisdem II. 728. — Spons. dissolutio II. 731. — Auctoritas ad hanc requisita II. ante 731. — An dissolvantur per matrim. cum alio II. 733. — Spons., impedimentum impediens matr. II. 779. — impedim. dirimens II. 816.
Sponsi matrim. celebraturi calleant rudimenta doctrinae christianae II. 743. —

sint in statu gratiae II. 773. 775. — An parochus adsistere possit matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores II. 769. — Quid, si ad confessionem immediate ante matrimonium accedant pravae consuetudini addicti II. 640. — An monendi de impedimento ignorato II. 613. — An teneantur, sibi invicem patefacere defectus occultos II. 732. — Sponsus cum alia sponsalia contrahens et cum ipsa peccans II. 727. — An sponsa reddere debeat munera, si matrim. non sequatur II. 728. — Sponsae fornicatio cum extraneo an speciem mutet II. 486.

Sponsio I. 942.

Spontaneum in actu humano quid I. 4.

Spurius v. Illegitimus.

Status. Quaenam bona censeantur statui necessaria I. 228.

— gratiae v. Sacramenta.

— religiosus II. 136. — Ejus natura et essentiales conditiones II. 137. 177. — Qui ad eum obligentur vel ab eo prohibeantur II. 148. 149. — Avertens ab ingressu in relig. I. 723. II. 150. — Debitis gravatus religionem ingrediens I. 718. — St. rel. mutatio II. 147. — Dans vel accipiens temporale pro ingressu in religionem I. 291. — Votum ingrediendi religionem II. 148. 782. — V. Conjugatus, Novitiatus, Professio, Regulares, Vocatio.

— liber quoad sponsos II. 737. 738. 784.

Stearinas candelas admissam adhibere an liceat II. 401.

Stipendium famulorum I. 382.

— pro functionibus sacris an licitum I. 288. — etiam divitibus II. 376. — Functiones sacras obire principaliter ob stipendium I. 289. II. 373. — Stipendium supra taxam exigere I. 292. ante 736. II. 377. — Stipendium pro missa II. 369. — Quodnam justum II. 370. 376. — An minus stip. dari possit, si per alium celebretur II. 374. — An aliquid detrahi ob expensas, v. g. pro vino II. 376. — Stipendium pro missa die 2. Nov. II. 377. — pro pluribus missis eodem die celebratis II. 383. — praesertim in die nativitatis Domini *ib.* — Obligatio ex stip. oriens II. 369. — Quomodo adimplenda II. 369. 370. 371. 377. 1080.

Stipes in consanguinitate II. 799.

Stola quibus in functionibus adhibenda II. 226. 295. 301. 337. 439. etc. — Stolae reditus cui bonorum generi accensendi I. 565.

Stuprum I. 425. — Restitutio ob stuprum I. 728.

Suadere minus malum an liceat I. 237. 677.

Subdelegatio v. Jurisdictio.

Subdiaconatus II. 697. — An sit sacramentum II. 699. — V. Ordo.

Subjectum v. Lex, Sacramentum, Baptismus etc., Censura.

Subreptio in petitione dispensationis I. 117. II. 864.

Subsannatio I. 462.

Substitutio fideicommissaria et directa I. 838. — An valeant pro conscientia subst. fideicommissariae a lege prohibitae I. 839. — vel occultae I. 840.

Successio in haereditate I. 822. — descendentium, adscendentium, collateralium I. 825.

Succursalistae in Gallia quoad jurisdictionem II. 555.

Suffragium dans injustum quoad restitutionem I. 681. 682. — Suffr. non dans, cum potest I. 683. 693.

Suicidium I. 389. — Suicidae privantur sepultura ecclesiast. II. 1011.

Superbia I. 174.

Superflua beneficiorum I. 559. V. Beneficiatus. — proprii status I. 227.

Superioris obligationes I. 382. — specialiter quoad impedienda peccata subditorum I. 233. II. 146. — Subditos avertens a statu religioso II. 150. — Minus dignis officia distribuens I. 535. II. 130. — Notitia ex confessione ad gubernationem externam subditorum utens II. 670. — Subditorum literas aperiens et legens I. 472. — Non impediens damna a subditis intentata an restituere teneatur I. 692. — An possit dispensare cum semetipso I. 116. — V. Episcopus, Parochus, Regulares.

Superiori legitimo obtemperandum I. 84.

Superstitio I. ante 263.

Surdi quomodo confiteri possint II. 503. — An irregulares II. 1023.

Surdomuti quomodo confiteri debeant II. 503. — quomodo indulgentias lucrari valeant II. 1057. — Obligationes parochi quoad surdomutos II. 112. 503.

Suspensio quid, quotuplex etc. II. 993. — Susp. ad cautelam *ib.* — ex informata conscientia *ib.* — a divinis *ib.* — Quomodo tollatur II. 997. — Enumerantur aliquae suspensiones II. 998. — Susp. qua poena vindicativa II. 932.

Suspicio temeraria I. 465.

Symbolum apostolicum explicatur I. 198. — Sciendum necessitate praecepti I. 197.

Systemata circa probabilitatem I. 53.

T.

Tabaci usus quoad jejunium naturale II. 331. 332.

Tabernaculum II. 310. — Praeter eucharistiam nullae res sacrae in eo reponendae II. 311. — Quaenam ab eo removenda I. 258.

Tabulae rotantes I. 273.

Tactus physicus instrumentorum an ad validam ordinum collationem necessarius II. 702.

Tactus luxuriosi I. 413. — in ecclesia I. 424. — inter conjuges II. 919. — cum bestiis I. 435. — cum personis sacris I. 284.
Taxa pro dispensationibus II. 866. 883.
Tempus. Circumstantia temporis sacri an mutet speciem peccati II. 487. — Lex promulgata quo tempore obliget I. 96. 97. — Quid, si tempore determinato legi non satisfactum I. 106. — Tempus requisitum ad consuetudinem I. 137. 138. — Votum quo tempore adimplendum I. 327. — Tempus requisitum ad praescriptionem I. 584. — Tempus pro restitutione I. 166. 629. 632. 713. — Quo tempore eliciendi actus fidei I. 187. — spei I. 212. — caritatis I. 218. — Tempus, quo obligat confessio I. 477. II. 466. — communio I. 480. II. 318. — Tempus clausum ut impedimentum impediens matrimonii II. 778.
Tentationi quomodo resistendum I. 16. — Dei I. 282.
Testamentum quid, quotuplex I. 814. — Conditiones I. 815. — Testamenta formis legalibus destituta I. 817. 818. — Testatores I. 820. — Quae cognatis relinquere debeant I. 825. — Revocatio testamentorum I. 833. — Commutatio I. 832. II. 376. — Principia juris austriaci quoad testamenta I. 834. — V. Collatio, Haeres.
Testis in judicio II. 27. — in testamento I. 816. — in matrimonio II. 836.
Theatra v. Comoedia.
Thesauri inventio I. 575.
Timor servilis, serviliter servilis II. 451. — V. Metus.
Titulus alicujus juris quid I. 520. — Tit. verus, coloratus, existimatus I. 583. II. 548. — Tit. ad transferendum dominium et ad praescriptionem I. 583. — Tituli ab usura excusantes I. 856. — Tit. requisitus, ut ob errorem jurisdictio in confessione suppleatur II. 548. — Titulus ordinationis II. 710. — paupertatis pro regularibus II. 708. 710. 998.
Toleratus II. 956.
Tonsura II. 697. 998. — Clericis praescripta II. 45. 48.
Torus. Separatio quoad torum II. 760.
Traditio requisita ad transferendum dominium (exponuntur principia juris austriaci) I. 881. — Traditio rei emptae I. 886.
Transactio I. 950.
Transitus ad aliam religionem II. 147. 977.
Transsubstantiatio II. 272.
Tribunalia romana I. 127.
Tributa I. 736. — Leges circa tributa an obligent in conscientia I. 737. — Trib. an solvenda a locatore vel a locatario I. 925. — Restitutio ob tributa non soluta I. 737. 738.
Tridentinum v. Concilium.
Triennalis experientia in matrim. II. 856.
Trinus contractus I. 919.
Tutiorismus I. 53.
Tutius quando eligi debeat I. 56.
Tutor I. 762.
Tyrannum occidere an liceat I. 394.

U.

Unctio in baptismo II. 253. — in confirmatione II. 261. — Vide Extrema unctio.
Usura quid I. ante 853. — Ejus species I. 854. — Quando licita vel illicita I. 853. 874. — Tituli a peccato excusantes I. 856. — Decisiones S. Sedis hac de re I. 876. — Quantitas licita, praesertim vi legis I. 862. 868. 875. — Mutuum ex mutuo I. 871. — Usura ex cambio I. 930. — Restitutio ob usuram illicitam I. 854. 855. — V. Interesse.
Usurario domum locans I. 250. — Mutuum petens ab usurario I. 10. 249.
Usurpatio vana divini nominis I. 296. — nominum sanctorum I. 298. — Frequens usurpatio nominis daemonis *ib.* — Usurp. bonorum Ecclesiae I. 750. II. 980.
Usurpatori regni an obedire liceat I. 387. — an juramentum fidelitatis praestare I. 310. 387.
Usus I. 593.
Ususfructus I. 593.
Uxorum obligationes I. 378. 380. — Jura quoad irritationem votorum mariti et filiorum I. 330. — Dominium I. 548. — Jura quoad contractus I. 766. — quoad eleemosynam I. 228. 555. 557. — Furta I. 608. — Uxor, quae vovit castitatem extra religionem, ut vir ordinetur, potestne eo defuncto valide matrimonium celebrare II. 44. 797. — Quid de uxore, si vir ordinatur II. 710. — V. Cohabitatio, Debitum conjugale.

V.

Vagi quibus legibus teneantur I. 94. — Ubi eorum sponsalia ineunda et proclamanda II. 738. — Coram quonam parocho matrim. celebrare possint II. 848.
Valor actus I. 2.
Vana observantia I. 264. — V. Usurpatio.
Vasa sacra tangere cui liceat I. 286. — Eorum profanatio I. 284. 286. — Quando exsecrentur II. 390. — Reficienda an exsecrari debant I. 286.
Vaticinium I. 266.
Vectigal v. Tributum.
Venatio die festo I. 358. — contra legis praescriptum I. 571. — in fundo alterius I. 572. — Clericis prohibita II. 104.
Venditio quid I. 881. — An licita die festo I. 355. — An clericis II. 105. — Venditoris obligationes, praesertim quoad defectus et damna rei I. 882. — Eorum fraudes in venditione I. 897. 902. — Conspirantes de pretio summo etc. I. 913. — Jurantes, se minoris vendere non posse I. 315. — V. cooperatio ad malum I. 254.

— Arrhae venditioni additae vis I. 887. — Vend. jurium incorporeorum *ib.* — An venditor teneatur de evictione rei I. 638. 888. — V. Licitatio, Monopolium, Pretium, Proxeneta. Retrovenditio.
Veni, creator Spiritus; Veni, sancte Spiritus (hymni) II. 1084.
Veniale peccatum quid I. 146. — Ejus exsistentia I. 149. — Quae requirantur ad veniale I. 150. — Veniale ex defectu advertentiae I. 6. — Ejus remissio II. 233. 457. 459. 463. — Quomodo fiat mortale I. 153. — An venialia multiplicata mortale efficiant I. 155. — An sit obex ad lucrandas indulgentias II. 1044. 1045.
Vesperae an de obligatione die festo I. 340. — V. Horae.
Vestis. Mulier virili veste utens I. 239.
Vestes sacrae an converti possint in usum profanum I. 286. — Vestes requisitae ad missam II. 391. 392. — ad sacramentum poenitentiae II. 439. — Earum color II. 393. — V. Paramenta. — Vestis clericorum II. 45.
Vetitum Ecclesiae, impedimentum impediens matrim. II. 777.
Vexatio. Redemptio ab injusta vexatione quoad bonum spirituale an sit simonia I. 290. 294.
Via crucis. Decisiones S. Congreg. Ind. quoad indulgentias viae crucis II. 1078. 1086. 1091.
Viaticum. Obligatio ad illud ministrandum II. 291. — ad illud suscipiendum II. 318. — V. Communio.
Vicarius an possit adsistere matrimonio seclusa parochi delegatione II. 850. — An ipsi stipendium tribuendum, si loco parochi missam pro populo applicet II. 363.
— capitularis quis II. 122. — Ejus jura *ib.* — An teneatur celebrare pro grege II. 361.
— generalis. Ejus jurisdictio II. 550. — An jurisdictionem pro foro interno delegare possit *ib.* — An dispensare in proclamationibus II. 740. — Quando dimissorias concedere possit II. 707.
Vinum praebens se inebriaturis I. 255. — An violet jejunium I. 490. 491. — Materia eucharistiae II. 276.; quid, si acescens vel congelatum II. 279. 280.
Violatio legis ex contemptu I. 101. 153. — Violatio personae voto simplici castitatis extra religionem ligatae an sit sacrilegium I. 285. — Viol. ecclesiae II. 388. — V. Secretum.
Violentia quid, quotuplex, influxus ejusdem in voluntarium I. 20. — V. Vis.
Vir v. Conjuges, Maritus.
Virga divinatoria I. 270.
Virgo se exponens mortis periculo ad castitatem servandam I. 390. — Invasorem pudicitiae occidens I. 398. 399. — An teneatur subire operationem probrosam per manus medici I. 391.
Virtus quid, quotuplex I. 185. — Virtutes theologicae, cardinales *ib.* — Virtus religionis I. ante 257. — Ejus actus *ib.*
Vis quoad actum humanum I. 20. — Impedimentum dirimens matrimonii II. 832.
Visitatio dioecesis per episcopum II. 109. — parochianorum II. 114. — templorum haereticorum I. 192.
Vitae propriae conservatio I. 391.
Vitalitius census I. 931. 935.
Vitandus II. 956. — Quae sacramenta in articulo mortis conferre possit II. 960.
Vitricus II. 814.
Vocationis ad statum clericalem vel religiosum exsistentia II. 118. — Signa vocationis ad statum clericalem II. 720. — ad statum religiosum II. 151. — Obligatio enascens ex vocatione ad statum rel. II 149. — Non vocatus ad statum cler. vel rel. II. 150. 720. — Dubium de vocatione II. 152.
Volitum quid I. 4. — Nil volitum, quin cognitum I. 3. 14. 144.
Voluntarium quid I. 4. — Quotuplex I. 5. — Vol. indirectum a peccato non excusat I. 5. — Quando sit imputabile I. 8. — An multiplex peccatum contineat I. 145. — Opposita voluntario I. 13.
Vomitu laboranti an s. communio praeberi possit II. 320.
Votum quid I. 319. — Votum solemne I. 319. II. 178. — An votum solemne specie differat a simplici I. 285. — Conditiones ad v. validitatem I. 320. — V. cum errore, cum ignorantia obligationis vel ex metu factum I. 321. 322. 751. — Dubium, an quis votum vel propositum emiserit I. 322. — Quid voveri possit I. 323. — Votum cum fine aut conditione prava I. 324. — Interpretatio voti I. 325. — Quomodo votum obliget *ib.* — Specialiter de voto disjunctivo I. 328. — Opus voti exsequens, intendendo expresse non satisfacere I. 104. — Non valens integra voto satisfacere I. 109. 323. — Cessatio voti I. 329. — per professionem religiosam I. 334. not. 3. — Irritatio I. 330. — Dispensatio I. 332. — Vota Papae reservata I. 333. — An Papa etiam in votis solemnibus dispenset II. 40. 147. — Commutatio I. 334. — Vota in religione v. Regulares. — Votum ingrediendi religionem II. 148. 782. — Votum celebrandi festum quos obliget I. 474. — Votum audiendi missam per mensem etc. I. 325. — Votum non peccandi I. 324. — V. Castitas, Sponsalia.
Votum ut impedimentum impediens matrimonii II. 780. — ut imped. dirimens I. 44. 797.

ADDENDA ET EMENDANDA.

g. 13. col. 2. n. 25. lin. 3. loco *internus* lege *externus*.
55. col. 1. not. 1. Cf. *p. 2. n. 865. II. not.*
65. col. 1. lin. 9. loco *qua etransvehuntur* lege *quae transvehuntur*.
119. col. 2. n. 268. 4°. lin. 2. loco *fatibus* lege *vatibus*.
144. col. 2. not. 1. lin. 5. loco *nservient* lege *inservient*.
325. n. 729. Cf. *p. 2. n. 729. not.*
439. n. 43. Cf. *p. 2. n. 710. not. 2.; n. 762. Q. 2°. not.*
440. Q. 6°. Cf. *p. 2. n. 797. II. not. 2.*
474. col. 2. in notis lin. 20. loco *collecta* lege *collectas*.
478. col. 1. in not. §. Probabilissimum tamen. Modificanda est doctrina *S. Alphonsi* in hoc puncto, uti constat ex sequente decisione *S. C. Episc. et Regul. d. d. 6. Maji 1864.* Ad *quaesitum* enim, an et quomodo episcopus regularis teneatur ad regulam servandam, quam professus est, *respondit: Affirmative, ad praescriptum constitutionis Benedicti XIII. incipientis* Custodes, *nempe episcopus regularis tenetur observare regulas suae religionis, quae materiam voti paupertatis determinant; item tenetur, alias regulas et observantias, dignitati et officio episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur, antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.* — Plura *v. Act. vol. 1. fasc. 8. p. 449. et seq.* — *Anal. J. P. ser. 7. col. 728.* — *Thesaurus, de poen. eccles. p. 2. ad v.* Religiosi *c. 18. etc.*
579. col. 1. not. 2. loco *n. 1089. Quaer. 1°. not.* lege *n. 1089. VI. 3°.*
660. col. 2. not. 1. in fine. Quoad liceitatem absolutionis cum jurisdictione *probabili* tres sententiae occurrunt. *Prima* negat hanc liceitatem; *secunda,* quam sequitur *S. Alphonsus,* ut *p. 2.* ad *n. 549. Q. 4°.* adnotavimus, eam affirmat, modo ratio sufficiens adsit, absolutionem non obstante hoc dubio impertiendi; *tertia* demum absolutionem simpliciter licitam asserit. Hanc tertiam sententiam *editor romanus (tom. 2. p. 947. not. c.)* amplectitur tum ob auctoritatem, quae ipsi suffragatur; tum ob consuetudinem fere omnium confessariorum, absolvendi cum jurisdictione probabili, quin auctores vetustiores, qui hanc consuetudinem testantur, necessitatem causae indicent; tum quia, si specialis causa exigeretur, administratio et susceptio sacramenti poenitentiae nimiis difficultatibus obnoxia essent; tum quia rationabilis causa de facto numquam deest, cum dubium plerumque tunc demum enascatur, si confessarius jam bona fide incepit audire confessionem.

Nihilominus haec tertia sententia minus nobis arridet. Non nos movet *per se* numerus auctorum; scimus enim, etiam sententias, quae a multis defendnntur, a vero deflectere posse. Id v. g. contigit sententiae, simplicem sacerdotem directe a venialibus absolvere posse, quae falsa est, licet *Sanchez* talem absolutionem omnino validam et certam dixerit et *Suarez* contrariam sententiam falsam et improbabilem. (Cf. *Lugo, de poenit. disp. 19.*

n. 33.) Hinc sane etiam pondus rationum pendendum erit. — Non nos movet necessitas supplendi ex parte Ecclesiae ob difficultates secus orituras; constabit enim ex sequentibus, hasce difficultates non esse tantas, ac supponitur: insuper Ecclesia pia mater quidem est, sed simul legislatrix, quae non absque causa pro bono publico vim absolvendi restringit. — Non nos movet tandem consuetudo, cum valde dubitemus, an talis consuetudo etiam hodie subsistat.

Praescindendo porro ab illis casibus, in quibus certo constat, jurisdictionem ab Ecclesia suppleri, et ab istis, in quibus dubium *prudens* de jurisdictionis exsistentia moveri non potest (de hisce casibus enim nulla controversia subsistit), ad solvendam quaestionem dubium probabile de exsistentia cujusvis jurisdictionis a dubio de extensione ejusdem distinguendum esse, censemus.

In dubio probabili *de exsistentia jurisdictionis* absolutio ipsa dubia erit, ideoque tunc solum adhibenda, si quando forte absolutio dubia defectui omnis absolutionis praeferenda esset. Scimus enim, Ecclesiam jurisdictionem deficientem supplere in articulo mortis; item si adest error communis cum titulo colorato *(Gury p. 2. n. 548.)*; sed pro aliis circumstantiis nihil ex jure pro tali facto afferri potest. — V. etiam *Thesaurus, de poenis eccles. p. 2. ad v.* Absolutio c. 2. §. *Limita, ut sufficiat* — *Pruner, de jurisd. c. 1. art. 8. p. 21.* Neque *Suarez* et *Lugo* in hoc puncto absque haesitatione loquuntur. — Cf. *Lugo l. c. n. 29. et seq.*

Si vero *de extensione jurisdictionis* quaestio agitetur (v. g. an jurisdictio confessarii se extendat ad reservata), imprimis adnotandum erit, in dubio *objectivo* de reservatione alicujus peccati hanc non subsistere. (Cf. *Gury p. 2. n. 572.*) In aliis autem casibus de *validitate* absolutionis a peccatis non dubitamus, dummodo poenitens, quem in bona fide supponimus, aliam sufficientem materiam pro administratione sacramenti praebeat: tunc enim indirecte etiam a reservatis liberabitur. (V. *Gury p. 2. n. 575. 578. Q. 5°.; 960. 1°. not. 1.*) Quin etiam, si peccata in illa confessione non delerentur, per subsequentem susceptionem alterius sacramenti cum debita dispositione indirecte cessarent. (V. *Gury p. 2. n. 192. Q. 2°.*)

Non tamen inde sequi existimamus, confessarium dubia illa jurisdictione, sive de dubio positivo, sive de negativo agatur, uti posse pro lubitu, absque causa relative gravi, nisi forte principium aliquod reflexum ad dubium tollendum ipsum adminiculet. Obligatur enim, regulariter sacramenta debito modo administrare ideoque procurare, ut directe absolvat. Quodsi quaeras, quaenam sint istae causae, easdem in genere requiri putamus, quae absolutionem a reservatis absque delegatione licitam reddunt. (*Gury p. 2. n. 575.*) Non tamen negamus, circumstantias occurrere posse, in quibus leviores sufficiant, v. g. si confessarius non recordetur, utrum aliquis casus reservatis adnumerandus sit annon; non videtur enim ob talem defectum poenitens molestandus.

Pag. 748. col. 2. Q. 6°. Cf. *n. 1022. 3°. not.*
" 830. col. 1. not. 1. lin. 8. et 9. loco *dodaturum* lege *dotaturum*.
" 830. col. 2. not. lin. 13. loco *cognivit* lege *cognovit*.
" 876. col. 1. not. lin. 17. loco *tantum* lege *tandem*.

Im Verlage von G. J. Manz in Regensburg ist erschienen und alle Buchhandlungen zu beziehen:

J. P. GURY,
casus conscientiae
in praecipuas quaestiones theologia moralis. Ed. in germania prima. 8. maj. 3 fl. 24 kr. od. 2 Thlr. 3 sgr.

L. ABELLY,
medulla theologica
ex Sacris scripturis, Conciliorum Pontificumque decretis et Sanctorum Patrum ac Doctorum placitis expressa, in qua quidquid tum ad fidei mysteria sane ac recte intelligenda, et ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad Sacramenta debite conficienda et ministranda, tum ad actiones humanas juxta divinae legis normam dirigendas spectare potest, facili ac compendiaria methodo explicatur. Editio nova. II Partes. 8. 3 fl. 24 kr. od. 2 Thlr. 5 sgr.

G. F. J. BOUVRY,
expositio rubricarum breviarii, missalis et ritualis romani,
cum annotationibus de origine, ratione ac sensu mystico rubricarum, caeremoniarum et festorum in 4 Partes distributa. II Tomi. (Tom. I. Pars 1. De rubricis in genere. P. 2. Expositio rubricarum tam generalium, quam specialium, Breviarii romani. Ad calcem exscribuntur S. Sedis decreta, quae videntur necessaria aut magis utilia, pro materia in hoc tomo tractata. Tom. II. P. 3. De missali romano. P. 4. De rituali romano. Ad calcem ponuntur tres append. seq.: 1. Memoriale rituum... Bened. XIII. 2. Versio latina inst. Clem. de orat. 40 horar. 3. Series chronolog. decret., quae ad hunc tomum spectant.) 8. 3 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 9 sgr.

Concilii Tridentini canones et decreta.
Des Concils von Trient Beschlüsse und Canones nebst den bezüglichen Bullen. Nach der Uebersetzung des P. Egli neu bearb. von J. G. Wesselack. Mit gegenüberstehendem lateinischen Texte der neuesten römischen Ausg. gr. 8. 1 fl. 39 kr. od. 1 Thlr.

CANONES ET DECRETA
sacrosancti oecumenici
CONCILII TRIDENTINI
sub Paulo III., Julio III. et Pio IV. pontificibus maximis. Cum additamentis et indicibus ad conc. Trident. spectantibus. Ed. stereotypa. 8. 54 kr. od. 15 sgr.

CATECHISMUS
EX DECRETO CONCILII TRIDENTINI
AD PAROCHOS
Pii V. et Clementis XIII. Pont. Max. jussu editus ad editionem Romae A. D. 1845 publici juris factam accuratissime expressus. Ed. stereotypa. 8. 1 fl. 21 kr. od. 22½ sgr.

☞ Beide Ausgaben sind die correctesten und billigsten, worüber ausführliche Anzeigen durch alle Buchhandlungen zu haben sind.

S. GREGORII Papae I.
liber regulae pastoralis.
Praemissae sunt dissertatiunculae tres, sc. de usu SS. Patrum, de vita S. P. N. Gregorii M., deque libro regulae pastoralis, lingua vernacula conscriptae. Ed. novissima. 8. 1 fl. 12 kr. od. 22½ sgr.

P. M. HEILIG,
methodus confessiones generales
in sacro poenitentiae tribunali excipiendi juxta doctrinam et ordinem theologiae moralis S. Alphonsi de Ligorio, in gratiam neoconfessariorum. Editio ex cl. auctoris mandato et curis in Germania I. 8. 18 kr. od. 6 sgr.

CHR. HÖFLINGER,
directorium rituum
pro ecclesiis parochialibus, in quib stantiores sacrae functiones sine Diacono diacono persolvendae sunt, ex s. rit. con cretis et approbatis rubricistis excerpt. 30 kr. od. 10 sgr.

CHR. HÖFLINGER,
sacerdos curatu
in oratione privata et visitatione infirmor Manuale precum selectarum cum compend infirmorum ad usum et commodum sacer cura animarum laborantium praeprimis in Ratisbonensi nec non in archid. Monaco-Fr et in dioec. Augustana. 12. geh. 48 kr. od.

CHR. HOFLINGER,
casus liturgici
ad usum neocuratorum et conferen pastoralium ordine alphabetico proposi viter resoluti. 12. 40 kr. od. 12½ s

THOMAS A KEMPIS,
de imitatione Christi libri
Praemissae sunt orationes selectae et missa nec non devotio viae crucis pissima. accur. emend. 16. 18 kr. od. 6 sg

S. ALPH. M. DE LIGUORI
homo apostolicus
instructus in sua vocatione ad audiendas ones. Sive praxis et instructio confess Adsunt in fine operis appendices perutiles. 4 Tomi. 8. 3 fl. od. 1 Thlr. 25 sg

S. ALPH. M. DE LIGUORI
theologia moralis.
Novam editionem emendatam et opportu auctam curavit P. M. Haringer. 8 Vol. Cu 8. 7 fl. 36 kr. od. 4 Thlr. 15 sgr.

Manuale decretorum authe oorum
sacrae rituum congregationis, quod ex Fr. Barthol. a Ciantio opere in brevior modioremque formam redegit J. A. Eb 1 fl. 12 kr. od. 22½ sgr.

Manuale Ordinandorum
Liber non ordinandis solum, sed et ordina sertim sacerdotibus utilissimus. Editio Rati Prima. Cum approbatione reverendissim strissimi Ordinarii Ratisbonensis. 12. 1 od. 25 sgr.

Martyrologii Romani
Gregorii VIII. jussu editi, Urbani VIII mentis V. auctoritate recogniti ac dein MDCCXLIX. Benedicti XIV. labore et stu et castigati edit.; noviss. SS. D. N. Greg Pont. Max. auspice et patrono, in qua S et Beatorum extant elogia, pro ordin. eti lar. a sac. rit. congr. ad haec usque tem probata. Juxta exemplar Romae excusum 4 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 25 sgr.

Memoriale Rituum
pro aliquibus praestantioribus sacris fun persolvendis in minoribus ecclesiis paro Jussu Benedicti XIII. P. M. editum. 8 od. 10 sgr.

W. MÜHLBAUER,
instructio practica
pro singulis ministris inservientibus Missis, Vesperis et aliis functionibus solemnibus, quae a reverendissimis Archiepiscopis, episcopis vel aliis praelatis usum pontificalium vel mitrae tantum habentibus ritu pontificali celebrantur. Ex genuinis fontibus et probatissimis auctoribus opera et studio liturgiae peritissimorum virorum concinata. 8.
1 fl. 48 kr. od. 1 Thlr. 8 sgr.

D. NEYRAGUET,
compendium theologiae moralis
S. A. M. de Liguori. Complectens tum operis moralis tum operis, cui titulus „homo apostolicus", substantiam solamque auctoris doctrinam, meliori ordine digestam, servatis, quantum fieri potuit, ipsius textus verbis. Editio prima in Germania, 8. maj. 3 fl. 12 kr. od. 2 Thlr.

Dr. P. PALÁSTHY, Prof.,
theologia morum catholica.
II Partes. (3 Sect.) 8. maj. 6 fl. od. 3 Thlr. 18 sgr.

J. PERRONE S. J.
praelectiones theologicae,
quas in Coll. Rom. habebat. Editio XXI. Ratisbonensis I. novissimis cl. auctoris curis ac notis ornata et aucta. 9 Volumina. Lex. 8. 10 fl. 30 kr. od. 6 Thlr.

J. PERRONE S. J.
praelectiones theologicae,
quas in Coll. Rom. habebat. Ab eodem in Compendium redactae. Praemissa est ejusdem historiae theologiae cum philosophia comparatae synopsis. Editio XXVII. Ratisbonensis II. Novissimis cl. auctoris curis ornata et aucta. 2 Volumina. Lex. 8. 4 fl. 12 kr. od. 2 Thlr. 16 sgr.

J. PERRONE S. J.
thesis dogmatica de immaculata B. M. V. conceptione
addenda praelectionibus theologicis quas in coll. Rom. S. J. habebat. (Suppl. Vol. V.) Lex. 8. 12 kr. od. 3¾ sgr.

P. TH. RUINART,
acta Martyrum,
opera et studio collecta, selecta atque illustrata. Accedunt praeterea in hac editione acta SS. Firmi et Rustici ex optimis codicibus Veronensibus. Editio juxta exemplar Veronense novis curis quam emendatissime recusa. Lex. 8. 3 fl. 36 kr. od. 2 Thlr. 8 sgr.

Novum Testamentum.
Textum graecum ex codice vaticano, latinum ex vulgatae editionis exemplaribus correctum ed. Dr. V. Loch. 8. 2 fl. od. 1 Thlr. 8 sgr.

Novum Testamentum.
Latine ex vulgatae editionis exemplaribus et correctoriis romanis ed. Dr. V. Loch. 8. 48 kr. od. 15 sgr.

Novum Testamentum.
Graece e codice vaticano ed. Dr. V. Loch. 8. 1 fl. 21 kr. od. 27 sgr.

P. S. WIEST,
institutiones theologicae dogmaticae
in usum academicum. Partes II, in uno tomo comprehensae. Ed. IV., quam curavit Dr. J. Laberer. 8. maj. 4 fl. 45 kr. od. 3 Thlr. 5 sgr.

CHR. G. WILKE,
Lexicon graeco-latinum
in libros Novi Testamenti usibus scholarum et juvenum S. theologiae catholicae studiosorum accommodatum. Edit. perfecit Dr. V. Loch. Lex. 8. 4 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 28 sgr.

BERNARDI PAPIENSIS
Faventini episcopi
summa decretalium.
Ad librorum manuscriptorum fidem cum aliis ejusdem scriptoris anecdotis ed. Dr. E. A. Th. Laspeyres. Acced. tabula script. cod. exhib. specimina. Lex. 8. 4 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 26 sgr.

IGNATII DE LOYOLA S. P.
exercitia spiritualia
cum versione literali ex autographo hispanico notis illustrata. Editio in Germania prima juxta editionem romanam quartam recognitam et auctam recusa. Cum effigie. 8. 1 fl. 48 kr. od. 1 Thlr. 3 sgr.

J. BONA,
de sacrificio missae
tractatus asceticus, continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi. Nova edit. cur. M. Sintzel. Opus vere aureum. Nova editio accurata juxta Exemplar Romanum. Cum appendice preces ante et post missam complectenti. 18. geh. 30 kr. od. 10 sgr.

Biblia sacra.
Vulgatae editionis juxta exemplaria ex typographia apostolica vaticana Romae 1592 et 1593 inter se collata et ad normam correctionum Romanarum exacta auctoritate Summi Pontificis Pii IX. Ed. Dr. V. Loch. Ed. II. 4 Tomi. 8. 2 fl. 12 kr. od. 1 Thlr. 10 sgr.
Dieselbe Ausgabe in 12. (Taschenformat.) 4 Bdchen. 2 fl. 42 kr. od. 1 Thlr. 20 sgr.
Unter allen vorhandenen Ausgaben der Vulgata ist die vorstehende die correcteste u. billigste.

Breviarium Romanum
ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini restitutum. S. Pii V. Pontificis max. Jussu editum, Clementis VIII. et Urbani VIII. Auctoritate recognitum, in quo et Festa nova a Summis Pontificibus usque ad hunc annum ordinata et approbata, accurate sunt disposita. Editio IIa. Cum **Supplemento festorum novissimorum.** 12. maj. 1868. (66 Bogen auf Velinschreibpapier mit 1 Stahlstich.) n. 3 fl. od. 1 Thlr. 26 sgr. In Saffianleder mit gefärbtem Schnitt geb. n. 3 fl. 54 kr. od. 2 Thlr. 11 sgr. Mit feinem Goldschnitt n. 4 fl. 36 kr. od. 2 Thlr. 24⅔ sgr. In Saffianleder mit Kanten und gefärbtem Schnitt als **Einlegebrevier** geb. n. 4 fl. 12 kr. od. 2 Thlr. 18⅓ sgr. Mit feinem Goldschnitt n. 4 fl. 48 kr. od. 3 Thlr. 1 sgr.

Das Urtheil eines Geistlichen lautet also: „Eine neue Ausgabe des römischen Breviers in Einem Bande, welches als sogenanntes **Einlegebrevier** gebunden werden kann und besonders auf Reisen sehr bequem ist, wurde seit längerer Zeit allgemein gewünscht; durch die oben angezeigte, mit ausdrücklicher Erlaubniss und Genehmigung des Hochwürdigsten Herrn Bischofs von Regensburg gemachte Ausgabe wurde dieser Wunsch erfüllt, und zwar auf eine in jeder Hinsicht zufriedenstellende Weise.

Dieses Einlegebrevier verdient daher den vollen Beifall und die freundlichste Aufnahme bei der hochw. Geistlichkeit, und die Manz'sche Buchhandlung für die Herausgabe desselben den wärmsten Dank."

Das **Supplementum festorum novissimorum (1868)** ist auch einzeln zu 18 kr. od. 6 sgr. zu haben.

VETUS TESTAMENTUM GRAECE
juxta LXX interpretes.
Textum ex codice Vaticano edidit, lacunas supplevit ex codice Alexandrino et ex bibliis polyglottis **Dr. V. Loch.** Lex. 8. 4 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 26 sgr.

C. PASSAGLIA S. J.,
commentarius de praerogativis beati Petri
apostolorum principis, auctoritate divinarum literarum comprobatis. Lex. 8. Velinpap. 4 fl. 48 kr. od. 2 Thlr. 25 sgr.

C. PASSAGLIA S. J.,
de aeternitate poenarum
deque igne inferno commentarius Lex. 8. 30 kr. od. 10 sgr.

C. PASSAGLIA S. J.,
de ecclesia Christi
Commentariorum libri quinque. Vol. 1. Quo primus et alter liber cont. Vol. II. Quo tertius liber cont. Lex. 8. 8 fl. od. 5 Thlr.

P. M. DE SCHENKL,
theologia pastoralis systema,
de novo recognitum, emendatum atque adauctum a J. G. Wesselack. Editio IV. 8. maj. 3 fl. 12 kr. od. 2 Thlr. 5 sgr.

J. BALDESCHI,
Ceremonier der St. Peterskirche zu Rom,
ausführliche Darstellung des römischen Ritus.
Herausgeg. von M. v. Montbach. Mit Approbation des hochw. Ordinariats Breslau. Mit 3 Abbildungen. (28 Bogen.) 2 fl. 12 kr. od. 1 Thlr. 10½ sgr.

M. BENGER,
Compendium der Pastoraltheologie.
gr. 8. 4 fl. 48 kr. od. 3 Thlr.

M. BENGER,
Pastoraltheologie.
3 Bände. gr. 8. 12 fl. 15 kr. od. 7 Thlr. 19 sgr.
Es muss in Wahrheit gesagt werden, dass der Inhalt durchaus gediegen, die Haltung streng kirchlich ist, und dass die Masse von best gewählten Citaten aus der heiligen Schrift, den heiligen Vätern, anderen Heiligen, den Erlässen von Concilien und den kirchlichen Oberbehörden dieses Werk zu einem vortrefflichen Repertorium für Seelsorger, insbesondere auch Prediger und Beichtväter, gestaltet, welches nicht ohne grossen Nutzen gebraucht werden kann, und wobei das alphabetische Generalregister erwünschte Beihilfe leistet. S. Kirchb. IV. 4.

Dr. J. FLUCK,
katholische Liturgik.
II Thle. in 3 Abtheil. Ir Der sakramentale Kultus. IIr. 1. Der latreutische Kultus. II 2. Der sakramentallatreutische Kultus, oder die h. Zeiten und Orte. gr. 8. 9 fl. od. 5 Thlr. 17½ sgr.

GAUME,
die katholische Religionslehre nach ihrem ganzen Umfange.
Oder: Historische, dogmatische, moralische, liturgische, apologetische, philosophische und sociale Darstellung der Religion von Anbeginn der Welt bis auf unsere Tage. Nach der neuesten Ausgabe des französ. Originals übersetzt und herausgegeben von Dr. A. Dietl. 8 Bde. 2te, sehr verm. u. verbesserte Aufl. Mit einem Universalregister über das ganze Werk. gr. 8. 14 fl. 18 kr. od. 8 Thlr. 27½ sgr.

FR. EHMIG,
neue Gleichnisse, Beispiele und Erzählungen
über die katholischen Glaubens- und Sittenlehre
Für Religionslehrer, Prediger und Katecheten, z gleich ein nützliches Lesebuch für christliche F milien. Gesammelt und alphabetisch geordn 4 Bde. Lex. 8. à 2 fl. 24 kr. od. 1 Thlr. 15 sgr
Das Werk, welches wir vor uns haben, ve dient aus mehr als einem Grunde alle Empfehlun Sind Beispiele und Erzählungen über die katho sche Glaubens- und Sittenlehre schon für jed Christen eine ebenso entsprechende als nützlic Lektüre, so müssen sie insbesondere dem Seelsorg klerus höchst willkommen sein, weil sie ihm seinen Vorträgen in Kirche und Schule reich Material bieten. Was die vorliegenden Erzäl ungen und Beispiele betrifft, so sind sie grösste theils neu, mit geringer Ausnahme kurz, lehrrei und frappant, enthalten nicht Dichtung, sonde Thatsachen und eignen sich daher sehr wohl f homiletische und katechetische Vorträge. D Werk zeichnet sich auch durch seine Vollständi keit aus; man wird kaum einen Gegenstand d christlichen Glaubens- oder Sittenlehre behandel zu welchen man nicht passende Gleichnisse u Beispiele findet. Da die Titel alphabetisch geor net sind, so ist das Auffinden passender Beispie sehr erleichtert: man findet hier in einem Auge blicke, was man in andern Werken oft lange u am Ende doch vergebens sucht. Was den Wer des Werkes in praktischer Hinsicht vermehrt, i dass die Erzählungen und Beispiele kurze Nut anwendungen auf besondere Fälle enthalten, u die Gleichnisse weiter ausgeführt und angewend sind. Wir zweifeln nicht, dass Jeder, der von di sem Werke nähere Einsicht nimmt, dasselbe se gut und brauchbar finden werde. Z.

Dr. J. GAUME,
Handbuch für Beichtväter.
I. Aus der Heiligung des Priesters, durch eine lie reiche und kluge Verwaltung des Bussakraments II. Aus den Anweisungen und Rathschlägen f Beichtväter. Gesammelt aus den Schriften des he ligen A. v. Liguori, des s. L. v. Porto Maur cio, des hl. Carl Borromäus, des hl. Fran v. Sales, des hl. Philippus Neri und des l Franziscus Xaverius. Aus dem Französ. na der achten sehr verb. und verm. Aufl. vollständ übersetzt. 2te, verm. und verb. Aufl. gr. 8. (Bogen.) 2 fl. 36 kr. od. 1 Thlr. 18 sgr.

GOUSSET,
Cardinal Erzbischof,
Dogmatik.
Nach der siebenten Auflage aus dem Französische übersetzt und herausgeg. von Prof. Dr. Fr. Bittne 2 Bde. gr. 8. 8 fl. od. 5 Thlr.

Dr. J. N. KNOPP,
vollständiges katholisches Eherecht.
Mit besonderer Rücksicht auf die praktische Sec sorge bearbeitet. 2te Aufl. gr. 8. 3 fl. 30 kr. o 2 Thlr. 7½ sgr.
„Das Werk ist das beste, umfassendste in neuer Zeit und mit besonderer Rücksicht auf die pra tische Seelsorge abgefasst." W. K. Z.

HEIL. ALPH. M. v. LIGUORI,
practische Unterweisungen für Beich väter.
Oder: Homo apostolicus in deutscher Uebersetzung.
Herausgegeben von der Versammlung des alle heiligsten Erlösers. 3 Bde. 8. 6 fl. 24 kr. o 3 Thlr. 25 sgr.

Dr. V. GRÖNE,
die Papstgeschichte.
2 Bände. (Von Petrus bis auf unsere Zeit.)
gr. 8. 7 fl. od. 4 Thlr. 12 sgr.

L. MEHLER,
christkatholisches Haus- und Familienbuch
in Wort und Bild
oder die katholische Lehre und Legende.

In kurzen Lesestücken für alle Feierabende des ganzen Jahres, einfach und leichtfasslich dargestellt und durch 750 Bilder veranschaulicht zunächst für den Bürger und Landmann, dann aber auch für Katecheten und Religionslehrer. 3te, sehr verm. und verb. Auflage. gr. 4. 4 fl. 40 kr. od. 3 Thlr. 1 sgr.

Beim Erscheinen der ersten Auflage sagt eine ausführliche Recension u. a: Der Hr. Verfasser hat sein katechetisches Talent wieder glänzend erprobt; er hat ein Werk geliefert, welches ebenso originell in seiner Auffassung, als gediegen in seiner Durchführung ist. Wir können daher nur wünschen, dass dieses ausgezeichnete Werk in jedem christl. Hause freundliche Aufnahme finde, und ein Lieblingsbuch werde für Jung und Alt; es wird gewiss Segen stiften. P. Z. Nro. 220.

L. MEHLER,
Beispiele zur gesammten christkatholischen Lehre.

Oder: Der ganze katholische Katechismus erläutert durch kurze Erklärungen und anziehende Beispiele aus dem Leben, uns der heiligen Schrift und der Legende durch Erzählungen, Parabeln und Gleichnisse, sowie durch passende Schrift- und Väterstellen nach der Ordnung des Katechismus von P. Canisius, jedoch auch zu jedem andern, besonders zum Deharbe'schen Katechismus zu gebrauchen: Ein Handbuch für Religionslehrer, Katecheten und Prediger; zugleich ein Hausbuch zur belehrenden und erbauenden Lectüre für christliche Familien. 3 Bände. I. Das erste und zweite Hauptstück: „Vom christlichen Glauben und von der christlichen Hoffnung." II. Das dritte Hauptstück: „Von der christlichen Liebe und den Geboten." III. Die Lehre: „Von den heiligen Sakramenten und von der christlichen Gerechtigkeit," nebst einem Anhange über „die vier letzten Dinge," einem Universal-Register und einem Inhalts-Verzeichnisse beim Gebrauche des Deharbe'schen Katechismus. Mit Approbationen der hochw. Oberhirten von Regensburg, Brixen und Trier. 5te, vielfach verb. und verm. (und **wohlfeilste**) Aufl. (114½ Bogen.) Lex. 8. 6 fl. od. 4 Thlr. 26 sgr.

Der Prediger und Katechet.

Eine praktische, katholische Monatschrift, besonders für Prediger und Katecheten auf dem Lande und in kleinern Städten. Unter Mitwirkung mehrerer katholischer Geistlichen herausgegeben von **L. Mehler.**

I.—XVIII. Jahrg. (12 Monathefte.) gr. 8. à 3 fl. 12 kr. od. 1 Thlr. 27½ sgr.

Inhaltsverzeichniss zum I—XIV. Jahrg. 36 kr. od. 12 sgr.

☞ Kein Journal ähnlicher Tendenz bietet so viel **Reichhaltiges** und ist **so billig** als das **Vorstehende**, welches zudem nur **Originalarbeiten** enthält.

Es wird nicht bestritten werden können, dass der Prediger und Katechet unter allen derartigen literarischen Erscheinungen in Bezug auf Reichhaltigkeit und systematische Ordnung mit obenan stehe, indem er die **gesammte praktische Homiletik und Katechetik** umfasst, und ebenso das Dogma und die Moral, als die Liturgie und Symbolik der Kirche in homiletischen und katechetischen Vorträgen behandelt, wobei er sich nicht etwa damit begnügt, für alle Sonn- und Festtage beliebige Predigten zu liefern, sondern sein Augenmerk besonders auch darauf richtet, mit jedem Jahrgange eine andere Gattung von Predigten zur Aufnahme zu bringen. Daher enthält der I. und II. Jahrgang **Pfarr- und Frühpredigten für die Sonn- und Festtage** des Kirchenjahres, der III. Jahrgang **Patrocinienpredigten**, der IV. Jahrgang **Gelegenheitspredigten**, der V. und VI. **liturgische Predigten**, der VII. **Geschichtspredigten**, der VIII.—XII. besonders **Katechismuspredigten** der XIII. und XIV. **Predigten über die marianischen Bilder und ihre Bedeutung**, zugleich auch mehrere **Eucharistische Predigten**, der XV. Predigten **über die Bilder und Symbole der Heiligen**, der XVI. vorzugsweise **Homilien und homiletische Predigten**, endlich der XVII. eine eigens paginirte Zugabe von **Grabreden und Armenseelenpredigten**. Auf solche Weise bieten die bisher vollendeten 17 Jahrgänge jedem Prediger und Katecheten eine sehr reiche Auswahl, so dass er für die einzelnen Sonn- und Festtage des ganzen Kirchenjahres nicht selten 26 bis 32 kürzere oder längere Predigten etc. finden kann. (Man vergleiche das **ausführliche Inhaltsverzeichniss zum I.—XIV. Jahrgang.** Auch **Fastenpredigten** wurden jedem einzelnen Jahrgange beigegeben, oft in einem zwei-, ja dreifachen Cyclus. — Durch zwei Vorzüge dürfte sich aber diese Monatschrift vor allen andern Predigtsammlungen und homiletischen Zeitschriften ganz besonders auszeichnen: 1) durch die **Zollner'schen Katechismuspredigten**, in welchen die gesammte katholische Lehre, also **Glaubens- und Sittenlehren** der katholischen Kirche nach der Ordnung des Katechismus ebenso einfach und allgemein fasslich, als ausführlich und gründlich erklärt werden, und 2) durch die den ersten 14 Jahrgängen beigegebenen **Blüthen der Vor- und der Neuzeit**, welche in zwei ziemlich starken Bänden ein für jeden Prediger und Katecheten gewiss sehr brauchbares Handlexikon bilden.

Dr. A. MÜLLER,
Anleitung zum geistlichen Geschäftsstyle und zur geistlichen Geschäftsverwaltung,

mit Rücksicht auf die in Bayern bestehenden gesetzlichen Bestimmungen. Nebst einem Anhange von Formularen aller Arten von Geschäftsaufsätzen, welche in den verschiedenen Verzweigungen der geistlichen Amtsverwaltung vorkommen, zunächst für kathol. Geistliche. 8te, gänzlich umgearb. Aufl. gr. 8. 4 fl. od. 2 Thlr. 15 sgr.

Das vorstehende im Jahre 1828 zum ersten Male erschienene Werk hat seine Brauchbarkeit während eines Zeitraumes von drei Decennien so bewährt, dass es bereits sieben starke Auflagen erlebte. Seit dem Drucke der letzten Auflage (1845) haben sich in den hier behandelten geistlichen Geschäften viele und wesentliche Veränderungen ergeben. Nicht wenige der älteren Verordnungen sind durch neuere ausser Kraft gesetzt, andere modifizirt oder auch näher erläutert worden. Die Verwaltung des Kirchen- und Pfründenvermögens hat durch die Grundlasten-Ablösung eine bedeutende Aenderung erfahren u. s. w. — Unter diesen Umständen konnte eine theilweise Verbesserung des Werkes dem Zwecke nicht mehr genügen. Der Herr Verf. musste sich zu einer ganz neuen Bearbeitung derselben entschliessen, und hat sie nun, mit Zuziehung eines Mitarbeiters, des Herrn Domprediger Dr. **Himmelstein**, vollendet. Alles Veraltete, ausser Wirksamkeit Getretene, so wie das, was für die Praxis bedeutungslos erschien, wurde ausgeschieden, alle neueren den Geschäftskreis der Geistlichen berührenden kirchlichen und staatlichen Gesetze und Anordnungen eingereihet, namentlich auch die Verordnungen der einzelnen erzbischöflichen und bischöflichen Ordinariate Bayerns beigezogen, auch die Vertheilung des Stoffes vielfach zweckmässiger geordnet etc. so dass diese neue Auflage als eine gänzlich umgearbeitete erscheint.

Deharbe's Katechismus erklärt, binnen 2 Jahren 3 Auflagen!

L. MEHLER,
katechetisches Handbuch,

in kurzen Erklärungen, biblischen und historischen Beispielen, in Parabeln und Gleichnissen, zunächst zu Deharbe's, dann auch zu jedem anderen Katechismus. Ein Hilfsbuch für Seelsorger und Lehrer und ein Lesebuch für jeden Katholiken. Auch u. d. Titel; **Praktische Katechese** oder die christkatholische Lehre in Beispielen, in kurzen Erklärungen, Parabeln und Gleichnissen. Sowohl ein selbstständiges Werk als auch ein **Supplement** zu den „Beispielen zur gesammten christkathol. Lehre." 3 Theile. I. Vom Glauben. II. Von den Geboten. III. Von den Gnadenmitteln. Nebst einem vollständigen alphabetischen Sachregister. 3te Aufl. gr. 8. 4 fl. 30 kr. od. 2 Thlr. 22½ sgr.

☞ Vorstehendes Handbuch bildet zu dem in vielen Diöcesen Deutschlands eingeführten „Deharbe'schen Katechismus" eine nothwendige Ergänzung und Erklärung, die dem Katecheten höchst erwünscht sein wird, indem der Inhalt hauptsächlich aus Beispielen und Gleichnissen zu den einzelnen Fragen, welchen eine kurze Erläuterung vorangeht, besteht, so dass auf solche Weise das „Lehrbuch der Religion" selbst entbehrlich wird. Auch bildet das „Handbuch" ein für sich bestehendes Werk, welches bei jedem andern Katechismus benützt werden kann, zu welchem Zwecke am Ende ein ausführliches Sachregister beigefügt ist.

J. A. MÖHLER,
Kirchengeschichte.

Herausgegeben von **P. B. Gams.** 1r Bd. Erster Zeitraum. 2r Bd. Zweiter Zeitraum. Das Mittelalter. gr. 8. à 4 fl. od. 2 Thlr. 16 sgr. 3r Bd. Dritter Zeitraum. Die neuere Zeit. 3 fl. 36 kr. od. 2 Thlr. 6 sgr.

Die hist. polit. Blätter (LXI., 5.) sagen am Schlusse einer ausführlichen Besprechung über vorstehende zwei Bände: „Wir können die bereits vorhandenen zwei Bände der Kirchengeschichte Möhler's nicht anders als im Gefühle der Freude über das viele Schöne und Wahre, welches uns als Erinnerung an diesen edlen Geist in demselben dargeboten wurde, aus der Hand legen. Wir haben nur den doppelten Wunsch, dass der gelehrte Herausgeber dieser kirchengeschichtlichen Vorträge, der es bisher bewiesen hat, dass er im Interresse der Kirche und kirchlicher Wissenschaft keiner Mühe und keinem Tadel furchtsam aus dem Wege geht, uns recht bald mit der Veröffentlichung des dritten und letzten Bandes erfreuen, und dass die Theilnahme für dieses Werk in den weitesten Kreisen sich kundgeben möge.

St. J. NEHER,
kirchliche Geographie und Statistik.

Oder: Darstellung des heutigen Zustandes der katholischen Kirche mit steter Rücksicht auf die früheren Zeiten und im Hinblick auf die anderen Religionsgemeinschaften. Specielle kirchliche Geographie und Statistik. 1te Abtheilung: Die europäischen Kirchenprovinzen. 1r Bd. Auch u. d. Titel: **Kirchliche Geographie** und **Statistik** von **Italien, Spanien, Portugal** und **Frankreich.** gr. 8. 4 fl. od. 2 Thlr. 15 sgr.
2r Bd. Auch u. d. Titel: **Kirchliche Geographie** und **Statistik** von **Irland, Grossbritanien, Niederlande, Schweiz, Deutschland,** und die angrenzenden Staaten, **Russland, Türkei,** und **Griechenland.** gr. 8. 4 fl. od. 2 Thlr. 15 sgr.

So sehr wir heutzutage mit Büchern aller Art überschwemmt sind, hatten doch bis jetzt wir Katholiken auffallender Weise so viel als keine kirchliche Geographie und Statistik, da man doch meinen sollte, eine Uebersicht des gegenwärtigen Bestandes der katholischen Kirche müsste mindestens ebenso anziehend und wichtig sein als eine allgemeine Geographie oder dgl. Ohne Zweifel waren es nur die ungewöhnlichen Schwierigkeiten, die gerade hier zu überwinden sind, was von einem bezüglichen Versuche abschreckte, da selbst die vorhandenen Bruchstücke einer solchen allgemeinen Uebersicht an bedeutenden Mängeln leiden. Weil aber anderer Seits eine kirchliche Geographie und Statistik doch für Viele ein dringendes Bedürfniss und für jeden Gebildeten von hohem Interesse ist, so fasste der oben genannte Priester der Diöcese Rottenburg den Entschluss, koste es was es wolle, eine solche auszuarbeiten, und sammelte mit wahrem Bienenfleisse die dazu nöthigen Behelfe. Das Ganze gedenkt er in zwei Haupttheile zu scheiden, nämlich einen allgemeinen und einen speciellen. Der letztere soll 3 Bände umfassen. Die allgemeine kirchl. Geographie und Statistik soll als 4. Band das ganze Werk abschliessen. Jeder Band wird übrigens ein für sich abgeschlossenes Ganzes bilden. Was nun die vorliegenden Bände betrifft, verdienen sie unzweifelhaft alle Anerkennung. S. K. Bl. Nr. 47.

G. PHILIPPS,
Lehrbuch des Kirchenrechts.

2 Bde. (83 Bogen.) Lexiconformat. 12 fl. od. 7 Thlr. 12 sgr.

„Der streng kirchliche Standpunkt des Verfassers, seine reiche Literaturkenntniss, seine Vertrautheit mit den Rechtsquellen und mit der Geschichte sowohl im Allgemeinen als mit der des Rechts insbesondere, die Präcision seiner Darstellung, die auf allmälige Einführung des Anfängers in selbstständiges Studium der Quellen hinarbeitende Vortragsmethode machen diese Arbeit ebenso brauchbar als verdienstlich und ohne den ausgezeichneten Leistungen anderer Kirchenrechtslehrer der Gegenwart, deren Vorzüge nicht geschmälert werden können, irgendwie zu präjudiciren, lässt sich mit Sicherheit sagen, dass dieses Lehrbuch in weiten Kreisen den lebhaftesten Anklang finden wird."
K. Lit. Zeitg. IX. 35.

B. RITTER,
der Priester als Arzt am Krankenbette.

Eine systematische Zusammenstellung wissenschaftlicher Grundsätze, nach denen die Krankheiten der Menschen in Abwesenheit oder Ermangelung des Arztes zu beurtheilen und zu behandeln sind, namentlich für Geistliche auf dem Lande. Auf's Neue bearb. und herausgeg. von einem katholischen Geistlichen. 2te, sehr verm. und verb. Aufl. gr. 8. 1 fl. 15 kr. od. 24 sgr.

Einige ärztliche Kenntnisse sind jedem Seelsorger, zumal dem auf dem Lande, von grossem Nutzen. Nicht wenige Menschen erkranken plötzlich; wie gut ist es, wenn der Seelsorger, der gewöhnlich am ersten gerufen wird, dasjenige anzuordnen versteht, was in solchen Fällen nothwendig und zweckmässig ist. Wir begrüssen daher das vorstehende Werk mit Freuden; denn es gibt in allen möglichen Krankheiten in ganz populärer Weise die trefflichsten Aufschlüsse; erörtert bei jeder Krankheit ihre Ursachen, ihre Kennzeichen, ihren Charakter, ihre grösseren oder geringeren Gefährlichkeiten, sowie ihren Verlauf, und beschäftigt sich mit der Art ihrer Behandlung. Ganz besonders ist immer bestimmt hervorgehoben, wie der Kranke im Anfang und bis zum Eintreffen des Arztes behandelt werden muss. Im Anhange folgen noch die verschiedenen Arten von Vergiftungen und die Mittel, die zur Beseitigung der ersten Gefahr in Anwendung zu kommen haben. Wir zweifeln nicht, dass dieses Werk, welches nunmehr in 3. Auflage erscheint, den Seelsorgern eine willkommene Gabe sein und ihnen bei ihren Krankenbesuchen wesentliche Dienste leisten wird."
Pred. u. Kat. X.

A. RÖGGL,
Zusprüche im Beichtstuhle,

nebst Bussvorschriften nach den evangelischen Perikopen und Festen des Kirchenjahres. Mit einem Anhange von Zusprüchen nebst Bussvorschriften für besondere Klassen von Pönitenten. Aus dem Nachlasse gesammelt und herausgeg. v. A. Lechthaler. 3te, verb. Aufl. 8. 1 fl. 12 kr. od. 22½ sgr.

Der praktische Werth und Nutzen dieser Schrift springt in die Augen. Sie enthält die schönsten Unterweisungen für Pönitenten aller Art, und zwar nach den treffenden Sonntagsevangelien und Festzeiten, und zugleich Bussen, welche heilsam auferlegt werden können. Im Anhange kommen noch Belehrungen, Heilmittel und Bussvorschriften für besondere Klassen von Pönitenten, z. B. für Hoffärtige, Habsüchtige, Unkeusche, Ledige, Verheirathete, und dazu ein Auszug aus den alten Bussatzungen, deren Kenntniss den Beichtvätern wenigstens zur Belehrung ihrer Beichtkinder gute Dienste leisten wird. Da die Betrachtungen über die Sonn- und Festtagsevangelien ziemlich ausführlich sind und eine Menge der schönsten Gedanken enthalten, so sind sie auch für Kanzelvorträge reiches Material. Die Bussvorschriften, welche nach jeder Betrachtung pro Laicis et Clericis gegeben sind, haben uns besonders angesprochen; denn sie sind immer der Art, dass sie ihrem vindikativen und korrektiven Zwecke vollkommen entsprechen. Wir glauben, uns den Dank des ehrwürdigen Seelsorgsklerus zu verdienen, dass wir ihn auf dieses so brauchbare Werk aufmerksam gemacht haben. Pred. u. Kat.

Dr. TH. WISER,
vollständiges Lexikon
für
Prediger und Katecheten,

in welchem die kathol. Glaubens- und Sittenlehren ausführlich betrachtet sind. 2te Ausg. 16 Bände, nebst Registerband, jeder zu 8 Heften. gr. 8. Preis eines Heftes 18 kr. od. 5⅓ sgr.
Das ganze Werk 39 fl. 36 kr. od. 24 Thlr. 6 sgr.

Eine Recension im „Prediger und Katecheten (VII. 1.)" lautet folgendermassen: „Obiges Werk nimmt in Wahrheit unter allen literarischen Erscheinungen dieser Art den ersten Platz ein sowohl in Bezug auf wissenschaftliche Behandlung und Begründung, als auch in Bezug auf Vollständigkeit. Wir glauben daher die Aufmerksamkeit der Prediger und Katecheten ganz besonders auf dasselbe lenken zu müssen. Um aber die Reichhaltigkeit und ausserordentliche Vollständigkeit desselben in einem Beispiele zu zeigen, mag die Hinweisung auf einen Artikel dienen, der die Aufschrift führt „Gottesdienst". Auf beinahe achtzig Seiten werden nun da folgende Punkte besprochen: 1) Begriff und Eintheilung des Gottesdienstes; 2) Schriftstellen; 3) Väterstellen; 4) geschichtliche Beispiele; 5) Nothwendigkeit der äussern Anbetung: 6) Nutzen des äussern Cultus; 7) Bedürfniss desselben; 8) Gottesdienste des A. B.; 9) Beschaffenheit desselben in der ältesten Kirche; 10) nur in der katholischen Kirche ist ein Gottes würdiger Dienst; 11) wie sehr der katholische Gottesdienst von der Vernunft gerechtfertigt wird, und wie sehr er das Herz befriedigt; 12) er durchdringt und heiligt den Menschen; 13) selbst die Gegner können ihm ihren Beifall nicht versagen; 14) mit welchem Eifer man im Christenthume von jeher auf Betheiligung an dem öffentlichen Gottesdienste hielt; 15) von der Pflicht, dem öffentlichen Gottesdienste beizuwohnen; 16) um wieviel es vorzuziehen sei, dem pfarrlichen Gottesdienste beizuwohnen; 17) von der Pflicht, dem feiertäglichen Gottesdienste in seiner Pfarrkirche beizuwohnen; 18) Ursachen der Vernachlässigung des öffentlichen Gottesdienstes; 19) Folgen hievon; 20) Einwendungen gegen den öffentlichen Gottesdienst; 21) Erklärung einiger gottesdienstlicher Uebungen und kirchlicher Gebräuche (Kreuzweg, Miserere, Anbetung des heiligsten Altarssacramentes, das Veni sancte Spiritus und das Te Deum, der Wettersegen, das Sterbeglöcklein etc.). In ähnlicher Weise sind alle übrigen Artikel behandelt. Ist es alsdann zu viel gesagt, wenn behauptet wird: Mit Dr. Wiser's Lexikon in der Hand, und bei einiger Meditation — lässt sich gar leicht eine gediegene Predigt ausarbeiten; denn da findet der Prediger die gründlichste Sacherklärung, die treffendsten Schrift- und Väterstellen und die brauchbarsten Beispiele und Erzählungen aus der heiligen Schrift sowohl, als auch aus der Geschichte. —

J. E. ZOLLNER,
das katholische Christenthum

in seinem Glauben, seinen Geboten und Gnadenmitteln. Oder:

Katechismuspredigten

über die Gesammtlehre der christkatholischen Religion nach Deharbe's Katechismus ausführlich und populär bearbeitet. Ir Jahrg. 2 Bde. Vom Glauben. 3 fl. 36 kr. od. 2 Thlr. 6 sgr. IIr. Jahrg 2 Bde. Von dem Glauben und den Geboten 4 fl. 15 kr. od. 2 Thlr. 19½ sgr. IIIr Jahrg. 2 Bde. Von den Geboten Gottes. 4 fl. 39 kr. od. 2 Thlr 24 sgr. IVr Jahrg. 2 Bde. Von der christlichen Vollkommenheit und den Gnadenmitteln. gr. 8. 5 fl. 15 kr. od. 3 Thlr. 4½ sgr.
Das ganze Werk aus 8 Bänden bestehend 17 fl. 36 kr. od. 10 Thlr. 24 sgr.

Der hochw. Herr Verfasser, der bereits durch seine vortrefflichen „Predigten für den Bürger und Landmann," sowie durch seine Ideen aus praktischen „Standeslehren" in weiten Kreisen bekannt geworden ist und sich in der kathol. Predigtliteratur der Neuzeit dadurch einen höchst ehrenvollen Rang und Namen gesichert hat, erscheint in den hier vorliegenden Katechismuspredigten nunmehr auch als ein vortrefflicher „Katechet auf der Kanzel." Und wir sprechen nur unsere innige Ueberzeugung aus, wenn wir sagen, dass die Zollner'schen Katechismuspredigten zu dem Besten und Gediegensten gehören, was je in diesem Genre geliefert worden ist; in Bezug auf den Deharbe'schen Katechismus steht es aber bisher noch als Unicum da.
L. Mehler.

Dr. W. A. MAIER,
die liturgische Behandlung des Allerheiligsten ausser dem Opfer der heiligen Messe.

gr. 8. 2 fl. 48 kr. od. 1 Thlr. 22 sgr.

Die neuesten
kirchlichen Erlasse
über die liturgische Behandlung des Allerheiligsten ausser dem Opfer der heiligen Messe.

Kritische Bemerkungen und Nachträge zu dergleichnamigen Buche des Domkapitulars Dr W. A. Maier. Bearbeitet von einem Priester des Bisthums Eichstädt. gr. 8. 45 kr. od. 15 sgr.

Allgemeine Realencyklopädie,
oder Conversationslexikon für alle Stände.
Neue illustrirte Ausgabe
der dritten, gänzlich umgearbeiteten und sehr vermehrten Auflage.
In 12 Bänden oder 120 Heften mit Karten und Illustrationen.
Preis eines Heftes Lex. 8. 24 kr. od. 7½ sgr.

Dieses Werk ist in dieser dritten Auflage, den gesteigerten Anforderungen der Gegenwart entsprechend, *völlig umgestaltet* und steht auf der Höhe der Zeit. Unter seinen zahlreichen (mehr als 100 im Vorworte genannten) Mitarbeitern befinden sich *Koryphäen der Wissenschaft*. Durch seinen innern Werth wie den höchst billigen Preis hat es sich bereits einstimmige Anerkennung und eine über alles Erwarten grosse Verbreitung errungen.

3183 055

3 2044 054 762 232
NOT TO BE REMOVED
FROM THE LIBRARY